Mariano Fernández García

Lexicon Scholasticum philosophico-theologicum

in quo termini, definitiones, distinctiones et effata a
Joanne Duns Scoto exponuntur, declarantur

1988
Georg Olms Verlag
Hildesheim · Zürich · New York

Dem Nachdruck liegt das Exemplar der Universitätsbibliothek
Mainz zugrunde.

Die fehlerhafte Paginierung der zugrundeliegenden
Ausgabe wurde beibehalten.
Das Format des Nachdrucks ist kleiner als das der Vorlage.

2. Nachdruck der Ausgabe Quaracchi 1910
Printed in Germany
Herstellung: strauss offsetdruck gmbh, 6945 Hirschberg 2
ISBN 3 487 05221 0

LEXICON SCHOLASTICUM

PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM

IN QUO

TERMINI, DEFINITIONES, DISTINCTIONES ET EFFATA

SEU AXIOMATICAE PROPOSITIONES PHILOSOPHIAM AC THEOLOGIAM SPECTANTES

A

B. IOANNE DUNS SCOTO DOCTORE SUBTILI ATQUE MARIANO O. F. M.

EXPONUNTUR, DECLARANTUR

OPERA ET STUDIO

R. P. MARIANI FERNANDEZ GARCIA O. F. M.

PROV. S. IACOBI IN HISPANIA, IN S. THEOLOGIA LECTORIS IUBILATI

ET SECRETARII GENERALIS SUBSTITUTI ORDINIS.

Scrutabitur mille Praeceptor
Acer atque SUBTILIS *origines nominum.*
Quintill. l. I. c. 4.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1910.

RMO P. DIONYSIO SCHULER

MINORITICI GREGIS VIGILANTISSIMO PASTORI

HUMANARUM DIVINARUMQUE SCIENTIARUM AUCTORI SOLLERTI

HOCCE LEXICON SCHOLASTICUM PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM

AD SEXTUM A FELICI OBITU

B. IOANNIS DUNS SCOTI DOCTORIS SUBTILIS AC MARIANI

SAECULUM PERENNANDUM

CONCINNATUM

D. O. C.

AUCTOR.

Romae, e Collegio S. Antonii, die VIII Nov. 1909.

FR. DIONYSIUS SCHULER

MINISTER GENERALIS TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM

DECRETUM.

Cum Opus, cui titulus « *Lexicon Scholasticum philosophico-theologicum* » a R. P. Mariano Fernández García, Lectore Iubilato, Provinciae S. Iacobi in Hispania alumno, ex universis Doctoris nostri Subtilis Scriptis summo labore ac maxima diligentia concinnatum, rite examinatum fuerit, nihilque contineat fidei et moribus non consonum, Nos, praesentium vigore, libenter praefato Patri, cum sanctae obedientiae merito, facultatem facimus illud typis edendi, servatis aliis servandis, eiusque usum Ordinis Nostri Lectoribus atque Studentibus plurimum commendamus.

Datum Romae, ad S. Antonium, die 8 Novembris, felicis Doctoris Subtilis transmigrationis anniversaria, 1909.

FR. DIONYSIUS SCHULER
Min. Glis.

De mandato Paternitatis Suae Rmae
Fr. IOSEPH PRATALATA
Secret. Glis Ord.

IMPRIMATUR:

FR. ALBERTUS LEPIDI O. P., *S. P. A. Magister.*

IMPRIMATUR:

IOSEPH CEPPETELLI Patr. Constant., *Vices-gerens.*

PRAELOQUIUM

DE B. IOANNIS DUNS SCOTI

VITA, SCRIPTIS ET DOCTRINA

§ I. — *Vita.*

1. — **Ratio vitam Scoti praemittendi.** — " Qualis fuerit Scotus, fulgentissimum sapientiae et pietatis iubar (1) „, " cuius laus quanta sit in Ecclesia merito soli prave affecti mente non conspiciunt (2) „, " cuiusque fama et memoria in benedictione est, utpote qui sua sacra et profunda doctrina totum orbem adimplevit et facit resonare (3) „, iuvat, paucis saltem, referre, vel ex eo quod " in eius nomine tota periclitatur Religio, quae hoc uno gloriatur Magistro, huius indefesse sectandam sibi proposuit disciplinam (4) „.

2. — **Scoti nativitas.** — Saeculo XIII ad occasum properante (1274), ut communiter tenetur, maiori in Scotia, quae hodie *Hybernia* dicitur, nostrae mortalitatis tenebras ingressus est Ioannes, cognomento Duns Scotus, qui et perennis famae templum, et immortalitatis portum celeri petiit cursu, regenerationis undis eum secundo alveo vehuntibus; *nominis* siquidem *numen et omen non deseruit* (1).

(1) Wadding, *Annal. Minor.* ad an. 1304, n. 16.
(2) Ambr. Catharinus, Ord. Praedic., *Disputatio,* etc.
(3) Anton. Andreas, Scoti discipulus.
(4) Wadding. ib. ad an. 1308. n. 71.

3. — **Primaeva institutio.** — " Feliciter namque peractus cunabulis, anticipato lustro, quo pueri limina rationis salutant, parvulus Scotus, quasi ex infantilibus cunis exultavit ut gigas ad currendam viam salutis, ut speculative et practice, intelligendo, videlicet, et amando Deum auctorem coeli, ita aggrediendo et ingrediendo arcana sublimitatis illius, a Numine summi coeli edoctus, doctor nobis de coeli revelatione descenderet, et sic a summo coelo egressio eius, nos speculari, et comparare felicem ingressum coeli docet (2) „. Ab ipsis etenim rationalis vitae exordiis, et naturae dotibus, et gratiae supernae largitionibus prae communi hominum sorte donatus apparuit. Ferunt siquidem, ipsum in pastorali officio priores annos innocentissime transegisse; Dominicam Orationem, semel a quodam Fratre Minore au-

(1) Mauritius-Hybernicus. — Prol. ad exposit. in *Quaest.* Scoti super *Universal.*
(2) Matth. Sosa, in *Vita Scoti,* § 3.

ditam, illico memoria retinuisse, magnoque devotionis affectu recitasse, (1) nedum in frequentanda Dei Domo, verum etiam inter campestres orare, socios ad orandum, et Deum colendum verbo et exemplo incitare, sanctum illi fuisse; ex quo plurimam apud coaequales, natuque maiores adeptus est existimationem (2). " Virtus eximia crevit cum SCOTO ab infantia. Plura sunt in eius vita quae reddunt hominem religiosum et sanctum: veritas, modestia, mansuetudo, humilitas, charitas, oratio (3) „.

4. — **Religiosa vocatio.** — Nec desunt qui et ipsius ad Ordinem Seraphicum vocationem peculiari tribuant prodigio. Certo certius, audita coelestis Sponsi voce, paruit statim; aspera tectus tunica, vili cinctus chorda, viliorem, asperioremque ducere coepit vitam, virtutum exercitio adeo illustratam, ut vel ipsis provectioribus admirationi esset et exemplo:

Seraphici Patris tenerum susceperat Ordo,
perfectae exemplum religionis eram (4).

5. — **Studiis incumbit.** — " In sacris illis beatissimi Francisci castris, sub sanctissimae militiae disciplina, ita ipse vixit, ut floreret, ita floruit, ut fructum ingentem universo orbi adferret, ita sapientiae operam dedit, ut esset sapientissimus, ita vitam suam virtutibus exornavit, ut esset sanctissimus (5) „.

(1) Ioan. a Capua, an. 1629

(2) Cf. Samaniego, *Vida del Ven. Juan Dunsio Escoto*, c. 2. n. 4.

(3) Greg. Ruiz, *Controversiae theologicae*, Valllisoleti, 1613.

(4) Epitaph. circ. an. 1600.

(5) Nicol. Vernul., publicus Eloquentiae Professor in Universit. Lovan.; *Oratio*, etc. Colon. inpres. 1622.

" Sed vacans omnibus perfectissimi monachatus muneribus, non propterea litterarum studia praetermisit; nam ipsis operam dedit, et tali velocitate ingenii difficillima penetravit, ut vix possit concedi totam SCOTI aetatem sufficere ad solum legendos libros et auctores quos refert, impugnat et citat (1) „. Merito Ioannes Pitsaeus (2) de SCOTO nostro asserit: " Fuit vir ingenio plane ad litteras facto, et ad miraculum subtili atque acuto; veritatis perquirendae studiosissimus, inveniendae amicissimus, moribus praecipuus, sanctitate vitae conspicuus: numquam ad studium nisi praevia oratione accessit (3) „.

6. — **B. V. Mariae apparitione illustratur.** — " Crescebat in eo in dies vis ingenii, sed et simul pietas et in Divam Matrem amor crescebat, quoque doctior fiebat, eo santior „ (4) — Quae ignaris obvia videri solent profundius perscrutans, plura se latere noscebat, quae ut penitius ipsi intueri daretur, supernum exposcebat lumen. " In oratione autem sic sub arbore fatigatus somno sopitus est. Coeli Regina intemerata MARIA, praesciens SCOTUM futurum suae immunitatis et Conceptionis Immaculatae propugnatorem acerrimum (5), ei apparuit: pergere in studiis suadet, seque ei scientiam et sapientiam ab infinita Sapientia, quam in visceribus genuit, impetraturam alacriter polli-

(1) Matth. Sosa in *Vita Scoti*, § 3. — Samaniego, loc. cit.

(2) *De Reb. Angl.* 1580.

(3) Ioan. ab Incarnat.: *Vita Ioan. Duns Scoti*, 1608.

(4) Vernul. cit.

(5) Pitseus: *De Reb. Angl.*

cetur, modo sibi fideliter inservire promittat: „ (1)

Duns Evangelii viva fluenta potavit
ex ipso sacro pectore Virgineo (2).

7. — **Progressus in studiis.** — " Tanto Oxoniae litterarum incremento enituit in ipsâ adolescentia Scotus, ut humanas vires et communem naturae cursum transcendisse visus sit, et verum esse probaverit quod *supra* retulimus de peculiari dono concedendo per Virginis Deiparae sibi apparentis intercessionem (3) „. " Nihil erat vel tam difficile, vel tam densa caligine involutum, quod illius vivax et perspicax ingenium non penetraret (4) „.

Hinc concrevit ut pluvia doctrina eius, fluit ut ros eloquium eius, et in omnibus seipsum praebuit exemplum bonorum operum: in doctrina, in integritate, in gravitate, provectiores facile superans, uti Praesules facto testati sunt, eum 20ᵐ aetatis annum vix attingentem, studiosae praeficientes iuventuti, cui politiores primo litteras, dein philosophicas disciplinas, theologicasque post, tanto cum plausu in Oxoniensi Universitate tradidit, ut brevi longe divulgatum fuerit nomen eius, ac omni ex angulo terrarum " catervatim illuc confluxerint auditores, et ultra censum communem 3000 studiosorum, sub anno 1300, quo tempore illic legit Scotus, 30000 millia fuisse recensita scribit Pitseus *De Acad. Oxon.* c. 6 (1) „. Nec mirum! teste namque clarissimo Cornelio a Lapide, in expositione lib. *Sapientiae,* cap. 7. v. 22: *Spiritus intelligentiae subtilis,* " hunc subtilitatis spiritum in speculationibus Sapientia prae aliis communicavit Ioanni Scoto Ordinis S. Francisci, qui illum ut suum in Theologia et Philosophia Magistrum colit et sequitur; unde vulgo vocatur Doctor Subtilis. Porro haec subtilitas partim ei naturalis fuit a subtilitate ingenii qua excelluit, partim supernaturalis, opusque Gratiae et Spiritus Sancti „. — " Non poterat non esse sapientissimus Scotus, qui id primum contendit, ut esset sanctissimus (2) „. " Quid enim prodest nosse Primi Entis primitatem, unitatem, etc., nisi bene agendo, *orando* atque contemplando mundetur oculus et purgetur affectus, ut egit noster Scotus, quo vere videatur et in seipso gustetur gloriosus Deus? (3) „.

8. — **Parisios mittitur. — Fit Bacallaureus, Doctor et Regens.** — Rationem publicam redditurus de sua pro immunitate Virginis a peccato originali doctrina, Lutetiam Parisiorum Scotus missus est circa an. 1303, ubi et solemnem, de qua inferius (n. 17 et 22) disputationem sustinuit, et supremos illius celeberrimae Academiae conscendit gradus, iussu Ministri Generalis Gundisalvi a Balboa, qui Guardiano Parisiensi an. 1304 pro *Baccallaureato* praecipiendo proponit " dilectum

(1) Sosa, *ubi supra.*
(2) Ex imagine Scoti, Matriti facta an. 1598 et Operi P. Damiani Giner in *I Sentent.* praefixa.
(3) Wading. *Annal.* ad an. 1304. n. 18.
(4) Henr. Willot, in *Athen.* Leodii 1598.

(1) Wading. ib. n. 18.
(2) Vernul. *Orat.* cit.
(3) Maurit. Hybern. *Quaestion. Quodlib.* an. 1513.

in Christo Patrem IOANNEM SCOTUM, de cuius vita laudabili, scientia excellenti, ingenioque subtilissimo, aliisque insignibus conditionibus suis, partim experientia longa, partim fama, quae ubique divulgata est, informatus sum ad plenum (1) „.

" Mox *Doctoris* insignibus laureatus, dein *Regens* creatus, *primum locum,* inquit Possevinus, *in Schola Parisiensi assecutus, Academiam illam multum illustravit* (2) „.

9. — **Sanctitate refulget.** — " Scotus non minus miraculis, virtutibus, moribus et sanctitate conspicuus fuit, quam subtilitate ingenii (3) „, " quem inusitatis favoribus Christus et Virgo Mater honestavit. Qui fide integer, spe firmus, charitate in Deum et proximum ardens, humilitate infimus, obedientia promptus, castitate et vitae puritate angelus, carnis afflictatione rigidus, paupertatis observantissimus, contemplatione caelestis, Deiparae cultus et defensionis studiosissimus, moribus innocens, hanc vitam laudabilem morte felici, disputationis labore fractus, pie clausit, summaque veneratione suorum et exterorum cultus est, ut coevi Scriptores epitaphiorum, eiusdem discipuli et historici aetate propinquiores narrant (4) „.

Hinc B. Amadeo in extasi visus est Ioannes SCOTUS Beatorum diademate Doctorum laurea ornatus, de quo testimonium accepit: " Qui est plenus sanctitate, quia primus exemit gladium suum pro Conceptione Immaculatae Virginis Matris et Reginae nostrae (1) „.

(1) Ex litteris Asculi datis XIV Kal. Decemb. an. 1304.

(2) Wading. ib n. 26.

(3) Alard. Gazeus O. S. B. *Speculum scriptorum,* Atrebati 1625.

(4) P. Herman. Crombach S. I. in oper. Ms. « *Annales eccles. et civil. metrop. Ubior. Col. Agryp.* in Processu vet. Nolano. — Consonat Mathaeus Sosa, l. c. § 4. — Iacob. Bagnacav. Mag. Glis Conv. 1619, in *Ratione Studior.*

10. — **Theologicis informatur virtutibus.** — His summatim de sanctitate SCOTI *in genere* dictis, pauca de ipsius virtutibus *in specie* referamus. Ac in primis ad *theologicas* quod attinet, *fidem, spem* et *charitatem,* totam plane vitam subtilissimae ac suavissimae, quam de iis tradidit, vere catholicae doctrinae perfecte composuisse, testantur unanimiter quique eius gesta recensuere. " Fides eius incorrupta, spes eius firma, amor in Deum continuis suspiriis actus (2) „. — De *charitate in Deum* singulariter ait Possevinus S. I. in *Apparatu Sacro,* Coloniae impresso an. 1608: " Certe cum illud Augustini de laude charitatis verum sit, *ille tenet quidquid latet et quidquid patet in divinis sermonibus qui charitatem servat in moribus,* haud mirum fuerit, si ingenium *Doctoris Subtilis* appellati, modestia et charitate praeditum, altissimos sensus eruere potuerit ad veritatem indagandam, ut christiano pectori hausisse a Domino sapientiam (certe integram mentem) coniici possit „.

11. — **Charitate in proximum agitur.** — " Non obscurum sane *charitatis* argumentum, et inditae a Domino sapientiae proximis proficuae, illud, quod de eo refert Gu-

(1) Ex Proc. Nolano.

(2) G. Crombach, l. cit.

lielmus Worilongus (1), nimirum per Britanniam maiorem seu Angliam iter agentem occurrisse cuidam agricolae hordeum seminanti, et christiana pietate, eumdem fortassis iurantem, aut laboris impatientem, aeternae salutis et divinae legis monuisse. Cui indignabunde rusticus: " Ut quid frustra verba profundis? illud persuasum et certum habeo, Dei adimplendam erga me voluntatem, et aeterna praescientia iam vidisse quidquid de me acturus sit: si salvare vel condemnare me statuit, mea inanis est opera, sive bona sive mala; neque illa salvabit, neque ista condemnabit ". Excepit patienter vir pius perniciosum, et familiari retorsit exemplo: *Si divina,* inquit, *scientia, ut arbitraris, hanc necessitatem rebus imponit, ut quid hunc seminandi laborem assumis? Etenim si Deus praevidit nasciturum hordeum, sive semines sive abstineas ab opere, nascetur; si vero non nasciturum praevidit, utique non nascetur, arenae itaque semina mandas.* Illum obmutescentem subinde pius Doctor instruxit (2) ".

12. — **Peccata detestatur.** — " Peccata magna cura profligasse, et per multos annos, Deo auxiliante, a mortalibus cavisse, ex ipsis eius verbis deducunt quidam (3) non inepte. Neque tamen servili timore, sed generoso Dei amore bellum hoc indixisse peccatis, inde scimus, quod ipse praeclare scripserit: *Non id curandum, quod creatura, sed quod Deus offendatur: quod ne committatur, eligendum potius in nihilum reduci, idque propter sincerum Dei amorem, non propter poenas gehennae fugiendas* (1). Nobilis sane doctrina, et charitatis excellentissimae argumentum, velle potius non esse, quam Deo offenso superesse. Hinc ille non frigide aut segniter, sed divini amoris ardore, mortales quosque pro veritate et virtute asserenda, ad mortem generose obeundam, multis cohortatur rationibus (2) ".

13. — **Obedientiae exemplar.** — *Obedientiae* virtutem in gradu heroico in Mariano Doctore refulsisse sat probant alacritas et promptitudo pene incredibiles quibus Praelati mandata exequabatur ad unguem, et exequenda docebat, ac si Deus per ipsum loqueretur. " Obedientiae religiosae namque specimen dedit heroicum in celeberrimo egressu ab urbe Parisiensi, prompto et expedito animo omnia relinquens: civitatem amplissimam, celeberrimam Academiam, coenobium omnium gravissimum, amicos, discipulos, scripta, charos ingenii partos, cathedrae denique regendae non contemnendum honorem " (3)! " Cum enim Parisiis extra Conventum cum socio et aliis esset, et a Generali Ministro Obedientiales Litteras accepisset, quibus Scoto praecipiebat ut causa tuendae Conceptionis Immaculatissimae Virginis Coloniam pergeret, moneteque socio ut Conventum rediret, et Fratres, Patres, ami-

(1) Worilong. in I. d. 38, qui scripsit circa annum 1440, et plures alii apud. *Mapp. Subl.*
(2) Wading. l. c. n. 61.
(3) Tataretus in III. Sent.

(1) Scot. *Oxon.* III. d. 13. q. 1.
(2) Wading. ib. n. 60.
(3) Wad. l. c.

cos, Universitatem, Doctoresque illius (ubi Cathedram primariam regebat) salutaret, eisque valediceret, respondit sapientissimus Doctor: *Pater Generalis iubet me ire Coloniam, non redire Conventum ad salutandos fratres,* statimque ab eo loco discessit, et continuo est iter Coloniae aggressus (1) „.

14. — **Altissima Scoti paupertas.** — " *Paupertatis* evangelicae rigidus fuit Subtilis Doctor sectator: vili indutus tunica, nudisque pedibus peditando incedens, hinc illinc, et inde, ob causas Religionis et Immaculatae Virginis honorem, pauperrime peragrando, victui necessaria ostiatim ut mendicus et spretus pauper pro Eo qui pro nobis, cum dives esset, se fecit pauperem in hoc mundo, humiliter mendicabat. Ita enim de Scoto et duobus aliis apostolicis viris eiusdem Instituti consodalibus, Alexandro Alensi et Richardo Mediavillano, censuit gravissimus et vetustus Scriptor atque acutus Theologus, Ioannes Maior in *4. Sent. dist. 38. quaest. 11,* ubi haec habet: *Constat, quod in itinere, ubi non habebant Coenobia, amore Dei victum, hospitium et transitum per Oceanum a Britannia in Gallias et e contra, petebant, in grande meritum sibi, et aliorum aedificationem.*

Quod omne de Subtilissimo Doctore Ioanne Scoto venuste concinuit vetustum carmen sat tritum:

> Scotus Subtilis *nomen subtilia donant:*
> *Quem vestis vilis, pes nudus, chorda coronant* (1) ».

(1) *Mappa Subtilis,* sect. II. — Marianus Florent. — *Martyr. Franc.* — Worilong, et omnes Scoti biographi. — Refertur etiam a Iulio Negroni S. I. in Commentar. ad *Regulas communes* Societatis, ed. III, Colon. 1617.

(2) *Mappa Subtilis* sect. III. — Wading. l. c. n. 40. — *Martyrol. Franc.* ad d. 8 Nov. et alii plures.

15. — **Castitatem sollicite custodivit.** — *Castitatem* summo studio Doctorem Marianum coluisse, ipsius biographi unanimiter testantur, cuius rei argumentum praeclarum est sublimis missio a Deo ei collata, evincendi scilicet purissimae Dei Genitricis Conceptionem Immaculatam. Castitatis Scoti eloquens testimonium reddit sequens saec. XIV epigramma ipsius effigiei appositum:

> *Huic humilis* casto *Francisci chordula renes*
> *Strinxit, erat Sapiens, Presbyter officio,*
> *Fervebat studio, nulli virtute secundus* (1).

Virginitatis vero lilium toto vitae suae tempore diligenter sepire studuit rigida sensuum custodia, aspera corporis mortificatione, iugi fervidaque in Deum oratione, erga virginum Reginam filiali pietate.

16. — « **In oratione pernoctans,** divinis nectaribus fruebatur; ibique divino consortio gaudens, in Libro et Verbo eructato a Patre magnalia, ex dulcissimo contemplationis studio, veluti Moyses de caliginoso monte descendens, eloquebatur (2) „. " Magnae in eo virtutes omnes fuerunt, maxima vero vis Deum praecandi ac contemplandi (3) „.

" Quoad *orationem* et *contemplationem,* id exercitium sibi erat, et altiori modo, familiare. Per diem integrum, et aliquando amplius, immobilis sedebat, feriatis sensibus, mente alta contemplatione in divina mysteria absorta transvolabat: irruentia undique phantasmata, cor-

(1) Matth. Sosa, in *Vita Scoti.* — Wading. — Samaniago, l. II. c. 6. — *Mappa Subtilis,* et alii passim.

(2) Sosa, ib.

(3) Vernul. *Orat.*

porearum similitudinum, mentis puritate, sensuum functiones non requirente. Ad hanc *orationis* virtutem spectat, quod non tantum libros, maioresque Tractatus, sed brevissimas quasque materias, pia ad Deum prece, claudat: Tractatum *De Primo Principio,* etiam ad singula capita, devota mentis in Deum ascensione inchoat; altissimo, de Primi divinis perfectionibus, seu attributis, ad Deum colloquio finit (1) „.

17. — " **Circa pietatem Scoti in Deiparam,** testimonium praebet ipsa Angelorum Regina, cuius ipse fuit fervens amator, laudator praecipuus, imitator devotus, ardentissimus cultor, acerrimus propugnator, et primus vindex et victor, SUBTILI MAGISTRO apparens, et ipsum sibillans suum propugnatorem acerrimum fuisse futurum, ut n. 6. retulimus. Quod etiam satis palam ostendit miraculum de inclinatione Virginis Imaginis sacrae, de qua *Seraphicum Armamentarium* mentionem hisce verbis, sub pag. 563, limpide agit: *Cum Doctor Subtilis Parisiis ad defendendam publice Immaculatam Virginis Conceptionem pergeret, ante Deiparae Imaginem, illam orationem effudit: Dignare me laudare te, Virgo sacrata, etc. Sacro itaque defensori suo caput inclinavit, quo gestu permanet etiam nunc* (2) „.

" Subtilissimus DOCTOR SCOTUS multum fuit devotus, sive in hoc (videlicet, in defensione Conceptionis), sive in omnibus, *erga Virginem Sanctissimam,* ob quam devotionem recipere meruit illam inclinationem capitis, quam ei fecit imago sancta, ad portam Universitatis Parisiensis posita, qualis usque nunc remanet in signum istius miraculi (1) „.

" Ut quilibet agnoscat qualem devotionem habuit SUBTILIS DOCTOR circa VIRGINIS CONCEPTIONEM, hoc tacere nolo. Nam ipse existens Parisiis, proposita quaestione coram Universitate, pro maiori parte omnes Virginem conceptam esse cum peccato originali concludebant; sed praedictus Doctor, audiens talia, licet esset parvae staturae inter illos magnates, attamen omnibus altior subtiliorque intellectu, accinctus erat gladio Spiritus Sancti; omniaque dicta eorum recitavit, addens innumerabiles rationes, concludensque, *Virginem fuisse conceptam sine omni peccato.* Omnes ergo stupefacti de tam subtilissima intelligentia, velut stella matutina inter illos refulgebat; et quoniam saepe ac saepius nomen est consequens rei, voluerunt ut de caetero Scotus DOCTOR SUBTILIS vocaretur, et hoc cum magna reverentia... Et ideo *qui me elucidant,* sicut DOCTOR SUBTILIS, *vitam aeternam habebunt* (2) „.

Ait tandem quidam Anonymus Monachus Chartusianus in *Dialogis* anno 1485 conscriptis (3): " Magister IOANNES SCOTUS, DOCTOR SUBTILIS, excellentissimis merito comparandus.

(1) *Martyrol. Franc.* ad d. 8 Nov. — Cf. nostr. *Mentis in Deum quotidiana elevatio, Duce Doctore Subtili,* etc.

(2) *Mappa Sub.* — Petrus Montanus: *Congeries devotionum,* etc. Antuerpiae 1569.

(1) P. Alphonsus a Toleto Ord. Minimorum an. 1616.

(2) Ex Sermone S. Bernardino Senensi attributo. — Eadem refert circa an. 1440 Gotschalcus Halen O. S. A. in Sermone de *Conceptione,* ed. Hagenaw an. 1517 et Michael Carcano O. F. M. circa an. 1460.

(3) Apud Martene, tom. VI, *Veter. Script.*

Hic multum dilexit honoravitque Virginem dignissimam Christi Matrem, eamque absque macula originalis culpae conceptam fuisse valenter defendit, praedicavit ac docuit, atque contra oppositum astruentes constanter se opposuit et irrefragabilibus rationibus convicit „.

" Fertur, ipsum in diebus vitae suae ore omnium publica voce vocari ab omnibus *devotus Virginis* per antonomasiam, defensor Immaculatae Conceptionis; imo etiam per parietes ad sui honorem ipsi scriptum tale encomium videbatur (1) „. — Merito itaque Ludovicus Carvajal an. 1534 B. V. Mariam sic loquentem inducit: " Subtilis ille Doctor et innocentiae meae amator incomparabilis *Ioannes Scotus* „; frequentes vero sunt sacrae aere sculptae imagines, in quibus B. Virgo Maria Immaculata Scoto alloquens apparet: *Bene scripsisti de me, Scote.* Hinc Doctor Marianus vulgo audit " qui primus pro Immunitate Virginis Mariae usque ad mortem decertavit, propter quod Deus exaltavit in gloria (2) „.

18. — **Scoti modestia celebratur.** — " Haud mirum fuerit, ait Possevinus, si ingenium Doctoris Subtilis, modestia et claritate praeditum, altissimos sensus eruere potuerit ad veritatem indagandam; nunquam enim suam sententiam profert in aliorum iniuriam vel depressionem, quin quorum aut errores convellit aut opiniones discutit, adeo id modeste et plerumque suppresso nomine facit, ut christiano pectore hausisse a Domino sapientiam coniici possit „. " Scotum omnes alii Doctores sequentis temporis venerati sunt propter modestiam et subtilitatem eius ingenii (1) „. Quippe " semper modestissime suam sententiam, absque aliorum iniuria, proposuit (2) „, " et hoc cum magna modestia et nulla irreverentia „ (3).

19. — **Humilitas.** — " *Humilitati* Scotus studuit quam diligentissime: omnia dicta et facta huic virtuti ita attemperabat, ut nihil ei saperet quod sanctae humilitatis sale conditum non esset. Scripta eius ubique humilitatem spirant: Dum alta tractat mysteria ad sobrietatem usque sapit (4) „. " Cum loquebatur, loqui ipsa humilitas videbatur; cum ageret quippiam, quidquid esset, ordinare illud humilitas credebatur (5) „. " Mater haec virtutum humilitas, quam Scotus reverenter in vita sua semper coluit, numerosam in illo genuit caeterarum virtutum catervam: utpote obedientiam, paupertatem, castitatem, Dei timorem, aut amorem, devotionem erga Deum eiusque Sanctissimam Matrem, fidem, spem et charitatem (6) „. Hinc Ioannes Gerson circa an. 1420: " Placuit huius Doctoris inter caeteros meminisse, quoniam

(1) Aloys. Manganelli: *Discursus praedicabiles*, an. 1630. — Refert etiam Ludov. de Rebolledo an. 1603.

(2) Ferd. Caldera, Ord. Minimorum: *Devotio B. Virg.* 1632.

(1) Vinc. Fassarius S. I. *Immaculata Deiparae Conceptio theologicae commissa trutinae*, 1639.

(2) Illum. de Oddis O. M. Cap.

(3) Ioan. a S. Th. O. P., *Curs. theol.* t. I. d. 1. a. 3.

(4) *Mappa Sub.* — Matthaeus Ferchius, Paulus Scriptor (1506), etc.

(5) Nicol. Vernul.

(6) Anton. Bruodinius O. F. M.: *Armamentarium Theolog.* Pragae 1676.

ipse non singularitate contentiosa vincendi, sed *humilitate* mihi visus est „.

20. — Patientia. — " Humilitati affinis est *patientiae* virtus in calamitatibus aequo corde perferendis praefulgens; cuius etiam heroycum praebuit specimen SUBTILIS DOCTOR, quando sub Eduardo primo Angliae Rege (Longs Kanks) miserabilem servitutem sustinuit, ut liquet ex Chronicis Coelestis Religionis Sanctissimae Trinitatis per R. Patrem Magistrum Ioannem de Figueras Carpi, alias a Sancto Roberto, sub. pag. 145, ubi sic: *Ex Monasterio Dunfrisii, Ordinis Minorum Sancti Francisci, duodecim Sacrae Paginae celeberrimos Magistros abduxit, et ut funestissimae et acerbissimae captivitatis expers esset duodecimus ex his* BEATUS IOANNES DUNS SCOTUS *servitutem miserabilem sustinuit* (1).

21. — Supernis charismatibus ornatum fuisse SUBTILEM DOCTOREM liquet ex *B. V. Mariae* sibi dignata *apparitione* (vid. n. 6), ex materna Ipsius dum Sorbonam ad certamen iret marianum condescensione (n. 17), et ex sequentibus relationibus.

PUER IESUS *Scoto apparet.* — " Hic in Nativitate Domini nostri Iesu Christi, quodammodo supra seipsum contemplatione raptus, parvulum Filium, qui pro humani generis salute carnem sumpserat ac tamquam nihilum se fecerat, contemplans, dicebat verba Canticorum (cap. 8): *Quis det mihi fratrem meum sugentem ubera Matris meae, ut inveniam te solum foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat!* Haec dulcissima verba, omni suavitate plena, medullitus degustans, ore petebat illud sibi dari: non tantum in fratrem de Virginis utero, sed etiam ut parvulum in Matris gremio. Ecce ita cogitans, vidit Filium parvulum, quem insequens, eum reduxit in angulo, cui dixit: *Tu amplius fugere non vales.* Cui Parvulus: *Tu,* inquit, *qui parvus es, quaeris me fratrem tuum; scito me esse Christum hodie natum.* Quo dicto, amplexatus osculatusque est eum, et disparuit (1) „.

" Et ex tunc Magister IOANNES in maiori virtute proficiens, amore ipsius parvuli Iesu ac suae pauperrimae Matris, discalceatus semper incessit, indumenta de novo nunquam usus, ac carnes comedere recusans, sanctissimae vixit (2) „.

Suspensus in aere praedicat. — " n ferventissimis ad populum orationibus, instar torrentis, omnium animos in Deum rapiebat, et quasi pleni theatri frenos in manu tenuisset, ita omnium mentes incitato cursu ad res coelestes et nullo annorum tractu desituras pertrahebat. Neque rector ac moderator hominum Deus cessavit signis ostendere opera et labores Servi sui unice Sibi grata acceptaque esse. Siquidem, cum ad ipsum audiendum ea confluxisset hominum unda, ut is licet ex editiore loco verba faceret

(1) *Mappa Sub.*

(1) Marian. Flor. in Processu Nolan. an. 1710. — Huius facti memoria sat antiquis imaginibus exprimitur, fitque in opere *Medula Evangelica* P. Henrici Junge an. 1650 edito. — Exstat pictura saec. XVII in choro Aracoelitano Romae cum hac inscriptione: « Divinum Natum ferre meretur Ioannes Duns Scotus languens totus amore Dei »; sed antiquior cognita pictura est an. 1608.

(2) Marian. Flor.

a tanta populi multitudine aegre aut nullatenus conspici posset, ecce e terra, tum divinus ecclesiastes, tum ipse suggestus derepenti ab omnibus vi divina visus in sublime attolli. Quod prodigium eam praesenti concioni admirationem peperit, ut ab eius ore velut Angeli de coelo dicentis penderent omnes, quorum etiam animas sua divina eloquentia, quasi quibusdam catenulis, in quam volebat partem deducebat (1) „.

Coelestis sapientiae dono SCOTUM fuisse ditatum, supra iam (n. 7) ex Cornelio a Lapide commemoravimus, asseruntque plures, tum ex facilitate qua ducenta et amplius difficillima argumenta in solemni sorbonica disputatione memoriter recitavit, sapienter solvit, tum ex multitudine ac profunditate librorum brevi temporis curriculo scriptorum (Vid. infra § 2).

22. — **Immaculatam B. V. Mariae Conceptionem verbo et scripto propugnat.** — Tot itaque donis naturalibus, acquisitis et divinitus inditis ornatus cum esset " sanctissimus Doctor et una subtilissimus IOANNES SCOTUS Ordinis Minorum gloria (2) „ dignus inventus est " quem Virgo Maria elegerit ex omni carne defensorem sui honoris (3) „, prout perstrictim ipsius discipulus Landulphus Caraciolus, Archiepiscopus Amalphitanus (4), sequentibus enarrat:

(1) Hoyerus, O. S. A. *Oratio encomiastica*, etc.

(2) Isidor. Dalus, Doct. Conimbr. 1640.

(3) Ib.

(4) In tractatu *de Conceptione Virginis.* — Landulphus obiit an. 1351. — Concordat *Officium de Immaculata Conceptione* a Beato Bernardino de Bustis, O. F. M. compositum et a Sixto IV, eiusdem Ordinis, approbatum per Breve diei 4 Octobris 1480.

" Dominus Noster Iesus Christus SCOTUM Doctorem eximium Ordinis Minorum Parisiis destinavit, ubi, Apostolico iussu, fuit facta publica Disputatio de huiusmodi Conceptione Virginis; qui quidem SCOTUS, confutatis rationibus et argumentis adversariorum (1), ita Conceptionis Virginis innocentiam defensavit, quod adversarii omnes obmutescentes defecere in disputando. Quapropter opinio Minorum a Parisiensi studio illico approbatur. SCOTUS vero, DOCTOR SUBTILIS propter hoc appellatus, laetus ad propria se recepit „. — De quo Gerardus Renerius, Ord. Praedic., circa annum 1330 scribebat: " Fuit saltem in Studio Parisiensi *primus* seminator praedicti erroris „, videlicet Immaculatae Conceptionis B. V. M., quem Emus D. Card. Alimonda appellare haud cunctatus est *Isaiam* vel *Ezechielem* Immaculatae Conceptionis (2).

Memor verbi Virgini Matri (vid. n. 6), magis cor SUBTILIS DOCTOR intra se in dies concaluit, et in meditatione illibatae puritatis ignis amoris filialis mirifice exardescebat, quo cunctos cupiebat inflammari. Verbo et scripo Immaculatam B. M. Virginis Conceptionem propugnare pro viribus est aggressus, fideles populos e sacro suggestu, ex cathedra discipulos innumeros eam docens, et omnigeno argumento firmans. Quod Oxonii prius, Parisiis dein, solemni in congressu Do-

(1) Fertur ultra biscentum fuisse argumenta, quae omnia memoriter retinuit, singulisque satisfecit. — Ludov. de Miranda 1626 ex Pelbarto in *Stellario.*

(2) *Il Dogma dell'Immacolata,* Torino 1886, p. 494.

ctorum, summa cum laude perfecit. " Qui de publico hoc eius congressu scribunt, illud singulare et memorandum commemorant, quod dum ad disputationis locum procederet, coram obvia beatae Virginis statua marmorea breviter oraverit, eiusque opem postulaverit, simulacrum vero inclinato capite significavit supernum ei non defuturum auxilium. Communis ita fert populi parisiensis traditio, ipsaque imago rem confirmavit patenti, et usque in hodiernum diem perseveranti, capitis inclinatione (1). Nihil profecto SCOTI nomen reddidit illustrius, quam suscepta haec pro Beatae Virginis indemnitate tutela; nam et ex hac disputatione DOCTORIS SUBTILIS agnomen adhaesit, et perennem gloriam acquisivit. Quamquam enim in theologicam facultatem plurimas invexerit novas, et antiquas innovaverit sententias, ex hac una de MARIAE Immaculato Conceptu, tamquam proprio stemmate, gloriosius enitescit, et pene omnibus posterorum votis collaudatur (2) ". " Quod pertinet ad sententiam illam quae tuetur Virginem beatissimam in sua Conceptione ab omni originali culpa praeservatam, scimus Ioannem Duns SCOTUM, Doctorem cognomento SUBTILEM, de cuius sanctitate egregium habes testimonium in *Chron. Min.* p. 2. l. 7. c. 3, acerrime hanc sententiam tutatum esse: quam amplexati sunt eius discipuli Franciscus Mayro, Doctor Illuminatus, et universa schola Scotistarum, quin et reliqui omnes Ordinis Minorum, qui post SCOTI aetatem fuerunt (1) ". " Ioannes SCOTUS, Doctor SUBTILIS, devotissimus huius Mysterii, cum valore sui ingenii profundi, spiritu miraculoso, impulsu et favore Dei, eiusque Matris adiutus, quod manifestum fuit per illud tam clarum et perseverans prodigium, quod adhuc hodie videtur in imagine parisiensi, fecit ut haec sancta opinio reciperet novum splendorem (2) ".

Audiamus Excmum ac Rmum D. Aloysium Canali b. m. quondam Ordinis Fratrum Minorum Generalem Ministrum, dein Ptolemaidensium Archiepiscopum, ita de meritis DOCTORIS SUBTILIS et Franciscanae Scholae coram amplissimo Ordinis Senatu in Comitiis Generalibus an. 1889 ad S. Antonium de Urbe coadunato disserentem (3):

" Submisse ergo concludam, sententiam de sanctificatione Virginis post originale peccatum contractum, fuisse communem in Scholis saeculi XIII, atque a celebrioribus Doctoribus illius temporis amplexatam, secutam, atque defen-

(1) « Quam ad devotionem erga Virginem propagandam fecit aere insculpi, et in Gallia et in Italia distribui Ven. Franciscus Gonzaga, tunc Minister Generalis. Quod venerationem etiam denotat erga IOANNEM SCOTUM, cum B. Virgo suum amorem erga hunc suum fidelissimum servum capitis inclinatione monstraverit, et permanentia illius statuae marmoreae sic inclinatae contra artis regulas, ut fert constans traditio populi Parisiensis, perpetuum Sanctitatis SCOTI etiamnum praebeat monumentum, ut ait *Nitela francisc. Relig.* » *(Ex Processu veteri Nolano)*.

(2) Wading. ib. n. 35.

(1) Petrus Ant. Spinelli S. I. Neapol. 1613. — Consonat Iacob. Granado S. I. *De Immaculata*, etc. Hispali 1617. — Salmanticens, *Cursus Theolog.*, innumerique alii.

(2) Ioan. Pineda S. I. 1616. — Ildeph. Flores S. I. *Commentarius litteralis*, etc. Antuerpiae 1661.

(3) Ampliorem videre poteris relationem in nostro opusculo « *B. Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilis ac Mariani Vitae Compendium* ». — Ad Claras Aquas 1907. Pag. 40 seqq.

sam. Idque, quia sententia de immunitate Virginis a peccato originis putabatur aliena (ait Caietanus) *a doctrina antiquorum Doctorum, et a doctrina Sanctorum communiter.*

" Quomodo igitur pia sententia de Immunitate Virginis a peccato originis processit ita a saeculi XIV exordio, ut pedetentim ad se traxerit Theologos, Universitates, Academias, Ordines Religiosos, Principes, populos, auctoritatem etiam Ecclesiae? Oh praeclaram Beati Francisci sobolem! Te, numquam dignis praeconiis satis laudatam, ambabus ulnis amplector, tibi omnia fausta praenuntio! Ex te siquidem prodiere viri illi doctissimi, qui Mariam beatissimam praedicaverunt, eiusque privilegium constanter patrocinati sunt! Gloria haec prae omnibus excelsior!

" Huius autem generosae cohortis dux fuit Ioannes Duns Scotus Ordinis Minorum, ob acre suum ingenium dictus Doctor Subtilis (1). Hic, ut bene nostis, de adversariis Mariani privilegii triumphum egit prius Oxonii, dein Parisiis, ac denique Coloniae Agrippinae. Quaestionis sensu optime comprehenso, momentis hinc et inde ad trutinam revocatis, Scripturis et Patribus profunde scrutatis, omnibus peracuto ingenio perpensis, sententiae tunc in scholis communi modeste, ut ipsi moris erat, sese opposuit, sequentia ponens pro fundamento: *Deus potuit facere, quod ipsa* (Beata Virgo) *nunquam fuisset in peccato originali; potuit etiam fecisse, ut tantum in uno instanti esset in peccato; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, et in ultimo instanti illius temporis purgaretur* (1). Post haec suam mentem non assertive, sed dubitative aperit his verbis, quae miram eius humilitatem patefaciunt: *Quid autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit: si auctoritati Ecclesiae, vel auctoritati Scripturae non repugnat, videtur probabile quod excellentius est attribuere* Mariae (2). Valde cautus, ut quisque videt, ipse incedit, quia in communem sententiam ac in omnes Scholae Parisiensis Magistros insurgebat. At, quaero, pari ne modo sese gessisset, si revera Alexander Halensis, Divus Thomas, Seraphicus Bonaventura, ceterique celeberrimi illius saeculi Doctores, ut vellent neoterici, praeservationem Virginis a labe originis asseverassent? Minime hercule! Caute itaque ac timide Subtilis Doctor processit prius ob adductam rationem, sed postea, abruptis moris, in eodem loco loquens de merito Christi in primo instanti suae Conceptionis, ait: *Beata Virgo Mater Dei numquam fuit*

(1) « Qui primus Scholasticorum (eorum saltem quorum habemus opera) pro tuenda hac veritate, felici sorte in arenam descendit, ex tuncque piae sententiae sectatoribus Dux constitutus est ». — Salmant. *Cursus Theolog.* tom. IV. q. 81. tract. 19. n. 208. — « Qui eam scholastico more insignius affirmare coepit fuit Ioannes Duns Scotus, hoc sub titulo, etsi alii deessent, conspicabilis et clarissimus Doctor ». — Lezana O. Carmel. Excalc. *De Immac. Concept.* c. 2.

(1) *Oxon.* III. d. 3. q. 1. n. 9.

(2) Ib. n. 10. — « Qua modestissima tantaque subtili responsione et nos multa docuit, ipse pius et humilis seipsum subtilem et sapientem superavit ». — Salmantic. ib. — « Scotus ipse subtilissimus ita et modestissimus Doctor, adeo sobrie et caute rem istam tractavit, ut mirandum posteritati de hac re exemplum reliquerit, et multum in brevibus his verbis nos docuit ». — Ioannes a S. Thoma O. P. *Cursus theolog.* t. I. d. a. 3.

inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset praeservata (1). Cumque, fervente controversia, catholicorum animus abhorreret vel a suspicando in Virgine originale peccatum, acuit ingenium suum, profundius studuit quaestioni, et ad hanc devenit conclusionem: MARIA Mater Dei in primo instanti suae Conceptionis, id est in illo instanti, in quo eius anima unita fuit corpori, contraxit originalem maculam, vel quia Deus *non potuit* eam praeservare, vel quia *non decuit*, vel quia *noluit*: at nullum horum trium admitti recte potest; ergo *fecit*, id est eam reapse immunem reddidit ab omni culpa, ita ut nec per momentum obnoxia fuerit peccato, et ita exempta a lege omnibus Adae filiis communi (2).

" Quam conclusionem, cum e suggestu Parisiensis Universitatis primus asserendo proclamaverit et defensaverit, contra (ut dictum est) opinionem communem, propugnare eamdem debuit, ac de eadem publicam reddere rationem. Quod et viriliter fecit in solemni disputatione, quam ibi tenuit. Et primo quidem probando, ut videre est in III. Sent. (3) dist. 3. quaest. 1., non obstare auctoritati Scripturae sententiam suam. In medium ipse profert textus pro adversa parte, eosque ad nihilum redigit. Nam si hi legem generalem innuunt, quod omnes ab Adamo procreati peccatum contrahunt originale, non excludunt tamen aliquam exceptionem pro singulari creatura, quemadmodum quamplurimis eiusdem Scripturae exemplis constat quoad facta analoga. Nonne Deus auctor naturae simul et gratiae? Nonne ipse huius gratiae dispensator, sicut post infusionem animae, ita et in primo instanti infusionis? *Ita exponendae sunt auctoritates* (ait ipse), *quod omnes naturaliter propagati ab Adam sunt peccatores, hoc est ex modo quo habent naturam ab Adam, habent unde careant iustitia debita, nisi eis aliunde conferatur; sed sicut posset post primum instans conferre ei gratiam, ita posset et in primo instanti* (1). — Secundo, nec ratione Redemptionis, qua omnes filii Adae indiguerunt et indigent, obstare piam sententiam auctoritati Scripturae, demonstrat SCOTUS noster. " NAM MARIA (sunt eius verba) *maxime indiguisset Christo ut Redemptore: ipsa enim contraxisset peccatum originale ex ratione propagationis communis, nisi fuisset praeventa per gratiam Mediatoris, et sicut alii indiguere Christo, ut per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita illa magis indiguit Mediatore praeveniente peccatum, ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, et ne ipsa contraheret* (2). Quare, iuxta DOCTOREM SUBTILEM, MARIA, gratiae plenitudine praeventa, a Christo Redemptore ne peccatum contraheret, large abundantius et excellentissime participavit infinitis meritis ineffabilis Redemptionis.

" Quod si Virginis immunitas a labe primaeva non obstat aucto-

(1) *Oxon.* ib. d. 18. n. 13.
(2) Id. ib dist. 3.
(3) Scil. *Oxon.*

(1) Id. ib. n. 14.
(2) Id. ib.

ritati Scripturae, nec auctoritati Ecclesiae obstare potest, ac ideo maximopere *decuit.* Ita impavide progreditur Doctor noster, et amplissime conclusionem suam roborat argumentis a dignitate Christi depromptis, cuius MARIA est Mater inclita, ...

. . . .

At aequis dubitat vel dubitare potest (concludit DOCTOR MARIANUS), id quod valde decebat, Deum voluisse ac fecisse?... *Potuit* ergo Deus; *decuit* ac *voluit* MARIAM Matrem Divini Verbi Incarnandi ab aeterno praefinitam, immunem ex singulari privilegio ab originali peccato.

" Quam thesim a IOANNE SCOTO positam, pugnanter in scholis certatam, propugnatamque a validis adversariis, *suam fecit Ordo Minorum,* viriliter sex saeculorum cursu certans, auctoritate et nomine tanti Magistri, pro Immaculata Deiparae Conceptione.

" Ceterum scotistica sententia ita sensim sine sensu evasit communis, ut teste Aureolo (1), post triginta annos a *disputatione* SCOTI, in universitate Parisiensi festum celebraretur *Immaculati Conceptus* B. VIRGINIS MARIAE.

" Et hic praetereundum non est, SCOTUM in hac controversia maximam ac singularem laudem adeptum esse, et per ipsum Franciscanam Scholam. Aperuit namque viam *subiectivo illi progressui* scholasticae Theologiae, qui ope scientiae obtinetur. Dari namque huiusmodi progressum, acuto mentis suae oculo vidit Doctor noster; quia fidei veritates revelatae, quo altiores, eo foecundiores et conclusionum feraciores sunt. Cum autem ex una parte ab eo suffulta *pia sententia nova esset,* et (teste Caietano) *aliena a doctrina antiquorum Doctorum et Sanctorum,* et ob hanc rationem reiecta a celebrioribus Scholasticis; ex alia vero parte, *nihil* (fatente Caietano ipso) *sustineret contra fidem,* SCOTUS, ope scientiae, e veritatibus explicitis fidei privilegium infert MARIAE, argumentis e ratione theologica depromptis viriliter sustinuit, ab obiectisque defendit, tamquam consequens omnipotentiae et sapientiae Dei, dignitatis Christi et excellentiae ipsius MARIAE. Progressus sane legitimus, qui meruit benedici a Deo, approbari a Sede Apostolica, ac demum coronari solemni dogmatica definitione! Progressus, quem Franciscales sedulo foverunt semper omni studio, vestigia fideliter sectantes inclyti eorum Ducis.

" Ita autem sedulo foverunt, quod pia sententia dicebatur communiter *Opinio Minorum* et Religio Seraphica *vexillifera* in hac controversia. — *Vexillifera* sane *Seraphica Religio* in controversia de Immaculata Virginis Conceptione; unde vix reperies vel in rudi populo qui id ignoret, et in historicis qui de Franciscalibus non loquatur.

" Re quidem vera: quis unquam non dicit *vexilliferam Seraphicam Religionem* in tuenda doctrina de Immaculato Deiparae Conceptu, cum eius innumeri et celeberrimi Doctores semper et ubique parati sunt inventi ad tela repro-

(1) In Tract. de Concept. Mariae Virg.

pulsanda adversariorum in Virginem Immaculatam? Paratos etenim eos invenit Ioannes de Montesono, quando anno 1387 publici iuris verbo et scripto fecit theses negantes Immaculatum MARIAE Conceptum, Doctoris Angelici suffultus auctoritate, ac una simul haereticos dicens cum Alberto Magno adsertores immunitatis VIRGINIS ab originali labe; vi enim argumentorum pressus silentio fuit damnatus, variaeque eius theses censura notatae. Paratos eos invenit Vincentius de Bandellis, quando anno 1475 in solemni disputatione Romae habita coram Summo Pontifice Sixto IV, ubi Franciscus Nani de Brixia, Generalis Minister Ordinis Minorum, cognomen *Samsonis* sortitus est ob suum in arguendo acumen, in respondendo facilitatem, et in dissolvendis adversariorum obiectis miram dexteritatem; cum etiam Ferrariae anno 1482, ubi praesentibus innumeris Doctoribus Minoritis et aliorum Ordinum, praefulsit Bartholomaeus Feltrensis (1), qui Bandellum asserentem praeservationem MARIAE ab originali culpa esse contra fidem, erroneam, haereticam, impiam, item peccare et haereticos esse qui eam defendunt vel affirmant (2), rationum pondere fregit, plaudentibus omnibus. Utique, utique! quovis loco, quavis aetate, adversarii privilegii Mariani Franciscales Doctores paratos invenerunt ad tuendam piam eorum sententiam, ad sollicite custodiendam pretiosam eorum haereditatem.

(1) Wadd. tom. 14. pag. 310.

(2) Vid. Perrone, *Disquisit. theolog.* etc. p. 23. in nota 2.

" Quid autem dicam de tot tantisque aliis documentis, quae *Seraphicam Religionem vere vexilliferam* in re nostra luce clarius demonstrant? Ecquis omnia effari digne poterit? Ordines, Congregationes, Confraternitates ab IMMACULATA MARIA appellatae, a Minoritis vel erectae, vel promotae, vel propagatae..., ingentia opera typis edita a Scriptoribus Franciscalibus, vel in defensionem, vel in laudem privilegii MARIAE, vel in aedificationem fidelium, vel in devotionis et amoris stimulum erga Virginem benedictam...; monumenta ubique erecta in eius honorem, aliaque huius generis, stant in signum perenne affectus Minoritarum erga MARIAM IMMACULATAM, et fidelitatis in sectando vestigia eorum Ducis, IOANNIS SCOTI. Post enim SCOTI triumphum *pia doctrina* nova in dies luce effulsit: et ab ipso SCOTO Doctores insequentes arma praecipue mutuati sunt ad certandum hoc bonum certamen; at Seraphicus Ordo prae aliis enituit. Audiatur Cl. P. Io. Perrone S. I.: *Minoritae Scholae Scotisticae addicti eam* (piam sententiam) *sibi peculiari ratione vindicandam sumpserunt* (1) ".

" At pervenit tandem illud a Deo praefinitum tempus, in quo " *Opinio Minorum* ", tot tantisque tentaminibus probata, certis fidei fundamentis innixa, Doctorum auctoritate suffulta, a Sanctis admissa, a fidelibus culta, a Romanis Pontificibus et a sensu universalis Ecclesiae approbata, solemniter definita est de fide credenda; et ita

(1) Loc. cit. pag. 18.

Schola Franciscana fulgida corona redimita, gloriam maximam, quam alteri numquam dabit, adepta, sub umbra Immaculatae Patronae considere tandem potuit post tot tantosque exantlatos labores. Die siquidem 8ª Decembris 1854 Pius PP. IX fel. record. in plenario Ecclesiae consessu, solemni ac infallibili suo decreto proclamavit *doctrinam quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse, singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter, constanterque credendam.* Quo fidei articulo solemniter pronuntiatio, totus in orbe terrarum mundus exultavit, et ubique cantatum est Domino canticum novum, eiusque Immaculatae Matris resonuerunt praeconia. Ordo autem Minorum, gratias agens Deo pro parta victoria ad honorem et laudem Mariae, illa ipsa die per suum Supremum Moderatorem, lilium argenteum Pontifici obtulit festive aiens: *Quod diu, a saeculis, Beatissime Pater, speciali devotione tota exoptabat Franciscalium Familia, illud ipsum hodie infallibile Apostolici oris tui complevit oraculum. Haec propterea Seraphica soboles laetabunda divinam semper exorabit Maiestatem, ut iugiter Sanctitatem Tuam in bonum Ecclesiae universae incolumen servet; et ego una cum meis hisce collegis* (1), *cliens obsequentissimus Sanctitatis tuae, nomine trium Ordinum Seraphici Patriarchae Francisci, qua eius, licet indignus, Successor, offero lilium, symbolum quod est puritatis omnimodae in primo instanti conceptus Immaculati Beatissimae Virginis Mariae* „.

(1) Aderant etiam Superiores Generales Conventualium, Capuccinorum et Tertiariorum Regularium.

“ O Virgo Maria, quis tuae fuit Conceptionis Immaculatae Defensor? Clientulus tuus Scotus, quem Doctorem Subtilem fuisse fecisti. Cuius Doctoris doctrina a naevo originalis peccati expers fuisti? Doctrina Servi tui Ioannis Duns, quem invenis iuxta cor tuum. Ergo merito eum uno omnium ore appellant docti Marianum, Vexilliferum et Ducem (1) „.

23. — **Coloniam obediens petit.** — Ea alacritate qua, Superiorum obsequens votis, Oxoniensibus valedixerat Scotus, ut Parisios peteret, Sorbonam relinquit paucos post annos, Coloniam ire iussus, ad haereticos begardos debellandos, novae Universitatis fundamenta constabilienda (2), conceptionis Immaculatae sententiam tuendam.

Tantam in obediendo promptitudinem ab Illo abs dubio didicerat, qui pro nobis obediens usque ad mortem factus, et in formam servi exinanitus, ex Virginis Matris sanctissimis ulnis haud semel ad Doctoris Subtilis brachia descenderat, ut in solemniis Natalibus Parisiis accidisse testantur Scriptores (Vid. n. 21).

(1) Ant. Peres, Ep. Urg. in tract. *De B. M. V. Conceptione,* Vallisoleti 1618.

(2) Pitsaeus, *De Scriptoribus Anglicis.* — « Faciunt eum quamplurimi Coloniensis Agrippinae facultatis actorem ». — Henr. Willot in *Atheneo,* Leodii 1598.

" Cuius postmodum Coloniae Clerus adventum sentiens, universus ei obviavit „ (1), ubi et " Theologiam cum admirabili quodam acumine docebat (2) „.

Refert Matthaeus Sosa ex Ferchii auctoritate, " quod Summus Pontifex Clemens V ad confutandos errores et haereses Beguinorum aut Bagardorum et Aldiverti Galli, Balchi et aliorum, quae in partibus Germaniae Ecclesiam inficiebant, SCOTUM constituit censorem, qualificatorem, correctorem et talium errorum et haeresum damnatorem, ac pro veritate catholica et fide tuenda supremum praesidem et Ecclesiae delegatum et iudicem „.

24. — **Pie obiit.** — Coloniam appulsus, vehementer exarsit in Christi Iesu, Matrisque Immaculatae hostes:

> Concepta est Virgo primi sine labe parentis:
> Hic tulit; hic haeresi praelia dira dedit,

referunt insculpta carmina apud Subtilis Doctoris sepulchrum. At

> Tempora post Christi (3) propria dulcedine lethum
> Venit atrox raptim carcere composito.

" Plurimis namque sacrarum actionum, concionum, disputationum et scriptionum ad fidem illustrandam, mores corrigendos, religionem amplificandam, posteros instruendos, meritis et virtutibus plenus, consummatus in brevi explevit tempora multa, donec ei pro temporariis laboribus Deus aeternam requiem offerre, ac e terris raptum in coelum (ut pie credimus) evehere dignatus est. Itaque hoc anno (1308) VI Idus Novembris, ipsa omnium Sanctorum octava die, ad Sanctorum omnium communionem evocatus est (1) „ " puritatis originalis Virginis singularis assertor ac propugnator venerandus, et nunc pro meritis magnus in regno coelorum (2) „; " vitam hanc mortalem et miseram cum felici et aeterna commutavit vir fragrantissimo in Virginem studio, eiusque Conceptionis ab originali macula purissimae singularis patronus, cuius eximias virtutes ac praeclara opera, scripta et encomia innumeri paene referunt auctores (3) „. — " Anno Domini 1308, VI idus Novembris, obiit clarissimum Ecclesiae et Ordinis sidus, inter omnes Theologiae Doctores praestantissimus, Fr. IOANNES DUNS, cognomento SCOTUS, ob ingenii sui perspicacitatem merito DOCTOR SUBTILIS nominatus (4) „... " Obiit *magnus Doctor* SUBTILIS IOANNES SCOTUS (5) „ " cum magna sanctitatis opinione, summoque doctrinae partu (6); „ " cum Coloniensem condidisset Academiam, ac celebrem ibidem de Immaculata Virginis Conceptione disputationem habuisset, insignemque de adversariis peperisset victoriam, ut scribit Rodulphus, l. III *Histor. Seraph.* (7) „.

(1) Marian. Florent.
(2) Epist. nuncup. Oper. Dionysii Carthus, ed. an. 1535.
(3) An. 1308.

(1) Wadding ad an. 1308, n. 15.
(2) Franc. Vivarius, Cisterc. 1625.
(3) Marraccius, Cong. Matris Dei, *Bibliot. Mariana*, Romae 1648.
(4) Glassberger, *Chronica*, circa an. 1480 scripta.
(5) *Chronica Civit. Sanctae Coloniensis*, 1499.
(6) Hugo Cavell. in *Vita Scoti*.
(7) Ildeph. Flores S. I.: *Commentarius litteralis*, etc. Antuerpiae, 1661.

Ideo

Scotus ut ingenio volat super aethera vivens,
Sic moriens Scotus coelica regna petit (1).

Quanti a coaequalibus haberetur Doctor Marianus, testantur sequentia carmina iam ab ipsa sua morte in superiori lapide sepulchri inscripta:

Clauditur hic rivus, fons Ecclesiae, via, virus
Doctor iustitiae, studii flos, arca Sophiae.
Ingenio scandens, Scripturae abdita pandens,
In teneris annis fuit; ergo momento Ioannis.
Hunc, Deus, ornatum fac coelitus esse beatum.
Pro Patre translato modulemur pectore grato.
Dux fuit hic cleri, claustri lux, et tuba veri.

" Consummatus in brevi ex operibus suis, aeterna praemia recepit. Ibique, in Conventu Coloniensi Agrippinae, Germaniae Superioris, honorifice sepultus, in magna veneratione habitus est. Excessit autem anno salutis 1308 (2) ".

Scotia habet cunas, famam Orbis, funera Rhenus,
Coelum animam, hic magni spirat imago Viri (3).

Nunc ergo, filii, audite me, Beati qui custodiunt vias meas: audite disciplinam et stote sapientes, et nolite abiicere eam.

Beatus homo qui audit me et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit inveniet vitam et hauriet sabitem a Domino (4).

25. — Solemnis Scoti commendatio. — " Ad te venio, ad te revertitur noster sermonis curriculus, nunc, o amor praecordialissime, qui tanta in Universitate tantum scientia plenus eras, ut Doctoris Subtilis nomen retineres; cuius error nullus tuam doctrinam, tuum opus maculavit. Devotione consopitus praecipua, dum nempe tuam Logicam incipiebas, quid dicebas? *O Deus, qui es terminus sine termino, da mihi bene loqui de termino.* Et saepius hic tuo in libro, quem de *Primo Principio* intitulasti, talibus solitus es fari sermocinationibus: *O Domine Deus noster, qui Venerabilem Augustinum, etc.* In te multa devotione referto completum est id quod Homerus de Nestore iam vetulo solitus erat dicere: *Ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio.* Non autem suspicor quempiam in terris viventem tuas laudes dignis celebrare sermonibus, quomodo Mater Universitatum Parisius, suo in flore et praetio tot inter Doctorum turmas, Subtilis nomine insignivit; cuius postmodum Coloniae Clerus adventum sentiens, universus tibi obviasse refertur. Te primitus Scotia genuit: te postmodum Anglia docuit, ubi primo Sententias legisti; rursus suscepit Francia; sed Colonia tenet in tumulo. O germen ergo Scotiae! O Angliae scientia! O Franciae subtilitas! O Coloniae requies: Utinam beata! Mirum unde comperis, quod tot subtilia scribens, in errore non es comprehensus aliquo! Hic est, hic est, o Patres optissimi, huius honor Studii, mentes suspensas faciens pro stupore, cuius dicta communem transcendunt facultatem: inquisitor maximus veritatis, redargutor falsitatis, veri arca, legum summa, rerum comperta sanctio; in Philosophicis strenuus, in Theologicis arduus, in

---

(1) Epigram.
(2) Marian. Flor.
(3) Th. Dempst. 1620 apud Ferch. in *Vita Scoti.*
(4) Ex. *Prov.* c. VIII. vv. 32 seqq. Scoto applicata in *Chron. Mor.* ed. Col. 1622.

cognitione conspicuus. Huic siquidem dixerim bonitatis merito adscribere debeo, cuius poculis suavissimis a iuventute sum nutritus, quem turba Angelici conventus suscipiant (1) „.

26. — **Scoti sepulchri gloria.** — Qui vivens dux et Magister innumeris pene fuerat, vix sidera ascensus, uti sanctus coepit venerari, pie invocari, eiusque sepulchrum gloriosius in dies evasit, in magnaque fuit apud omnes veneratione. Primo siquidem provisorie conditus ad *introitum Sacrarii* in Ecclesia Fratrum Minorum Coloniae, ibi per aliquot annos requievit, donec, circa an. 1320, ecclesiae nova absoluta molitione, gliscente eius fama et latius in dies se diffundente, nobiliorem in locum, in *medium* scilicet *chori, ante gradus medios altaris maioris,* translata sunt Scoti ossa, elegantiori tumulo composito.

Secunda translatio. Die 30 Augusti ann. 1509 " apertum est sepulchrum Doctoris Subtilis Fr. Ioannis Scoti, ob singularem affectionem Patrum et Fratrum; inventa sunt eius ossa integra, et admodum redolentia, subrubra, et in iuncturis alba, ad instar lactis unta. Et ex tunc in altari summo retrorsum posita. Mox in hoc sarcophago ex aurichalco facto. Anno vero Domini 1513, 16 mensis Augusti, haec eius cuncta ossa hoc in sarcophago posita atque recondita (2) „, " in medio chori, ante summum altare, tumba admodum splendida (3) „.

(1) Worilong. in IV Sent. apud Marian. Florent.
(2) Ex Instrumento authentico tunc exarato.
(3) Pitseus in lib. *De Rebus Anglicis* 1580.

Tertia corporis B. Ioannis Duns Scoti recognitio facta est die 13 Ianuarii ann. 1619, de mandato Rmi P. Iacobi Bagnacaballensi Magistri Generalis Minorum Conventualium, praesentibus Illmis. ac Rmis. DD. Antonio Albergati Nuntio Apostolico cum potestate Legati a Latere, ac Othone Gereone, Episcopo Cirenensi Suffraganeo Coloniensi, eodem Rmo. P. Magistro Gli.. aliisque plurimis spectatissimis viris ex utroque Clero. Reperta sunt ossa Doctoris Mariani valde rubea, eaque honestius ac decentius, pro tanti Doctoris dignitate, pie collocata fuerunt in arca plumbea in sepulchro concamerato, in quo terra quoque recondita est, quae ossibus erat intermixta.

Anno 1642-43 peracta est *quarta* Reliquiarum Scoti recognitio et in novum chorum retro altare maius constructum translatio, ab Illmo. ac Rmo. D. Fabio Chisio, tunc Nuntio Apostolico cum potestate Legati a Latere, dein Summo Pontifice Alexandro VII, praesentibus Illmo. ac Rmo. D. Carolo Rossetto, Archiepiscopo Tarsensi a Sancta Sede pro pacis universalis tractatione extraordinario Deputato, plerisque amborum Illmorum Dominorum aulicis. Ipsemet Rmus. D. Nuntius Apostolicus Reliquias discooperuit, examinavit, pie invisendas adstantibus exhibuit, proprioque sygillo communitas in novo sepulchro reverenter collocavit (1).

(1) Huius recognitionis authenticum Documentum ipsemet D. Chisio, in Petri cathedra sub nomine Alex. VII sedens, P. Haroldo O. F. M. communicare dignatus est. — Cfr. *Epitome Annal.* etc.

Quinta B. SCOTI recognitio facta fuit an. 1706 a Tribunali Ordinario ad construendum pro ipsius cultus approbatione Processum legitime adunato.

Sexta Reliquiarum SCOTI visitatio, recognitio et descriptio peracta est die 12 Martii an. 1858, per Illmum. ac Rmum. D. Ioannem Boudri, Episcopum Arethusinum ac Capituli Metropolitani Coloniensis Decanum, aliosque DD. Canonicos, ab eodem Capitulo ad hoc deputatos, qui omnia et singula ossa praedicti IOANNIS DUNS SCOTI diligenter recognoverunt et hoc ordine descripserunt:

1). — Maior pars Cranii, quae vocatur fornix cranii, constans ex osse frontis et ossibus parietalibus, et maiore parte ossium temporum.

2). — Utraque ossa brachii, unum valde laesum.

3). — Quatuor ossa antibrachii, quorum unum integrum et caetera tria plus minusque laesa sunt.

4). — Duo ossa femorum.

5). — Utraeque tibiae.

6). — Varia ossa pedum.

7). — Partes quaedam ossium pelvis.

8). — Pars superior ossis sacri.

9). — Duae vertebrae.

10). — Varia fragmenta ossium minorum diversi generis et nominis.

" Omnia haec ossa sedulo inspecta, cistae dein reddita sunt. Cista haec operculo vitreo, sigilloque Capituli Metropolitani munita, in arcam suam reportata et inclusa, totusque sarcophagus bene et provide munitus est (1) ".

(1) Ex Actis authenticis.

Recentissima Reliquiarum SCOTI visitatio peracta est die 12 Iulii an. 1870, uti ex sequenti instrumento:

" Veneranda ossa Reverendi Patris IOANNIS DUNS SCOTI, Ordinis Fratrum Minorum, S. Theologiae DOCTORIS SUBTILIS, anno MDCCCLVIII per plures Reverend. Capitulum Metropolitanum, ad quod attinet haec ecclesia, recognita, et in cista lignea Metropolitanae Ecclesiae sigillis munita, reposita sunt.

Hodie vero, quum novum altare maius erigeretur, hoc in sepulchro recondita sunt, cista non aperta, sigillis anni 1858 non violatis. Praesentes fuere infrascripti:

Coloniae 12 Iulii 1870.

L. ✠ S. BANDRI *Episc. Sufr.*
Decanus Eccl. Metrop.

Dumont Canonicus Eccl. Metrop. Colon. Capitul. — Dr. Heuser Can. E. M. Colon. — Augustinus Brull, Vicarius Ecclesiae Fratr. Minor. — Schaeffer Rector Eccl. Min. — Ioseph Müller, Eccl. huic adscriptus.

Desuper sepulchrum monumentum habetur longum 1.84 metr. largum 0.93, et altum 0,65, elegans, ex calculo albo subrubro, cum quatuor columnellis et pulchro ornatu crepidinis; in cuius centro haec leguntur: " IOANNES SCOTUS, S. Theolog. Doctor Subtilis Ord. Fr. Minor. Obiit an. 1308 " circumcirca vero: " Scotia me genuit, Anglia me suscepit, Gallia me docuit, Colonia me tenet ".

Beatissimi nostri Magistri SCOTI sepulchrum ita compositum visitare nobis licuit anno 1907 mense

Maio, dulcissima quidem animi consolatione. Semel atque iterum in Maiori Ecclesiae Altari, apud quod SCOTUS requiescit, Sacram Deo obtulimus Hostiam: venerando "*fulvo dedimus oscula saxo, Corpus* namque *Ioannis illa tenet Urna Scoti*" (1); altaque virtute illic quasi detinebamur, unde et moerentes admodum abiimus.

27. — **Cultus Scoto tributus.** — Beato IOANNI DUNS SCOTO cultum ecclesiasticum pluribi fuisse adhibitum, nomenque *Beati* et *Sancti* tributum, ex plurimis constat documentis, quibus in examen vocatis anno 1710 a Rmo. D. Episcopo Nolano, in Ordinario constructo Processu de existentia laudati cultus authenticum dedit testimonium, quod amplissime confirmavit Tribunal ecclesiasticum, ad hoc, ex venia S. Congr. Rituum, in Nolana Curia anno 1905 constitutum, in quo datum nobis fuit iurati testis partes agere, simulque innumera pene cultus SCOTO delati documenta authentica declarare, cuius confirmationem a S. Sede praestolamur cum omnibus ferme Catholicis Antistibus, qui eam enixis precibus a Summo Pontifice efflagitarunt. Ex Documentis quidem praefato tribunali exhibitis et in Processu descriptis, constat: a) SCOTUM vere sanctam duxisse vitam; b) qua durante et statim post obitum *sanctitatis* fama non minus quam doctrinae fuisse universaliter celebratum; c) exinde ad nostra usque tempora SANCTUM, BEATUM, et VENERABILEM fuisse communiter appellatum, ita ut *ante* aevum urbanianum *vigecies* et amplius huiusmodi titulis fuerit decoratus; *intra* aevum urbanianum ultra *quadragies*; *post* urbanianum aevum plusquam *quinquagies* VENERABILIS vocatus, *centies* BEATUS, et ultra *septuagies* SANCTUS; aliis praedictis titulis aequivalentibus *centies* et amplius; d) SCOTI imagines cum *aureola,* vel cum *splendoribus,* aut aliis *sanctitatis signis,* vel *inter alios Sanctos,* aut *super altaria* plusquam *viginti* inveniri *ante* urbanianum aevum, *quinquaginta* et amplius *intra, post* vero ultra *centum quinquaginta*; e) ipsius *virtutes* donaque coelitus collata *trigesies* laudari *ante* urbanianum aevum, *septuagies intra,* et *biscentum* post; f) ex legitima auctoritate eius corpus fuisse visitatum et recognitum *ante* aevum urb. *semel,* intra *bis,* post *quater*; g) innumera alia devotionis et in SCOTUM pietatis monumenta exstare.

(1) Ex Epitaph. an. 1513 apposito.

Nec mirum si fidelium devotio in BEATUM SCOTUM semper exarsit; ipse namque propitius exaudire consuevit preces eidem porrectas, et a Deo insignia eum invocantibus beneficia impetrare. Plura insuper prodigia ab eo patrata, nuperrimis etiam temporibus narrantur, quae in praesentiarum referre vacat.

" Novi ego, ait Lucas Wadingus, profecto nunc plurimos esse, in variis regionibus, praesertim in regno Neapolitano (1), qui magna fiducia et devotione eius nomen invocant; neque id inaniter, dum

(1) Ubi B. Humilis a Bisiniano *Scoti* imagines fidelibus distribuebat.

eius opem in variis necessitatibus et aegritudinibus se expertos narrant. Vidi plurima testimonia authentica Notariorum syngraphis et sigillis munita, in quibus variae hominum conditiones et aetates coelestia munera sanitatum, aliarumque gratiarum, se Scoti meritis et invocatione accepisse, omnibus volunt manifestum. Non ea refero singillatim dum Ordinariorum aut Rom. Curiae approbatione non confirmentur. A variis aegritudinibus quam plurimos, a periculis alios, a molestiis puerperii foeminas liberasse testantur, et in litibus gravioribus, seriisque dissidiis se eumdem expertos propitium iureiurando et iuris solemnitate confirmant. Susceptam pro Virginis innocentia litem feliciter determinavit; nihil mirum si in aliis praetensionibus honestis invocetur ut patronus. Plurimi autem ex his qui se exauditos dicunt, aliquot donariis, tabellis laminisque magnis argenteis, quas prae manibus habui, suam gratitudinem sunt professi, quae in suo quaeque tempore reservantur, opportunius producenda. Longe lateque nunc spargitur et divino quodam consilio diffunditur eius gloria, eo maxime tempore quo famae insidiari et nomen obscurare quidam intentarunt. Sed ita fit ei, quem Rex honorare desiderat, ut quanto maiori conatu alii detrahunt, eo solicitius Deus illius consulat honori. Sane illud erga Dei Genitricem impensum obsequium digno praemio non potuit defraudari; imo eodem tempore et Virginis privilegium a Scoto assertum, et Scoti honor mirifice diffusus, magnum suscipiunt incrementum. Honorificavit Scotus Dei Matrem, ab eadem vicissim honorificatur; egregie elucidavit Deiparam; nihil absonum piis viris videbitur, si pie dicamus *vitam consecutus aeternam*, iuxta illud Sapientissimi Viri enunciatum (1): *qui elucidant me vitam aeternam habebunt*(2) „.

Faxit Deus, ut Pius X Sanctorum catalogo adscribat in terris quem Deus inter coelites laudavit in coelis.

(1) Eccl. c. XXIV, v. 31.

(2) Wadding. *Annal.* ad an. 1308, n. 44.

§ II. — *De B. Ioannis Duns Scoti Scriptis.*

28. — “ Hic toti saeculo stupendo ingenio et memoria extitit. Et non solum in disputationibus acutissimus excelluit, sed etiam in scribendo, quia prae caeteris Theologis subtilissima quaedam opera scripsit, quae perspicacissima ingenia studentium et legentium admirantur (1) „. “ Fuit enim toti saeculo stupendus, quia ita in scribendo et disputando fuit acutissimus, ut a nullo suo tempore vinci poterat. Scripsit duo egregia et diversa scripta super Magistrum Sententiarum, quorum primum *Oxoniense,* alterum vero *Parisiense* appellatur. Scripsit etiam super omnes ferme Aristotelis Libros, praesertim super Me-

(1) Marian. Florent. l. c.

taphysicam. Item, super quatuor Evangelistas. Item, super Epistolas Pauli. Item, super Genesim ad litteram. Item, Sermones tam de tempore quam etiam de Sanctis, per totius anni circulum. Item, Quodlibeta aliqua. Item, Tractatum de *Primo rerum Principio*. Item, Collationes Parisienses. Item Tetragremmatha quaedam (1) „.

" Qui quanta scripserit, quam subtilia et profunda in Theologia, et omnes Theologi noverunt, et nos in libro nostro *De Ecclesiasticis Scriptoribus* annotavinus „ (2). — " Unde, inquit Pitsaeus, evidentius argumentum magni illius ingenii sumere poterimus, quam ex his quae vivens scripsit et moriens posteris reliquit? Scripsit autem, pro brevitate vitae quam vixit et altitudine rerum et multitudine librorum, plane mirabilia „ (3).

Praetermissis Scoti Operibus, temporum iniuria amissis, sequentia Maiorum diligentia nobis servavit, quae pene omnia saepe typis separatim prodierunt; in unum vero collecta, exceptis Scripturalibus, praedicabilibus et piis, edere curavit Lugduni an. 1639 percelebris Lucas Wadingus, *Censuris, Scholiis, Commentariis*, magnique momenti Annotationibus illustrata. Iuvat eorum brevem texere descriptionem, quippe quae omnia in nostro *Lexico* frequenter citantur. Ordinem sequemur editionis Wadingi.

29. — I. — *Grammatica speculativa* seu tractatus de *Modis significandi*. — Idem ipsum Opus est quod nostro praemisimus *Lexico*, quodque iam an. 1902 typis edidimus bonaventurianis, compendio Vitae Scoti ornatum, notisque illustratum.

Genuinum esse Scoti foetum, pluribus evincit Wadingus (1), cuius sententia ms. Codicum auctoritate roboratur, Auctorumque coaevorum testimonio confirmatur. Satis notum fuisse et usitatum, comprobant frequentes eiusdem citationes apud Scriptores saec. XIV et XV et exemplaria vetustiora quae interdum inveniuntur. Pluries etiam cusum est, ex. gr. Venetiis an. 1499 et 1519, Parisiis 1605, Lugduni 1639 una cum aliis Scoti Operibus ab Wadingo, qui diligenter ad invicem binas editiones Venetas et Parisiensem contulit, ope Codicis mss. tunc temporis in Bibliotheca S. Francisci ad Ripas de Urbe adservati, cuius finis erat: *Explicit Liber Ioannis Scoti in Facultate Grammaticali, videlicet secundum Modos significandi, per me L. de Verona scriptum MCCCCLVI die 17 Octobris.*

" Tractatus porro in eo genere serius est et utilis, et valde necessarius ad intelligenda secundum veram vocum ethymologiam plurima, que tractantur in Logica et in Metaphysica: unde non immerito dixit Mauritius (2), haec praesupponere diffusam cognitionem de modis significandi, quorum ignorantia, inquit, multum impedit a speculatione perfecta logicali et

(1) Id. *Compend. Chron. FF. Min.*, apud *Archiv. Franc. Histor.* An. II, fasc. IV. pag. 631.

(2) Trithem. *Chronica Monast. Hirsaug.*

(3) *De Scriptorib. Angl.* ad an. 1308.

(1) In *Censura* suae editioni praefixa.

(2) Qui edit. Ven. 1499 curavit.

metaphysicali, maxime in doctrina huius Doctoris. Ad percipiendam etiam genuinam vim verborum et veram sermonis proprietatem valde conducet; neque sciam quis ex antiquis Grammaticis, quos ille ferme omnes consuluit, et aliquando citat, aut subtiliori modo, vel graviori methodo rudimenta haec, etsi levioris ponderis, et facilioris Minervae, pertractavit „ (1).

Citatur a nobis: *Grammat. Specul.* n. ...., iuxta editionis nostrae numerationem.

30. — II. — Super *Universalia* Porphyrii Quaestiones subtilissimae XXXVI. — Cit. *Super Univers.,* q. . . n. . .

III. — In Librum *Praedicamentorum* Aristotelis quaestiones XLIV. — Cit. *Praedicament.* q. . . n. . .

IV. — In Libros *Perihermenias: a)* in I quaestiones XIII: *b)* in II qq. X. — Citat. *Opus. prim. super I Perihermen.* q... n... — *Opus primum super II Perihermen.* q. . . n. . .

V. — In eosdem Libros *Perihermenias* Opus secundum, qq. VIII, quas primo Wadingus edidit ex tribus codicibus vetustissimis, qui expresse memorant Scoti opus *primum* et *secundum* super Perihermenias. " Videtur, ait Wadingus, Doctor, expleto primo opere, maturius, et dum per otium licuit, oblata occasione opus ponderosius expendendi, has quaestiones adiunxisse „. — Citat. *Opus secundum super Periherm.* q. .. n. . .

VI. — In Libros *Elenchorum* quaestiones LVI primo editae Venetiis an. 1493; mox ib. an. 1499, curante Oliverio Ionto e Monte Gallorum, Artium et Medicinae Bononiae Professore, qui eas vocavit *sublime divini Scoti opus* (1). — Citat. *Elench.* q. . . n. . .

VII. — In Libros *Priorum Analitycorum* Aristotelis: *a)* in I qq. XXXVII: *b)* in II qq. VIII. — Cit. *Prior.* I *vel* II q. . . n. . .

VIII. — In Libros *Posteriorum Analitycorum: a)* in I qq. XLVII: *b)* in II qq. XIII. — Cit. *Poster.* I *vel* II q. . . n. . .

Praedicta Opera (II-VIII) ad Logicam spectantia scripta fuisse a Doctore Subtili adolescentiori aetate censet Wadingus: " Unde nihil mirum, quod provectiori et maturiori studio quaedam correxerit et in libris praesertim Sententiarum aliter tradiderit „. De authenticitate vero eorum nihil est cur dubitemus.

Primam editionem eam fuisse videtur quam an. 1500 Venetiis fieri curavit Mauritius Hibernicus Archiepiscopus Tuamensis, qui amplissimis et eruditis commentariis Opera Logicalia Scoti illustravit. — Plures aliae subsequutae sunt horum Operum editiones, quas inter celebrior illa Constantii Cardinalis Sarnani Min. Conv. an. 1583, quae saepe iterata est. — P. Ludovicus Rodriguez Noyensis, Provinciae S. Iacobi alumnus, teste Wadingo, " Universalia et Praedicamenta doctis et copiosis quaestionibus articulisque dilucidavit „ (2).

(1) Wadingus cit.

(1) Sbaralea: *Supplementum et Castigatio ad Scriptores trium Ordinum S. Francisci.* — Romae 1806.

(2) Cf. Sbaralea cit.

Wadingus tandem suam paravit editionem ope omnium aliarum sibi notarum, necnon et trium mss. Codic. Biblioth. Vaticanae, quarti Monast. S. Mariae de Populo et quinti Collegii Gregoriani Benedictinorum. — Quaestionibus super *Universalia Porphyrii* adiecit Commentaria Mauritii de Portu, alias Hibernici, cuius in alia Opera Logicalia Scoti Commentarii latent.

31. — IX. — In VIII Libros *Physicorum* Aristotelis *Expositio textualis.*

X. — In eosdem *Quaestiones;* et quidem in I qq. XXIV, in II qq. XV, in III q. X, in IV qq. XVIII, in V qq. VII, in VI qq. X, in VII qq. VII, in VIII qq. IX.

Scotum in Libros *Physicorum* scripsisse testes sunt ipsius Operum nomenclatores, Willot, Pitsaeus, Possevinus, et Vitae Scriptores, iamque anno 1504 Venetiis Scoti opus in Libros Physicorum prodiisse refert Guillielmus Cave, *De Scriptoribus ecclesiasticis,* qui et aliam an. 1597 eiusdem Operis memorat editionem, quam an. 1617 tertia absolutior subsequuta est a Francisco Pitigiani Aretino O. F. M. castigata, commentariisque illustrata, quam et Wadingus in editione Lugdunensi an. 1639 inseruit.

Ast Wadingus, quamvis aliis consentiat, Scotum in *Physicorum* Aristotelis Libros scripsisse, dubitat tamen an quae sub Scoti nomine *Expositio* et *Quaestiones* circumferuntur, reapse authenticae sint, " suppositia namque esse multa persuadent, si non convincunt ", ait ipse. Carolus vero a Sto Floriano (1), Wadingi argumentis discussis et solutis, authenticitatem evincere conatur sequentibus praesertim rationibus:

a) Quod Scotus ipse *Metaph.* l. V. q. 9, l. IX. q. 14, *Oxon.* II. d. 2. q. 9, IV. d. 13. q. 1, suam ipsius videatur indigitare in *Physicos* expositionem, uti ex textuum collatione patet:

b) Quod tum codices ms., tum vetustiores editiones Scoti nomen praeseferant:

c) Quod facili negotio quae contra authenticitatem adducuntur solvi possint, uti reapse ipsemet solvit.

Quibus permoti rationibus, fas nobis esse putavimus ex gemino in Physicorum Libros sub Scoti nomine edito Opere quae ad rem faciunt in nostro *Lexico* inserere. — Citat. *Physicor.* I, II, etc. *Exposit. text.* n. . . *Physicor.* I, II etc. q. . . n. . .

32. — XI. — Questiones super Libros Aristotelis *De Anima.* — " De hoc Opere, ait Wadingus, non est quod dubitem Scoti esse genuinum; praeterquam enim quod omnes ferme Scriptorum nomenclatores eum in Aristotelis libros *De Anima* scripsisse commemorent, et Possevinus Operis citet initium, in tribus codicibus Vaticanis mss., qui signantur numeris 869, 890, 3092, et in aliis duobus vetustissimis, sub ipsa Typographiae infantia, sine loci aut temporis notis, excusis, Quaestiones istas inveni praefixo nomine Scoti ". — Quatuor alios Codices mss. enumerat Sbaralea, et

(1) *Ioannis Duns Scoti Philosophia nunc primum recentibus placitis accommodata* an. 1782, tom. V, Praef.

ed. Venet. an. 1517. Aliam longe correctiorem, commentariis amplissimis ornatam edidit Lugduni an. 1525 Hugo Cavellus, S. Iacobi Provinciae alumnus (1), postea Archiepiscopus Armachanus, qui et proprio marte quae deerant quaestiones supplevit; Scoti siquidem 23 dumtaxat supersunt *quaestiones*, vix materiam de *sensibus* et *intellectu* exhaurientes. — Eas citat Worilongus Scoti discipulus in II *Sent.* d. 3. q. 1. — Cit. *De Anima*, q. . . n. . .

33. — XII. — *Meteorologicorum* Libri quatuor. — Lib. I qq. XXVI, lib. II qq. IX, lib. III qq. IX, lib. IV qq. IV. — Asserit Pitsaeus hocce Scoti opus mss. extitisse in Collegiis S. Mariae Magdalenae, Balliolensi et Orialensi Oxoniae. Wadingus Codicem mss. ex Anglia recepit et publicavit, qui Scoti nomen praesefert, neque Scoti partum esse diffidit.

" Tractatus porro doctus est, curiosus et perutilis; neque ullum vidi in hoc genere ab antiquis potiori aut ampliori studio exaratum. Versatum satis se ostendit auctor in re mathematica, astrologica, perspectiva, aliisque scientiis. Quartum librum non absolvit „ (2). — Cit. *Meteor.* I, II, etc. q. ... n. . .

34. — XIII. — *De Rerum Principio* quaestiones XXVI, quas primo edidit Wadingus ex codice mss. in Bibliotheca percelebris Cardinalis Ximenez de Cisneros O. F. M. reperto, in cuius fine legitur: *Istae quaestiones fuerunt determinatae Oxoniae per Magistrum Iohannem Scoti de Ordine Fratrum Minorum; et sunt quaestiones generales super Philosophiam.* Sequitur: " Istae quaestiones sunt ad usum Fratris Ferdinandi de Illiescas „, qui, iuxta Wadingum, circa finem saeculi XIV floruit, et sub Regibus Castellae Ioannis I et Henrici III praeclarissimis functus est legationibus. Eo tempore codicem exaratum fuisse, ipsiusmet suaderi potest scriptura, triplici tribuenda manui, italicae aut gallicae. Codex membran. est, fol. continens 103 binis scripta columnis, et mensurat 0,230×0,170.

Novam huiusce, magni quidem momenti, Operis editionem nos ipsi paravimus, quae brevi in lucem prodibit.

35. — XIV. — *De Primo Rerum omnium Principio,* quatuor tantum constat Capitulis, in quibus agit *de Ordinis essentialis divisione in ordinem eminentiae et dependentiae, et membrorum huius subdivisione* (cap. I); *de dictis quatuor divisionibus ostendendis et de extremis dictorum ordinum essentialium comparandis* (cap. II); *de triplici primitate in primo Principio ostendenda* (cap. III); *de simplicitate, infinitate et intellectualitate Primi Entis* (cap. IV). — Plura ex commentariis ad Magistrum Sententiarum breviori calamo hic transcribit, ita ut sive doctrinam, sive dicendi modum spectes, Doctorem Subtilem proculdubio dicentem audias. Accedit auctoritas Codicum mss. saeculi XIV et XV, necnon et vetustissimarum editionum, sicut et Scoto Sychron. Auctor. Petri Thomae, Ioannis Canonici, Ioannis Baccon et Adami Goddam, qui

(1) Wadingus: *Scriptores Ordinis Minorum.*
(2) Wading. in *Censura* Operi praemissa.

hunc tractatum in eorum scriptis citant.

Wadingus tres mss. cod. Vaticanos contulit, in quorum binis longam invenit additionem, quam cap. II apposuit. — Primo editus est Venetiis 1490; dein saepe ibidem et alibi cum aliis Scoti operibus. Novam mox dabimus editionem una cum Quaestionibus *De Rerum Principio.*

" Tractatus iste vere aureus est, in quo Doctor, instar aquilae in altum volantis, quantum humano ingenio possibile esse videtur, naturam Primi rerum Principii, seu Causae supremae, indagat et scrutatur: quod non propriis naturae viribus, sed specialibus eiusdem Primi Principii adiutoriis confortatum praestitisse testantur et persuadent peculiaris eius in hoc Tractatu prae aliis devotio et veluti mentis in Deum continua ascensio; ita enim materiam hanc tractat, ut non minus accendat affectum quam illuminet intellectum, atque ut Soliloquium theologicum magis esse videatur quam scholastica dissertatio (1) „ ; incipit namque: " Primum rerum Principium mihi ea credere, sapere ac proferre concedat, quae ipsius placeant Maiestati et ad eius contemplationem elevent mentes nostras „.

Cit. *De Primo Princ.,* c. . . n. . .

36. — XV. — *Theoremata* XXIII, quorum pene omnia in plures subdividuntur *conclusiones,* continentes fundamentales regulas, maximas seu principia, praesertim philosophica, admodum subtilia.

(1) Wad. *Praefatio ad Lectorem.*

Quamvis ex Nomenclatorum testimonio constet, plura scripsisse Scotum *Theoremata,* neque mss. codices, neque incunabulae editiones uniformem eorum exhibent ordinem. Ideo fieri potuit, ut aliorum opera Theoremata Theorematibus accesserint, sicque quaedam appareant a Doctoris Subtilis doctrina in aliis certo genuinis operibus contenta longe aliena. Nisi mavis dicere eum in aliorum sententia fuisse locutum, vel quae iunior minus recte scripserat provectiorem retractasse. — Prodierunt Venetiis an. 1497, 1499 studio Mauritii Hibernici, qui et ea annotationibus illustravit, ab Wadingo quoque adhibitis. Anno 1625 Cavellus noster correctiorem curavit editionem. — Pluries autem iam prodierant fere semper cum tractatu *De Primo Principio* (1), de quo supra. — Cit. *Theor.* . . . concl. . .; vel *Theor.* . . n. . .

XVI. — Tractatus *De Creditis* complectitur *Theoremata* XIV, XV et XVI, perperam, ait Sbaralea, aliis Theorematibus commixta, quae seorsim edi debuissent; nam ipsemet *Scotus* in tractatu de *Primo Principio,* cap. 4, concl. 9, citat hunc suum tractatum *De Creditis* veluti distinctum a *Theorematibus,* quae ibid. ipse adducit concl. 10. — Cit. pariter *Theor.* . .

37. — XVII. — *Collationes seu Disputationes.* — Sunt XXXIX, de rebus philosophicis et theologicis tractantes, habitasque fuisse Parisiis supponitur, unde et *Collationes* audiunt *Parisienses.* Priores XXXV in-

(1) Cf. Sbaralea loc. cit.

eunte saeculo XVI (1517) typis edi coeperunt, in quibus perpoliendis et illustrandis incubuere Antonius de Fantis, Ioannes Glarola, Romulus Laurentianus O. Serv. B. V. M. Paulinus Berti, O. S. A., Cavellus, aliique. — Reliquas quatuor primus ex cod. mss. Vaticano edidit Wadingus, qui censet non uno eodemque tempore omnes continuata serie scripsisse Scotum, sed prout occasio ferebat. — Citat. *Collat.* .. n. . .

38. — XVIII. — *De Cognitione Dei* tractatum scripsisse Scotum asserunt ipsius operum Nomenclatores, eumque ex mutilo vaticano codice publici iuris fecit Wadingus. Sequentes dumtaxat supersunt Quaestiones: I. *Utrum de Deo possit haberi cognitio media inter cognitionem fidei et patriae?* — II. *Utrum talis cognitio abstractiva possit dici cognitio scientialis?* — III. *Utrum cognitio abstractiva proprietatum personalium possit habere rationem scientiae?* — IV. *Utrum talis cognitio abstractiva, quae ponitur media, possit haberi de Deo per aliquod commune repraesentativum limitatum?* — V. *Utrum cognitio intuitiva et abstractiva possibilis haberi de Deo sint eiusdem speciei?* — VI. *Utrum cognitio abstractiva possibilis haberi de Deo et intuitiva de eodem simul possint stare in intellectu?* — Cit. *De Cognit. Dei,* q. . . n. . .

39. — XIX. — *Quaestiones Miscellaneae de Formalitatibus:* sub quo titulo Wadingus typis mandavit sequentes *quaestiones* ex duplici vaticano codice extractas: I. *Utrum omne intrinsecum Deo sit omnino idem essentiae divinae, circumscripta quacumque operatione intellectus?* — II. *Utrum intellectus et voluntas in Deo, qui dicunt perfectiones absolutas, sint idem totaliter, vel distinguantur aliqualiter?* — III. *Utrum Sacerdos in peccato mortali actus ecclesiasticos exercens peccet mortaliter in quolibet actu?* — IV. *Utrum Praelati Ecclesiae possint dimittere poenam debitam pro peccatis secundum suam voluntatem? et utrum Indulgentiae tantum valeant quantum sonant?* — V. *Utrum perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus sit conceptus entis infiniti?* — VI. *Utrum per sacram Scripturam possit efficaciter probari finalis salus Salomonis?* — VII. *Utrum scientia Naturalis sit scientia una?* — Cit. *Miscellān.* q. . . n. . .

40. — XX. — *In XII Libros Metaphysicorum Aristotelis Expositionem* Scotum scripsisse omnes pene admittunt: an vero quae sub eius nomine circumfertur, quamque Wadingus cum aliis Scoti Operibus edidit, Scoti sit foetum, plures affirmant, aliis eam Antonio Andreae tribuentibus. Sub Scoti nomine edita fuit a Mauritio Hibernico an. 1497 et 1501, ab Hugone Cavello an. 1624.

Recitatur Aristotelis textus, intermixtis brevioribus ut plurimum explicationibus, adiectisque amplioribus *Notandis* Scoti doctrinae generatim conformibus. — Explicit: " Quia igitur totum universum est sicut unus principatus, unus ergo erit Princeps, scilicet primum movens, et primum intelligibile, et primum appetibile, et bonum omnis boni, regens et gubernans totum universum. Qui est Deus benedictus per saecula infinita, Trinus in per-

sona, et Unus in essentia infinita. Amen „.

Cit. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. . . S. . . c. . . n. . .

XXI. — *Conclusiones Metaphysicae* ex XII Libris *Metaphysicorum* Aristotelis, quarum scopum sequentibus exponit Doctor:

" Conclusiones Metaphysicae Aristotelis, quas ipse in hoc libro probare ac determinare assertive intendit, prout potero breviter compilabo, non vacaturus (causa brevitatis) expositioni litterae, nec discussioni dubitationum, quae circa aliqua ex conclusionibus ipsis, seu earum media, possent occurrere; sed solum sub conclusiva determinatione, prout littera ipsa sonat, vel ex ea potest elici, electurus sententiam illarum potissime partium huius doctrinae, in quibus potissime utilitas eius praecipua continetur. Partes vero alias, in quibus diffusius contra opiniones antiquorum invehitur, tamquam minus utiles et amplius taediosas, prosequi non intendo „.

Expliciunt: " Et primum movens immobile, primum intelligibile, primum appetibile, coeli naturaeque principium, ac totius denique Princeps universi, et quomodo ex Ipso, per Ipsum et in Ipso sunt omnia, Ipsi honor et gloria in saecula saeculorum. Amen „.

Cit. *Concl. Metaph.* l. . . c. . . n. . .

XXII. — *Quaestiones super Libros Metaphysicorum Aristotelis.* Praeter *Expositionem* litterae et *Conclusiones* inde deductas, scripsit Doctor noster subtilissimas *Quaestiones* in singulos XII Libros Metaphysicorum, quae passim a synchronis auctoribus citantur, quasque ex parte, in priores nempe IX Libros, primum Mauritius Hibernicus edere curavit Venetiis 1497, ubi et an. 1499 iterum prodierunt. Quaestiones in libros X et XII ib. editae sunt an. 1505; Libr. XI inveniri hactenus non potuerunt. Hugo Cavellus multum insudavit in hoc Scoti opere perpoliendo, annotando, scholiis ornando, prioribusque longe meliorem editionem publicavit Venetiis an. 1625, ab Wadingo cum aliis Scoti Operibus reproductam, additis *Quaestionibus* in Libros X et XII ab ipsomet Cavello castigatis.

Lib. I continet quaestiones X, lib. II qq. VI, l. III quaest. unic., l. IV qq. V, Lib. V. qq. XIV, Lib. VI qq. IV, lib. VII qq. XX, lib. VIII qq. IV, lib. IX qq. XV, lib. X qq. XXI, l. XII qq. XXIX. — Expliciunt:

" Dicit Philosophus, quod universitas entium est sicut unus principatus et unum regnum. Unus igitur est Princeps, quod est primum movens, et ideo perfectissime primum intelligibile, et ideo verissimum primum appetibile, et ideo optimum, quod est summe bonum, ipse Deus, qui et regnat in saecula saeculorum. Amen „.

Cit. *QQ. Metaph.* l. . . d. . . n. . .

41.—XXIII.—*In quatuor Libros Sententiarum Commentaria* seu *Scriptum Oxoniense* — " Potissimum hoc, ait Wadingus (1), inter Scoti Opera, Auctorem non tam in fronte praefert, quam ipsa sua dignitate refert.

(1) In *Censura*.

Praestantissimi Doctoris in dicendo acumen, in disserendo copiam, in asserendo pondus, in principiis stabiliendis firmitatem, in connectendis constantiam, prae reliquis eiusdem Scriptis hoc maxime commendat. Atque uti felicissimi ingenii nobilissimum partum, et amplissimae doctrinae fertile seminarium omnes non tam amplectuntur quam admirantur, quippe quod sparsim variis libris, sive ipse sive alii docent, hic mira contextura vel habent diffuse scriptum, vel exuberanti compendio collectum, aut foecundo principiorum alvo compressum.

" Hoc Opus non plene complevit Scotus, neque ad omnes Distinctiones adhibuit Commentarios. At Discipuli, iusta censura, reliquis viri doctissimi elucubrationibus hanc praeferentes, ut universo Sodalitio commendatissimam, ita et integram voluerunt. Ex Lectura itaque Parisiensi (*Report. etc.*) compleverunt, et quae hic deerant illinc transtulerunt "; non quidem multa, uti in editione quae modo paramus, Deo dante, notabimus.

Ponderosissimi huiusce Operis frequentes sunt ubique codices mss. saec. XIV et XV; editiones vero ab arte typographica inventa prope innumerae. Liber I primo prodiit Venetiis an. 1472 a doctissimo Antonio Trombetta O. F. M. Teologo Patavino emendatus; ib. 1477. — Libri II et III ib. an. 1474, 1477, 1478. — Lib. IV Norimbergae 1481 et 1493. — Totum Opus Venetiis 1477 cura et studio Thomae Penchet Augustiniano, adiuvante Bartholomaeo Bellato Feltrensi Minorita: ib. 1490 una cum *Quodlibetis*, tractatu *De Primo Principio* et *Tabula Generali* solemnium Scoti propositionum ex omnibus ferme eius Operibus, curante Gratiano Brixiano O. F. M. (1): 1497 et 1503 ib. a Philippo Balneocaballensi Minorita: an. 1506 ib. a Mauritio Hibernico: 1515 ib. ab Antonio di Fantis, addito *Mari magno Scotico* seu *Tabula generali:* an. 1517 et 1520 a Ioan. Glarola O. F. M. una cum *Collationibus:* an. 1620 a Paulino Berti Augustiniano; et eodem anno Antuerpiae a Cavello, qui nihil praetermisit quod ad Operis dignitatem et integritatem posset desiderari. Quam editionem adoptavit Wadingus pro sua Lugduni facta an 1639., adiectis doctissimorum Scotistarum Francisci Lycheti, Antonii Hichaei, Ioannis Poncii et ipsiusmet Hugonis Cavelli Commentariis.

Novissimam editionem fuisse arbitramur quam Romae fecit an. 1754 P. Antonius Barros, quondam S. Iacobi Provinciae Minister, tunc Procurator Generalis, sumptibus Illmi. Dni Andreae de Gondar, Metropolitanae Ecclesiae Compostellanae Canonici Cantoris.

Cit. *Oxon.* I, II, etc. d. . . q. . . n. . .

42. — XXIV. — *Reportata Parisiensia* — Bis Doctor Subtilis Libros Sententiarum commentavit: hinc Scriptum *Oxoniense,* de quo supra, et Scriptum *Parisiense* seu *Reportata* sive Reportationes *Parisienses,* in quibus, praetermissis quae-

(1) Ad cuius editionis fidem novam ad Claras Aquas publicare intendimus; plura namque sunt in quibus posteriores ab ea dissentiunt.

stionibus philosophicis passim in Oxoniensi occurrentibus, sola theologica ut plurimum compendiosius tractat, rarissime a priori sententia recedens.

Opus hoc scripsisse videtur data occasione rerum in scholis explicandarum, uti ex quibusdam expressionibus deducit Wadingus; ex. gr. *quia sicut heri arguebatur: sic finis disputationis in aula,* etc. Hinc neque Magistri Libros statuto ordine interpretavit; sed post primum quartum, deinde secundum, postremo tertii partem, ut Wadingus satis ostendit ex pluribus ipsius Scoti citationibus. Tertii autem priores tantum 18 Distinctiones explicavit Scotus: reliquae ab aliquo Scotista adiectae sunt.

Reportatarum Liber I editus est Venetiis an. 1478 opera Bartholomaei Bellati O. F. M.; quam editionem Wadingus contulit cum vetusto mss. codice Vaticano, inseruitque in sua editione. Eodem codice et alio in Conventu S. Francisci a Ripa olim asservato usus est ad editionem Libri II praeparandam: libr. IV ex codice S. Francisci a Ripa extraxit. Libr. III priores 18 Distinctiones diligenter ipsemet correxit. Sicque legitima Scoti *Reportata,* ad an. 1517 ab omnibus citata, in honorem debitum restituit, repudiatis spuriis Reportatis praefato anno primo in lucem editis, et frequenter adhibitis usque ad an. 1639, quo editio Wadingi prodiit.

Cit. *Report.* I, II, etc. d. . . q. . . n. . .

43. — XXV. — *Quodlibetales Quaestiones* seu *Quodlibeta Scholastica.* Prouti Medii Aevii ferebat mos apud Universitates, debuit et Scotus Parisiis durum sustinere examinis periculum ad Doctoris lauream, de Superiorum mandato, assequendam. De *quolibet* proposito dubio respondere oportebat, unde et *Quaestiones,* diffusius postea tractatae, *quodlibetales* audiebant. XXI quaestiones comprehendit Scoti Quodlibetum, " opus pretiosissimum et medullam doctrinae, quam in Sententiis tradidit, maiori claritate, faciliori methodo et solidiori argumentorum fundamento complectens „ (1).

Ab ipsamet Typographiae infantia in lucem prodierunt, et saepe postea, ferme semper una cum Scripto *Oxoniensi.*

Haec sunt Scoti Opera ab Wadingo Lugduni edita an. 1639., quae iterum Parisiis cusa sunt an. 1891-1895 apud Vives, quorumdam Fratrum Minorum Franciae cura, qui et addere censuerunt

44. — XXVI. — Tractatum de *Perfectione Statuum,* unquam antea editum, quem Scotum scripsisse et Nomenclatores referunt, et plures codices mss. testantur. Incipit: " Quod status Praelatorum „ .. Explicit: " Ista humiliter sunt dicta et sine aliqua praesumptione vel temeraria assertione sunt scripta „.

Sequitur in mss. membr. Collegii Mertonensi Oxoniae, quo usi sunt Editores: " Explicit opus Doctoris Subtilis, intitulatum *Duns de Perfectione Statuum,* scriptum per me Ioannem Reynbold Almanicum

(1) Wandingus in *Censura.*

de Monte Ornato, anno Domini MCCCC (1) „.

Cit. *De Perfect. Stat.* n. . . .

45. — **De Operibus Scoti ineditis.** — Praeter descripta, plura alia recensentur Doctoris Subtilis Opera, quae vel iniuria temporum perierunt, vel hominum incuria sub scriniorum iacent pulvere. Sunt autem ex Pitsaeo: *Lectura in Genesim,* libr. 1: *Commentarii in Evangelia,* lib. IV: *In Epistolas D. Pauli,* lib. plures: *Sermones de Sanctis,* lib. 1: *Sermones de Tempore,* lib. 1: *Commentarii imperfecti,* l. 1; et alia plurima. — Ex Bodlej (*Biblioth.* t. 1) *Commentarii in Apocalypsim.* — Plura alia Scoto tribuuntur Opera inedita, quae enumerare vacat.

Quanti autem Scoti Scripta semper facta fuerint vel ex eo liquet, quod Eduardus Rex Angliae Scholasticorum libris undique collectis et feretro impositis, rogo tradendos praeceperit, conclamante turba: *Funus Scoti et Scotistarum* (1).

§ III. — *B. Ioannis Duns Scoti seraphicae doctrinae praestantia.*

46. — **Auctorum testimonium.** — “ Hic etiam lacte suae sapientiae multos discipulos enutrivit, quorum ingeniis mirum in modum Philosophia crevit (2) „; “ tantumque laudis, gratiaeque consecutus est, ut discipuli paene ex omni mundi angulo, confluerent, eo magistro ac duce uterentur, et abditissima S. Theologiae arcana, quae divino pectore promebat, profundius exciperent et diligentius custodirent (3) „. Theologorum suo aevo nulli secundus, Begardos verbo, haereticos omnes ubique gentium alios scripto confudit, summum Ecclesiae Catholicae ornamentum (4) „. — “ Doctrina eius, innixa catholicae fidei firmissimis fundamentis, est catholicissima, et in omnibus et per omnia fidei pedissequa, sacrae utriusque Testamenti Scripturae testimoniis summopere roborata, Sanctorum Patrum, et praesertim praeclarissimi Ecclesiae Solis Augustini auctoritatibus confirmata, scaturientis fontis subtilitatis amnibus irregantibus fertilis, subtilis discursibus, inexpugnabilibus responsis armata, gladiis argumentorum strenua, ac tandem solidissimis argumentorum moenibus secura (2) „. “ Cuius doctrina, subiungit Possevinus (3), grave illud testimonium extat, quod libris absque ullo erroris naevo usque in hanc diem inviolati permanserint (4) „. Siqui-

(1) Circa authenticitatem huius tractatus cfr. periodicum *Luce e Amore* a Fratribus Minoribus Prov. S. Bonaventurae editum, an. VI. pag. 498 seqq.

(2) Mar. Flor. ll. cit.

(3) Rodulph. *Histor. Seraph. Relig.* 1580.

(4) *Menol. Sanct.* a Dempstero edit. 1626.

(1) Gravina O. Praed. *Praescript. Cathol.*

(2) Sosa, loc. cit. § 6.

(3) In *Apparatu.*

(4) Consonat Rmus D. Salv. Talamo hodiernus S. Petri in Urbe Canonicus: « L'ortodossia delle opinioni di Duns Scoto... è dimostrata chiaramente dalle Opere, non solo di lui, ma eziandio di quegli assai dotti filosofi e teologi che, per tutto il medio evo, tennero per le opinioni del Dottor Sottile, con quel calore che sa ogni cultore della storia letteraria di quell' epoca, senza che la Chiesa le avesse mai riprovate in tempi, in cui gli studi si svolgevano all' ombra e sotto la dipendenza di Lei ».

dem, " omnem, ut pie autumo, potaverat SCOTUS de dominici pectoris fonte doctrinam, quando Iesum Salvatorem sub Pueruli specie visum oculis, osculis et amplexibus attrectavit (1) „. " Certe qui ad eius scripta oculos convertit, facile videbit, quod non modo pietas christiana orthodoxo Doctore digna, verum etiam doctrina et humilitas pari gressu in eisdem incedunt. Disseruit ille quidem quod magis ex veritate visum est (2); ea tamen animi moderatione, ut sine cuiusquam praeiudicio veritas suas ferat partes, et illi quorum sententia impugnatur debitam reverentiam. Nec enim sua ita lectori inculcare studuit, velut sine omni haesitatione sequenda; imo ne eumdem ab aliorum sequela absterreret, propria interdum placita, non secus ac aliorum, aequa discutit lance, ut vel inde non solum animi sincerus candor, sed veritatis, non gloriae, studium in eo fuisse legentibus appareret (3) „.

47. — **Ab Ordine docenda praescribitur.** — Merito igitur " brevi post mortem SCOTI Comitiis generalibus declaratus est *Magister* et *Doctor Ordinis* et omnes iussi sunt eiusdem doctrinam profiteri (4) „, et " ab ipso ferme obitu coepit haberi in honore per universum Sodalitium, et eius doctrina placere: eam tradiderunt aliis discipuli, et ab his ad posteros transivit. Ab uno et altero saeculo in disciplina scholastica ab universis Minoritis habetur pro antesignano et communi Magistro, et in aliquot Comitiis Generalibus statutum est, ut Lectores omnes et Magistri, tam in cursu Philosophico quam Theologico, eius sententiam sequerentur (1) „. Ex. gr. in Congregatione Gli Neapoli celebrata an. 1590 sancitum est pro Familia Cismontana, ut in studiis Generalibus " Lectorum unusquisque lectionem unam ex DOCTORE SUBTILI quotidie legat (2) „.

In Congregatione Gli Romae celebrata an. 1615: " imponitur Patribus Lectoribus Theologiae, ut declarato breviter textu SCOTI, facta electione alicuius Doctoris Scotistae, quatenus expediens fuerit, in utilitatem studentium, illius doctrinam explicent et sequantur (3) „.

In Congr. Gli Romae 1691, praesidente P. Iosepho Felzes, ad id specialiter delegato ab Emo Card. Cybo Protectore:

" Explicantes statutum Gle(Sambucae) cap. 5, §§ 4. n. 9 et 14, praeter disposita pro Lectoribus Artium, declaramus omnes Theologiae Lectores in quolibet studio ad mentem SCOTI, sub immediata ammissione Lecturae, teneri ad S. Theologiam legendum: sed unum ex ipsis antiquiorem in Lectura legere debere textum SCOTI, illumque audientibus studentibus sine scripto in cathedra interpretari, secundum sa-

(1) P. Ios. Leali a Ver. — *Paediae Scoticae*, Patav. 1682.

(2) « Sed absque studio et ira, tranquille et solius veritatis inquirendae vel determinandae ratione habita... Unde certo solidum et accuratum Theologiae studium haud parum promovit et dilatavit ». — Hurter, *Nomencl. Lit.*... tom. IV. Oenip. 1899, pag. 367.

(3) Wadding. l. c. n. 22.

(4) H. Crombach. S. I. l. cit.

(1) Wadding. ib. n. 84.

(2) *Chronol. Histor. Legal.* tom. I pag. 364.

(3) Ib. 547.

niorem et fideliorem modernam Scotistarum expositionem „.

In Congr. Gli celebrata Victoriae an. 1694 sub praesid. Illmi D. Fr. Ioannis a Sta Maria Alonso y Valeria O. F. M. Episc. Celsonensi, statutum est pro Familia Ultr. (in sensu Capituli), " quod Lectores Theologiae, tam Provinciales, sub poena non consequendae sexennalis Paternitatis, quam Generales, sub poena non Iubilandi, teneantur intra quatuor annorum spatium legere suis studentibus, vel scribentibus, vel ex textu Scoti audientibus, omnes theologicas materias, videlicet singulorum tractatuum quaestiones principaliores in quatuor libris Sententiarum Doctoris Subtilis contentas, et omnino ad eius mentem (1) „. Quae praescripta renovata invenies in omnibus pene Ordinis nostri Capitulis et Congregationibus Generalibus, quorum vestigia premens Capitulum Generale an. 1830, sub praesidentia Excmi D. Francisci Tiberi Nuntii Apostolici, Compluti in Hispania celebratum, statuit:

" P. Fr. Laurentii Altieri Philosophia textus erit, et per epitomem Patris a Sancto Floriano, iam in lucem editam, principales quaestiones Scholae nostri Venerabilis Subtilis Magistri, cuius doctrinam, *iuxta Ordinis Statuta,* sequi tenemur, lucubrabuntur.

" Cum secundum nostras Leges Subtilis nostri Magistri doctrinam docere et defendere debeamus, Collegiis explanabitur Theologia iuxta institutiones P. Fr. Andreae de Sgambati, qui omnium viam diversorum classium lectioni textus erit „.

(1) *Chron.* Venetiis MDCCXVIII p. 267.

Qua vero fidelitate Minorum Ordo Scoti doctrinae adhaeserit, testantur innumera fere et doctissima opera a nostris Consodalibus ad mentem Doctoris Subtilis conscripta, testatur et Scholae Franciscanae nomen, quae a saeculis *Scotistam* audit, de qua Ioannes Caramuel scribebat (1): " Scoti Schola numerosior est aliis simul sumptis „, et Fridericus Estumelius (2): " Schola Scoti, sive professorum numerum, sive qualitatem spectes, nulli secunda „.

Ex exteris vero Scoti doctrinam mirantur et laudant omnes; amplexati sunt plurimi, et apud celebriores catholicas Universitates propriam habuit cathedram. — Iam in Concilio Basileensi inter Doctores Ecclesiae laudatur a Ioanne Polemar, a Turrecremata vero inter solemniores et magnos Doctores.

Plures Scoti peculiares opiniones communiter a Doctoribus admittuntur, et, uti supra retulimus, doctrina de Immaculata B. V. Mariae Conceptione, pro qua Scotistae quique, Ducis vestigia prementes, viriliter decertavere, inter fidei dogmata recensetur; qui quidem triumphus, vel unus, satis esset Doctoris Mariani memoriae in aeternum extollendae.

Scoti Doctrina a Summis Pontificibus commendata.

Porro et a SS. Pontificibus Doctoris Subtilis doctrina saepe fuit approbata, non solum permittendo

(1) *Theol. Fund.* l. II. d. 10.
(2) *Unilabium Orbis,* etc.

quod ubique libere doceretur, quodque in praecipuis catholici Orbis Universitatibus propriam haberet scholam, verum etiam Constitutiones diversarum Franciscalium Familiarum approbando, queis ut SCOTI doctrina fideliter traderetur erat sancitum, sub gravibus quoque poenis. Innuere sufficiat

48. — An. 1501 d. VII April. Alex. VI Breve edidit *Nuper attendentes*..., quo Constitutiones Gles, a Capitulo Interamnensi anno praecedenti conditae et a duobus Cardinalibus diligenter recognitae, approbantur, in quibus statuitur, ut " in studiis generalibus, in quibus Sententiae leguntur, in toto triennio teneantur legisse quatuor libros Sententiarum cum quaestionibus DOCTORIS SUBTILIS, aut alterius .... (1) „.

49. — An. 1524 d. XXIV Sept. Clemens VII praefatas confirmavit Constitutiones, Brevi *Cum Superioribus*.

50. — An. 1568 d. XXIII Iulii S. Pius V, Brevi *Illa Nos cura,* Minorum Conventualium approbavit Constitutiones Gles., quibus praecipitur: " In maioribus Studiis Regentes duas lectiones theologicas interpretentur, alteram practicam... alteram speculativam ex SCOTO (2) „.

51. — An. 1593, sub praesidentia Illmi ac Rmi Dni Camilli Gaetani Patriarchae Alexandrini et Nuntii Aplici in Hispania, ad hoc specialiter a Clemente VIII delegati, celebrata est Vallisoleti Congregatio Glis, in qua " communi Patrum consilio et unanimi consensu determinatum est, ut omnia et singula Statuta, Constitutiones et Decreta, superioribus Capitulis et Congregationibus Generalibus ab anno Domini 1553 edita et confecta, pro faciliori intelligentia et observatione in compendium et certam methodum redigantur „. Quod ut cito fieret diligenter curavit novus Minister Generalis Bonaventura a Calataierone, qui sic ordinata noviter Statuta die 25 Iunii 1595 publicavit et ab omnibus observari iussit, quae sequentia ad rem nostram habent:

" Universis Studiorum Lectoribus praecipimus, ut litteram SCOTI solum, et non alios Auctores, ex professo explicare conentur. Logicae et Philosophiae Lectores eos Auctores interpretandos suscipiant, quos ad doctrinam SCOTI et commodiores et aptiores esse cognoverint. — Lectores vero Theologi, quatuor annorum spatio, cursum unum absolvere conentur; quo tempore quatuor Sententiarum SCOTI libros, quoad fieri possit, interpretari curent (1) „. — Quae sin explicite, implicite saltem approbata fuerunt a Clemente VIII per Breve *Decet Romanum Pontificem*.... d. XXVI Iunii 1603, quo rationem studiorum ab Ordine propositam confirmat.

52. — An. 1625, d. XVIII Dec. Urbanus VIII, Brevi *Iniuncti Nobis, Statuta Barchinonensia* in Congregatione Gli Segoviae 1621 accuratius revisa, " appostolica auctoritate perpetuo approbat et confirmat, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis ro-

(1) *Chronol.* t. I. p. 163.
(2) *Bullar. Roman.* tom. VII. pag. 691.

(1) *Chronol.* tom. I. pag. 362 et 401.

bur adiicit „; quibus in Statutis " universis studiorum Lectoribus praecipitur, ut semper eiusdem Doctoris Subtilis doctrinam docere, et eius opiniones defendere, atque eius mentem accurate explicare conentur. Lectores vero Artium eos auctores interpretandos suscipiant, quos ad doctrinam Scoti et commodiores et aptiores esse cognoverint, id magnopere quidem cupimus, ac adeo mandamus (1) „.

53. — An. 1628, d. XV Maii Urbanus VIII Breve *Militantis Ecclesiae* edidit, quo approbat Const. Gles Minor. Conventualium *Urbanianas,* quibus praescribitur: " In Collegiis autem... primus Regens Controversiarum disputationes, sive ex Scoto, Divo Bonaventura...., legere teneatur „...

54. — An. 1634, d. XXXI Oct. idem Urbanus VIII Brevi *Ad eximios,* de S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, Constitutiones in Capitulo Generali sub praesidentia Rmi D. Nuntii Aplici, ad hoc ab eodem Urbanus VIII specialiter destinati, Toleti celebrati anno 1633 editas, apostolica auctoritate approbat et confirmat, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicit. In quibus quidem Constitutionibus sequentia *pro utraque Familia,* Cismontana et Ultramontana, praescribuntur:

" Quia praeter observantiam regularis disciplinae etiam necessarium est, non solum ad Ordinis nostri decorem, sed ad totius Ecclesiae Dei utilitatem ac catholicorum in fide confirmationem, et conversionem haereticorum ad illam, ut ubique habeatur maxima ratio studiorum omnium, ac is sit semper in ipsis ordo, forma, exercitium, frequentatio, cultus, sicut illorum dignitas petit, utilitas exigit, et Generalia Statuta disponunt, ut propterea Lectores et studentes, qui Constitutionum ad studia pertinentium transgressores extiterint, non tantum poenis earumdem Constitutionum decreto taxatis, sed gravioribus etiam Superiorum Generalium arbitratu, plectantur.

" Philosophiae et Theologiae Lectores irremissibiliter proprio Lectoratu priventur, si directe vel indirecte, voce vel scripto, deflexerint a Scoti doctrina.

" Et ut, quantum fieri poterit, conservetur etiam in Ordine nostro uniformitas philosophicarum sententiarum Subtilissimi nostri Doctoris, Rmus P. Generalis Minister quamprimum committet quatuor ad minus ex Doctoribus Patribus conficiendum Artium Cursum in Scoti doctrina, quem postea Cursum ea lege semper sequi debebunt Philosophiae Lectores, qui, si scripto in suis lectionibus ab aliqua ex sententiis in eodem Cursu contentis deflexerint, irrimissibiliter Lectoratus officio priventur. Possint tamen, si velint, oretenus tantum in aliquam ex dictis sententiis, velut Scoti doctrinae non consonam, interdum insurgere. Et ut sine ulla controversia suum feliciter ubique sortiatur effectum dicti Cursus introductio, curabit idem Rmus P. Generalis Minister, ut conficiantur Cur-

(1) *Chronol.* tom. I. pag. 677 et 620.

sus in singulis principalioribus Nationibus, Hispanica, Italica, Gallica, Germanica simul et Belgica, suoque quaeque Natio utatur Cursu usquequo ex dictis quatuor conficiatur unus, quo in tota Religione postmodum uti tenebuntur Philosophiae Lectores.

" Ad hoc etiam, ut omnes possint se commode in doctrina et littera SCOTI exercere, curabit Rmus P. Generalis Minister, ut quantocius fieri poterit eius scripta super Sententias praelo mandentur, pro nunc in octavo, quorum tot excudantur exemplaria, quot pro singulis Religionis Provinciis sufficere iudicaverit. Sedulam etiam operam navabit idem Generalis Minister, quatenus universa eiusdem SUBTILIS DOCTORIS Opera praelo tradantur in folio, quorum tot insuper excudantur exemplaria, quot principalioribus saltem singularum Provinciarum bibliothecis necessaria fore decreverit ".

Pro *Familia* vero *Cismontana* (in sensu Capituli *Toleti* celebrati): " Quoniam summopere cupimus, ut, quantum fieri poterit, notitiam et intelligentiam litterae DOCTORIS SUBTILIS assequantur studentes theologi, consulto statuimus, ut deinceps unus ex Sacrae Theologiae Lectoribus textum SCOTI verbo dumtaxat explanet, ad eum modum quo in Italia Lectores Theologi eamdem SCOTI litteram suis studentibus explicant, illa videlicet lege, ut moderatam partem textus, prout eiusdem textus obscuritas vel claritas exegerit, designent, substantiam et conceptus eius memoriae tradant, in tres aut quatuor particulas dividant, per easdem divisas ordinate discurrant, discurrendo germanam SCOTI, sive docentis sive impugnantis, sententiam aperiant, textus contradictiones, si quae fuerint, solvant, in elucidatam doctrinam proprias et alienas difficultates dissolvant: quibus absolutis, SCOTI librum assumant, declaratum textum legant, ponderent, et veluti construendo explanent studentibus, qui tunc temporis in propriis SCOTI libris eumdem textum aspicient. Provinciales Ministri destinabunt Lectorem illum qui maiorem propensionem praesetulerit ad memoratam SCOTI textus explanationem. Deputati Lectores qui renuerint, et Provinciales Ministri qui ipsos destinare neglexerint, sint ipso facto irremisibiliter suis officiis privati (1).

55. — An. 1639 in Capitulo Gli Romano, approbante speciali modo Urbano VIII, decisum est, ut Statuta Cismontanae Familiae, per eiusdem Patres revisa, reformarentur et ad normam Apostolicarum Constitutionum strictius reducerentur (2); quod quidem iam in Capitulo Gli Romano an. 1625, approbante eodem Urbano VIII, decisum fuerat (3), tertioque mandatum est a Capitulo Toletano 1658, confirmante Alexandro VII (4). — Quibus praescriptionibus inhaerens Rmus P. Michael Angelus a Sambuca, Minister Generalis, *Constitutiones et Statuta generalia Cismontanae Familiae* in unum

(1) *Chronol.* tom. I. pag. 696 sqq.

(2) *Chronol. Historico Leg.....* continens.... ab an. 1633 usque ad an. 1718. — Venet. MDCCXVIII, pag. 13.

(3) Ib. tom. I. pag. 676.

(4) Ib. Venetiis MDCCXVIII, pag. 83.

colligere curavit et Sacrae Congregationis Episc. et Regular. examini atque approbationi subiecit; quae S. Congregatio, die XVIII Aug. 1662, " Eminentissimis Carpineo, Franciotto et Brancaccio referentibus, praeinsertam Constitutionum recollectionem approbandam et confirmandam esse censuit, prout approbavit et confirmavit, ac dari typis et ab omnibus, ad quos spectat, seu spectabit in futurum, inviolabiliter observari mandavit „. — Quae Constitutiones sic habent:

" Lectores S. Theologiae, non discedendo a methodo praescripta a f. m. Clemente VIII, legent theologicas materias iuxta methodum modernorum ad aures SUBTILIS MAGISTRI, vel dictando illas discipulis scribentibus, vel explicando Cursum theologicum ex recentiori Magistro in Schola nostra versatiori.

" Lectores Logicae et Philosophiae spatio trium annorum doceant quae ad Theologiam audiendam necessaria existimabunt; et ab illis auctoribus eruditionem hauriant, quos ad doctrinam SCOTI aptiores esse iudicaverint.

" Lectores vero Theologiae, quatuor annorum circulo, quatuor Libros Sententiarum SCOTI interpretari conentur (1) „.

56. — **An.** 1653 d. XX Iun. S. Congr. Episc. et Regul. approbavit et ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum inviolabiliter observare iussit *Statuta Generalia* edita in Capitulo Generalissimo celebrato Romae die 27 Maii 1651, praesidente Emo D. D. Francisco Episcopo Sabinensi, Cardinali Barberino, S. R. C. Vice-Cancellario, Protectore nostro, a SS. D. N. Innocentio X specialiter delegato... Quibus in Statutis praescribitur pro familia Cismontana:

" Lectores Artium docebunt deinceps vel per scripturam dictandam et scribendam a discipulis, vel per librum impressum assumendum ex provatioribus doctoribus, qui ad mentem SCOTI scripserunt Cursum moderniorem.

" Lectores vero Sacrae Theologiae, non discedendo a methodo praescripta a s. memoriae Clemente VIII, legent theologicas materias iuxta methodum modernorum ad aures SUBTILIS MAGISTRI, vel dictando illas discipulis scribentibus, vel explicando Cursum theologicum ex recentiori Magistro in Schola nostra versatiori „.

57. — **An.** 1642 d. XXII Dec. Urbanus VIII, per Breve *Alias,* Constitutiones Gles. per primarios totius Reformae Patres ad hoc specialiter deputatos collectas pro Reformatis Cismontanae Familiae Provinciis in Congregatione Gli Romana an. 1642, approbat, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicit; in quibus Constitutionibus sequentia praecipiuntur:

" Siano obligati i Lettori di Teologia nello spazio di quattro anni di leggere tutte le materie quali si contengono nelli quattro Libri delle Sentenze di SCOTO, non leggendo totalmente la lettera, ma cavando da essa la dottrina, la quale potranno accompagnare con

(1) Ib. ad calcem, pag. 25.

quella di S. Bonaventura ed altri approvati Scolastici, servendosi sopra tutto de Santi Padri e Concilii.

" Li Lettori poi di Logica e Filosofia siano tenuti in termine di tre anni finire il corso incominciato, cavandoli da buoni Filosofi et ordinandoli alla dottrina di SCOTO a voce, o in scritto.

" Chi de suddetti Lettori mancherà a quanto si è ordinato, o notabilmente lascierà le sue lezioni, sia privo della Lettura dal P. Ministro, o vero dal P. Generale, se sarà istituito da esso (1) „.

58. — An. 1654 d. VI Iunii, sub praesidentia Emi D. Card. Franc. Barberini Ordinis Protectore, ex delegatione speciali Innocentii X, habita est Romae Congr. Glis., in qua, inter alia, " renovatur Statutum ut in unoquoque Studio sacrae Theologiae antiquior Lector legat textum SCOTI ad litteram, sine scriptis, tam in studiis Observantium quam Reformatorum „.

" Confirmamus suprascripta Decreta, eaque mandamus ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter observari. -- L. ✠ S. Fr. Cardinalis Barberinus Protector — Agapitus Colortius Secretarius (2) „.

59. — An. 1729 d. II Maii Benedictus XIII, per Breve *Ad Pastoralis dignitatis,* auctoritate Apostolica confirmavit Constitutiones in Capitulo Gli Romae, sub praesidentia Innocentii XIII an. 1723 celebrato, editas, ab Emis Corsino Ordinis Protectore et Cozza O. F. M. Cardinalibus revisas atque in meliorem formam redactas, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecit. Quae quidem Constitutiones habent:

" Lecto libello supplici R. P. Fr. Hieronymi a Mortefortino, super *Summa theologica* SUBTILIS DOCTORIS nostri ab eodem iuxta Summam Doctoris Angelici concinnata, statuitur ut imprimatur primus Tomus expensis Religionis (1) „.

60. — An. 1757 d. XII Sept. Benedictus XIV *Elenchum Tractatuum et Quaestionum, quas in nostris Scholis singulis quadrienniis, iuxta mentem* SUBTILISSIMI DOCTORIS IOANNIS DUNS SCOTI, *Rmus P. Clemens a Panormo Minister Generalis omnibus Sacrae Theologiae Lectoribus Generalibus mandat peragendas pro recta atque ordinata in universo Ordine nostrorum Studentium institutione* „ magnopere probavit, eumdemque Ministrum Glem hortandum censuit, ut opportunis quibusque rationibus, utendo facultatibus sibi competentibus, cum consilio Discretorii Generalis, saluberrimum opus urgeat et prosequatur. . . . . . Contrariis quibuscumque non obstantibus (2) „.

61. — An. 1758 d. XV Aprilis idem Benedictus XIV, Brevi *Iniuncti Nobis,* confirmavit et approbavit, adiecto inviolabilis apostolicae auctoritatis robore, Decretum Generale Definitorii Glis Ord. FF. Min. Cap.

(1) *Chronol.* Venet. MDCCXVIII pag. 39-40.
(2) Ib. p. 77.

(1) Huiusce ingentis laboris ac magni momenti *Summae* nova editio Romae facta est 1901-1903, curantibus PP. Cypriano Paolini, Provinciae Corsicae, et Mariano Fernández, Provinciae S. Iacobi, qui et eodem tempore ibidem ediderunt P. Claudii Frassen praeclarum Opus *Scotus Academicus* iuxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas.
(2) *Chronol.* tom. IV, pag. 278.

De Studiis ordinate et fructuose peragendis, quo praescribitur:

" In tradendo Philosophiam non sequatur quilibet P. Lector genium suum, neque sensum recentiorum Philosophorum, sed, uti nostrae Constitutiones hortantur, sententiam S. Bonaventurae, aut defideficientibus libris de illa tractantibus, sententiam SCOTI in toto Ordine Minorum acceptatam, vel huic magis conformem doceat ".

62. — **An.** 1823 d. X Ian. Pius VII, per Breve *Non raro in humanis*, confirmavit Constitutiones *Urbanianas* Ord. Min. Conv., Urbano VIII an. 1628 approbatas, uti supra [n. 53] retulimus.

63. — **An.** 1827 Rmus P. Ioannes a Capistrano Minister Generalis Constitutiones *Capistranas* pro Familia Cismontana publicavit, in Epistola iisdem praemissa inquiens: " Ut iisdem roboris cuiusvis culmen accederet, ab Apostolica Sede approbationem et postulavimus et obtinuimus ". — Quae porro Constitutiones habent:

" Praecipimus Lectoribus universis, ut in legendi munere DOCTOREM SUBTILEM ducem sibi statuant et Magistrum, et ad eius mentem omnino doceant ".

64. — **An.** 1858 Sacra Congreg. Episcop. et Regul., ex Audientia Smi habita die 1 Oct., approbavit et confirmavit *Statuta Generalia totius Ordinis Minorum pro Studiis regendis*, quae ad n. 308 ita habent:

" Lectorum nemini fas sit alios adoptare ac explanare Auctores, nisi quos cum suo Definitorio assignaverit Minister Generalis. Auctorum vero doctrina in rebus praesertim theologicis vigeat semper ad DOCTORIS SUBTILIS ac D. Bonaventurae mentem accommodata ".

65. — **An.** 1897 d. 15 Maii S. Congr. Episc. et Regul., de auctoritate Leonis XIII, novissimas *Constitutiones Gles* Ord. Fratrum Minorum approbavit, et ut " ab omnibus Religiosis viris ipsius inclyti amplissimique Ordinis Fratrum Minorum indiscriminatim accepto habeantur, ubique retineantur, perpetuoque serventur " praecepit et mandavit. — Ipsemet vero Leo XIII in sua Constitutione " Felicitate quadam " d. 4 Oct. 1897, iubet praefatas Constitutiones " summa fide constantiaque ab omnibus ubique servari ".

Quae quidem Constitutiones ad art. 245 Lectoribus praecipiunt, ut " in doctrinis philosophicis et theologicis antiquae Scholae Franciscanae inhaerere studeant "; quem art. in vigore semper manere declaravit eadem S. Congr. per Litteras d. 19 Sept. 1899. In eo autem DOCTORIS SUBTILIS mentem tueri ac sequi sententias praecipi, docet *Commentarius in Constitutiones Gles* in periodico officiali *Acta Ord. Fratr. Minor.* (1), de mandato Rmi P. Ministri Glis editus.

66. — Tandem SS. D. N. Pius Pp. X haud semel SCOTI doctrinam commendavit: ex. gr. in Litteris Rmo P. Dionysio Schuler Ministro Gli d. 11 April. 1904 datis: " Novimus in tuo Ordine, una cum amore nobilium Magistrorum, qui Franciscanam Scholam medio maxime aevo illustrarunt, doctrinarum stu-

(1) Cfr. An. XXV, pag. 217.

dia, ad rationem viamque exacta quam requirunt tempora, dudum reviviscere in spem dignitatis pristinae coepisse ... Omnino istum studiorum optimum cultum in Minoritica familia incalescentem, Nos et ornandum laude, et hortatione acuendum etiam putamus „.

Dum opus nostrum *Mentis in Deum quotidiana elevatio, duce B. Ioanne Duns Scoto Doctore Subtili ac Mariano,* Summo Pontifici ausi sumus offerre per Emum ac Rmum D. Cardinalem a Secretis Status, idem Emmus nobis rescribere dignatus est die 19 Iun. 1908:

“ Illud aperire Paternitati Tuae gaudeo, Sanctitatem Suam opere tuo valde esse delectatam, ideo praesertim quod et dexteritate concinnatum et ad comparandam ecclesiasticae iuventuti utilitatem idoneum repererit. Quamobrem dum plurimas tibi de obsequio gratias persolvit, vota libenter Sanctitas Sua concipit, ut qui librum sunt perlecturi profectum spiritus hauriant ingentem: testemque animi Sui Apostolicam tibi Benedictionem amanter impertit „.

67. — **Scoti doctrina catholica.** — Deducitur ex dictis, germanam Scoti doctrinam catholicae fidei bonisque moribus omni ex parte consonam esse; secus enim unquam S. Sedes tollerasset, multoque minus commendasset ac praecepisset, ut in scholis publice doceretur, neque S. Congregatio, Summi Pontificis iussu, an. 1610, declarasset, immunem esse a censuris doctrinam Scoti, edixissetque ne quis librorum censor prohibere typis auderet quod certo constaret ex Scoto depromptum esse (1).

68. — **Erroribus universis adversa.** — Sed imo erroribus universis debellandis seraphicam Scoti doctrinam aptissimam semper fuisse, negabit nemo qui Ecclesiae historiam tantisper delibaverit, quae suorum discipulorum bene ordinata agmina ubique monstrat, ad Dei et Ecclesiae iura ad sanguinis usque effusionem defendenda, veritatis evangelicae ossores e civitate sancta terrestri Ierusalem exterrefaciendos. Nullum haereseon genus a Scoti sectatoribus non impetitum, nullum oecumenicum Concilium, in quo Scotistae magnas non habuerint partes.

69. — **Efficax praesertim contra omnes modernos errores.** — Dum autem inimicorum Crucis Christi, postrema hac aetate, numerus admodum ferocior evasit “ qui artibus omnino novis astuque plenis vitalem Ecclesiae vim elidere ipsumque, si queunt, Christi regnum evertere funditus nituntur (2) „, non minore pollet Scoti doctrina efficacia hodiernis confutandis exitialibus erroribus, quorum origo ex eo potissimum petenda est, quod nostri aevi homines, fucosa inflati scientia, verique luminis pharum in colle Vaticano collucentem aspicere detrectantes, circumferuntur *omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* (3), extollentes se adversus scientiam Dei (4), ita ut in templo Dei co-

(1) Hurter S. I. *Nomenclator Litterarius* vol. IV. pag. 367.

(2) Encycl. *Pascendi.*

(3) Ad Ephes. c. IV. v. 14.

(4) Ad Corinth. II. c. X. v. 5.

nentur sedere, ostendentes se esse Deos (1); vel donum Dei nescientes, fiunt sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus (2); tutamque semitam medii inter procellas tenebrarum gradi non valentes, vim humanae mentis pluris aequo faciunt, vel ignominiose deprimunt: *tum* dicentes " quod nulla est cognitio supernaturalis homini necessaria pro isto statu, sed quod omnem notitiam sibi necessariam posset acquirire ex actione causarum naturalium „ (3): *tum* contendentes nullam certam veritatem, absque speciali quadam supernaturali illustratione, posse adipisci: *tum* affirmantes nihil certitudinaliter ab homine sciri posse: *tum* denique praetendentes, Deum esse primum cognitum naturaliter, primumque et adaequatum mentis humanae obiectum. — Quibus in assertionibus, a Doctore Subtili invicte profligatis, facile quis introspiciet *rationalistarum* et *ontologorum* stultas praetensiones, sicuti et *scepticorum* atque *traditionalistarum* caecas aberrationes.

70. — **Scotus contra rationalismum.** — Vix ulla est Doctoris Subtilis Operum pagina in qua *rationalistarum* sententiae non oppugnentur, iustis adsignatis humanae rationi limitibus, eidemque explicatis occultis, quae Deus manifestare nobis dignatus est, veritatibus (4). Ex professo vero rationalistarum adserta ad trutinam revocat in quaestione I sui ad Magistri Sententiarum Prologum commentarii *Oxoniensis*, quae tota

(1) Ad Thesal. II. c. XI. v. 4.
(2) Psalm. XXXI. v. 9.
(3) Scot. *Oxon.* Prol. q. 1. n. 3.
(4) Ps. L. v. 8.

quanta est in impugnandis Philosophis, qui " tenent perfectionem naturae, et negant perfectionem supernaturalem „, et in propugnanda doctrina Theologorum, qui " cognoscunt defectum naturae et necessitatem gratiae et perfectionum supernaturalium „. — Omni argumentorum genere (1), ratione et auctoritate, probat ibi Scotus, plures esse veritates homini necessarias, et humano intellectui ex sua naturali vi impervias, quarum " notitiam est necesse nobis supernaturaliter tradi. Haec autem prima traditio talis doctrinae dicitur *revelatio,* quae ideo est *supernaturalis,* quia est ab agente quod non est naturaliter motivum intellectus nostri pro statu isto. Aliter posset dici *supernaturalis,* quia est ab agente supplente vicem obiecti supernaturalis (2) „.

Imo " illa etiam quae possunt demonstrari, utile est communitati tradi per viam auctoritatis: et propter negligentiam communitatis in inquirendo veritatem, et propter errores inquirentium per demonstrationem, quia veritatibus suis multa falsa permiscent, ut dicit Augustinus, *XVIII. de Civ. Dei:* et ideo quia simplices sequentes tales demonstrationes bene possent dubitare, cui esset assentiendum, ideo tuta est via et facilis et communis auctoritas certa, quae non potest fallere, nec falli (3) „.

" Ex his apparet quantae sint gratiae referendae misericordiae Crea-

(1) Quod et recognovit Emus Card. Gonzalez O. P. *Historia de la Filosofia,* tom. II. pag. 303.
(2) *Oxon.* Prol. q. 1. n. 21-22.
(3) Ib. 1. d. 2. q. 3. n. 7.

toris, qui nos per fidem certissimos reddidit in his quae pertinent ad finem nostrum et ad perpetuitatem sempiternam, ad quae ingeniosissimi et eruditissimi quasi nihil poterant attingere, iuxta illud August. *XIII. De Trinit.* c. 9, in principio: quod *vix pauci, magno praediti ingenio, vacantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animae immortalitatem pervenire potuerunt.* Sed si fides adsit, quae est in eis quibus dedit Iesus filios Dei fieri, nulla quaestio est, quia Ipse suos credentes in hoc certissimos reddidit (1) „.

71. — **S. Scripturae, iuxta Scotum, praecellentia et veracitas.** — Demonstrato quod " homini pro statu isto sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam non possit attingere lumine naturali intellectus (2) „, Sacrae Scripturae, in qua potissimum huiusmodi continetur doctrina, praecellentiam et infallibilem veracitatem luculenter evincit Doctor Marianus, tam in II quaest. Prologi quam in q. VI. *Miscell.*, et alibi. Paucis potiora accipe:

a) " Sacra Scriptura est quaedam notitia divinitus data ad dirigendum homines ad finem supernaturalem (3) „. — " Scriptura sacra proprie dicitur illa cuius auctoritas tanta est, quod praecellit omnem demonstrationem, de qua dicit Augustinus *II. super Genes. ad litter.*, cap. 9: *Maior est huius Scripturae auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas.* Talis autem est Scriptura quae *canonica* a Sanctis nominatur; *canon* enim *regula* dicitur, ut quidquid in ea teneatur, indiscusse teneatur, et quidquid sibi repugnet, ut falsum repudietur. Sic igitur Sacra Scriptura, per quam aliquid probari potest ut per regulam infallibilem, est novum Testamentum et vetus (1) „.

b) " Notitia quam habet aliquis de his quae traduntur in Canone Bibliae non est tradita per modum *scientiae demonstrativae,* mendicando scilicet notitiam illam ab aliquibus principiis, ex quibus demonstrative concluditur. Quod expresse patet per Augustinum, *XVIII. De Civitate Dei,* cap. 41, ubi, loquens de traditis in Scriptura, dicit, quod illa commendata sunt nobis divinis eloquiis, *quamvis per homines, non argumentorum concertationibus inculcata, ut non hominis ingenium, sed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognosceret,* scilicet quae tradita sunt in Scriptura. Habet igitur habitum de sic traditis quo *immediate assentit omnibus et singulis,* et non uni propter aliud, de his quae traduntur in Scriptura; quinimo si aliqua ibi probarentur ex aliis, non assentiret eis *quia sic probata,* sed cuilibet dicto in Canone assentit, non quia probatur modo dicto, sed *solum propter auctoritatem Dei,* ratione cuius assentit immediate omnibus traditis in Scriptura (2) „. " In cre-

(1) Ib. IV. d. 43. q. 2. n. 33.
(2) *Oxon.* tit. quaest. 1 Prolog.
(3) *Miscell.* q. 6. n. 18.

(1) *Ib.* n. 3, ubi hoc demonstrat contra Manichaeos, « qui totum vetus Testamentum ab hac auctoritate repellere voluerunt, dicentes quod a Deo malo vel diabolo fuerit datum » (Ib.).
(2) *Oxon.* III. d. 24. n. 14., ubi hanc doctrinam difusius explicat et probat.

ditis non assentitur propter evidentiam crediti, sed propter veritatem revelantis; et illa est eadem respectu primorum articulorum, et respectu aliorum explicatorum ex illis (1) „.

c) Quod autem Sacrae Scripturae *Deum habeant auctorem, decem* viis seu argumentis et *motivis credibilitatis* demonstrat DOCTOR MARIANUS, “ quae sunt: praenuntiatio prophetica, Scripturarum concordia, auctoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorum errorum, Ecclesiae stabilitas, miraculorum claritas, testimonium eorum qui foris sunt „, et “ quod Deus non deest quaerentibus toto corde salutem (2) „.

d) Porro si Sacra Scriptura, ut probatum est, Deum habet auctorem, consequens est, quod “ nullus Apostolus vel Propheta, inquantum scriptor alicuius partis Scripturae, aliquo modo erravit, quia secundum Augustinum, in *Ep. ad Hieronym.* et ponitur in Canone dist. 9, *si ad Scripturas divinas admissum fuerit aliquod mendacium, quantumcumque parvum seu officiosum, nihil remanet in ea solidae veritatis, qua convincatur adversarius. Quidquid enim contra ipsum allegatum fuerit, respondebit, illud mendaciter esse dictum, iocose vel officiose, ut est illud aliud quod conceditur ita esse dictum.* Unde dicit ibidem Augustinus: *His solis libris scriptorum qui Canonici nominantur hanc didici ferre reverentiam, quod nullum eorum in scribendo errasse firmissime teneam* (1) „. “ Unde habenti fidem, quod Deus inspiravit totam sacram Scripturam, et quod ipse est veritas infallibilis, certius debet esse quidquid ab ipso in Scriptura est revelatum, quam illud ad quod quicumque intellectus potest naturali lumine attingere (2) „. “ Credibilia * namque * eo sunt Catholicis certiora, quo non intellectui nostro caecutienti et in pluribus vacillanti, sed tuae, * Deus *, solidissimae veritati firmiter innituntur (3) „.

(1) *Oxon.* III. d. 35.

(2) *Oxon.* Prol. q. 2. nn. 3 et 13, ubi enunciata argumenta late exponit.

72. — **Ecclesiae, iuxta Scotum, auctoritas relate ad S. Scripturam.** — “ Qui „ vero “ libri habendi sunt in Canone Bibliae, determinavit Ecclesia „, cuius “ auctoritas maxima est, quia dicit Augustinus, in *libello contra Epistolam Fundamenti: Evangelio non crederem, nisi Ecclesiae Catholicae crederem* (4) „. “ Patet igitur per eum, quod libris Canonis sacri non est credendum, nisi quia primo credendum est Ecclesiae approbanti et auctorizanti libros istos et contenta in eis. Quamvis aliqui libri auctoritatem habeant ex auctoribus suis, non tamen adhaeremus eis firmiter, nisi quia creditur Ecclesiae approbanti et testificanti veraces esse eorum auctores (5) „. “ Igitur irrationabile est aliquid Canonis recipere et aliquid non, cum Ecclesia Catholica, cui credendo, Canonem recipio, recipiat totum aequaliter (6) „.

(1) *Oxon.* IV. d. 3. q. 4. n. 14. — *Report.* ib. — *Oxon.* ib. d. 33. q. 3. n. 4. — *Miscell.* q. 6. n. 3.

(2) *Oxon.* IV. d. 14. q. 3. n. 5.

(3) *De Primo Princ.* c. 4. n. 37 (nostrae edition. n. 87).

(4) *Oxon.* I. d. 5. q. 1. n. 8. et alibi passim.

(5) Ib. III. d. 23. n. 4.

(6) Ib. Prol. q. 2. n. 8.

Scripturae autem " eo spiritu expositae sunt quo conditae, et ita Ecclesia Catholica eo Spiritu exposuit quo tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta „, et " intellectum a Deo traditum Ecclesia explicavit, directa in hoc Spiritu veritatis (1) „.

73. — **Traditionis catholicae, iuxta Scotum, excellentia et necessitas.** — Quamvis " Sacra Scriptura sufficienter *continet* doctrinam necessariam viatori (2) „, " multae * tamen * veritates necessariae non *exprimuntur* in Scriptura, etsi ibi virtualiter contineantur sicut conclusiones in principiis (3) „. — Aliquid insuper " est de iure divino positivo promulgato a Christo Apostolis, sed Ecclesiae promulgato per Apostolos absque omni scriptura; sicut multa tenet Ecclesia oretenus per Apostolos sibi promulgata sine Scriptura; cuius fundamentum est illud Ioannis XX (4): *Multa quidem et alia signa fecit Iesus,* etc. (5) „. — " Christum descendisse ad inferos non docetur in Evangelio, et tamen tenendum est sicut articulus fidei, quia ponitur in Symbolo Apostolorum. Ita multa alia de Sacramentis Ecclesiae non sunt expressa in Evangelio, et tamen Ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab Apostolis; et periculosum esset errare circa illa quae non tantum ab Apostolis descendunt per scripta, sed etiam quae per consuetudinem universalis Ecclesiae tenenda sunt. Nec Christus in Evangelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem Sacramentorum; dixit enim Discipulis suis in Ioanne (1): *Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus Veritatis docebit vos omnem veritatem.* Multa igitur docuit eos Spiritus Sanctus, quae non sunt scripta in Evangelio; et illa multa quaedam per Scripturam, quaedam per consuetudinem tradiderunt. Similiter diversa symbola diversis temporibus sunt edita contra diversas haereses de novo orientes; quia quando insurgebat nova haeresis, necessarium erat declarare veritatem contra quam erat illa haeresis; quae veritas etsi prius erat de fide * (contenta in deposito fidei) *, non tamen erat prius tantum declarata sicut tunc contra errorem illorum qui eam negabant (2) „.

74. — **Ecclesiae auctoritas, iuxta Scotum, maxima.** — " Alia sunt quae nec necessario sunt explicite credenda ab istis * (Maioribus in Ecclesia) *, nec ab illis * (simplicibus fidelibus) *, quia non adhuc illorum veritas est declarata et determinata per Ecclesiam: cuiusmodi sunt multae conclusiones necessario inclusae in articulis creditis; sed antequam sunt per Ecclesiam declaratae et explicatae, non oportet quemcumque eas credere; oportet tamen circa eas sobrie opinari, ut scilicet homo sit paratus eas tenere pro tempore pro quo veritas fuerit

(1) Ib. IV. d. 11. q. 3. n. 15.
(2) Ib. Prol. q. 2. n. 14.
(3) Ib. n. 15.
(4) v. 25.
(5) *Oxon.* IV. d. 17. n. 17. — *Report.* ib. n. 20.

(1) Cap. XVI. v. 12.
(2) *Oxon.* I. d. 11. q. 1. n. 5. — Ib. IV. d. 7. q. 1. n. 3. — d. 8. q. 1. n. 6.

declarata (1) „. — “ Nec valet argumentum negativum, si nec Dionysius, nec Damascenus, ergo nullus; sufficit enim auctoritas Ecclesiae, quia Augustinus, *De Moribus Manichaeorum: Evangelio non crederem, nisi crederem Ecclesiae* (2) „.

“ Et hoc * (panis conversionem in Corpus Christi) * principaliter teneo propter auctoritatem Ecclesiae, quae non errat in his quae sunt fidei vel morum, cuius Vicario primo dixit Christus: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (3) „.

75. — **Summi Pontificis, iuxta Scotum, auctoritas summa.** — De Summi vero Pontificis auctoritatis amplitudine ait: “ Christus suum Vicarium, quantum ad ista duo, quod erat Dominus mundi et Praelatus ecclesiasticus, ordinavit Petrum, cui succedit quantum ad utrumque Dominus Papa (4) „. “ Quia entia nolunt male disponi, unum oportet ponere principalem, qui super omnes et de omnibus curam et potestatem habeat universalem et totalem; et hunc dicimus Vicarium Christi, super totum mundum potentiam habentem et ordinationem (5) „. “ Dominus Papa Christi Vicarius est, non solum inquantum fit Ecclesiae Praelatus, sed inquantum totius mundi Dominus, et Papae ut sic nullus est aequalis, nec similis (6) „.

(1) *Oxon.* IV. d. 5. q. 1. n. 6. — *Report.* ib. q. 3. n. 5.
(2) *Oxon.* ib. d. 6. q. 9. n. 17.
(3) *Report.* IV. d. 11. q. 3. n. 13.
(4) De *Perfectione Stat.* n. 7.
(5) Ib. n. 14.
(6) Ib. n. 46.

76. — **Qualiter fideles, iuxta Scotum, Ecclesiae docenti credere debent.** — De omnimoda simplicium fidelium adhaesione auctoritati Ecclesiae docentis sic habet Doctor Marianus: “ Aliqua sunt quae communiter praedicantur in Ecclesia, et talia sunt necessaria simplici * fideli * ad credendum explicite. Sed si sit aliquid credendum, quod tamen non praedicatur communiter in Ecclesia, sed si praedicatur specialiter in uno loco de novo, non est necessarium simplici credere illud adhaerendo illi *firmiter* tamquam vero, imo necessarium est magis illi non adhaerere * firmiter * quousque sciat illud credi ab Ecclesia tamquam verum; et cum hoc sibi constiterit, tenetur illi firmiter adhaerere. Quia quilibet simplex tenetur cavere non solum omnem errorem contrarium articulis numeratis, sed etiam omne quod est contrarium veritati Scripturae, scilicet Canonis Bibliae, quia non posset aliquis pertinaciter adharere contrario alicuius veritatis in Biblia, quin iudicaretur haereticus (1) „.

77. — **Quod Scotus in Ecclesiam obsequium verbo docuit exemplo monstravit.** — Huic catholicae ac prudentissimae doctrinae sese conformans Subtilis Doctor, raro admodum proprias sententias *assertive* proponit, sed verbis solet uti *opinionem* reapse significantibus, ut *videtur, salva reverentia,* etc. Exemplum sit suae de Immaculata B. V. M. Conceptione doctrinae propositio: discussis argumentis pro et contra facientibus, adductis ra-

(1) *Oxon.* III. d. 25. q. 1. n. 8.

tionibus quamque bene dispositam mentem convincentibus, propositisque tribus fieri possibilibus, ita sententiam suam exprimit: " Quod autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit: si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariae (1) „.

78. — **Scotus contra Traditionalismum.** — *Traditionalismi* quasi germen reputanda est sententia tenens, nullam veritatem certam et sinceram cognosci posse naturaliter ab intellectu viatoris absque speciali illustratione lucis increatae; cui sententiae Scotus opponit illud S. Pauli *ad Romanos* (2): *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur* (3), examinatisque et discussis huius opinionis argumentis, needum probat " veritatem infallibilem, absque scilicet dubitatione et deceptione, posse haberi ex puris naturalibus (4) „, absque ulla speciali illustratione, verum etiam ostendit, sic opinantium rationes concludere potius " impossibilitatem certae cognitionis naturalis, omnem incertitudinem, et ita opinionem Academicorum (5) „, seu

79. — **(Scotus contra Scepticismum).** — Scepticismum, quem proinde reiiciendum ex professo ibidem suscipit Subtilis Doctor: " Ut in nullis cognoscibilibus locum habeat error Academicorum, videndum est, qualiter de tribus cognoscibilibus, scilicet, de principiis per se notis et de conclusionibus, de cognitis per experientiam, et de actibus nostris possit naturaliter haberi certitudo infallibilis (1) „. De quibus omnibus posse nos habere naturaliter certitudinem infallibilem luculenter ostendit Doctor noster.

80. — **Contra Ontologos** multa habet Scotus tam in libro *De Anima*, q. 21, quam in *Oxoniensi* I d. 3. qq. 2 et 3, necnon et alibi passim. Quaerit enim q. 2. cit. *Oxoniens.*: *Utrum Deus sit primum cognitum naturaliter pro statu isto?* Praemissa opportuna terminorum distinctione et explicatione, sequentia statuit, exponit et demonstrat puncta:

I. — Loquendo de ordine *originis* vel secundum generationem cognitionis:

a) " Primum *actualiter* cognitum *confuse* est species specialissima, cuius singulare efficacius et fortius movet sensum (2) „. " Via *generationis*, vel acquirendo scientiam, prius apprehendimus quidditatem sensibilium, quia pro statu naturae lapsae nihil intelligimus nisi cum ministerio sensuum (3) „.

b) " De cognitione *actuali distincte* conceptorum est e converso, quia primum sic conceptum est communissimum, et quae sunt propinquiora sibi sunt priora, et quae sunt remotiora posteriora sunt (4) „.

c) " Sed comparando totum ordinem *confuse* concipiendi ad totum

(1) *Oxon.* III. d. 3. q. 1. n. 10.
(2) Cap. I. v. 20.
(3) *Oxon* I. d. 3. q. 4. n. 2.
(4) Ib. n. 16.
(5) Ib. n. 5.

(1) Ib. n. 7.
(2) *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 22. — III. d. 23. n. 19.
(3) *De Anima* q. 19. n. 5.
(4) *Oxon.* ib. n. 24.

ordinem *distincte* concipiendi, quis prior est? Dico, quod totus ordo confuse concipiendi prior est, et ideo primum in illo ordine est simpliciter primum „ cognitum (1).

d) " Quantum ad notitiam *habitualem* (2) vel *virtualem* (3) dico, quod communiora sunt prius nota via *originis* vel *generationis* (4) „.

II. — " Loquendo de ordine *perfectionis,*

a) de ordine perfectionis *simpliciter* dico, quod perfectissimum cognoscibile a nobis, etiam naturaliter, est Deus, et post ipsum species specialissima perfectior in universo, et deinde species proxima illi, et sic usque ad ultimam speciem; et post omnes species specialissimas genus proximum abstrahibile a specie perfectissima, et sic semper resolvendo.

" Et ratio omnium istorum est, quia attingere *actualius** (perfectius)* obiectum est intellectio *perfectior simpliciter;* quia habet *aequalem* perfectionem ex parte *intellectus* cum quacumque alia intellectione, vel non minorem, et habet perfectionem *multo maiorem* ex parte *obiecti:* quae duo, scilicet perfectio *potentiae* et perfectio *obiecti.* sunt causa perfectissimae cognitionis sive intellectionis.

b) " Si loquamur de notitia perfectiore *secundum proportionem* ad cognoscibile, dico, quod perfectiora sensibilia et sensus efficacius moventia sunt perfectius cognoscibilia *secundum proportionem;* quia intellectus noster plus attingit ad illa secundum gradus cognoscibilitatis eorum; et quae sunt remotiora ab illis sunt minus cognoscibilia secundum proportionem suae cognoscibilitatis (1) „.

" Ergo Deus, qui est a sensibus remotissimus, non est primo cognitus * (primitate *originis*) * ab intellectu nostro (2) „.

Quaestione 3 citata quaerit Doctor: *Utrum Deus sit obiectum naturale adaequatum intellectus viatoris?* Et respondit:

" Est opinio quae ponit, Deum esse primum obiectum intellectus.... Contra istam opinionem arguitur sic: *a)* primum obiectum naturale alicuius potentiae habet naturalem ordinem ad illam potentiam: Deus non habet naturalem ordinem ad intellectum nostrum sub ratione motivi (3) „.

b) " Praeterea, certum est, quod Deus non habet primitatem adaequationis propter *communitatem**(contra Pantheistas) *, ita quod dicatur de omni obiecto per se intelligibili a nobis; ergo si aliquam habet primitatem adaequationis, hoc erit propter *virtualitatem,* quia scilicet virtualiter continet omnia in se per se intelligibilia: sed propter hoc

(1) *Oxon.* ibi n. 26.

(2) « *Habitualem* notitiam voco quando obiectum sic est praesens intellectui in ratione *intelligibilis* actu, ut intellectus statim possit habere actum elicitum circa illud obiectum ». — *Oxon.* ib. n. 28.

(3) « Voco *virtualem* quando aliquid intelligitur in aliquo ut *pars* intellecti primi, non autem ut primum intellectum, sive ut *totale* terminans intellectionem: sicut cum intelligitur *homo* intelligitur *animal* in homine ut pars intellecti ». — *Ib.*

(4) *Oxon.* ib. n. 28.

(1) *Oxon.* ib. n. 29.

(2) *Ib.* n. 1.

(3) *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 5. — *De Anima,* q. 21. n. 5.

non erit obiectum primum adaequatum intellectui nostro, quia alia entia movent intellectum nostrum propria virtute, ita quod essentia divina non movet intellectum nostrum primo ad se, secundo ad omnia alia congnoscibilia cognoscenda (1) „. " Quia aut hoc esset secundum conceptum *simplicem* et *quidditativum,* aut secundum conceptum *abstractum a creaturis.* Non primo modo, quia ille conceptus est essentiae divinae ut *intuitivus,* et talis conceptus beatificat, quod non convenit viatoribus. Nec secundo modo, quia prius occurrit intellectui conceptus eorum a quibus fit abstractio quam eius quod abstrahitur (2) „.

81. — **Scotus contra Modernismum.** — Supernaturalis revelationis necessitate demonstrata (n. 70), infallibilique et omnimoda Sacrarum Scripturarum veracitate ex motivis credibilitatis deducta (n. 71), ostensa catholicae traditionis existentia (n. 73), Ecclesiae ac Summo ipsius Capiti summa, tam relate ad S. Scripturam quam in genere, vindicata auctoritate et supremo magisterio (nn. 72, 74 et 75), refutatis rationalismo (n. 70), traditionalismo (n. 78) et Scepticismo (n. 79), iure eversa a Scoto dixeris potiora Modernistarum fundamenta, qui, iuxta sapientissimas aeque ac providentissimas SS. DD. NN. Pii Pp. X Encyclicas Litteras *Pascendi,* motiva credibilitatis et externam revelationem " penitus e medio tollunt „, " traditionis vero vim et naturam callidissime pervertere elaborant, ut illius monumentum ac pondus elidant „, " disciplinis ipsi suis sic animo sunt comparati, ut dominationem omnem spernant nullaque recipiant frena „, " dispicientiam magisterii ecclesiastici omnimodis ostentant „, rationalistam et catholicum promiscue agunt „, ac demum " Philosophiae religiosae fundamentum in doctrina illa ponunt, quam vulgo *agnosticismum* vocant „. " Quare nec ad Deum se erigere potis est (humana ratio), nec illius existentiam, utut per ea quae videntur agnoscere „.

Quocirca Scoti doctrinam paucis accipe:

a) Quamvis " non cognoscatur Deus naturaliter a viatore in particulari et *proprie,* hoc est sub ratione huius essentiae ut haec et *in se* (1) „, tamen *b)* " non tantum potest haberi conceptus naturaliter in quo *quasi per accidens* concipiatur Deus, puta in aliquo attributo, sed etiam aliquis conceptus in quo *per se* et quidditative concipiatur Deus (2) „.

"Omnis *autem* inquisitio metaphysica de Deo procedit sic: scilicet, considerando formalem rationem alicuius et auferendo ab illa ratione formali imperfectionem quam habet in creaturis, et reservando illam rationem formalem, et attribuendo sibi omnino summam perfectionem, et sic attribuendo illud Deo (3) „.

d) " Ad multos conceptus proprios de Deo possumus pervenire,

---

(1) *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 5.
(2) *De Anima,* ib.

(1) *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 16.
(2) Ib. n. 5.
(3) Ib. n. 10.

qui non conveniunt creaturis: cuiusmodi sunt conceptus omnium perfectionum simpliciter in summo; et perfectissimus conceptus, in quo quasi in quadam descriptione perfectissime cognoscimus Deum, est concipiendo omnes perfectiones simpliciter et in summo; tamen conceptus perfectior et simplicior nobis possibilis est conceptus *entis simpliciter infiniti;* iste enim simplicior * est * quam conceptus *entis boni,* vel *entis veri,* vel aliquorum similium, quia *infinitum* non est *quasi attributum* vel passio entis sive eius de quo dicitur, sed dicit *modum intrinsecum* illius entitatis, ita quod cum dico *ens infinitum,* non habeo conceptum *quasi per accidens* ex *subiecto* et *passione,* sed conceptum *per se* subiecti in certo gradu perfectionis, scilicet *infinitatis* (1) „.

e) " Ista quae cognoscuntur de Deo cognoscuntur per species creaturarum (2) „.

His de cognoscibilitate *divinae naturae* late expositis, de *existentia* Dei asserit Subtilis, eam non posse a nobis *a priori* demonstrari, bene vero *a posteriori* ex creaturis. " Tria principaliter ostendam: *primo,* quod aliquid est in effectu inter entia quod est simpliciter primum secundum *efficientiam:* et aliquid est simpliciter primum secundum rationem *finis:* et aliquid est simpliciter primum secundum *eminentiam.* — *Secundo* principaliter ostendam, quod illud quod est primum secundum unam rationem primitatis, idem est primum secundum alias primitates.

(1) Ib. n. 17.
(2) Ib. n. 18.

— *Tertio* ostendam, quod ista triplex primitas *uni soli naturae* convenit, ita quod non pluribus naturis differentibus specie vel quidditative (1) „. Quae omnia latissime demonstrat. — Dein ostendit, " quod Primum Efficiens est intelligens et volens (2) „, " quod eius intellectio et volitio non est aliud ab essentia eius (3) „, quod " intellectus Primi intelligit semper et distincto actu * (distincte) * et necessario quodcumque intelligibile prius naturaliter quam illud sit in se (4) „. — " Ostensis his praeambulis „, arguit " *infinitatem* quatuor viis: *a)* quia ipsum est primum efficiens omnium: *b)* quia est efficiens cognoscens omnia factibilia: *c)* tertio ostenditur infinitas per viam finis: *d)* quarto per viam *eminentiae* (5) „, ex qua " potest colorari illa ratio Anselmi de *summo cogitabili* (6) „, quam ibi explicat Doctor.

Dum itaque Ontologorum stultas reiicit Scotus praetensiones (n. 80), tantum abest ut Scepticorum aut Traditionalistarum in abyssi tenebras incidat, Modernistarumve *agnosticismo* quidquam faveat, quin potius rationi humanae, in Dei cognoscenda *natura,* plus quam alii Scholastici virtutis tribuit, eiusque *existentiam* multiplici ac singulariter ingenioso argumentorum genere demonstrat.

Nec minoris efficaciae Doctoris Mariani doctrina est ad alia Moder-

(1) *Oxon.* I. d. 2. q. 2. 10-11.
(2) Ib. n. 20.
(3) Ib. n. 22.
(4) Ib. n. 24.
(5) Ib. n. 25.
(6) Ib. n. 32.

nistarum deliramenta diluenda; imo affirmare audemus, omnes tam Decreto *Lamentabili* quam Encyclica *Pascendi*, aliisve S. Sedis Decretis proscriptas propositiones, respui facile contradictoriis ad singulas ex Scoto desumptis adsertis.

82. — **Conclusio.** — Facili negotio plura alia Scoti doctrinae capita possent adferri, quibus omnes nostri aevi errores profligantur; praemissa vero sufficere arbitramur ad convincendum quemque recte sapientem, Doctoris Subtilis doctrinam hodie, non minus quam anteactis saeculis, aptissimam esse catholicae tuendae veritati. Quanta vero iniuria sui quondam disciipuli Gullielmi Ocham aberrationes fuerint ipsi imputatae, iudicabit quisque, si utriusque conferat doctrinam, quam toto coelo diversam certe perspiciet, et sequentia historica testimonia a non Franciscalibus prolata perpendat: " Okam Scoti magni sui praeceptoris acerrimus oppugnator (1); " Ochamum fuisse discipulum Scoti, sed acerrimum impugnatorem dictorum ac scriptorum eius (2) ", " discessit a doctrina Scoti, factus eius acerrimus antagonista (3) ", " Scoti discipulus, deinde vero in dogmatibus impugnator acerrimus (4) ", " implacabilis Scoti adversarius (5) ". Similia apud Scriptores passim invenies.

(1) Ciccaonio, O. Praed. *Vitae Summor. Pontif.*
(2) Spondano, Ep. Apamiens.: *Annal. Eccl.*
(3) Crombach S. I. *Annal. Eccles. et Civil-Metr. Ubior. Colon.*
(4) Campasso, *Historia Philos.* — Hurter S. I. *Nomenclator.* etc.
(5) Jourdain, *Philosophie de S. Thomas d'Aquine.* — Vallet, *Histoire de la Philosophie.*

Neque iure reprehendi potest Scotus, eo quod a S. Thoma in aliquibus opinabilibus discesserit; liberum namque cuique erat, fide salva et communibus Scholasticae principiis, quae rationabiliora sibi videbantur amplecti, uti omnes magni nominis Scholastici fecerunt, quorum aliqui longe acrius ac Scotus in S. Thomam insurrexerunt; ipse vero " numquam suam sententiam protulit in aliorum iniuriam, vel depressionem (1) ", " neque ex invidia, sed bona aemulatione percitus (2) "; " qui autem sine irreverentia vel contemptu divi Thomae doctrinam deserit, et aliam sequitur, etiam oppositam, nullam censuram meretur, sed unusquisque in suo sensu potest abundare, sicut Scotus in multis divi Thomae doctrinam impugnavit, sed hoc cum magna modestia et nulla irreverentia (3) ", uti ipsemet, Seraphicus aeque ac Subtilis, faciendum esse docuit: " In eligendo vel fugiendo opinionem non debet homo duci amore vel odio opinantis, sed potius ipsa veritate; et ideo amare utrosque oportet, scilicet tam eos quorum opinionem sequimur, quam eos quorum opinionem fugimus, quia utrique iuvant ad inquisitionem veritatis, et ideo iustum est dicere: *gratias* (4) ".

Inhaerentes Urbani VIII aliisque S. Sedis decretis, declaramus humanam dumtaxat fidem mereri,

(1) Possevinus.
(2) Th. Campanella O. Praed.
(3) Ioan. a S. Thoma O. Praed.
(4) *Exposit. in Metaph. Arist.* l. XII. S. 2. c. 4. n. 56.

eamque pro testium maiori minorive veracitate, quaecumque de miraculis aliisque supernaturalibus donis, titulis *Beati, Sancti,* etc. praemissis in paginis retulimus.

Omnia insuper hucusque a nobis scripta, vitaque durante scribenda, humiliter et sincere subiicimus iudicio S. Romanae Ecclesiae, cuius semper subditi esse volumus, et eiusdem pedibus subiecti, stabilesque in Fide catholica, uti Legifer noster S. Franciscus " vir catholicus „ verbo et exemplo nos docuit ac praecipiendo iussit (1), et Magister noster Doctor Subtilis ac Marianus fideliter seraphiceque adimplevit: *ut Deus, Domini nostri Iesu Christi Pater gloriae, det* nobis *spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis* nostri, *ut* sciamus *quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae haereditatis eius in Sanctis* (1), omnibusque ostendere valeamus " illam benedictam coniunctionem Christi et Ecclesiae; quae coniunctio nunc est per fidem et aliqualem dilectionem; sed in Patria erit per visionem et perfectam fruitionem Sponsae non habentis maculam, neque rugam, ad Sponsum speciosum prae filiis hominum: Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen (2) „.

(1) Regulae cap. XII.

(1) *Ephes.* c. I. vv. 17-18.
(2) Scot. *Oxon.* IV. d. 42. n. 12.

HUIUSCE LEXICI RATIO

Scrutabitur mille Praeceptor
Acer atque SUBTILIS origines nominum.
QUINTILL. l. I. c. 4.

" *Qui virtutem nominum ignorant facile paralogizant.* I. Elench. c. 1. (1) ", *et* " *aequivocatio nominum multoties decipit* (2) ", *nam* " *contingit eadem voce multa distincta aliqualiter importari* (3) ", *et* " *unum nomen potest esse impositum ad significandum multas relationes et alias formas* (4) ". — *E contra* " *eidem quandoque imponuntur multa nomina secundum multas proprietates* (5). — *Ideo* " *ante omnem quaestionem de aliquo oportet istam praecognitionem habere,* quid *scilicet* dicitur per nomen (6) ". — *Quae quidem praecognitio ope* Lexici *facilius acquiritur, si rerum praesertim vocabulis significatarum natura et proprietates quaerantur, uti in Lexicis philosophico-theologicis fieri consuevit, quae idcirco magnae studiosis esse utilitatis nemo non videt, imo et ad Scholasticorum sermonis peculiarem addipiscendam virtutem quasi necessaria merito dixeris.*

Ideo dum, Leone XIII agente, Scholasticae instaurandae doctissimi quique manus admoverunt, inter alia pene innumera in hunc finem edita Opera, in Lexicis *philosophico-theologicis edendis quidam quoque incubuere, uti cl. Nuntius Signoriello Canonicus Neapolitanus, Cornoldi S. I., qui* Distinctiones et Axiomata *P. Georgii Reeb nostro aptavit aevo, Antonius Ma a Vicetia et Ioannes a Rubino O. F. M., quibus debemus* Lexicon Bonaventurianum.

Deerat vero suum DOCTORI SUBTILI *huius generis* Lexicon: *quod propterea iamdiu adornandum aggressi fueramus, quodque hodie tandem rei scholasticae studiosis offerimus, id in primis declarantes, omnia in hoc Opere contenta* verbotenus *ex Doctoris nostri editis Operibus fuisse desumpta, citatis semper locis, quae quisque, amplioris explicationis gratia, consulere poterit, nihil de nostro addentes nisi quaedam raro verba * ante et post distincta.*

---

(1) SCOT. *Miscell.* q. 5. 16.
(2) Id. *Oxon.* III. d. 22. n. 14.
(3) Id. *Quodlib.* q. 12. n. 7.
(4) *Report.* I. d. 24. n. 28.
(5) *Oxon.* I. d. 22. q. 2. n. 9.
(6) Ib. II. d. 37. q. 2. n. 3.

Tribus in partibus dispertiendum Opus duximus, in quarum

I[a] Grammaticam Speculativam *seu tractatum* SCOTI De Modis significandi *praemittimus: in* II[a] terminos, definitiones et distinctiones explicamus: *in* III[a] *vero* Axiomata et generaliores quaedam propositiones *exponuntur.*

Superest ut perdilectis in Domino quondam Compostellae discipulis, aliisque Confratribus, qui fraterna charitate et in Doctorem Subtilem amore acti, duro transcribendi labori validum praestarunt auxilium, plurimas hic gratiarum referamus actiones, eosque divinae largitati ex animo commendatos habeamus, ut, intercedente B. IOANNE DUNS SCOTO, *copiosam ipsis largiatur benefacientibus repromissionem!*

Romae, e Collegio S. Antonii Patavini, die VIII Nov., felicissimi nostri DOCTORIS SUBTILIS *transitus anniversaria,* 1909.

FR. MARIANUS FERNANDEZ GARCIA, O. F. M.

LEXICON SCHOLASTICUM

PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM

PARS PRIMA

TRACTATUS

DE MODIS SIGNIFICANDI SIVE GRAMMATICA SPECULATIVA

PROOEMIUM AUCTORIS (1).

1. **Methodi ratio.** — Quoniam *quidem intelligere et scire contingit in omni scientia ex cognitione principiorum,* ut scribitur I. *Physicorum* text. Comment. 1, (2) nos ergo, volentes habere scientiae Grammaticae notitiam, circa omnia eius principia, cuiusmodi sunt *Modi significandi,* per se primo oportet insistere. Sed antequam eorum inquiratur notitia in *speciali,* praemittenda sunt quaedam in *generali,* sine quibus plenarius ipsorum intellectus haberi non potest.

2. **Notanda sex praemittuntur.** — Quorum unum et *primum* est, quomodo Modus significandi partiatur, et describatur. *Secundum* est, a quo Modus significandi radicaliter oriatur. *Tertium* est, a quo Modus significandi immediate sumatur. *Quartum* est, quomodo Modus *significandi* a modo *intelligendi* et a modo *essendi* distinguatur. *Quintum* est, in quo Modus significandi tanquam in subiecto inveniatur. *Sextum* est, qualem ordinem habeant ad invicem isti termini, *Signum, Dictio, Pars orationis, et Terminus* (3).

(1) Praetermissa numeratione edition. Lugdunensis et Parisiensis, universum hunc Tractatum sub unica numerorum serie exhibemus, utpote congruentius locis *Grammaticae* inveniendis in *Effatis* et *Distinctionibus* notandis.

(2) Vid. Distinctiones, v. *Scientia-Scire.*

(3) Quae omnia primis sex complectuntur capitulis.

CAPUT I.

Quomodo Modus significandi dividatur et describatur.

3. **Modus significandi duo importat.** — **Modus significandi activus et passivus.** — Circa *primum* est sciendum, quod Modus significandi duo importat aequivoce. Dicitur enim de modo significandi activo et passivo. *Modus significandi activus* est modus, sive proprietas vocis, ab intellectu sibi concessa, mediante qua, vox proprietatem rei significat. — *Modus significandi passivus* est modus, sive proprietas rei, prout est per vocem significata. Et quia significare et consignificare est quodammodo (1) agere, et significari et consignificari est quodammodo (2) pati, inde est, quod modus vel proprietas vocis, mediante qua vox proprietatem rei active significat, modus significandi *activus* nominatur; modus vero, vel proprietas rei, prout per voces passive significatur, Modus significandi *passivus* nuncupatur.

4. **Intellectus duplicem rationem voci tribuit.** — Iuxta quod notandum, quod cum intellectus vocem ad significandum, et consignificandum imponit, duplicem ei rationem tribuit, scilicet, rationem significandi, quae vocatur *significatio,* per quam efficitur si-

(1) Al. *quoddam.*

(2) Al. *quoddam.*

gnum, vel significans; et sic formaliter est *dictio;* et rationem consignificandi, quae vocatur *Modus significandi activus,* per quam vox significans fit consignum, vel consignificans; et sic formaliter est *pars orationis;* ita quod pars est pars *secundum se* per hanc rationem consignificandi, seu modum significandi activum, tanquam per principium formale; sed est pars *relata ad aliam* per eamdem rationem consignificandi activam, tanquam per principium efficiens intrinsecum.

5. Ex hoc patet, quod rationes consignificandi active, seu modi significandi activi, *per se et primo* ad Grammaticam pertinent, tanquam principia considerata in Grammatica. Sed rationes consignificandi passivae, seu modi significandi passivi, ad Grammaticam non pertinent, nisi *per accidens,* quia non sunt principium partis orationis, nec formale, nec efficiens, cum sint rerum proprietates, nisi quantum ad illud, quod est formale in eis, cum in hoc etiam forte a modis significandi activis non discrepent, ut infra patebit.

Caput II.

A quo Modus significandi radicaliter oriatur.

6. **Omnis modus significandi activus est ab aliqua rei proprietate.** — Circa *secundum* notandum, quod cum huiusmodi rationes, sive modi significandi activi non sint figmenta, oportet omnem modum significandi *activum* ab aliqua rei proprietate radicaliter oriri. Quod sic patet; quia cum intellectus vocem ad significandum sub aliquo modo significandi activo imponit, ad ipsam rei proprietatem aspicit, a qua modum significandi activum originaliter trahit; quia intellectus cum sit virtus passiva, de se indeterminata, ad actum determinatum non vadit, nisi aliunde determinetur. Unde cum imponit vocem ad significandum sub determinato modo significandi activo, a determinata rei proprietate necessario movetur; ergo cuilibet modo significandi activo correspondet aliqua proprietas rei, seu modus essendi rei.

7. **Objectio 1ª.** — Sed contra hoc obiicitur: quia haec vox significativa, scilicet *deitas,* habet foemininum genus, quod est modus significandi passivus; tamen in re significata sibi proprietas non correspondet, quia est proprietas patientis, a quo sumitur foemininum genus.

Obj. 2ª — Item privationes et figmenta sub nullis proprietatibus cadunt, cum non sint entia; et tamen voces significativae privationum et figmentorum modos significandi activos habent, ut *caecitas, chimaera,* et similia.

8. **Solutio ad 1am** — Dicendum, quod non oportet, quod semper modus significandi activus dictionis trahatur a proprietate rei illius dictionis, cuius est modus significandi; sed potest accipi a proprietate rei alterius dictionis, et rei illius dictionis tribui, et sufficit quod ipsi non repugnet; et quia Substantias separatas non intelligimus, nisi ex istis sensibilibus, ideo sub proprietatibus sensibilium eis nomina imponimus, et nominibus eorum modos significandi activos attribuimus. Unde licet in Deo, secundum veritatem, non sit proprietas passiva, tamen imaginamur ipsum tanquam patientem a nostris precibus.

Sol. ad 2am — Similiter *privationes* intelligimus ex suis habitibus; sub proprietatibus habituum eis nomina imponimus, et nominibus eorum modos significandi activos attribuimus. Similiter in nominibus *figmentorum* sumuntur modi significandi activi ex proprietatibus partium, ex quibus imaginamur *chimaeram* componi, quam imaginamur *ex capite Leonis, cauda Draconis;* et sic de aliis.

9. **Instantia.** — Et si instetur: si modi significandi activi, in nominibus privationum, sumuntur a modis essendi habituum, tunc nomina essendi habitus, et non privationis designabunt; et hoc posito, nomina privationum per suos modos significandi activos erunt consignificative falsa.

Solutio. — Dicendum, quod non est verum; imo nomina privationum per suos modos significandi activos designant circa privationes modos intelligendi privationum, qui sunt eorum modi essendi. Iuxta quod scien-

dum, quod licet privationes non sint entia positiva *extra animam*, sunt tamen entia positiva *in anima*, ut patet *IV. Met. text. 9*, et sunt entia secundum animam; et quia eorum *intelligi* est eorum *esse*, ideo eorum modi intelligendi erunt eorum modi essendi (1). Unde nomina privationum, per suos modos significandi activos, non erunt consignificativa falsa, quia cum modi intelligendi privationum reducantur ad modos intelligendi habitus (nam privatio non cognoscitur nisi per habitum), ideo modi essendi privationum tandem ad modos essendi habitus reducuntur.

Caput III.

A quo Modus significandi immediate sumatur.

10. **Modus significandi et intelligendi duplex.** — Circa *tertium* notandum, quod modi significandi activi immediate a modis intelligendi passivis sumuntur. Iuxta quod sciendum est, quod, sicut duplex est modus *significandi*, scilicet *activus* et *passivus*, ita duplex est modus *intelligendi*, scilicet *activus* et *passivus*. *Modus intelligendi activus* est *ratio concipiendi, qua mediante, intellectus rei proprietates significat, concipit vel apprehendit.* — *Modus* autem *intelligendi passivus* est *proprietas rei, prout ab intellectu apprehensa.*

11. **A quibus proprietatibus sumantur Modi significandi activi.** — Dicatur ergo, quod modi *significandi* activi sumuntur immediate a modis *intelligendi* passivis; quia modi significandi activi non sumuntur a modis essendi, nisi ut hi modi essendi ab intellectu apprehenduntur: modi autem essendi, prout ab intellectu apprehensi, dicuntur modi intelligendi passivi; ergo modi significandi activi sumuntur a modis essendi, mediantibus modis intelligendi passivis; et ideo immediate modi significandi activi a modis intelligendi passivis sumuntur (2).

---

(1) Vid. Distinct. v. *Privatio*, etc. — Effata: *Privationes distinguuntur*, etc.

(2) Vid. Doct. *Opus prim. super I. Periherm.* q. 2. — *Praedic.* q. 3, n. 4. et alibi.

Caput IV.

Quomodo Modus significandi a modo intelligendi et a modo essendi distinguatur.

12. **In quo conveniant et in quo differant Modus essendi, intelligendi passivus et significandi passivus.** — Circa *quartum*, notandum, quod modi *essendi*, et modi *intelligendi* passivi, et modi *significandi* passivi, sunt idem *materialiter* et *realiter*, sed differunt *formaliter;* quia modus essendi est rei proprietas *absolute;* modus intelligendi passivus est ipsa proprietas rei, prout *ab intellectu apprehensa;* modus significandi passivus est eiusdem rei proprietas, prout *per vocem significatur*. Et sunt eadem materialiter et realiter, quia quod dicit modus essendi absolute, dicit modus intelligendi passivus, prout refertur ad intellectum; et quod dicit modus intelligendi passivus, dicit modus significandi passivus, prout refertur ad vocem; ergo sunt eadem materialiter. — Sed differunt *formaliter;* quod sic patet: quia qui dicit modum essendi, dicit proprietatem rei absolute, sive sub ratione existentiae (1); sed qui dicit modum intelligendi passivum, dicit eamdem rei proprietatem, ut materiale, et rationem intelligendi, sive concipiendi, ut formale; sed qui dicit modum significandi passivum, dicit eamdem rei proprietatem ut materiale, et dicit rationem consignificandi, ut formale. Et cum *alia* sit ratio *essendi*, alia *intelligendi*, alia *significandi*, differunt secundum *formales rationes*.

Conveniunt autem realiter; nam modus essendi dicit absolute proprietatem rei; et modus intelligendi passivus dicit proprietatem rei sub modo intelligendi; et modus significandi passivus dicit proprietatem rei sub ratione consignificandi. Sed *eadem* est proprietas rei, ut absolute accipitur, et sub modo intelligendi, et sub modo consignificandi.

13. **In quo differant Modi essendi, intelligendi activus et significandi activus.** — Item sciendum, quod modus *essendi*, et modus *intelligendi activus*, et modus *significandi*

---

(1) Alias *essentiae*.

activus differunt *formaliter* et *materialiter;* quia modus essendi dicit proprietatem *rei* absolute, sive sub ratione existentiae [*essentiae?*], ut dictum est supra; sed modus intelligendi activus dicit proprietatem *intellectus,* quae est ratio intelligendi, sive concipiendi; modus significandi activus dicit proprietatem *vocis,* quae est ratio consignificandi: sed alia est proprietas rei ad extra animam, et alia intellectus, et alia vocis; ita alia est ratio essendi, alia intelligendi, alia consignificandi; ergo modus essendi et modus intelligendi et modus significandi activus differunt in utroque.

14. **In quo differant et in quo conveniant Modi intelligendi activus et passivus.** — Item sciendum, quod modus intelligendi *activus,* et modus intelligendi *passivus* differunt *materialiter,* et conveniunt *formaliter.* Nam modus intelligendi passivus dicit rei proprietatem sub ratione intelligendi *passiva;* sed modus intelligendi activus dicit proprietatem intellectus, quae est ratio intelligendi *activa:* sed eadem est ratio intelligendi, per quam intellectus proprietatem rei intelligit active, et per quam rei proprietas intelligitur passive; ergo proprietates sunt diversae, et ratio est eadem; ergo *materialiter* differunt, et sunt *formaliter* idem.

15. **In quo differant et in quo conveniant Modi significandi activus et passivus.** — Item sciendum, quod modus significandi *activus* et *passivus* differunt *materialiter,* et sunt idem *formaliter;* quia modus significandi passivus dicit proprietatem rei sub ratione consignificandi *passiva;* sed modus significandi activus dicit proprietatem vocis, quae est ratio consignificandi *activa:* sed eadem est ratio, per quam vox est significans active, et per quam proprietas rei significatur passive; ergo *materialiter* sunt differentes, sed sunt idem *formaliter.*

Caput V.

In quo Modus significandi tanquam in subiecto inveniatur.

16. **In quo inveniatur Modus significandi passivus.** — Circa *quintum* est notandum, quod modus significandi *passivus materialiter* est in re, ut in subiecto; quia materialiter est proprietas rei; rei autem proprietas est in eo, cuius est, ut in subiecto. *Formaliter* autem est in eo subiecto, in quo est modus significandi activus, quia formaliter a modo significandi activo non discrepat (1).

17. **In quo inveniatur Modus significandi activus.** — Modus autem significandi *activus,* cum sit proprietas vocis significativae, *materialiter* est in voce significativa, ut in subiecto; in proprietate autem rei sicut causatum in causa efficienti radicali et *remota;* et in intellectu sicut causatum in causa efficienti *proxima;* et in constructione, ut causa efficiens in suo effectu proprio.

Caput VI.

Qualem ordinem habeant ad invicem isti termini: Signum, Dictio, Pars orationis et Terminus.

18. **Signum, dictio, pars orationis, terminus.** — Circa dicta est notandum, quod *signum, dictio, pars orationis et terminus* conveniunt, et differunt. Conveniunt enim *in subiecto,* et *in obiecto;* quia in eodem subiecto reperiri possunt, sicut signum et signatum. Differunt tamen penes *rationes;* quia dicitur *signum* per rationem signandi, vel repraesentandi aliquid *absolute;* sed dicitur *dictio* formaliter per rationem signandi *voci superadditam,* quia *dictio* est vox significativa; sed *pars orationis* formaliter est per modum significandi activum, dictioni superadditum, quia *pars orationis* est dictio, ut habet modum significandi activum. *Terminus* vero dicit rationem terminandi resolutiones Syllogismi, quia Dialecticus resolvit Syllogismum in Propositiones, et Propositiones in Subiectum et Praedicatum, quae dicuntur *termini* secundum Logicum (2).

19. **Vox.** — Item sciendum est, quod *vox,* inquantum *vox,* non consideratur a Grammatico, sed in quantum *signum,* quia

---

(1) Vid. n. 15.

(2) Vid. Distinct. v. *Propositio-Syllogismus-Terminus.*

Grammatica est *de signis rerum;* et quia *vox* est habilissimum signum inter alia signa, ideo *vox* inquantum *signum* prius consideratur a Grammatico, quam alia signa rerum. Sed quia esse signum accidit voci, ideo Grammaticus considerans vocem, considerat eam *per accidens* (1).

Caput VII.

De Modis significandi activis in speciali.

20. **Modus essentialis — accidentalis.** — His visis, dicendum est de modis significandi *activis* in *speciali.* Iuxta quod notandum est, quod modus significandi *activus,* qui est principium in Grammatica, dividitur in modum significandi *essentialem* et *accidentalem.* Modus significandi *essentialis* est, *per quem pars orationis habet simpliciter esse, vel secundum genus, vel secundum speciem.* — Modus significandi *accidentalis* est, *qui advenit parti post eius esse completum, non dans esse simpliciter parti, nec secundum genus, nec secundum speciem.*

21. **Modi essentialis subdivisio.** — Modus significandi essentialis subdividitur in modum significandi essentialem *generalissimum, subalternum,* et *specialissimum.* Modus significandi essentialis *generalissimus* est, *qui est de essentia partis orationis et cuiuslibet suppositi sub se contenti.* — Modus significandi essentialis *specialissimus* est, *qui est de essentia quorumdam suppositorum illius partis.* — Modus significandi essentialis *subalternus* est, *qui est de essentia suppositorum illius partis, nec generalissime, nec specialissime, sed medio modo se habens.*

Et possumus imaginari in istis modis significandi essentialibus coordinationem similem coordinationi praedicamentali. Nam sicut in linea praedicamentali est dare genus *generalissimum,* cuius praedicatio generalissime se extendit ad omnia, quae sunt illius coordinationis; et *specialissimum,* cuius praedicatio specialissime se extendit ad res illius coordinationis; et *subalternum,* cuius praedicatio medio modo se habet; sic est in istis modis significandi essentialibus (1). Est enim dare quemdam modum *generalissimum,* cuius natura generalissime participatur ab omnibus suppositis illius partis; et modum *specialissimum,* cuius natura specialissime et parcissime participatur a suppositis illius partis; et quemdam *subalternum,* cuius natura medio modo participatur.

(1) Vid. Distinct. v. *Vox.*

22. **Modi significandi accidentales, absolutus et respectivus.** — Item modus significandi *accidentalis* dividitur in modum significandi accidentalem *absolutum* et *respectivum.* Modus significandi accidentalis *absolutus* dicitur ille, *per quem unum constructibile non habet respectum ad alterum, sed solum ad rei proprietatem.* — Modus significandi accidentalis *respectivus* est, *per quem unum constructibile habet respectum non solum ad rei proprietatem, sed etiam per quem unum constructibile habet respectum ad alterum;* et hoc dupliciter: vel tanquam ad ipsum *dependens,* vel tanquam ad eius dependentiam *terminans.*

De his ergo modis omnibus videamus; et *primo* prout sunt principium formale partis orationis *absolute,* secundum quem modum pertinent ad Etymologiam: *deinde* prout sunt principium intrinsecum *constructionis unius partis cum alia,* secundum quem pertinent ad Diasyntheticam.

Determinantes autem de his prout sunt forma partis, *primo* videamus de modo significandi *Nominis,* secundo de modo significandi *Pronominis;* et sic de caeteris secundum ordinem Donati (2).

Caput VIII.

De Modo significandi essentiali generalissimo Nominis.

23. **Modus significandi essentialis generalissimus Nominis.** — Modus significandi *essentialis generalissimus Nominis* est modus significandi per modum *entis,* et *deter-*

(1) Vid. Distinct. v. *Genus-Praedicamenta,* etc.

(2) De quibus agitur usque ad cap. XLIV.

minatae apprehensionis. Iuxta quod notandum est, quod licet uterque istorum modorum significandi sit forma Nominis absolute sumpti, tamen comparando Nomen ad alias partes orationis, modus *entis* habet rationem materiae, quae est facere *convenire*, facit enim Nomen convenire cum Pronomine; sed modus *determinatae apprehensionis* habet rationem formae, quia facit Nomen ab aliis partibus orationis *differre;* et ideo copulando hos modos significandi ad invicem, ex utroque unus resultat modus per viam compositionis.

24. **Modus entis — Modus esse.** — Et ut sciamus, a qua rei proprietate iste modus significandi sumatur, notandum est, quod in rebus invenimus quasdam proprietates communissimas, sive modos essendi communissimos, scilicet *modum entis*, et *modum esse. Modus entis* est modus habitus et permanentis, rei inhaerens, ex hoc quod habet *esse. Modus esse* est modus fluxus et successionis, rei inhaerens, ex hoc quod habet *fieri.*

Tunc dico, quod modus significandi activus per modum *entis,* qui est modus generalissimus Nominis, trahitur a modo essendi entis, qui est modus *habitus* et *permanentis.* Sed modus significandi activus per modum *esse,* qui est modus essentialis generalissimus Verbi, trahitur a modo essendi ipsius esse, qui est modus *fluxus* et *successionis* (1), ut postea patebit (2).

Ad hanc intentionem Commentator *IV. Phys. cap. 14,* dicit quod duo sunt modi principaliter entium, scilicet *modus entis,* et *modus esse,* a quibus sumpserunt Grammatici duas partes orationis principales, scilicet *Nomen* et *Verbum.* Sub Nomine comprehenditur Pronomen, sub Verbo Participium.

Item modus *determinatae apprehensionis* accipitur a proprietate formae, et qualitatis, quae est proprietas *determinantis,* quoniam forma determinat et distinguit.

25. **Nomen.** — Hos modos significandi expresserunt Grammatici antiqui in definitione Nominis, cum dixerunt, Nomen *significare substantiam cum qualitate,* dantes intelligere per *significare substantiam,* modum substantiae, qui est modus *entis* sumptus a proprietate rei, quae est proprietas habitus et permanentis, quae primo et principaliter in substantia reperitur (1); per *qualitatem* vero, modum qualitatis, qui est modus *determinatae apprehensionis,* sumptus a proprietate formae et qualitatis, qui est modus determinationis (2). *Nomen* ergo est *pars orationis significans per modum entis, vel determinatae apprehensionis.*

26. **Obiectio.** — Et si dicat aliquis: multa sunt nomina, quae privationes significant, ut *nihil, caecitas,* et huiusmodi; cum ergo omnes privationes et negationes non sint entia, videtur quod sub proprietate stare non possint, et ideo modus significandi activus per modum entis in talibus a proprietate rei significatae oriri non potest.

Solutio. — Dicendum, ut dictum est prius (3), quod licet privationes et negationes non sint entia positiva extra animam posita; sunt tamen entia positiva secundum animam, ut patet ex intentione Philosophi *IV Met. text. 9,* ubi dicit quod *opiniones contradictoriorum sunt contrariae,* hoc est, duo contradictoria extra animam sunt duo contraria secundum animam; et quia privationes et negationes et figmenta sunt entia secundum animam, ideo cadunt sub proprietate entis, quae est proprietas habitus et permanentis; a qua proprietate trahitur modus significandi generalissimus Nominis.

Caput IX.

De Modis significandi essentialibus subalternis generalibus Nominis.

27. — Sub hoc autem modo essentiali *generalissimo* Nominis ad modos significandi *subalternos* descendamus. Sunt autem duo modi significandi, qui immediate sub hoc modo continentur, scilicet modus *communis,* et modus *appropriati;* qui sunt modi speciales respectu generalissimi, et sunt

---

(1) Vid. Distinct. v. *Ens nomen-participium-Verbum.*

(2) Cap. XXV.

(1) Vid. Distinct. v. *Substantia.*

(2) Vid. ib. v. *Qualitas.*

(3) Num. 8.

generales respectu aliorum modorum, de quibus postea determinabitur.

28. **Modus significandi per modum communis.** — Modus significandi per modum *communis* sumitur a proprietate rei, quae est proprietas *divisibilis in plura supposita*, vel communicabilis pluribus suppositis, a qua proprietate, secundum Logicum, sumitur intentio *universalis* (1); et hic modus constituit Nomen *commune* et *appellativum*; et hunc modum vocat Donatus *appellativam qualitatem*. Nomen ergo *commune* vel *appellativum* significat *per modum communicabilis pluribus suppositis*, ut *urbs, flumen* etc.

29. **Modus significandi per modum appropriati.** — Modus significandi per modum *appropriati* sumitur a proprietate rei, quae est proprietas *indivisibilis per plura supposita*, a quo etiam sumitur apud Logicum intentio *individuationis* (2); et hic modus facit Nomen *proprium*; et hunc modum Donatus vocat *propriam qualitatem*. Nomen ergo *proprium* significat rem *per modum indivisibilis per plura supposita, ut sub proprietatibus individuationis, quae sunt esse in loco determinato, vel in tempore determinato*, ut *hic, nunc, Romae, Bononiae* (3).

Caput X.

De Modis significandi subalternis minus generalibus Nominis communis.

30. Deinde, sub his modis descendamus ad alios modos significandi subalternos *minus generales* istis; et primo sub modo significandi per modum *communis*; secundo sub modo significandi per modum *appropriati*.

31. **Modus per se stantis.** — Circa primum notandum, quod modus significandi per modum *communis* habet duos modos sub se, qui sunt minus generales eo, scilicet modum *per se stantis*, et modum *adiacentis*. Modus significandi per modum *per se stantis* sumitur a proprietate rei, quae est proprietas *essentiae determinatae*. Sicut enim modus significandi *generalissimus* Nominis sumitur a proprietate essentiae *absolutaé*, sic modus significandi per modum *per se stantis* sumitur a proprietate ipsius essentiae *determinatae*; et hic modus constituit Nomen *substantivum*. Nomen ergo *substantivum* significat *per modum determinati secundum essentiam*, ut *albedo, lapis*, etc.

32. **Modus adiacentis.** — Modus significandi per modum *adiacentis* sumitur a proprietate rei, quae est proprietas *alteri adhaerentis secundum esse*. Sicut enim modus *generalissimus Verbi* sumitur a proprietate ipsius esse *absolute*, ut postea patebit (1), sic modus *adiacentis* in Nomine sumitur a proprietate ipsius esse *inhaerentis alteri* secundum esse; et hic modus constituit Nomen *adiectivum*. Nomen ergo *adiectivum* significat *per modum inhaerentis alteri secundum esse*, ut *albus, lapideus*, etc. (2).

33. **Obiectio.** — Et si instetur: nomina differentiarum in genere substantiae, sicut *corporeum*, et *animatum, sensibile, rationale, adiectiva* quidem sunt, congrue enim substantivis adiunguntur, dicendo *corpus animatum, animal rationale*; et tamen non significant per modum *inhaerentis* alteri secundum esse, quia significant substantiam, quae secundum esse alteri non inhaeret.

Solutio. — Dicendum, quod huiusmodi nomina sunt *substantiva*, quia significant substantiam. Et probatur; nam idem significat *rationale* quod *homo*, et *animatum* quod *animal*. — Et cum dicitur, quod congrue cum substantivis coniunguntur, dicendo *animal rationale, corpus animatum*; dicendum, quod ibi est constructio appositoria, et est incongrua de se; tamen per appositionem admissiva, hoc est, propter specificationem specificandam.

Caput XI.

De Modis specialissimis, qui continentur sub modo « per se stantis ».

34. **Quinque modi significandi per se stantis.** — Ulterius, sub modo *per se stantis*,

(1) Vid. Distinct. v. *Universale*, etc.
(2) Vid. ib. v. *Individualio - Individuum*, etc.
(3) Vid. ib. v. *Nomen proprium*.

(1) Cap. XXV.
(2) Vid. Distinct. v. *Adjectivum*.

et *alteri adiacentis*, ad modos *specialissimos* descendamus; et primo sub modo *per se stantis*, et deinde sub modo *adiacentis*.

Modus significandi per modum *per se stantis* continet sub se quinque modos Nominis specialissimos.

Primus. — Quorum *primus* est modus significandi per modum *generalis*, sumptus a proprietate rei communicabilis pluribus *specie differentibus*; sicut enim a proprietate rei, quae est communicabilis pluribus *absolute*, sumitur modus significandi per modum *communis absolute*, sic ab eadem proprietate strictius sumpta, scilicet a proprietate *communicabili pluribus specie differentibus*, sumitur modus *generalis*. Ab hac autem proprietate apud Logicum sumitur secunda intentio *generis* (1); et sic iste modus constituit Nomen substantivum *generale*, ut *animal*, *color*, et sic de aliis generibus. Nomen ergo substantivum *generale* est, *quod significat per modum communicabilis pluribus, non solum numero, sed specie differentibus*.

Secundus. — *Secundus* modus *per se stantis* est modus significandi per modum *specificabilis*, sumptus a proprietate rei, quo est proprietas communicabilis pluribus, non *absolute*, sed solum *numero differentibus*.

Tertius. — *Tertius* modus *per se stantis* est modus significandi per modum *dedescendentis ab altero*, ut ab avo, vel a patre; et hic modus constituit nomen substantivum *patronymicum*, ut *Priamides*. Et quia nomen patronymicum a propriis nominibus patrum vel avorum derivatur, ideo merito *patronymicum* nomen nuncupatur. Nomen ergo *patronymicum* est, *quod a propriis nominibus patrum vel avorum derivatur, significans per modum descendentis ab altero*, ut *a patre vel avo*.

Quartus. — *Quartus* modus *per se stantis* est modus significandi per modum *diminuti ab alio*, sumptus a proprietate diminutionis in re; et hic modus constituit Nomen substantivum *diminutivum*, ut *flosculus, lapillus*. Nomen ergo substantivum *diminutivum* est, *quod a voce primitiva derivatur, significans per modum diminuti ab altero*.

Quintus. — *Quintus* modus *per se stantis* est modus significandi per modum *collectionis* plurium in uno loco, sumptus a proprietate *collectionis* in re; et hic modus constituit Nomen substantivum *collectivum*, ut *populus, gens, turba*. Nomen ergo substantivum *collectivum* est, *quod significat per modum collectionis plurium, secundum unum locum*.

(1) Vid. Distinct. v. *Genus*.

Caput XII.

De Modis specialissimis qui continentur sub modo adiacentis.

35. **24 Modi specialissimi adiacentis.** — Deinde sub modo *adiacentis* alteri ad modos *specialissimos* descendamus, qui continet sub se viginti quatuor modos.

Adiectivum denominativum. — Quorum *primus* est modus significandi per modum adiacentis alteri, seu denominantis ipsum *simpliciter* et *absolute*, speciali ratione non superaddita; et hic modus constituit nomen adiectivum *denominativum*, ut *albus*, *niger*, *croceus*. Nomen ergo adiectivum *denominativum* significat *per modum adiacentis alteri, sive denominantis alterum simpliciter et absolute* (1). Et iste modus est generalior omnibus modis sequentibus, qui dicuntur modi adiacentis alteri, sive denominantis alterum, *superaddita ratione speciali*, ut postea patebit.

36. **Adiectivum generale.** — *Secundus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione *communicabilis pluribus specie differentibus*; et iste modus constituit nomen adiectivum *generale*, significans sub ratione communicabilis pluribus *specie differentibus*, ut *coloratus*. Nomen ergo adiectivum *generale* est, *quod significat per modum denominantis sub ratione communicabilis pluribus specie differentibus*.

37. **Adiectivum speciale.** — *Tertius* modus *adiacentis* est modus significandi per

(1) Vid. Distinct. v. *Denominativum*.

modum denominantis alterum, sub ratione communicabilis pluribus *solo numero differentibus;* et hic modus constituit nomen adiectivum *speciale*, ut *humanus, albus, niger*. Nomen ergo *adiectivum speciale significat per modum denominantis alterum, sub ratione communicabilis pluribus solo numero differentibus.*

Nec prohibet aliquid, eadem nomina sub diversis speciebus Nominis collocari, propter modos significandi differentes. Nam si considerentur in his nominibus *albus, humanus, coloratus*, et huiusmodi, modi significandi denominantis alterum simpliciter, ratione speciali non superaddita, sic sunt sub nomine adiectivo *denominativo*. Si autem considerentur secundum quod eis competit modus significandi alterum, sub ratione communicabilis pluribus, specie vel numero differentibus, sic sunt sub nomine adiectivo *generali*, vel *speciali.*

38. **Adiectivum possessivum.** — *Quartus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione *possidentis ipsum;* et hic modus constituit nomen adiectivum *possessivum*, ut *aureus, lapideus*. Nomen ergo *Adiectivum possessivum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione possidentis ipsum.*

39. **Adiectivum diminutivum.** — *Quintus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione *diminuti ab alio;* et hic modus constituit nomen adiectivum *diminutivum*, ut *novellus, parvulus*. Nomen ergo *Adiectivum diminutivum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione diminuti ab alio.*

40. **Adiectivum collectivum.** — *Sextus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione *collectionis* plurium suppositorum secundum locum; et hic modus constituit nomen adiectivum *collectivum*, ut *gentilis, urbanus, popularis*. Nomen ergo *Adiectivum collectivum* est, *quod significat per modum denominantis alterum sub ratione collectionis plurium suppositorum secundum locum.*

41. **Adiectivum divisivum.** — *Septimus* modus *adiacentis* est modus significandi permodum determinantis alterum sub ratione *dividentis* ipsum in partes; et hic modus constituit nomen adiectivum *divisivum*, ut *omnis, totus*. Nomen ergo *Adiectivum divisivum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione dividentis ipsum in partes.*

42. **Adiectivum gentile.** — *Octavus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione *gentis*, vel *patriae;* et hic modus constituit nomen adiectivum *gentile*, ut *Graecus, Italus,. Barbarus*. Nomen ergo *adiectivum gentile* est, *quod significat per modum denominantis alterum sub ratione gentis, vel patriae.*

43. **Adiectivum patrium.** — *Nonus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum determinantis alterum sub ratione *civitatis*, vel *oppidi;* et hic modus constituit nomen adiectivum *patrium*, ut *Paduanus, Bononiensis, Parisiensis*. Nomen ergo *adiectivum patrium* est, *quod derivatur a propriis nominibus civitatum, vel oppidorum, significans per modum denominantis alterum sub ratione civitatis, vel oppidi.*

44. **Adiectivum interrogativum.** — *Decimus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum determinantis alterum, sub ratione *interrogationis* de ipso; et hic modus constituit nomen adiectivum *interrogativum*, ut *quis, qualis, quantus*. Nomen ergo *adiectivum interrogativum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione interrogationis de ipso.*

45. **Adiectivum responsivum.** — *Undecimus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione *respondentis* ad interrogativum; et hic modus constituit nomen adiectivum *responsivum*, ut *tot, talis, tantus:* Nomen ergo *adiectivum responsivum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione responsionis de ipso.*

46. **Adiectivum infinitum.** — *Duodecimus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum determinantis alterum *in-*

determinate et indefinitive; et hic modus constituit nomen adiectivum *infinitum*, ut *quicumque, qualiscumque*. Nomen ergo *adiectivum infinitum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione infinitatis, et indeterminationis.*

47. **Adiectivum negativum.** — *Decimus tertius* modus *adiacentis* est modus significandi per modum determinantis alterum, sub ratione *negantis* ipsum; et hic modus constituit nomen adiectivum *negativum*, ut *nullum, nemo*. Nomen ergo *adiectivum negativum* est, *quod significat per modum denominantis alterum sub ratione negantis ipsum.*

48. **Adiectivum demonstrativum.** — *Decimus quartus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione *demonstrantis* ipsum; et hic modus constituit nomen adiectivum *demonstrativum*. Nomen ergo *adiectivum demonstrativum* est, *quod significat per modum denominantis alterum sub ratione demonstrantis ipsum.*

49. **Adiectivum relativum.** — *Decimus quintus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, stans sub prima notitia, referendo et reiterando ipsum sub secunda notitia; et hic modus constituit nomen relativum, ut *qui, qualis, quantus*. Nomen ergo *adiectivum relativum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, stans sub prima notitia, referendo et reiterando ipsum sub secunda notitia.*

50. **Adiectivum positivum.** — *Decimus sextus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum simpliciter, *sine excessu in termino*; et hic modus constituit nomen adiectivum *positivum*, ut *albus, niger*. Nomen ergo *adiectivum positivum* est, *quod significat per modum adiacentis alteri, vel denominantis alterum simpliciter, sine excessu in termino.*

51. **Adiectivum comparativum.** — *Decimus septimus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione *comparantis* ipsum, secundum excessum citra terminum; et iste modus constituit nomen adiectivum *comparativum*, ut *albior, nigrior*. Nomen ergo *adiectivum comparativum* est, *quod significat per modum adiacentis alteri, vel denominantis alterum, sub ratione comparantis cum excessu citra terminum.*

52. **Adiectivum superlativum.** — *Decimus octavus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione comparantis ipsum *secundum excessum in termino*; et hic modus constituit nomen adiectivum *superlativum*, ut *albissimus*. Nomen ergo *adiectivum superlativum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione comparantis ipsum, secundum excessum in termino.*

53. **Adiectivum ad aliquid.** — *Decimus nonus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum determinantis alterum, sub ratione *referentis* ipsum ad terminum; et hic modus constituit nomen adiectivum *ad aliquid*, secundum Logicum nuncupatum, ut *pater, filius, aequalis, similis*, et similia, quae relationem important in concreto. Nomen ergo *adiectivum ad aliquid dictum* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione referentis ipsum ad terminum* (1).

54. **Adiectivum verbale.** — *Vigesimus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum determinantis alterum sub ratione *actus in habitum transmutati*; et hic modus constituit nomen adiectivum *verbale*, ut *amabilis, amandus*. Nomen ergo *adiectivum verbale* est, *quod descendit a voce Verbi, significans per modum denominantis alterum, sub ratione actus transmutati in habitum* (2). Et notandum, quod Nomen adiectivum *participale*, ut *amans*, et huiusmodi sub voce participii, eumdem modum significandi activum habet; et ideo specifice a nomine verbali discrepare non potest, et ideo sub divisione generali collocatur.

55. **Adiectivum temporale.** — *Vigesimus primus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum sub ratione *temporis*; et hic modus constituit nomen adiectivum *temporale*, ut *diurnus, nocturnus, annuus*. Nomen ergo *adie-*

---

(1) Vid. Distinctiones v. *Relatio.*

(2) Vid. Distinctiones v. *Verbum.*

clivum temporale est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione temporis* (1). Et quia quaedam huiusmodi nomina ab Adverbiis secundum vocem derivantur, ut *hodiernus, crastinus,* ideo *adverbialia* nuncupantur.

56. **Adiectivum locale.** — *Vigesimus secundus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum sub ratione *loci;* et hic modus constituit nomen adiectivum *locale,* ut *vicinus, propinquus, proximus.* Nomen ergo *adiectivum locale* est, *quod significat per modum denominantis alterum sub ratione loci* (2).

57. **Adiectivum numerale.** — *Vigesimus tertius* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum sub ratione *numeri:* et hic modus constituit nomen adiectivum *numerale,* ut *unus, duo, binarius, ternarius.* Nomen ergo *adiectivum numerale* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione numeri* (3).

58. **Adiectivum ordinale.** — *Vigesimus quartus* modus *adiacentis* est modus significandi per modum denominantis alterum sub ratione *ordinis;* et hic modus constituit nomen adiectivum *ordinale,* ut *primus, secundus, tertius.* Nomen ergo *adiectivum ordinale* est, *quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione ordinis* (4).

Et sic patent modi significandi *communis per se stantis,* et *adiacentis,* qui sunt, et quot sunt. Si autem sunt alii modi significandi per modum *communis per se stantis* et *adiacentis* ab his diversi; qui tamen sint magis usitati, sunt hi primitus recitati.

Caput XIII.

De modis specialissimis, qui continentur sub modo appropriati.

Divisio appropriati in 4 modos. — Consequenter sub modo *appropriati,* qui ex opposito dividebatur contra modum significandi *communem,* ad modos specialissimos descendamus.

59. **Nomen proprium.** — Quorum *primus* est modus *propriae denominationis,* sumptus a proprietate *individuationis* absolute; et hic modus constituit nomen *proprium* individui, et absolute impositum, ut *Socrates, Plato.* Nomen ergo *proprie proprium* est, *quod significat rem sub proprietatibus individuationis absolute* (1).

60. **Praenomen.** — *Secundus* modus *appropriati* est modus significandi per modum *praenominationis,* sumptus a proprietate *differentiae,* quae est facere differre; et hic modus constituit nomen proprium *praenomen,* ut *Marcus, Tullius.* Nomen ergo *proprium praenomen* est, *quod impositum est rei individuae, sub ratione differentiae.*

61. **Cognomen.** — *Tertius* modus *appropriati* est modus significandi per modum *cognominis,* vel *cognationis,* sumptus a proprietate *parentali,* quae est unum nomen pluribus commune; et hic modus constituit nomen proprium *cognomen,* ut omnes de parentela *Romuli* dicuntur *Romuli;* et dicitur *cognomen,* quia pluribus *cognatis* est nomen commune. Nomen ergo *proprium cognomen* est, *quod impositum est rei individuae sub proprietate parentali.*

62. **Agnomen.** — *Quartus* modus *appropriati* est modus significandi per modum *agnominis,* sumptus a proprietate *eventus;* et hic modus constituit nomen proprium *agnomen,* ut Scipio *Africanus* nominatus est, quia ex eventu devicit Africam. Nomen ergo *proprium agnomen* est, *quod impositum est rei individuae, sub proprietate eventus.*

63. Patet ergo, qui, et quot sunt modi significandi Nominis *essentiales, generalissimi, specialissimi,* et *subalterni;* et quae, et quot sunt species Nominis per eosdem modos constitutae.

64. **Praedictarum divisionum epilogus.** — Et notandum, quod sicut modus *generalissimus* Nominis, qui est modus *entis,* dividitur in modos *speciales,* descendendo ad mo-

---

(1) Vid. Distinction. v. *Tempus.*
(2) Vid. Distinction. v. *Locus.*
(3) Vid. Distinction. v. *Numerus.*
(4) Vid. Distinction. v. *Ordo.*

(1) Vid. Distinct. v. *Individuatio - Individuum.*

dos *specialissimos*, sic Nomen simpliciter sumptum in sua prima divisione dividitur in nomen *commune* et nomen *proprium*. Nomen vero *commune* vel *appellativum* dividitur in *adiectivum* et *substantivum*. Nomen substantivum dividitur in nomen substantivum *generale*, et in nomen *speciale*, *patronymicum*, *collectivum*, et *diminutivum*. Nomen *adiectivum* dividitur in adiectivum *denominativum*, *generale*, *speciale*, *collectivum*, *possessivum*, *diminutivum*, *divisivum*, *gentile*, *patrium*, *interrogativum*, *responsivum*, *infinitum*, *negativum*, *demonstrativum*, *relativum*, *positivum*, *comparativum*, *superlativum*, *ad aliquid* dictum, *temporale*, *verbale*, *locale*, *numerale*, *ordinale*. Item *proprium* dividitur in nomen *proprie proprium*, *praenomen*, *cognomen et agnomen*.

65. Et est sciendum, quod praeter nomina, de quorum modis significandi determinatum est, sunt et alia plura nomina usitata, quae differentiam specialem non habent secundum modos significandi, discrepantes magis secundum diversitatem vocis, quam significati. Ideo sub specialibus modis significandi non cadunt; sed comprehenduntur sub modis significandi supradictis, sicut *univocum* (1), *analogum* (2), *aequivocum* (3), *synonymum*, *absolutum*, *fictum*, et his similia, quorum quaedam sunt sub nominibus substantivis, quaedam vero sub nominibus adiectivis comprehenduntur.

Caput XIV.

De Modis accidentalibus Nominis in communi.

66. **Modi nominis accidentales sex.** — Determinato de modis significandi essentialibus Nominis, consequenter de modis significandi *accidentalibus* eius videamus. Iuxta quod est notandum, quod *qualitas*, quam assignat Donatus pro accidente Nominis, dividens eam in *qualitatem propriam* et *appellativam*, nominat duos modos *essentiales* Nominis subalternos, scilicet modum *communis*, et *appropriati*, ut patet ex praedictis; quae dicuntur *accidere* Nomini, quia sunt praeter intellectum essentialem Nominis simpliciter et absolute sumpti.

Item *comparatio*, quam Donatus dividit in tres gradus, nominat tres modos significandi constituentes *positivum*, *comparativum*, *et superlativum*, de quibus dictum est. Et quia sub his tribus modis significandi fit comparatio rerum, ideo *gradus comparativus* nominatur. Et dicitur comparationem *accidere* Nomini, quia hi tres modi sunt extra intellectum Nominis absolute sumpti. Et sic universaliter omnis modus significandi partis, qui non est modus essentialis generalissimus, potest dici *accidens* Nominis absolute. Et licet sit modus accidentalis partis simpliciter sumptae, poterit tamen esse essentialis secundum aliquam eius speciem.

Dicamus ergo de modis *pure accidentalibus* Nominis, et sunt sex secundum Grammaticos: scilicet *Species*, *Genus*, *Numerus*, *Figura*, *Persona*, *et Casus* (1). De his ergo dicamus, et primo de *specie*.

Caput XV.

De specie accidentali Nominis.

67. **Praenotandum.** — Iuxta dicta, notandum est, quod *Species*, secundum quod est modus significandi accidentalis Nominis, non attenditur ex parte vocis, ut quidam dicunt, ita quod illud nomen sit primitivae speciei, cuius vox est primo ad significandum imposita; et illud derivativae speciei, cuius vox est secundario imposita, a voce primitiva descendens, ut *albus* descendit ab *albedine;* quia iam modus significandi activus a voce traheretur, et non a proprietate rei; quod est contra posita (2). Dicendum est ergo, quod *Species* sumitur a proprietate rei, quae est modus existendi primarie, vel secundarie. Et voco modum significandi *pri-*

(1) Vid. Distinction. v. *Univocatio.*
(2) Vid. ib. v. *Analogia.*
(3) Vid. ib. v. *Aequivocatio.*

(1) De quibus agitur usque ad cap. XX.
(2) Num. 6.

marie, modum existendi *absolute;* et modum significandi *secundarie*, modum existendi *comparate*.

68. **Species nominis.** — *Species* ergo est *modus significandi accidentalis Nominis, mediante quo modum significandi primarium vel secundarium significat.* Et dividitur in speciem *primitivam* et *derivativam*. Species *primitiva* est *modus significandi rem sub esse primario, vel ut est essentia prima.* Species *derivativa* est *modus significandi rem sub esse secundario, vel ut essentia secundaria.* Unde *mons* primitivae speciei est, quia significat rem sub essentia primaria, quae est essentia absoluta; sed *montanus* derivativae speciei est, quia significat rem sub esse secundario, quae est essentia comparata. Nam *montanus* non significat *montem* absolute, sed in comparatione ad habitatorem montis. Et sic in aliis, quae sunt primitivae, aut derivativae speciei.

Caput XVI.

De genere accidentali Nominis.

69. **Genus nominis.** — Dicto de *specie*, dicendum est de *genere*. Iuxta quod notandum est, quod in rebus inveniuntur duae proprietates generales, scilicet proprietas *agentis*, et proprietas *patientis*, quae licet in omnibus rebus ex materia et forma compositis inveniantur, tamen in rebus separatis magis prompte et distincte videntur inesse; quorum unum est determinate *generans*, et alterum determinate *patiens;* aliis autem rebus insunt sub quadam indifferentia, et indistincte, sive indeterminate. Et hoc antiqui attendentes, definierunt Genus, dicentes: *Genus est discretio sexus*, hoc est, *Genus est modus significandi nominis, sumptus a proprietate activa, vel passiva, quae in rebus separatis magis prompte et determinate invenitur.* Ab huiusmodi enim proprietatibus trahitur *Genus* in nominibus, ut dictum est. Unde *Genus* simpliciter est modus significandi activus, quo mediante, nomen proprietatem agentis, vel patientis, vel utrumque significat. Et secundum diversitatem harum proprietatum diversificatur genus in Nomine, per *Masculinum, Foemininum, Neutrum, Commune*, etc.

70. **Masculinum, Foemininum, Commune.** — Genus *masculinum* est modus significandi rem sub proprietate *agentis*, ut *vir, lapis.* — Genus *foemininum* est modus significandi rem sub proprietate *patientis*, ut *petra, mulier.* — Genus *commune* est modus significandi rem sub utraque proprietate *determinate*, ut *homo, virgo.* Aliter dicitur, et melius, quod, Genus *Commune* est, quod nec differt a *masculino*, nec a *foeminino.* — Genus *neutrum* est *modus significandi rem sub proprietate neutra, quae est indeterminata, et indifferenter ad utrumque*, ut *animal, lignum.*

71. **Alia explicatio.** — Quidam tamen dicunt, quod *neutrum* genus sit modus significandi rem sub privatione utriusque proprietatis. Quo posito, vel genus neutrum non erit modus significandi, sed figmentum; vel a privatione accipietur, quae nullius est causa; quae ambo sunt inconvenientia; nisi tunc intelligatur, quaedam nomina esse sub privatione utriusque proprietatis imposita, ut sic ipsa esset neutrius generis, et hoc est bene possibile: sicut aliqua sunt verba, quae possunt imponi ad significandum privationem generis, personae, vel alterius accidentis, quam generis, quod tamen imponitur nomen ad significandum sub proprietate *omnis generis.* Et sic posset esse omnis generis. Hoc tantum convenit adiectivis, quae genus non habent ex proprietate suae rei subiectae, sed ex proprietate rei substantivi nominis.

72. **Adiectivum omnis generis.** — Unde dicitur *adiectivum* esse *omnis generis*, quia potest attribui substantivo masculini generis, foeminini, vel neutrius, ut *felix.*

73. **Genus Epicoenum.** — Item illud nomen dicitur *epicoeni* generis, quod habet masculinum et foemininum genus sub uno articulo designatum, ut *hic passer*, et *haec aquila.*

74. **Dubium genus.** — Item illud nomen dicitur *dubii* generis, quod nulla causa cogente Poëtae sub utroque genere protulerunt, quandoque sub masculino, quandoque sub foeminino, ut *hic*, vel *haec dies, hic* vel *haec cortex.*

Caput XVII.

De numero accidentali Nominis.

75. **Numerus essentiarum.** — Habito de *genere,* consequenter dicendum est de *Numero.* Iuxta quod notandum, quod *numerus* in rebus extra animam, secundum Boethium, *est multitudo ex unitatibus aggregata, et profusa.* Sed duplex est unitas: quaedam est *indivisa rei entitas,* a qua ens dicitur *unum,* id est, *indivisum.* Ab ista unitate multoties iterata profunditur *multitudo,* quae est unum de transcendentibus, ut *ens,* et *unum.* Et quia cum ente convertitur huiusmodi multitudo, vocatur *numerus essentiarum,* et secundum istum numerum essentiarum, species rerum numerantur (1).

76. **Numerus materialis.** — Alia est unitas, quae est *rei indivisa continuitas,* a qua *continuum* dicitur *unum,* id est, *indivisum;* et ab ista unitate multoties reiterata profunditur *multitudo,* quae *numerus materialis* vocatur, id est individuorum secundum differentiam materialem differentium. Iste etiam numerus dicitur *accidentalis,* quia per hunc numerum numerantur individua, quae *per accidens* tantum differunt.

77. **Definitio numeri.** — Est sciendum, quod in utroque numero duae proprietates inveniuntur: scilicet proprietas *indivisibilitatis,* quae est in re ratione unitatis; et proprietas *divisibilitatis,* quae est in re ratione multitudinis, quae ab unitatis replicatione profunditur; et ex his proprietatibus iam dictis sumitur numerus in nomine, qui est modus accidentalis significandi nominis. *Numerus* ergo est *modus significandi accidentaliter nominis, mediante quo nomen proprietatem indivisibilitatis, quae est proprietas unius, vel proprietatem divisibilitatis, quae est proprietas multitudinis, significat.*

78. **Numerus singularis — pluralis.** — Et dividitur in *singularem* et *pluralem.* Numerus *singularis* est *modus significandi rem sub proprietate indivisi, quae est proprietas unius,* ut *animal, homo.* — Numerus *pluralis* est *modus significandi rem sub proprietate divisi, quae est proprietas multitudinis,* ut *homines, animalia* etc.

(1) Vid. Distinction. *Numerus — Unitas.*

Caput XVIII.

De figura accidentali seu grammaticali Nominis.

79. **Figura, unde sumatur?** — Dicto de *numero,* dicendum est de *Figura.* Iuxta quod notandum est, quod *Figura,* prout est modus significandi Nominis, non accipitur a proprietate vocis, ut quidam dicunt, ita quod illud nomen sit simplicis figurae, cuius vox est simplex, ut *doctus;* et illud compositae figurae, cuius vox est composita, ut *indoctus;* illud vero decompositae, cuius vox est decomposita, ut *inexpugnabilis;* quia hoc posito, modi significandi traherentur a voce, et non a rei proprietate, quod est contra dicta (1). Sed dicendum est, quod *figura* sumitur a proprietate rei.

80. **Tres rerum proprietates.** — Iuxta quod notandum, quod in rebus inveniuntur tres proprietates communes, scilicet: proprietas *simplicis,* proprietas *compositi,* et proprietas *decompositi.* — Et voco proprietatem *decompositi* proprietatem collectionis ex pluribus, quam duobus. Ab his tribus proprietatibus rerum sumitur *figura,* quae est modus significandi nominis.

81. **Compositio logica — grammaticalis.** — Ab his etiam proprietatibus imponit Logicus tres voces ad significandum, scilicet: *Terminum, Propositionem* et *Syllogismum;* licet aliter sumatur *simplicitas, compositio,* et *decompositio* in nomine *figurae* simplicis, compositae et decompositae, quam in *termino, propositione,* et *syllogismo* (2). In propositione enim et syllogismo sumitur compositio secundum distantiam circa *diversa significata diversarum vocum* cadens. Sed in nomine compositae figurae sumitur compositio secundum distantiam vocum circa *idem significatum eiusdem dictionis* cadens. Similiter in termino sumitur

(1) N. 6.
(2) Vid. Distinct. verb. *Relata.*

simplicitas prout opponitur compositioni, secundum distantiam circa *diversa significata diversarum dictionum* cadens; sed in definitione simplicis figurae sumitur simplicitas prout opponitur compositioni, quae est secundum distantiam circa *idem significatum eiusdem dictionis* cadens.

82. **Figura.** — Figura ergo est *modus signficandi accidentalis Nominis, mediante quo, nomen proprietatem simplicis, compositi, vel decompositi significat.* Et secundum hanc triplicem proprietatem rei, variatur figura per triplicem differentiam, quae est figura *simplex, composita,* et *decomposita.*

83. **Figura simplex — composita — decomposita.** — Figura *simplex* est *modus significandi rem, sub proprietate simplicis,* ut *dives, pauper.* — Figura *composita* est *modus significandi sub proprietate compositi,* ut *praedives, praeclarus.* — *Decomposita* est *modus significandi sub proprietate decompositi, id est, sub proprietate collectionis,* ut *inexpugnabilis.*

84. **Earum differentia.** — Et hoc est, quod solet dici, quod illa dictio est *simplicis figurae,* quae est imposita a simplici conceptu ad significandum; et illa est *compositae figurae,* quae est imposita ad significandum a conceptu composito; illa autem est *figurae decompositae,* quae est imposita a pluribus conceptibus ad significandum, quam ex duobus aggregatis. Licet hoc verum sit, tamen quia huiusmodi conceptus non sunt ficti, oportet correspondere ipsis proprietates in re; et hae proprietates sunt hae, quae dictae sunt, quas nomen, conceptibus memoratis mediantibus, significat.

Caput XIX.

De casu grammaticali Nominis.

85. **Casus.** — Consequenter de *Casu* dicamus. Iuxta quod notandum, quod in rebus inveniuntur quaedam proprietates *communes,* scilicet: proprietates *principii,* et proprietas *termini.* Item, inveniuntur quaedam proprietates *generales* in rebus, scilicet: proprietas, ut *quod est aliquid in se,* vel *quod est alterum;* et proprietas *cuius est aliud;* et proprietas, ut *cui est,* et *cui aliquid datur;* et sic de consimilibus, quae repraesentatur per inflexionem huius nominis *quod, cuius,* et *cui* etc.; et a primis proprietatibus oritur *Casus,* qui est modus significandi Nominis. Sed a secundis proprietatibus superadditis primis oriuntur differentiae *Casus,* vel Casuum. — *Casus* igitur est *modus significandi accidentalis Nominis, mediante quo, nomen proprietatem principii, vel termini consignificat.*

86. **Casus divisio.** — Et secundum harum proprietatum diversitatem, cum aliis proprietatibus superadditis, Casus in *sex* species partitur, scilicet: in *Nominativum, Genitivum, Dativum, Accusativum, Vocativum,* et *Ablativum.*

87. **Nominativus.** — *Nominativus* casus est *modus significandi in ratione principii, illa proprietate rei,* ut quod est alterum, *superaddita,* ut dicendo *Socrates currit,* vel *amat.* Iste nominativus *Socrates* significat in ratione principii, respectu huius actus *amare* sub proprietate, *ut quod est alterum,* id est, sub proprietate *ut quod est aliquid in se, alterum actum verbi sibi adhaerentis principians active.* Similiter dicendo, *Socrates amatur, Socrates* significat sub proprietate *ut quod est aliquid in se alterum principians passive:* utrobique enim stat sub proprietate principii, respectu verbi dependentis, proprietate *ut quod est alterum* superaddita.

Ex hoc patet error dicentium, Nominativum esse modum *de quo* est alterum enuntiabile, vel modum *in quo* est alterum, ut *in subiecto;* licet enim res Nominativi, respectu Verbi, possit substare proprietati, *ut de quo,* vel proprietati, *ut in quo,* et sic de aliis; tamen vox Nominativi non significat res sub proprietate, *ut de quo,* vel *in quo;* quia tunc Nominativus non esset casus ab aliquo distinctus. Item, si constructio Nominativi cum Verbo fieret mediante propositione, *de quo,* vel *in quo,* tunc propositio deserviret Nominativo, quod est falsum.

Nominativus ergo est *modus significandi, ut quod est alterum;* et hoc probatur ratione, et auctoritate. *Ratione* sic: ille

modus est modus significandi Nominativi, per quem Nominativus ab omnibus aliis distinguitur: sed per modum, *ut quod est alterum*, est distinctus ab aliis; ergo Nominativus est modus significandi, *ut quod est alterum.* — Probatur etiam *auctoritate* Petri Heliae, qui vult quod species, sive modi casuum, sumantur penes inflexionem huius nominis *quod, cuius, cui*, etc. Si ergo Genitivus est modus significandi, *ut cuius est alterum*, Dativus est modus significandi, *ut cui est alterum*, vel *cui acquiritur*, vel *datur alterum*, Nominativus erit modus significandi *ut quod est alterum.* Et dicitur iste modus significandi *Nominativus*, quia sub isto modo *nomina* rebus imponimus: et huic modo proportionatur in verbo modus, *ut ipsum est alterum*, scilicet: principiatum, et causatum a re Nominativi active, vel passive.

88. **Genitivus.** — *Genitivus* est *modus significandi rem in ratione principii, vel termini differenter, proprietate*, ut cuius est alterum, *superaddita;* ut dicendo: *Socratis interest;* iste Genitivus *Socratis* significat rem in ratione principii, respectu huius verbi *interest*, proprietate, *ut cuius est alterum*, superaddita. Similiter dicendo: *misereor Socratis*, vel: *filius Socratis est*, iste Genitivus *Socratis* significat rem in ratione termini, respectu huius verbi, *misereor*, vel huius nominis, *filius*, proprietate, *ut cuius est alterum*, superaddita. Dicitur *Genitivus*, quasi primo a voce Nominativi *genitus.* Et huic modo proportionatur in verbo modus *ut ipsum est alterius.*

89. **Dativus.** — *Dativus casus* est *modus significandi rem in ratione principii, vel termini indifferenter, proprietate* ut cui alterum acquiritur *superaddita;* ut dicendo: *Socrati accidit;* in hac constructione, iste Dativus, *Socrati*, significat per modum principii, superadicto sibi modo, *ut cui alterum acquiritur.* Similiter dicendo, *faveo Socrati*, vel *similis Socrati;* in hac constructione iste Dativus, *Socrati*, significat rem in ratione termini, proprietate, *ut cui alterum acquiritur*, vel *datur*, superaddita. Et dicitur iste modus significandi *Dativus*, quia est modus significandi, *ut cui alterum acquiritur*, vel *datur.* Et huic modo proportionatur in verbo modus *ut ipsum est, quod alteri datur.*

90. **Accusativus.** — *Accusativus* casus, secundum dictam inflexionem, est *modus significandi rem in ratione termini, proprietate ut* quem, superaddita; ut dicendo: *amo Deum*, iste Accusativus *Deum* significat sub proprietate terminandi actum, et dependentiam huius verbi, *amo*, proprietate, *ut quem*, superaddita. Et dicitur *Accusativus* quasi terminus actus. Et huic modo proportionatur in verbo modus dependentis, sub modo *ad alterum.* Aliquando tamen Accusativus est modus significandi rem, sub ratione principii simpliciter, id est, proprietate speciali non superaddita, scilicet quando actus construitur intrinsece cum Infinitivo, vel cum verbo impersonali, ut dicendo: *me legere, me oportet*, hic significat Accusativus rem, sub ratione principii a nulla proprietate speciali contracta, nec contrahibili, cui proportionatur modus verbi simpliciter. Et hic modus non videtur sibi accidere, nisi tunc ponatur quod actus sit modus significandi aequivocus, ad significandum sub ratione termini, *ut quem;* et ad modum sub ratione principii simpliciter.

Et est sciendum, quod ratio termini, *ut quem*, aliquando sumitur simpliciter, id est, non contracte, ut dicendo: *lego librum;* aliquando contracte, ut quando contrahitur per praepositionem Accusativo deservientem, ut dicendo: *Vado ad plateam, curro ad campum;* et sic modus sibi correspondens simpliciter est contrahendus.

91. **Vocativus.** — *Vocativus* casus est *modus significandi rem sub ratione termini dependentis, actus exerciti, vel exercitati, nulla differentia dictarum proprietatum superaddita*, ut dicendo: *o Henrice*, iste Vocativus habet in se rem in ratione termini, tantum in ratione dependentis illius actus exerciti, vel exercitati. Unde notandum est, quod duplex est actus, scilicet: *signatus*, et *exercitus.* Actus *signatus* est, qui per verbum, vel participium importatur, ut *lego, legens.* Actus *exercitus* est, qui per prolationem huius Adverbii, *o*, exercitatur, quasi in eius modum significandi

cadens, et huius proprius terminus est vocativus; ideo iste modus significandi *Vocativus* nominatur, qui est proprius terminus vocationis, seu actus *vocandi*. Et huic modo significandi Vocativi, vel exercitati proportionatur in Adverbio, *o*, modus significandi per modum vocantis, vel exercitantis.

92. **Ablativus.** — *Ablativus* casus est *modus significandi rem, in ratione principii, vel termini indifferenter, proprietate,* ut quo, *superaddita;* ut dicendo, *utor pane,* iste ablativus significat in ratione termini proprietate, *ut quo,* superaddita; et huic modo proportionatur modus dependentis sub modo *ut altero*. Similiter dicendo *a Socrate legitur,* iste ablativus significat in ratione principii, proprietate, *ut quo,* superaddita. Et dicitur iste modus *Ablativus,* quia est modus significandi, ut a quo aliquid auferimus.

Et est sciendum, quod ratio termini, vel principii *ut quo,* aliquando sumitur non contracte, ut dicendo, *utor pane;* aliquando contracte praepositionibus adiectis, ut dicendo, *a Socrate legitur in Ecclesia,* vel *in domo,* et sic de aliis, et sic modus significandi sibi correspondens et proportionabilis est contrahendus (1).

93. **Epilogus.** — Ex istis patet sufficientia istorum sex casuum, per hunc modum: omnis casus aut est modus significandi *principii* tantum, vel *termini* tantum, vel *utriusque* indifferenter. Si casus sit modus significandi in ratione principii tantum, modo ut *quod* est alterum superaddito, sic est *Nominativus* casus. Si tantum in ratione termini, nulla speciali proprietate superaddita, sic est *Vocativus* casus. Si autem sit modus significandi rem sub ratione utriusque indifferenter, vel hoc est modo superaddito ut *cuius,* et sic est *Genitivus* casus; vel modo ut *cui,* et sic est *Dativus* casus; vel modo ut *quem,* et sic est *Accusativus* casus; vel modo *a quo,* et sic est *Ablativus* casus. Et est sciendum, quod sicut species et differentiae casuum attenduntur penes inflexionem huius nominis *quod, cuius, cui,* etc. sic modi in verbo, proportionabiliter casibus, attenduntur penes inflexionem huius nominis *alter, alterius, alteri,* etc.

(1) Vid. Distinct. v. *Ablativus.*

Caput XX.

De persona et declinatione grammaticali.

94. **Persona.** — Habito de *casu,* dicendum est de *persona.* Iuxta quod notandum est, quod in rebus rationabilibus reperitur quaedam proprietas casus, scilicet proprietas loquendi (1), a quo trahitur persona, quae est accidens Nominis. Est ergo *persona modus significandi Nominis, mediante quo Nomen proprietatem loquendi consignificat.* Et secundum diversitatem loquendi, *de se, ad alium,* vel *de alio,* variatur persona per triplicem differentiam, scilicet: *primam, secundam* et *tertiam.*

Prima persona. — *Prima* persona est *modus significandi rem sub proprietate loquendi de se, ut de se.*

Secunda. — *Secunda* persona est *modus significandi rem sub proprietate loquendi ad alium, ut ad alium.*

Tertia. — *Tertia* persona est *modus significandi rem sub proprietate loquendi de alio, ut de alio.* Et quia modus loquendi de se non est sine modo significandi de se, ideo ipse modus dicitur *persona,* a *per se sonando* nominata.

95. **Declinatio.** — Notandum quod *declinatio,* quam Donatus sub *casu* comprehendit, a proprietate casuum oritur. *Declinatio* ergo est *modus significandi rem nominis, per quem inflectitur.* Et variatur per diversas casuum proprietates, de quibus dictum est (2). Et quia ad istam inflexionem proprietatum sequitur in pluribus inflexio vocum, ideo quidam dixerunt declinationem esse *vocis in vocem inflexionem.*

Eius species. — Quod autem aliquod nomen sit *primae, secundae, tertiae, quartae,* vel *quintae* declinationis, vel *consequentis,* vel *inconsequentis,* haec ratio a parte vocis attenditur.

(1) Vid. Distinct. v. *Persona.*
(2) Cap. praec.

Et sic patet qui, et quot sunt modi significandi Nominis, tam *essentiales* quam *accidentales*.

Caput XXI.

De Modo significandi essentiali generalissimo Pronominis.

96. **Pronomen.** — Modus significandi *essentialis generalissimus* Pronominis est *modus significandi per modum entis et indeterminatae apprehensionis.* A qua vero proprietate modus significandi per *modum entis* sumitur, prius dictum est, nam in hoc modo pronomen a Nomine non distinguitur, ut dictum est (1).

Modus vero *indeterminatae apprehensionis* oritur a proprietate, seu modo essendi materiae primae. Materia enim prima in se, extra indeterminata est, respectu cuiuslibet formae naturalis, quae inest de se, ita quod nec includit nec excludit formam, nec determinationem formae (2). Ab ista ergo proprietate materiae primae, quae est proprietas de se indeterminata, determinabilis tamen per formam, sumitur modus significandi essentialis generalissimus Pronominis; non quod Pronomen materiam primam significet tantum, sed ex modo essendi reperto in materia prima, intellectus movetur ad considerandum aliquam essentiam sic indeterminatam, et ad imponendum sibi vocem sub modo significandi per modum indeterminati. Et hunc modum generalissimum essentialem Pronominis Grammatici expresserunt, dicentes, *Pronomen significare substantiam meram, vel substantiam sine qualitate;* dantes intelligi per *substantiam* modum entis, qui in substantia principaliter reperitur, ut dictum est; per *meram*, vel *sine qualitate,* modum indeterminatae apprehensionis.

97. **Obiectio.** — Sed si obiiciatur sic: Modus significandi partis debet esse positivus, et non privativus, sicut pars est quid positivum: sed modus *indeterminatae apprehensionis* est modus privativus; ergo non potest esse modus significandi Pronominis.

(1) Vid. supra n. 24.

(2) Vid. Distinct. *Materia prima*, etc.

Solutio. — Dicendum, quod illud, quod est ita indeterminatum, quod excludat formam, et formae determinationem, est privativum; tamen illud, quod sic est indeterminatum, quod non excludit, nec includit formam, nec formae determinationem, non est privativum; et sic se habet modus significandi Pronominis, qui est modus indeterminati de se, determinabilis tamen. *Vel dicendum,* quod per modum istum privativum Grammatici circumloquuntur modum significandi positivum, qui est modus significandi communis simpliciter.

98. **Difficultas.** — Et si dicatur, quod iste modus significandi communis simpliciter invenitur in hoc nomine *ens;* vel ergo *ens* est Pronomen, vel Pronomen non erit distinctum a Nomine.

Solvitur. — Dicendum, quod licet hoc nomen *ens* habeat modum significandi communem, respectu significatorum specialium, scilicet *substantiae* vel *accidentis, hominis* vel *leonis;* tamen eius significatum non est commune respectu aliorum transcendentium, quae sunt *unum, res,* et *aliquid,* et respectu privationum, et negationum, ut *nihil* est non ens; ergo non habet modum significandi communis simpliciter; sed Pronomen habet modum significandi communis simpliciter, respectu omnium significatorum specialium, et transcendentium, privationum, et negationum, teste Prisciano (1), qui dicit, quod *Pronomen ad omne suppositum pertinet,* id est, ad omne significatum se extendit; ergo instantia nulla.

Iuxta quod est notandum, quod omnis pars orationis est ens secundum animam. — Item sciendum est, quod omnes privationes et negationes in se sunt entia positiva in anima, ut dictum est prius (2). Dicendum est ergo, quod licet modus indeterminati non sit positivus realiter, est tamen positivus in anima; et hoc sufficit ad distinctionem partium orationis, quae sunt entia secundum animam. *Pronomen* ergo est *pars orationis significans per modum entis, et indeterminatae apprehensionis.*

(1) Lib. 13. *De Pronomine.*

(2) Num. 9.

CAPUT XXII.

De modis significandi essentialibus Pronominis, tam subalternis, quam specialissimis.

99. — Sub hoc autem generalissimo modo significandi Pronominis ad modos *essentiales*, et *subalternos*, et *specialissimos descendamus*, qui sunt modi *relationis*, et *demonstrationis;* modus *primitivi*, et modus *derivativi;* modus *substantialis* vel *substantivi*, et modus *adiectivi.*

100. **Demonstratio. — Pronomen demonstrativum.** — Modus ergo significandi, qui vocatur *demonstratio*, sumitur a proprietate rei, quae est proprietas *certitudinis*, et *praesentiae*, seu notitiae primae intellectus; et hunc modum Donatus vocat *qualitatem finitam;* et hic modus constituit Pronomen *demonstrativum.* Pronomen ergo *demonstrativum significat rem sub ratione vel proprietate praesentiae seu notitiae primae.* Semper enim Pronomini sex demonstrationes correspondent praesentiae, sive sit ad sensum, sive ad intellectum; differenter tamen. Quia Pronomen demonstrativum *ad sensum* hoc, quod demonstrat, significat, ut: *ille currit.* Sed Pronomen demonstrativum *ad intellectum* hoc, quod demonstrat, non significat, sed aliud, ut si dicam de herba demonstrata in manu mea: *haec herba crescit in horto meo*, hic unum demonstratur, et aliud significatur. Et hunc modum demonstrandi habent *propria* nomina, ut si dicam demonstrato Ioanne: *iste fuit Ioannes*, hic unum demonstratur, et aliud in numero significatur. Et sic contingit dare diversos modos certitudinis, et praesentiae; et secundum hoc erunt diversi modi demonstrationum; et ex consequenti diversa Pronomina demonstrativa. Contingit enim rem esse praesentem et certam, et maxime certam vel praesentem, et sic demonstratur per hoc Pronomen *ego;* vel non maxime esse certam et praesentem, et sic demonstratur per hoc Pronomen *tu*, et alia similia (1).

101. **Relativum.** — Modus significandi, qui vocatur *relatio*, sumitur a proprietate rei, quae est proprietas *absentiae*, et *incertitudinis*, seu notitiae secundae; unde Donatus appellat istum modum *qualitatem Pronominis* infinitam; et hic modus constituit Pronomen *relativum.* Pronomen ergo *relativum significat rem sub proprietate absentiae, et incertitudinis, seu notitiae secundae.* Semper enim pronomen relativum, vi relationis, repraesentat rem, ut est absens, et incerta, sive sit res praesens, sive absens, quae refertur, ut dicendo: *Socrates currit*, et *ille disputat*, hoc relativum *ille* refert hoc antecedens *Socrates* stans sub actu primo, seu sub notitia prima, reiterando ipsum sub actu secundo, sive sub notitia secunda; et sic notificat ipsum tamquam incertum, et absens, faciens recordationem de ipso sub actu secundo. Recordatio enim semper est praeteritorum et absentium. *Recordatio* enim nihil aliud est, quam cognitio secunda, ut si aliquid sit primo cognitum, postea oblitum, et iterum ad memoriam reductum; unde dicitur *relatio*, quasi *ante latae rei recordatio* (1). Et sicut contingit dare diversos gradus absentiae, secundum hoc sunt diversi modi relationis; et ex consequenti diversa pronomina *relativa*, quia ad diversitatem in causa sequitur diversitas in effectu.

102. **Primitivum — derivativum.** — Modus significandi, qui est *primitivus*, et *derivativus*, sumitur ab eadem proprietate in Pronomine, a quo sumitur species *primitiva*, et *derivativa* in Nomine; sunt enim iidem modi significandi hic, et ibi; nam *primitio* in Pronomine idem est quod species *primitiva* in Nomine; et *derivatio* in Pronomine idem est quod species *derivativa* in Nomine. Sed habent se differenter, quia *primitio* et *derivatio* constituunt diversas species in Pronomine, scilicet Pronomen *primitivum*, et *derivativum;* sed in Nomine, species *primitiva* et *derivativa* modi significandi accidentales Nominis nominantur.

---

(1) Licet longe alia sit haec demonstratio *grammaticalis* a demonstratione *scientifica*, de qua late agendum nobis est in *Distinct.* v. *Demonstratio* etc., quae tamen inibi proponuntur plurimum conferunt ad huius naturam plenius internoscendam.

(1) Vid. Distinct. v. *Recordari — Reminisci.*

103. Substantivum. — Item modus *adiacentis* et *per se stantis* ab eisdem proprietatibus sumitur, a quibus sumebatur in Nomine, scilicet modus *per se stantis* a proprietate *essentiae* distinctae; et modus *adiacentis* a proprietate *inhaerentis* alteri secundum esse (1).

Et est sciendum, quod a Grammaticis ponuntur tria Pronomina *substantiva*, scilicet, *ego, tu, sui,* quia huiusmodi usi sunt Poëtae virtute demonstrationis et relationis in sermone perfecto, sine adiunctione alterius substantivi; aliis autem usi sunt adiective; ideo Grammatici omnia alia Pronomina *adiectiva* posuerunt.

104. Possessivum — Gentile. — Sub modo significandi, qui est modus *derivativi*, ad modos *specialissimos* descendamus. Continet autem sub se duos modos. Primus est modus significandi per modum adiacentis alteri, sub ratione *possidentis* ipsum; et hic modus constituit Pronomen derivativum *possessivum. Pronomen* ergo *derivativum possessivum* est, *quod significat per modum adiacentis alteri per modum possidentis ipsum,* ut *meus, tuus, suus,* etc. (2). — Secundus modus derivativus est modus significandi per modum adiacentis alteri, sub ratione *gentis,* vel *patriae;* et hic modus constituit Pronomen derivativum *gentile. Pronomen* ergo *derivativum gentile* est, *quod significat per modum adiacentis alteri, sub ratione gentis, vel patriae,* ut *nostras, vestras* (3).

105. Epilogus. — Sic ergo patet, quod modus significandi generalissimus Pronominis dividitur in modos *specialissimos*, et *subalternos,* sic: Pronomen simpliciter sumptum prima sui divisione dividitur in Pronomen *demonstrativum,* et *relativum, primitivum, derivativum. substantivum,* et *adiectivum.* Item Pronomen adiectivum derivativum dividitur in Pronomen *derivativum possessivum,* et in *derivativum gentile.* Et haec de modis essentialibus Pronominis dicta sufficiant.

(1) Vid. n. 31-32.
(2) Vid. n. 38.
(3) Vid. n. 42.

Caput XXIII.

De Modis significandi accidentalibus Pronominis.

106. Accidentia Pronominis. — Dicto de modis *essentialibus* significandi, dicendum est de modis significandi *accidentalibus.* Iuxta quod notandum est, quod Donatus assignat Pronomini sex accidentia, scilicet: *Qualitatem, Genus, Numerum, Figuram, Personam,* et *Casum.*

Notandum, quod *qualitatem,* quam Donatus assignat pro accidente Pronominis, dividit in qualitatem *finitam* et *infinitam;* et vocat illos duos modos significandi essentiales speciales Pronominis, scilicet *demonstrationem,* et *relationem,* de quibus dictum est (1); ita quod per *qualitatem finitam* dat intelligere *demonstrationem,* quae rem finitam et certam significat et repraesentat, scilicet sub accidentibus realibus, quae oculis conspici possunt. Per *qualitatem* vero *infinitam* dat intelligere *relationem,* quae rem incertam et infinitam repraesentat, scilicet sub notitia secunda per recordationem, quae est incerta respectu notitiae primae, ut dictum est (2). De *Genere* autem, et *Numero, Persona, Figura,* et *Casu* in Pronomine idem intelligatur, quod de ipsis dictum est de Nomine; nam ista accidentia eadem sunt hic, et ibi, et ab iisdem proprietatibus sumuntur (3).

Caput XXIV.

De significatione propria Pronominis.

107. Prima opinio. — Habito de modis significandi Pronominis, consequenter de eius *significatione* videamus. Quidam dicunt, quod Pronomen de se et absolute nihil significat, sed tantum habet habilitatem ad significandum, et talis habilitas reducitur ad actum per *demonstrationem,* et *relationem;* quod persuadent per Priscianum, qui dicit,

(1) Nn. 100-101.
(2) Ib.
(3) Vid. c. XVI seqq.

Pronomen sine demonstratione et relatione cassum esse et vanum.

Reiicitur. — Ista opinio est erronea et falsa; quia modus significandi supponit significatum, sicut proprietas rei praesuppônit ipsam rem: sed Pronomen habet modum significandi; ergo necessario habet significatum.

Ad auctoritatem, quam adducunt, dicendum, quod Pronomen sine *demonstratione* et *relatione* non est cassum et vanum, quia, ut dicitur *II. Phys.* text. 62, *Illud est cassum et vanum, quod est ordinatum in aliquem finem, et illum non attingit* (1): sed Pronomen simpliciter ordinatum est ad significandum essentiam indeterminatam sub modo indeterminati, et ulterius ad constructionem: et hunc finem sine *demonstratione* aut *relatione* potest attingere; ergo non est frustra. — Notandum ergo est, quod aliquid dupliciter dicitur *cassum* et *vanum:* uno modo, quod nihil significat; alio modo, quia nihil *determinate* significat. Pronomen significat aliquid, licet non aliquid determinate; et sic attingit finem, et sic non est frustra.

108. **Secunda opinio.** — Alii dicunt, quod Pronomen significat conceptum entis determinatum, applicabilem unicuique enti, tam in anima, quam extra animam, sicut intentiones secundae, ut *Genus, Species, Subiectum, Praedicatum,* et quae significant conceptum determinatum applicabilem cuicumque enti; quorum motivum est, quia si Pronomen significaret aliquid indeterminatum, tunc eius significatum non esset intelligibile.

Reiicitur. — Ista opinio similiter non valet, est enim erronea; quia si Pronomen significaret conceptum entis, nunquam praedicatum reale posset verificari de Pronomine, et sic haec esset falsa: *Ego sum homo,* quia praedicatum de eo verificatur, quod per subiectum intelligitur et significatur; unde sicut haec est falsa: *Conceptus hominis est animal,* sic haec erit falsa: *Ego sum animal,* quod est inconveniens.

109. **Modus intelligendi materiam.** — Ad aliud, quod adductum fuit ad confirmationem dicti sui, quod si Pronomen significaret aliquid indeterminatum, eius significatum non posset intelligi; dicendum quod, sicut videmus in re, quod totum compositum intelligitur per formam, et postea per analogiam ad formam cognoscitur materia, quae est in potentia ad formam, ut dicitur *I. Physicor.* text. 69, et deinceps (1); sic intellectus potest prius aliquam essentiam intelligere indeterminatam, et postea considerare et respicere essentiam aliam in respectu ad illam, vel aliam indeterminatam, tamen per aliquod determinabile; et illud est significatum Pronominis, scilicet essentiam de se *indeterminatam, determinabilem* tamen. Et sic patet, quod Pronomen significat essentiam, licet indeterminatam; significatum enim Pronominis non solum se extendit ad significata specialia, sed etiam ad significata transcendentia privationum et negationum, ut patet ex dictis. Quod enim Pronomen significat in generali, illud refert et demonstrat in speciali: sed Pronomen in speciali demonstrare et referre potest quod est ens, sive sit in anima, sive extra animam; sive fictum, sive verum; sive ens in actu, sive ens in potentia; et sic in uno sunt duo contraria, scilicet ens, et non ens; tamen non ens refert et demonstrat prout est aliquod ens secundum animam; quia *contradictoria extra animam sunt contraria secundum animam,* ut patet *IV. Metaph.* text. 9 (2).

Caput XXV.

De Modo significandi essentiali generalissimo Verbi (3).

110. **Modus significandi generalissimus Verbi.** — Modus significandi generalissimus essentialis Verbi est modus significandi rem per modum *esse,* et *distantis* a substantia. Ad cuius intellectum est notandum, quod licet uterque modus, scilicet *esse* et *distan-*

(1) Vid. Exposit. Doctoris ad hunc text. Philos.

(1) Vid. Exposit. etc. — Cf. Effata, *Materia cognoscitur,* etc.

(2) Vid. Exposit. Doctoris.

(3) Cf. Doctorem *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 6; III. d. 28. n. 3. — Vid. Distinct. v. *Verbum.*

tis, sit forma Verbi absolute sumpti, tamen comparando Verbum ad Participium, modus *esse* habet rationem *materiae*, respectu Verbi, quia facit Verbum cum Participio convenire; sed facere convenire est proprietas materiae (1); modus autem *distantis* habet rationem *formae*, quia facit Verbum ab omnibus aliis distare et differre. Et quia alia est ratio materiae, et alia ratio formae, ideo componendo unum cum altero, ex utroque resultat unus modus, per naturam compositionis.

111. **Significatio per modum actionis — per modum habitus.** — Notandum est, quod modus significandi activus per modum *esse* oritur a proprietate rei, quae est proprietas ipsius *esse*, scilicet proprietas *fluxus* et *successionis*, quae opponitur proprietati entis, quae est proprietas *habitus* et *permanentis*, ut prius dictum est (2).

112. **Obiectio.** — Et si dicas: esse cuiuslibet rei verbaliter significatur: non tamen omne ens habet esse successivum; nam esse Dei et Intelligentiarum non est in fluxu et successione, et tamen dicimus: *Deus est*, et: *Intelligentia est.* Item generatio et corruptio, et illuminatio aëris, non habent esse in successione; et tamen esse illorum verbaliter significatur, ut dicendo: *generatio, et corruptio, et illuminatio aëris sunt, sive fuerunt.*

Solvitur. — Dicendum, quod licet esse Dei et Intelligentiarum non sit successivum successione *temporis*, est tamen successivum successione *aeternitatis;* et licet *aeternitas sit tota simul et perfecta possessio* (3), secundum Boëtium; tamen, quia intelligimus ex istis inferioribus, ideo imaginamur ibi successionem et durationem aeternitatis per diversa spatia temporis.

Similiter in generatione et corruptione, licet non sit successio, quae est inter tempus et terminum temporis; quia impossibile est, quod in eodem instanti aliquod habeat esse et non esse; sed in toto tempore praeterito fuit non ens, nec est dare ultimum instans, in quo fuit non ens, sed bene est dare primum instans, in quo est ens, ut patet ex intentione Philosophi *IV. Phys.* text. 19 et 11 et deinceps (1).

Item illuminatio aëris, licet non sit successiva, prout successio causatur ex resistentia medii, tamen ibi est successio causata ex resistentia terminorum contrariorum, scilicet *a quo*, et *ad quem.*

113. — Huic autem modo Verbi, qui est modus *esse* et *successionis*, proportionatur in supposito et in obliquo modus *entis*, id est, modus habitus *permanentis.*

Item notandum, quod modus *distantis* in Verbo sumitur ab eadem proprietate rei, a qua modus *per se stantis* sumitur in Nomine, scilicet a proprietate *essentiae determinatae* (2).

114. **Obiectio.** — Et si instes: si a proprietate essentiae determinatae trahitur in Verbo modus *distantis;* cum ergo Participium eamdem rem Verbi significet, quae secundum essentiam est distincta; ergo Participium modum distantis habet, quod est falsum.

Solutio. — Ad cuius solutionem est notandum, quod in una et eadem re possunt reperiri diversae proprietates rei, non repugnantes, a quibus sumi possunt diversi modi significandi activi, licet una vox non imponatur ei, ut stat sub omnibus illis proprietatibus, sed quandoque imponatur una vox, ut stat sub una proprietate, quandoque alia vox, ut stat sub alia proprietate. Verbi gratia, haec res, *albedo*, habet diversas proprietates, sub quibus possunt ei imponi diversae voces. Nam si consideretur in ea modus *entis*, qui est modus *habitus* et *permanentis*, sic significatur per vocem nominis *absolute.*

Si autem considetur in ea modus *entis*, et cum hoc modus essentiae *determinatae*, sic significatur voce nominis *substantivi*, ut *albedo*. Si autem consideretur in ea modus *entis*, et cum hoc modus *inhaerentiae* alteri secundum essentiam, sic significatur in voce nominis *adiectivi*, ut *albus*. Item si

(1) Vid. Distinct. *Materia*.
(2) Num. 24.
(3) Vid. Distinct. *Aeternitas*.

(1) Cf. Exposit. Doctor.
(2) Vid. n. 24.

consideretur in ea modus *esse*, qui est modus *fluxus* et *successionis*, et cum hoc modus essentiae *distinctae*, sic significatur *verbaliter*, ut *dealbo*. Item si consideretur in ea modus *inhaerentis secundum esse*, sic significatur *participaliter*, ut *dealbans*.

115. **Differentia Verbi et Participii in significando.** — Et sic patet, quod quamvis Participium significet eamdem rem, quae Verbum significat, quae secundum essentiam est distincta, tamen Participium non significat eam, ut distinctam, sed ut alteri unitam, et ideo modum *distantis* non habet.

116. **Instantia.** — Et si instes: a proprietate essentiae distinctae oritur modus *distantis* in Verbo, videtur quod modus *distantis* in Verbo non possit convenire omni Verbo; quia dicendo: *ens est, esse* non significat aliquid essentialiter distinctum ab omni ente, quia quod est essentialiter distinctum ab ente est non ens.

Solutio. — Dicendum est, quod licet hoc verbum *est* non significet aliquid essentialiter ab ente distinctum, attamen in ista propositione subiectum accipitur ut materia, et praedicatum ut forma, quae essentialiter differunt.

Vel dicendum est, quod licet non sit dare ens praeter hoc, vel illud; et cum omne quod est sit hoc, vel illud, quia ens est concretum, et significat duo, scilicet rem et esse, et illud esse non est ens; ideo hoc verbum *est* significat aliquid distans ab ente.

Vel aliter, licet in ista propositione significatum Verbi non differat essentialiter et secundum rem a significato suppositi, differt tamen ab eo secundum rationem, et hoc sufficit ad distantiam et diversitatem Verbi a supposito, quae sunt entia secundum rationem.

117. **Verbi definitio.** — *Verbum* ergo est *pars orationis significans per modum esse distantis a substantia.*

Caput XXVI.

De Modis significandi essentialibus, subalternis et specialissimis Verbi.

118. **Verbum substantivum.** — Sub hoc modo essentiali *generalissimo* Verbi, ad modos significandi essentiales *subalternos*, per quamdam divisionem descendamus.

Iste ergo modus *esse cum distantia*, vel sumitur *generaliter*, tanquam aliquid specificabile per esse speciale, et sic modus *esse cum distantia* constituit Verbum *substantivum*. Verbum ergo *substantivum* est, *quod significat per modum esse generaliter, specificabile per quodlibet esse speciale.* Unde etiam dicitur *substantivum*, non ex modo *per se stantis*, sed quia significat esse generale specificabile; ideo potest stare specificativum cuiuscumque specificantis ipsum.

119. **Verbum vocativum.** — Vel iste modus *esse cum distantia* sumitur generaliter respectu rei *propriae nominationis* tantum; et sic constituit Verbum *vocativum*. Verbum ergo *vocativum significat nominationem in generali, specificabilem per quamcumque nominationem propriam in speciali.*

120. **Verbum adiectivum.** — Vel iste modus *esse cum distantia* sumitur *specialiter*, prout stat in speciali pro *esse* actionis vel passionis; et sic iste modus constituit Verbum *adiectivum*. Verbum ergo *adiectivum* est, *quod actionem vel passionem significat.*

121. **Verbum activum.** — Iste modus *esse specialis* subdividitur in quatuor modos essentiales specialissimos, scilicet: in modum *actionis*, in modum *passionis*, in modum *neutri*, et in modum *utriusque*.

Modus significandi per modum esse distantis, sub modo *actionis* tantum, constituit Verbum adiectivum *activum*. Verbum ergo *adiectivum activum* est, *quod significat tantum actionem*, ut *amo, doceo*.

122. **Verbum passivum.** — Modus significandi per modum esse distantis, per modum *passionis* tantum, constituit Verbum adiectivum *passivum*. Verbum ergo *adiectivum passivum* est, *quod significat passionem tantum* ut *amor, doceor*.

123. **Neutrum.** — Modus significandi per modum *esse* sub modo *neutri*, sive sub *privatione utriusque*, constituit Verbum *neutrum*. Verbum ergo *neutrum* est, *quod nec actionem, nec passionem significat*, ut *vivo, sto*, etc. Sicut enim aliqua *neutra*

dicuntur *absoluta*, non per aliquem modum significandi, sed per privationem transitionis, sic aliquod Verbum dicitur *neutrum*, non per aliquem modum significandi, sed per *privationem* actionis, vel passionis, vel alterius.

Iuxta quod notandum est, quod Verbum *neutrum* est ab aliis specifice distinctum, non per privationem actionis, et passionis, sed per modum significandi specialem, qui est modus significandi per modum *esse*, ut est contractum *esse speciali*, non *esse* actionis, vel passionis, sed *esse speciali* alicuius alterius dictionis.

124. **Obiectio.** — Et si dicas: non est contractum *esse speciali* actionis vel passionis; ergo habebit modum *esse generalis;* et sic Verbum *neutrum* erit Verbum *substantivum*, quod est falsum.

Solutio. — Dicendum, quod licet Verbum *neutrum* non habeat modum significandi modo actionis vel passionis contractum, non tamen significat *esse* generale, ut *substantivum;* nam Verbum substantivum significat esse generale non contractum de se, sed *contrahibile*. Verbum *neutrale significat esse contractum de se, non contrahibile*, ut *vivo* significat *esse* absolute secundum *esse* vitae; et sic de aliis.

125. **Verbum commune — deponens.** — Modus significandi per modum *esse distantis* sub modo utriusque, scilicet actionis et passionis, constituit Verbum *commune*. Verbum ergo *commune* est, *quod significat per modum utriusque*, scilicet actionis et passionis, ut *criminor te*, et *a te*. — Verbum ergo *deponens* non potest esse distincta species ab activo et passivo, nisi per terminationem vocum, quod non est specie differre, cum plures partes orationis possint in una voce et terminatione convenire.

126. — Et notandum, quod quidam secundum hos modos, scilicet *actionis*, et *passionis*, *neutri*, et *communis*, distinguunt *genera* in Verbo; quod falsum est; sed penes hos modos speciales, *species* in Verbo distinguuntur, cum non sit idem dicere, *Verbum activum*, et *activi generis; passivum*, et *passivi generis*, etc. ut postea patebit (1).

(1) Cap. XXX.

127. **Epilogus.** — Patet ergo, quod sicut modus essentialis generalissimus Verbi dividitur in modos essentiales speciales; sic Verbum absolute sumptum dividitur in verba specialia. Verbum ergo absolute sumptum prima sui divisione dividitur in Verbum *substantivum*, *vocativum*, et *adiectivum*. Verbum Adiectivum subdividitur in verbum *activum*, *passivum*, *neutrum*, et *commune*.

Caput XXVII.

De modo significandi accidentali communissimo Verbi.

128. **Compositio Verbi.** — Consequenter de modis significandi *accidentalibus* Verbi videamus. Iuxta quod notandum est, quod Verbum habet quemdam modum significandi, qui vocatur *compositio*, de quo antiqui Grammatici mentionem expresse non fecerunt, quem tamen modum Verbo attribuunt, moti ex dicto Philosophi *I. Periphermenias*, cap. 3, ubi dicit quod hoc Verbum, *est, significat quamdam compositionem, quam sine extremis non est intelligere;* et tamen hoc Verbum *est* in omhi Verbo includitur, tanquam radix omnium; ideo *compositio* omni Verbo inhaeret, per quam Verbum distans a supposito ad suppositum principaliter inclinatur; et hunc modum quidam vocant *essentialem* Verbo; quod non est verum, quia non est modus essentialis *generalissimus*, cum Verbo non det *esse simpliciter*, sed sit praeter eius intellectum essentialem. Nec etiam est essentialis *specialis*, cum non constituat aliquam *speciem* Verbi, ut de se patet.

Item, Verbum de se significat per modum *distantis;* sed *compositio* non, quia modus *esse inhaerentis* alteri modo *distantis* quasi opponitur; ergo Verbum habet compositionem *per accidens*. Hic autem modus sumitur a proprietate accidentali Verbi, quae est proprietas *inhaerentis* alteri *secundum esse*.

Compositio ergo est *modus significandi accidentalis Verbi, mediante quo Verbum consignificat proprietatem inhaerentis secundum esse, et quo mediante Ver-*

bum distans a supposito, primo et principaliter ad suppositum inclinatur. Licet enim Verbum per alios modos accidentales ad suppositum inclinetur, hoc tamen est ex consequenti, et specialiter, inquantum supra compositionem fundantur modi illi ipsam contrahentes, sicut modus *numeri*, et *personae*, et sic de aliis.

Et huic modo Verbi, qui est *compositio*, proportionatur ex parte suppositi modus *per se stantis*. Et iste modus consequitur Verbum ratione modi dicti *stantis*, quia cum Verbum sit alterum extremum in oratione, distans a supposito, et inclinetur ad suppositum, huius inclinationis principale et communissimum principium, inter ceteros modos accidentales Verbi, est *compositio*. Et dico *accidentales*, quia Verbum prius per modum *esse* inclinatur ad idem, quod habet modum *entis;* sed ille modus est essentialis, ut dictum est.

Nec obstat si *compositio* simul stet cum modo *distantis* in Verbo; quia licet eidem insint, et respectu eiusdem, non tamen eodem modo, et secundum idem; nam modus *distantis* inest Verbo a proprietate *essentiae distinctae;* sed *compositio* a proprietate *inhaerentis* alteri secundum esse. Nec eodem modo, quia modus *distantis* inest Verbo per se, *compositio* vero per accidens.

Caput XXVIII.

De Modis accidentalibus specialibus Verbi, et in particulari de Qualitate.

129. **Accidentia Verbi septem.** — De aliis modis significandi *accidentalibus* Verbi, qui sunt, et quot, videamus. Et secundum Donatum sunt septem, scilicet: *qualitas, coniunctio, genus, numerus, figura, tempus, persona,* de quibus secundum ordinem videamus, et primo de *qualitate.*

130. **Qualitas Verbi.** — Iuxta quod notandum est, quod per *qualitatem* Donatus intelligit et dat intelligere duos modos accidentales Verbi, scilicet *modum* et *formam;* sicut in Nomine per *qualitatem* dat intelligere duos modos significandi, scilicet *appellativum* et *proprium,* et in Pronomine per *qualitatem, demonstrationem* et *relationem* (1).

131. **Modus Verbi.** — *Modus* autem, ut est accidens Verbi, sumitur a proprietate rei Verbi, quae est proprietas *qualificationis, dispositionis,* et *inclinationis* rei Verbi ad suppositionem, significans qualitatem *indicii, imperii, voti, dubii,* vel *infiniti. Modus* ergo *Verbi nihil aliud est quam modus significandi accidentalis Verbi, mediante quo proprietatem Verbi per modum indicii, imperii, voti, dubii, vel infiniti circa Verbi dependentiam ad suppositum consignificat.* Et ex his qualificationibus anima prius afficitur, quando ad enuntiandum actum de substantia inclinatur.

Inde est quod Petrus Helias (2) diffiniens *modum* dixit: *Modus est varia animi inclinatio, varios eius affectus demonstrans;* sed non quod modus sit ipsa inclinatio, sed qualitas inclinationis, non ea, qua anima inclinatur ad enuntiandum actus de substantia; sed *modus,* ut est accidens Verbi, est qualitas *compositionis,* qua Verbum inclinatur ad suppositum.

132. **Modi Verbi quinque.** — Quaedam qualitas est animae, hoc est, causata ab anima, sicut et caetera Verbi accidentia, repraesentans diversos affectus, hoc est, dispositiones animae, id est, prius existentes in anima. Et iste modus significandi, qui vocatur *modus,* est continens Verbum ratione *compositionis;* compositio sequitur Verbum ratione *esse distantis;* et secundum diversitatem harum qualitatum diversificatur *modus* per quinque differentias, scilicet: per *indicativum, imperativum, optativum, coniunctivum* et *infinitivum.* Dicitur autem *infinitivus,* quia omnibus communis est, cum omnes modi in ipsum resolvantur: ut dicendo, *lego,* id est, *indico me legere; lege,* id est, *impero te legere,* et sic de aliis.

133. **Correspondentia Verbi et suppositi.** — Notandum, secundum quosdam, quod *modo finito* in Verbo correspondet *casus simpliciter* in supposito, quae est ratio principii, vel termini generaliter sumpti. Quod

---

(1) Vid. Cap. XIV. et XXIII.

(2) Tract. *de Verbo.*

non est verum, quia cum ratio *principii* sit tantum *a parte ante*, tanquam in supposito; et ratio *termini* sit tantum *a parte post*, tanquam in obliquo; si modo *finito* in Verbo corresponderet casus *simpliciter* in supposito, tunc vel ratio termini esset in supposito, vel modus determinaret dependentiam Verbi post se in obliquo; quo posito, modus non solum esset qualitas compositionis, qua Verbum dependeret ante se ad suppositum, sed etiam esset qualitas dependentiae Verbi post se ad obliquum: sed utrumque est falsum. Unde dicendum, quod modo *finito* in Verbo correspondet in supposito ratio *principii*. Sicut enim Verbum per modum *esse* exigit in supposito modum *entis per se stantis;* sic per modum, qui est qualitas *compositionis*, exigit in supposito modum *per se stantis*, in ratione *principii* se habentis.

134. **Forma verbi.** — *Forma*, quae est accidens Verbi, idem est, quod *species* in Nomine, et ab eadem proprietate sumpta, scilicet a modo *essendi primarie vel secundarie* (1). *Forma* ergo est *modus significandi accidentalis Verbi, mediante quo Verbum modum existendi primarium vel secundarium significat.* Et dividitur in formam *perfectam, meditativam, frequentativam, inchoativam, diminutivam*, et *desiderativam*. Per formam *perfectam* debet intelligi *species primitiva;* quia quae sunt perfectae formae sunt primitivae speciei, quia significant rem Verbi absolute, ut *lego, sorbeo, volo*, et *sum*. Sed quae sunt *inchoativae* formae, et sic de caeteris, sunt derivativae speciei; quae non significant rem Verbi absolute, sed cum quadam additione, scilicet, sub inchoatione, frequentatione, et sic de caeteris, ut *fervesco, lecturio, patrisso, sorbillo*, etc.

(1) Vid. c. XV.

Caput XXIX.

De Coniugatione et significatione accidentali Verbi.

135. **Coniugatio Verbi.** — Ulterius videndum est de *coniugatione*. Est autem *coniugatio modus significandi rem Verbi prout inflectitur per diversas proprietates temporum, numerorum, modorum, et personarum*. Unde habet se sicut *declinatio* in Nomine; quia sicut *declinatio* in Nomine est modus significandi rem Nominis, prout inflectitur per diversas prorietates casuum, sic *coniugatio* in Verbo est modus significandi rem Verbi, prout inflectitur per diversas proprietates temporum, numerorum, modorum, et personarum. Sed differunt, quod *declinatio* attenditur penes inflexionem *unius* accidentis, qui est casus. Ideo Donatus *declinationem* sub casu comprehendebat (1). *Coniugatio* autem attenditur penes inflexionem *plurium* accidentium; ideo sub nullo proprie et determinate potest comprehendi; et ideo inter alia accidentia Verbi numeratur. Quod autem *coniugatio* sit *prima, secunda, tertia*, vel *quarta, consequens*, vel *inconsequens*, hoc totum a parte vocis attenditur. Et ex hoc patet, quod *sum* et *volo* habent coniugationem, licet non *primam, secundam, tertiam*, vel *quartam*.

136. **Significatio accidentalis Verbi.** — De significatione *accidentali*, quam Priscianus et Donatus comprehendunt sub genere Verbi, videamus. Iuxta quod sciendum, quod significatio sumitur a proprietate rei Verbi, quae est proprietas dependentiae ad quemlibet *obliquum post se*, habentem se in ratione per se standi. *Significatio* ergo *accidentalis* est *modus significandi accidentalis Verbi, mediante quo Verbum significat proprietatem dependentiae ad quemlibet obliquum post se.* Sicut enim *compositio* est modus significandi, mediante quo Verbum primo et principaliter dependet ad quemlibet *suppositum ante se;* ita *significatio* est modus significandi, mediante quo Verbum primo et principaliter dependet ad quemlibet *obliquum post se*.

Et hoc patet per Petrum Heliam, qui per *significationem accidentalem* vult intelligere modum *transeuntis*, id est, modum *dependentis* ad quemlibet obliquum post se. Et huic modo significandi proportionatur modus *entis per se stantis* a parte post in

(1) Vid. n. 95.

obliquo. Nam sicut Verbum per *compositionem* exigit modum *entis per se stantis* in quolibet supposito a parte ante; sic Verbum per *significationem accidentalem* exigit modum *entis per se stantis* in quolibet obliquo. Vocatur autem iste modus *significatio*, quia ipsa mediante Verbum repraesentat proprietatem immediate supra significatum Verbi fundatam. Et dicitur *accidentalis*, quia non est *essentialis*, *generalis* nec *specialis*, ut dictum est de *compositione* (1).

Caput XXX.

De Genere accidentali Verbi.

137. **Genus Verbi.** — Consequenter de *genere* videamus. *Genus* in Verbo sumitur a proprietate rei Verbi, quae est proprietas *dependentiae* rei Verbi, *post se ad obliquum*, sub ratione termini *non contracti*, sed *contrahibilis*. *Genus* ergo *in Verbo* est *modus significandi accidentalis Verbi, mediante quo proprietatem dependentiae rei Verbi post se ad obliquum, sub ratione termini, significat.* Et hoc patet per Petrum Heliam, qui deffinit genus per significationem accidentalem, sic dicens: *Genus est significatio accidentalis cum determinatione in* o *vel* or; dans intelligere per *significationem accidentalem*, modum significativum *transeuntis*, ut dictum est, id est, *dependentiae* ad quemlibet obliquum *post se*. Per determinationem in *o* vel in *or*, dat intelligere species generis, quarum diversitas maxime attenditur penes vocis terminationem, secundum Grammaticos, ut patebit.

Notandum, quod haec definitio generis non est *formalis*, sed *materialis*. *Genus* enim non est formaliter *significatio*, quia unus modus non est alius, sed *genus* est quasi qualitas *significationis* determinans sive *specificans significationem*. Sicut enim se habet modus Verbi ad *compositionem*, sic se habet *genus* ad *significationem*. Sed *modus* Verbi non est formaliter *compositio*, vel *inclinatio*, sed qualitas *compositionis*, vel *inclinationis*, ut dictum est (2). Sic *genus* non est formaliter *significatio*, sed qualitas *significationis* ipsam contrahens et disponens.

Item, sicut *modus* consequitur Verbum ratione *compositionis*, sic *genus* consequitur Verbum ratione *significationis*. Et vocatur iste modus significandi *genus*, a *generando* dictum, quia vox unius generis *generatur* a voce alterius generis, ut vox *passiva* generata a voce *activa*.

138. **Unde habet Verbum quod sit activum vel passivum vel neutrum.** — Quod autem aliquod Verbum sit generis *activi*, vel *passivi*, vel *neutri*, et sic de *caeteris*, hoc maxime a parte vocis attenditur. Et hoc etiam patet per Donatum, qui tali modo deffinit genus *activum*, dicens quod *genus activum est quod desinit in* o, *et potest accipere* r *super* o, *et facere ex se passivum.* Et quia Verbum per vocis terminationem non magis determinat sibi actionem quam passionem, ideo dubium est, quare Verbum sub terminatione vocis in *o* magis debet esse *activi* generis, quam *passivi*, et sic de caeteris. Unde dicendum est, quod, cum genus Verbi sit ratio significandi dependentiam rei Verbi post se ad obliquum sub ratione termini, ut dictum est (1); et cum huiusmodi dependentia sit aliquando *actione* coniuncta, ut *amo te*; et aliquando *passione* coniuncta, ut *amor a te;* aliquando tam *actione*, quam *passione* coniuncta, ut *criminor*, *amplector;* aliquando neutro, ut *spiro*, *vivo;* aliquando *actione* coniuncta, deposita *passione*, aut e converso, ut *loquor*, *irascor;* inde est quod quoddam genus est *activum*, quoddam *passivum*, et sic de caeteris. Sed oportet praeter hoc ad vocis terminationem attendere, si velimus genera Verborum servare.

139. **Verbum activum.** — Dicendum ergo quod illud Verbum est *activum*, *seu activi generis, quod sub terminatione vocis in* o, *potest mutari in* r, *et frequentius actionem significat*, ut *amo*, *lego*. Et dicitur *frequentius*, propter ista verba, *timeo*, *liceo*, *metuo*, et huiusmodi, quae sub voce *activa* modum *passionis* significant.

---

(1) N. 128.
(2) N. 131.

(1) N. 137.

140. **Passivum.** — Verbum *passivi generis* est, *quod sub terminatione vocis in* r, *potest mutari in* o, *et frequentius passionem significat*, ut *amor*, *legor*. Et dico *frequentius*, propter *liceor*, et huiusmodi, quae sub voce *passiva actionem significant*.

141. **Neutrum.** — Verbum *neutri generis* est, *quod sub terminatione vocis in* o, *non potest mutari in* r, *et sub indifferentia, vel indeterminatione, actionem vel passionem significat*, ut *curro*, *ferveo*, *vivo*: ita quod respiciendo ad omnia verba *neutri* generis, quaedam significant *actionem* tantum, ut *curro*; quaedam *passionem* tantum, ut *ferveo*; quaedam neutrum, ut *sto*, *vivo*.

142. **Deponens.** — Verbum *deponentis generis* est, *quod sub terminatione vocis in* r *non potest mutari in* o, *et consignificat actionem, deposita passione*; ut *luctor*, *loquor*, *sequor*, *vereor*, *lucror*, *laetor*, *fruor*, et alia multa eius generis; vel *passionem*, deposita *actione*, quorum solum duo inveniuntur, *patior* scilicet, et *nascor*, et non differunt a praedictis generibus, nisi penes vocis terminationem.

143. **Commune.** — Verbum *communis generis* est, *quod sub terminatione vocis in* r *non potest mutari in* o, *et consignificat actionem et passionem simul*; quorum novem inveniuntur, scilicet: *criminor*, *amplector*, *osculor*, *interpretor*, *moror*, *veneror*, *largior*, *experior*, *hortor*, et alia nonnulla *deponentia*, quae apud Auctores etiam inveniuntur in passiva significatione, ut *comitor*, etc.

Et notandum, quod sicut modo finito Verbi correspondit ratio principii *in supposito*, sic generi Verbo correspondit ratio principii *in obliquo*.

144. **Epilogus.** — Ex dictis concludo, quod Verbum, praeter *numerum* et *personam*, habet tot modos significandi respectivos, quibus dependet *post se ad obliquum*, quod habet, quibus dependet *ante se ad suppositum*, secundum similitudinum se habentes. Quod patet, quia sicut Verbum per modum *esse* requirit modum *entis* in supposito, sic per eumdem modum *esse* exigit modum *entis* in obliquo. Et sicut Verbum *per compositionem* exigit *per se stantis* in supposito, sic per *significationem accidentalem* exigit modum *per se stantis* in obliquo.

Item, sicut Verbum per modum *distantis* exigit modum *per se stantis* pro supposito, ita per eumdem modum *esse* exigit modum *entis* in obliquo. Et sicut Verbum per modum *compositionis* exigit modum *entis per se stantis*, in ratione principii in supposito, sic per modum *generis* exigit modum *entis per se stantis*, in ratione termini in obliquo. Item, sicut Verbum per modos proportionales casibus modo Verbi superadditos, exigit in supposito rationem principii, aliter et aliter coniunctam, et ex consequenti aliud et aliud suppositum; sic etiam Verbum per modos proportionales casibus generi Verbi superadditos exigit in obliquo rationem termini, aliter et aliter coniunctam, et ex consequenti alium et alium obliquum.

Notandum ergo, quod inter modos significandi Verbi, quibus dependet *ante se ad suppositum*, modus dependendi ad Nominativum videtur esse principalis. Unde constructio intransitiva Verbi cum Nominativo *a parte ante* maxime videtur esse intransitiva, quae potior est aliis; et quia sola perfecta sit inter alios modos transeundi et dependendi; et *a parte post*, ad obliquum modum dependendi et transeundi ad *activum*, videtur esse principalis. Unde et constructio transitiva Verbi et Participii cum *activo* maxime videtur esse transitiva; quae maxime est evidens inter alias constructiones transitivas. Et hoc attendentes Grammatici, posuerunt quaedam verba transitiva dictum modum transeuntis habentia, ut *amo*, *lego*; quaedam autem absoluta, id est, huiusmodi dependentia et transitione privata, ut *sto*, *curro*, *vivo*, *ambulo*, *sedeo*, *spiro*, et huiusmodi.

Caput XXXI.

De Persona, Numero et Figura Verbi.

145. **Undenam mutuet Verbum personam et numerum?** — De *persona*, *numero* et *figura* in Verbo dicendum est sicut in

Nomine (1). Nam ab eisdem proprietatibus sumuntur utrobique, licet differenter, quia *numerus* et *persona* insunt Verbo, non ex proprietate suae rei per se loquendo, sed ex proprietate rei *suppositi;* quod patet de *persona.* Nam *persona* est *modus significandi, quo mediante Verbum proprietatem loquendi consignificat non inhaerentem de se, sed ut res Verbi applicabilis est rei suppositi subsistentis per se secundum proprietates loquendi.* Unde *persona* inest Verbo ex aptitudine attribuendi supposito secundum variam attributionem.

146. **Verbi persona.** — *Persona* autem Verbi distinguitur per triplicem differentiam, scilicet: *primam, secundam,* et *tertiam.* Unde illud Verbum dicimus esse *primae personae* attributum, quod est applicabile supposito, prouti stat sub proprietate loquendi de se, et sic de aliis. Et ex hoc sequitur, quod illud Verbum est nullius *personae,* quod supposito sub certo modo loquendi non est applicabile. Et eodem modo dicendum est de *numero,* et *figura,* etc.

Caput XXXII.

De Tempore Verbi.

147. **Tempus praesens, praeteritum, futurum.** — Ultimo de *tempore* dicendum est. Iuxta quod est sciendum, quod sicut in re *extra,* tempus consequitur ipsum modum *esse,* sicut mensura mensuratum; sic modus temporis secundum *esse rationis* consequitur modum *esse,* qui est modus *fluxus* et *successionis.*

Tempus ergo, ut est accidens Verbi, est *modus significandi accidentalis Verbi, quo mediante Verbum, citra rem, modum temporis consignificat.* Et secundum diversitatem huiusmodi, vel proprietatis, *tempus* per tres differentias distinguitur, scilicet per *praesens, praeteritum* et *futurum* — Tempus *praesens* est *modus significandi rem Verbi, prout cadit sub differentiam praesentis temporis.* — Tempus *praeteritum* est *modus significandi rem Verbi, prout cadit sub differentiam praeteriti temporis.* — Tempus *futurum* est *modus significandi rem Verbi, prout cadit sub differentiam futuri temporis.*

148. **Obiectio.** — Et si instetur: *Deus est; Deus intelligit:* tamen *esse* et *intelligere Dei* non cadit sub aliquam differentiam temporis; ergo non semper Verbum modum et differentiam temporis requirit.

Solutio. — Respondetur, quod licet *esse* et *intelligere* Dei non cadant sub aliquam differentiam temporis, tamen cadunt sub aliquam differentiam *aeternitatis,* secundum nostram apprehensionem, ut dictum est superius (1).

149. Notandum, quod *tempus* non est accidens *respectivum* Verbi, cum secundum ipsum non dependeat *ante se* ad suppositum, nec *post se* ad obliquum. Potest tamen respectu Adverbiorum temporalium dici accidens respectivum; quia incongrue dicitur, *fortasse Socrates currit cras,* vel *Plato disputat heri.*

Et sic patent modi significandi Verbi *essentiales,* et *accidentales* declarativi, qui sunt, et quot sunt, et a quibus proprietatibus oriuntur.

Caput XXXIII.

De modo significandi generalissimo Adverbii.

150. **Adverbium.** — Modus significandi essentialis generalissimus *Adverbii* est modus significandi per modum *adiacentis* alteri, per modum *esse,* significans ipsum simpliciter et absolute determinans. Et quia *Participium* significat per modum *esse,* sicut *Verbum,* ideo *Adverbium* determinat Participium, sicut Verbum. Licet *Adverbium* dicatur *Adiectivum Verbi,* secundum Priscianum, hoc est ideo, quia *Adverbium,* secundum omnes species eius, determinat Verbum, sed non Participium; quia *Adverbia* determinantia Verba genera *compositionis,* et genera sui modi, qui est qualitas compositionis, Participia determinare non possunt,

---

(1) Vid. cap. XVIII seqq.

(1) N. 112.

cum Participium compositionem et modum Verbi non habeat. Et sumitur iste modus determinantis a proprietate *terminantis in re.* Adverbium ergo est *pars orationis, significans per modum adiacentis alteri, quod per modum esse significat ipsum* esse *absolute determinans.*

Et notandum, quod *Adverbium,* de suo modo significandi essentiali generalissimo, tantum determinat ea, quae per modum *esse* significat; licet de aliquo modo essentiali, speciali, et accidentali, possit alia determinare, ut patet de Adverbiis *exclusivis,* quae sunt *tantummodo, solummodo,* et huiusmodi; quae, propter modum significandi per modum excludentis, possunt determinare omne illud, quod habet se per modum *exclusibilis.*

Sed modum exclusibilis non habent solum Verba, vel Participia, sed etiam Nomina, et aliae partes orationis habent ipsum; ideo ista Adverbia, per huiusmodi modum essentialem specialem, habent etiam alia a Verbo, et a Participio determinare; ut dicendo: *homo tantummodo legit.* Similiter dicendo, *tunc temporis,* Adverbium, *tunc,* propter modum significandi accidentalem, qui est modus *ut alterius,* construitur cum Genitivo habente se per modum *ut alterius;* et sic de aliis.

Caput XXXIV.

De modis significandi essentialibus subalternis Adverbii.

151. Modi essentiales subalterni Adverbii duo. — Sub modo essentiali generalissimo *Adverbii* duo modi essentiales *subalterni* continentur. Quorum primus est modus significandi per modum determinantis Verbum, vel Participium ratione *significati.* Secundus modus est modus significandi per modum determinantis Verbum, vel Participium ratione *modi significandi.* Et hos duos modos Donatus appellant *significationem Adverbii.* Nam sicut per *qualitatem* in Nomine dat intelligere modum *communis,* et *appropriati* (1); per *qualitatem* in Pronomine, demonstrationem et relationem (1); per *qualitatem* in Verbo, modum et formam (2); sic per *significationem* in Adverbio, dat intelligere duos modos essentiales subalternos mediatos.

(1) Vid. n. 66.

152. Significatio duplex. — Et notandum est, quod duplex est *significatio:* una qua vox refertur ad esse, et per quam vox formaliter fit *dictio,* ut prius dictum est; et hoc est essentiale cuilibet parti. Nam quaelibet pars orationis aggregat in se tria, scilicet: *vocem, significationem,* et *modum* significandi. Alia est significatio, quae idem est, quod *modus significandi;* et haec est alia in Adverbio, alia in Participio, et alia in Interiectione, qui modi significandi sunt. Quis autem modus sit *significatio* in Participio, et Interiectione, postea patebit.

153. Adverbii significatio. — *Significatio in Adverbio,* ut dictum est, est *modus significandi, quo mediante Adverbium repraesentat specialem modum determinandi Verbum, vel Participium, aut ratione significati, aut ratione modi significandi.* Unde *significatio* non est modus *accidentalis* Adverbio, sed *essentialis specialis,* nisi pro tanto dicatur *accidentalis,* quia est extra rationem Adverbii absolute, ut prius dictum est de qualitate Pronominis in Pronomine.

Caput XXXV.

De modis essentialibus specialissimis Adverbii ex parte rei significatae, et ex parte modi significandi.

154. Adverbii divisio. — Sub his duobus modis subalternis *Adverbii,* ad modos essentiales *specialissimos* descendamus. Primus est modus significandi per modum determinantis Verbum, vel Participium ratione *rei significatae;* et dividitur in quatuor species essentiales, quatuor species Adverbiorum constituentes, quae sunt Adverbia *loci, qualitatis, quantitatis, vocandi.*

155. Adverbium loci. — Adverbium *loci* est quod determinat rem Verbi ratione *loci.*

(1) Vid. n. 106.
(2) Vid. n. 130.

Et hoc dupliciter: vel per modum *requirentis* locum, vel *respondentis* ad locum. Si per modum *requirentis*, hoc est quadrupliciter: vel est *in quo*, et sic est *ubi*; vel *a quo*, et sic est *unde*; vel *ad quem*, et sic est *quo*; vel *per quem*, et sic est *qua*. Si per modum *respondentis ad* locum, sic sunt ista Adverbia: *hic, ibi, illic, inde, intus*, et huiusmodi.

156. **Quantitatis.** — Adverbium *quantitatis* significat per modum determinantis rem Verbi vel Participii ratione *mensurae continuae*, vel *discretae* (1). Et sub hac specie comprehenduntur Adverbia *separandi*, ut *seorsum, retrorsum*, et huiusmodi. Et hoc vel per modum *requirentis* mensuram, ut *quoties, quantum*; vel per modum *respondentis* mensuram, et sic sunt ista Adverbia: *multum, parum, modicum, minimum, minime, semel, bis, ter, quater*.

Et notandum, quod Donatus appellat Adverbium *quantitatis* discretae *adverbium numeri*, non quod determinet Verbum, vel Participium ratione *numeri*, cum etiam possit determinare aliquod Verbum quod nullius est numeri, ut dicendo: *legere semel*, vel *amare bis, ter, quater*; sed ideo dicitur determinare Verbum ratione *numeri*, quia determinat rem Verbi ratione mensurae *discretae*, cuius species est *numerus*; vel ideo quia repraesentat rem Verbi esse *iteratam*; et sic sunt ista Adverbia, *bis, ter, quater*; vel repraesentat rem Verbi esse *iteratione privatam*, ut *semel*. Ex unitate enim multoties iterata numerus causatur (2); propterea a Donato *adverbium numeri* nuncupatur.

157. **Qualitatis.** — Adverbium *qualitatis* significat per modum determinantis rem Verbi vel Participii ratione *qualitatis* (3); et hoc dupliciter: vel per modum *requirentis* rem Verbi, ut *qualiter, quomodo*; vel per modum *respondentis ad qualitatem*, ut *docte, prudenter*.

158. **Vocandi.** — Adverbium *vocandi* est quod Verbum ratione actus *exercitandi* determinat, prout ad ipsum resolvitur substantia vocativi vocata, ut, *o Henrice, lege*.

(1) Vid. Distinct. v. *Quantitas*, etc.
(2) Vid. ib. v. *Numerus*.
(3) Vid. ib. v. *Qualitas*.

159. — Secundus modus significandi per modum *determinantis* rem Verbi vel Participii ratione modorum significandi dividitur in tres modos, scilicet: in modum significandi per modum determinantis Verbum vel Participium ratione *compositionis*; et in modum significandi per modum determinantis Verbum ratione *temporis*; et in modum significandi per modum determinantis Verbum ratione *qualitatis* sive modi; qui dicuntur *indicativum, optativum, imperativum*, etc.

160. **Alia Adverbii subdivisio.** — Modus significandi per modum determinantis Verbum ratione *compositionis* est modus significandi per modum *determinantis inhaerentiam Verbi*; et subdividitur in quatuordecim modos specialissimos, quatuordecim species Adverbiorum constituentes, quae sunt Adverbia *interrogandi, dubitandi, affirmandi, negandi, modificandi, demonstrandi, ordinis, similitudinis, eventus, prohibendi, eligendi, congregandi, residendi, excludendi*. Adverbia *interrogandi* determinant inhaerentiam Verbi sub ratione *requirentis causam*, ut *cur, quare*, et huiusmodi. Adverbia *dubitandi* determinant inhaerentiam Verbi sub ratione *dubitationis*, ut *forsan, forsitan*, etc. Adverbia *affirmandi* determinant inhaerentiam Verbi ratione *affirmationis*, vel assensus, ut *etiam, certe*, et huiusmodi. Adverbia *negandi* determinant inhaerentiam Verbi sub ratione *negationis*, ut *haud, non, neque*. Adverbia *jurandi* sub istis duobus modis continentur. Adverbium *modificandi* determinat inhaerentiam Verbi sub ratione *necessitatis, contingentiae, possibilitatis*, vel *impossibilitatis*; et sic intelligitur suo modo de aliis. Nam Adverbia habent fere idem pro significato, et pro modo significandi, sicut hoc Adverbium, *forte*, de suo significato speciali importat eventum, et significat per modum eventus; et ideo cognito significato speciali, cognoscitur et modus significandi, quia non discrepant nisi penes rationem, sicut *absolutum* et *comparativum*.

161. Modus significandi per modum determinantis verbum ratione *modi*, qui est *qualitas* inclinationis, subdividitur in duos modos specialissimos, duas species Adver-

biorum constituentes, quae sunt Adverbia *optandi*, et *hortandi*.

Adverbia *hortandi* determinant inhaerentiam Verbi sub ratione *exhortationis* exprimendae, ut *eia, age*. Adverbium *optandi* determinat inhaerentiam Verbi sub ratione *voti*, vel *desiderii*, ut *utinam*.

Modus significandi per modum determinantis Verbum sub ratione *temporis* subdividitur in duos modos speciales, duas species Adverbiorum constituentes, scilicet: Adverbium temporis *interrogativum*, et *responsivum*. Adverbium temporis *interrogativum* significat per modum determinantis Verbum sub ratione temporis, per modum inquirentis tempus, ut *quando?* Adverbium temporis *responsivum* significat per modum determinantis inhaerentiam Verbi ratione temporis, sub modo respondentis, ut *nunc, nuper, hodie*.

Et notandum quod nulla species Adverbii determinat Verbum sub ratione modi significandi essentialis *generalissimi* ipsius Verbi; sed sub ratione modorum *specialium*, vel *accidentalium*, ut visum est.

Et notandum, quod Donatus posuit quaedam Adverbia specialia *personalia*; quae tamen Adverbia non sunt, nec Verbum ratione personae determinant; quia etiam possunt adiungi Verbis, quae sunt nullius personae, ut dicendo: *legitur mecum, amatur tecum*. Unde dicendum, quod secundum Priscianum, sunt pronomina cum praepositione per apostropham prolata, et transitive cum Verbis *a parte post* constructa. Sic etiam patet, quod sicut modus *essentialis generalissimus* Adverbii dividitur in modos *subalternos*, ad modos *specialissimos* descendendo, sic pari modo Adverbium simpliciter sumptum dividitur in Adverbia specialia.

162. **Epilogus.** — Dividitur autem Adverbium, primo in Adverbium *determinans* Verbum ratione *significati*, et in Adverbium determinans Verbum ratione modi *significandi*. Adverbium determinans Verbum ratione *significati* subdividitur in Adverbium *loci, quantitatis, qualitatis*, et *vocandi*.

Item Adverbium determinans Verbum ratione modi *significandi* subdividitur in Adverbium determinans Verbum ratione *compositionis*, ratione *modi*, et ratione *temporis*.

Item Adverbium determinans Verbum ratione *compositionis* subdividitur in Adverbium *interrogandi, dubitandi, affirmandi, negandi, modificandi, ordinis, similitudinis, eventus, prohibendi, eligendi, congregandi, demonstrandi, residendi, excludendi*.

Item Adverbium determinans Verbum ratione *modi* subdividitur in Adverbium *hortandi* et *optandi*.

Item Adverbium determinans Verbum ratione *temporis* subdividitur in Adverbium *requirens tempus*, et Adverbium *respondens tempus*, de quibus omnibus dictum est.

De *comparatione, specie* et *figura* dicendum est hic sicut in Nomine (1).

Et sic patent modi significandi essentiales et accidentales Adverbii, qui sunt, et quot sunt, et a quibus proprietatibus sumuntur.

Caput XXXVI.

De modo significandi essentiali generalissimo Participii.

163. **Participium.** — Modus significandi essentialis generalissimus *Participii* est modus significandi per modum *esse indistantis* a substantia. Circa quod notandum, quod modus *esse* in Participio et in Verbo ab eadem rei proprietate oritur, quae est proprietas *fluxus* et *successionis;* et in hoc modo Participium a Verbo non discrepat (2).

Modus autem *indistantis* a substantia, seu modus *uniti* substantiae, sumitur ab eadem rei proprietate in Participio, a qua sumitur modus *adiacentis* in Nomine, et *compositio* in Verbo; et haec est proprietas *inhaerentis alteri secundum esse*. Et non est inconveniens ab eadem rei proprietate modos significandi diversos, non oppositos, oriri, cum modi significandi oppositi in eadem voce possint fundari. Et per hunc modum significandi, Participium a Verbo distinguitur, et per ipsum Participium in suum sup-

(1) Vid. c. XVI et XVIII.
(2) Vid. c. XXV.

positum in constructione et in situ collocatur.

Participium ergo est *pars orationis significans per modum esse indistantis a substantia, sive* uniti *cum substantia,* quod idem est. Et dicitur *participium,* quasi *partem* Nominis, et partem Verbi *capiens,* non partem *essentialem,* id est, modum *essentialem* utriusque, ut quidam dicunt, quod Participium significat per modum *entis,* et per modum *esse;* quod falsum est; quia tunc Participium non esset ab utroque distinctum specifice, quod est inconveniens. Sed pro tanto dicitur Participium capere partem Nominis et Verbi, quia habet quosdam modos significandi *accidentales* modis accidentalibus Nominis et Verbi consimiles, ut statim apparebit.

Caput XXXVII.

De modis significandi essentialibus subalternis et specialissimis Participii.

164. **Participii divisio subalterna.** — Sub modo essentiali generalissimo Participii ad modos *subalternos* descendamus. Dividitur autem modus *esse indistantis* in tres modos subalternos. Primus modus est modus significandi per modum *esse generaliter respectu cuiuslibet esse specialis.* Et hic modus constituit Participium *substantivum,* ut *ens, existens.* — Secundus est modus significandi per modum *esse generalis, respectu nominationis propriae tantum.* Et hic modus constituit participium *vocativum,* ut *nominans, vocans.* — Tertius est modus significandi per modum *esse specialis actionis, vel passionis.* Et hic modus constituit Participium *adiectivum.*

165. **Participii adiectivi divisio.** — Et subdividitur iste modus esse specialis actionis vel passionis in quatuor modos essentiales *specialissimos.* Primus est modus significandi per modum *actionis tantum;* et hic modus constituit Participium ab *activo* descendens, ut *legens, amans.* — Secundus modus est modus significandi per modum *passionis tantum;* et hic modus constituit Participium a Verbo *passivo* descendens, ut *amatus, lectus.* — Tertius est modus significandi per modum *neutrius;* et huiusmodi modus constituit Participium a verbo *neutro* descendens, ut *stans, currens.* — Quartus est modus significandi per modum utriusque simul; et hic modus constituit Participium a Verbo *communi* descendens, ut *criminans, criminatus,* et huiusmodi.

166. **Epilogus.** — Et sic patet, quod sicut modus essentialis generalissimus Participii dividitur in modos subalternos, ad specialissimos descendendo, sic etiam Participium, simpliciter sumptum, dividitur in Participium *substantivum,* et *adiectivum,* et *vocativum.* Adiectivum subdividitur in *activum, passivum, neutrum,* et *commune.*

Caput XXXVIII.

De modis significandi accidentalibus Participii.

167. **Participii significatio.** — Consequenter de modis significandi *accidentalibus* Participii videamus. Sunt autem, secundum Donatum, sex accidentia Participii, scilicet: *significatio, genus, tempus, numerus, figura, casus.* Significatio in Participio, secundum Grammaticos, idem est, quod *genus* in Verbo, et ab eadem proprietate sumitur. *Genus* autem in Verbo, ut dictum est (1), est modus significandi per modum *dependentiae* Verbi ad obliquum *post se,* in ratione termini; et hoc idem est *significatio* in Participio.

Ex hoc sequitur, quod quemcumque modum significandi Verbum exigit post se in obliquo, ratione *generis,* eumdem exigit Participium post se in obliquo, ratione *significationis;* et hic modus est modus significandi in ratione termini absolute, et non contracti, tamen contrahitur, ut dictum est de Verbo (2). Quod autem aliquod Participium sit significationis activae, vel passivae, et sic de aliis, hoc totum de parte vocis attenditur.

168. **Participii genus — numerus — figura — casus — persona — tempus.** — De *genere, numero, figura, casu, et parsona,* sicut in Nomine dictum est (3), intelligitur hic; et de *tempore* eodem modo intelligitur

---

(1) Num. 137.
(2) Cap. XXV.
(3) Cap. XVI seqq.

hic, sicut dictum est de Verbo (1). Sed tamen notandum, quod Nomina adiectiva, et Pronomina, quae tot sunt Adiectiva, et Participia adiectiva, habent *casus, numerum, genus, et personas,* non ex parte *suae* rei, per se loquendo, sed ex parte rei *subiectae.* Nam significatum istorum non stat per se sub proprietate *agendi,* vel *patiendi,* a qua oritur *genus;* nec stat per se sub proprietate *unius,* vel *plurium,* a qua sumitur *numerus,* cum accidentia numerentur ad numerationem subiectorum; nec etiam stat per se sub proprietate *termini,* vel *principii,* a qua oritur *casus;* non enim tali dependentia constructio enuntiatur et terminatur; nec etiam stat per se sub proprietate *loquendi,* a qua oritur persona; sed res subiecti per se sub istis proprietatibus consistit. Unde dicta accidentia insunt eis per attributionem sui ad subiectum; et ideo etiam huiusmodi Adiectiva requirunt dicta accidentia in subiectis, non per modos significandi proportionales, sed similes; scilicet: simile *genus,* similem *numerum,* similem *personam,* requirunt, ut postea patebit.

Et sic patent modi significandi Participii *essentiales,* et *accidentales,* qui sunt, et quot sunt, et a quibus proprietatibus oriuntur.

169. **Participii significatio.** — De significato Participii hoc intelligendum est, quod intelligitur de significato cuiuslibet termini concreti accidentis, quod quidam ponunt aggregatum ex utroque, scilicet ex accidente et subiecto; et quidam ponunt illud solum esse accidens, sub modo dependentis ad ipsum subectum; alii ponunt aggregatum formaliter esse, tamen per rationem accidentis. Et quia omnes istae positiones habent forte defensores, ideo de significato Participii diputantibus relinquantur.

Caput XXXIX.

De modo significandi Coniunctionis tam essentiali generalissimo, quam subalterno specialissimo.

170. **Coniunctio.** — Modus significandi *essentialis Coniunctionis generalissimus* est modus significandi per modum *coniungentis duo extrema.* Et sumitur iste modus significandi a proprietate coniungentis et unientis in rebus extra. *Coniunctio* ergo est *pars orationis, per modum coniungentis duo extrema significans.*

171. **Coniunctionis modi subalterni.** — Sub modo *essentiali generalissimo Coniunctionis,* ad modos *subalternos,* per divisionem descendamus. Dividitur autem iste modus *coniungentis duo extrema* in modum coniungentis duo extrema *per vim,* et in modum coniungentis duo extrema *per ordinem.* Et hos duos modos Donatus appellat *potestates.* Et habet se similiter *potestas* in Coniunctione, sicut *significatio* in Adverbio. Nam sicut *significatio* in Adverbio consistit in speciali modo *determinandi* (1), sic *potestas* in Coniunctione consistit in speciali modo *coniungendi.* Et istiusmodi modus est modus coniungendi *per vim,* et *per ordinem.* Ex hoc patet, quod *potestas* in Coniunctione non est modus significandi *accidentalis,* nisi pro tanto, quia est extra rationem Coniunctionis simpliciter et absolute sumptae, ut dictum est de significatione in Adverbio.

172. **Coniunctio per vim — copulativa — disiunctiva.** — Modus significandi per modum *coniungentis duo extrema per vim* est *modus significandi, uniendi duo extrema, quae inter se dependentiam non habent,* ut duo substantiva, vel duo adiectiva, vel duas orationes, inter se ordinem non habentes. Et dividitur in duos modos essentiales *specialissimos.* Quorum primus est *modus significandi per modum coniungentis duo extrema inter se, et respectu alicuius tertii.* Et iste modus constituit Coniunctiones *copulativas.* — Secundus modus est *modus significandi per modum coniungentis duo extrema inter se, distinguendo ea respectu tertii.* Et hic modus constituit Coniunctiones *disiunctivas,* de quibus Boëtius dicit, quod *Coniunctio disiunctiva sentit hoc, quod ea quae coniungit, simul esse non permittit.*

173. **Coniunctio per ordinem — causalis — rationalis — expletiva.** — Item modus significandi per modum coniungentis duo ex-

(1) Cap. XXXII.

(1) Vid. cap. XXXIV.

trema *secundum ordinem* est modus unientis duo extrema per ordinem inclinata. Et dividitur in duos modos essentiales *specialissimos*. Quorum primus est *modus significandi per modum coniungentis duo extrema secundum ordinem ex parte ante se tenentia*. Et hic modus constituit Coniunctiones *causales*, quae se tenent ex parte antecedentis, quod est causa consequentis, dicendo sic: *Socrates currit; ergo movetur*. — Secundus est *modus significandi per modum coniungentis duo extrema, secundum ordinem, ex parte consequentis se habentia*. Et hic modus constituit Coniunctiones *rationales*; et bene *rationales* dicuntur, quia magis se tenent ad partem *consequentis*, cuius *ratio* dependet ab antecedente, ut dicendo: *terra interponitur inter solem et lunam; ergo luna eclipsatur*.

174. **Epilogus.** — Et est notandum, quod quaedam Coniunctiones dicuntur *expletivae*, quae secundum veritatem non sunt Coniunctiones, quia non *coniungunt*, sed tantum coniuncta *ornant*, et in sermone non sumuntur propter necessitatem, sed propter ornatum. Si autem eas Coniunctiones *expletivas* volumus includere in speciebus Coniunctionis, hoc modo sufficientiam harum specierum sumamus: omnis Coniunctio aut *coniungit* duo extrema, aut duo extrema coniuncta *ornat*. Si coniungit, hoc est dupliciter: aut *per vim*, aut *per ordinem*. Si *per vim*, hoc est dupliciter: aut *coniungit* aliquid inter se et respectu tertii. et sic sunt *coniunctivae*; aut coniungit aliquid inter se, *distinguendo respectu tertii*, et sic sunt Coniunctiones *disiunctivae*. Si *per ordinem*, hoc est dupliciter: aut Coniunctio se tenet ex parte *antecedentis*, et sic sunt *causales*; aut magis *ad consequens*, et sic sunt *rationales*. — Si autem Coniunctio extrema non coniungit, sed coniuncta *adornat*, sic tunc sunt Coniunctiones *expletivae*, quia extra plenum sensum orationis sunt positae.

Et sic patet, quod sicut modus significandi essentialis generalissimus dividitur in duos modos *speciales*, ad *specialissimos* descendendo, sic dividitur Coniunctio simpliciter sumpta in coniunctionem coniungentem *per vim*, et coniunctionem coniungentem *per ordinem*. Coniunctio *per vim* coniungens dividitur in coniunctionem *copulativam*, et *disiunctivam*. Item Coniunctio coniungens *per ordinem* dividitur in coniunctionem *causalem* et *rationalem*.

Caput XL.

De modis significandi accidentalibus Coniunctionis.

175. **Coniunctionis species — figura — ordo.** — Consequenter de modis significandi *accidentalibus* Coniunctionis videamus; qui sunt tres, scilicet: *species, figura* et *ordo*. De *specie et figura* in Coniunctione idem sicut in Nomine (1) dicendum est; ab eisdem enim proprietatibus sumuntur utrobique. *Ordo* in Coniunctione sumitur ab ordine in rebus ab extra.

Est enim *ordo* in Coniunctione *modus significandi activus, quo mediante Coniunctio ordinem extremorum consignificat;* ratione cuius ordinis aut coniunctio praeponitur tantum, aut postponitur, aut indifferenter praeponitur et postponitur extremis coniunctis.

Et sic patent modi significandi Coniunctionis qui sunt, et quot sunt, et unde oriantur.

Caput XLI.

De modo significandi essentiali generalissimo Praepositionis.

176. **Praepositio.** — Modus significandi *essentialis generalissimus Praepositionis* est modus significandi per modum *adiacentis alteri casuali* ipsum contrahens, et ad actum retorquens. Et iste modus Praepositionis sumitur a proprietate *determinationis*, et *coarctationis* in rebus.

Et est notandum, quod *Praepositio* non est inventa propter verba vehementis transitionis, ut quidam dicunt; hoc enim non videtur grammatice dictum, cum Grammaticus velocem vel tardam transitionem non consideret. Item quaedam verba Praepositiones

(1) Cap. XV et XVIII.

exigunt, quae tamen nullam habent transitionem, nec velocem, nec tardam, ut dicendo, *sum in domo.* Item dicendo, *annulus ex auro;* nomen *annulus* exigit Praepositionem, non tamen ullam transitionem habet, ut patet de se.

Unde dicendum est, quod *Praepositio* inventa est finaliter propter *casuale,* non quodcumque, sed quod est *Accusativus,* et *Ablativus.* Nam, sicuti dictum est de Nomine (1), quod Accusativus est modus significandi *ut quem,* contrahibilis per modum *ut ad quem, in quem, prope quem,* et *iuxta quem,* et sic de aliis; similiter Ablativus est modus significandi per modum *ut quo,* contrahibilis *ut a quo,* et *in quo,* et *sine quo,* et huiusmodi; talis autem coarctatio *casualis* fit per praepositiones *Accusativo* casui, vel *Ablativo* deservientes; unde Praepositio inventa est, ut primo modum *casualem contrahat* et *coarctet;* et deinde casualem *ad actum reducat.* Per hoc enim quod Praepositio casuale coarctat et contrahit, Praepositio casuale ad actum reducit, et sufficienter disponit, ut cum actu construatur et sumatur. Hic sumitur *actus* pro constructibili dependenti ad causale, non enim dependens ad causale, mediante Praepositione, semper est actus, licet ut frequenter.

Est ergo *Praepositio* pars orationis, *significans per modum adiacentis alteri casuali, ipsum contrahens, et ad actum reducens* (2), etc.

Caput XLII.

De modis significandi tam subalternis, quam specialissimis Praepositionis.

177. **Praepositionis divisio.** — Sub hoc autem modo *generalissimo* Praepositionis, ad modos *subalternos* per quamdam divisionem descendamus. Dividitur autem iste modus generalissimus Praepositionis in tres modos subalternos: quorum primus est modus significandi per modum contrahentis et retorquentis *Accusativum* tantum. — Secundus modus est modus significandi per modum contrahentis et retorquentis *Ablativum* tantum. — Tertius modus est modus significandi per modum contrahentis et retorquentis *Accusativum et Ablativum,* scilicet utrumque indifferenter.

Et hos tres modos essentiales subalternos vocat Donatus *casum Praepositionis.* Et habet se similiter *casus* in Praepositione, sicut *significatio* in Adverbio, et *potestas* in Coniunctione. Nam sicut *significatio* in Adverbio consistit in modo speciali *determinandi,* et *potestas* in Coniunctione in speciali modo *coniungendi,* sic *casus* in Praepositione consistit in speciali modo *contrahendi* et *retorquendi.* Et hoc tripliciter variatur, ut dictum est; et ex hoc patet, quod *casus* non est accidens Praepositionis, nisi secundum quod dictum est de *significatione* in Adverbio (1), et de *potestate* in Coniunctione (2).

Item, primus modus significandi, scilicet, per modum contrahentis *Accusativum,* dividitur in *triginta* modos *specialissimos,* triginta species *specialissimas* Praepositionis constituentes, quae sunt *apud, ante,* etc. quae diversos habent modos *contrahendi casuale,* licet in his non inveniatur pluralitas individuorum, sed quot sunt species, tot sunt individua.

Secundus modus significandi, scilicet modus contrahentis *Ablativum* tantum, subdividitur in *quindecim* modos *specialissimos,* quindecim species *specialissimas* Praepositionis constituentes; quae sunt, *a, ab, absque,* etc. De quibus idem est dicendum sicut prius.

Tertius modus significandi, scilicet per modum contrahentis *utrumque casuale,* subdividitur in quatuor modos *specialissimos, quatuor* species Praepositionis constituentes, quae sunt, *in, sub, super,* et *subter.*

178. **Epilogus.** — Et sic patet, quod sicut modus significandi *essentialis generalissi-*

---

(1) Cap. XIX.

(2) « Praepositio cum suo casuali aequipollet adverbiali determinationi, et potest construi cum infinitivo significante terminum potentiae ». — *Oxon.* II. d. 3. q. 8. n. 14.

(1) Vid. n. 153.

(2) Vid. n. 171.

mus Praepositionis dividitur in modos *subalternos*, ad *specialissimos* descendendo, sic Praepositio simpliciter sumpta dividitur in Praepositiones deservientes *Accusativo* tantum, et in Praepositiones deservientes *Ablativo* tantum, et in Praepositiones deservientes utrique.

Item Praepositiones deservientes *Accusativo* tantum dividuntur in triginta species; et Praepositiones deservientes *Ablativo* tantum in quindecim species; et Praepositiones deservientes utrique in quatuor species, de quibus omnibus visum est.

179. **Praepositionis etymologia.** — Notandum, quod cum *Praepositio* dicatur a *praeponendo*, quod secundum Grammaticos dicitur praeponi partibus orationis dupliciter: uno modo per *appositionem*, cum Praepositio servat sibi vim divisionis, et manet Praepositio per eius modum significandi essentialem generalissimum. Et haec est vera Praepositio, et ab aliis partibus orationis distincta. Alio modo praeponitur partibus orationis per *compositionem;* tunc non manet per se dictio, nec pars orationis; sed cadit in vim dictionis, cum qua componitur; et tunc Praepositio non retrahit, nec retorquet, sed complet, aut mutat, aut minuit.

180. **Praepositionis cum partibus compositio.** — Praepositio autem dupliciter componitur cum partibus: uno modo *separabiliter*, ita quod praeter compositionem potest dictionibus adiungi, et a dictionibus separari, et sub proprio modo stare. Alio modo *inseparabiliter;* et sic non meretur dici Praepositio, nisi valde improprie, propter quamdam similitudinem, quam habet cum Praepositione in compositione. Nam sicut Praepositio in compositione complet, aut mutat, aut minuit, sic etiam istae, ut *distraho, reprobo, regredior*, et huiusmodi.

Et ultimo est notandum, quod Praepositiones in compositione non sunt verae Praepositiones, quia per se nihil significant, cum non sint per se dictiones, nec etiam per se modum significandi habent; sed adduntur aliis dictionibus tamquam syllabicae adiectiones, ut *met, pte*, et huiusmodi. Quare autem habitudo vel circumstantia causarum attribuitur Praepositioni, hoc magis fortasse ex significatione constructibilium extremorum elicitur. Nam Praepositio extra compositionem, si per se proferatur, nulla circumstantia causarum per eam exprimitur, nec de vi vocis, nec de vi significati, nec de vi alterius modi significandi.

Et sic patent modi significandi Praepositionis, qui sunt, et quot sunt, et a quibus proprietatibus sumantur.

Caput XLIII.

De modo significandi essentiali generalissimo Interiectionis.

181. **Interiectio.** — Modus significandi *essentialis generalissimus Interiectionis* est modus significandi per modum determinantis alterum, quod est Verbum, vel Participium, *affectiones animi repraesentans.* Nam cum anima afficitur motu *doloris, gaudii, metus*, et huiusmodi, hoc per Interiectiones exprimitur. Unde *Interiectio* determinat Verbum, vel Participium, non simpliciter, sed in comparatione ad animam, eius *affectum exprimens.*

Interiectio ergo est *pars orationis significans per modum determinantis alterum, quod est Verbum, vel Participium, affectus vel motus animae repraesentans.* Et hoc voluit Donatus significare, cum dixit, quod *Interiectio est pars orationis significans mentis affectum, voce incognita;* id est, conceptum mentis sub voce non deliberata, sed quasi abrupte prolata.

Caput XLIV.

De modis significandi specialissimis, et de sufficientia divisionis Interiectionis.

182. **Interiectionis divisio.** — Sub hoc modo essentiali generalissimo *Interiectionis*, ad modos *specialissimos* descendamus. Dividitur autem ille modus in quatuor modos *speciales.*

Primus est modus significandi Interiectionis per modum determinantis alterum, motum *doloris*, vel *tristitiae* in anima repraesentans. Et iste modus constituit Interiectionem *doloris*, ut *heu!*

Secundus modus est modus significandi per modum determinantis alterum, motum *gaudii* vel *laetitiae* in anima repraesentans. Et iste modus constituit Interiectionem *laetitiae*, ut *evax!* et huiusmodi.

Tertius modus est modus significandi per modum determinantis alterum, motum *admirationis* in anima repraesentans. Et hic modus constituit Interiectionem *admirationis*, ut *papae!* et huiusmodi.

Quartus modus est modus significandi per modum determinantis alterum, motum *terroris*, vel *metum* repraesentans. Et iste modus constituit Interiectiones *metus*, ut *deeh! at!* et similia.

Et hos quatuor modos specialissimos essentiales Interiectionis Donatus sub *significatione* comprehendit; et habetur eodem modo *significatio* ad Interiectionem, sicut *significatio* ad Adverbium (1), et *potestas* ad Coniunctionem (2), et *casus* ad Praepositionem (3). Sicut enim *significatio* in Adverbio consistit in speciali modo *determinandi*, et *potestas* in Coniunctione in speciali modo *coniungendi*, et *casus* in Praepositione in speciali modo *contrahendi*; sic *significatio* Interiectionis consistit in speciali modo *determinandi, specialem motum in anima repraesentans*. Et hoc consistit in quatuor modis, ut visum est. Et ideo *significatio* non est accidens Interiectionis, nisi sicut visum est de aliis.

183. **Ratio praedictae divisionis.** — Sufficientia istarum specierum sic potest accipi: cum interiectio determinat Verbum, et exprimit motus et affectiones in anima, potest ergo anima moveri circa *convenientia*, vel circa *non convenientia*, vel circa *medio modo* se habentia. Si circa convenientia, sic sunt Interiectiones *laetitiae;* si circa non convenientia, hoc est dupliciter: vel cadunt sub tempus praesens, et sic sunt Interiectiones *doloris*; vel sub futurum, et sic sunt Interiectiones *metus*, quia de praesenti dolemus, et de futuro timemus; si autem anima afficitur circa *medio modo* se habentia, sic sunt Interiectiones *admirationis*.

(1) Vid. n. 153.
(2) Vid. n. 171.
(3) Vid. n. 177.

Notandum ergo est, quod Interiectiones, et aliae partes indeclinabiles, non tot modos significandi habent, quot partes declinabiles, quia significatum partium indeclinabilium paucis subsistit proprietatibus, sed significatio partium declinabilium multis: ideo pauciores sunt modi significandi partibus indeclinabilibus, quam declinabilibus.

Et sic patent modi significandi Interiectionis, qui sunt, et quot sunt, et unde oriantur.

Et haec de modis significandi essentialibus et accidentalibus octo partium orationis, prout ad Etymologiam spectant, dicta sufficiant.

Caput XLV.

De tribus passionibus octo partium orationis in generali.

184. **Orationis passiones.** — Habito de modis significandi octo partium orationis, sub ratione, qua sunt principium *formale* partium sermonis, secundum quem modum pertinent ad *Etymologiam*, consequenter de ipsis dicamus prout sunt principium *efficiens intrinsecum* constructionis, et aliarum passionum sermonis, secundum quem modum pertinent ad *Diasyntheticam;* et hoc nihil aliud est, quam applicare eos ad *constructionem*, *congruitatem*, et *perfectionem*, ostendendo qui modi significandi, quarum constructionum, congruitatum, perfectionum, sunt principia. De his ergo tribus passionibus determinemus.

185. **Principium materiale Constructionis.** — Primo earum principia in generali videamus. Sunt autem quatuor principia essentialia *construendi* sermonem congrue et perfecte, scilicet: *materiale, formale, efficiens*, et *finale*. Principium *materiale* construendi sunt constructibilia; quia sicut se habet subiectum ad accidens, sic se habent constructibilia ad constructionem: sed subiectum est materia accidentis, nam accidens non habet materiam *ex qua*, sed *in qua* (1); ergo constructibilia sunt materia constructionis. Et unius

(1) Vid. Distinct. v. *Accidens*, etc.

constructionis non sunt plura, vel pauciora duobus; quia, ut patebit, constructio causatur *ex dependentia unius constructibilis ad alterum:* sed una dependentia non est nisi duorum, scilicet: *dependentis,* et *determinantis;* ergo unius constructionis non sunt nisi duo constructibilia principalia, scilicet: *dependens,* et *terminans.*

Et ex hoc patet error dicentium hanc constructionem esse unam: *homo albus currit bene.* Nam hic sunt diversa dependentia: una, qua Adiectivum dependet ad Substantivum: alia, qua Verbum dependet ad suppositum: tertia, qua determinans dependet ad determinabile; ergo non erit hic una constructio. Similiter cum dicitur: *Socrates percutit Platonem;* hic propter diversas dependentias Verbi ad suppositum *ante se,* et ad obliquum *post se,* non potest esse una constructio, ut de se patet.

186. **Formale.** — Principium *formale* constructionis est unio constructibilium; hoc enim est forma rei, per quod res habet esse (1): sed constructio habet esse per constructibilium unionem; ergo constructibilium unio est forma constructionis.

187. **Efficiens intrinsecum — extrinsecum.** — Principium *efficiens* constructionis est duplex, scilicet: *extrinsecum,* et *intrinsecum. Intrinsecum* sunt modi significandi respectivi, ratione quorum vel unum constructibile est ad alterum *dependens,* vel alterius dependentiam *determinans;* a quibus modis significandi respectivis abstrahuntur duo modi significandi generales, scilicet: modus *dependendi* in uno constructibili, et modus dependentiam *terminans* in altero constructibili.

Et hi modi significandi dicuntur *efficere* constructionem, pro tanto, quia praeparant et disponunt constructibilia ad actualem unionem, quae fit per intellectum; licet quaedam magis remote, et quaedam magis propinque, ut patebit in sequentibus. Et dicuntur modi significandi principium *intrinsecum,* quasi *inter* constructibilia *manentes.*

Sed principium efficiens *extrinsecum* est intellectus, qui constructibilia per modos significandi disposita et praeparata actu unit in constructione et sermone. Constructibilia enim, qualitercumque summe disponantur ad unionem per suos modos significandi, nunquam tamen unum constructibile actu se alteri unit; sed hoc fit per intellectum, ut dictum est. Et dicitur intellectus principium *extrinsecum,* quasi *extra* constructibilia *manens.*

188. **Finale.** — Principium *finale* est expressio mentis conceptus compositi. Quia, ut dicitur *V. Metaph.* text. 21, *Finis est, gratia cuius aliquid fit* (1)*:* sed constructio partium orationis fit gratia expressionis mentis conceptus compositi; ergo expressio mentis conceptus compositi est finis constructionis. Unde Philosophus *I. Perihermenias* cap. 1. dicit, quod *ea quae sunt in voce,* id est, voces significativae in prolatione, quales sunt orationes Grammaticae, *sunt notae passionum earum, quae sunt in anima* (2)*;* scilicet signa conceptus mentis, vel animae: signum autem est finaliter propter significatum; ergo constructio vel oratio in Grammatica est finaliter propter exprimendum mentis conceptum.

Caput XLVI.

De natura constructionis in se, via definitionis.

189. **Constructionis definitio.** — Consequenter videamus de istis tribus passionibus in speciali; et primo de *constructione,* secundo de *congruitate,* et tertio de *perfectione,* quia constructio est potior congruitate, et congruitas prior perfectione, ut patebit.

Ad cognoscendum naturam *constructionis* in se, et in suis partibus subiectivis, notandum est, quod constructio est quoddam incomplexum univocum. Secundum autem Boëtium, incomplexum univocum habet duplicem cognitionem, scilicet: per *definitionem,* qua res cognoscitur secundum sui *esse;* et per *divisionem,* qua res cognoscitur secundum sui *posse.* Ad definitionem ergo constru-

(1) Vid. Distinct. v. *Forma,* etc.

(1) Vid. Exposition. Doctoris; et Distinct. v. *Finis,* etc.
(2) Vid. Doctor. Super *I Periherm.* q. 2.

ctionis, et ad eius divisionem procedamus. Definitur ergo constructio sic: *Constructio est constructibilium unio, ex modis significandi, et intellectus causata, ad exprimendum mentis conceptum compositum finaliter adinventa.*

Ad cuius intellectum est notandum, quod definitio dat causam innotescendi et cognoscendi rem (1), ut habetur *VI. Topicorum*, cap. 1. Sed res cognoscitur per suas causas, ex quibus habet esse; ergo per suas causas habet definiri. Ex hoc sequitur, quod aliquid sufficientius cognoscitur, cum per suas causas omnes cognoscitur, quam quando cognoscitur per quasdam eius causas tantum, ut patet ex intentione Philosophi *VI. Metaph.* text. 1. *et deinceps* (2). Sed praedicta definitio aggregat in se omnes causas constructionis; nam per ly *constructibilium* tangitur causa materialis; per ly *unio*, causa *formalis;* per ly *ex modis significandi causata* causa efficiens *intrinseca;* per ly *ab intellectu causata* causa efficiens *extrinseca;* per ly *ad exprimendum mentis conceptum* tangitur causa *finalis;* ergo dicta definitio est sufficiens.

Caput XLVII.

De constructione in suis partibus via divisionis.

190. Constructionis divisio. — Visa natura constructionis in via *definitionis*, consequenter eius natura videamus in suis partibus, via *divisionis*, secundum omnes Grammaticos. Prima divisio constructionis est haec: constructionum alia *transitiva*, alia *intransitiva*. Et ista divisio est sufficiens, quia ad has duas differentias reducuntur omnes constructionum species. Nam *retransitiva*, et *reciproca* ad transitivam reducuntur, ut postea patebit (3).

191. Huius divisionis ratio. — Ad intellectum membrorum huius divisionis est notandum, quod in omni genere est dare *primum*, quod est *metrum* et *mensura* aliorum, ut scribitur *X. Metaph.* Com. 7. (1). Est ergo in genere constructibilium dare primum *constructibile;* et si est dare primum, etiam erit dare *secundum*, quia primum et secundum sunt differentia ordinis. Et illud est in omni constructione constructibile *primum*, quod *post se* dependet *ad obliquum;* illud vero *secundum*, quod *ante se* dependet *ad suppositum*. Illud est etiam *secundum*, quod dependet *ad determinabile*. Et ratio horum est, quia illud, quod *post se* dependet *ad obliquum*, dependet ad ipsum ut ad *terminum* et *ultimum;* quod autem *ante se* dependet *ad suppositum* dependet ad ipsum ut ad *principium* et ad *primum;* quod autem dependet ad suum *determinabile* dependet ad aliquid prius se; determinatio autem, et dispositio rei, est posterior ipsa re.

Item notandum, quod cum omnis constructio requirat duo constructibilia, oportet unum esse *dependens*, et alterum dependentiam *terminans;* quod sic probatur: quia illa duo constructibilia, ex quibus fit constructio, aut ambo dependent; aut ambo dependentiam terminant; aut unum dependet, et alterum dependentiam terminat: sed non possunt ambo dependere, quia dependens accipitur ut quid in potentia: sed ex duobus entibus in potentia non fit aliquid unum, ut dicitur *VII. Metaph.* text. Com. 56 (2); ergo ex duobus dependentibus non fit constructio. — Item, si ambo dependerent, mutuo dependerent: sed quae mutuo dependent sunt simul natura; et alia non sunt secundum prius, et posterius ordinata; dictum est enim quod constructibilium est ordo secundum prius et posterius; ergo etc. — Item, constructibilia non possunt ambo *terminare*, quia terminans, ut est terminans, est ens in actu: sed ex duobus entibus in actu non fit tertium; ergo non possunt ambo terminare. — Relinquitur ergo, quod constructibilium unum sit *dependens*, alterum vero dependentiam *terminans*. Nam sicut ex materia et forma, quorum unum est *in actu*, alte-

(1) Vid. Distinct. v. *Definitio*.
(2) Vid. Exposition. Doctoris.
(3) Num. 193.

(1) Vid. Exposition. Doctoris.
(2) Vid. Exposition. Doctoris.

rum vero *in potentia*, fit per se compositum in natura; sic ex ratione dependendi et terminandi fit per se constructio in sermone. Illud autem constructibile est dependens, quod ratione alicuius modi significandi tantum *petit* vel *exigit;* illud vero constructibile est terminans, quod ratione alicuius modi significandi tantum *dat,* vel *concedit,* etc.

192. **Epilogus. — Constructio intransitiva — transitiva.** — Resumo ergo quod dictum est, quod in omni constructione est *primum* constructibile, et *secundum.* Aut ergo secundum dependet ad primum, aut primum dependet ad secundum, secundo per sui dependentiam a primo recedente. Si *secundum dependet ad primum,* sic est constructio *intransitiva. Constructio* ergo *intransitiva* est *constructio, in qua secundum constructibile, per suos modos significandi, dependet ad primum;* ut dicendo, *Socrates currit,* hoc verbum *currit,* quod est constructibile *secundum* in hac constructione, dependet ad *suppositum,* quod est *primum* constructibile. Item dicendo, *Socrates legit bene,* hoc adverbium *bene,* quod est *secundum* constructibile in ista constructione, dependet ad *verbum,* quod est *primum* constructibile.

Si autem primum constructibile dependet ad *secundum,* secundo non dependente ad primum, sed ad aliud a primo diversum, sic est *transitiva. Constructio* ergo *transitiva* est *in qua primum constructibile, per suos modos significandi, dependet ad secundum, secundo per eius dependentiam a primo recedente, si dependens fuerit.* Et dico, *si dependens fuerit,* quia in hac constructione quandoque constructibile dependentiam non habet, sed solum primi constructibilis dependentiam terminat; ut sic dicendo: *percutio Socratem.* Quandoque autem secundum constructibile dependentiam habet, ut sic dicendo: *video legentem librum,* hoc Participium *legentem,* in ista constructione cum hoc, quod dependentiam verbi terminat ante se, quod est primum constructibile in hac oratione, etiam dependet ad obliquum post se, quod est diversum a constructibili primo.

193. **Constructio reciproca — retransitiva.** — Ex istis patet, quod constructio *reciproca,* et *retransitiva,* sub *transitiva* continentur. Nam constructio *reciproca* transitiva est, ut dicendo: *Socrates diligit se;* quia hoc constructibile primum dependet ad secundum, secundo non dependente ad primum, sed ad aliud, si dependet. Item *retransitiva* est ex duobus transitivis composita, ut dicendo: *Socrates rogat me, ut diligam eum;* ideo sub transitiva continetur.

194. **Constructionis transitivae et intransitivae etymologia.** — Et sciendum, quod istae duae differentiae, *transitivum* et *intransitivum,* sumuntur in constructionibus metaphorice, id est, per quamdam similitudinem *transitus* realis. Nam aliquis dicitur realiter *transire,* quando transit *de uno loco ad alium a primo diversum.* Cum autem quis procedit ad aliquem terminum primum, et *in isto manet, inde non divertens,* tunc dicitur *non transire.* Sic in constructione *intransitiva,* quia dependentia unius, id est, posterioris constructibilis, vadit ad primum, inde *non transiens,* ideo *intransitiva* dicitur, ut: *Socrates currit;* in constructione vero *transitiva,* dependentia posterioris non vadit ad primum, sed *transit* ad aliud diversum a primo, ideo *transitiva* merito nuncupatur.

Notandum ulterius, quod in constructione *intransitiva* posterius constructibile, dependens ad primum, aliquo modo nititur identificari cum eo. In constructione autem *transitiva* posterius constructibile non dependet ad primum, sed per suam dependentiam a primo recedens, aliquo modo nititur diversificari ab eo. Et inde est, quod antiqui Grammatici dantes definitiones constructionis transitivae, et intransitivae, dabant eas per *idem,* et *diversum,* dicentes, *Constructionem intransitivam* esse illam, in qua constructibilia pertinent ad *idem,* vel tanquam ad idem videntur pertinere; *Constructionem* autem *transitivam* esse illam, in qua constructibilia pertinent ad *diversa,* vel videntur pertinere ad diversa.

Illud autem debet intelligi modo, quo dictum est; quia pro tanto constructibilia in constructione *intransitiva* dicuntur pertinere ad idem, quia posterius constructibile, per suum modum significandi, dependens ad primum, aliquo modo nititur identificari cum

eo. Pro tanto etiam constructibilia in constructione *transitiva* dicuntur pertinere ad diversa, quia posterius constructibile, per suam dependentiam a primo constructibili recedens, aliquo modo nititur diversificari cum eo, vel ab eo.

Et sic patet, quid est constructio *transitiva*, et *intransitiva*, et quare sic nominatur.

Caput XLVIII.

De divisione constructionis intransitivae per actus, et personas, et specialiter de intransitiva actuum.

195. **Constructio intransitiva actuum — personarum.** — Viso de constructione *transitiva* et *intransitiva*, consequenter descendamus ad suas species. Dividitur autem constructio intransitiva in constructionem intransitivam *actuum*, et constructionem intransitivam *personarum*. Constructio intransitiva *actuum* est *in qua constructibile dependens per modum actus significat*, ut dicendo: *Socrates currit.* — Constructio intransitiva *personarum* est *in qua constructibile dependens significat per modum substantiae, vel quomodolibet aliter*, ut dicendo: *Socrates albus currit bene.* Unde sub his ulterius descendamus.

Iuxta quod notandum est, quod cum constructio *intransitiva actuum* sit constructio *suppositi* cum *apposito*, et *intransitiva personarum* sit *determinabilis* cum *determinatione*, ideo secundum diversitatem suppositorum, et diversitatem determinantium, diversificatur constructio intransitiva *actuum* et *personarum*.

Iuxta quod notandum, et primum de constructione intransitiva *actuum*, quod in omni constructione perfecta requiruntur duo extrema, secundum situm distantia, scilicet: *suppositum*, et *appositum*. Et cum appositum significet per modum distantis a supposito secundum situm, ideo supposito addi non potest sine medio. Tale autem medium est ipsa compositio, ut dictum est de Verbo; et ideo compositio in huiusmodi dependentia maxime est Verbo necessaria. Ex quo patet, quod omne Verbum requirit suppositum, sive sit personale, sive impersonale, sive finitum, sive infinitum. Non tamen idem, sed aliud et aliud, secundum quod compositio cum modo Verbi fuerit aliter et aliter contracta, modo significandi casui proportionabili.

196. **Epilogus.** — Resumo ergo quod dictum est, quod cum constructio intransiva *actuum* sit constructio *suppositi* cum *apposito*; et cum nihil *supponat*, nisi *casus*, vel habens casum, ideo secundum diversitatem casus supponentis, diversificatur constructio intransitiva *actuum*. Aut ergo Nominativus casus supponit, ut dicendo: *Socrates currit*; aut Genitivus casus supponit, ut dicendo: *Socratis interest*; aut Dativus casus supponit, ut dicendo: *Socrati accidit*; aut Accusativus supponit, ut dicendo: *Socratem legere oportet*; aut Ablativus casus supponit, ut dicendo: *a Socrate legitur*. Vocativus autem supponere non potest, cum sibi ratio principii repugnet, ut visum est supra de Nomine (1).

Caput XLIX.

De principiis congruitatis constructionis intransitivae actuum.

197. **Congruitatis principia Nominativi.** — Principia *congruitatis* circa singulas partes iam dictas assignare possumus. Notandum ergo primo, quod congruitatis principia constructionis Verbi personalis cum supposito Nominativi casus sunt sex modi significandi in *apposito dependenti*, quibus conformantur sex in *supposito terminanti*; nam in apposito est modus *esse*, cui in supposito correspondet modus *entis*. Secundo, in apposito est *compositio*, cui in supposito correspondet modus *per se stantis*. Tertio, in apposito est modus *verbi*, cui in supposito correspondet ratio *principii*. Et hi modi significandi sunt utrobique principium *remotum* et *commune* huius *congruitatis*. Quarto, in apposito dependenti est modus, scilicet, *ut ipsum est alterum*, cui correspondet in supposito *ut*

(1) Num. 91.

quod est alterum. Quinto, est convenientia *numeri* in utroque. Sexto, convenientia *personae* in utroque. Et ista sunt principia specialia, et approbata.

198. **Genitivi.** — Principia autem *congruitatis* intransitivi suppositi Genitivi casus cum apposito, ut dicendo, *sui interest*, loquendo de principiis *remotis*, et *communibus*, sunt eadem, quae erant in praedicta constructione, scilicet: ex parte Verbi dependentis *ante se* modus *esse*, et *compositio*, et modus *Verbi;* quibus conformatur in supposito terminanti modus *entis*, et modus *per se stantis*, et ratio *principii* simpliciter sumpta. Principia autem *propria*, vel propinqua, sunt duo modi conformes, scilicet: ex parte dependentis, modus *ut alterius;* ex parte terminantis, modus *ut cuius*.

199. **Dativi.** — Principia congruitatis *constructionis* intransitivae, in qua Dativus supponit, ut dicendo, *Socrati accidit*, accipiendo principia *remota* et *communia*, sunt eadem quae in praedictis. Sed *propria* et specialia principia sunt duo modi conformes, scilicet: modus *ut alteri*, ex parte dependentis; et modus *ut cui*, ex parte terminantis.

200. **Accusativi.** — Principia autem *congruitatis* constructionis intransitivae, in qua Accusativus casus supponit, ut dicendo, *me legere, Socratem oportet scribere*, sumendo principia *remota*, sunt eadem quae in praedictis. Sed principia *propria* specialissima sunt duo modi conformes; nam in apposito dependenti est modus *Verbi* simpliciter sumptus, id est, modo speciali, casui conformi, non contractus, nec contrahibilis; et in supposito est ratio *principii* actus simpliciter, et non contracta, nec contrahibilis.

201. **Ablativi.** — Principia *congruitatis* constructionis intransitivae, in qua Ablativus supponit, ut dicendo, *a Socrate legitur, remota* sunt eadem, quae in praedictis. Sed principia *propria* sunt duo modi conformes, scilicet: modus *ut ab aliquo* in apposito, et modus *ut a quo* in supposito.

202. **Notanda.** — Et nota, quod omnes istae constructiones Verbi impersonalis a parte ante, cum obliquis, fiunt per modos proportionabiles, et non per modos convenientes. Non enim requiritur in istis constructionibus convenientia *numeri* et *personae*. Unde sub quocumque *numero* praedicta Verba possunt respicere sua supposita, ut dicendo, *me oportet, oportet te, oportet illum*, et eodem modo intelligatur in aliis; et per hoc dicuntur *impersonalia*, quasi *numero* et *persona* privata.

Et sciendum, quod licet tam verba personalia, quam impersonalia construantur cum obliquis, hoc tamen est differenter; quia verba *personalia* construuntur cum obliquis transitive *a parte post* solum; sed verba *impersonalia* construuntur tam *a parte ante* intransitive, quam *a parte post*.

Caput L.

De Constructione intransitiva personarum in speciali, et principiis congruitatis ipsius.

203. **Constructio intransitiva personarum.** — Dicto de constructione intransitiva *actuum*, quomodo diversificatur, secundum diversitatem *suppositorum*, consequenter videndum est de constructione intransitiva *personarum* determinati, cum determinatione, quomodo variatur, seu diversificatur secundum diversitatem *determinationum*.

204. **Eius divisio.** — Iuxta quod notandum, quod quidquid invenitur in sermone perfecto, vel est *suppositum*, vel *appositum*, vel *aliquid ab utroque diversum*, tamen ad aliquod illorum ordinatum, vel est *determinatio* alicuius horum trium; et haec omnia inveniuntur in oratione quae subsequitur: *Summa doctrina Tulli Rhetoris instruit subtiliter artem Rhetoricam*.

Cum ergo determinabilis cum determinatione diversificatur secundum diversitatem determinationum, aut ergo determinatio additur *supposito*, vel *apposito*, vel *differenti* ab utroque. Si determinatio addatur supposito, hoc est dupliciter: vel haec determinatio est *declinabilis*, vel *indeclinabilis*. Si declinabilis, hoc est quadrupliciter; quia vel ista determinatio declinabilis est Adiectivum *denominativum*, vel est Adiectivum *relativum*, vel Adiectivum *interrogativum*, vel Adiectivum *distributivum*.

Si Adiectivum *determinativum*, sic ista est constructio: *Socrates albus, equus albus*, quae specificam differentiam non habet, sed sub una specie constructionis continetur. Principia *communia* istius constructionis ex parte *Adiectivi* dependentis sunt modus *determinantis*, et modus *adiacentis;* ex parte *subiecti* terminantis sunt modus *determinabilis*, et modus *per se stantis*, et convenientia in Genere, Numero, Casu et Persona. Sed principia *propria* sunt duo modi conformes, scilicet: modus *denominantis simpliciter* ex parte *dependentis*, et modus *denominabilis simpliciter* ex parte *terminantis*.

205. **Constructio relativi.** — Si autem ista determinatio declinabilis sit Adiectivum *relativum*, sic est constructio *relativi* cum antecedente. Principia congruitatis huius constructionis *communia* sunt eadem, quae in praedictis. Sed *propria* sunt duo modi conformes, scilicet: ex parte relativi *dependentis*, modus significandi per modum *referentis;* ex parte *antecedentis* modus significandi per modum *referibilis*.

206. **Interrogativi.** — Si autem ista determinatio declinabilis sit Adiectivum *interrogativum*, sic est constructio *interrogativi* cum suo responsivo. Principia huius congruitatis *communia* sunt eadem, quae in praedictis. Sed principia *propria* sunt duo modi conformes: ex parte *interrogativi* dependentis modus significandi per modum *certificabilis* sub ratione interrogantis; ex parte autem *responsivi*, modus significandi per modum *certificantis* sub ratione responsibilis.

207. **Distributivi.** — Si autem determinatio sit Adiectivum *distributivum*, sic est constructio signi *distributivi* cum termino communi; ut dicendo, *omnis homo, nullus asinus*. Principia congruitatis *communia* sunt eadem, quae in praedictis. Sed principia *propria* sunt duo modi significandi conformes: ex parte signi *distributivi* modus significandi per modum *distribuentis;* ex parte *termini* communis modus significandi per modum *distribuibilis*. Est autem notandum, quod in huiusmodi constructionibus conformitas omnium dictorum accidentium, quae sunt principium commune congruitatis, non semper requiritur, sed ut frequentius.

208. **Subdivisio.** — Si autem ista determinatio addita supposito sit *indeclinabilis*, hoc est iterum quatuor modis: quia aut est *Coniunctio*, aut *Adverbium*, aut *Praepositio*, aut *Interiectio*. Si est Coniunctio, hoc est dupliciter: quia aut coniungit suppositum apposito per *vim*, vel per *ordinem*. Si per *vim*, hoc est dupliciter: aut *coniungit* duo extrema inter se respectu tertii, ut *Socrates et Plato currunt;* aut *disiungit* ea respectu tertii, ut *Socrates vel Plato currit*. Si autem Coniunctio coniungit suppositum apposito per *ordinem*, hoc est dupliciter: aut Coniunctio se tenet *cum antecedente*, aut *cum consequente*. Exemplum de utroque, ut dicendo: *si homo est; ergo animal est*. Si autem determinatio indeclinabilis addita supposito sit *Praepositio*, sic est ista: *A Socrate legitur*. Si autem determinatio indeclinabilis addita supposito sit tantum *Adverbium*, sic est ista: *Tantum Socrates legit*. Si autem ista determinatio indeclinabilis addita supposito sit *interiectio*, sic est ista: *Heu mortuus est*.

Et sciendum est, quod Adverbium, inquantum Adverbium, non additur ei, quod est per se suppositum proprie, sed inquantum est Adverbium *tale*, scilicet Adverbium exclusivum. Et dico, quod Adverbium non additur ei, quod est proprie suppositum; quia dicendo, *currere velociter est bonum*, in ista oratione infinitivus non supponit per se, sed gratia Nominis. Item Participium per accidens est suppositum, cum omne Participium sit adiectivum. Item intelligitur de Interiectione, dicendo, *heu mortuus est*, et huiusmodi.

209. **Principia.** — Principia autem harum constructionum congruitatis *generalia* sunt duo modi conformes, scilicet: modus *determinantis*, et modus *determinabilis*. Principia autem *magis specialia* congruitatis constructionis, in qua *Coniunctio additur supposito*, sunt ex parte *Coniunctionis*, modus *coniungentis*, et ex parte extremorum modus *coniungibilis*. Sed principia secundum unamquamque speciem *appropriata* sunt modi significandi, quibus una species Con-

iunctionis specifice ab alia distinguitur; qui patent capitulo de *Coniunctione* unicuique subtiliter intuenti (1).

Item, *propria* principia istius constructionis, *a Socrate legitur*, sunt duo modi significandi conformes, scilicet: modus *contrahentis* et *retorquentis* a parte *Praepositionis;* et modus *contrahibilis* et *retorquibilis* ex parte *casualis*.

Item *propria* principia congruitatis huius constructionis, *tantum Socrates legit*, sunt duo modi conformes, scilicet: modus *excludentis* ex parte *Adverbii tantum*, et modus *excludibilis* ex parte *suppositi*, scilicet *Socrates*.

Item principia *propria* congruitatis huius constructionis, *heu mortuus est*, sunt duo modi conformes, scilicet: modus *determinantis* sub affectu *doloris*, et modus *determinabilis*, qui est sibi proportionabilis. Et ita intelligatur in aliis Interiectionibus *laetitiae*, vel *admirationis*, suo modo.

210. **Alia subdivisio.** — Si autem determinatio addatur apposito, hoc est dupliciter: quia determinatio aut est *declinabilis*, vel *indeclinabilis*. Si primo modo, sic est ista: *sum albus, vocor Adrianus*. Et principia huius congruitatis, sive huius constructionis *communia* sunt eadem, quae in praedictis. Sed principia *propria* sunt duo modi conformes, scilicet: ex parte *appositi* modus significandi per modum *esse*, seu vocationis specialis in ratione *specificantis;* ex parte *terminantis* modus significandi per modum *determinantis* illud, quod per modum *esse*, vel vocationis specialis, in ratione specificantis significat.

Si autem ista determinatio sit pars *indeclinabilis*, hoc est tripliciter: aut est *Adverbium*, vel *Coniunctio*, vel *Interiectio*. Si est Adverbium, hoc est dupliciter: quia vel Adverbium additur Verbo, ratione dispositionis *rei significatae*, aut ratione *modorum* significandi; et utrobique sunt multae constructiones secundum multas determinationes adverbiales, de quibus omnibus dictum est in capitulo de *Adverbio* (2).

(1) Vid. cap. XXXIX.
(2) Vid. cap. XXXIII.

Principia autem congruitatis omnium harum constructionum *generalia* sunt duo modi significandi conformes, scilicet: modus *determinantis* ex parte *Adverbii*, et modus *determinabilis* ex parte *appositi*. Sed principia *propria* sunt duo modi significandi, quibus unaquaeque species Adverbii ab alia distinguitur, quae patent unicuique hoc diligenter inspicienti.

211. **Tertia Subdivisio.** — Si autem determinatio *indeclinabilis* addita apposito sit *Interiectio*, hoc est quadrupliciter: quia aut illa Interiectio *laetitiam* exprimit, aut *dolorem*, aut *admirationem*, aut *metum*. Principia autem congruitatis harum constructionum *communia* sunt eadem, quae in praedictis. Sed *propria* principia sunt duo modi significandi, quibus unaquaeque species *Interiectionis* distinguitur ab alia.

Si autem determinatio *indeclinabilis* addita apposito sit *Coniunctio*, hoc contingit eodem modo, sicut cum Coniunctio additur supposito. Sunt enim tot species, et eodem modo se habentes, congrue, vel constructive.

Si autem determinatio addatur ad illud, quod est *diversum ab utroque*, scilicet, supposito et apposito, tamen ordinatum ad suppositum, tunc eodem modo fere diversificatur; et etiam tot species constructionum, quot sunt, cum determinatio additur ad suppositum; et eodem modo congrue.

Si autem determinatio addatur ad illud, quod est differens ab utroque, scilicet supposito, tamen ordinatum ad appositum, diversificatur ut priores; et iterum tot sunt species constructionis, et eodem modo constructae, ut unicuique patere potest diligenter intuenti.

Et sic patent omnes *constructiones intransitivae*, quae sunt, et quot sunt principia *congruitatis* ipsarum, tam *communia*, quam *propria*.

Caput LI.

De speciebus constructionis transitivae, praesertim actuum, et principiis congruitatis ipsius.

212. **Constructio transitiva actuum — personarum.** — Viso de constructione *intransi-*

tiva via *divisionis*, consequenter de constructione *transitiva* via *divisionis* diligenter videamus. Dividitur autem constructio *transitiva* in constructionem transitivam *actuum*, et constructionem transitivam *personarum*. Constructio transitiva *actuum* est *in qua constructibile dependens per modum actus significat*, ut *lege librum*. — Constructio transitiva *personarum* est *in qua constructibile dependens per modum substantiae significat*, ut dicendo, *filius Socratis*.

213. **Constructio transitiva actuum duplex.** — Constructio transitiva *actuum* dividitur in constructionem transitivam *actus signati*, et in constructionem transitivam *actus exerciti*. Constructio transitiva actus *exerciti* non dividitur in species, sed tantum in individua, ut *o Thoma* (1). — Principia congruitatis huius constructionis *communia* sunt duo modi ex parte *dependentis*, per quorum unum exigit modum *per se stantis*, et per alterum exigit rationem *termini absoluti*. Sed principia *propria* sunt duo modi conformes, scilicet: modus significandi per modum *excitantis*, seu vocantis a parte *Adverbii*, *o*; et modus significandi per modum *excitati* ex parte vocativi.

214. **Constructio transitiva actus signati multiplex.** — Item constructio transitiva *actus signati* dividitur secundum diversitatem constructibilis terminantis, quod in huiusmodi constructione est quadrupliciter: vel quia est *Genitivi* casus, ut dicendo, *misereor Socratis*; vel *Dativi*, ut *faveo Socrati*; vel *Accusativi*, ut *percutio Socratem*; vel *Ablativi*, ut *utor toga*.

Principia congruitatis *communia* horum constructionum sunt tres modi ex parte *dependentis*, et tres ex parte *terminantis*. Nam ex parte *dependentis* modus est *esse*, cui correspondet in obliquo *post se* modus *entis*. Secundo, ex parte *dependentis* est significatio accidentalis, qui est modus significandi *dependentis* ad quemlibet obliquum *post se*; cui correspondet in obliquo modus significandi per modum *per se stantis*. Nam sicut haec est incongrua, *albus currit*, pari modo haec est incongrua, *percutio album*. Tertio, ex parte *dependentis* est modus *generis*, qui est quasi qualitas significationis accidentalis; cui correspondet in obliquo modus significandi per modum termini absolute modo conformi casuum contrahibilis.

Principia *propria* congruitatis huius constructionis, *misereor Socratis*, sunt duo modi conformes, scilicet: modus *dependentis* sub modo *ut alterius* ex parte *dependentis*; et modus *termini ut cuius*, ex parte *terminantis*. — Principia vero *propria* huius constructionis, *faveo Socrati*, sunt similiter duo modi conformes, scilicet: modus *dependentis* sub modo *ut alteri*; et modus *terminantis* sub modo *ut cui*. — Principia *propria* congruitatis huius constructionis, *percutio Socratem*, sunt duo modi conformes, scilicet: modus *dependentis* vel transeuntis, sub modo *ut alterum*, et modus *terminantis* sub modo *ut quem*. Si autem ille modus *ut quem* sit Praepositione contractus, tunc similiter modus transeuntis sub modo *ut alterum* proportionabiliter est contrahendus. — Principia autem *propria* congruitatis huius constructionis, *utor toga*, sunt similiter duo modi conformes, scilicet: modus transeuntis et *dependentis* sub modo *ut ab altero*, et modus *terminantis* sub modo *ut a quo*, proportionabiliter est contrahendus.

Caput LII.

De Constructione transitiva personarum, et principiis congruitatis ipsius.

215. **Constructio transitiva personarum.** — Item constructio transitiva *personarum* dividitur in quatuor species, secundum quadruplicem diversitatem *constructibilis terminantis*; quia vel est *Genitivi* casus, ut dicendo, *filius Socratis*; vel *Dativi*, ut *similis Socrati*; vel *Accusativi*, ut *Petrus albus percutit pedem*; vel *Ablativi*, ut *celer pedibus*, id est velox.

Principia congruitatis *communia* harum constructionum sunt modus *entis*, sub modo *transeuntis* ex parte *dependentis*; et modus *entis* sub modo *per se stantis* in obliquo. Nam sicut haec est incongrua, *misereor albi*, sic haec, *cappa albi*. Et similiter, sicut haec est congrua, *misereor Socratis*, sic haec est congrua, *cappa Socratis*.

(1) Vid. Distinct. v. *Actus signatus-exercitus*.

Principia *propria* huius congruitatis, *filius Socratis*, sunt duo modi significandi conformes, scilicet: modus *dependentis*, sub modo *ut alterius*; et modus entis *terminantis*, sub modo *ut cuius*. Et ita intelligatur in aliis tribus casibus, in ordine suo.

Iuxta quod notandum, quod constructio quae est Adiectivi cum Accusativo, non est incongrua, sed *figurativa*. Accusativus enim solus construitur congrue cum verbis significantibus actum; quia Accusativus est terminus actus *signati*. Unde de congruitate huius constructionis non est inquirendum; tamen propter Synecdochen congrue admittitur in sermone.

216. **Epilogus.** — Et sic patet sufficientia specierum *constructionis*, et principiorum *congruitatis* earumdem. Patet etiam quomodo constructio *simpliciter sumpta* dividitur in constructionem *transitivam* et *intransivam*. Constructio *intransitiva* dividitur in constructionem intransitivam *actuum*, et *personarum*. Constructio intransitiva *actuum* dividitur in quinque species, secundum numerum quinque *suppositorum*, specie differentium, quia aut *Nominativus* supponit, aut *Genitivus*, aut *Dativus*, aut *Accusativus*, aut *Ablativus*. Item constructio intransitiva *personarum*, quae est determinabilis cum determinatione, dividitur secundum diversitatem *determinationum*, quae multipliciter variantur, ut visum est. — Item constructio *transitiva* dividitur in constructionem transitivam *actuum* et *personarum*. Constructio transitiva *actuum* divitur in transitivam actus *exerciti* et actus *signati*. Constructio actus *exerciti* non dividitur nisi secundum individua. Constructio transitiva actus *signati* dividitur in quatuor species specialissimas secundum diversitatem quatuor *obliquorum* specie differentium.

Et notandum, quod sicut constructio dividitur *per se* in *transitivam* et *intransitivam*, sic *per accidens* dividitur in constructionem *secundum sensum*, et *secundum intellectum*; quae divisio ideo dicitur *per accidens*, quia non dividit constructionem *secundum se* et *absolute*, sed *in comparatione ad potentiam animae* apprehensivam. Et dicitur *constructio secundum sensum*, quia *ambo constructibilia sunt voce tenus expressa*, *ratione cuius vocis se confert sensui auditus*. Constructio *secundum intellectum est*, *quando alterum constructibile non est vocaliter expressum*, *sed est in intellectu*, ut *lego*, et huiusmodi.

Et haec de *constructionibus* dicta sufficiant.

Caput LIII.

De congruitate sermonis secundum se et in communi.

217. **Sermonis congruitas.** — Sequitur de *congruitate*, quae est secunda passio sermonis, de qua licet tactum sit *in speciali*, circa quamlibet speciem *constructionis*, de eius tamen natura seorsim in genere videamus.

218. **Congruitatis elementum primum.** — Iuxta quod primo notandum, quod sicut *constructio* requirit constructibilium unionem absolute, sic *congruitas* requirit constructibilium unionem, non quamcumque, sed *debitam*. Et haec debita unio potest contingere dupliciter: uno modo ex *convenientia* significatorum specialium; et per oppositum unio *indebita* ex *repugnantia* ipsorum. Alio modo potest contingere ex *conformitate modorum* significandi, et per oppositum *indebita* ex *indebita* modorum significandi *discrepantia*.

Inde est, quod quidam, non distinguentes inter significatorum specialium *convenientiam* vel *repugnantiam*, et modorum significandi *conformitatem* vel *discrepantiam*, dixerunt omnem constructionem esse *congruam* vel *incongruam*, in qua est significatorum specialium *convenientia* vel *repugnantia*. — Sed hoc non valet, quia congruitas est passio personae in Grammatica considerata. Unde patet, quod congruitas sit de consideratione Grammatici *per se*. Sed *convenientia* vel *repugnantia* significatorum specialium a Grammatico *per se* non consideratur, sed magis a Logico; ergo congruitas in sermone ab his non causatur.

Dicendum est ergo, quod *congruitas* et *incongruitas* causantur ex *conformitate*

vel *disconformitate modorum significandi,* quae per se sunt de consideratione Grammatici. Tamen *proprietas* vel *improprietas* sermonis causatur ex *convenientia* vel *repugnantia significatorum specialium.* Unde haec est congrua et propria, *cappa nigra;* et haec est impropria, *cappa categorica:* tamen utraque istarum est *congrua.*

219. **Secundum.** — Secundo notandum, quod congruitas requirit *debitam unionem constructibilium;* et cum huiusmodi unio non causetur per quosdam modos significandi, ideo ad congruitatem requiritur conformitas omnium modorum significandi constructibilium ad aliquam speciem constructionis requisitorum; ita quod constructibile *dependens* sit terminatum per constructibile *terminans,* quantum ad omnes modos significandi, secundum quos dependet quantum ad istam constructionem. Et dico, *quantum ad istam constructionem,* quia si habeat dependentiam ad diversas constructiones, non requiritur quod omnes dependentiae sint semper actu terminatae, sed sufficit quod secundum unam constructionem terminentur, ut dicendo, *lego librum,* haec est congrua, licet non addatur *Virgilii,* vel aliquid aliud, quod terminet dependentiam huius, quod est *librum,* secundum quam dependet *a parte post.*

220. **Tertium.** — Tertio notandum est, quod cum conformitas modorum significandi sit principium constructionis et congruitatis, distinguendum est de conformitate, quia duplex est conformitas, scilicet: *proportionis,* et *similitudinis;* et quandoque utraque ad constructionem requiritur, quandoque autem sufficit *proportionis* tantum, quandoque autem sufficit *similitudinis* conformitas tantum.

Et ut sciamus quando utraque conformitas exigatur, aut altera tantum, est sciendum, quod quandoque constructibile dependens habet aliquos modos significandi, non ex proprietatibus suae rei per se, sed ex proprietatibus rei constructibilis terminantis; et tunc inter illos modos significandi exigitur *similitudo,* et non *proportio;* ita quod constructibile terminans debet habere modos significandi constructibilis dependentis, ut patet de constructione Adiectivi cum Substantivo, et in constructione suppositi Nominativi casus cum Verbo personali. Nam Adiectivum habet tam genus, quam numerum, quam personam ex proprietatibus rei subiectae, ut dictum est supra. Unde ex parte substantivi non requirit modos proportionabiles, sed similes. Similiter Verbum personale habet numerum, et personam, ex proprietatibus rei suppositae; ideo hos modos requirit in supposito, non *proportionabiles,* sed *similes.* Si autem constructibile dependens habet aliquos modos significandi ex proprietatibus suae rei per se, et non ex proprietatibus rei constructibilis terminantis, tunc exigitur in illis modis significandi *proportio,* et non *similitudo.* Et quia Adiectivum habet modum adiacentis proprie et de proprietatibus suae rei, ideo per huiusmodi modum adiacentis requirit in subiecto modum *per se stantis,* qui est sibi *proportionabilis;* et sic de aliis intelligatur.

221. **Quartum.** — **Congruitas.** — Quarto notandum, quod sicut congruitas constructionis *in generali* causatur ex conformitate modorum significandi, ut patet ex dictis, inspiciendo singulas species generaliter dictorum, sic congruitas *specialis* constructionum specialium causatur ex alia et alia conformitate aliorum et aliorum modorum significandi, ut patet ex praedictis inspiciendo singulas species constructionis. — *Congruitas* nihil aliud est, quam *partium sermonis debita unio, ex modorum significandi conformitate ad aliquam speciem constructionis requisitorum derelicta.*

222. **Congruitas secundum sensum — secundum intellectum.** — Ultimo notandum est, quod sicut duplex est constructio, scilicet *secundum sensum* et *secundum intellectum,* sic et *Congruitas secundum sensum* est, *quando ambo constructibilia sunt voce tenus expressa.* Et dicitur congrua *secundum sensum,* non quia sensus eius congruitatem percipiat, sed quia vocem utriusque constructibilis auditus apprehendit, cum vox sit proprium obiectum auditus. *Congruitas* vero *secundum intellectum* est, *quando ambo constructibilia secundum vocem non sunt expressa,* sed alterum ipsorum est ab intellectu apprehensum; sicut contingit in verbis

primae et secundae personae, in quibus intelligitur suppositum.

Et sic patet quid sit congruitas, et unde causetur. Et haec de congruitate dicta sufficiant.

Caput LIV.

De Perfectione Sermonis.

223. **Constructionis finis duplex.** -- Sequitur de *perfectione,* quae est tertia et ultima passio sermonis. Iuxta quod notandum, quod cum Grammatica sit scientia *organica,* oportet quod illud, quod in Grammatica est principaliter consideratum, sit *organicum;* hoc autem est *constructio,* de qua dictum est. Et quia omne *organicum* est ad aliquem finem ordinatum, est igitur constructionis aliquis *finis* necessarius. Talis autem finis est duplex, scilicet: *propinquus,* et *remotus.*

Finis *propinquus* est *expressio mentis conceptus compositi, secundum distantiam.* Et dico *secundum distantiam,* quia conceptus mentis compositus est aliquando *secundum indistantiam,* ut componendo *hominem* cum *albo* sine copula; ut dicendo, *homo albus.* Alioquin conceptus mentis est compositus *secundum distantiam,* ut componendo *hominem* cum *albo,* mediante copula, dicendo, *homo est albus.* Circa quam compositionem consistit veritas et falsitas, ut dicitur *I. Perihermenias,* cap. 1 (1). Et quia intellectus super compositionem primam non quiescit, cum sit incompleta, sed de prima procedit ad secundam, ideo constructio non est ad exprimendum primum conceptum compositum, sed ad exprimendum secundum conceptum compositum *secundum distantiam,* finaliter ordinata. — Finis autem *remotus constructionis* est *generare perfectum sensum in animo auditoris, ex constructibilium debita unione.*

224. **Undenam perfectio sermonis.** — Secundo est notandum, quod sicut constructio *simpliciter* acquiritur ex constructibilium unione absolute, et *congruitas* constructionis ex constructibilium unione debita, sic perfectio acquiritur ex constructibilium unione debita, non quorumcumque, sed *suppositi* cum *apposito,* dummodo nulla dependentia derelinquatur circa ipsam non terminata, retrahens ea ab eius fine, qui est conceptum mentis compositum exprimere, et perfectum sensum in animo auditoris generare.

225. **Tria requirit.** — Ex his patet, quod tria requiruntur ad perfectionem sermonis. Primum est *suppositum* et *appositum;* quia cum constructio perfecta sit ad exprimendum mentis conceptum compositum *secundum distantiam* finaliter ordinata, oportet, quod sicut est distantia inter conceptus mentis compositos, sic etiam sit distantia in constructibilium unione. Sed haec distantia solum est inter suppositum et appositum, ex hoc quod solum Verbum est appositum, quod per modum distantis se habet. — Secundo, requiritur omnium modorum significandi *conformitas,* prout ad congruitatem requirebatur. — Tertio, requiritur ex parte constructionis, quod *nulla dependentia sit non terminata,* quae retrahat ipsam ab eius fine, qui est mentis conceptum compositum exprimere, et perfectum sensum in animo auditoris generare.

226. **Perfectum triplex.** — Tertio est notandum, quod constructio habens in se haec tria membra, quae dicta sunt, perfecta est secundum tres modos perfectionis, quos assignat Philosophus *V. Metaph. text. com. 21.* (1). Nam uno modo aliquid est perfectum *cui nihil deest eorum, quae requiruntur ad eius speciem.* — Secundo modo, aliquid est perfectum, *cum potest debite suum finem,* propter quem ordinatur, *pertingere.* — Tertio modo, aliquid est perfectum, *cum potest sibi simile in specie generare.*

227. **Constructio perfecta — imperfecta.** — Constructio ergo habens suppositum et appositum secundum conformitatem omnium modorum significandi, tamen nullam habens circa se dependentiam non terminatam, non retrahentem ipsam ab eius fine, est *perfecta* primo modo; quia nihil sibi deficit eorum, quae ad eius speciem requiruntur. — Secundo modo etiam est *perfecta,* quia debite potest suum finem, propter quem ordinatur

(1) Vid. ib. Doctorem.

(1) Vid. Distinct. vv. *Perfectio-Perfectum,* etc.

(qui est exprimere mentis conceptum compositum secundum distantiam, ut dictum est), pertingere. — Tertio modo etiam est *perfecta*, quia potest facere sibi simile, id est, perfectum sensum in animo auditoris generare.

Ex his patet, quod signum perfectionis constructionis est *generare perfectum sensum in animo auditoris*, ita quod omnis illa constructio erit perfecta, quae perfectum sensum in animo auditoris generabit. Sed haec perfectio sensus in animo auditoris non est punctualis, sed habet gradum perfectionis secundum magis et minus; et secundum hoc constructio dicitur *magis* et *minus* perfecta. Nam ea magis perfecta est, quae magis quietat animum auditoris; et quae minus quietat, minus perfecta erit.

Ex his dictis etiam patet, quod haec est imperfecta, *si Socrates currit*, quia ista coniunctio, *si*, huic constructioni addita, *Socrates currit*, facit in ea novam dependentiam ad aliquid extra se, ut ad aliquid consequens, quod si non exprimatur, semper imperfecta manebit, ut dicendo, *me legere*, haec est imperfecta, quia animum auditoris non quietat; et si quae sunt similes. — Perfectio ergo nihil aliud est, quam *passio sermonis tertia et ultima, ex debita constructibilium unione derelicta, cum sufficientia exprimendi mentis conceptum compositum secundum distantiam, et generandi perfectam sententiam in animo auditoris.*

228. **Constructionis perfectio duplex.** — Quarto est notandum, quod duplex est perfectio constructionis, scilicet: secundum *sensum*, et secundum *intellectum*. Perfectio *secundum sensum* est, *cum ambo constructibilia constructionis sunt voce tenus expressa*, ut *ego lego*. Perfectio *secundum intellectum* est, *cum constructibilia secundum vocem non exprimuntur, sed alterum ab intellectu apprehenditur*, ut dicendo, *lego*. Nam hoc verbum *lego* dat intelligere suppositum, quod est ly *ego*, sub conformitate omnium modorum significandi requisitorum ad hanc speciem constructionis. Et tamen hic nulla derelinquitur dependentia ex parte constructionis totius, vel partium eius, non terminata, quae retrahat eam ab eius fine, qui est mentis conceptum compositum secundum distantiam exprimere, vel perfectum sensum in animo auditoris generare; et ita intelligatur de aliis.

229. **Constructionis — congruitatis — perfectionis ordo et differentia.** — Quinto et ultimo est notandum, quod illud quod habet se per additionem ad alterum posterius est eo; ideo ex dictis patet, quod *congruitas* est posterior *constructione*, et *perfectio* posterior *congruitate*. Nam *constructio* non requirit aliquid aliud nisi absolute constructibilium unionem ex modorum significandi conformitate causatam, ut dicendo, *vir est albus*, ita bene est constructio, sicut ista, *vir est bonus;* quia utrobique est conformitas modorum significandi. — Sed *congruitas* requirit constructibilium unionem, non quamcumque, sed *debitam*, ex conformitate modorum significandi illius constructionis tantum ad illam speciem constructionis requisitorum. — *Perfectio* requirit constructibilium unionem, non quorumcumque, sed solum *suppositi* cum *apposito*, ex conformitate omnium modorum significandi causatam, cum sufficientia exprimendi mentis conceptum compositum secundum distantiam, et generandi perfectum sensum in animo auditoris. — Et sic patet, quod *perfectio* super *congruitatem* addit propria principia, et similiter *congruitas* super *constructionem*, et ideo perfectio praesupponit congruitatem, et congruitas constructionem. Constructio ergo est passio sermonis *prima*, congruitas *secunda*, perfectio *tertia* et ultima.

230. **Qualiter interrogandum.** — Et ut habeamus distinctum modum interrogandi de ipsis passionibus Grammaticae, sciendum est, quod de differentiis constructionum, quae sunt *transitivum* et *intransitivum*, possumus quaerere per hoc interrogativum, *quae?* Sed de istis differentiis, quae sunt *congruum* et *inconguum*, possumus quaerere per hoc interrogativum, *qualis?* Sed de istis differentiis, quae sunt *perfectum* et *imperfectum*, possumus quaerere per hoc interrogativum, *quanta?* Unde versus:

Quae? trans., intrans.; qualis? con., incon.; quanta? per. imper.

FINIS TRACTATUS DE MODIS SIGNIFICANDI.

LEXICON SCOTISTICUM

PARS SECUNDA

DISTINCTIONES

A

A — Haec praepositio *A* denotat habitudinem causae efficientis. — *Physic.* II. q. 11. n. 3.

« Ab hoc » dupliciter accipitur. — *Ab hoc* potest accipi aequivoce: *uno modo* ut est relatio opposita ei, quod est *a quo aliud;* et tunc debet intelligi aliquid praecedens, quod specificatur per *ab hoc*, utpote, *qui ab hoc*, vel *quod ab hoc;* et hoc modo *ab hoc* non pertinet ad genus Actionis; sed magis respectus oppositus, scilicet *a quo aliud.* — *Alio modo ab hoc* accipitur non ut determinat aliquid praecedens; et tunc idem est cum isto respectu, *a quo;* et hoc modo concedi potest pertinere ad genus Actionis. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 14.

Ablativus. — *Ablativus* quando construitur cum verbo *adjectivo,* construitur cum eo, vel in ratione *principii* activi, vel in ratione *actionis* et *fieri,* ut *lignum habet esse calidum calore* vel *igne;* ibi iste ablativus *calore* significat, quod calor habitus in ligno sit principium calefactionis in ligno. Cum vero dicitur: *lignum habet esse calidum calefactione,* construitur ablativus in ratione factionis et fieri. — Sed quando ablativus construitur cum verbo *substantivo,* construitur cum eo in ratione principii *formalis essendi,* ut cum dicitur: *lignum est calidum calore.* — *Oxon.* I. d. 18. n. 9. — Potest ablativus construi in ratione formalis principii *proximi* vel *remoti;* et ista multiplicitas universaliter accidit, quando aliquod *abstractum* construitur in ablativo cum aliquo *concreto* denotante respectum. Haec enim est vera: *Simile est simile similitudine,* intelligendo ablativum construi in ratione *formae proxime denotantis.* Et similiter haec est vera: *Simile est simile qualitate,* intelligendo ablativum construi in ratione *principii formalis remoti.* Et haec est vera: *Calidum calore calefacit;* et haec: *calidum calefactione calefacit;* sed in alio et in alio sensu. — *Ib.* IV. d. 13. q. 1. n. 21. — Vid. *Grammat. specul.* n. 92.

Abstractio. — Quid vocatur *abstractio?* Aperte patet, quod non est aliud quam consideratio rei secundum unum modum, absque hoc, quod consideretur secundum alium, ut considerare hominem *ut est homo.* — *De rer. princ.* q. 14. n. 16. — *Abstractio* proprie est praedicati dicentis *quia* * (essentiam propriam) * subiecti; non enim passio communis dicitur proprie abstrahi a subiecto non convertibili; tamen communiter loquendo dicitur *abstractio.* — *Quaestion. Metaph.* lib. VII. q. 13. n. 24. — Vid. *Circumscriptio* — *Abstractio.* = *Concipi conceptu proprio est multipliciter.*

Abstractio a materia et suppositis — a suppositis. — Duplex est *abstractio:* una est *a materia et suppositis,* sicut *homo* abstrahit ab illo homine, et ab isto; et a materia,

ut ab homine *albo*, et ab homine *nigro*. Unde *album* et *nigrum* prius sequuntur subiectum in ratione conditionum materialium. — *Alia* est abstractio *a suppositis*, sed non a materia; sicut *homo albus* abstrahitur a suppositis, ut *ab illo homine, et ab isto;* sed non a materia, quia album consequitur passiones materiales subiecti. — *Poster.* I. q. 37. n. 2. — Vid. EFFATA: *Abstrahentium non est mendacium.*

Abstractio a subiecto — a supposito. — Vid. *Concretio ad suppositum — ad subiectum.*

Abstractio — Concretio. — Licet accidens non sit sine subiecto, est tamen in se quaedam essentia, distincta ab essentia subiecti, licet non adeo perfecta (1); nam per Aristotelem *I. Top. cap. 7: In omni genere est reperire quid* *(essentiam)*. Similiter nisi esset essentia distincta in se, non esset per se in alio genere a subiecto; quod manifeste falsum est. Quamlibet autem essentiam contingit sub ratione propria intelligere, et etiam significare; et tali modo intelligendi correspondet modus significandi *abstratus.* — *Alio modo* contingit intelligere istam essentiam, inquantum informat subiectum; et huic modo intelligendi correspondet modus significandi *concretus.* Sicut igitur eadem essentia intelligitur sub utroque modo intelligendi, sic idem significatur per nomem concretum et abstractum, sed sub diverso modo significandi. — *Super Praedic.* q. 8. n. 3.

Abstractio in substantiis — in accidentibus — in relationibus. — *In substantiis*, quamvis in eadem re simplici possint esse perfectiones multae substantiales formaliter distinctae, et ibi una ratio formalis possit abstrahi ab alia, remanente adhuc concretione utriusque formalitatis ad sua propria supposita; verbi gratia, licet haec sit vera, *substantia intellectiva est volitiva*, ubi est praedicatio concretiva unius perfectionis de altera; tamen haec negatur, *intellectus est voluntas*, quia illa significant perfectiones illas ut abstractas a se invicem, et secundum proprias formalitates; tamen adhuc sic abstracta concernunt propria supposita, ut *hic intellectus est intellectus*, et *haec voluntas est voluntas.* Accipiendo tamen *substantiam*, sive simplicem, sive compositam, praecise, secundum rationem suam formalem quidditativam, tantum est abstratio a supposito propriae naturae, quia communiter non sunt natae concernere aliquid alterius naturae; ideo ibi ista abstractio est maxima. Abstrahendo enim naturam humanam a suppositis quae sunt illius naturae, sicut abstrahitur cum concipitur *humanitas*, non remanet ulterius abstractio alia; et ideo illud ut sic conceptum praecise est ipsummet praecise, quia cuilibet alii extraneum.

Sed *in accidentibus*, quanto plura possunt concernere, tanto plures possunt fieri abstractiones. Concernunt quidem accidentia supposita alterius naturae; et licet ab his abstrahantur, concernunt tamen individua propriae naturae, sicut *album* concernit *lignum;* et licet ab hoc abstrahatur *albedo*, tamen adhuc concernit albedinem *hanc* et *illam*, quae sunt individua sua.

Sed ulterius est abstractio *quidditatis a supposito*, qualis dicta est fieri in substantiis, et illam circumloquimur per hoc quod dicimus *quidditas albedinis;* et illa non concernit aliquod suppositum, nec eiusdem naturae, nec alterius.

In *relationibus* etiam, quae plura concernunt, adhuc plures possunt esse abstractiones. Concernit enim relatio suum proprium individuum, fundamentum, et subiectum; et licet abstrahatur a posteriori, non tamen a priori. *Exemplum:* hoc concretum, quod est *causa*, dicitur de igne, qui causat calorem in ligno, ut de *subiecto;* sed abstrahendo a subiecto, remanet adhuc concretio ad *fundamentum*, puta si dicatur *potentia causandi.* Calor enim est potentia causandi calorem; non tamen ignis est potentia causandi illum. — Adhuc potest fieri ulterior abstractio ad proprium *genus*, ut puta, si dicatur *causalitas;* et tunc nec ignis nec calor recipit praedicationem istius; tamen adhuc haec causalitas est causalitas.

Ultima abstractio, qualis est in *substantiis*, est per hoc, quod dicimus, *quidditas causalitatis;* et haec de nullo praedicatur alio.

Ex istis narratis apparet quae sit *ultimata abstractio*, quia quidditatis absolutis-

---

(1) Vid. infr. *Accidens.*

sime sumptae ab omni eo quod est quocumque modo extra rationem quidditatis. — *Oxon.* I. d. 5. q. 1. n. 6.

Abstractio multiplex. — Multae sunt abstractiones: quaedam *accidentis* a *subiecto;* quaedam *communis* a *supposito;* etiam *respectiva* abstrahuntur a *fundamento*, a *subiecto* et a *re alia;* et ultimo *quidditas* a *supposito;* ita quod ultima abstractio est quando consideratur quidditas formaliter, absque omni eo quod non est inclusum in ea formaliter. — *Report.* I. d. 5. q. 1. n. 5. — Abstractio autem maior est difficilior, quia est a minus sensibilibus. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 27.

Abstractio sine — cum mendacio. — Abstractio *sine mendacio* est *non considerando* illud a quo fit abstractio. — Abstractio *mendax* est considerando illud *non esse* a quo fit abstractio. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 10.

Abstractio ultimata. — Vid. *Abstractio in substantiis,* etc. = *Abstractio muliplex.*

Abstractive — intuitive. — Isti duo modi cognoscendi, qui sunt dispersi in potentiis sensitivis, propter organum, uniti sunt in intellectu, cui ut uni potentiae potest uterque actus competere. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 7. — Actus *abstractivus* et *intuitivus* differunt specie, quia aliud et aliud est ibi movens; hic enim movet species sensibilis rei; ibi autem movet res praesens in se. — *Ib.* IV. d. 49. q. 12. n. 6. — Ille actus intelligendi potest satis proprie dici *abstractivus,* qui abstrahit obiectum ab existentia et non existentia, praesentia et absentia. — *Quodlib.* q. 6. n. 7. — Cognitio abstractiva est aeque existentis et non existentis...; etiam posset haberi, licet obiectum non attingatur in se, sed in similitudine. — *Ib.* n. 8.

Abstractum. — *Abstracta* significant essentiam secundum se. — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 6.

Abstractum — Concretum. — Idem per se significat *abstractum* et *concretum,* licet alio modo significandi, sicut *filius* et *filiatio;* quia sicut *filiatio* significat relationem de genere relationis, ita et *filius.* — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 20. — Videtur quod nomen *abstractum* det intelligere subiectum; sed non similiter ac *concretum;* quia concretum in recto, abstractum in obliquo, sicut subiectum diversimode ponitur in definitione unius et alterius. — *Super Praedic.* q. 8. n. 4. — Terminus *concretus* supponit pro subiecto, sed non subiectum. — *Ib.* n. 6. — *Concretum* importat subiectum *in recto,* et qualitem *in obliquo,* ut *album* dicit *habens albedinem;* sed *abstractum* importat qualitatem *in recto,* et subiectum *in obliquo,* ut *albedo alicuius entis.* — *Physic.* I. q. 7. n. 10. — *Abstractum* et *concretum* idem significant, nisi quod *concretum* significat per *concretionem ad suppositum.* — *Report.* I. d. 27. q. 6. n. 6. — *Concretum,* sive significet, sive connotet, saltem dat intelligere subsistens in forma vel natura; *abstractum* autem praecise dat intelligere formam. Et si hoc sit alicui dubium de concreto *adiectivo,* saltem hoc videtur certum de *substantivo* concreto, quod vel signat vel necessario connotat subsistens in natura, quae importatur per abstractum eius; abstractum autem praecise dat intelligere formam. — *Oxon.* I. d. 26. n. 57.

Abstractum — concretum — Determinatum — indeterminatum. — Non est simile de modo *abstracti* et *concreti,* et de modo *determinati* et *indeterminati,* quia modus *abstracti* est modus sub quo nomen imponitur ad significandum abstractum; ideo talis modus cadit in unionem praedicati cum subiecto, non tanquam illud quod unitur, sed tanquam determinata ratio sub qua res, cuius est modus, alteri simpliciter unitur. Ideo haec est falsa: *homo est humanitas.* — Sed modus *indeterminati* non cadit in unionem praedicati cum subiecto, nec ut pars unita, nec tanquam determinata ratio sub qua unum alteri unitur; quia ille modus est rei solum per comparationem ad intelligentem, et non est modus sub quo vox imponitur ad significandum; et ideo non oportet hanc esse falsam, *homo est animal,* propter tales modos extraneos, quia illi modi nullo modo in unionem cadunt, ut dictum est. — *Poster.* I. q. 19. n. 3.

Abstractum duplex. — Est duplex abstractum: *unum* scilicet quod abstrahit a *subiecto; aliud* vero quod abstrahit a *forma*

ut est in supposito. — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 11.

Abstractum « esse in » est dupliciter. — Quando *abstractum* dicitur *esse in* aliquo, aut *de virtute sermonis* denotatur *esse in,* sicut forma in informato, sicut cum dicitur, *color est in lapide,* non significatur *esse in* sicut pars in toto, sed sicut forma in informato; et tunc ista propositio est neganda, *Filiatio est in Patre;* aut hoc non habetur de virtute sermonis, sed *ex usu,* sicut dicimus, *colorem esse in luce,* non sicut in subiecto; et tunc concedi potest ista, *Filiatio est in Patre,* accipiendo *esse in* pro inexistentia intima. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 11.

Abstrahere. — *Abstrahere* non est decipere; sic *abstrahentium non est mendacium;* sed est considerare hoc sine illo, hoc est, *non considerando* illud. — *Report.* III. d. 14. q. 2. n. 12.

Accentus. — Vid. *Fallacia accentus.*

Acceptatio Dei duplex. — Duplex est gratia in modo acceptandi: *una* est acceptatio praecedens gratiam, quae est acceptatio *secundum quid,* qua Deus acceptat ad gratiam aliquam personam, vel propter motum aliquem bonum, vel propter gratiam gratis datam, vel alio modo, secundum diversas opiniones. — *Alia* vero est acceptatio ad vitam aeternam, et haec sequitur gratiam. — *Report.* I. d. 17. q. 2. n. 10. — Vid. *Actus meritorius = Meritum.*

Acceptatio personarum. — Quando sunt aliqua duo aeque volibilia et ordinabilia ad aliquem finem, et ex parte sui habent rationem illam propter quam sunt volenda ab aliqua voluntate, voluntas praeacceptans unum illorum alteri ad illum finem peccat secundum *acceptationem personarum.* Talis est autem omnis voluntas creata, quia respectu illius bonitas amabilis est ratio amandi. Non sic voluntas increata respectu alicuius boni alterius ab essentia sua; nullum enim aliud bonum, quia bonum ideo amatur ab illa voluntate, sed e converso; et ideo non potest *acceptare personas* (1), quia non est in eis bonitas quae sit sibi ratio amandi. — *Oxon.* I. d. 41. n. 14.

Accidens. — *Accidens* est quod *adest vel abest,* secundum Porphyrium. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 6. n. 9. — Et accidentia non dicuntur entia, nisi per attributionem ad substantiam, hoc est, per esse quod habent in substantia, et a substantia, iuxta illud, *Accidentis esse est in alio esse;* et *VII. Metaph. text.* 2. dicitur, quod *Accidentia non sunt entia, sed entis;* non quod accidentia de natura sua non habeant aliquam entitatem, sed quia illa entitas, comparata ad entitatem substantiae, quasi est quaedam non entitas; et etiam actualiter esse naturaliter non habent nisi ab esse substantiae. — *De rer. princ.* q. 1. n. 15. — *Ib.* q. 17. n. 1. — *Unde* propria ratio formae accidentalis est esse subiecti. — *Super Praedic.* q. 8. n. 5.

Dicitur quod *inhaerentia* est de *essentia accidentis.* Verumtamen distinguitur de *inhaerentia:* inhaerentia potest *uno modo* denotare unionem inter substantiam et accidens; et illo modo inhaerentia nihil est, nisi eius essentia, quia inter accidens et eius subiectum nullum est medium, sed ex his fit unum, quia unum est actus, aliud potentia. *Alio modo* potest intelligi inhaerentia entitas accidentis in subiecto; et de illa adhuc distinguitur: quia quaedam est inhaerentia, quae est *actualis existentia* accidentis in subiecto; et alia est inhaerentia, quae est *habitudo* accidentis in subiecto. *Prima* non est de essentia; quia nihil potest intelligi sine illo quod est de sua essentia: sed accidens potest intelligi sine *actualiter inesse;* sicut enim substantia intelligi potest circumscribendo *esse, existere, fuisse,* et *fore,* ita accidens potest intelligi inesse accidentaliter, circumscribendo esse temporale; conceptui enim accidentis accidit esse temporale.

Secundum * (quod *habitudo* accidentis in subiecto est de essentia accidentis) * declaratur: quia ens dividitur immediate per ens *comparatum* et *absolutum:* accidens est ens; igitur est absolutum, vel comparatum. Si igitur circumscribas accidens ab habitudine ad subiectum, tunc ponis accidens esse substan-

---

(1) II. *Paral.* c. 19. v. 7. — *Rom.* c. 2. v. 11. — *Ephes.* c. 6. v. 9. — *Colos.* c. 3. v. 25.

tiam. Et hoc patet per *exemplum* Aristotelis; dicit enim quod accidens habitudinem habet ad substantiam, sicut *sanum* in *urina* ad sanum in *animali:* sed sanum in urina nihil est nisi per habitudinem ad sanum in animali; igitur accidens nihil est, circumscripta habitudine ad substantiam; habitudo igitur ad substantiam est de eius essentia — *Posterior.* I. q. 30. n. 3.

Propter rationem iam dictam, dicendum est, quod inhaerentia accidentis *actualis* non est de essentia accidentis; similiter esse accidentis non est *actualiter* subiecto inesse. — Inhaerentia tamen secundum *aptitudinem* est de eius essentia.

Primum patet; quia prima Causa non potest facere incompossibilia: prima Causa potest facere accidens esse, et tamen in subiecto non esse, sicut patet de quantitate * panis in Eucharistia *; igitur accidens esse, et ipsum in subiecto non esse, non sunt incompossibilia; esse igitur accidentis non est *actualiter* subiecto inesse; et per hoc patet, quod inhaerentia *actualis* non est de essentia accidentis.

Secundum membrum patet; quia accidens non potest intelligi, nisi concomitanter intelligatur subiectum; nec etiam definitur sine subiecto: sed hoc non est nisi quia *aptum* est inesse subiecto; quia si nec haberet actualitatem, nec aptitudinem ut esset in subiecto, non magis definiretur per subiectum quam e contra; igitur accidens essentialiter aptum natum est inesse subiecto; inhaerentia igitur secundum *aptitudinem* est de essentia accidentis.

Intelligendum tamen est, quod accidens potest habere *duplex esse: unum* esse *naturale,* quod sibi debetur si cedatur naturae propriae; sicut grave, si dimittatur naturae propriae, est deorsum. *Alio modo* potest habere esse *praeter naturam;* sicut grave detentum sursum habet esse sursum praeter naturam. Quoad esse *primum,* accidentis esse est in subiecto actualiter esse; quoad *secundum* esse, accidens esse potest, et tamen non in subiecto esse actualiter; sicut grave, sive sit sursum, sive deorsum, aptum natum est esse deorsum; ita accidens sive habeat esse naturale, sive praeter naturam, tamen *aptum* natum est esse in subiecto. — Intelligendum tamen est, quod non sequitur: *aptum natum est esse in subiecto; ergo est in subiecto, vel potest esse in subiecto:* sicut non sequitur: *caecus aptus natus est videre; igitur videt, vel potest videre.* — *Poster.* I. q. 30. n. 7. — *Ib.* q. 6. n. 6. — *Oxon.* III. d. 6. q. 1. n. 4.

Cum arguitur, quod sicut substantiae convenit *per se esse,* ita accidenti *inhaerere;* dico quod, si accipitur *inhaerere,* sicut *per se esse,* prout convenit substantiae, concedo similitudinem, quia sicut substantiae convenit *per se esse,* ita quod non nata est alii inhaerere, sed repugnat sibi alteri inhaerere, quia *quod vere est, nulli accidit,* sed natum est *per se esse,* et non in alio; ita per oppositum, repugnat accidenti *per se esse,* taliter quod non sit natum alii inhaerere, quia naturaliter repugnat sibi non aptitudo ad subiectum, quantumcumque sit separatum. Si autem intelligeretur, quod sicut perseitas substantiae in se dicit *actualem* privationem inhaerere ad subiectum, ita per oppositum inhaerentia accidentis dicat *actualem* inhaerentiam ad subiectum, et quod sicut repugnat substantiae non esse actualiter per se, ita convenit accidenti actualiter in alio esse; nego *consequentiam* et similitudinem, quia fundamentum absolutum potest carere respectu extrinsecus adveniente. — *Report.* IV. d. 12. q. 1. n. 9.

— Neutra * tamen * inhaerentia (1) est de essentia accidentis, accipiendo *accidens* pro eo quod hoc nomine denominatur, ut *quantum, quale,* et huiusmodi. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 1. n. 3. — *Ibid.* et in *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. *fusius hanc quaestionem pertractat.*

— Licet *accidens* non sit sine subiecto, est tamen in se quaedam essentia distincta ab essentia subiecti, licet non adeo perfecta, nam per Aristot. *I. Top.* cap. 7: *In omni genere est reperire quid.* — *Super Praedic.* q. 8. n. 3.

— Ideo in definitione omnium accidentium ponitur *substantia,* quia nullius potest haberi conceptus perfectus quietans intelle-

---

(1) Vid. *Inhaerentia duplex.*

ctum sine additione substantiae; sed non propter hoc substantia est immediatum additum in definitione cuiuscumque accidentis; immo in definitione alicuius est immediatum, tanquam proximum receptivum; in definitione vero alterius est additum ut mediatum receptivum, mediate terminans eius dependentiam, et immediate dependentiam alicuius alterius, ad quod illud dependet. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 16. — *Report.* IV. d. 12. q. 2. n. 15.

Cum dicitur quod sola *substantia* est subiectum *accidentis;* respondeo, quod si accipiatur *subiectum* proprie pro eo quod ultimate terminat dependentiam accidentis, sic verum est, quia ad aliquid ultra substantiam non dependet; et haec est ratio perfecti subiecti, ut ad ipsum dependeat accidens in ratione ultimo terminantis ipsius dependentiam. Si vero accipitur *subiectum* pro susceptivo proximo accidentis, et ipsius dependentiam proxime terminantis, sic non est verum, quod sola substantia sit subiectum accidentis; sic enim relationes sunt in qualitate et quantitate, ut in proximo susceptivo. — *Report.* IV. d. 12. q. 2. n. 13. — Vid. *Ens per se — per accidens = Praedicari in quid — in quale = Praedicamenta decem = Proprium — Accidens = Ens — Substantia* — Vid. EFFATA: *Accidentia non sunt entia nisi quia entis.*

Accidens absolutum — respectivum. — De *accidentibus,* quaedam sunt *absoluta,* quaedam *respectiva.* Si enim omnia accidentia essent respectiva, nullum esset, nec esse posset sine subiecto, quia accidentia relativa, sive sint relationes intrinsecus advenientes, sive extrinsecus, impossibile et incompossibile est ista esse sine subiecto, quia incompossibile est aliquam relationem esse, et non inter extrema, ut inter terminos. — *Report.* IV. d. 12. q. 1. n. 2; *ubi praedicta optime demonstrat.* — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2.

Accidens dupliciter significatur. — Accidens significatur abstrahendo a substantia; sed hoc potest dupliciter intelligi: *uno modo,* quod significetur non intelligendo substantiam, nec ut huius; et illo modo impossibile est accidens intelligi abstrahendo a substantia; accidens enim non potest intelligi, nisi intelligatur substantia sub habitudine, qua est accidens illius, quia accidens non est *ens nisi quia entis;* et ideo non intelligitur nisi ut entis. — *Alio modo* potest accidens intelligi abstrahendo a substantia, secundum quod accidens intelligitur, non ut est substantiam informans, sive ut est idem cum substantia quodammodo; et sic intelligitur accidens abstrahendo a substantia, sicut *albedo; album* enim intelligitur ut substantiam concernens, tamquam quid idem cum substantia, quia vere potest dici quod *hoc est hoc.* Sed *albedo* potest intelligi solum ut substantiae est, et non quid idem, et hoc est suum intelligi per modum abstracti, etc. — *Poster.* I. q. 31. n. 5.

Accidens inesse per se subiecto est dupliciter. — Accidens *per se inesse subiecto* potest esse dupliciter: *uno modo* dicitur aliquid inesse subiecto *per se,* quod non per subiectum medium; et illo modo quodlibet inest per se alicui subiecto. — *Alio modo* dicitur accidens *inesse per se,* quia egreditur a principio formali ipsius subiecti; et sic solum propria passio inest *per se.* — *Poster.* I. q. 26. n. 3.

Accidens logicum. — Accidens est *quod adest vel abest, praeter subiecti corruptionem* (Porph.). — Accidens est *quod contingit eidem inesse et non inesse* (Aristot. *I. Top.*). — * Haec * definitio, si congrue intelligatur, satis convenienter est assignata. Ubi sciendum est, quod *adest* et *abest,* sive *inesse* vel *non inesse,* quae ponit Aristoteles in sua definitione, sunt aequivoca primae intentionis et secundae intentionis, Ut sunt nomina primae intentionis, dicitur *VII. Metaph. context. 2, et inde: Accidentis esse est inesse,* et hoc de accidente reali, de quo loquitur ibi; sic etiam sumitur *adesse* et *abesse VIII. Physic. cont. 62, et inde,* ubi dicitur, quod *impossibile est idem simul adesse eidem subiecto, et abesse ab eodem.*

Alio modo *inesse* vel *abesse* est nomen secundae intentionis, et significat praedicationem eorum quae sunt extra essentiam subiecti, vel alterius generis a subiecto, sicut *praedicari de* dicit propriam praedi-

cationem essentialem eorum quae sunt in eodem genere cum subiecto. — Sed adhuc *inesse* secundo modo sumitur dupliciter: *proprie*, et sic non inest nisi accidentibus communibus; vel *communiter*, et sic inest singularibus accidentibus; et adhuc *communius* sumendo *inesse*, dicimus communiter in omni propositione, praedicatum inesse subiecto, vel non inesse, sicut generaliter dicimus, in omni propositione esse *praedicatum*, et *subiectum*, qualiscumque fuerit praedicatio.

Prima distinctio videtur probabilis; inconveniens enim est Logicum definire et dividere per res primae intentionis, praesertim quando definitum est secunda intentio; vel dividere, si aliqua membra divisionis sint res secundae intentionis. — *Secunda* distincto de *inesse*, scilicet *proprie*, ut accidens commune; *communiter*, ut accidens quodlibet; *communius*, ut omne praedicatum de subiecto, patet ex definitione Aristotelis *I. Topicor.* et divisione eius in principio *Praedicamentorum*, et communi modo loquendi.

Consimiliter tripliciter dicitur *praedicari de*: *proprie*, pro his quae sunt superiora in eodem genere; *communiter*, pro omni eo quod est commune; *communissime*, pro omni eo quod specificat rem huius verbi *est* in propositione. — Primo modo sumitur in principio *Praedicamentorum*. Secundo modo in definitione Universalis, in lib. *Perihermenias*. Tertio modo in divisione Porphyrii, quam ponit post definitionem Generis, et in definitione Individui.

Sumendo igitur *adesse*, vel *inesse* primo modo, per illud intelligitur genus accidentis, cum una differentia, scilicet praedicatum non essentiale, vel genus intermedium inter Universale et Accidens; sic intelligitur in definitione *Proprii* per *accidit*. Residuum, hoc est, *abesse*, etc. ponitur loco differentiae, et correlativi ipsius definiti. Similiter in definitione Aristotelis *contingit inesse, et non inesse*, id est, *non necessario inest subiecto*. — *Super Univers.* q. 35. n. 2-3.

Accidens multipliciter sumitur. — Hoc nomen *accidens* sumitur multipliciter: *uno modo* est nomen primae intentionis; et sic est aequivocum ad duo, ut dicitur *V. Metaph. in fine, cont. ult.*; quia uno modo dicitur idem quod *contingens in paucioribus* (1); alio modo est idem quod *adveniens enti in actu* post eius esse completum; et hoc modo loquitur Methaphysicus, dividens *ens* in *substantiam* et *accidens*; et illud accidens sic sumptum est aequivocum ad novem Praedicamenta. — *Alio modo* est nomen secundae intentionis; et sic uno modo significat idem quod *extraneum*, prout sumitur in *Elenchis*, in fallacia *Accidentis*; alio modo significat idem quod secunda intentio, scilicet *quodlibet quod causatur a sola consideratione intellectus*; et isto modo omnia quinque Universalia sunt accidentia. — *Alio modo* significat idem quod praedicatum *non essentiale*; et sic distinguitur contra praedicatum essentiale, et est commune duobus ultimis Universalibus * (*Proprio* et *Accidenti*) *; et sic ponitur in definitione *Proprii*. — *Alio modo* dicitur idem quod praedicatum non essentiale, nec per se, nec *convertibile*; et sic est quintum Universale. Et patet quod sic sumptum praedicatur de pluribus, et habet modum praedicandi distinctum ab aliis; sic enim praeter materiam et formam, quae sunt essentia rei, et accidentia egredientia ex illis principiis per se, est reperire aliqua consequentia essentiam, non per se, nec convertibiliter. Sic praeter praedictos modos praedicandi in *quid*, et in *quale essentiale*, et *accidentale convertibiliter* (2), est alius modus praedicandi in *quale accidentale non convertibiliter*, sumptus a modo essendi in re; et tale praedicatum dicitur *accidens*, in quod descendit Universale per istum modum praedicandi, sicut in alia Universalia per alios modos praedicandi. — *Super Univers.* q. 34. n. 2.

Hoc vocabulum *accidens* potest accipi pro *per se significato eius*, vel pro eo quod *denominatur* ab isto per se significato. Ista distinctio est universalis in omnibus concretis. — Ulterius, accipiendo pro illo quod

---

(1) Hoc « modo opponitur ipsi *per se*, et multo magis ipsi *substantialiter* ». — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. s. unic. c. 20. n. 163.

(2) Vid. *Praedicari in quid — in quale.*

denominatur a significato istius nominis, *accidens* potest accipi, vel pro *absoluto*, vel pro *respectivo*, sive respectu accidentali. Et secundum hoc habentur tria membra: primum de accidente, quantum ad per se rationem quam importat accidens; secundum de eo, quod denominative dicitur accidens, et est absolutum; tertium membrum de eo quod denominative dicitur accidens, et est respectivum. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 5.

Accidens est duplex: quoddam quod sequitur subiectum *secundum actum*, ut *album*, et *nigrum;* quoddam *secundum aptitudinem*, ut *risibile*, quia omne nomen terminatum in *bile* significat per modum aptitudinis. — *Poster.* I. q. 14. n. 1. — Aliquid *accidere naturae speciei* potest intelligi duobus modis: *uno modo* sic, quod sit extra rationem quidditativam speciei, quomodo dicitur *differentiam accidere generi;* et sic accipitur *accidens* in fallacia *Accidentis*, pro extraneo, quod est extra rationem alterius. — *Alio modo* dicitur accidens quod non facit per se unum cum eo, cui accidit, sicut *albedo in corpore.* — *Oxon.* I. d. 17. q. 5. n. 9. Vid. *Fallacia Accidentis* = *Proprium.*

Accidens naturae specificae. — Quidquid est extra rationem per se ipsius *naturae specificae*, et non est per se consequens naturam illam, est tali naturae *accidens;* et hoc modo quidquid ponitur individuans est accidens; non tamen est proprie accidens. — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 19.

Accidens per accidens. — *Accidens per accidens* non nisi a principiis intrinsecis alicuius entis oritur; cum enim causare tale accidens per accidens, puta volitionem, nullam perfectionem tollat a causante, vel imperfectionem ponat in recipiente, quia potius ipsum perficit, concludendum est, quod talis forma perfecta, puta voluntas, possit causare in se volitionem, quae scilicet est tale accidens per accidens. — *Oxon.* II. d. 25. n. 25.

Accidens primae — secundae intentionis. — Vid. *Proprium.*

Accidens proprium — commune. — Vid. *Proprium — Accidens = Accidentia ab extrinseco — ab intrinseco = Accidens multipliciter sumitur = Praedicari in quid — in quale.*

Accidens simplex — copulatum. — Quaedam sunt accidentia *simplicia;* quaedam *copulata.* Quod dupliciter intelligi potest: *uno modo*, ut dicatur accidens simplex, quod non habet subiectum determinatum, quod ponatur in eius definitione, sicut *curvum* et *concavum*, et alia materialia; sed dicitur accidens copulatum quod habet subiectum determinatum, sine quo non potest definiri, sicut *simum*, vel *aquilinum.* — *Alio modo*, ut dicatur accidens simplex seorsum sumptum sine subiecto, puta ut cum dicitur *simum*, vel *aquilinum;* accidens autem copulatum cum sumitur cum subiecto, puta cum dicitur *nasus simus*, *quantum aequale*, *numerus par*, et huiusmodi. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. cap. 4. n. 32.

Accidentale dupliciter sumitur. — *Accidentale* aut accipitur pro *extraneo*, aut accipitur pro eo, quod quasi *perficit* aliquid *accidentaliter*, quod praeexistit in se perfectum. Si *secundo modo*, dico, quod non omne ens omni enti, in quo est, est *essentiale* vel *accidentale;* est enim medium inter essentiale et accidentale ut contrahens, sicut differentia contrahit genus, quae nec est essentiale, nec accidentale, accipiendo hoc modo; et sic in Divinis nihil est accidentale; sed praeter essentiam, est aliquid non essentiale. Si autem accipitur accidentale *primo modo*, quidquid non est de *ratione* eius *formali*, sed extraneum, licet non proprie sic dicatur *accidentale*, sic differentia esset accidentalis respectu generis. Et hoc modo accipit Philosophus *accidentale* pro *extraneo* in fallacia *Accidentis.* Sic potest dici *accidentale alicui* quidquid est ei extraneum, ut illud comparatur ad aliquod tertium. Et isto modo non est inconveniens distinctiva Personarum accidere essentiae, quia sunt extra rationem eius. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 53.

Accidentalitas duplex. — Sicut non est eadem entitas *ad se* et *ad alterum*, sic nec eadem est *accidentalitas* accidentis entis *ad se*, et accidentis entis *ad alterum.* — *Quodlib.* q. 3. n. 15.

Accidentalitas ex parte causae. — Est *accidentalitas ex parte causae,* non proprie, sicut *album* dicitur causa aedificandi accidentaliter, et universaliter omne quod accidit causae per se, ita quod facit unum per accidens cum ea; sed extendendo *accidens* ad quodlibet, quod est extra per se rationem alicuius. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 9.

Accidentia ab extrinseco — ab intrinseco. — Quaedam accidentia insunt subiecto totaliter tantum *ab extrinseco,* sicut *albedo* quandoque causatur a frigore, *nigredo* ab aestu; et accidentia illo modo non insunt *per se* in subiecto. Et huius ratio est, quia accidens *per se* est accidens *proprium:* sed accidens *proprium* est quod soli speciei, et omni contento sub specie inest: sed talia accidentia, quae insunt tantum *ab extrinseco,* possunt inesse multis speciebus. — *Alio modo* accidens causatur *ab intrinseco;* et hoc tripliciter: uno modo, ratione *formae;* alio modo, ratione *materiae;* et tertio modo, ratione *complexionis.* Accidens *secundo modo* est sicut quantitas; et tale accidens non est accidens *per se,* propter rationem quae data est; quantitas enim non inest soli speciei, sed multis speciebus. Accidens *tertio modo,* quod causatur ex complexione, est ut *albedo, nigredo,* quae causantur ex qualitatibus primis. Etiam qualitates primae ex diversa commixtione causantur diversimode. Talia accidentia non sunt accidentia *proprie,* propter rationem dictam, quia multis speciebus insunt. Accidens *primo modo,* quod consequitur compositum ratione specificae formae, est accidens *per se;* tale enim solam speciem consequitur, et omnibus contentis sub specie inest, et semper; sicut *risibile* se habet respectu hominis, et *habere tres angulos* respectu trianguli. Effectus enim non excedit causam; ideo sicut forma hominis non est in asino, aut in aliis speciebus, ita *risibile* in asino non reperitur. Similiter sicut forma specifica hominis in quolibet supposito speciei humanae reperitur, ita *risibile,* quia posita *per se* causa, ponitur et effectus. — *Poster.* I. q. 26. n. 2.

Accidentia dupliciter nata sunt inesse subiecto. — Quaedam accidentia nata sunt inesse toti per *unam partem determinatam,* et quaedam nata sunt inesse secundum *quamlibet partem. Exemplum* primi: sicut *calceatum esse* inest homini secundum pedem. *Exemplum* secundi: *album* natum est inesse toti secundum quamlibet partem. Accipiendo accidentia *primo modo,* sequitur: *Hoc inest huic; igitur hoc est hoc;* sequitur enim: *Calceatum inest homini secundum pedem; igitur homo est calceatus.* Accipiendo tamen accidens *secundo modo,* non sequitur ab *inesse* ad *esse,* nisi ita sit, quod tale accidens ipsi toti, vel saltem pluribus partibus totius, sive maiori parti insit; et ideo non sequitur: *Albedo inest homini; igitur homo est albus universaliter;* et hanc determinationem innuit Albertus super librum *Sex Principiorum.* — *Poster.* I. q. 22. n. 2. — *Elench.* q. 54. n. 3.

Accidentis ad substantiam habitudo duplex. — *Accidens ad substantiam,* sive ad subiectum suum, *duplicem habet habitudinem:* scilicet *informantis;* et ista necessario includit imperfectionem in subiecto informato, eo quod potentialitatem habet respectu actus *secundum quid,* scilicet accidentalis. Aliam habet ut *posterioris naturaliter ad prius,* a quo dependet, non ut ab aliqua causa, quia si habet subiectum pro aliqua causa, habet ipsum pro causa materiali, et hoc est inquantum informat ipsum. Si igitur istae duae habitudines accidentis ad subiectum ab invicem distinguantur, altera necessario est ad subiectum sub ratione imperfectionis in ipso subiecto, scilicet potentialitatis; altera nullam imperfectionem necessario ponit in eo, sed tantum prioritatem naturalem, et sustentationem respectu accidentis. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 3. — *Quodlib.* q. 19. n. 13.

Accidentis esse duplex. — *Accidens* multiplex habet esse: videlicet esse *existentiae,* per quam scilicet actu existit in re, inquantum est terminus creationis, vel alicuius actionis; et tale *esse* nullum accidens habet a subiecto. — Est autem aliud esse *subsistentiae,* quod distinguitur contra *inhaerere;* et hoc per se convenit substantiae, et accidentibus per substantiam; ideo tale *esse* habent accidentia a subiecto. — *De rer. princip.* q. 17. n. 2. — Vid. *Accidens.*

Accidentis inesse duplex. — Vid. *Substantiae esse duplex.*

Accidentis inhaerentia duplex. — Vid. *Accidens.*

Accommodatio. — Vid. *Contractus multiplex = Dominii translatio.*

Accusativus. — Vid. *Grammat. specul.* n. 90.

Acolytus. — Vid. *Ordo* (Sacramentum).

Actio. — Oportet videre rationem *actionis*, secundum quod ponitur distingui a *relatione*. Actio enim non potest poni aliquod absolutum, secundum quod ponitur genus unum illorum decem distinctorum (1), quia tunc esset nova forma, et tunc sequerentur duo inconvenientia: unum *generale*, scilicet, quod ad actionem esset actio, et sic in infinitum...; secundum *speciale*, scilicet, distinguendo de subiecto, in quo poneretur, si est in agente, ergo omne agens ante mutaretur secundum formam absolutam, quam passum mutaretur ab ipso, quia passum non mutatur ab ipso, nisi iam habente actionem; agens autem, ad hoc quod habeat istam actionem, cum sit forma absoluta nova, oportet quod mutetur ad ipsam. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 5.

Si enim actio est forma absoluta et nova in agente, necesse est, quod habeat aliquod susceptivum, quia non est per se subsistens; tunc enim nihil diceretur formaliter *agens* per ipsam, sicut nec aliquid dicitur formaliter *quantum* per quantitatem separatam: susceptivum autem habet aliquam potentiam susceptivam vel passivam respectu susceptibilis; ergo activum ante actionem erit in potentia passiva ad actionem. Et quod habet potentiam passivam quandoque sub privatione, quandoque sub forma, mutatur proprie; ergo sequitur, quod agens proprie mutetur. — *Ib.* n. 6.

Actio est actus potentiae activae: sed difficile est hoc salvare, supponendo quod actio sit quid absolutum *in agente;* non enim potest esse potentiae activae ut *susceptivae*, quia hoc est contra rationem potentiae susceptivae vel passivae; nec potest esse eius ut *elicitivae*, quia non ut ab ipsa, quod est proprie *esse* eius ut activae, quia tunc activum, ut activum, per formam absolutam priorem actione ista, active se transmutaret ad istam actionem; et tunc esset quaestio adhuc ulterior, quo aliquid transmutaret seipsum ad illam priorem actionem, et sic in infinitum. — *Ib.*

Si dicatur quod sit *in patiente*, sequitur etiam inconveniens, scilicet, quod non potest aliquod passum pati secundum formam de genere quantitatis vel qualitatis, quin simul duratione, et forte prius natura, patiatur secundum formam absolutam alterius generis, scilicet secundum *actionem*, quae ponitur forma absoluta alia a *qualitate* et *quantitate.* — *Ib.* n. 7.

Nec potest poni forma absoluta, *sed non nova*, imo coaeva illi in quo est, propter duo, ut prius: primum est *universale*, quia tunc actio esset, et non circa aliquod passum; quod videtur esse contra rationem actionis, quia secundum Auctorem *Sex Principiorum*, actio requirit non solum *quod* agat, sed *in quid* agat... Unde non videtur intelligere rationem actionis, qui ponit eam ita absolutam, quod simpliciter nullum respectum habeat ad productum vel passum. — *Ib.*

Secundo etiam, distinguendo ut prius de *subiecto;* quia si ponatur forma absoluta et coaeva illi in quo est, et cum hoc *in agente*, sequitur, quod nunquam aliqua actio incipit vel desinit esse, nisi quando forma activa ad illam actionem incipit vel desinit; et tunc quandiu calidum est calidum, manet calefactio; et per consequens quando calidum impeditur a contrario, aeque agit sicut quando non impeditur; et quando terminus actionis est inductus in passum, semper post aeque manet actio sicut ad inducendum terminum. Ponere autem actionem esse formam absolutam, et *in passo* coaevam sibi, est omnino irrationabile; quia destructo agente, adhuc esset actio eadem in passo; simul etiam pateretur idem passum a contrariis actionibus, si potest successive a contrariis agentibus pati. — *Ib.* n. 8.

Ex his sequitur, quod si *actio* est genus distinctum, ipsum, ut sic, per se non dicit nisi respectum. — *Ib.* — Vid. *Praedicamenta*

(1) Vid. *Praedicamenta decem.*

decem = *Respectus intrinsecus — extrinsecus advenientes.*

Actio ergo erit respectus *extrinsecus adveniens.* Sed cui? Videtur, quod *passo,* quia III. *Physic. text.* 22, vult Philosophus, quod actio et passio fundantur in motu: motus autem est in passo. — Sed contrarium videtur; quia in eodem est respectus et fundamentum (ratio *fundamenti,* ut videtur, hoc ostendit): sed potentia activa, quae est fundamentum actionis, est *in agente;* ergo. — *Item,* in eodem non sunt respectus oppositi, saltem ad idem, nec universaliter necessario simul: passio autem, vel respectus passionis, universaliter est in passo; non ergo necesario in eodem est respectus actionis. — *Item,* in quocumque est forma aliqua, illud est simpliciter tale per formam illam; omnino enim irrationale videtur, quod forma sit in aliquo, et non constituat ipsum informatum secundum ipsam; ergo si actio est formaliter in passo, passum erit formaliter agens. — *Ib.* n. 9.

Dicatur ergo, quod *actio* est respectus extrinsecus adveniens: et in agente ut in subiecto; in forma autem, quae dicitur potentia activa ut in fundamento proximo. — Similiter *passio* dicit respectum oppositum correspondentem isti: et in passo ut in subiecto; et in potentia passiva ut in fundamento proximo. — *Ib.* n. 10 et 19. — *Numero autem 14 seqq. rem magis declarat.* — Vid. infr. *Actio multipliciter accipitur.*

Actio acta. — Vid. *Actio duplex.*

Actio artificis duplex. — *Una* actio est in artifice *immanens,* et quasi *intentionalis,* quae incipit ab eo quod est primum in intentione et ultimum in executione, et terminatur ad id quod est primum in executione et ultimum in intentione; et haec est ipsa dispositio, sive excogitatio artificis de re facienda, quae vocatur *intelligentia.* — *Alia* operatio est *transiens* et *realis,* quae e contrario incipit ab eo quod est primum in executione et ultimum in intentione, et terminatur ad id quod est primum in intentione et ultimum in executione; et haec est ipsa executio artis, quae vocatur *factio.* — *Exposit in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 6. n. 54.

Actio comparatur ad tria. — *Actio* comparatur ad tria, scilicet: ad terminum *productum,* ut ad ipsum compositum, et ad terminum *formalem productionis,* quae est forma producti, et ad *passum,* in quo recipitur talis forma. Ut comparatur ad *primum* vel *secundum,* non est actio respectus extrinsecus adveniens, quia non potest esse terminus productus, nec potest aliqua forma termini producti acquiri, quin necessario consequatur respectus ad producentem; ideo non est ille respectus qui est actio de genere Actionis, sed est respectus producentis ad productum, sive ad formam producti, qui est respectus intrinsecus adveniens pertinens ad secundum modum Relationis (1). Relinquitur igitur, quod actio, ut importat respectum extrinsecus advenientem, comparetur ad passum et ad potentiale, non obiectivuum, sed subiectivum. Actio igitur, ut Praedicamentum est importans respectum extrinsecus advenientem, dicit comparationem agentis ad passum in quod agit, et in quod ducit formam. — *Report.* I. d. 27. q. 1. n. 15; *ubi praedicta luculenter demonstrat; quae sequentibus magis declarantur:*

Sciendum est, quod hoc nomen *actio* est aequivocum; omissis enim operationibus, quae sunt perfectiones simpliciter ipsius operantis, ut *intelligere* et *velle,* et non proprie actiones, quia actio non perficit agentem simpliciter, adhuc actio dicit tres habitudines: unam ad primum *productum,* et sic actio dicitur *productio activa;* aliam habitudinem ad *formam* inductam, et dicitur *inductio activa,* vel eductio; tertiam habitudinem habet ad *passum,* et sic dicitur *transmutatio.* Attamen ista tertia non est tantum de genere Actionis, sed respectus extrinsecus et contingenter adveniens. Actio vero secundum alias significationes est species relationis intrinsecus adveniens, oriens ex natura extremorum vere. — *Ib.* IV. d. 13. q. 1. n. 6.

Actio Dei — creaturae. — Differentia est inter actionem agentis *increati* et actionem agentis *creati;* quoniam *actio agentis increati* non requirit nisi duo, scilicet: agens,

---

(1) Vid. *Relatio.*

et actum sive productum; si enim nihil esset productum, et nihil esset actum, nulla esset actio; ergo si est actio, oportet quod sit producens et productum. — *Actio* autem *creaturae* necessario tria requirit, videlicet: agens, et actum sive productum, et aliquid super quod fundatur actio. — *De rer. princip.* q. 6. n. 15.

Actio duplex. — Actio quaedam est de *genere Actionis*, et ista est proprie dicta *actio*. Et est quaedam *actio acta* vel *producta*, quae non est de genere actionis, sicut *intelligere* et *velle* sunt quaedam formae absolutae, non de genere Actionis, sed sunt actae, vel productae per actiones intellectus et voluntatis, quae sunt de genere Actionis. — Istam divisionem ponit Simplicius, *Super Praedicamenta*, quaerens quare *facere* ponitur Praedicamentum, et non *factio*. Et respondet, quod hoc ideo est, quia *factio* dicitur de actione, et effectu actionis, utrumque enim dicitur *actio*, et factio, et effectus eius. Certum est autem quod effectus actionis est actio, non quae est Praedicamentum, sed facta. Ergo est aliqua actio *acta* praeter illam quae est de genere Actionis.

Sed potest quaeri, quare sic nominatur? *Respondeo*, quod *actio*, quae est de genere Actionis, est respectus in agente tantum, quia latens nos, quantumcumque de se manifestatur per effectum, quae est actio *acta;* et quia sic res nominamus in aliis, sicut per sensum apprehendimus, ut communiter dicitur. Ponitur exemplum de *charitate*, quae licet sit habitus nobilis, quia tamen est latens in anima, nominatur per effectum, qui est *dilectio*.

Est ergo duplex actio, secundum iam dicta; sed actio *acta* est illa quae est in patiente, quae est effectus actionis *proprie dictae;* et ideo non est actio Praedicamentum, quae est in agente. — Et *differunt* in hoc, quod actio quae est Praedicamentum est secundum quam, vel per quam *ab aliquo est aliud;* actio autem *acta* est secundum quam *aliquid est ab aliquo;* esse autem *a quo est aliud*, et *quod est ab alio*, sunt rationes oppositae, nec eidem possunt convenire; sicut idem per se non potest esse producens et productum, pater et filius, respectu eiusdem; pater enim est *a quo* est filius, et filius *qui* est *a patre*. Non est ergo verum quod dicunt aliqui, scilicet quod motus, ut est ab agente, est actio, nisi intelligatur de actione *acta*, quae est effectus actionis; hoc enim est proprium producto, ut productum est, per actionem esse ab alio. Sed potius debet dici e converso, quod actio est *a qua*, vel per quam ab aliquo est aliud. — *De Anim.* q. 7. nn. 7.-8.

Actio essentialis — notionalis. — Differentia est inter actionem *essentialem* et *notionalem* quantum ad principium elicitivum, quia principium elicitivum actionis essentialis est mere absolutum et essentiale; principium vero actionis notionalis, licet sit absolutum, non tamen nisi ut determinatur aliquo modo per proprietatem relativam, in supposito conveniente actioni. — *Report.* I. d. 26. q. 5. n. 7.

Actio — Factio. — Philosophus, distinguens *actionem* a *factione*, II. *Physic.* et VI *Ethic.* c. 7, et IX. *Metaph.* assignat diversa principia propria actioni et factioni. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 9. — Quia in creaturis ratio *actionis* et ratio *factionis* formaliter distinguuntur; quia actio est ultimus terminus; factionis autem est alius terminus productus per ipsam factionem. — *Ib.* d. 6. n. 3. — *Actio* * enim * vocatur operatio quae manet in agente; *factio* vero illa quae transit in transmutationem materiae exterioris, ut *secare*, vel *urere*. — *Conclus. Metaph.* l. VI. concl. 4. — Vid. *Habitus intellectuales quinque* = *Scientia practica duplex* = *Actio artificis duplex*.

Actio immanens — transiens — Actus — Operatio. — Operatio quaedam est *immanens*, quaedam *transiens*. Operatio immanens est in ipso operanti; transiens autem in ipso operato. — Notandum, quod duplex est actus: quidam est *productivus*, quidam *productus*. Primus actus proprie dicitur actus productivus. Secundus actus proprie dicitur operatio intrinseca et immanens, qua scilicet ipsum operans perficitur ultimate. Verumtamen operatio quandoque *actio* nominatur, habet enim duas cônditiones, in quibus convenit cum actione. *Prima* est, quod semper est *in fieri;* non dico fieri successive, quia

operatio est indivisibilis; sed sic est in fieri, quia in continua dependentia est ad eamdem causam, et secundum idem, sicut est dependentia rei conservatae ad causam conservantem. *Secunda conditio* est, quod operatio transit in obiectum, sicut in terminum, licet non accipientem esse per ipsam, sed praesuppositum in suo esse. Et propter istas duas conditiones operatio potest dici *actio*, sicut propter easdem dicitur *actus secundus*. Et tunc ista distinctio actionis in *transeuntem* et *immanentem*, si sic intelligatur, non est generis in species, sed *vocis* in *significationes;* nam actio transiens est vere actio de *genere Actionis;* sed actio immanens est vere qualitas.

Alio modo actio de *genere Actionis* potest dividi in actionem *immanentem* et *transeuntem*, sicut *superius* in *inferiora*, quia non solum actio de genere Actionis est ad formam inductam per motum in passo alio ab agente, sed etiam est ad formam inductam in ipsomet agente. Illa enim forma absoluta, quae est operatio immanens, cum sit nova, oportet quod sit terminus alicuius actionis propriae dictae, per quam accipit esse. Quando ergo forma terminans actionem est extra ipsum agens, tunc actio ista *transit.* Quando vero forma terminans actionem est in ipso agente, tunc actio ista *manet.* Et sic simpliciter intelligi potest distinctio Philosophi, de actione *transeunte* et *immanente.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 2. c. 3. n. 41. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 35. — *Report.* ib. n. 13. — *Quodlib.* q. 13. n. 27, *ubi sequitur:*

Distinctio istorum duorum modorum intelligendi actionem immanentem, patet; quia illud, quod secundum primum intellectum dicitur *actio immanens,* hic dicitur *terminus* actionis immanentis, secundum alium intellectum; et quod in alio secundo intellectu dicitur *actio,* communiter intelligimus per hoc, quod est *elicere,* quando dicimus, quod potentia *elicit operationem*; et per hoc quod est *dicere,* quando dicimus, quod memoria, sive suppositum per memoriam *dicit* verbum; et per *spirare,* quando dicimus, quod per voluntatem *spirat* quis amorem. Iste secundus intellectus de ista distinctione actionis *immanentis,* et *transeuntis,* licet sit verus, non tamen est de intentione Philosophi, sicut primus, ut patet ex eo. quod dicit *IX. Metaph.*: *non est aliud opus praeter actionem;* opus vocat *operatum;* praeter autem illam actionem, qua inducitur vel educitur operatio, est aliquod opus, hoc est, terminus operantis, puta ipsamet operatio; et sequitur ibi: *in istis existit actio, ut visio in vidente;* ubi satis exprimit, quod visionem vocat actionem immanentem, non autem aliquam aliam cuius visio sit terminus. — Vid. *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 32. — *Ib.* IV. d. 11. q. 2. n. 5.

Actio immanens in creaturis et eius *terminus* habent idem pro agente et recipiente; sed actio ibi *transiens* et eius *terminus* habent aliud ab agente, quia saltem eius terminus est in recipiente, et non in agente. Nulla vero actio recipitur in suo termino, ita quod transit in suum terminum, quia tenetur quod actio transiens, secundum communem opinionem, sit eadem realiter motui, qui est in mobili, quidquid sit secundum veritatem. — *Report.* I. d. 7. q. 2. n. 6. — Utraque actio, tam *manens* in agente, sicut *intelligere* et *velle,* quam *transiens,* est actio producta. Sed differentia est, quod talium actionum quaedam est perfectio agentis, licet non secundum quod agens est, sed secundum quod *perfectibile* est, ita quod idem secundum diversas rationes sit agens et patiens; quaedam autem est perfectio extrinseca operantis, sicut *transiens.* — *De Anima.* q. 7. n. 10. — Vid. *Actio* — *Operatio.* = *Operatio immanens* — *transiens.*

— * Ubi * intelligendum, quod actio proprie sumpta tres habet proprietates: una est, quod est in *continuo fieri,* aeque enim dependet ab agente in secundo et ultimo instanti, et in primo, imo in quolibet quantum durat. *Secunda* proprietas est, quod est circa aliquid, *circa quod operatur,* in quo est ut in subiecto; nam actio non est in agente, sed in passo. *Tertia* proprietas est, quod est circa aliquem terminum, *ad quem terminatur,* qui *esse* accipit per eam. Operationes ergo immanentes assimilantur actioni et passioni in prima conditione et secunda,

non autem in tertia, quae est completiva. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 35. — *Report.* I. d. 3. q. 6. n. 13. — *Quodlib.* q. 13. n. 27.

Actio in creaturis. — Actio in creaturis, vel est forma absoluta, vel est respectus extrinsecus adveniens, et non intrinsecus adveniens, quia si esset respectus intrinsecus adveniens, esset de genere *Relationis,* nec essent decem Praedicamenta distincta. — *Report.* I, d. 27. q. 1. n. 14. — *Actio* in creaturis *uno modo* accipitur pro actione de genere actionis; *alio modo* pro actu secundo, quae est qualitas absoluta. — *Oxon.* I. d. 6. n. 4.

Actio mediata — immediata. — Vid. *Medium multiplex.*

Actio multipliciter accipitur. — *Uno* enim *modo* dicitur de *operatione,* prout intellectio, vel volitio dicitur operatio; et tamen in rei veritate est qualitas. — *Alio modo actio* dicit per se *habitudinem,* vel respectum. — Et *quandoque* accipitur hoc nomen *actio* pro respectu producentis ad productum, sicut dicitur pater esse causa agens filii; *quandoque* autem pro respectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum, ut calidum dicitur causa agens caloris in ligno. — *Quandoque* accipitur hoc nomen *actio* pro *re acta,* includendo tamen istum respectum, quem exprimit hoc, quod est *ab alio,* sicut in *III. Physicorum.* — *Aliquando* etiam pro *respectu transmutantis ad transmutatum,* iuxta illam descriptionem lib. *Sex Princip.*: *Actio est secundum quam in illud, quod subiicitur, agere dicimur.*

Actio secundum *primam* significationem est forma absoluta, et in genere Qualitatis, ut dictum est; secundum autem *secundam* et *tertiam* est respectus intrinsecus adveniens, et sic proprie in genere Relationis; secundum vero *quartam* praecise est genus distinctum, * scilicet Actio *. Iuxta *quintam* significationem (si tamen sit significatio huius nominis, sicut communiter exponitur ibi Philosophus) patet, quod actio quantum ad illud connotatum pertinet ad aliquod genus absolutum, secundum quod passum transmutatur, utpote Quantitatem, vel Qualitatem, et huiusmodi. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 12.

Hoc nomen *actio* multoties accipitur aequivoce. Nam *uno modo* dicitur actio *operatio* rei, sive sit cum motu, sive sine motu, immo adhuc in re immateriali; et sic dicit Commentator *XII. Metaph. comm. 39,* quod Deus est actus purus. Item in *II. Metaph. comm. 39,* dicit, quod actio in rebus immaterialibus dicitur illud quod significatur per modum actus, ut *intellectio, volitio,* et *delectatio.* — *Secundo modo* restringitur hoc nomen *actio,* vel *actus,* ad *actiones elicitas,* scilicet, quae proveniunt ab electione; et sic in moralibus, scilicet in *VI. Ethicorum,* actio distinguitur contra *factionem,* et scientiae factivae contra activas. — *Tertio modo* dicitur actio *operatio agentis;* et sic dicit Aristoteles in isto *tertio,* text. 19, quod actio est actus activi, secundum quod activus; ita quod est finis et operatio agentis. — *Physic.* III. q. 8. n. 2. — * *Tandem* * omnis actio de genere actionis vel est *productiva* termini, vel *eductiva*, vel *inductiva.* — *Quodlib.* q. 13. n. 25. — Vid. *Actio comparatur ad tria.*

Actio — Operatio. — Intelligitur hoc nomen *actio* pro actione de genere *Actionis,* quae scilicet est actio productiva, vel saltem aliquo modo faciens ad *esse* termini per ipsam ponendi. — Et hoc nomen *operatio* intelligitur pro actu intrinseco, quo ipsum operans perficitur ultimate. — *Quodlib.* q. 13. n. 2. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 12. Vid. supra *Actio immanens — transiens,* etc.

Actio — Passio. — *Actio* est transmutatio *alterius,* inquantum alterum, sicut potentia activa, secundum Philos. *V. Metaph., est principium transmutandi aliud, inquantum aliud.* — *Passio* est transmutatio *ab altero,* inquantum alterum. — *Quodlib.* q. 13. n. 25. — *Actioni* correspondet *passio* proprie dicta, quae scilicet est respectus extrinsecus adveniens. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 17.

Actio — Passio — Habitus. — *Actio* et *passio* sunt idem motus, ut dicitur *III. Physicorum, text. comm. 18, et circiter,* accipiendo actionem pro *re acta* (1). Sed dif-

(1) Vid. supr. *Actio duplex.*

ferunt in hoc, quia actio dicitur, ut *est ab agente*, et passio, ut *recipitur in passo*. Utroque autem modo est medium inter agens et passum, sive significetur ut actus, id est, active, et ex parte agentis, sive ut motus, id est, passive, et ex parte patientis. Unde alia translatio habet *poësis*, quod significat factionem, ut si transeatur ab agente in patiens, est medium factio activa, quae est actus facientis; si vero a patiente in faciens, sic est medium factio passiva. — Similiter intelligendum est in proposito de *habitu;* qui si consideretur ex parte habentis, intelligitur quasi ut *actio*, et significatur per hoc quod dicitur *habere;* si vero ex parte rei habitae, sic intelligitur ut quaedam *passio motus*, et sic dicitur *haberi*. Habitus autem hoc modo dictus est unum de decem Praedicamentis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 16. n. 129. — Vid. *Praedicamenta decem.*

Actio — Passio — Motus. — *Actio* est respectus quidam agentis ad passum, in agente existens. — Et *passio* respectus quidam patientis ad agens, in patiente existens. — *Motus* autem est forma fluens materiae inter utrumque; vel est fluxus formae, secundum quod ponit istos duos modos intelligendi motum Commentator, *III. Physic.*, et dicit ibi, quod iste secundus modus est famosior, sed primus est verior. — *De Anima*, q. 7. n. 6.

Actio simpliciter prima. — Omnis actio, quae nihil omnino ante se praesupponit, in quo, vel de quo fiat, est *simpliciter* et de sua ratione *actio prima*. Sed actio simpliciter prima appropriat sibi agens simpliciter primum, quod esse non potest nisi Agens divinum; ergo non potest nisi Deo solum convenire. — *De rer. princ.* q. 6. n. 14.

Actio tripliciter consideratur. — *Actio* potest considerari tripliciter: vel ut *in se*, vel ut *ad terminum*, vel ut *in suppositis agentibus*. — *Report.* I. d. 12. q. 3. n. 2.

Activum — Passivum. — Quando ad productionem effectus concurrunt *activum* et *passivum*, prior est naturaliter respectus activi ad passivum, quam utriusque ad productum. — Isti respectus activi ad passivum, et eiusdem ad productum non omnino ex aequo convenit activo et passivo. — Activum agit in passivum se solo in ratione causae, nec producit productum nisi alio concurrente in ratione concausantis. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 9. — Extrema proportionis activi et passivi sunt universalissima abstracta a quocumque activo et a quocumque passivo; et ista proportio inest particularibus sub utroque extremo per rationem communem, et per consequens extremis. — *Ib.* II. d. 9. q. 2. n. 15. — * Etsi autem * activum et passivum *in communi* necessario ad invicem referuntur, non necesse est ita esse de *hoc* activo et de *hoc* passivo, quia aliud activum vicem huius activi supplere potest. — *Ib.* III. d. 4. n. 16. — Activum potest agere in passivum, quando non est impeditum a receptione formae ad quam agit tale agens; sed dum est impeditum non potest agere potentia propinqua, licet possit agere potentia remota. — *Ib.* II. d. 11. n. 8. — Non magis determinatur passivum naturale ad patiendum, quam activum naturale ad agendum. — *Ib.* d. 9. q. 2. n. 24.

Actus. — Manifestat Aristot. originem huius nominis quod est *actus*, quod est impositum ad significandum *entelechiam*, * (εντελεχεια, *perfectio, actus*) * *et ad alia*, puta formam et perfectionem, et huiusmodi; actus, inquam, secundum nomen venit maxime *ex motibus*, nam ex motu habuit hoc nomen *actus; videtur enim actus maxime esse motus.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 1. c. 3. n. 15. — Notandum, quod modi significandi sequuntur modos intelligendi; et ideo quia nomina sunt signa conceptuum, intellectus primo illis nomina imponit quae primo intelliguntur, licet quandoque posteriora sint secundum naturam. Motus autem, quatenus sensu percipitur, maxime est nobis notus inter caeteros actus, et ideo motui primo impositum est nomen *actus*, et ab eo ad alia est translatum. — *Ib.* n. 16. — Cf. ib. n. 24. seqq. — Vid. *Actio immanens — transiens*, etc.

Actus abstractivus — intuitivus. — Actus *abstractivus* et *intuitivus* differunt specie, quia aliud et aliud est ibi movens: ibi enim movet species similis rei; hic autem movet res praesens in se. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 12. n. 6. — Vid. *Cognitio abstractiva — intuitiva.*

Actus bonus naturaliter — moraliter — meritorie — Ex genere — ex circumstantiis — Ethicus — ecclesiasticus. — Cum sint tres bonitates, scilicet: *naturalis, moralis* et *gratuita* sive meritoria vitae aeternae, sic actus potest esse tripliciter bonus, scilicet: *naturaliter, moraliter, meritorie* vel *gratuite*.

Bonitatem *naturalem* habet quilibet actus positivus; quia illa bonitas consequitur quamlibet entitatem, inquantum ens, et etiam quemcumque actum, * qui * quantumcumque sit turpis moraliter et demeritorie, dummodo sit positivus, est bonus naturaliter, quia est quoddam ens, et inquantum ens est bonus, et a Deo est, quia in Ipso est omne bonum. Unde, secundum Augustinum *I. de doctrina Christiana, versus finem: Inquantum sumus, boni sumus; et inquantum sumus, a Deo sumus.* Hoc etiam modo intelligitur illud verbum *Genesis* (1): *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Et hoc modo intelligendo bonitatem, omnes actus fidelium et infidelium sunt boni; quia secundum hanc bonitatem a Deo sunt effective. — Huic bonitati non opponitur aliqua malitia, sed *non entitas* rei tantum. — *Miscell.* q. 3. n. 10.

* Est ulterius alia bonitas actus *naturalis*, de qua accipe sequentia *: Sicut in corpore pulchritudo est ex aggregatione omnium convenientium illi corpori, et inter se, puta quantitatis, coloris et figurae, ita bonitas *naturalis* (non illa quae convertitur cum ente, * de qua mox diximus *, sed illa quae habet oppositum *malum*) est perfectio secunda alicuius rei integrata ex omnibus convenientibus sibi, et sibi invicem. Et omnibus illis concurrentibus, est perfecta bonitas, iuxta illud Dionysii: *Bonum est ex perfecta et causa integra;* omnibus autem istis deficientibus, et natura stante, quae deberet perfici illis, est perfecte mala; quibusdam subtractis, est mala, sed non perfecte, sicut de pulchritudine et turpitudine in corpore. Actus autem naturaliter natus est convenire causae suae efficienti, obiecto, fini, et formae; tunc igitur bonus est naturaliter, quando habet omnia convenientia, quantum ad ista, quae nata sunt convenire sibi naturaliter, et concurrere ad esse eius naturale. — *Oxon.* II. d. 40. n. 2.

Alia est bonitas *moralis*, quae causatur ex proportione, sive compositione actus ad debitum obiectum, secundum debitas circumstantias; inter quas circumstantia finis est suprema, a quo et nomen accipit a fine, inquit Aristoteles *II. de Anima*, si res digne debet appellari. Aliae autem circumstantiae sunt tempus, locus, modus et conditio personae, et caetera huiusmodi. Et haec bonitas est duplex, * et sic actus bonus est duplex *, scilicet: *ethicus* et *ecclesiasticus*. Actus *ethicus* dicitur actus elicitus secundum rectum dictamen rationis, cum omnibus circumstantiis debitis inesse actui. Et isto modo potest tam fidelis quam infidelis elicere actum bonum moraliter; quia tam infidelis quam fidelis existens in peccato mortali potest vestire nudum, et orare Deum, secundum debitas circumstantias, propter finem debitum, et causa pietatis, ut illius indigentia sublevetur; ergo facit propter bonum finem, quia facit propter hoc, ad quod ille actus ex natura sua est ordinatus, eo modo quo fecit Sanctus Martinus, quando chlamydem cum paupere dimidiavit, cum nondum esset fidelis et baptizatus, et ideo de congruo meruit gratiam; quod et fecit etiam Cornelius Centurio (1).

Huic bonitati est malitia opposita, quando actus non transit super debitum obiectum, vel sine debita vel debitis circumstantiis causatur super obiectum, quando est actus malus ex genere, sicut est adoratio idolorum, quia ibi non est proportio externa actus ad obiectum tale, scilicet idola, quia nihil est divinitatis in eis, propter quod eis debeatur adoratio. Additur autem, *cum debita vel debitis circumstantiis*, quando est peccatum ex aliqua circumstantia, vel ipsius finis, sicut quando quis dat eleemosynam propter vanam gloriam, non propter pauperis indigentiam, vel quando dat propter pauperis indigentiam, non tamen loco, et tempore, et modo, et personae debitae, tunc est peccatum *ex circumstantiis*. — *Miscell.* q. 3. nn. 10-12.

---

(1) C. I. v. 31.

(1) Vid. *Acta Apost.* c. X. v. 4.

Bonitas actus *moralis* est ex aggregatione omnium convenientium actui, non absolute ex natura actus, sed quae conveniunt ei secundum rectam rationem. Quia igitur actui ratio recta dictat determinatum obiectum convenire, et determinatum modum, et alias circumstantias, non est completa bonitas ex solo fine; sed prima ratio bonitatis eius est ex convenientia actus ad *efficiens*, a quo actus dicitur *moralis,* quia *libere elicitus;* et hoc est commune actui bono et malo; neque enim actus est laudabilis, nec vituperabilis, nisi sit a voluntate. — Secunda conditio est ex *obiecto;* quod si sit conveniens, tunc est actus bonus *ex genere,* quia est indifferens ad bonitates ulteriores, quae sumuntur ex circumstantiis specialibus, sicut genus est indifferens ad multas differentias. — Post istud prima circumstantia est ipsius *finis.* — Nec ista sufficit sine aliis circumstantiis, sicut est circumstantia formae, puta, quod debito *modo* fiat, quod pertinet ad quartam circumstantiam. — Et sequuntur circumstantiae magis extrinsecae, scilicet *quando,* et *ubi,* et huiusmodi. Patet igitur, quod sola bonitas finis, etiam cum intenditur secundum rectam rationem, non sufficit ad bonitatem actus; sed requiruntur aliae circumstantiae, secundum ordinem praedictum, ad hoc, quod bonitas sit. — *Oxon.* II. d. 40. nn. 2.-3.

— Sicut pulchritudo non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed est aggregatio omnium convenientium tali corpori, puta magnitudinis, figurae, et coloris, et aggregatio omnium respectuum, qui sunt istorum ad corpus et ad se invicem, ita bonitas moralis actus est quasi quidam decor illius actus, includens aggregationem debitae proportionis ad omnia, ad quae debet actus proportionari, puta ad potentiam, ad obiectum, ad tempus, ad finem, ad locum, ad modum. Et hoc specialiter, ut ista dicantur a recta ratione debere convenire actui; ita quod pro omnibus possumus dicere, quod convenientia actus ad rationem rectam est, qua posita, actus est bonus, qua non posita, quibuscumque aliis conveniat, non est bonus; quia quantumcumque actus sit circa obiectum qualecumque, si non sit secundum rationem rectam in operante, puta si ille non habeat rectam rationem in operando, non est bonus actus. Principaliter igitur conformitas actus ad rationem rectam, plene dictantem de circumstantiis omnibus debitis illius actus, est bonitas *moralis* actus. — *Ib.* I. d. 17. q. 3. n. 3.

Praedicta plenius intelliges ex sequentibus:

Bonitas *moralis* actus est *integritas eorum omnium, quae recta ratio operantis iudicat debere ipsi actui convenire, vel ipsi agenti in suo actu convenire.* Haec descriptio declaratur. Sicut enim bonitas primaria entis, quae dicitur bonitas *essentialis,* quae est integritas vel perfectio entis in se, importat positive negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio et diminutio, sic bonitas entis secundaria, quae est *accidentalis,* sive superveniens entitati, est integritas convenientiae, vel integra convenientia eius alteri, cui debet convenire, vel alterius sibi. Et istae duae convenientiae communiter sunt connexae. *Exemplum primi:* sanitas dicitur bona homini, quia sibi conveniens; et cibus dicitur bonus, quia habet saporem sibi convenientem. *Exemplum utriusque* potest haberi ab Augustino, VIII. *de Trinitate,* c. 3: *Bona,* inquit, *valetudo sine doloribus et lassitudine;* hoc pro primo membro, quia valetudo est bona homini, quia est ei conveniens. Et subdit Augustinus: *Et bona facies hominis dimensa pariliter, et affecta hilariter, et luculenter colorata;* hoc pro secundo membro, quia talis facies dicitur bona, habendo illa quae sibi conveniunt.

Et est differentia, quia illud quidem quod est conveniens alicui dicitur *ei* bonum, hoc est, illi perfectio, vel bonitas; sed non dicitur denominative, vel accidentaliter bonum *in se.* Illud autem, cui aliquid convenit, dicitur denominative bonum, eo quod habet illud quod sibi convenit; et in primo est denominatio quasi formae a subiecto, sicut anima dicitur *humana,* sic aliquid dicitur bonum homini, quia bonum humanum; sed in secundo e converso, est denominatio subiecti a forma, cum dicitur, homo est *bonus* secundum illud bonum suum.

Actus autem natus est convenire agenti, et etiam habere aliquam conditionem sibi convenientem; utroque igitur modo habens illam potest dici bonus bonitate accidentali. Et hoc verum est generaliter de actu etiam naturali; et per consequens bonitas ista in habendo illud quod sibi convenit non tantum est bonitas accidentalis, sed *naturalis*.

Ulterius, aliquod agens de eo quod convenit actui suo *non iudicat,* nec illud in potestate sua habet, sicut est agens sine intellectu et voluntate; et ibi, vel ex solis causis mere naturalibus determinatur quid conveniat actui, et ex eis inclinatur agens ad agendum; vel si ultra illud sit iudicium alicuius intellectus vel motio alicuius voluntatis, hoc non est nisi ipsius Dei, inquantum est universalis director et motor totius naturae; et ista bonitas in actu agentis sine intellectu non erit nisi mere *naturalis.*

Aliud est agens, quod de convenientia sui actus *iudicat,* et illum in potestate sua habet, sicut agens per intellectum et voluntatem; et bonitas secundaria talis actus integra dicitur bonitas *moralis:* et talia * agentia * nata sunt habere regulam intrinsecam rectitudinis in suo actu; et in solis istis potest esse actus bonus habens bonitatem moralem; sed non sufficit ad illam, quod in agente sit potentia iudicativa de convenientia sui actus, sed oportet quod *actu* recte iudicet de actu, et secundum illud iudicium actus flat. Si enim cognitio propria sit erronea, licet agatur conformiter cognitioni rectae alterius cognoscentis, quia tamen tale agens natum est regulari in suo actu per propriam cognitionem, et secundum illam non agit, ideo non recte agit. — *Quodlib.* q. 18. nn. 3 seqq.; *ubi late et solide de praedictis disserit.*

Ex dictis sequitur corollarium, quod in eodem actu substracto potest esse *multiplex bonitas* moralis; quia idem actus potest esse recte circumstantionatus, non solum multis circumstantiis particularibus, quae non sunt multae bonitates, sed integrant unam bonitatem; sed etiam potest idem actus esse circumstantionatus complete omnibus circumstantiis pertinentibus ad unam virtutem, et etiam omnibus pertinentibus ad aliam virtutem, et ita secundum dictamina diversa perfecta prudentiae, respectu multorum finium propriorum. *Exemplum*: vado ad Ecclesiam ex iustitia, quia teneor per obedientiam, vel ex voto; vado etiam ex charitate ad Deum, ut orem, vel ut exhibeam Deo cultum latriae; et vado etiam ex charitate fraterna, ut aedificem proximum. Et breviter: in quocumque actu, sive bono tantum bonitate morali. sive ultra bonitate meritoria, * de qua statim dicetur *, quanto concurrunt plura motiva ordinata agendi, tanto melior est.

Similiter in eodem actu possunt concurrere *multae malitiae,* tot quidem quot sunt dictamina de oppositis, quae deberent inesse. — *Ib.* n. 8.

— Antequam dicam de actu *ecclesiastico,* videndum est de *tertia* bonitate actus, quae est bonitas, qua Deus ex mera liberalitate voluntatis suae acceptat actum elicitum a potentia animae, scilicet voluntate eliciente vel imperante, informata charitate vel gratia gratum faciente, mediantibus Sacramentis, de potentia ordinata et lege communi, tanquam *meritorium* vitae aeternae; quia licet Deus posset quemlibet actum voluntatis acceptare, de sua potentia absoluta, sine omni gratia et charitate, quia suam potentiam non alligavit Sacramentis, secundum Magistrum Sententiarum, ex dictis Augustini, *in* IV. *dist.* 1., tamen de lege communi nullum acceptat actum tanquam dignum vita aeterna, nec per consequens aliquem salvat, sine gratia et charitate, mediantibus Sacramentis. Hanc bonitatem actus nullus infidelis, neque fidelis in peccato mortali existens, habere potest; quia illius actus non acceptatur tanquam dignus praemio vitae aeternae, qui non potest habere bonitatem meritoriam vitae aeternae: sed actus eliciti a talibus sunt huiusmodi; ergo, etc.

Huic etiam bonitati *malitia opposita* est omnis actus, qui non elicitur ab anima informata charitate, quem Deus non acceptat tanquam ordinabilem ad vitam aeternam, et dignum coelesti praemio, ut dictum est, de lege communi, sive sit bonus moraliter, sive in aliis mereatur, quia tantum tali acceptatione vitae aeternae acceptatur actus elicitus a potentia informata charitate, et ut

elicitus ab habitu charitatis; quod dico propter peccantes venialiter, et propter actus indifferentes, qui licet aliquando eliciantur a potentia informata charitate, non tamen eliciuntur ab habitu charitatis, et per consequens non sunt actus meritorii, nec gratuiti. — *Miscell.* q. 3. n. 13.

Praedicta fuse et pulchre explicantur locis supra citatis, et *Oxon.* II. d. 7. nn. 11-13. — *Report.* II. d. 40. nn. 2-3. — *Ib.* d. 7. q. 3. n. 27. — Vid. *Bonitas et Malitia triplex.*

— Viso quae sit *tertia* bonitas actus, videndum est de actu *ecclesiastico*. Actus autem *ecclesiasticus* dicitur ille, qui ab institutione Christi, et Ecclesiae per inspirationem Spiritus Sancti, est institutus exterius, quemadmodum sunt actus psallendi, consulendi, Horas dicendi, Praedicationem faciendi, et Confessiones audiendi, baptizandi, Missam dicendi, et caeteri huiusmodi actus, mediantibus quibus, ecclesiastica suscipiuntur et ministrantur Sacramenta; qui actus tantum a fidelibus frequentantur; ideo hic de infidelibus nulla mentio penitus est habenda.

Sed hi actus sunt in duplici differentia: quia aut respiciunt donum aliquod gratiae gratum facientis; aut non respiciunt, etiamsi respiciant donum gratiae gratis datae. Actus de *secundo genere* sunt actus praedicandi, Praedicationes et Confessiones audiendi, Horas dicendi, psallendi, corripiendi, consulendi, Missam audiendi, et ad Ecclesias eundi, et caeteri huiusmodi actus. — *Miscell. ib.* n. 14. — Actus de *primo genere* sunt actus Sacramentales, qui respiciunt gratiam gratum facientem, ad minus circa illos circa quos fiunt, licet non aliquando in Ministris, et aliquando in peccato mortali a Ministro possunt exerceri. — *Ib.* n. 15.

Actus charitativus. — Vid. *Actus imputabilis — nudus*, etc.

Actus de se malus — bonus. — Ille actus est *de se malus* moraliter, cuius obiecto repugnat omnis bonitas moralis; et e converso, ille actus est *de se bonus* moraliter, cuius obiecto per se repugnat omnis malitia moralis, cum conditio actus sequatur conditionem obiecti, quantum ad bonitatem et malitiam. — *Report.* IV. d. 28. n. 6.

Actus differentes genere — specie — numero. — Genere differunt *intelligere* et *sentire*; specie, *videre* et *audire*; numero, intelligere *hoc* et intelligere *illud*, et videre *hoc* et videre *illud*, maxime si simul non possunt ambo intelligi, vel videri. — *De rer. princ.* q. 11. n. 26.

Actus duplex. — Vid. *Potentia actusque duplex.*

Actus dupliciter consideratur. — Vid. *Potentia actusque dupliciter considerantur.*

Actus ecclesiasticus. — Vid. *Actus bonus naturaliter — moraliter*, etc.

Actus ethicus. — Vid. *Actus bonus naturaliter — moraliter*, etc.

Actus fidei. — Ad *actum fidei* duo concurrunt necessario, scilicet: *habitus* inclinans determinate in verum, et ipsa *credibilia* aliquo modo praesentia, non quomodocumque, sed praesentia ut credibilia. Credibilia non sunt praesentia in habitu; ideo requiritur doctor, qui aliquo modo ipsa explicet, scilicet Deus, vel aliquis alius. — *Oxon.* III. d. 25. q. 1. n. 9. — *Ib.* n. 11. — Vid. *Credere — Scire.*

Actus — Forma. — Si accipiatur *actus* prout distinguitur contra *potentiam*, secundum quae, scilicet actum et potentiam, totum ens dividitur, sic actus non convertitur cum *forma*; secundum hoc enim omne quod est extra causam suam est in actu; et secundum hoc etiam privationes dicuntur esse actu; unde *caecitas* dicitur esse actualiter in oculo carente visu, sicut dicitur in *IV.* et *VII. Metaph.* — Si autem loquaris de *actu* secundum quod loquitur Philos. *VII. Metaph.*, scilicet secundum quod est actus receptus, et actuans et distinguens, sic distinguitur contra *receptivum.* — *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 7. — Cf. *Exposit in Metaph. Aristot.* l. IV. n. 5 seqq. — n. 85 seqq. — L. VII. n. 50 seqq.

Actus humanus. — Actus *humani* proprie loquendo causantur per intellectum et voluntatem ab homine. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 5. n. 3. — Habens autem aliquem actum humanum intendit finem illius actus, ut est sibi actus humanus. — *Ib.* n. 4. — Omnis actus hominis, *proprie* loquendo, est humanus; sicut enim necessarium est actum re-

ctum convenire obiecto, fini et aliis circumstantiis, ita etiam necessarium est, quod conveniat *ipsi operanti* (1); non enim convenit mihi agere quod convenit Regi, et multo minus quod convenit Angelo; igitur necessarium est ad rectum actum hominis, quod agat illum *modo humano*. — *Ib.* III. d. 34. n. 3.

Actus immanens duplex. — Actus immanentes sunt in duplici genere, sicut dicit Philosophus *in IV. Metaph. text. 24* (2); quidam enim sunt partis *intellectivae*, et quidam partis *sensitivae*. — *Report.* IV. d. 10. q. 5. n. 3. — Vid. *Actio immanens — transiens*, etc.

Actus imputabilis — nudus — virtuosus — charitativus — meritorius. — Nota per ordinem quis sit actus *imputabilis* ad laudem vel vituperium, actus *nudus*, actus *virtuosus* secundum virtutem moralem, actus *charitativus* et actus *meritorius*. — Primus dicit respectum ad potentiam libere elicientem actum. — Secundus * *(virtuosus, quia de nudo nihil notandum)* * addit respectum ad virtutem inclinantem, vel verius ad regulam virtutis, scilicet rationem rectam, ut dictantem. — Tertius * *(charitativus)* * dicit respectum ad charitatem inclinantem. — Quartus * *(meritorius)* * ad voluntatem divinam specialiter acceptantem. — Tertius dicit bonitatem aliquam ultra secundum, et praeexactam ad quartum, non ex natura rei, sed ex dispositione voluntatis acceptantis. — *Quodlib.* q. 17. n. 13. — Vid. *Actus bonus naturaliter moraliter, etc.* = *Actus meritorius* = *Actus virtuosus* = *Charitas* = *Imputabile* = *Meritum* = *Virtus.*

Actus indifferens. — Aliter potest esse de bonitate et malitia *morali*, et de bonitate *meritoria* et malitia *demeritoria*. In *prima* bonitate et malitia, comparando ad actum naturalem, videtur posse inveniri actus *indifferens*, qui scilicet habeat determinatam speciem in genere *naturae* per comparationem ad omnes causas suas, et possit tamen habere indifferenter bonitatem moralem et malitiam... *Secundo* etiam modo, loquendo de bono et malo, videtur esse medium inter bonum et malum. — *Oxon.* II. d. 41. n. 2; *ubi probatis praedictis assertionibus, explicatoque triplici modo, quo actus referri potest in finem vel non referri* (vid. infr. *Actus referri et non referri est tripliciter*), loquens « de actu, qui tantum refertur *habitualiter* et *negative*, id est, qui non refertur nec actualiter nec virtualiter », ait:

Ideo probabile videtur, tales actus indifferentes ponere, quia non habent sufficientem rationem malitiae pertinentem ad peccatum veniale, quia possibile est nullam deordinationem esse in eis, quae sufficiat ad rationem peccati. Non enim tenetur homo, nec tentione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam sit peccatum veniale, referre semper actum suum in Deum actualiter vel virtualiter, quia Deus non obligavit nos ad hoc. Neque videtur esse in istis actibus sufficiens ratio bonitatis, ut sint meritorii, quia non videtur minor relatio sufficere ad meritum, quam relatio *virtualis*, qualis non est hic.

Sunt ergo multi *actus indifferentes*, non tantum secundum esse quod habent in specie *naturae*, sed etiam secundum esse quod habent in esse *morali*; et sunt etiam indifferentes ad bonum *meritorium* et malum *demeritorium*, quia unum individuum potest esse tale, et aliud tale. — Multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes, qui nec sunt tales, neque tales; et non solum actus *non humani*, de quibus non est sermo, sicut *movere barbam*, *levare festucam*, et huiusmodi, quae procedunt ex sola imaginatione, non ex libero arbitrio impellente, sed etiam de actibus libere elicitis. — *Ib.* n. 4.

Actus meritorius. — Ultra intensionem actus, delectationem, facilitationem in agendo, rectitudinem sive bonitatem, et conformitatem rationi rectae, sive rectae secundum dictamen prudentiae, sive secundum dictamen fidei, ultra, inquam, haec omnia, creditur esse una conditio in actu * *meritorio* *, videlicet, quod est *acceptabilis Deo*, non quadam communi acceptatione solummodo, qua-

(1) Vid. supra *Actus bonus naturaliter — moraliter*, etc.

(2) Cf. exposition. Doctoris.

tenus acceptat omnem creaturam, vel quo etiam modo vult actum substractum peccato, alioquin non esset ab ipso; sed ex acceptatione *speciali*, quae est in voluntate divina *ordinatio huius actus ad vitam aeternam, tanquam meriti condigni ad praemium.* Hoc modo credimus etiam naturam nostram beatificabilem iustam esse habitualiter acceptam, hoc est, quando non actualiter operatur; adhuc tamen voluntas divina eam ordinat ad vitam aeternam, tanquam dignam tanto bono, secundum dispositionem quam habet habitualiter in se; propter hanc acceptationem naturae beatificabilis habitualem, etiam quando non operatur, et propter acceptationem actualem actus eliciti a tali natura, oportet ponere unum habitum supernaturalem, quo habens formaliter acceptetur a Deo, et quo actus elicitus eius acceptetur tanquam meritorius. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 22. — Vid. supr. *Actus bonus naturaliter — moraliter*, etc. = *Actus imputabilis*, etc. — Vid. etiam *Oxon.* II. d. 37; et *alibi.*

Vel aliter:

Actus *meritorius* est actus *Deo specialiter acceptus, tanquam scilicet dignus praemio reddendo pro illo actu. Specialiter* dixi, quia omnia acceptat acceptatione generali, diligendo ea secundum bonitatem suam, et ordinando ea ad seipsum, ut ad finem; sed actum meritorium specialiter acceptat in ordine ad aliquod bonum iuste reddendum pro eo. *Meritum* igitur addit supra actum *duplicem relationem:* unam ad voluntatem ut acceptantem; et aliam ad illud bonum, ad quod voluntas acceptans illud ordinat. Et huic relationi secundae similis est illa, quae importatur in hoc, quod est *uti. Uti* enim est obiectum volitum ordinare ad aliud, ut ad finem; sicut voluntas, apud quam meretur quis, actum istum meritorium ordinat ad aliud ut ad praemium. — Neutra autem relatio importata per *meritorium* est realis, quia non competit actui ex natura alicuius realis in actu, sed tantum per actum voluntatis, quo actus acceptatur. — *Quodlib.* q. 17. n. 3.

Ulterius, *meritorium* connotat, sive quasi praeexigit in actu *duplicem habitudinem* eius quasi ad duplex principium: *una* est ad *voluntatem* ut libere elicientem, vel imperantem actum; nihil enim acceptatur ut meritorium, nisi sit libere in potestate operantis; imo illud quod est commune ad meritum et demeritum, quod potest intelligi per hoc quod est *imputabile*, requirit istam habitudinem ad voluntatem, ut in potestate sua habentem actum; nihil enim imputatur alicui, nec ut praemiabile, nec ut punibile, nisi sit in potestate eius, nec per consequens ut laudabile vel vituperabile; laus enim quodammodo praemium est, vituperium poena. — *Alia* autem *habitudo* requiritur ipsius actus ad *formam supernaturalem*, qua acceptatur ipsa persona, vel potentia operans; quae ponitur esse *gratia* vel *charitas;* non enim actus alicuius acceptatur ut dignus praemio, nisi persona operans sit accepta, secundum illud Genes. 4: *Respexit Deus ad Abel et munera eius;* prius ad Abel quam ad munera, quia non placet oblatio non dilecti. Unde sequitur: *Ad Cain vero et ad munera eius non respexit.* — *Ib.* n. 4.

Potest igitur dici, quod ad hoc, quod actus sit meritorius, non sufficit quod habeat secum charitatem inexistentem personae, sed ultra hoc requiritur, quod *secundum inclinationem charitatis inexistentis actus eliciatur.* — *Ib.* n. 5.

Actus multiplex acceptio. — *Uno modo* enim *actus* est differentia opposita *potentiae;* et hoc modo dividit omne ens. — *Alio modo* actus cum potentia constituit aliquod totum, sicut loquitur Philos. VIII. *Metaphys.* de potentia et actu; quod non est verum de potentia opposita actui, quia illa non manet cum actu. — *Oxon.* I. d. 26. n. 35. — II. d. 2. q. 10. n. 12.

— Actus potest accipi dupliciter: vel pro actu *informanti*, vel pro actu *eminente.* — *Report.* III. d. 6. q. 1. n. 9. — *Quidam* actus est semper coniunctus potentiae; *quidam* vero est separatus, quatenus aliquid, puta visibile, quandoque actu videtur, quandoque non, sed est possibile videri. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IX. S. 2. c. 1. n. 28.

Actus notionalis. — *Actus notionalis* est quid scibile et volibile, non autem simpliciter

possibile, prout *possibile* intelligitur *causabile*, quia etsi habeat rationem boni et veri, non tamen rationem causabilis et causati. — *Quodlib.* q. 7. n. 36.

Actus notionalis tripliciter consideratur. — *Actus* * *notionalis* * potest considerari *tripliciter:* vel in se, vel inquantum est termini, vel inquantum comparatur ad supposita agentia. *Primis* duobus modis est omnino uniformitas, vel potius unitas, quia verissime una actio, et unus terminus productus. *Tertio* modo loquendo, sicut ipsa vis spirativa communicatur Filio a Patre, ita etiam quod Filius spiret, hoc habet a Patre. — *Oxon.* I. d. 12. q. 2. n. 2.

Actus perfectioque duplex. — Sicut est duplex actus, *primus* et *secundus*, ut patet *II. de Anima*, text. c. 2. et 5, ita est duplex perfectio, *prima* et *secunda*. *Prima* quidem est forma vel habitus; *secunda* est operatio; et unumquodque naturaliter appetit utramque perfectionem, cum operatio sit finis habitus. — *QQ. Metaph.* Prol. n. 3. — Vid. *Perfectio prima — secunda.*

Actus — potentia. — Aliter res est *in potentia*, et aliter res est *in actu*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. IX. S. 2. c. 1. n. 25. — Licet nomen *actus* sumptum sit a *motu*, ut praedictum est (1), tamen non solum actus dicit motum; *actus* enim et *potentia* dupliciter dici possunt: *uno modo* ut abstrahunt a motu; *alio modo* ut includunt motum. Primo modo dicuntur *metaphysice*, ita quod actus dicit actum essendi sive existendi, cui opponitur potentia obiectiva. Secundo autem modo dicuntur *physice*. — *Ib.* n. 24. — Notandum, quod, sicut dictum fuit VIII. *huius*, non cuiuslibet rei potest dari definitio; aliter esset processus in infinitum in definitionibus; est enim devenire ad aliqua prima simplicia simpliciter indefinibilia. *Potentia* ergo et *actus*, cum sint de primis differentiis, sive passionibus entis, definiri proprie non possunt, cum non habeant aliquod prius se, per quod possunt definiri; sed manifestari possunt per exempla, in singularibus inducendo. — *Ib.* n. 26.

Ad idem genus pertinent *actus* et *potentia*, ut potentia est differentia entis condividens ens contra actum, quia sic *ens in communi* non tantum dividitur per *actum* et *potentiam*, sed etiam quodcumque genus entis, et quaecumque species et individuum, quia sic eadem albedo est in potentia, et postea in actu. — *Oxon.* I. d. 7. n. 21.

Actus potentiaque duplex. — Aequivocatio est de *actu;* quia *uno modo* actus est differentia entis opposita *potentiae*, prout dividitur omne ens, quod est scilicet *in actu*, vel *in potentia*. — *Alio modo* actus dicit habitudinem illam quam dicit forma ad informabile, et ad totum cuius est.

Et eodem modo aequivocatur de *potentia;* quia ut opponitur actui primo modo, dicit ens diminutum, cui scilicet non repugnat esse extra causam suam; ens autem in actu oppositum isti potentiae est ens completum in suo *esse* extra causam suam, quodcumque sit illud. — *Alio modo* potentia dicit principium receptivum actus secundo modo dicti, sicut materia dicitur potentia, et forma actus.

Haec distinctio plane patet per Philosophum, *IX. Met. in principio;* et etiam membra distinctionis probari possunt per dicta Philosophi in multis locis, loquentis de *actu* et *potentia*, nunc sic, nunc sic, sicut in *III. Met. c. pen.* et *VIII. Met. c. ult.*: *Ex actu et potentia per se fit unum*, non intelligitur de istis, ut opposita sunt, quia sic non sunt simul. Alio modo *IX. Met.* c. 5: *Est autem actus existere rem, non ita sicut dicimus potentia.* Et post, explanando istam descriptionem, manifestat in multis oppositis, ut *vigilans* ad *dormiens*, et *videns* ad *claudens oculum*, et *elaboratum* ad *illaboratum. Huiusmodi*, inquit, *differentia est alteri parti actus determinatus, alteri autem potentiale.* — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 11. — *Report.* ib. n. 13.

Actus potentiaque simpliciter — secundum quid. — Sicut est actus *simpliciter*, et actus *secundum quid*, ita est potentia *simpliciter*, et potentia *secundum quid*, correspondentes illis actibus. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 18. — Vid. *Potentia opposita enti multipliciter dividitur.*

Actus practicus. — Vid. *Praxis.*

Actus primus — secundus. — Formae communiter dicuntur *actus primi — QQ.*

(1) Vid. *Actus.*

Metaph. l. IX. q. 4. n. 12. — Vid. *Actio immanens — transiens = Actus — Operatio.* — Actus quidam est *primus*, qui est forma * seu essentia * rei; quidam *secundus*, qui est operatio — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. IX. S. 2. c. 1. n. 27.

Actus *primus*, qui est operativus et productivus, est ratio perficiendi suppositum in actu *secundo*, qui est operatio suppositi, in quo est quodam ordine prius antequam intelligatur produci illud quod producitur; *operans* enim et *producens* per idem principium prius est operans quam producens. *Exemplum:* si *lucere* poneretur aliqua *operatio* in luminoso, et *illuminare* poneretur *productio* luminis a luminoso, lux in luminoso esset principium *quo*, et respectu operationis, quae est *lucere*, et respectu productionis, quae est *illuminare.* Nec tamen *lucere*, quod est operatio, esset ratio formalis *illuminationis*, quae est productio; sed esset ibi ordo quasi effectuum ordinatorum ad eamdem causam communem amborum, a qua immediatius procedit unus effectus quam alius. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 22.

Quidquid est potens agere est aliquod ens habens actum *primum*, et prior est sibi secundum naturam ratio actus primi *secundum se*, quam *in comparatione* ad actum secundum, cuius potest esse principium; ita quod licet illud, quo tale ens est principium actus secundi, non sit aliud a *natura* sua, non tamen prima entitas sua est natura sua, ut est principium talis actus secundi, sed natura sua ut in se est haec; et ita prima distinctio entis non est per naturam suam, inquantum est principium talis operationis, sed per naturam suam *ut haec natura*, licet per identitatem ipsa sit principium talis actus secundi. — *Ib.* II. d. 1. q. 5. n. 4.

Actus purus. — Non est *actus purus* qui caret aliquo gradu actualitatis, sicut non est *lux pura*, quae caret aliquo gradu lucis, licet cum illa luce impura non misceatur aliqua alia entitas positiva, sed tantum carentia perfectionis gradus lucis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 2. n. 3.

Actus referri et non referri est tripliciter. — Potest actus referri ex charitate in finem ultimum tripliciter: uno modo *actualiter*, sicut cogitans actualiter de fine diligit illum, et vult aliquid propter illum. — Alio modo *virtualiter*, sicut ex cognitione et dilectione finis deventum est ad volitionem huius entis ad finem, puta ex cognitione et dilectione Dei pertinente ad portionem superiorem, portio inferior considerat talem actum, puta poenitentiae, esse assumendum; et postea illum exequitur volendo, non tamen tunc referendo in finem, quia nec tunc actualiter cognoscitur nec diligitur. — Tertio modo *habitualiter*, puta si omnis actus referibilis in finem manens cum charitate, quae est principium referendi, dicatur referri habitualiter.

Triplici autem modo potest dici actus non referri: uno modo *negative absolute*, quia non refertur actualiter, nec virtualiter. — Alio modo *privative*, quia non est natus referri, sicut peccatum veniale, quia licet stet cum charitate, non est tamen natum cum charitate referri in finem. — Tertio modo *contrarie*, scilicet quia corrumpit principium referendi, scilicet charitatem, ut peccatum mortale. — *Oxon.* II. d. 41. n. 2-3.

Actus reflexus dupliciter significat. — Actus, super quem fit *reflexio*, potest significare *nominaliter*, et tunc significat actum suum secundum quidditatem; vel *verbaliter*, et tunc significat actum suum ut in supposito, vel ut concernentem suppositum. — *Primo modo* universaliter eodem habitu potest elici actus, et fieri reflexio super illum, non solum in intellectivis, sed etiam in appetitivis; quo enim intelligo aliquid, intelligo intellectionem illius, sive inhaerentem mihi, sive alteri. — *Secundo modo* exprimitur per infinitivum, et tunc si comparatur ad *velle*, non necessario accipitur sub ratione praesentis; possum enim velle te currere, licet non pro nunc, sed pro alias. Si autem comparatur ad *scire*, quia scientia non est nisi respectu veri, nec *scire* respectu *agere*, nisi sit agere respectu illius suppositi, *scire* non reflectitur super actum sic significatum, nisi actus insit supposito, cui significatur inesse. — *Oxon.* III. d. 28. n. 3.

Actus signatus — exercitus. — Differentia inter actum *signatum* et *exercitum* pa-

tet in multis; per *non* enim *exercetur* negatio; per *nego* vero *signatur:* per *tantum* similiter *exercetur* exclusio; per *excludo signatur;* et ita de *praeter* et *excipi* et aliis. Ideo sic * ex. gr. * est arguendum: *ad negationem superioris sequitur negatio inferioris; ergo* si *non est animal, non est homo.* Ubi *exercetur* quod prius per se *signatum* fuit, per hoc quod dico *sequitur;* et ita hic pro intentionibus superioris et inferioris ponuntur fundamenta, scilicet, *homo* et *animal.* — *Super Univers. Porph.* q. 14. n. 4. — * Similiter * quod *signatur* per definitionem in intentionibus, *exercetur* in rebus. — *Ib.* n. 6. — Vid. *Grammat. Specul.* n. 91. = *Praedicari — esse.*

Actus theologicus. — Praecisa ratio essentiae Dei in se est ratio formalis terminandi omnem *actum* et habitum *theologicum,* et hoc in quacumque natura intellectuali, sicut tactum est in *1. quaest. de obiecto Theologiae,* * ubi hoc late discussum et demonstratum est *. — *Oxon.* III. d. 27. n. 7.

Actus tripliciter consideratur. — Actus potest considerari tripliciter: vel *in se,* vel *inquantum est terminus;* vel *inquantum comparatur ad supposita agentia.* — *Oxon.* I. d. 12. q. 2. n. 2.

Actus virtuosus. — Ex hoc dicitur *virtuosus* actus, quia est conformis suae regulae, quae est prudentia, scilicet intellectui; quantumcumque enim aliquis eliciat actus temperantiae aut fortitudinis, qui secundum regulam rectae rationis nati essent generare habitum virtutis, si non sint conformes suae regulae, sed eliciantur ex timore, aut ex alia causa non virtuosa, numquam generabunt temperantiam aut fortitudinem, nec dicuntur actus *virtuosi;* quamvis enim ex illis actibus naturaliter derelinquatur quaedam qualitas absoluta, non tamen dicetur virtus, quia non est conformis suae regulae, scilicet rectae rationi, scilicet habitui prudentiae; et virtus moralis formaliter dicit respectum ad regulam suam, scilicet rectam rationem, ut patet ex definitione virtutis; et ideo si actus praecedentes habitus virtutis generativi habitus sunt conformes rectae rationi, erunt actus *virtuosi,* etsi nondum habeatur habitus virtutis. — *Collat.* VI. n. 10. — Vid. *Actus imputabilis — nudus,* etc.

Adaequatio. — Vid. *Primitas adaequationis — immediationis = Primitas naturae — adaequationis = Primitas obiecti triplex.*

Adaequatio duplex. — *Adaequatio* dicit *proprie* aequalitatem duorum in eadem *quantitate.* — Alio modo adaequatio dicitur, non secundum quantitatem, sed secundum *proportionem;* et sic dicitur aliquid adaequatum alteri, quod summe proportionatur sibi, utpote effectus adaequatur causae, qui est proportionatus in ratione effectus, licet ille non sit simpliciter sibi adaequatus aequalitate quantitatis. Hoc modo illuminatio diceretur adaequata soli, qua maior esse non potest, licet lumen nunquam sit aequale, etiam secundum perfectionem quantitatis, ipsi soli, quia est effectus aequivocus. — *Quodlib.* q. 5. n. 22.

* Vel aliis verbis *: *Adaequatio* duplex est: in *entitate* et in *proportione.* Prima requirit similitudinem, quomodo unum album adaequatur alteri. Secunda requirit dissimilitudinem, quomodo forma adaequatur materiae; et tamen materia est simpliciter potentia, forma vero est simpliciter actus; unde adaequatio proportionis est inter dissimilia. — *Report.* I. d. 1. q. 1. n. 5. — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 6.

Adaequatio obiecti secundum virtutem — secundum praedicationem. — Duplex est *adaequatio obiecti:* una *secundum virtutem;* alia secundum *praedicationem.* Illud * ex. gr. * dicitur * obiectum * adaequatum potentiae * intellectivae * adaequatione *secundum virtutem,* quod per seipsum solum potest movere intellectum ad notitiam sui et aliorum; sicut essentia divina est obiectum adaequatum primum intellectus divini, quia est sufficienter movens intellectum divinum ad notitiam sui primo, et aliorum ex consequenti; et substantia, * si apprehenderetur immediate *, movet intellectum nostrum ad notitiam sui primo, et ex consequenti ad notitiam propriae passionis, vel accidentis. — Obiectum autem adaequatum *secundum praedicationem* est quod per se et essentialiter praedicatur de omnibus quae possunt a potentia

cognosci * vel attingi *, sicut lux, vel color, vel commune utrique praedicatur essentialiter de omnibus visibilibus. — *De Anima*, q. 21. n. 2. — *Collat.* XII. n. 10. — Vid. *Primitas obiecti triplex.*

Ad aliquid. — Vid. *Relatio.*

Adiectivum. — *Adiectivum* formaliter significat formam, ut forma est eius de quo dicitur. Propter istam proprietatem adiectivum non potest praedicari nisi *praedicatione formali.* — *Quodl.* q. 5. n. 6.

Adiectiva * itaque * si praedicantur, de necessitate formaliter praedicantur, et hoc quia sunt adiectiva. Nam ex hoc quod sunt adiectiva, significant formam per modum informantis, de quo videlicet formaliter dicuntur. Talia sunt, non tantum nomina adiectiva, sed omnia participia et verba. — *Oxon.* I. d. 5. q. 1. n. 7. — Vid. *Grammat. specul.* n. 35. seqq.

Adiectivum omnis generis. — Vid. *Gram. specul.* n. 72.

Admiratio. — *Dubitatio* et *admiratio* ex ignorantia sumunt ortum; cum enim videmus effectus manifestos, quorum causas non videmus, *admiramur* circa effectus illarum causarum, — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. I. S. 1. c. 2. n. 28.

Adoptio — Arrogatio. — Dicimus *arrogari* illum, qui sui iuris est, et per arrogationem transit in nostram potestatem; et fit arrogatio auctoritate principis. — *Adoptio* fit per quemlibet magistratum; nec adoptatus transit in potestatem adoptantis, sed remanet in potestate sui patris; et tam adoptati quam arrogati dicuntur filii adoptivi. — *Oxon.* IV. d. 42. n. 3.

Homo adoptat per novum actum voluntatis; et ita ipsum *adoptare* est aliquem ad haereditatem optare per novum velle. — *Ib.* III. d. 10. n. 5.

— Adoptatus includit ordinem ad haereditatem; et quod sit extraneus, quantum de se est, et quod gratuitas adoptantis sit, ut iste adoptetur. — *Report.* III. d. 10. n. 2. — Vid. *Filius adoptivus = Baptismus dicitur adoptio.*

Adoratio habitualis — actualis. — Una est adoratio *habitualis* trium Personarum, quia quicumque adorat unam, *habitualiter* se subiicit toti Trinitati; sed non oportet, quod *actualiter* cogitet de alia Persona, quando adorat unam Personam. — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 14.

Adulterium. — Hoc nomen *adulterium* impositum est ad significandum non tantum actum naturalem coeundi, sed cum deformitate, scilicet *cum aliena.* — *Oxon.* III. d. 38. n. 6.

Adverbii divisio. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 154 et seqq.

Adverbii significatio. — Vid. *Grammat. specul.* n. 153.

Adverbium. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 150 et seqq.

Adverbium loci. — Vid. *Grammat. specul.* n. 155.

Adverbium qualitatis. — Vid. *Grammat. specul.* n. 157.

Adverbium quantitatis. — Vid. *Grammat. specul.* n. 156.

Aequale. — *Aequale, maius* et *minus* non conveniunt quantitati molis, nisi finitae; quia prius dividitur *quantum* per finitum et infinitum, quam sibi conveniat *aequale* vel *inaequale.* De ratione enim quantitatis maioris est excedere, et minoris excedi, et aequalis commensurari; quae omnia videntur concludere finitatem; et ideo negaretur infinitum esse aequale infinito; quia aequale et inaequale, et maius et minus sunt differentiae quantitatis finitae, non infinitae. — *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 20.

Aequale importat istam duplicem negationem: *ad aliquid maius*, et *ad aliquid minus*, sicut dicit Philosophus; sed non praecise, sed tamen dicit aliquid positivum medium inter illa, cui competit illa duplex negatio. Ideo Philosophus, *X. Metaph. text.* 19, postquam descripsit ea per illam duplicem negationem, *ad maius* et *ad minus*, dicit: *Est autem medium per negationem illarum, ut fuscum inter album et nigrum.* — *Report.* I. d. 31. q. 3. n. 36. — Cf. *Exposit. Metaph. Arist.* l. X. n. 52. seqq. — Vid. *Magnum et parvum tripliciter considerantur = Idem — Simile*, etc. = *Magnum — Parvum.*

Aequalitas — Identitas — Similitudo. — *Unum in substantia* dicitur *identitas*, in

quantitate aequalitas; in *qualitate similitudo.* — *Elench.* q. 36. n. 3.

Philosophus *V. Metaph.*, cap. *de Relatione,* distinguit tres relationes fundatas super *unum,* scilicet, *idem, simile,* et *aequale.* Et loquendo de istis stricte et proprie, appropriantur diversis generibus, ut identitas *substantiae,* aequalitas *quantitati,* et similitudo *qualitati.* Et ita forte possent aliae relationes proprie fundari super res aliorum generum, sicut *proportionalitas* super relationem, sive similitudinem duarum proportionum (1); et hoc videtur Avicenna dicere, saltem de his tribus relationibus communibus, quas expresse ponit Philosophus. Dico tamen, quod fundamentum *remotum* istarum relationum est res illius generis, puta *aequalitatis* fundamentum est res de genere *quantitatis, similitudinis* est res de genere *qualitatis, identitatis* est res de genere *substantiae. Proximum* tamen fundamentum, vel ratio proxima fundandi est *unitas talis rei,* quia super rem talis generis, ut diversa est, fundantur relationes disparatae, et non communes.

Quodcumque ens est in se *quid,* et habet in se aliquem *gradum* determinatum in entibus, et est *forma,* vel *habens formam.* Et secundum hoc, sicut potest *tripliciter* considerari quodcumque ens, ita etiam super ipsum potest fundari *triplex* relatio communiter sumpta, quia *identitas* super quodcumque ens inquantum est *quid;* et *aequalitas,* vel *inaequalitas,* super quodcumque ens, inquantum habet magnitudinem aliquam perfectionis, quae dicitur *quantitas virtutis,* de qua dicit August. *VI. de Trinitate,* cap. 7, quod in his, *quae non magna mole sunt, idem est melius esse quod maius esse; similitudo* autem, vel *dissimilitudo* potest fundari super quodcumque ens, inquantum est *quale,* et qualitas quaedam. De hoc modo qualitatis loquitur Philosophus, *V. Metaph.* cap. *de Qualit.*, quod *unus modus qualitatis est differentia substantiae,* id est, differentia essentialis; et hoc modo individua eiusdem speciei sunt essentialiter *similia,* inquantum habent eamdem differentiam specificam, quae est ut *qualitas* essentialis ipsorum. Et hoc modo *communiter,* et non *stricte* accipiendo istas relationes communes, dicit Philos., *X. Metaph.*, quod *omne ens omni enti comparatum est idem,* vel *diversum;* ita quod omne ens omni enti comparatum est *aequale,* vel *inaequale.* Sicut igitur fundamentum *identitatis, aequalitatis,* et *similitudinis* hoc modo communiter sumptum, est ens in communi, ita et illae relationes sunt transcendentes, licet non convertibiles; cum distinctione tamen dividentes ens, sicut dividitur in *necessarium* et *possibile.* — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 2. — *Ib.* IV. d. 6. q. 10. n. 5. — *Report.* I. d. 19. q. 3. n. 4-5. — *Quodlib.* q. 6. n. 2. — Vid. *Mensura* -- *Proportio,* etc. = *Magnum.*

Aequalitas et *inaequalitas* sunt opposita formaliter, et *similitudo* et *dissimilitudo* similiter, saltem ad idem correlativum; ista autem perfecte possunt fundari in eodem fundamento successive; igitur idem fundamentum neutrum istorum continet virtualiter, et secundum perfectam identitatem, quia qua ratione non ambo, eadem ratione nec alterum. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 8. — Cfr. *Oxon.* I. d. 31. n. 6 — III. d. 8. n. 21. seqq. — *Quodlib.* q. 6. n. 2.

Potest concedi, quod *aequalitas* non ita distinguitur ab *identitate* et *similitudine,* sicut illa inter se, sed quod ipsa dicat proprium modum fundamenti utriusque illarum duarum relationum, et quasi etiam modum proprium utriusque relationis, scilicet, quod tam identitas quam similitudo sit perfecta. — *Oxon.* I. d. 31. n. 6.

Aequalitas in Divinis. — De *aequalitate in Divinis* in speciali, quid sit eius fundamentum, illud videtur Augustinus assignare, *I. De fide ad Petrum,* ubi loquens de tribus Personis divinis dicit: *Nulla alteram praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; quia nec Filio Pater anterior, aut maior est;* et potest addi, *aut etiam potentior.* Illud dictum Augu-

(1) « Quodlibet *enim* fundamentum istarum relationum potest accipi *dupliciter,* scilicet, *stricte* et *proprie,* et tantum pro re de genere *substantiae, quantitatis,* vel *qualitatis;* vel *extense* ad alia quae non sunt de istis generibus ». — *Report.* I. d. 19. q. 3. n. 4.

stini probatur ex dictis Philosophi; quia si *aequalitas* est secundum *quantitatem*, cum quantitas primo dividatur in *continuam* et *discretam*, in Divinis non potest esse aequalitas secundum qualitatem discretam, quia nulla est ibi (1). Quantitas autem *continua* dividitur in *permanentem* et *successivam*. In Deo non est quantitas successiva; est tamen aliqua, quae est sibi correspondens, quae est *quantitas durationis*, et illa proprie dicitur *aeternitas*. Quantitas permanens in creaturis dicitur communiter magnitudo *molis;* et omnis sibi correspondens in Divinis dicitur magnitudo *virtutis* (2). Sequitur ergo ex dicto Philosophi dictum Augustini, quod ad hoc, quod aequalitas sit in Divinis, aut est secundum *magnitudinem* * virtutis *, aut secundum *aeternitatem*.

Secundo, dictum Augustini exponitur; quia ex dictis videtur superfluere tertium, quod addit *secundum potestatem*. Sed est responsio, quod *aequalitas* aliquorum attenditur proprie secundum aliquid *eis intrinsecum* et *ad se;* ex consequenti tamen aequalitas attendi potest in comparatione *ad extrinseca*. Unde ex consequenti, ex hoc quod aliqua formam aliquam habent in aequali gradu, sequitur quod secundum eam possunt aequaliter agere, in comparatione ad extrinseca. Aequalitas ergo *potestatis* proprie non est alia ab aequalitate *magnitudinis*, et hoc ex aequo distincta; sed est quasi explicans quamdam aequalitatem magnitudinis, quae scilicet magnitudo est formae activae; sicut in creaturis, quae habent aequalem magnitudinem caloris, habent aequalem potentiam calefaciendi.

Sic ergo sunt tria, commemorando aequalitatem quae, est in comparatione *ad extrinseca*, cum aequalitate, quae est secundum *intrinseca*. Proprie autem et ex aequo sunt tantummodo duo, quae sunt *ad se*, et *ad intra*, secundum quae attenditur aequalitas, scilicet secundum *magnitudinem* et *aeternitatem*. Et forte propter ista, Augustinus, in replicando, tantummodo ista duo replicat, non *potentiam*, cum ait: *non est Pater Filio anterior, aut maior*, non dicit, aut *potentior*.

Est etiam aliud dubium circa illud dictum Augustini, quare non secundum plura attenditur *aequalitas?* sunt enim Pater et Filius aequales secundum *sapientiam*, secundum *bonitatem*, secundum *iustitiam* et caetera alia. — Respondeo: non sunt aequales secundum sapientiam, nisi ut habentes unam *magnitudinem;* et ideo si secundum quamcumque perfectionem essentialem sunt aequales, semper proxima ratio aequalitatis est *magnitudo* illius perfectionis; et ideo per solam *magnitudinem* intelligit ipse quamcumque perfectionem essentialem; quantum scilicet ad illud quod est *fundamentum* aequalitatis; quia nulla fundat nisi sub ratione *magnitudinis*. — *Quodlib.* q. 6. nn. 3-4. — *Report.* I. d. 31. q. 3. n. 23. — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. per tot.

Praedicta amplius explicantur:

Quot sunt perfectiones in Deo simpliciter (1) tot sunt etiam magnitudines, et tot aequalitates; sicut tamen illae omnes sunt simpliciter una res, ita et aequalitates secundum eas sunt simpliciter una res. Ex hoc patet, quomodo Magister bene assignat *dist.* 19. aequalitatem perfectam in tribus * Personis * secundum Augustinum, *De Fide ad Petrum*, cap. 1, scilicet: *magnitudine, potestate*, et *aeternitate*. Per *magnitudinem* quidem intelligitur fundamentum omnis aequalitatis *ad intra*, secundum quamcumque perfectionem simpliciter in omnibus attributis, accipiendo *magnitudinem* non pro aliquo attributo distincto, sed ut est commune magnitudini cuiuslibet attributi. Et per *potestatem* notantur personae esse aequales ad obiecta *extra;* et hoc sequitur ad primum, quia aequalitatem valoris in forma *in se* sequitur aequalitas vigoris ratione activi *ad extra*. Et per *aeternitatem* notatur aequalitas esse in eis quasi secundum *durationem*. Aequalitas autem secundum quantitatem *discre-*

---

(1) « Aequalitas, ut est passio generis *quantitatis*, non convenit Deo per aliquam differentiam generis quantitatis, nec transfertur ad Divina ». — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 7.

(2) « Non est enim ibi quantitas *molis*, sed *virtutis* ». — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 6.

(1) Vid. *Perfectio simpliciter*.

tam non quaeritur ibi. Quantitatibus autem *continuis* in creaturis, quae sunt quantitas *permanens* et *successiva*, correspondet ibi *magnitudo* et *aeternitas*. *Potestas* autem sive *potentia* non est tertia quantitas, sed respectu magnitudinis ad extra. — *Oxon.* I. d. 31. n. 7. — *Ib.* n. 3, *ubi perspiscue evicit « magnitudinem virtutis » esse fundamentum reale aequalitatis, tum in Divinis, tum in creatis; numero autem 4. quod huius relationis extrema sint realia; addens n. 8:*

Pater et Filius sunt aequales secundum essentiam, ut ly *secundum* notat fundamentum proprium aequalitatis; quia istae relationes communes fundantur super aliquid quod est commune, ut est commune: nihil autem commune unum est in Personis, nisi essentia vel essentiale... Cum autem dico: *secundum essentiam sunt aequales*, ibi essentia, ut essentia, non accipitur nisi prout est una formaliter in tribus * Personis *; ideo dicitur Pater aequalis esse secundum essentiam, propter hoc, quod essentia *ut una* est proximum fundamentum istius relationis. — Cf. *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 7. seqq.; d. 28. q. 3. n. 9; d. 30. q. 2. n. 20. — III. d. 8. n. 21. — *Quodlib.* q. 6. per tot.

Aequalitas non praeintelligitur relationibus originis, nec potest esse ad se; Pater enim non est aequalis sibi, sed Filio. Et ideo aequalitas hoc modo non dicit perfectionem simpliciter; dicit tamen perfectionem, quae in omni natura, comparando ad aliquid eiusdem naturae, melior est suo opposito, quia oppositum eius de necessitate dicit imperfectionem. Non enim est inaequalitas in eadem natura, nisi alterum individuum imperfecte habeat illam naturam. Ex quo igitur relatio est inter opposita, in ista natura imperfectionis esset inaequalitas in eis, quia in altero poneret perfectionem diminutam; aequalitas autem non est ibi imperfectionis, imo magis praeexigit perfectionem simpliciter, quia praeexigit naturam perfectam et perfecte in utroque relato. Et hoc est quod dicit Augustinus, libro *De Quantitate animae*, loquens ad discipulum: *aequalitatem inaequalitati iure praeponis, nec quemquam aestimo humano sensu praeditum, cui non illud videatur.* Hoc utique verum est, comparando aliqua in eadem natura, et simpliciter, quibus compossibilis est aequalitas, magis possunt esse perfecta, quam illa quibus aequalitas non est compossibilis, quia illorum aliquod necessario est imperfectum. — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 8.

Aequivocatio. — *Aequivocatio* est diversitas significatorum * in eodem vocabulo *. — *Opus prim.* sup. I. *Periherm.* q. 5. n. 3. — Vid. *Nomen aequivocum.* = *Fallaciae*, etc.

Aequivocationis modus triplex. — *Aequivocum* est, quod *diversa significat secundum diversas rationes;* et ideo Aristoteles distinguit *triplicem modum* aequivocationis; nam *aliqua* significan. aequivoce, quae nullam habent ad invicem connexionem, proportionem, aut similitudinem; et illa vocantur *a casu.* — *Alia* est aequivocatio, per quam unum significatur in habitudine ad reliquum; et vocatur *analogia.* — Et * *alia* * est aequivocatio *generis;* nam genus significat multa secundum unam rationem generalem, et est secundum illa divisibilis in diversas rationes speciales. — *Physic.* VII. *Exposit. text.* 31.

Translatio et transumptio a propria significatione ad impropriam, per aliquam similitudinem, causat *secundum modum aequivocationis.* Hoc patet per Aristotelem in littera; dicit enim quod *secundus modus aequivocationis* et *amphibologiae* resultat ex hoc, quod *soliti sumus sic dicere.* Sicut *ridere* proprie significat actum hominis, et per quamdam translationem, floritionem, vel florigerationem pratorum; unde dicerem, quod hic est *secundus modus* aequivocationis: *Quidquid ridet habet os: pratum ridet; ergo* etc. In secundo modo nulla cadit habitudo. — Unde, si illa quae in re habent habitudinem ad invicem sub diversis orationibus significentur, aequivoce, quantum est ex parte vocis, importantur. Unde talis analogia est reducenda ad *primum modum aequivocationis.* — *Elench.* q. 15. n. 8.

Tertius modus aequivocationis est ex hoc, *quod dictio de se consignificat plura*, et *non ex adiuncto.* — *Elench.* q. 17. n. 4.

Tantum duo sunt modi *(aequivocationis)* communes, et tertius modus non est

communis, sed *amphibologiae* appropriatur. — *Ib.* n. 5. — Vid. *Amphibologia.*

Aequivocum a casu — a consilio — analogia. — Res illae dicuntur *aequivoce* significari, *quarum est unum nomen, et secundum illud nomen correspondent sibi conceptus in mente diversi;* et tunc illi conceptus, vel habent aliquem ordinem inter se, vel non. Si non, tunc dicitur aequivocum *a casu.* Vel habent aliquem ordinem, et hoc dupliciter: uno modo, quod ordo ille proveniat ex media similitudine; et tunc ordo ille conceptuum correspondet termino, qui vocatur aequivocum *a consilio.* Et tertio conceptus illi possunt habere dependentiam, attributionem, et ordinem inter se; et tunc terminus dicitur *analogus,* cui correspondent illi conceptus. Unde *analogia* est *ordo conceptuum correspondentium uni termino, habentium inter se dependentiam, et attributionem, causatas non ex voluntaria impositione, sed ex natura rerum obiectarum;* et sic iste terminus *sanum* dicitur analogice de animali, et de urina. Unde primo et principaliter dicitur de animali, et consequenter dicitur de urina, non per impositionem novam, sed quia sequitur quasi naturaliter ex prima impositione. — *Physic.* I. q. 7. n. 4. — Vid. *Analogia.*

Aequivocum — aequivocatio. — *Aequivoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, secundum vero illud nomen ratio substantiae diversa, ut animal, homo,* etc. (Aristot., *De Praedicamentis,* cap. 1). — Ista notificatio satis convenienter datur de *aequivocis aequivocatis.* Ubi intelligendum est, quod aequivocatio dicta *active* dicit habitudinem unius in ratione signi ad multa in ratione significatorum; et *passive* e converso. Et ita *aequivocum* includit duplicem relationem, et *active* sumptum, et *passive,* scilicet: habitudinem ad *aequivocans,* quae relatio est *suppositionis;* et habitudinem ad aliud *aequivocatum,* quae relatio est *aequiparantiae;* non enim dicitur *coeleste sidus* aequivocatum ad *canis,* nisi per respectum ad animal latrabile, quae duo sunt aequivoca. Haec duplex relatio patet resolvendo nomen *aequivocum,* id est, *aeque vocans:* ratione primae partis dicitur ad aliud quod est *aeque* cum eo; ratione secundae dicitur ad *vocans.* Propter ergo rationem aequiparantiae datur notificatio in plurali, * sicuti * caetera huiusmodi relativa definiuntur in *V. Metaph. tex. non habente com., similia, disimilia, contraria,* etc. (1).

Propter relationem aliam, ponitur correlativum definiti, in habitudine qua dicitur ad ipsum, *quorum,* ut significatorum, *solum nomen commune est,* ut signum; et per sequens, scilicet, *ratio substantiae est diversa,* ponitur differentia aequivocatorum. Et non sumitur ibi *ratio* pro definitione ex genere et differentia, quia prima genera, quae non habent rationem talem, sunt aequivoca in hoc nomine *ens* (2); sed *ratio substantiae,* id est, *essentialis intellectus* est diversus; et quia aequivocata in uno nomine possunt in aliis univocari, et ibi habere rationem eamdem, ideo adiungitur *secundum illud nomen,* id est, essentialis intellectus aequivocatorum est diversus inquantum de eis dicitur aequivocans, licet in alio univocante sit essentialis intellectus eorum idem.

Si autem dicatur, quod *dicuntur* ponitur pro *concipiuntur,* id est, sunt conceptus, et quod conceptus sit de essentia aequivocatorum; potest dici, quod est vera definitio, et per illam primam particulam, *dicuntur,* ponitur genus; per reliquas, correlativum definiti et differentia. — *Super praedic.* q. 5. n. 2.

Aequivocum cum diversis actibus significandi significat multa. — *Opus prim. super I Periherm.* q. 2. n. 3. — Vid. *Amphibologia = Univocum — aequivocum.* — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 17. — d. 25. n. 1.

Aequivocum logicum — metaphysicum. — Vox quae apud Logicum simpliciter *aequivoca* est, quia scilicet *aeque* primo importat multa, apud Metaphysicum vel Naturalem, qui non considerant vocem in significando, sed ea quae significantur secundum id quod sunt, est *analoga,* propter illud quod ea quae significat, licet inquantum si-

---

(1) Cf. expositionem Doctoris.

(2) Ut probat Doctor. *Super Praedic.* q. 4.

gnificantur non habeant ordinem, tamen inquantum existunt habent ordinem inter se. Ideo *ens* a Metaph. in *IV. Metaph. text. com. 2 et 7; text. com. 14 et 15* (1), ponitur *analogum* ad substantiam et accidens; quia scilicet haec quae significantur in essendo habent ordinem; sed apud Logicum est simpliciter *aequivocum*, quia inquantum significantur per vocem aeque primo significantur. — *Super Praedic.* q. 4. n. 7.

Aër. — *Aër* potest accipi dupliciter: *primo* pro corpore simplici habente formam substantialem, cuius dispositiones naturales, scilicet caliditas et humiditas, *non sunt admixtae* dispositionibus contrariis. Et vocatur in proposito *forma substantialis simplex*, non propter hoc, quod non sit composita ex diversis formis substantialibus, quia nulla est taliter composita, sed praecipue ideo dicitur esse *simplex*, quia nata est provenire ex actionibus duarum qualitatum primarum, et non ex commixtione, vel proportione omnium qualitatum primarum. — *Alio modo* accipitur *aër* pro tali corpore simplici habente formam simplicem, cuius naturales dispositiones, scilicet caliditas et humiditas, *sunt admixtae* cum suis contrariis. — *Meteor.* I. q. 6. n. 3. — Cf. *Oxon.* II. d. 17. q. 2. n. 3. — IV. d. 11. q. 4. n. 8.

Aeternitas. — Boëtius *V. de Consol., prosa 6,* vult, quod *aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio;* et similis sententia habetur ab Anselmo, *Monolog.* 27. Et secundum istam corrigenda est sententia Richardi *II. Trin.*, 9: *Carere,* inquit, *initio et fine, et omni mutabilitate, dat aeternum esse.* Sic supplenda et intelligenda est ista sententia, secundum descriptionem praedictam, in qua ponitur *vita,* quae accipitur pro *existentia actuali perfecta;* quomodo *Ioannis 5.* (2): *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit,* etc. Hoc ergo ponitur tanquam connotatum, quia quasi subiectum vel fundamentum *aeternitatis.* — Et illud certum est esse in Deo ex natura rei, sicut existentia perfecta. Sed alia tria, scilicet *interminabilis,* quod excludit desitionem; et *tota simul,* quod excludit successionem; et *perfecta possessio,* quod excludit dependentiam et participationem, non videntur dicere ultra *vitam* * sensu praeexposito acceptam *, nisi relationem positivam vel negativam. *Negativam* quidem negatione *terminationis,* negatione *successionis,* et negatione *dependentiae.* Et relationem *positivam potentialem,* vel *aptitudinalem;* quia *interminabilis* videtur dicere *posse per se coëxistere cuicumque durationi,* vel *existentiae; tota simul, sine variatione et successione posse coëxistere cuicumque; perfecta possessio, a seipso existere, et non dependere in existendo.*

Sic ergo haec * est * propriissima descriptio *aeternitatis,* quam invenimus; et hoc est unum tantum ex natura rei, scilicet *vita.* Tria autem quae complent rationem eius non sunt ibi * (in Deo) * ex natura rei, ut videtur, quia per se important vel *negationem* alicuius imperfectionis extrinsece, vel relationem aliquam *aptitudinalem,* vel *potentialem* ad aliquid extrinsecum; et nec sic, nec sic est aliquod eorum ibi ex natura rei; et per consequens nec aeternitas, ut aeternitas, * (nempe ut distincta a *vita*) (*quod problematice tantum asserit, ut ex verbis ipsius constat, et clarius patet loc. cit.*) * erit ibi ex natura rei. — *Quodlib.* q. 6. n. 14. — Vid. *Oxon.* II. d. 2. q. 2.

— Res simpliciter immutabilis non est in tempore, nisi valde improprie, scilicet capiendo *esse in tempore* pro *esse quoniam tempus est.* Patet, quia *aeternitas est duratio semper manens tota simul interminabilis,* ut dicit Boëtius; et ideo vocatur momentum, vel instans aeternitatis; et ideo non debet dici *fuit* et *erit,* sed debet dici, quod *est.* Ex quo sequitur, quod quando hoc verbum *est* dicitur de Deo, proprie loquendo non connotat tempus. Verum est tamen, quod modus durandi est satis difficilis ad apprehendendum; quia difficile est apprehendere, quod aliquid sit perpetuo, et tamen sit solum indivisibiliter. — *Physic.* IV. q. 18. n. 3. — Vid. *Tempus* = *Duratio triplex* = *Dei mensura.*

(1) Vid. expositionem Doctoris.
(2) v. 26.

Aeternitas — Aevum — Tempus. — * Esse divinum * non est aliud, quam necesse esse, omnino independens, immutabile in substantia, et sine compositione, nec incipiens, nec desinens, quale non est *esse* nisi unicum numero; et ideo *duratio* eius, sive quantitas durationis, quae est mensura sui *esse* in durando, est quantitas, sive mensura una, sola, indivisibilis, invariabilis, nec incipiens, nec desinens, nec actu, nec potentia, nec re, nec intellectu, ut sic sit conformis et unigena mensurato, quod est esse divinum. Et ideo duratio eius, sive quantitas durationis, quae est mensura sui *esse* in durando, vocatur *aeternitas.*

Est autem aliud *esse,* quod etsi sit immutabile, quia nec contrarium habet, nec componitur ex contrariis, nec alterabile actione agentis creati, ac per hoc sit *esse* fixum, manens invariatum; ex hoc tamen habet debilitatem, quod sit ab alio ente, ab alio conservatum, et incipere et desinere potest, si ab alio non continuo conservetur. Habet itaque alium modum *durandi* a primo, et per consequens aliam quantitatem, seu rationem quantitatis durationis et mensurae; quae quidem mensura conformatur suo mensurato, inquantum est durans immutabilitate et fixione. Talis mensura est mensura substantiarum separatarum, et vocatur *aevum.*

Tertium *esse* est, quod incepit et desinet, non habens fixionem, aut perseverantiam in durando; unde non per hoc dicitur durare, quod idem, et secundum idem permaneat, sed habet suum *esse* in fluxu, et continua innovatione: et per hoc durat, quasi semper secundum aliud, et aliud sibi succedat, qualis est motus primo et per se, et *esse* generabilium et corruptibilium, ut subsunt motibus generationis et corruptionis; quorum *duratio,* sive quantitas, et mensura durationis in essendo, propter eorum fluxum, et continuam innovationem et successionem, distinguitur contra *aeternitatem* et *aevum,* sicut etiam *esse* successivum distinguitur contra praedicta duo esse, ut iam patet.

Nec intelligo, quod per hoc * solum * *aeternitas* differat ab *aevo* et *tempore,* quia *aeternitas* nec habet principium, nec finem; *aevum* habet principium, sed non habet finem; *tempus* autem habuit principium, et habebit finem; haec enim differentia est *per accidens,* non per se, nec *essentialis;* quia dato quod *tempus,* et *aevum,* nec finem, nec principium habuissent, adhuc *aeternitas* ab aliis differret. *Aeternitas* enim est *tota simul,* quod tempore non conveniret, dato quod semper fuisset, et nunquam desineret. *Aevum* etiam habet alium modum durationis, vel saltem *potest desinere* esse, quod aeternitati non convenit. Si autem *habere principium* et *finem* accipiatur *non actu,* sed *potentia,* isto modo praedicta differentia aliqualiter valet, quia aeternitas principio et fine caret *actu* et *potentia.* — Ex praedictis patet, quod *tempus* ideo est mensura rerum temporalium, quia dicit quantitatem *fluentem* in continua successione, sicut *esse* talium rerum est in continuo *fluxu,* et successione. Sed *aevum* est mensura substantiarum separatarum * *(Angelorum et animarum post separationem a corpore)* *, quia dicit quantitatem, quae incepit et potest desinere, quae *non est tota simul;* vel forte habet aliquam naturam successionis, scilicet, quale est *esse,* et modus essendi et durandi illarum substantiarum. *Aeternitas* vero dicitur mensura essendi vivi, veri et divini, quae dicit quid simplex, immutabile, et invariabile actu et potentia, non habens principium, aut finem, nec actu nec potentia: sic *esse* divinum has perfectiones de se habet. — *De rer. princ.* q. 22. nn. 5-8. — *Physic.* IV. q. 15. n. 4. — *Ib.* q. 18. n. 2. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 13. — Vid. *Duratio triplex.*

Aeternum — aeviternum. — * Cum dicitur *Matthaei* 25, et alibi, *vita aeterna* *, aeternum non accipitur ibi stricte, sicut distinguitur contra *aeviternum,* sed pro aeviterno perpetuo permanente. Sic quippe frequenter accipitur *aeternum* in Scriptura, ut ibidem *Matth.: Ite, maledicti, in ignem aeternum,* et statim post: *ibunt hi in supplicium aeternum,* cum tamen non sit aeternum aeternitate distincta ab aevo vel a tempore perpetuo. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 6. n. 17.

Aether. — Secundum Aristotelem dicitur *aether* interpretari quasi *semper currens.* — *Meteor.* I. q. 4. n. 9.

Aevum — Tempus. — Dicendum, secundum illam positionem, quod *tempus* et *aevum* possunt considerari in genere *entis*, et sic non differunt, quia sic sunt idem; vel in genere *mensurae*, et sic sunt diversa, quia mensurae diversificantur ratione mensuratorum suorum; sunt ergo tempus et aevum *unum* ens, et *diversae* mensurae, etc. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 10. n. 5. *(Haec problematice dicta sunt, ut ex contextu colligitur).*

Affectio iustitiae — commodi. — Voluntas habet duas affectiones, et utraque attingit Deum immediate, scilicet: affectionem *iustitiae*, qua per actum amicitiae tendit in Deum immediate, ut est bonum *in se;* et affectionem *commodi*, qua per actum concupiscentiae tendit in Deum immediate, ut est bonum *huic;* et uterque actus potest esse ordinatus, et habere habitum inclinantem ad ipsum, etiam theologicum, quia respicientem Deum immediate pro obiecto. — *Oxon.* III. d. 26. n. 26.

Distinguo, quid possit intelligi per istas affectiones *iustitiae*, et *commodi;* de quibus loquitur Anselm. *de Casu diaboli. Iustitia* potest intelligi, vel infusa, quae dicitur *gratuita*, vel acquisita, quae dicitur *moralis*, vel *innata*, quae est ipsa libertas voluntatis.

Illa affectio *iustitiae*, quae est prima moderatrix affectionis *commodi*, quantum ad hoc, quod non oportet voluntatem appetere illud, ad quod inclinat affectio *commodi*, nec etiam summe appetere, illa, inquam, affectio iustitiae est libertas *innata* voluntati; quia ipsa est prima moderatrix affectionis talis.

Distinguendo ex natura rei duas rationes primas istarum rationum, inquantum altera *inclinat* voluntatem naturaliter, et summe ad *commodum;* altera autem quasi *moderatur* eam, nec in eliciendo actum oportet eam sequi inclinationem eius, nihil aliud sunt ista, quam eadem voluntas, inquantum est *appetitus intellectivus* nude, et ultra hoc, inquantum *libera;* quia inquantum est mere *appetitus intellectivus* summe inclinaretur actualiter ad optimum intelligibile, sicut est de optimo visibili et visu; tamen inquantum *libera* est, potest se refraenare in eliciendo actum, ne sequatur istam inclinationem, nec quantum ad substantiam actus, nec quantum ad intensionem, ad quam potentia naturaliter inclinatur.

Potest autem voluntas seipsam potens moderari, immoderate beatitudinem velle, quod sibi congruit tripliciter: vel quantum ad *intensionem*, puta volendo eam maiori conatu, quam sibi conveniat; vel quantum ad *accelerationem*, puta volendo eam sibi citius, quam sibi conveniat; vel quantum ad *causam*, puta volendo sibi eam, aliter quam sibi congruat, puta sine meritis; vel forte modis aliis, de quibus omnibus non oportet hic curare. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. nn. 8. 9. — *Ib.* III. d. 18. n. 5. et 16. — d. 26. n. 17.

Affectio *commodi*, quae est concupiscentia, praesupponit affectionem *amicitiae;* quia omnis concupiscens bonum alicui, prius vult illi bene esse in se, quam illi concupiscat. — *Oxon.* III. d. 15. n. 19. — Ideo enim concupisco huic bonum, quia amo hunc, cui concupisco. — *Ib.* IV. d. 49. q. 5. n. 3. — Nobilior autem est affectio *iustitiae*, non solum intelligendo de *acquisita* et de *infusa*, sed etiam de *innata*, quae est libertas ingenita, secundum quam aliquis potest velle aliquod bonum *non in ordine ad se*. Secundum autem affectionem *commodi* non potest velle *nisi in ordine ad se;* et hanc haberet, si esset praecise appetitus intellectivus sine libertate sequente cognitionem intellectivam, sicut appetitus sensitivus sequitur cognitionem sensitivam. — *Ib.* III. d. 26. n. 17. — IV. d. 49. q. 5. n. 3.

Affinitas. — Hic breviter ratio *affinitatis* potest poni talis: *Affinitas* est *vinculum quoddam personae ad personam aliquam ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum.* Semper enim, quia persona carnaliter copulata est consanguinea alicui, ideo illa cui copulatur fit *affinis* illius, et e converso. Et est quasi expositio nominis *affinis*, id est *accessio ad affines;*

coniunctus enim carnaliter alicui de consanguinitate aliqua accedit per hoc ad *affines* illius consanguinitatis, et ideo habet vinculum talis accessus ad omnes de illa consanguinitate. In isto vinculo possunt assignari gradus, et lineae, sicut in consanguinitate (1); et pro his omnibus est una brevis regula: *Quoto gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu affinitatis distat ab eodem illa quae est ab isto carnaliter cognita*. Non dico *uxor*, quia hoc non requiritur; non solum enim cum uxore, sed cum concubina vel meretrice contrahitur affinitas consanguineorum ipsius viri, immo in incestu (2).

Non sufficit ad affinitatem proprie dictam, quod sit uxor, sed requiritur *carnalis coniunctio*, ut habetur 35, *quaest. ult. Fraternitatis*, * ubi * dicitur de coniugibus, quod si una caro fuerint, non potest esse quod aliquis sit propinquus uni eorum, quin pertineat alteri. In quo datur intelligi, affinitatem non contrahi, nisi mediante commixtione carnali.

Extendendo tamen *affinitatem*, dicitur contrahi non solum cum uxore carnaliter cognita, sed etiam cum *non cognita*, et quod plus est, cum illa cum qua praecise contrahuntur sponsalia. Ubi est advertendum, quod istud vinculum contractum ad aliquam propter coniunctionem eius cum aliquo consanguineo, et hoc sive coniunctionem matrimonialem, sive concubinariam, dicitur communiter *publicae honestatis iustitia*. — *Oxon*. IV. d. 41. n. 2-3; *ubi gradus affinitatis impedientes matrimonium describit*. — Vid. *Consanguinitas* — *Affinitas* etc. = *Matrimonii impedimenta multiplicia*.

Affirmatio et negatio duplex. — Cum contradictio constet ex *affirmatione* et *negatione*, ut dicitur *I. Perihermenias*, *affirmatio* et *negatio* dupliciter possunt sumi, scilicet: *uno modo*, circa terminos *coniunctos* in re, sicut *homo* et *animal*. Si igitur ex his terminis formetur una contradictio, dicendo, *homo est animal*, *homo non est animal*, tunc affirmatio erit vera, et negatio falsa. — *Alio modo* affirmatio et negatio possunt sumi circa terminos *disiunctos* in re, ut *homo* et *equus*. Si ergo ex his terminis formetur una contradictio, dicendo, *homo est equus*, *homo non est equus*, tunc erit e converso, quia affirmatio erit falsa, et negatio erit vera. Et secundum hunc modum verum et falsum patiuntur sibi contradictionem; nam verum et falsum propositionis, de quibus nunc est sermo, non possunt esse circa voces et conceptus simplices, sed habent esse circa *compositionem* et *divisionem*, sive affirmationem et negationem, quae sunt partes contradictionis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VI. S. 2. c. 2. n. 30. — Vid. *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 3. *per tot.*

Agens dupliciter comparatur. — *Agens* potest comparari vel ad terminum *productum*, vel ad *passum*. Si comparetur ad terminum *productum*, sive sit *in fieri*, sive in *facto esse*, ut *calefaciens* ad *calefactionem*, sive ad *calorem*, quod est idem quantum ad hoc, tunc sic includit relationem, vel refertur ad ipsum productum relatione, quae est de genere *ad aliquid* (1), quae advenit, positis extremis, de necessitate. — Si comparetur ad *patiens*, iste respectus, quem includit, non est de genere *ad aliquid*; non enim posito * ex. gr. * igne agente absolute et lignis, de necessitate sequitur calefactio. vel talis relatio, sed requiritur appropinquatio extremorum; non est ergo de genere *ad aliquid*, sed de genere *actionis*. Talis ergo respectus *extrinsecus adveniens*, qui est agentis ad patiens, in agente existens, est actio, quae est Praedicamentum; et simile est de passione. — *De Anima* q. 7. n. 7. — Vide *Respectus intrinsecus* — *extrinsecus adveniens*.

Agens liberale. — In omni ordine agentium, praecipue ubi principium activum de

---

(1) Vid. *Consanguinitas* — *Affinitas*, etc.

(2) Quod quidem ita erat tempore Doctoris, ex Iure antiquo; at « sancta Tridentina Synodus impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu coniunguntur, restringit. In ulterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimire ». — Sess. XXIV. c. 4.

(1) Vid. *Relatio*.

se non est imperfectum, est status ad aliquod principium activum simpliciter perfectum, quod scilicet agens agit ex plenitudine perfectionis, et dicitur *agens ex liberalitate*, secundum Avic. *VI. Metaph. cap. ult.* Nullum autem agens agit *liberaliter* propter hoc quod ex actione sua expectat perfici; sicut enim in actibus humanis *liberalis* est ille qui agit non expectans redditionem, ita simpliciter agens dicitur *liberale*, eo quod nullo modo perficitur a productione vel producto. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 4.

Agens liberum — necessarium seu naturale. — Quoddam est agens *liberum*, et aliud est agens *naturaliter*. — *Physic.* II. q. 15. n. 2. — *II. Physic. text. c. 9. et inde*, agens *ex intentione*, quod dicitur agens *a proposito*, distinguitur contra agens *naturale*. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 5. n. 2. — *Agens naturale* vel naturaliter dicitur quod opponitur *libero*, quia agit necessitate naturali; sed *voluntarium* vel *liberum*, quod seipsum determinat et agendum. — *Ib.* d. 43. q. 4. n. 2.

Agens *ex electione* potest diversimode agere, non tantum diversitate quadam *disparationis*, sed *contradictionis*, sicut potest non tantum hoc agere et illud, sed hoc agere et illud non agere. Agens autem *naturale*, quod est illimitatum simpliciter vel aliqualiter secundum perfectionem activam, potest ad disparata agere, sed non ad contradictoria, quia quodlibet illorum agit in materia disposita, et hoc necessario. — *Ib.* d. 12. q. 3. n. 19. — Vid. *Naturale multipliciter dicitur.*

Agens naturale — supernaturale. — Vid. *Naturale multipliciter dicitur.*

Agens propter finem duplex. — Aliquid esse propter finem est *in his quae fiunt a natura*, et quae fiunt *a mente*, id est, ab intellectu; nam et agens *a natura*, et agens *a proposito* agunt propter finem, ut probatur *II. Physic. text. com. 49*, et inde (1). — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 3. c. 2. n. 66. — Vid. *Casus = Fortuna*, etc.

Agens secundum naturam — secundum cognitionem. — Aliquod agens de eo quod convenit actui suo *non iudicat*, nec illud in potestate sua habet, sicut est agens sine intellectu et sine voluntate. — Aliud est agens, quod de convenientia sui actus *iudicat*, et illud in potestate sua habet, sicut agens per intellectum et voluntatem. — Ultra istud iudicium generale de convenientia actus, quod est communiter de actu agentis per cognitionem, sive sine cognitione, sunt aliqua quae secundum iudicium speciale agunt ex cognitione *intrinseca* sibi; et quaedam cum cognitione *sensitiva tantum*, quae aliquo modo apprehendunt convenientiam obiecti, sive iudicent de convenientia actus, sive non; alia agunt ex cognitione *intellectiva*, quae proprie sola est iudicativa de tali convenientia. — *Quodlib.* q. 18. n. 4. — Vid. *Actus bonus naturaliter — moraliter*, etc.

Agens triplex. — Tria sunt agentia: *Deus*, *natura*, et *ars*; et habent se secundum ordinem, et sicut tertium praesupponit effectum secundi, et materiam, de qua operatur, ita secundum effectum primi; et ubi desinit primum incipit secundum, et ubi desinit secundum incipit tertium. — *De rer. princ.* q. 8. n. 17.

Agens universale — particulare. — Quoddam est agens *universale*, quod scilicet agit in diversis temporibus, et in eodem tempore effectus diversos in locis diversis; aliud est *particulare*, quod est determinativum agentis universalis ad hunc effectum, vel illum immediate. — *Physic.* VIII. q. 3. n. 2.

Agens univocum — aequivocum. — Omne agens totale vel est *univocum*, et ita aeque perfectum producto; vel *aequivocum*, et ita perfectius. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 13. — Agens aequivocum totale est nobilius effectu. — *Ib.* II. d. 25. n. 9.

Agenti propter finem triplex necessaria cognitio. — Omni cognoscenti agenti propter finem necessaria est triplex cognitio: *primo*, quomodo et qualiter finis acquiratur: *secundo*, cognitio omnium quae sunt necessaria ad finem: *tertio*, est necessarium cognoscere, quod omnia ista sufficiant ad talem finem. — *Primum* patet, quia si nesciat quomodo finis acquiratur, nesciet qualiter ad consecutionem illius se disponat. *Secundum* probatur, quia si nesciat omnia necessaria

(1) Vid. expositionem Doctoris, n. 13. seqq.

ad ipsum finem, propter ignorantiam alicuius necessarii poterit a fine deficere. Et etiam quantum ad *tertium,* si nesciat ista necessaria sufficere, dubitando se ignorare aliquod necessarium, non efficaciter prosequetur illud quod est necessarium. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 8.

Agentis ad agens subordinatio triplex. — Quandocunque sunt plura agentia essentialiter ordinata, aut secundum *accipit esse a primo;* aut secundum, licet non accipiat esse a primo, tamen *accipit aliquam influentiam. Exemplum:* baculum motum accipit a manu, ut possit ulterius movere pilam. Aut tertio modo ambo attingunt eumdem effectum immediate, sed *ordine quodam,* primum, scilicet principalius, et secundum minus principaliter, tamen ipsum eumdem effectum attingit. *Exemplum* de patre et matre respectu generationis prolis, secundum opinionem ponentem matrem esse activam (1). — *Quodlib.* q. 7. n. 41.

Agentis creati respectus triplex. — Agens creatum habet respectum ad terminum primum, sive totalem, qui dicitur *productum,* et ad terminum qui dicitur *forma educta* vel inducta, et ad subiectum illius formae, quod est passum vel *transmutatum.* Quod autem isti respectus sint alii et alii, probatur; quia sunt ad alios terminos. Probatur etiam per aliud; quia respectus correspondentes e converso sunt omnino alii et alii; respectus enim producti ad producens est sicut dependentis ad illud ad quod dependet, et hoc simpliciter secundum suum *esse,* sicut simpliciter accipit *esse;* respectus autem transmutabilis ad transmutantem non est simpliciter dependentis secundum *esse.* Transmutabile enim secundum suum *esse* simpliciter concurrit cum agente, ut concausa, nec accipit *esse* ab ipso, sed tantum secundum formam, quae inducitur. Respectus etiam producti et inducti, patet quod sunt alii, etsi uterque sit dependentis a producente, quia illud primo dependet quod primo accipit *esse,* et hoc est productum; illud secundario, vel per accidens dependet, quod secundario accipit *esse,* et hoc est eductum vel inductum. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 10.

Agere — Esse. — Cum *agere* praesupponat *esse,* recte modus *agendi* erit secundum modum *essendi.* — *De rer. princ.* q. 6. n. 23. — *Esse* formae et modus essendi, *agere* et modus agendi sunt immediata; ideo sicut non est alia ratio, quare hoc habet talem modum *essendi,* nisi quia est tale ens, sic non est aliqua ratio, quare hoc habet talem modum *agendi,* puta libere vel naturaliter, nisi quia est tale principium activum, scilicet liberum vel naturale. — *Quodlib.* q. 16. n. 16.

Agere in virtute alterius est dupliciter. — *A* agere in virtute *B* potest intelligi dupliciter: vel quod *A* recipiat ab ipso *B formam, qua agat;* vel quod, habita forma, recipiat ab ipso *ipsam actionem* vel *motum ad actionem.* — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 34.

Agere per essentiam. — *Agere per essentiam,* secundum quod convenit Deo, est idem quod * *agere* * *sua essentia,* fit enim causa totalis absque aliquo adminiculo actionis, quia Deus nec materia, nec approximatione, nec aliquo, breviter, eget in actione sua; et isto modo * *agere per essentiam* * non convenit creaturae, quia tunc posset agere de nihilo. — Alio modo dicitur aliquid *agere per essentiam suam,* quia realiter essentia, est illud, *quo* actus elicitur, absque aliquo alio superaddito. Sed sic agens indiget adhuc materia, vel approximatione sui ad materiam, et ultra, indiget actu, qui ab eo differt. Nec isto modo *agere per essentiam* ponit potentiam, quae sit reale medium inter actionem et substantiam, nec ponit quod creatura agat per essentiam, sicut Deus. — *De rer. princ.* q. 11. n. 32. — *Agere per essentiam* est dupliciter: *uno modo,* idem est, quod in agendo non dependere ab alio, et non habere essentiam per participationem. — *Alio modo,* idem est, quod non *per accidens,* sive per additum, licet dependeat. — *Oxon.* II. d. 16. n. 10.

Agere principaliter est dupliciter — Instrumentum. — Sciendum est, quod aliquid *agere principaliter* potest intelligi duplici-

---

(1) Huic opinioni adhaeret Doctor, *Oxon.* III. d. 4. *per tot.* — *Quodlib.* q. 15. n. 10, et alibi.

ter: *uno modo* excludendo omnem causam superiorem agentem, ut sic *agere principaliter* sit agere independenter a causa superiore agente. — *Alio modo* potest intelligi *agere principaliter,* id est, per formam propriam et intrinsecam agenti, licet in agendo per eam sit subordinata causae superiori agenti. — Si contra causam principalem primo modo dictam distinguatur *instrumentum,* sic omnis causa secunda potest dici *instrumentalis.* Si autem contra secundum modum distinguatur *instrumentum,* tunc illud potest dici *instrumentum,* quod *non habet in se formam activam in suo ordine,* etiam dependendo in actione sua ab alio superiore; sed *tantum agit per actualem motionem alicuius alterius moventis,* ut patet de instrumentis artificis, ut *securi, serra,* et huiusmodi; quia si instrumentum ponatur proprie activum ad aliquem terminum, necesse est ipsum habere formam aliquam intrinsecam activam, vel in *esse* quieto ante omnem motionem alterius agentis, vel in *fieri,* quando totaliter movetur a superiore agente; si enim neutro modo habeat formam activam, nullo modo proprie aget. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 26. — Vid. *Instrumentum.*

Aggregatio — Vid. *Sacramentum.*

Agilitas. — Videnda est ratio nominis *agilitatis.* Et dico, quod ratio eius *in communi* est, quod *agilitas est habilitas in aliquo ad prompte movendum se eo motu, cuius principium est anima.* Corpus enim agile movet se secundum locum, non motu naturali, cuius principium est elementum praedominans, sed anima; quorum motuum differentia patet ex articulo praecedente (1); et quia agilitas non potest esse in aliquo toto ad faciliter movendum se, nisi concurrente virtute motiva et mobili, ideo ad rationem agilitatis in *speciali* requiritur perfectio virtutis motivae *in anima,* et congrua dispositio non repugnans isti motui ex *parte corporis. Est* ergo *in speciali agilitas habilitas in aliquo toto ad prompte movendum se secundum locum ex perfectione virtutis motivae et congrua dispositione corporis.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 14. n. 3.

Proportionata agilitas, quae requiritur ad motum Beati, potest esse sine supernaturali quocumque addito corpori, vel animae. Non enim oportet ex parte animae, nisi quod virtus motiva fiat perfectior, et quod resistentia accidentalis ex parte corporis tollatur; et utrumque potest fieri sine supernaturali addito, quia quod modo in anima virtus non est sufficiens ad motum, hoc est, vel quia est impedita a corpore, vel quia in se est diminuta; et cum est separata, aut unita corpori glorioso, intenditur, sicut virtus Beati visiva intenditur resumpto corpore glorioso, quia, ut videtur, tunc poterit sine difficultate visibile quodcumque videre inspiciendo. Potest ergo potentia motiva in anima intendi ad gradum perfectum, quod sufficiat ad movendum corpus illud sine fatigatione; nec tamen erit nova potentia, sicut nec virtus visiva intensa in Beato, et non beato, est alia potentia visiva.

Ex parte autem passi, scilicet corporis mobilis, amovebitur duplex impedimentum: unum ex parte *organorum virtutis motivae,* quod est in iuncturis et nervis; quo impedimento remoto, fit trahibilitas et applicabilitas maior in eis; et amotio istius impedimenti maxime requiritur ad agilitatem in motu progressivo, ad quem movet potentia motiva organice. Aliud impedimentum est in *toto corpore,* quod est repletum humoribus grossis et spiritibus, et caput fumositatibus, et multis talibus, quae reddunt hominem pigrum, et quae non pertinent ad veritatem humanae naturae. Haec autem amovebuntur, et spiritus boni et subtiles dabuntur corporibus gloriosis, per quae reddetur corpus multum agile ad motum, sicut patet per oppositum de corpore mortuo, quod efficitur gravius, non quia plus de quantitate aut materia apponatur, sed quia spiritus vitales corrumpuntur, et humores grossi inducuntur. — *Ib.* n. 11.

Agnomen. — Vid. *Grammat. specul.* n. 62.

A — in. — Graeci utuntur hac praepositione *a* ad significandum negationes et privationes in compositionibus, sicut nos uti-

(1) Vid. *Motus in animantibus duplex.*

mur ista praepositione *in.* * (Ex. gr.: *atheus = sine Deo)* *. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 16. n. 133.

Albedo tripliciter accipitur. — Vid. *Caro tripliciter accipitur.*

Album dupliciter accipitur. — *Uno modo* ut importat formam talem sub tali modo significandi, et hoc per se significat. Unde secundum Philosophum in *Praedicamentis,* album solam qualitatem significat; quod verum est; tamen sub alio modo significandi, quam *albedo.* — *Alio* autem *modo,* ut communiter accipimus per *album,* et huiusmodi concreta, totum compositum ex subiecto et forma. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 27.

Alietas — alius. — Quantum ad Logicam, dico quod haec tria differunt: A est alius *a Deo;* A est alius *deitate,* A est alius *in deitate;* sicut haec tria differunt: *Socrates* est alius *ab homine, Socrates* est alius *humanitate, Socrates* est alius *in humanitate.* In *prima,* cum dicitur, *Socrates est alius ab homine,* negatur universaliter Socratem habere identitatem cum termino, per negationem importatam in ly *alius,* quia *aliud* includit *non identitatem;* igitur terminus ibi praedicatus negatur pro quolibet sui: sed non negatur nisi negaretur respectu cuiuslibet termini; ideo terminus *alietatis* confunditur confuse et distributive; ideo sequitur: *Socrates est alius ab homine; igitur est alius ab isto homine, et ab isto,* et sic de omnibus aliis. Sic etiam sequitur: A *est alius a Deo; igitur est alius a qualibet Persona divina.* — In *secunda* cum dicitur, *Socrates est alius humanitate,* humanitas significatur esse *formalis ratio* differentiae. Sic non est in prima, quia in ipsa *homo* significatur esse *terminus* differentiae; in hac autem secunda notatur esse *formalis ratio* differentiae universaliter, sic quod in nullo individuo illius naturae convenit, quia est aliud individuum alterius naturae, per illam formam, per quam *hoc* differt ab *illo.* Unde nota, quod licet ratio formalis alietatis stet universaliter quantum ad negationem inclusam, unde sequitur: *Socrates est humanitate alius a Brunello; igitur in nullo individuo sunt idem, nec conveniunt in humanitate;* tamen illa ratio formalis differentiae non stat universaliter quantum ad illam affirmationem ibi inclusam. Unde non sequitur: *Socrates differt a Brunello humanitate; ergo differt ab illo « hac humanitate »,* scilicet *Platonis,* quia *antecedens* est verum, et *consequens* falsum, quia in *consequente* significatur quod *humanitas Platonis* sit formalis ratio differentiae, qua Socrates a Brunello differt. — In *tertia,* cum dicitur, *Socrates est alius in humanitate,* alietas ibi ponit suum determinabile esse commune utrique extremo, et distingui sive dividi in ipsis extremis, et ideo haec non est vera: *Socrates in humanitate est alius a Brunello,* quia non dividitur humanitas in eis, nec est commune eis. Sed haec est vera: *Socrates in animalitate est alius a Brunello,* quia animal commune est eis et dividitur in eis. Unde in hac tertia propositione, *alietas* connotat aliquam *convenientiam* extremorum in suo determinabili, et tamen notat aliquam *non identitatem* eorum in eodem determinabili. — *Oxon.* I. d. 4. q. 1. n. 2.

Aliquid — Res. — *Aliquid* et *res* convertuntur, secundum Avicennam, I. *Metaph. suae.* Cuius ergo est aliqua aliquitas, illud formaliter est res. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 4. n. 4.

Aliquis. — Vid. *Omnis — unusquisque,* etc.

Aliquitas — Esse. — *Esse* est id, quo res est; et id quo res est *aliquid, hoc* vel *illud,* est *aliquitas,* sicut homo est *aliquid* humanitate, scilicet homo, sed non *esse;* unde in humanitate non includitur *esse.* Tunc dico, quod homo *humanitate* est homo, ita quod humanitas est *aliquitas* tantum, et nulla distincta ab *esse;* sic aliquitas nullum *esse* sibi determinat, nec erit in intellectu *ens rationis,* nec *esse* ratum. — *Collat.* XXXV. n. 9. — *Aliquitas* non determinat sibi intentionem opinabilis, nec ratitudinis, nec rationis, sed determinat sibi *esse* significabile per nomen *aliquitas.* Nec est aliquid absolutum, nec respectus, sed tantum *aliquitas.* Et significabile per nomen *aliquitas,* aut est aliquid positivum, aut non? Dico, quod positivum; sed per illud positivum non intelligo nec ens absolutum, nec respectum, sed

tantum significabile per nomen. — *Ib.* n. 11. — *Oxon.* I. d. 3. q. 5. n. 9. *Quae omnia dicta videntur in sententia Henrici Gandavensis.*

Aliter se habere. — Vid. *Mutatio.*

Alogus. — *Alogi* Evangelium Ioannis * nollunt recipere *, quia negant Dei Filium esse Verbum; et ideo dicuntur *alogi*, ab α, quod est *sine*, et λογος, *verbum*, ut dicit Augustinus in *lib. de haeresibus.* — *Miscell.* q. 6. n. 5.

Alteratio — Augmentatio — Latio. — Motus *ad qualitatem* appropriato nomine vocatur *alteratio;* et dico notanter *appropriato*, quia quilibet motus dicitur ab *aliter se habere*, et sic est nomen commune cuilibet motui, licet approprietur motui ad qualitatem. — Sed motus *ad quantitatem* non nominatur uno nomine, sed denominatur *augmentatio*, vel *diminutio*. — Motus autem *secundum locum* non habet aliquod nomen commune; vocatur tamen *latio;* sed hoc est improprie, quia proprie loquendo *latio* solum dicitur de illo, quod movetur motu vehitionis, sicut quando homo movetur in navi. — *Physic.* V. Exposit. text. 18. n. 20. — Vid. *Transmutatio multiplex* = *Transsubstantiatio.*

Alteratio duplex. — De quibusdam alterationibus *satis patet*, quod constituunt alteratum extra speciem aquae, puta de humoribus naturaliter resolutis per digestionem, ut saliva, urina, et huiusmodi, iuxta illud *Extra, De Baptismo et eius effectu: Non ut apponeres.* — De aliis autem *non est ita manifestum*, puta de decoctionibus et admixtionibus secundum sensum, in quibus non apparet evidenter, quod sit alterata species, ut patet de brodio carnium, et farinata, et cervisia, et medone, et huiusmodi. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 3. n. 5.

Alteratio — Mutatio — Productio. — Est terminus *alterationis* et *mutationis;* terminus autem alterationis est forma, et similiter *mutationis*, non tamen *productionis*. Ubi intelligendum, quod *mutatio* est per se mutabilis, *alteratio* alterabilis, et *motus* mobilis. Illud autem dicitur proprie *alterari* et *mutari*, quod de non *tali* fit *tale*, puta, de non *albo album*, de non *noscente noscens;* forma ergo qua fit tale, proprie est terminus mutationis; non tamen * haec forma * mutatur, sed tantum mutabile mutatur. — *Productio* autem proprie est solius termini cui per productionem acquiritur esse. Cum ergo forma, quae est mutationis terminus, non habeat *esse* proprie, sed sit illud, quo compositum habet *esse*, ideo ipsa non dicitur *produci*, nec iste terminus productionis, sed tantum compositum, sive illud compositum sit ens *per se*, sive *per accidens*. Et huiusmodi differentia patet; quia de termino mutationis, vel de forma non dicitur, quod mutetur, vel alteretur, sed est terminus mutationis tantum; de termino autem generationis et productionis dicitur, quod est generatus et productus, sive generatur et producitur. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 34.

Amare — Odire. — Vid. *Voluntas in Deo multipliciter accipitur.*

Amicitia — In ordine ad alterum potest aliquis primo recte se habere, communicando se illi quantum potest se communicare. Virtus inclinans ad * hoc * est *amicitia*, qua quis dat seipsum proximo, quantum potest se dare, et in quantum potest proximus habere eum; et haec est perfectissima virtus moralis; quia tota iustitia est perfectior his quae sunt ad seipsum, et haec est perfectissima iustitia. — *Oxon.* III. d. 34. n. 17. — II. d. 6. q. 2. n. 3. — Quia actus amicitiae inest voluntati secundum quod habet affectionem iustitiae. — *Ib.* IV. d. 49. q. 5. n. 3. — Vid. *Beatitudines* = *Concupiscibile — irascibile* = *Charitas* = EFFATA: *Amicabilia ad alterum*, etc.

Amicitia acquisita — infusa. — Posset dici, quod amicitia *acquisita* et *infusa* est alius et alius habitus formaliter. — *Oxon.* III. d. 26. n. 22.

Amicitia — Concupiscentia. — Actus *concupiscentiae* non est, nec esse potest, primus actus voluntatis respectu finis, quia omne concupiscere est virtute alicuius actus *amicitiae;* ideo enim concupisco huic bonum, quia amo hunc, cui concupisco. — Actus *amicitiae* inest voluntati, secundum quod habet affectionem *iustitiae*, quia si solam affectionem *commodi* haberet, non posset

nisi sibi summe commoda velle, secundum Anselmum, 14. *De casu diaboli;* actus autem *concupiscentiae* inest voluntati secundum quod habet affectionem *commodi,* quia necessario inest secundum illam, etiamsi sola illa inesset. — Actus *amicitiae* tendit in obiectum, ut est *in se* bonum; actus autem *concupiscentiae* tendit in illud, ut est bonum *mihi.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 5. n. 3. — Vid. *Affectio iustitiae — commodi = Voluntatis actus multiplex.*

Amicitia consanguineorum — coniugum. — Alia est amicitia *consanguineorum,* et alia *coniugum.* Illa *consanguineorum,* maxime in linea *recta,* est *reverentiae* quantum ad descendentes respectu superiorum; et cuiusdam *regiminis* seu *praesidentiae,* * quantum ad descendentes respectu inferiorum *. E converso amicitia *coniugum* est sine tali reverentia. — *Oxon.* IV. d. 40. n. 6. — *Report.* ib. d. 42. n. 36.

Amicitia — Desiderium. — Praeter actum *desiderii,* qui est respectu non habiti, quo viator iustus appetit Deum actu concupiscentiae, habet iustus alium actum *amicitiae,* volendo Deo in se bene esse; et hic actus amicitiae est fruitio, non autem ille, qui est desiderii; et iste secundus proprie est charitatis, non autem primus, qui est desiderandi. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 7.

Amicus — inimicus — non amicus. — Dici potest, quod inter *amicum* et *inimicum* est dare medium, scilicet *nec amicum, nec inimicum,* positive, negative non. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 29.

Amor adaequatus. — Intelligo per *amorem adaequatum* * aliquo obiecto * amorem tantum quantum potest * quis * habere respectu talis obiecti. — *Report.* I. d. 10. q. 1. n. 4.

Amor extensivus — intensivus. — Vid. *Charitas.*

Amor immoderatus. — Amans aliquod bonum *immoderate* vult illud immoderate esse magnum bonum, imo maximum; et ideo *immoderate,* quia absque eo quod velit aliquid advenire, per quod crescat, vult illud maius esse in se, quam sit; et quando non potest ad hoc attingere, ut illud in se sit maius quam est, quia hoc est impossibile, vult ex consequenti illud esse maximum: vel in *comparatione,* ut scilicet praesit bonis aliorum; vel in *opinione,* ut scilicet opinentur bonum suum esse maximum. Ideo voluntas praeeminendi vel dominandi super alios omnes sequitur illud *velle,* quo quis vult immoderate bonum suum. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 14.

Amor triplex. — *Frui* * in his August. *83 Quaest. q. 30 « fruendum est invisibilibus »* * accipitur extensive pro amore *honesti,* distincte contra amorem *utilis* et *delectabilis.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 6. — Convenit amare amore *honesti,* vel *utilis,* vel *delectabilis.* — *Report.* II. d. 6. q. 2. n. 6. — Non est nisi iste triplex amor, quo aliquid amatur. — *Oxon.* ib. n. 5.

Amphibologia. — Ad *Amphibologiam,* sicut ad quemlibet alium locum sophisticum, duo requiruntur, scilicet: *apparentia,* et *non existentia.* Si enim aliquid appareat, et simul cum hoc existat, deceptionem non causat. Similiter, si aliquid non existat, nec apparentiam habeat, nullam causabit fallaciam. — *Elench.* q. 19. n. 4.

Cum Amphibologia operetur actualem multiplicitatem, secundum Alexandrum, necesse est amphibologicam orationem sub uno actu proferendi diversos sensus repraesentare. — *Ib.* q. 20. n. 3. — Cum * autem *, Amphibologia operetur *actualem* multiplicitatem (1), quae provenit ex diversitate sententiae: diversitas autem sententiae haberi potest sine *diversa ratione construendi;* concludendum est ergo, quod ad Amphibologiam non requiritur diversitas constructionis. — *Ib.* q. 19. n. 5. — Ad illam requiritur unitas vocis secundum materiam et formam, et diversitas sententiae. — *Ib.* n. 6. — *Unitas vocis complexae secundum materiam et formam* est sufficiens principium distinguendi Amphibologiam a quolibet alio loco sophistico *in dictione,* et *extra * dictionem *.* Per hoc enim, quod eius apparentia accipitur *ex parte vocis,* distinguitur a locis *extra dictionem;* et per hoc, quod dicitur *secundum materiam* et *formam,* distinguitur a *compositione,* et *divisione,* et *accentu;* et per

(1) Vid. *Multiplicitas duplex.*

hoc, quod est ibi vera *multiplicitas*, distinguitur a *figura dictionis*, ad quam non exigitur nisi unitas phantastica. Per hoc quod dicitur, *vocis complexae*, ab *aequivocatione* distinguitur. Est enim complexum sufficiens principium distinguendi ipsam *Amphibologiam* ab *aequivocatione*. — *Ib.* q. 19. n. 2.

Amphibologiae modus triplex. — Tres sunt modi *Amphibologiae*, et tres *aequivocationis;* tertius tamen modus assignatus a Philosopho non est communis utrique fallaciae. Duo tamen modi communes sunt utrique. Nam *primus modus* est, ut dicit Aristoteles, quando *dictio*, vel *oratio significat plura*. *Secundus*, quando *est translatio a propria significatione ad impropriam*. Unde Aristoteles dicit, quod secundus modus resultat ex hoc, quod soliti sumus sic dicere. Et iuxta secundum modum *aequivocationis* sic fiunt paralogismi: *Quidquid ridet habet os: pratum ridet; ergo* etc. *Ridere* enim proprie significat actum hominis; et propter aliquam similitudinem transfertur ad floritionem in pratis. Iuxta secundum modum Amphibologiae sic fiunt paralogismi: *Quandocumque litus aratur, terra scinditur: sed quandocumque indocilis docetur, litus aratur; ergo quandocumque indocilis docetur, terra scinditur. Arare* enim significat proprie *scissionem* terrae; sed ille qui arat litus *amittit tempus suum;* ideo propter istam similitudinem transfertur ad *amissionem temporis*. — *Tertius modus aequivocationis* est *ex eo, quod aliqua dictio plura consignificat, ut laborans*. Similiter tertius modus *Amphibologiae* est quando *oratio de se significat unum*, et *ipsa eadem iuncta alteri significat plura*, ut *scit seculum*. — *Elenchor.* q. 22. n. 6. — Differentia est inter *tertium* modum Amphibologiae et *primum*, quia primus est, quando oratio *primo* et *principaliter* plura significat; tertius autem modus est, quando oratio significat plura *ut ad aliud habeat relationem*. — *Ib.* n. 4. — Vid. *Aequivocationis modus triplex. = Fallaciae diversae.*

Analogia. — Quae analogantur in aliquo primo, illud est *realiter* in uno primo, et in aliis non, nisi *per attributionem* ad illud. Patet de *sanitate*, quae est realiter in animali, et in urina non nisi per attributionem ad illud aliud. — *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 2. — Hoc est falsum, quia si ita est in uno exemplo, in centum est contrarium; nulla enim maior est analogia, quam sit creaturae ad Deum in ratione essendi: et tamen sic esse primo et principaliter convenit Deo, quod tamen *realiter* et univoce convenit creaturae. Simile est de bonitate, et sapientia, et huiusmodi. Gradus etiam sunt in perfectionibus specierum, et per attributionem se habent ad aliquam perfectionem; et tamen non est tota perfectio in una, nec etiam tota entitas in substantia, ita quod accidens non sit ens, nec habeat formalem entitatem, quamvis per attributionem se habeat ad substantiam (1). — Nec etiam exemplum multum valet, quia non est idem conceptus sanitatis, qui dicitur de urina, et de animali, et de dieta. Nam non est idem formalis conceptus sanitatis, ut est aequalitas humorum, et ut est quid causativum sanitatis, vel significativum sanitatis, licet in utroque materialiter includatur formalis conceptus sanitatis. Et tunc dico, quod huiusmodi conceptus sunt formaliter diversi in illis, de quibus dicuntur. Nam causativum sanitatis est formaliter in dieta, vel in tali potione, vel herba; significativum in urina est; et hi conceptus formaliter diversi ordinantur ad istum conceptum sanitatis, qui est aequalitas vel proportio humorum, quae ut sic formaliter est solum in animali. — *Ib.* n. 8. — Vid. *Aequivocum a casu — a consilio = Terminus analogus = Univocum — aequivocum — analogum. = Unitas generis — analogiae.*

Analogiae modus triplex. — Ponitur *analogia* in voce *tripliciter:* vel quia significat *unam* rationem primo, quae *existendo diversimode* convenit duobus, vel pluribus, quae dicuntur *analogata;* sicut hoc nomen *causa* (2), et hoc nomen *principium* (3), et multa alia nomina, quae distinguuntur in

---

(1) Vid. *Accidens.*

(2) Vid. verb. *Causa* in suis diversis acceptionibus.

(3) Vid. *Principium*, etc.

V. Metaph. significant unam rationem primo; tamen illa est in diversis secundum ordinem. — *Alio modo* ponitur analogia in vocibus; quia unum significatur *per prius*, per vocem, et reliquum *per posterius;* cuius causa ponitur, quia significare sequitur intelligere; quod igitur per prius intelligitur alio, si significetur per eamdem vocem per quam et illud aliud, per prius significabiur. — *Tertio modo,* quia vox uni imponitur *proprie;* et propter *aliquam similitudinem* ad illud, cui primo imponitur, transfertur vox ad significandum aliud, sicut est in secundo modo aequivocationis, ubi etiam est quodammodc ordo in significando, quia nunquam vox transfertur ad significandum aliquid, nisi supponatur ipsam impositam esse ad significandum aliquid proprie; et hoc secundum significat solum propter aliquam similitudinem eius, ad illud cui primo imponitur. — *Super Praedic.* q. 4. n. 4.

Secundus modus Analogiae supradictus videtur impossibilis; quia contingit ignorare simpliciter prius quando nomen imponitur posteriori; quia posterius *simpliciter* potest esse *nobis* prius, et ita prius intelligi, et prius significari. Si ergo secundo, vox ista imponatur priori simpliciter, manifestum est, quod non significabitur per posterius illud cui primo imponitur; quia illud semel significavit primo; igitur semper; vox enim postquam imposita est non mutatur in significando illud, cui imponitur; igitur ordo rerum non concludit ordinem in significatione vocum. — *Ratio posita ad hoc non videtur valere;* quia significare non sequitur intelligere necessaria consequentia, sicut effectus necessario causam requirit; quia aliquid potest intelligi prius alio tempore et natura, nec tamen tunc significari; non enim necesse est, ut intelligens vocem imponat ei quod intelligit; sed adhuc est ad placitum, ut imponat, vel non. Sed ista propositio, *significare sequitur esse,* intelligenda est, ut illud *sine quo non,* quia non potest aliquid significari, nisi prius intelligatur; sed nec sequitur necessario, nec quoad consimilem ordinem in intelligendo et significando. — *Ib.* n. 5.

Analogum logicum — metaphysicum. — Vide *Aequivocum logicum—metaphysicum.*

Angelorum auditio — visio. — Qualis actus intelligendi est iste actus, qui dicitur *auditio?* — Respondeo: *quadrupliciter* potest Angelus intelligere *A*, praeter visionem ipsius in Verbo, videlicet: *intuitive in se, intuitive in intellectu alterius Angeli* cognoscentis illud, et *abstractive* per speciem habitualem concreatam vel acquisitam. Et nulla istarum intellectionum est *auditio,* quia nulla est per se expressa ab intelligente, inquantum intelligens est; imo accidit, quod obiectum movens sit intelligens; aeque enim moveret si non esset intelligens; et in omnibus istis, si aliquis intellectus causet, est intellectus ipsius intelligentis, non alterius, et ipsum obiectum concurrit ibi cum intellectu ut causa partialis.

Quarto modo potest iste cognoscere *A* ita, quod intellectio fiat in eo per intellectum alium exprimentem, et intellectus istius nullam habeat causalitatem respectu actus, sed tantum sit passivus. Ista autem sola cognitio est *auditio,* et est expressa ab intelligente, inquantum intelligens est.

Patet ergo differentia *auditionis* ab illa triplici cognitione, quae communiter potest dici *visio:* quia in auditione intellectus audientis *tantum est passivus,* et quicquid est in eo, ita quod si habet speciem habitualem ipsius auditi, illa species etiam non agit ad auditionem. Quicquid etiam est sibi praesens, ut est sibi praesens, nihil agit ad eam; nam si intuitive esset idem singulare sibi praesens, quod est praesens loquenti, illud ut praesens sibi non gigneret in eo auditionem, sed solum gigneret in eo visionem. Solummodo ergo intellectus loquentis, vel quae sunt in ipso, ut in ipso, vel praesentia sibi, ut sibi, sunt activa respectu auditionis; et hoc non ut proximi effectus; nam prius causant ista praesentia loquenti intellectionem actualem in loquente, quam causent illam auditionem in audiente. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 22.

Angelorum cognitio duplex. — Angelus potest habere cognitionem tam *abstractivam,* quam *intuitivam,* secundum rationem propriam; non enim neganda est perfectio ab illo intellectu, ad quam negandam non habetur ratio manifesta. Perfectionis autem

est in intellectu posse distincte cognoscere singulare; alias non competeret intellectui divino. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 34. — Vid. *Cognitio Angelica quadruplex.*

Angelorum illuminatio. — Dico, quod *illuminatio* in Angelo est *quaedam locutio de vero perfectiva in esse secundo.* Sicut enim non omnis intellectio est simpliciter perfectio angelici intellectus, sed visio Verbi, et non visio quidditatum, sive per species habituales, sive intuitive, sic nec omnis cognitio singularium, alia a visione Verbi, et a cognitione quidditatum, aeque perficit intellectum angelicum quasi secundario, sed visio veri revelati perficit in esse secundo. Non autem sic cognitio singularis in genere proprio.

Dico tunc, quod Angelus superior, cui secundum communem cursum revelatur primo aliquid particulare, causat in inferiori conceptum quemdam de illo revelato, qui dicitur *auditio* (1), et hoc causare, quod est quoddam speciale loqui, est *illuminare.* Probabile etiam videtur, quod Angelus illuminans aliquid causet in illuminato, et non in se, quia ipse Deus illuminans primum Angelum nihil causat in seipso, sed in Angelo illuminato. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 25.

Angelorum locatio. — Vide *Locatio corporis — Angeli.*

Angelorum locutio. — * Tripliciter potest considerari, nempe: inter seipsos, cum Deo, et cum hominibus *. *Primo* videndum est de locutione Angelorum * inter seipsos *, videlicet: *primo* quomodo loquens *cognoscat* illud de quo loquitur: *secundo,* quomodo illud ab uno cognitum possit *alium latere: tertio,* quomodo *fit ei patens* per aliquam rationem, quando loquendo ei exprimit illud.

Quantum ad *primum* dicitur * ab Henrico, *Quodlib.* 2. q. 8. et *Quodlib.* 5. q. 15 *, quod Angelus cognoscit singulare, non primo, nec per aliquam rationem propriam, sed per universale concreatum suo intellectui. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 4. *ubi late exposito modo explicandi Henrici, subiungit:*

Et ex hoc etiam apparet *secundum,* quomodo scilicet potest Angelum aliquem latere intellectio huius Angeli de singulari. Nam, secundum istam positionem, eadem apprehensione antiqua, qua apprehendebat prius quidditatem sibi obiectam in habitu absolute, comprehendit eam modo in quocumque fuerit, sive existens, sive revelata, quia in nullo potest eum latere, sed solum prius conceptum modo concipit sub novo respectu. — *Ib.* n. 7. *ubi latius prosequitur in proponenda Henrici doctrina.*

De *tertio* dicitur, quod sicut signata singularia a nobis cognita nos alteri loquendo exprimere non possumus, nisi exprimendo singularia *vaga,* cum quibuscumque proprietatibus et accidentibus designantur, sic nec potest unus Angelus, sub eadem signatione, sub qua ei revelatum est, alteri loquendo manifestare, sed format alteri conceptum novum realiter alium, de singulari vago, quem quidem conceptum alius intellectus angelicus videt in intellectu ipsius Angeli, quasi legens in libro, quo immutetur intellectus Angeli videntis ad percipiendum illud, non tamen ut est aliquid in se, sed ut est aliquid latens, sicut est in sermone nostro. — *Ib.* n. 8.

Praefatis Henrici assertionibus invictis rationibus exclusis, quid sit Angelorum locutio ita declarat Doctor:

Angelus loquitur Angelo causando in eo conceptum immediate illius obiecti, de quo loquitur; ad quod pono duas rationes, * *quae videri possunt ib.* n. 15. seqq. * — Ad ulteriorem autem declarationem propositi, restant duo intelligenda: *primo,* quid gignatur in intellectu audientis ab Angelo loquente: *secundo,* qualiter Angelus potest loqui uni, et non alteri, si sint aeque praesentes. — De *primo* dico, quod potest causare actum tantum, ita quod non speciem; et potest causare simul actum et speciem; et potest causare tantum speciem. — *Ib.* n. 20, *ubi praedicta declarat et probat.* — De *secundo* dico, quod sicut in potestate Angeli est quantum ad primam intellectionem uti hac specie in memoria, vel illa ad illam intellectionem actualem istius vel illius, ita si haberet plures intelligentias, esset in potestate eius, quod notitia gigneretur in ista intelligentia, vel in illa. — *Ib.* n. 24, *ubi hoc probat.*

(1) Vid. *Angelorum auditio — Visio.*

Angeli conceduntur *loqui Deo*, et tamen non possunt aliquid sibi facere manifestius quam prius; nec etiam aliud, vel alio modo manifestum quam prius. — *Ib.* n. 27.

* Quantum autem ad locutionem Angelorum cum *hominibus* *, manifestum est, quod Angelus potest docere hominem, sicut homo facit, sed perfectius, sive utendo signis ad placitum institutis, et hoc in corpore assumpto, vel modo alio, formando talia signa, vel utendo signis naturalibus, scilicet ipsis rebus, adhibendo eas praesentes sensibus, a quibus sensus ordinate mutantur, et ex eis phantasmata ordinate generantur, et sic ulterius ex eis species intelligibiles ordinate abstrahuntur. — *Ib.* d. 11. n. 5.

Angelorum missio multiplex. — Absolute concedenda est auctoritas Apostoli, ad Hebraeos 1: *Omnes sunt administratorii Spiritus;* sed distinguendum est de missione *intra* et *extra:* secundum enim communem processum et ordinem, revelantur maiora Dei mysteria superioribus * Angelis * prius, quam inferioribus, et ita superiores mittuntur ad inferiores, loquendo et illuminando eos *interius,* ad illa revelata nuntianda hominibus, vel explenda; et ita non omnes communiter mittuntur *extra,* et sic possunt exponi omnes auctoritates dicendo, quod omnes mittuntur *extra,* vel *intra.* — *Oxon.* II. d. 10. n. 2. — *Report.* II. d. 10. q. 2. n. 2. — * Insuper * patet ex Scriptura, quod Angeli mittantur quandoque *cum corpore assumpto;* similiter credibile est, quod frequenter missi sint *sine corpore.* — *Oxon. ib.* d. 2. q. 9. n. 8.

Angelorum Morae. — Necesse est ponere ad minus tres *moras* * Angelorum *: unam scilicet, in qua *omnes in termino* sunt; et aliam, in qua *boni ultimate merentur,* et *mali demerentur;* tertiam, in qua *omnes creati* sunt uniformes. — Possunt etiam poni probabiliter quatuor *morae.*

Si concedatur ista propositio, quod *quilibet peccans aliquando fuit in gratia,* sequitur ergo necessario, quod illae tres morae si ponantur, erunt istae: *prima* mora est *omnium in gratia;* et secunda istorum *bonorum in merito,* et istorum *malorum in demerito;* in tertia *omnes in termino.* — Vel si dicatur eos aliquando fuisse *in puris naturalibus,* necesse est tunc ponere *quatuor moras,* ita quod *omnes* in prima mora fuerunt *in puris naturalibus;* in secunda, *omnes in gratia,* et meruerunt *boni,* et *mali* demeruerunt; in tertia, *boni perseveraverunt in bono,* et *mali in malo;* in quarta, et *isti,* et *illi in termino.* — Et ista ultima via de *quatuor moris* salvat plures status in eis, et plures affirmativas auctoritates. Quae pluralitas si non placeat, quia non habet necessitatem evidentem, saltem ad minus *tres moras* prius assignatas probabile est ponere.

Quantae fuerunt istae morae? Quamvis aliqui ponant eas esse diversa instantia temporis discreti, tamen *ex dist.* 2. patet, quod propter nihil in Angelis oportet ponere tempus discretum, sed diversa *nunc* aevi. — Sed quibus correspondebant ista *nunc aevi* in tempore nostro continuo? Dico, quod ultima mora, scilicet existendi in termino, correspondet toti tempori post instans primum beatitudinis bonorum, et damnationis malorum. Mora tamen prima, in qua erant uniformes, potest poni coextitisse instanti nostro, vel parti temporis nostri; et secundum hoc consequenter oportet ponere de secunda mora. Si enim prima mora coextitit tempori, et ultimo instanti eius; igitur secunda mora non habuit aliquod primum instans in tempore nostro correspondens sibi. — *Oxon.* II. d. 5. q. 1. nn. 6. 7. 8, *ubi diversos refert modos ponendi has Moras, quarum naturam subtiliter describit.* — Vid. etiam *Report.* hic, d. 4. *per tot.*

Boni et mali fuerunt ad invicem discreti in via, aliter non fuissent discreti finali discretione in termino. In via ergo fuerunt necessario *morae duae.* Prima, in qua fuerunt *uniformes in gratia* (si volumus dicere, quod mali habuerunt gratiam), vel *uniformes* saltem *in natura.* — Secunda mora, in qua adhuc in via existentes, fuerunt *difformes,* ita scilicet, quod isti ultimate meruerunt, et isti ultimate demeruerunt. — Tertia mora fuit *distinctio finalis* unius ab alio necessario. — Probabile est etiam, quod in secunda mora, in qua fuerunt difformes in via, fuerunt multae *morulae,* quia mali

peccaverunt multis speciebus peccati, scilicet superbia, odio, et invidia; et isti actus ordinate, et non in eodem instanti fuerunt eliciti, ut patet *distinct. 5. in principio*, et est ibi auctoritas Augustini.

Sed de prima mora, in qua fuerunt uniformes, potest probabiliter sustineri, quod in primo instanti fuerunt uniformes in statu naturae, creati sine gratia; postea in secundo instanti erant in gratia uniformes; et postea in tertio instanti viae mali multipliciter demeruerunt, et boni multipliciter meruerunt; et in quarto fuerunt in termino. Et hoc videtur rationabile, quia sic experti erant de omni statu, et maiorem occasionem habebant intensius eliciendi actum meritorium postea, cum simul habebant gratiam, ex hoc, quod experti erant, quod ex naturalibus in primo instanti hoc non poterant. — Vel potest dici, quod primo erant uniformes creati in gratia, et in secundo instanti boni meruerunt, et mali demeruerunt ante terminum, quia Deus non discernit eos antequam fuissent inter se discreti. — *Oxon.* II. d. 5. q. 2. n. 15.

Angelorum motus. — Concedo, quod * Angelus * potest a se localiter *moveri.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 2, *ubi hoc pluribus evincit.* — Patet ex Scriptura, quod Angeli mittantur quandoque cum corpore assumpto; et si tunc corpore movebantur, videtur, quod tunc fuerit aliqua motio passiva ipsorum, alia formaliter ab ipsa motione passiva ipsius corporis, quia non erant formaliter aliquid ipsius corporis. Similiter, credibile est, quod frequenter missi sint sine corpore, sicut de illo misso ad Ioseph, de conceptu Beatae Mariae dubitantem. — *Ib.* q. 9. n. 8.

Angelus movet *libere.* — *Ib.* q. 8. n. 3. — Et *continue.* — *Ib.* q. 9. n. 8 et 42. — De motu * autem * *continuo* Angeli dico, quod non potest transire continue ab uno extremo in extremum, nisi pertranseundo per tale medium, *quod est aliquid utriusque extremi,* quia tale medium est ratio continuitatis inter extrema transita, sicut apparet ex definitione *medii, X. Metaph.* (1). — Si autem loquamur de motu *indivisibili,* dico quod in tali motu potest pertransire ab extremo in extremum immediatum, non transeundo per medium, quod est aliquid utriusque extremi; imo necesse est hoc, quia si transiret per tale medium, continue transiret, et non instantanee. — Sed de extremis distantibus habentibus medium *distinctum* ab extremis, est dubitatio. — *Ib.* q. 12. n. 2.

(1) Vid. *Medium.*

Angelum esse imaginem Dei est dupliciter. — Ad illud, quod Angelus est imago, dico, quod aequivocatur de imagine, quia non est talis imago quae sit praecise *ratio cognoscendi,* non ut cognita; sed est imago habens *similitudinem* naturalem aliquo modo in cognoscendo, et in ratione cognoscendi, ut cognita. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 17. — Vid. ib. n. 5. et 15, ac *Imago dupliciter accipitur.*

Angelus. — Angelus est simpliciter *per se* subsistens; * quia * est perfectus in specie perfecta, imo perfectiori quam sit aliqua species substantiae materialis: nunc autem aliqua substantia materialis est ita in actu ultimo, quod non est per se ordinabilis ad aliquem actum ulteriorem; ergo multo magis Angelus est per se subsistens, secundum intellectum praedictum, (* quod exponitur infra, *Ens per se tripliciter dicitur* *). — *Quodlib.* q. 9. q. 3-4. — Sed Angelum esse *ens a se* non tantum est simpliciter falsum, sed etiam valde absurdum. — *Ib.* q. 7. n. 38, *ubi plene hoc demonstrat.* — Cf. ib. q. 9. n. 4. seqq. — *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 10. et *pluribi.* — Essentia Angeli est immaterialis secundum se. — *Oxon.* ib. q. 8. n. 7.

Angelus — Anima. — Conclusio est certa, scilicet, quod *Angelus* et *anima* differant specie, quia formae eiusdem rationis habent eamdem rationem perficiendi, et non perficiendi: sed anima naturaliter est perfectiva corporis organici ut forma; Angelus autem naturaliter est non perfectio alicuius materiae; igitur, etc.

Sed quae sit prima ratio huius distinctionis specificae? Dicitur ab aliquibus, quod unibilitas ad materiam. — *Contra,* forma est finis materiae, ex *II. Physic.,* * text. c. 23. * (1) et ideo distinctio materiae est

(1) Cf. exposition. Doctoris, n. 16.

propter distinctionem formae, et non e converso.

Aliter dicitur, quod gradus intelligendi maior vel minor in Angelo et anima est principium distinctivum unius ab alio. — *Oxon.* II. d. 1. q. 5. n. 2, *ubi reiecta hac opinione, pergit* n. 4.

Licet natura angelica sit principium intelligendi et volendi, et anima similiter, tamen primum hic et ibi est *haec* natura et *illa* natura *ad se*. Et ista distinctio prima est, ad quam sequitur illa distinctio principiorum operandi, sive eiusdem actus, sive operationum aliarum. Quia enim est *haec* natura, ideo est principium *talis* operationis, et non e contrario. Ita dico in proposito, quia Angelus est *talis* natura *ad se*, et anima *talis* natura *ad se*, ideo primo distinguuntur specie; non quidem sicut duae species, sed sicut species et pars speciei, quia anima non est proprie species, sed pars speciei * humanae *; et ipsa est prima ratio distinguendi suam speciem, cuius pars est, ab Angelo; et ideo prima ratio distinctionis specificae ex parte speciei suae est in ipsa. — *Ib.* n. 5.

Angulus incidentiae. — Vid. *Linea incidentiae*, etc.

Anima. — Aristoteles definit animam *II. De Anima*, quod *est actus corporis physici organici potentia vitam habentis.* — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 5. — Ubi statim ponit *corpus*, quod est perfectibile ipsius * animae *, vel totum compositum, cuius ipsa est pars; nec aliquid ponit pertinens ad essentiam animae, sed tantummodo hoc, quod est *actus*, quod significat respectum animae ad illud cuius est forma. — *Ib.* d. 12. q. 1. n. 19. — Cum dicitur a Philosopho, *VII. Metaph. cap. De part. diff.*, quod anima est *substantia* animalium, et *quod quid erat esse*, dico, quod accipit *substantiam* et *quod quid erat esse* pro notiori parte definitionis * animalis *, non autem pro tota definitione. Quod probo per eumdem glossantem se *infra*, et *eod. cap. Siquidem altera, et non est anima animal, et sic quidem hoc dicendum, hoc autem non dicendum, sicut dictum est.* Sicut ergo vult, quod non est anima animal, sic nec est definitio animalis, sed principalis pars; ideo dicit *sic autem dicendum, sic autem non,* ita quod uno modo est definitio, alio modo non. — *Ib.* III. d. 22. n. 17. — Cf. *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. Sum. 2. cap. 11. n. 88. — Vid. infr. *Homo.* — *Quod amplius per sequentia confirmatur et declaratur:*

Habens omnino idem esse non videtur simpliciter imperfectum, per hoc quod non communicat alteri illud esse. Si ergo animae esset idem esse quod et totius, quare anima separata esset imperfecta in essendo, cum tunc nihil sibi tollatur, nisi quod suum esse non communicat alteri? quare etiam idem esse habens anima esset imperfecta in essendo, et totum habens esse esset perfectum in essendo? quomodo etiam manet esse totius, nisi maneat totum habens illud esse? Dico ergo, quod esse animae manet idem dum anima manet ens illo esse; et hoc sive sit coniuncta, sive separata. Et consimiliter videtur, quod esse totius non manet idem, nisi dum totum manet in illo esse; quia nullius esse actuale videtur manere idem, nisi manente illo actualiter habente illud esse.

Videtur ergo ista neganda, quod esse animae est idem quod esse totius; quia anima habens esse videtur pars totius habentis esse; consimiliter videtur esse se habere ad esse.

Et illa probatio quae adducitur ad propositum, scilicet quod anima remanet in suo esse, non sic aliae formae, non concludit propositum; imo oppositum; ideo enim remanet in suo esse, quia esse eius est omnino incorruptibile, et per se, et per accidens: videretur autem corruptibile, si esset idem cum esse compositi; compositum enim vere corrumpitur; sicut enim generatio videtur terminari ad esse generati, ita esse corrupti videtur esse terminus *a quo* corruptionis, et per consequens non manere.

Aliae autem formae materiales non manent in suo esse, corrupto toto, non quia esse earum non fuerit aliud ab esse compositi corrupti, sed quia ipsae corrumpuntur per accidens; hoc autem est, vel quia agens corrumpens per principium suum activum contrarium illis attingat illas ut contraria, vel saltem attingit compositum corrumpendo ipsum; et formae tales sunt inseparabiles a

composito in essendo. Neutrum autem istorum verum est de anima intellectiva. — *Quodlib.* q. 9. n. 15. seqq.

Quod si dicas, quod animae habent inclinationem ad diversa corpora; *contra*, inclinatio non est entitas absoluta, quia non potest aliquid inclinari ad se; ergo praesupponit aliquam entitatem absolutam et distinctam; quia enim est *haec anima*, ideo habet talem inclinationem, et non e contra; ergo haec inclinatio non est ratio essendi hanc animam, sed praesupponit eam. — *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 4. — Anima naturaliter est perfectiva corporis organici ut forma. — *Ib.* d. 1. q. 5. n. 2. — Aristoteles *II. de Anima*, concludit animam esse actum et formam corporis, quia est principium quo conveniunt ei operationes corporis animati. — *Quodlib.* q. 8. n. 4. — Anima intellectiva est forma hominis specifica. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 4. — Haec est naturaliter nota, et error ei oppositus, qui proprius est et solius Averrois, pessimus est, non tantum contra veritatem Theologiae, sed etiam contra veritatem Philosophiae. — *Ib.* n. 26. et 4. — Anima est forma perfectissima inter omnes formas naturales. — *Ib.* I. d. 2. q. 7. n. 40. — IV. d. 45. q. 2. n. 2.

Animae mutabilitas multiplex. — Anima potest mutari, et mutatur, ab ignorantia ad scientiam, a vitiis ad virtutes, et e converso. — *Oxon.* II. d. 17. q. 1. n. 2. — In anima potest intelligi duplex mutabilitas: una ab *affirmatione* in *negationem*, et e converso, puta ab ignorantia ad scientiam, vel a non intellectione ad intellectionem. Alia quasi a *contrario* in *contrarium*, puta a rectitudine ad deceptionem, et e converso. Anima autem, quoad quaecumque obiecta, est mutabilis *prima* mutabilitate, et per nihil formaliter in ea existens tollitur ab ea talis mutabilitas. Sed non est mutabilis *secunda* mutabilitate, nisi circa illa complexa, quae non habent evidentiam ex terminis; circa illa vero, quae sunt ex terminis evidentia, mutari non potest *secunda* mutabilitate, quia ipsi termini apprehensi sunt causa necessaria conformitatis compositionis ad ipsos terminos. — *Ib.* I. d. 3. q. 4. n. 14. — * Insuper * anima mutabilis est ab uno actu *disparato* ad alium, secundum diversitatem obiectorum, et suam illimitationem et immaterialitatem, quia est respectu cuiuslibet entis. — Similiter ab *actu* in *non actum*, quia non semper est in actu. — *Ib.* n. 24.

Animae operatio triplex. — Anima humana est perfectissima forma, et eius propria operatio secundum intellectum possibilem est *intelligere*, secundum agentem *abstrahere*, et secundum voluntatem *velle*. Nullus modus essendi potest convenire animae, secundum naturam suam, in quo non possit in istas operationes. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 2. n. 2.

Animae perfectio naturalis — suprema. — Anima humana, etsi in quocumque statu, sive scilicet naturae *institutae*, sive *destitutae*, sive *restitutae*, habeat eamdem perfectionem *naturalem*, intelligendo de illa quam ex necessitate naturae requirit, tamen ad perfectionem naturalem *supremam* in solo *tertio* statu attingit, in quo non tantum habebit supernaturalem perfectionem gloriae, sed etiam perfectionem supremam ipsius naturae. — *Quodlib.* q. 14. n. 2.

Animae perfectio triplex. — Anima habet in se aliquam perfectionem, secundum quam formaliter est *actus primus* respectu notitiae genitae; et habet in se aliam perfectionem, secundum quam *recipit* formaliter notitiam genitam; et habet in se aliam perfectionem, secundum quam recipit formaliter *volitionem*. Istae tres perfectiones dicuntur *memoria*, *intelligentia* et *voluntas*, vel anima inquantum habet ipsas.

Anima igitur inquantum habens actum primum totalem respectu intellectionis, scilicet anima vel aliquid animae, et obiectum sibi praesens in ratione intelligibilis, dicitur *memoria*, et hoc memoria perfecta, includendo tam intellectum, quam illud, quo obiectum est sibi praesens; ipsa etiam eadem anima, inquantum recipit notitiam genitam, dicitur *intelligentia*, et intelligentia perfecta, ut est sub illa notitia genita. *Voluntas* etiam dicitur perfecta, inquantum est sub illo actu perfecto volendi.

Accipiendo igitur ista tria ex parte animae, ut sunt sub tribus actibus suis, in istis, inquam, tribus est *consubstantialitas*,

ratione illarum trium realitatum, quae sunt ex parte animae; sed est *distinctio* et origo, ratione istarum actualitatum receptarum in anima, secundum istas realitates in anima. — *Oxon.* I. d. 3. q. 9. n. 3.

Animae potentiae disparatae — subordinatae. — *Potentiarum animae* quaedam sunt *disparatae,* quaedam *subordinatae;* et istarum quaedam sunt in *eodem* genere, ut *apprehensivae;* quaedam in *diversis,* ut *apprehensivae* cum *appetitivis.*

Si autem sunt potentiae *disparatae,* habent obiecta omnino *disparata,* sicut quinque sensus particulares.

Si autem sunt *subordinatae,* et in *eodem* genere, habent obiecta *subordinata;* quia obiectum primum et adaequatum potentiae *superiori* continet sub se obiectum adaequatum *inferiori;* quod tamen est obiectum *per se,* licet non *primum* nec *adaequatum* potentiae *superiori,* quia potentia *superior* potest habere actum suum circa obiectum potentiae *inferioris* adaequatum, et ipsum perfectius cognoscit, quam potentia inferior, sicut sensus *communis album* perfectius cognoscit quam *visus,* quia cognoscit ipsum ut *distinctum* a *dulci;* sic *intellectus* cognoscit quidquid *sensus* cognoscit, et perfectius quam sensus.

Si autem potentiae *subordinatae* sunt *alterius* generis, sicut *intellectus* et *voluntas,* tunc dicendum, quod si sunt *adaequatae,* id est, quod in tot possit una, in quot possit alia, tunc habent *idem obiectum* formale. Si autem non sunt *adaequatae,* quia voluntas non habet actum suum nisi circa finem, et ea quae sunt ad finem, non autem circa *necessaria* et *impossibilia,* quae sunt tantum *speculabilia,* ut conclusiones geometricae, tunc dicendum, quod obiectum *voluntatis* continetur sub octo intellectus. — *De Anima,* q. 20. n. 6.

Animae productio duplex. — Nos ponimus duas productiones: unam de *non esse* animae ad esse eius, et illa est creatio; aliam a *non animatione* corporis ad *animationem* eius, et illa est productio corporis *animati,* et per mutationem proprie dictam. Qui igitur poneret tantum secundam, scilicet animationem, nullam creationem poneret; et ita Aristoteles illam animationem corporis organici ponit esse productionem per accidens ipsius animae. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 19-20. — Cum * autem * anima intellectiva inducatur simul cum esse corporis, etiam in nobis, ad *animam* proprie non est mutatio, sed tantum ad ésse *corporis organici,* et illius mutationis subiectum est materia, terminus corpus organicum, quod est aliquid corporis animati. — *Ib.* III. d. 2. q. 3. n. 8. — Inductio * igitur * animae non est cum aliqua mutatione, quae sit ad animam vel animationem, ut ad terminum. — *Ib.* IV. d. 43. q. 5. n. 8.

Animae simplicitas. — Unitas et simplicitas animae non est *punctualis,* seu ad modum puncti, cuius, scilicet puncti, simplicitas non est fundata in aliqua actualitate naturae, sed in quadam entitatis privatione: unde non habet eius substantia aspectum virtualem, nec in se, nec in potentia, nisi indivisibilem. *Simplicitas* autem *animae* est simplicitas cuiusdam *actualitatis,* secundum quamdam similitudinem ad actualitatem divinam, quamvis distet in infinitum. — *De rer. princ.* q. 12. n. 10.

Animalium in ordine ad perceptionem triplex divisio. — * Aristotelis * ponit *tres* divisiones in animalibus respectu cognitionis, ex quibus colligitur triplex gradus cognitionis in eis. *Prima* divisio est, quod animalium quaedam *habent memoriam * sensitivam *,* quaedam autem *non... Secunda* divisio est, quae sequitur ex prima, quod animalium quaedam *habent prudentiam,* * (scilic. instinctum providendi pro futuro) *, illa scilicet quae habent memoriam; alia vero *non habent... Tertia* divisio est, quod animalium *habentium* memoriam et prudentiam, quaedam sunt *disciplinabilia,* puta habentia auditum; quaedam *indisciplinabilia,* ea scilicet quae auditu carent...

Ex praedictis colligitur *triplex* gradus *cognitionis* in animalibus. *Primus* est, quod animalium quaedam habent memoriam et prudentiam, et disciplinabilia sunt, quae scilicet auditum habent. *Secundus,* quod quaedam memoriam habent et prudentiam, sed indisciplinabilia sunt, scilicet quae auditu carent. *Tertius,* quod quaedam nec

memoriam, nec prudentiam habent, nec disciplinabilia sunt. *Quartus* autem gradus (scilicet quod aliqua animalia sunt disciplinabilia, et per consequens habent auditum, non tamen habent memoriam nec prudentiam), est omnino incompossibilis; sensus enim comprehendens obiectum per medium extrinsecum, cuiusmodi est auditus, est necessario in animalibus mobilibus motu progressivo, quae necessario memoriam habent, et per consequens prudentiam, ut patet ex praedictis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 1. n. 7-8. — Cf. *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 8. seqq.

Animam per se esse est dupliciter. — Prout *per se esse* distinguitur contra *inesse* accidentis...; et *per se esse*, quod convenit composito in genere substantiae. Sic est falsum, quod anima sine corpore habet *per se esse*, quia tunc esse eius non esset communicabile alteri, quia in Divinis etiam *per se esse* illo modo acceptum est incommunicabile. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 23.

Annihilare. — *Annihilare* non est agere aliquid, sed est non conservare aliquid in *esse*, quod habuit: conservare autem, et non conservare est proprium Deo; ergo et annihilare. — *Report.* IV. d. 1. q. 1. n. 20. — Deus nulla actione positiva annihilat rem; sed sicut positive agendo rem conservat, ita annihilare est desinere creaturam conservare; et hoc potest Deus. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 4. n. 18. — Solius Dei est *annihilare*, quia annihilare non est agere positive, sed *non agere*, id est, non conservare: solius autem Dei est conservare totam creaturam, et totaliter; et breviter, sicut quaelibet creatura requirit causam concausantem *in fieri*, scilicet principium potentiale, ita super illud non potest destruendo, sicut nec producendo, et per consequens necessario aliquid relinquit, sicut necessario praesupponit. — *Ib.* d. 1. q. 1. n. 33. — Vid. *Mutatio multiplex.*

Annihilatio — Creatio. — Sicut autem *creatio* proprie dicta est *productio de nihilo*, id est, non de aliquo, quod sit pars primi producti, et receptivum formae inductae, ita *annihilatio* est destructio in nihil utroque modo. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 33. — Sicut terminus *a quo* creationis est purum nihil, ita terminus *ad quem* annihilationis debet esse purum nihil. — *Ib.* d. 11. q. 4. n. 6. — Terminus annihilationis est purum nihil, hoc est, quod nihil termini *a quo* manet in termino *ad quem;* nec negatio in aliquo apto nato, quae dicitur *privatio*, terminat eam. Et oppositae conditiones istis conditionibus sunt in *corruptione*, ut corruptio est. Nec tertio, quod negatio in aliquo positivo *disparato* terminat eam, sed simpliciter negatio *extra genus*, scilicet extra omne positivum, sive subiectum, quod dicatur *privatum* secundum illam negationem, sive *disparatum*, quod includat illam negationem. — *Ib.* n. 8. — Vid. *Creare — Creatio.*

Annus magnus. — Augustinus, *XII. De Civit.* c. 13. recitat opinionem Philosophorum aliquorum dicentium, per circuitus temporum eadem redire, quibus imponitur, quod post *magnum annum*, id est, post triginta sex millia annorum, omnia redirent eadem, — *Oxon.* IV. d. 43. q. 3. n. 2. seqq., *ubi hunc errorem refutat S. Augustini auctoritate, et optimis rationibus.*

Aperitio ianuae. — Potest dici *aperitio ianuae* dupliciter: vel per *amotionem* cuiuscumque obstaculi, quantum est ex parte sui, sicut grave sursum potest esse in centro; vel apertio talis, ut statim *possit actu* intrare. Et isto *secundo* modo nulli aperiebatur ianua ante Passionem exhibitam. Sed *primo* modo, quoad amotionem culpae, multis aperiebatur ianua virtute Passionis praevisae. — *Report.* III. d. 3. q. 1. n. 8. — *Oxon.* III. d. 3. q. 1. n. 18. seqq. — d. 19. n. 8 et 11.

Apostolus. — Apostolus dicitur *missus;* unde usque diem hodiernum illi qui missi sunt ad conversionem infidelium et convertunt eos dicuntur *apostoli* eorum, sicut dicitur quod Augustinus fuit *Apostolus* Anglorum. — *De perfect. stat.* n. 40.

Appetibile et fugibile duplex. — *Appetibilium* ad seipsum quaedam sunt appetibilia *ex se*, quae scilicet nata sunt ex se statim convenire; et quaedam etiam sunt *primo* fugibilia, quae scilicet nata sunt ex se statim disconvenire. — Alia sunt appetibilia *non primo*, et alia non primo fugibilia, sed se-

cundario propter illa primo appetibilia, et primo fugibilia. — *Oxon.* III. d. 34. n. 9.

Appetitus. — Vid. *Voluntas — Appetitus.*

Appetitus ad permanendum duplex. — *Appetitus ad permanendum* quandoque est *cum conatu,* ut quando agens contrarium est applicatum. — Quandoque est *sine conatu,* ut quando nullum contrarium est applicatum. — *Physic.* I. q. 22. n. 4.

Appetitus animalis — rationalis — naturalis. — Duplex est appetitus: quidam sequens cognitionem, ut ille quo aliquis nititur in prosecutionem vel fugam alicuius obiecti delectabilis, vel tristabilis; et talis appetitus vocatur *animalis;* qui est duplex: nam quidam sequitur cognitionem intellectivam, et vocatur appetitus *intellectivus,* ut voluntas; alter sequitur cognitionem sensitivam, et vocatur appetitus *sensitivus.* Sed alius est appetitus *naturalis,* qui non sequitur cognitionem, sicut dicimus, quod grave appetit deorsum, et materia formam, et entia naturalia appetunt esse, et permanere. — *Physic.* I. q. 22. n. 4.

Appetitus *animalis* et *naturalis* differunt ab invicem. Primo, quia appetitus *animalis* semper fertur in bonum *existens* vel *apparens;* sed appetitus *naturalis* semper fertur in bonum *existens.* Secundo differunt, quia appetitus *animalis proprie* dicitur *dilectio;* sed appetitus *naturalis* non nisi *improprie,* ut dicit Commentator, quia omne ens *diligit* se permanere.

Et si quaeratur, quae res est appetitus *naturalis?* Respondetur, quod non est nisi *quidam nisus, vel instinctus, vel inclinatio naturae ad essendum,* quia non est aliud nisi res sic inclinata, sicut appetitus gravis ad deorsum non est aliud quam gravitas sic inclinata, qua consequenter inclinatur grave cum conatu, ut quando grave est sursum, et quandoque sine conatu, ut quando grave est deorsum. — *Ib.* n. 5. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 5. n. 37.

Appetitus *naturalis* in qualibet re generali nomine accipitur pro inclinatione naturali rei ad propriam perfectionem, sicut lapis naturaliter inclinatur ad centrum. — *Oxon.* III. d. 17. n. 3.

Licet appetitus *naturalis* alicui inhaereat propter se *negative,* non tamen ut in pluribus; et si quandoque *contrarie,* non tamen amore inhaeret, sed ab ipso dante naturam quasi infigitur illi obiecto, non quidem per actum elicitum alium a natura, sicut est in appetitu etiam *sensitivo,* sed per inclinationem habitualem naturae. Unde minus convenit sibi *frui* quam appetitui sensitivo, qui per actum elicitum quasi obiecto iam cognito inhaeret, licet non libere; appetitus autem *naturalis* sine omni cognitione perpetuo inclinatur. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 6.

Appetitus naturalis non addit aliquam perfectionem super naturam absolutam, sed solum inclinationem ipsius naturae ad suam perfectionem. — *Ib.* IV. d. 49. q. 10. n. 11. — Appetitus enim naturalis ad quaecumque est in ordine ad perfectionem ipsius appetentis. Propter hoc enim datum est animalibus et rebus, ut ad perfectionem suam inclinentur. — *Ib.* n. 15.

Appetitus *sensitivus,* licet aliqualiter alicui inhaereat propter se, id est non propter alterum, *negative,* quia non est eius referre ad aliud, non tamen *contrarie,* quia non appretiatur obiectum ut non referribile ad aliud; ideo abusive dicitur frui propter non relationem, non tamen proprie, quia non *irreferribiliter* inhaeret. Similiter *nec amore* inhaeret, quia eius proprie non est amare. Similiter nec *proprie* inhaeret, quia non se applicat obiecto, sed quasi infigitur vi obiecti, quia non ducit se, sed ducitur, secundum Damascenum, lib. II. cap. 24. — Appetitus sensitivus assimilatur ferro quasi adamanti infixo vi adamantis attracto; et sic nec in centro mediate, nec immediate quietatur, nec in aliquo alio, vi illa quae esset quietativa in centro, vel intrinseca quietativa quasi in centro; sed tantum quasi vi extrinseci quietantis. Ita hic, vis obiecti quietat; non autem illa intrinseca quietativa in centro, quae est sola libertas, quae appetitui sensitivo non convenit. — Qui tamen magis convenit cum voluntati, quam appetitus *naturalis,* quia actus appetitus sensitivi sequitur actum cognoscendi * sensitive *, sicut actus voluntatis * intellectualiter *; non sic autem appetitus naturalis, si quis sit actus

eius. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 5. seqq. — Sensitivus appetitus habet rationem principii activi aliquo modo, licet non activi libere; et hoc est quod Damascenus intelligit, quod *non ducit, sed ducitur,* id est, non dominatur actioni suae, quod est *ducere,* sed respectu actionis suae determinatur ab agente ad certam operationem, et hoc est *duci.* — *Ib.* d. 17. q. 3. n. 8.

Appetitus noster, in quo convenimus cum brutis, est liber et rationalis per participationem; non autem per actum suum, sed per actum alterius potentiae, scilicet voluntatis, cui subest; et ideo potest converti ad bonum, et averti a bono; in brutis autem, licet sit appetitus sensitivus, non tamen est particeps rationis in eis sicut in nobis. — *Ib.* II. d. 42. q. 4. n. 19. — Vid. *Voluntas = Actus referri et non referri est tripliciter.*

Appetitus animalium duplex. — Omne animal habet duplicem appetitum: unum *sensitivae;* alium *aestimativae.* — *QQ. Metaph.* l. I. q. 3. n. 5.

Apprehensio. — Vid. *Intellectus operatio triplex.*

Apprehensio sensitiva. — Vid. *Perceptio — Apprehensio,* etc.

Appretiabilitas aptitudinaliter — actualiter. — *Appretiabilitas* in obiecto aut intelligitur *aptitudinaliter,* aut *actualiter. Aptitudinaliter,* quia scilicet aptum natum sit appretiari. *Actualiter,* hoc est, quia voluntas sic appretiatur. — *Oxon.* III. d. 26. n. 7.

Appropriari est dupliciter. — Aliquid *appropriari* alicui est dupliciter: vel ita quod *nulli* alii conveniat, vel ita quod *prius* et *principalius* conveniat ei. — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 16. n. 4.

Appropriatio in Divinis. — Convenienter *appropriantur* essentialia Personis; et quatuor huiusmodi invenio *appropriationes* magis principales. *Prima* appropriatio est particularis Hilarii, ut *aeternitas* Patri, quia non est ab alio; Filio *species,* quia pulchritudo et integritas, et ostensio Patris, a quo accipit naturam divinam integerrime; Spiritui Sancto appropriatur *amor.* — *Secunda* appropriatio est Augustini, ut Patri *unitas,* quia indivisus; Filio *aequalitas,* quia Persona secunda, in qua est primo aequalitas; aequalitas enim requirit unitatem cum distinctione; et Spiritui Sancto appropriatur *connexio.* — *Tertia* appropriatio est: *potentia* Patri, *sapientia* Filio, *bonitas* Spiritui Sancto; et hoc duabus de causis: una propter imperfectionem, quam videmus in creaturis, quia pater solet esse impotens, filius insipiens, et spiritus superbus, cum homo habet spiritum in naribus. Sed magis proprie appropriantur ista Personis propter perfectiones positivas, quam ad removendum imperfectiones in creaturis. — *Quarta* et ultima appropriatio est illa ex verbis Pauli desumpta: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso. Ex ipso* Patri, quia ex eo sunt omnia; *Per ipsum* notat relationem formalem, et artem faciendi in Filio; *In ipso* notat Spiritum Sanctum. — *Report.* I. d. 34. q. 3. n. 2.

Aptitudo — Potentia. — Differt *aptitudo* a *potentia.* Nam *aptitudo* est inclinatio, vel magis *non repugnantia alicuius secundum se in aliquid. Potentia* autem est *ordo ad actum.* Potest igitur *potentia* esse sine *aptitudine,* ut *possibile est* grave esse sursum, non tamen *est aptum* ibi esse, quia repugnat ei secundum se. Et *aptitudo* est sine *potentia,* ut caecus est *aptus* natus ad videndum: *Nihil enim dicitur privatum, nisi cum* est *aptum natum habere habitum,* secundum Aristotelem in *Postpraedicamentis, cap. de oppositis com. 27;* et *V. Metaph. cap. de privatione* (1)*;* non est autem *possibile* caecum videre, quia a privatione ad habitum non est naturalis regressus (2). — *Super Univers. Porph.* q. 18. n. 3. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 24.

Aqua artificialis. — Aquae illae, quae communiter dicuntur *artificiales,* sunt corpora quaedam mixta, et non dicuntur *aquae* nisi aequivoce. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 3. n. 3. *ubi hoc duplici probat argumento.*

Argumentum. — Argumentum est de aliqua re *faciens fidem de ea* (3), quae alias erat dubia; ideo in argumento proprie dicto

---

(1) Vid. exposition. Doctoris.

(2) Vid. Effata: *A privatione ad habitum non fit regressio.*

(3) *Fides* hic late sumitur pro *assensu.*

creditur, et consentitur conclusioni propter argumentum et eius evidentiam. — *Oxon.* III. d. 24. n. 15.

Argumentum est ratio, quae apta nata est de se *facere fidem;* quod tamen non semper faciat fidem, hoc est propter applicationem ad materiam. — *Elench.* q. 4. n. 4.

Arrogatio. — Vid. *Adoptio — Arrogatio.*

Arithmetica. — Vid. *Scientiae Mathematicae quinque.*

Ars. — *Ars est habitus cum vera ratione factivus, VI. Eth.;* et prout *complete* accipitur definitio artis, intelligitur *ratio recta*; hoc est, *directiva* sive *rectificans* potentiam aliam, cuius est operari secundum artem; *diminute* autem ars est habitus cum *vera ratione,* quando est tantum habitus *apprehensivus* rectitudinis agendorum, et non habitus *directivus,* sive *rectificativus* in agendis. — *Oxon.* I. d. 38. n. 5. — *Quodlib.* q. 8. n. 11. — Vid. *Habitus intellectuales quinque.* = *Habituum divisio.* = *Generationis causa triplex.*

Ars — aedificator. — Philosopus II. *Physic.* et V. *Metaph.* vult quod ad idem genus causae et principii pertinent *ars* et *aedificator.* — *Oxon.* I. d. 7. n. 2.

Ars architectonica. — Ars *architectonica* dicitur *principalis ars,* ab ἀρχὸς, quod est *princeps,* et τέχνη, quod est *ars.* Dicitur autem principalior, quia operationem principaliorem habet, et imperium respectu alterius. *Exemplum:* aliqua operatio artis ordinatur ad *materiam disponendam,* puta *Carpentaria* dolans et disponens ligna, quae sunt materia navis; aliqua ordinatur ad *formam inducendam,* puta illa quae componit ligna et inducit formam navis; aliqua ordinatur ad *usum* factae navis, puta *Nautica,* quae navigando utitur nave constructa et iam facta. Prima potest dici *dolativa,* secunda *manufactiva,* tertia *usualis.* Et habent se sic per ordinem: quia prima est infima, et ordinatur ad secundam, ut ad finem, et ut materia ad formam, quia ipsa imponit necessitatem sibi, sicut forma materiae, et finis his quae sunt ad finem; unde secunda est *architectonica* respectu primae, et *imperat* primae. Nam manufactor imperat dolativo, ut *sic* vel *sic* dolet ligna, secundum quod *sic* vel *sic* sunt apta ad formam navis inducendam. Quod igitur ligna sic vel sic dolanda * sint *, manufactor novit causam, et *propter quid,* quia scilicet expedit propter talem formam navis; sed ipse dolativus, ut sic, * (qua talis) *, solum novit *quia* sic dolanda sunt, sed causam *propter quid* ignorat. Simili modo, secunda ordinatur ad tertiam, et tertia est *architectonica* respectu secundae, quia sibi *imperat,* ut *talem* formam inducat, quia talis est necessaria ad usum navigandi, ita quod ipsa *manufactiva,* ut sic, solum novit *quia* * (factum) *, sed *usualis* novit *propter quid* * (rationem facti) *. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. n. 14.

Ars — Experientia. — Vid. *Experientia — Ars.*

Ars in Divinis. — Concedo, quod Filius est ars; ita etiam dicitur *sapientia* Patris et *virtus;* et tamen sicut Pater formaliter est sapientia et virtus, ita etiam formaliter est ars. Si autem Pater formaliter creat, et hoc ut artifex, creativa ratio formaliter est in Patre. Et ita ille respectus artis ad creaturas ut ad artificiata est communis tribus, licet approprietur Filio, sicut sibi appropriatur sapientia propter convenientiam cum productione sua. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 23.

* Accipiendo artem *diminute,* uti supra (vid. *Ars,*) explicatum est *, potest concedi ars in Deo; quia posita determinatione voluntatis eius respectu quorumcumque operandorum, intellectus eius cognoscit istum ordinem operandorum; et tunc est ibi *recta ratio,* hoc est *cognoscens rectitudinem;* non tamen recta ratio, hoc est, *directiva ipsius potentiae operantis;* et hoc maxime si ponatur potentia illa operans extra esse voluntas, et non aliqua alia potentia; quia si poneretur aliqua potentia executiva alia a voluntate, videtur ibi posse salvari *recta ratio,* alio modo se habens respectu illius potentiae operantis secundum eam, quam possit modo salvari respectu voluntatis. — *Ib.* d. 38. n. 5.

Ars multiplex. — Quaedam sunt artes *materiae,* ut ars *factiva laterum.* Aliae

sunt *operosae*, id est, disponunt materias factas per additionem, vel substractionem, ut ars *dolativa lignorum*. Aliae sunt *usuales*, quemadmodum nos utimur omnibus artefactis propter nos; quia nos sumus quodammodo finis omnium, non finis *qui* est ultimum transmutationis, sed finis, *gratia cuius* alia sunt et ordinantur. — Sed duae sunt artes usuales: quaedam *utens*, et cum hoc *operans*; et dicitur *utens*, quia utitur materia facta et disposita; dicitur *operans*, quia inducit aliam formam substantialem; sed alia est ars *utens* tantum, et illa est *architectonica*, id est, *principalior* (1). — *Physic.* II. exposit. text. 24. n. 17.

Ars — Natura. — *Ars* est principium *extrinsecum*, et *in alio*. *Natura* autem est principium *in ipso*, id est, principium *intrinsecum* motus et quietis *in eo* in quo est. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 1. c. 3. n. 9.

Differentia est inter *naturalia* et *artificialia*, non in hoc quod naturalia habeant principium activum sui intus, sed quia in *naturalibus* est inclinatio *passiva intrinseca*; sed in *artificialibus*, vel est naturaliter *contraferri*, sicut accidit cum lapis ponitur superius super alium lapidem, vel saltem *non habet inclinationem naturalem*, inquantum artificiale est, ad talem motum. — *Report.* II. d. 18. q. 1. n. 7. — Vid. *Naturale — Artificiale*.

Ars — Prudentia. — Sicut *ars* respicit factibilia, ita *prudentia* agibilia. — *Oxon.* III. d. 36. n. 22. — *Artifex* in potestate sua habet factionem, et multo magis prudens habet in potestate sua actionem, qua est formaliter virtuosus. — *Ib.* Prol. q. 4. n. 4.

Ars speculativa — practica. — Illud quod dicitur de arte *universali*, quod ipsa sit *speculativa*, et ars particularis *practica*, non videtur verum, quia secundum definitionem *artis*, *VI. Ethic.*, *Ars est habitus cum recta ratione factivus*, patet quod omnis ars est habitus practicus, quia omnis habitus factivus est practicus. Si quandoque ergo inveniatur dictum ab aliquo auctore, quod ars universalis est speculativa, et particularis practica, hoc indiget expositione, et potest sic intelligi: quanto aliquod medium recedit magis ab uno extremo, tanto non solum accedit ab alterum, sed dicitur habere rationem alterius, sicut patet ex *V. Physic.* quod rubeum respectu albi dicitur nigrum. Nunc autem cognitio mere speculativa est illa, quae nullo modo est directiva in opus; cognitio vero mere practica est illa quae immediate est directiva in opus. Quaecumque ergo cognitio media, pro quanto magis recedit ab uno extremo eorum, tanto magis potest dici contineri sub altero. Nunc autem cognitio artis universalis non est immediate directiva in opus, quia operationes sunt circa singularia, *I. Metaph.* Notitia autem artis particularis est immediate directiva. Pro tanto igitur notitia artis universalis potest dici speculativa, pro quanto non est immediate directiva in opus, sicut particularis. Nec tamen est simpliciter speculativa, sed directiva, licet mediate, quia particularis virtute eius est immediate directiva. — *Quodlib.* q. 8. n. 11. — Tamen secundum veritatem, illa universalior, quae in comparatione dicitur speculativa, est simpliciter practica. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 44. — Cfr. *Oxon.* I. d. 38. n. 2.

Ars utens. — Vid. *Ars multiplex.*

Artifex — expertus. — In factibilibus *artifex* scit *propter quid*, *expertus* tantum *quia*, *I. Metaph.*; artifex non est promptus in agendo; expertus autem promptus est, ut habetur *ibidem*. — *Oxon.* III. d. 36. n. 17. — Artifex frequenter errabit; expertus autem non ita errabit. — *Ib.* Prol. q. 4. n. 44.

Artificialia. — *Artificialia* denominantur ab *arte*, et ideo illa quae sunt ab homine per intellectum, mediante deliberatione praevia, dicuntur fieri *ab arte*, et ideo apes, et formicae, et huiusmodi, cum non habeant intellectum, non operantur *ab arte*, sed illa, quae faciunt, sunt *similia* artificialibus; et ideo faciunt ipsa ex quodam instinctu naturae. Et ponitur notabiliter *mediante deliberatione*, quia illa quae facit homo sine deliberatione, ut puta ruptio festucae, vel huiusmodi, non dicuntur fieri *ab arte*. — *Physic.* II. q. 1. n. 3. — Notandum, quod

(1) Vid. supr. *Ars architectonica.*

quaedam sunt artificialia *per compositionem*, ut domus: alia *per subtractionem partium*, ut illa quae sculpuntur: alia vero *per transpositionem materiae*, ut quando cera mutatur de una figura in aliam. Ex quibus patet, quod illa dicuntur *artificialia*, quae sunt complete *ab homine*, mediante cognitione intellectiva, et per deliberationem actualem vel habitualem. — *Ib.* n. 4.

Asperum — rarum — densum. — Vid. *Rarum — densum — asperum.*

Assensus duplex. — Vid. *Voluntatis assensus duplex.*

Assimilans — Assimilatum. — *Assimilans* et *assimilatum* dicunt relationem activi ad passivum, fundatam super hanc relationem communem, quae est *similitudo;* assimilans enim est *causans* similitudinem, sicut dealbans est causans albedinem; et assimilatum est *causatum* secundum similitudinem, sicut dealbatum est causatum secundum albedinem. Est igitur hic relatio activi et passivi in assimilante et assimilato, sicut videtur in dealbante et dealbato; sed in dealbante illud in quo fundatur relatio activi est absolutum; in hoc autem, scilicet in assimilante, illud in quo fundatur relatio activi est relatio aequiparantiae. — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 9. — d. 32. q. 2. n. 6. — Vid. *Similitudo — Dissimilitudo.*

Assimilare — Distinguere in generatione. — *Distinguere* est prius in generatione quam *assimilare*, id est, *communius*, quia multa distinguunt quae non assimilant. Sed distinguere non est *perfectius* in generatione quam assimilare, quia convenit generationi etiam imperfectissimae, inquantum est a forma ut *haec;* et assimilare convenit sibi inquantum est a forma *absolute;* et perfectior est ratio formae quam ratio singularitatis. — *Oxon.* I. d. 7. n. 24. — II. d. 3. q. 6. n. 22.

Assumere. — *Assumere* est *ad se sumere;* sed hoc necessario est suppositi; ideo logice loquendo, *assumptio* non potest esse naturae; nec etiam realiter loquendo, quia assumere *active* est a tota Trinitate, et assumere *terminative* est terminare naturam assumptam; essentia autem et natura non potest esse ratio terminandi. — *Report.* III. d. 5. n. 2.

Astrologia. — Vid. *Scientiae Mathematicae quinque.*

Attributum. — *Proprie* vocantur *attributa* illa sola, quae quasi qualitates perficiunt in esse *secundo* rem praesuppositam in perfecto esse *primo*, scilicet quantum ad omnem perfectionem quae convenit rei ut est substantia. — *Oxon.* I. d. 26. n. 55. — Attributum, ut attributum, dicit intentionem secundam, vel relationem aliquam rationis, circa illud de quo dicitur. — *Quodlib.* q. 5. n. 18. — Attributum est simpliciter perfectionis in creatura, ita quod simpliciter est melius ipsum quam non ipsum. Quia enim quodlibet creatum in esse quidditativo est limitatum, et quaelibet perfectio eius sibi *essentialis*, ideo a nulla tali sumitur attributum; sed ab illo quod est perfectio *accidentalis* creaturae, sive in bene esse eius, sumitur attributum, quod dicit perfectionem simpliciter in subiecta substantia; quia licet ut natura quaedam habeat gradum limitatum, tamen ut perficiens aliud in bene esse eius nullam limitationem importat; et sic est attributum. — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 6.

Attributum in Divinis. — Sic etiam in Deo attributum non notat perfectionem *primam*, sed *quasi accidentalem* in bene esse. Unde Augustinus, *XV. de Trinitate*, c. 5. *Si dicimus sapiens, speciosus, spiritus, horum quod novissimum posui, videtur significare substantiam; cetera vero huius substantiae qualitates.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 6. — Quod dicunt aliqui, quod attributa sunt *quasi passiones* huius essentiae, hoc non valet, quia consideratio attributorum naturaliter a nobis intelligibilium est consideratio *metaphysica*, * et non *theologica*, seu rei ut est in se (1) *, nisi sint aliqua attributa per se tantum convenientia huic essentiae ut haec, et non ut a nobis nunc naturaliter intelligitur confuse. — Quod autem accipitur, quod passio est realiter causata a subiecto; sed in Divinis illud quod habet rationem passionis non est causatum, quia per identitatem transit in essentiam. Tamen quantum ad scibilitatem, scitur per essentiae rationem, ac si esset realiter distincta

---

(1) Vid. *Deus cognoscibilis multipliciter.*

ab essentia. — *Ib.* Prol. q. 3. n. 18. — Attributa * igitur * non sunt proprie principiata ab essentia divina, licet essentia divina concedatur aliquo modo habere rationem perfectionis radicalis et fundamentalis respectu eorum. — *Ib.* d. 13. n. 17. — Attributa omnia sunt *quasi proprietates* naturae * divinae *, sicut dicit Damascenus, c. 5: *Non naturam, sed quae circa natura sunt dicunt.* — *Ib.* d. 31. n. 5. — Omnia attributa pertinent ad intellectum et voluntatem. — *Ib.* d. 8. q. 4. n. 8. — Proprie autem attributa sunt sapientia et charitas, et alio modo transcendentia, puta veritas et bonitas. — *Ib.* d. 26. n. 55.

Attritio. — Contritio. — Peccator in peccatis existens potest ex naturalibus cum communi influentia * gratiae * considerare peccatum commissum ut offensivum Dei, et ut impeditivum praemii, et ut inductivum supplicii, et sub multis talibus rationibus; et potest voluntas sub aliqua illarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic consideratum detestari; et ille motus potest continuari et intendi ante infusionem gratiae * habitualis seu sanctificantis *. Potest etiam ista detestatio esse totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis Iste autem motus dicitur *attritio*, et est dispositio, sive meritum *de congruo* ad deletionem peccati mortalis, * per infusionem gratiae sanctificantis *. —

* Si * ista attritio * est * perfecte circumstantionata in genere moris, et si manet idem motus contra peccatum, in esse naturae et moris, qui prius, idem motus qui prius fuit *attritio*, in illo instanti usque ad quod Deus determinavit attrittionem debere durare, ad hoc, ut sit meritum de congruo ad iustificationem, infunditur gratia, et tunc simpliciter deletur peccatum, fit *contritio*, quia in illo instanti fit concomitans gratiae, et ita actus formatus, quia habens secum charitatem, quae est forma actus, ut hic loquimur.

Ibi autem oportet distinguere signa naturae, inter actum ut es *talis* in esse naturae et moris, et inter *charitatem*, et inter actum ut est *formatus;* quia in primo esse naturae est ibi actus *talis*, in secundo *charitas*, in tertio actus *formatus* a charitate iam inclinante et inhaerente; et sic *attritio* fit *contritio*, sine omni mutatione reali ipsius actus. — *Ib.* IV. d. 14. q. 2. n. 14. seqq.

Attritio fit * etiam * *contritio* in Sacramento Poenitentiae, * dummodo peccator * habeat aliqualem displicentiam de peccatis, et propositum cavendi de cetero. — *Ib.* q. 4. n. 9.

Auctoritas leges condendi duplex. — Vid. statim

Auctoritas paterna — politica. — Omnis auctoritas vel est *praesidentiae paternae* respectu filiorum simul conviventium, et eodem modo cohabitantium sub eodem, non tam corpore, quam mente; et illa auctoritas semper mansit in Lege naturae, a primo patre Adam usque ad Moysen; et extendebat se ista auctoritas ad omnes alios procedentes per successionem generationis ab Adam, ubicumque essent, usque ad Moysen et tempus Legis scriptae; quia illam auctoritatem acceperunt filii a patribus suis. Et haec auctoritas et modus praesidentiae paternalis non fuit destructa per Legislatorem Iuris scripti, vel legis Mosaicae, sed multo magis confirmata. Et haec lex fuit conviventium sub uno patre, non tantum corpore, sed etiam mente. — *Alia* est auctoritas non *praesidentiae paternalis* respectu filiorum, sed extraneorum, et diversorum simul congregatorum in aliqua communitate, terra, vel civitate. Et potest dici *auctoritas Principis ad subditos.* — Et sic patet duplex auctoritas condendi leges iustas, scilicet: auctoritas *patris ad filios*, et auctoritas *Principis ad subiectos.* Unde Princeps habens prudentiam in se, vel in suis Consiliariis, potest condere leges iustas ad pacem conservandam; et ideo omnis politia et consuetudo est iusta, si sic, vel sic similiter dictaretur. De hoc in Canone *dist. 8. cap. Quo iure.* — *Report.* IV. d. 15. q. 4. n. 10-11. — * Seu aliis verbis *: est duplex principatus, vel auctoritas, scilicet: *paterna* et *politica.* Et politica duplex, scilicet: in *una* persona, vel *in communitate.* Prima, scilicet *paterna*, iusta est ex lege naturae, qua omnes filii tenentur parentibus obedire, nec ista per legem aliquam Mosaicam, vel Evangelicam est re-

vocata, sed magis confirmata. Auctoritas vero politica, quae est *super extraneos*, sive *in communitate*, potest * etiam * esse iusta. Et prima auctoritas respicit descensum naturalem, quamquam non cohabitantes civiliter. Secunda respicit cohabitantes, quantumcumque nulla consanguinitate, vel propinquitate coniunctos. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 2. n. 7.

Audibile duplex. — Vid. *Visibile duplex.*

Auditus. — Vid. *Sensus quinque.*

Augmentatio. — Vid. *Alteratio — Augmentatio*, etc.

Augmentatio multipliciter accepta. — Augmentatio accipitur multipliciter: *uno* modo pro *quacumque maioratione* quantitatis; sive fiat adveniente aliquo, sive non; et sic rarefactio dicitur augmentatio, et talis non est ad quantitatem, imo ad qualitatem; cuius signum est, quod per rarefactionem mutantur praedicata de genere qualitatis, ut *rarum, densum*, de illo quod sic augmentatur. — *Alio modo* accipitur *augmentatio* pro maioratione quantitatis *mediante aliquo adveniente;* et hoc multipliciter: *uno* modo per *aggregationem*, ut cumulus lapidum dicitur augmentari per appositionem lapidum: *tertio modo* per *continuationem* quando aqua apponitur aquae: *Quarto modo* per *generationem*, ut quando ignis augmentatur per appositionem combustibilium. — *Quinto*, quando auctum est *continue aliud et aliud*, ut quando propter augmentum potentiae, vel diminutionem resistentiae, continue est alia et alia proportio, et continue *maior* et *maior*. — *Sexto* modo, accipitur augmentatio pro maioratione quantitatis *viventis*, facta adveniente aliquo, scilicet nutrimento. — *Physic.* V. q. 3. n. 4. — Vid. *Transmutatio multiplex.*

Aureola virginum. — Aureola virginum est *speciale gaudium de nunquam peccasse in tali genere peccati, et semper innocentiam et puritatem carnis servasse*, * quia * nobilius est nunquam peccasse, et negatio offensae in praeteritum, quam aliquando peccasse et offendisse, et reconciliatum esse. Gaudent etiam virgines specialiter, quod nunquam peccaverunt illo genere peccati, ad quod homines ex corruptione carnis maxime proni sunt. Unde Aureola eorum est de negatione offensae praeteritae, quantum ad corruptionem carnis. — *Report.* IV. d. 1. q. 5. n. 5. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 6. n. 6.

Aurora. — Ab illa hora ex qua radii solares illuminant hemisphaerium nostrum dicitur principium *aurorae;* et incipit, secundum auctores, in *libris de crepusculis*, quando Sol est sub Horizonte ad decem vel octo gradus, quorum ascensus non continet spatium ultra medietatem horae, vel quintam unius horae. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 2. n. 18.

Aversio a fine ultimo multiplex. — *Aversio a fine ultimo* potest intelligi dupliciter: vel *formaliter*, vel *virtualiter*. *Formaliter*, * potest intelligi * *contrarie*, vel *negative*, sic, quod voluntas nolit illum finem, et tale *nolle* est *odire:* vel non velit cum deberet velle, et tale *non velle* est *omittere* illud praeceptum, *Diliges Dominum Deum tuum.* — *Virtualiter* sic, quod quando aliquid est necessarium ad consequendum finem ultimum, voluntas aversa ab illo, in hoc *virtualiter* a fine *avertitur*, sicut intellectus negans conclusionem, virtualiter avertitur a principio; et sic infirmus dicitur *averti* a sanitate, quando avertit se a potu amaro, sine quo non potest haberi sanitas. — Prima *aversio* secundum se est eiusdem rationis, nec includitur formaliter in quolibet peccato; est enim odium Dei speciale peccatum; et omissio istius praecepti, *Diliges Dominum*, etc. est speciale peccatum. Secundo modo, *aversio* est communis omni peccato mortali, quia in omni tali peccato mortali voluntas inordinate se habet respectu alicuius necessarii ad finem. — *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 8. * *Seu aliter* *:

Aversio a fine potest intelligi *actualis* nolitio ipsius finis; et patet, quod non omnis peccans avertitur isto modo, cum forte frequenter peccans non actualiter consideret finem, vel si considerat, non illum in se ex malitia respuit. — *Alio modo* potest intelligi *aversio*, non sic formalis, sed *quasi virtualis*, quod potest poni acceptatio aliqua voluntatis incompossibilis volitioni finis, saltem efficaci, vel consecutioni finis; sicut

quando voluntas vult omnino aliquid inordinatum, et deordinans a consecutione finis, puta, aliquid contra praeceptum divinum, sine cuius observatione possibile non est consequi finem. Adhuc isto modo intelligendo, aversio est solius voluntatis. — *Tertio* modo *largius* potest dici *aversio* quaecumque malitia separans a fine efficaciter volendo, vel consequendo; et talis malitia potest esse in actu voluntatis imperato, quia cum imperare actum sit malum, non stat voluntatem efficaciter velle finem ultimum, nec etiam consequi ipsum. Sicut igitur referibilitas, vel quasi ordinabilitas ad finem potest dici *conversio*, sic inordinabilitas potest dici *aversio*. — *Quodlib.* q. 18. n. 19. — Cfr. *etiam Oxon.* II. d. 41. n. 2, *ubi de triplici relatione ad finem ultimum;* et d. 43. — Vid. *Peccatum.*

B

Balsamum. — *Balsamum,* quod habet bonum odorem, significat *bonam famam,* iuxta illud II *ad Corinth.* c. 2, * v. 15. *. *Christi bonus odor sumus Deo.* — *Balsamo* etiam corpora mortuorum condiuntur, ne putrefiant, ideo significat *incorruptionem.* — *Oxon.* IV. d. 7. q. 1. n. 8.

Baptismus (1). — Supponendo ex usu loquentium significatum nominis *Baptismi,* scilicet quod *Baptismus* significet *ablutionem,* sicut apud Iudaeos erant *baptismata* corporum et vasorum, id est ablutiones; tunc hoc quod erit *Sacramentum Baptismi,* intelligendo ibi constructionem intransitivam (2), significat Sacramentum speciale, et hoc tam specificando *significationem,* et *effectum* significatum, puta, *purificationem* animae a peccato originali, quam specificando *fundamentum* talis significationis et relationis. — Ex hoc, inquam, supposito apparet qualiter Baptismus potest habere definitionem. Cum enim definibile oporteat esse ens *positivum, per se unum,* et *reale,* et *commune,* ut habetur supra (3), Baptismus non est *pure non ens,* sicut *impossibile.* Et probatur eo modo quo supra de Sacramento (4), quia ratio eius non est in se falsa; nulla enim est repugnantia, quodcumque sensibile, vel quaecumque sensibilia institui a Deo ad significandum efficaciter ablutionem animae a peccato. — Neque etiam est *purum non ens,* sicut *negatio,* vel *privatio;* patet. — Est etiam *per se unum,* quantum ad illud quod principaliter significat, quod est *talis* relatio signi ad *tale* significatum. Nec huic obstat, quod connotet correlativum suum et fundamentum, quia sic relatio quaecumque connotat; nec quod in fundamento sunt multa connotata, quia una relatio rationis potest fundari in quantumcumque distinctis in re. Talis tamen connotatio bene prohibet habere definitionem *primo;* nihil enim habet definitionem *primo,* nisi substantia, quae non definitur per aliquod additum: neque sicut correlativum additur in definitione correlativi, nec sicut subiectum in definitione accidentis, talis enim habent definitionem, sed non *primo;* patet *VII. Metaph. Illud autem palam* (1). — Sola ergo *tertia* conditio, scilicet, quod oportet definibile esse *ens reale,* excludit a Sacramento Baptismi, quod non habeat omnino perfectam definitionem. Habet tamen eo modo quo secundae intentiones, vel quaecumque relationes rationis definiuntur; quod sufficit quantum ad intellectum habentem scientiam per definitionem; eodem enim modo est definitio, sicut illa cui correspondet quidditas in re. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 1. n. 1. — *Report.* ib. n. 2.

* Ponendo quod *sola ablutio* sit *fundamentum* relationis in Baptismate *, posset poni talis ratio Baptismi, quod *Baptismus est ablutio hominis aliqualiter consentientis,*

(1) Visum fuit aliquantulum ordinem alphabeticum hic pervertere, ut tota de *Baptismo* materia ordinatius exponatur.

(2) Vid. *Constructio transitiva — intransitiva.*

(3) Vid. *Definitio.*

(4) Vid. *Sacramentum.*

(1) Vid. expositionem Doctoris, n. 34.

facta ab alio in aqua, simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter, ex institutione divina, ablutionem animae a peccato.

Quod si teneatur quod *verba* sunt *pars fundamenti* (1), tunc posset poni alia ratio Baptismi, quod *Baptismus est Sacramentum ablutionis animae a peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, et in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis.* Qualiter autem particulae positae in utraque ratione sunt necessariae ad rationem Baptismi, bene patebit specialius de singulis in sequentibus.

Nec est differentia inter istas rationes, quin eadem secundum utramque sint necessaria ad Baptismum; sed una ponit in definitione eius *solam ablutionem in recto*, alia ponit *et ablutionem et verba* ex aequo ad eius rationem pertinere; quae differentia consurgit ex diverso opinandi modo de fundamento huius relationis, an sit *sola ablutio* circumstantionata, an *simul ablutio* et *verba*. Patet ergo solutio quaestionis * (an definitio Magistri: Baptismus *est tinctio corporis exterior facta sub forma verborum praescripta,* sit bona?) *, quia Magister videtur loqui secundum illam opinionem, quod *ablutio circumstantionata* sit Baptismus; et sic ponendo tangit ea quae principaliter pertinent ad rationem Baptismi; licet multa concomitantia debeant intelligi, quae exprimit ratio illa, *Ablutio hominis*, etc. — *Oxon.* ib. nn. 3. 4. — *Report.* ib. n. 3.

Ex dictis a principio * (*dict.* 3.) * usque huc, potest colligi una ratio Baptismi exprimendo omnia, quae sunt simpliciter necessaria ad rationem Baptismi. Quia si ponamus relationem illam signi, quam importat Baptismus, fundari in illa *ablutione*, ut in fundamento *totali*, habente tamen habitudinem *ad verba*, et alia concomitantia, potest talis ratio assignari ipsius Baptismi: *Baptismus est ablutio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam usi, facta in aqua elementari fluida, ab alio simul abluente et verba certa, actum, et suscipientem, cum invocatione Trinitatis, designantia, proferente, tam in abluendo, quam in proferendo intendente facere quod Christus instituit faciendum, vel quod intendit facere Ecclesia Christiana, efficaciter signans ex institutione divina ablutionem animae a peccato.*

Particulae huius rationis patent sic: *Ablutio* (d. 3. q. 3), non dico *perfusio*, nec *aspersio*, nec *immersio*, et hoc vel *trina* vel *unica*, quia quodlibet sufficit ad veritatem Sacramenti. Sed minister tenetur servare modum Ecclesiae, in qua baptizat. — *Hominis*, secudum totum corpus, vel partem principalem, vel quamcumque in casu necessitatis, ut patet *distinctione* 4. *quaestione* 2. — *Aliqualiter consentientis;* patet ex eadem *dist. quaest.* 4. Et forte non sufficit, secundum communem opinionem, *habitualiter* consentire sine *virtuali* consensu. Tamen illud est dubium, quia minor consensus sufficit ad susceptionem Sacramenti, quam ad meritum: sed ad meritum sufficit *virtualis* consensus. Similiter quod non utens ratione sit simpliciter capax Sacramenti, non habens aliquam dispositionem; et tamen utens ratione non habens illam * dispositionem * nullo modo sit capax, non videtur probabile, quia nulla dispositio videtur simpliciter necessario requisita, vel non requisita, propter usum rationis, vel non usum. — *Facta in aqua*, etc.; patet *distinct.* 3. *q.* 3. Per hoc autem quod dicitur *elementari*, excluditur quicumque humor mixtus, qui dicitur *aequivoce* aqua, ut aqua *rosacea.* Per hoc quod dicitur *fluida*, excluditur aqua congelata, si manet aqua, vel qualitercumque mixta per iuxtapositionem corporum grossorum, ut non possit *abluere.* — *Facta ab alio;* patet *distinc.* 6. *q.* 4. — Et similiter illa quae sequuntur: *simul abluente et proferente*, etc., patet *dist.* 6. *q.* 3. — Quod ultimo additur: *Habente intentionem*, etc., patet *dist.* 6. *q.* 5. et 6. — Et sic habemus tam *suscipientem* quam *conditiones necessarias* in suscipiente, quia *hominem viatorem aliqualiter consentientem.* Habemus *conferentem* et *conditiones necessarias* ex parte eius, scilicet, quod sit *abluens*, et *verba proferens*, et hoc *simul* et *de-*

(1) Non exclusa ablutione, ex mente Doctoris.

bite intendens. Habemus *materiam,* quia est ablutio in *aqua elementari.* Habemus *formam,* quia *verba certa exprimentia actum et suscipientem cum invocatione Trinitatis.* Habemus id quod pertinet ad *rationem formalem* Baptismi, scilicet, quia ex institutione divina *efficaciter signans.* Habemus correlativum, quia *ablutionem animae a peccato.*

Si autem ponatur relationem, quam importat Baptismus, non fundari in *ablutione,* ut in fundamento totali, sed in *ablutione* et *verbis* tanquam in *uno fundamento* instituto ad signandum effectum unum, tunc potest poni ratio Baptismi talis completa:

Baptismus est Sacramentum ablutionis animae a peccato, consistens in ablutione hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam usi, facta in aqua elementari fluida, cum prolatione verborum, actum et suscipientem et ministrum, cum invocatione Trinitatis designantium, ab alio simul abluente et verba ista proferente, et intendente facere quod facit Ecclesia Christiana. — Et tunc eadem est ibi expositio particularum istius *rationis,* quae fuit et prioris, nisi quod in ista ponitur primo illud quod pertinet ad *formalem rationem* Baptismi, cum dicitur *Sacramentum,* et *correlativum* eius, cum dicitur *ablutionis;* et postea illa quae pertinent ad *fundamentum,* cum dicitur *consistens,* etc.; nec est differentia, nisi quia non ponatur *totale fundamentum* istius relationis utroque modo idem. Utroque tamen modo idem principaliter importatur; quia sive per *solam ablutionem,* sive per *ambo,* scilicet *ablutionem* et *verba,* sunt tamen ambo *unum* signum integrum, institutum quidem principaliter ad signandum principale signatum istius signi, scilicet ut abluetur anima a peccato, et hoc a Deo Trino et Uno, in cuius nomine baptizamur, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen. (1). — *Ib.* d. 6. q. 11. nn. 5. 6.

* Brevius et clarius *: in definitione Sacramenti in communi (2) dictum est, Sacramentum per se *includere* relationem signi, et *connotare* unum sensibile, vel plura sensibilia, sive sint unius sensus, sive plurium, *pro fundamento.* Ergo sicut Sacramentum *in communi dicit* talem relationem *in communi,* et *connotat* talem fundamentum, ita *speciale* Sacramentum, ut *Baptismus,* dicit *specialem* relationem signi cum eisdem differentiis in *speciali,* et determinato correlativo, et *speciali,* ut dicatur esse signum efficax ordinans hominem ad salutem, exprimendo ista, qua pertinent per se ad eius rationem et definitionem.

Dico, quod *Baptismus est ablutio exterior, facta in aqua, hominis non inviti, ab alio abluente, et simul cum intentione debita, et certis verbis totam Trinitatem invocante, efficienter signans ex institutione divina ablutionem animae interiorem a peccato.* — Istae partes patebunt per propias et singulas quaestiones de Baptismo; cum enim ultimo dicitur, quod *efficienter signat ablutionem a peccato,* ibi tangitur suum proprium *correlativum,* et proprius *effectus* huius Sacramenti. Cum vero dicitur quod est *ablutio facta in aqua,* exprimitur *materia* huius Sacramenti; et *forma, cum certis verbis invocante Trinitatem. Susceptivum* tangitur, cum dicitur, *hominis non inviti; minister,* cum dicitur, *ab aliquo abluente.* — Est ergo completa haec definitio Baptismi ex proprio *correlativo,* et *fundamento,* et omnibus aliis requisitis, ut *materia,* et *forma,* et *ministro,* quae aliquo modo se tenent *ex parte fundamenti;* quae non ita propria dicitur definitio, sicut illa, quae est quidditatis *extra* animam, sed sicut sermo quidditativus rei *intra* animam. Sacramentum enim est signum *formaliter,* et *relatio rationis,* et refertur ad invisibilem gratiam, ut correlativum et signatum.

De *forma* autem Baptismi, et de eius *institutione,* et etiam de eius *effectu* in suo correlativo, habetur in aliis questionibus huius *distinctionis;* de *suscipiente* autem habetur *distinct.* 4. ubi de isto quaeretur. De *ministro* vero, a quo debet conferri, *dist.* 5., ubi de hoc tangetur; et illa quae pertinent ad dispositionem eius declarabuntur in tribus *distinctionibus sequentibus* (1).

---

(1) Vid. fusiorem harum definitionum expositionem in dd. 3-6; necnon et in *Report.* loc. infr. citand.

(2) Vid. *Sacramentum.*

(1) Ubi haec omnia fuse et clare pertractat Doctor.

Quantum ergo ad definitionem Magistri, * Baptismus *est ablutio corporis exterior facta in aqua sub forma verborum praescripta* *, de qua quaeritur, dico, quod est bona, si suppleantur et explicentur illa quae in ipsa continentur, quia tunc est eadem cum praedicta. Nam cum dicit quod est *ablutio exterior facta in aqua,* tangit *materiam* huius Sacramenti; cum vero dicitur quod *est ablutio*, non cuiuscumque, sed *corporis,* tangitur *susceptivum* huius Sacramenti, et datur intelligi ablutio corporis *hominis non inviti,* quia non corporis asini, vel bovis; quia ablutio non fit nisi *aliquo abluente,* ideo consequenter dat intelligere *ministrum* huius Sacramenti. Per hoc autem quod dicit *sub forma verborum* etc. exprimit *formam* huius Sacramenti; et ita addendo quod addidi, habetur completa eius definitio. — *Report.* IV. d. 3. q. 1. *per tot.* — *Oxon.* ib.

Baptismus adoptio. — Licet *Baptismus* aliquo modo posset dici *matrimonium spirituale,* proprius tamen potest dici *adoptio spiritualis,* quia parvulus proprie non potest dici contrahere matrimonium cum Deo, quia non habet usum rationis, qui requiritur ad omnem contractum; sed potius *adoptatur* a Deo in filium, et in adoptione sufficit solus actus adoptantis, etiamsi nullum habeat adoptatus. — *Report.* IV. d. 4. q. 4. n. 9.

Baptismus Ioannis duplex. — Potest intelligi dupliciter Ioannem baptizavisse: uno modo *in forma Baptismi Christi,* quam potuit scire a discipulis Christi, vel ab aliis audientibus eos baptizare; et tunc non diceretur proprie Baptismus *Ioannis,* sicut nunc non dicitur Baptismus *Petri,* vel *Pauli.* Istum enim errorem reprehendit Apostolus *I. ad Corinth.* * c. 1. v. 13. *. *Alio modo,* potest intelligi Ioannem baptizasse non in forma Baptismi Christi, sed vel in aliqua alia forma propria, scilicet in *nomine Venturi,* vel absque aliqua forma. — *Oxon.* IV. d. 2. q. 2. n. 2.

Baptismi Forma. — Possumus loqui de *forma* alicuius *proprie,* vel *appropriate.* — Si *proprie,* sic dico quod uniuscuiusque *forma* est illud, a quo *essentialiter* et *formaliter* est id quod ut est, aliquis est *albus* per *albedinem.* Et isto modo dico, quod forma Baptismi, si *propria* est, quod sit quaedam relatio rationis, ut *signum efficax, veraciter demonstrans,* et *signans ablutionem animae a peccato,* tanquam suum proprium correlativum et signatum; quae relatio rationis, vel quod signum, est in omnibus praedictis, in *aqua,* in *verbis,* etc. sicut in suo fundamento; ita quod illa quatuor, *aqua, verbum, suscipiens* et *minister,* quasi integrant, isto modo loquendo de *forma,* unius fundamenti *rationem,* quia aliquo istorum amoto, non manet Sacramentum, nec ista relatio rationis, quae est signum *ad placitum,* et non *ex natura rei;* et ideo sic ex institutione refertur ad signatum, et effectum quem designat. Et isto modo haec relatio est forma proprie huius Sacramenti, et non verba plusquam aqua, quia utrumque se tenet ex parte fundamenti istius relationis.

Verumtamen quando plura concurrunt ad constitutionem alicuius effectus unius, ut visibile et audibile, comparando illa ad invicem, unum est *principale,* et aliud *minus principale,* quia non possunt esse sine omni ordine in illo tertio, et ex aequo; sicut patet in omnibus compositionibus ordinatis ad aliquod ut ad tertium. Huiusmodi sunt in Baptismo *aqua* et *verbum;* ergo alterum est *principalius* in signando. Hoc autem principalius est *verbum.* Quia secundum Aug., *II. de Doctrina christiana,* cap. 1: *Verba obtinuerunt principatum ad signandum inter omnia signa ad placitum;* quidquid autem signat, ex institutione tantum est; ergo etc. Nunc autem videmus, quod in compositis vere ex *materia* et *forma, forma* dicitur *principalior* pars compositi, quia dat *esse* sibi principaliter; ergo cum *verbum* sit *principalius* ipsa *aqua,* et principaliter concurrat ad ablutionem interiorem, et constitutionem fundamenti huius signi, quam aqua, ideo appropriate loquendo, respectu istius, *verba* possunt dici *forma* huius Sacramenti, sicut in aliis *principalior* pars compositi est *forma* alterius partis, et ita verbum, non *proprie,* sed *appropriate,* dicitur *forma* huius Sacramenti.

Sed isto modo loquendo de *forma,* suntne verba praedicta, * *Ego te baptizo in no-*

mine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti *, praecisa forma Baptismi? Respondeo et dico, quod aliud est *requiri necessario,* et aliud *de necessitate.* Ex parte *Sacramenti in se,* aliquid necessario requiritur, et ex parte *ministrantis* Sacramentum. Si autem omittatur aliquid, quod est necessarium *ex parte Sacramenti in se,* evacuatur virtus ex parte ministri, quia nihil facit; sed non e converso. Si enim minister omittat aliquod necessarium quantum est ex parte ministri et sibi incumbit ex officio, peccat mortaliter, omittendo illud * (nempe si omissum sit absolute vel relative grave) *; sed non propter hoc destruitur Sacramentum, quantum est ex parte sui.

Dico ergo, quod haec est precisa forma, *Ego te baptizo,* etc. in Sacramento Baptismi. Considerando autem necessitatem *ex parte ministri,* qui tenetur ex officio scire formam baptizandi traditam in Canone, dico, quod praetermittendo, vel mutando, non secundum essentialia, istam formam, vere dat Sacramentum, sed tamen peccat. — *Report.* IV. d. 3. q. 2. nn. 2. 3. 4. — *Oxon.* ib.

Sed estne illa praecisa forma verborum necessaria quantum est *ex parte Sacramenti?* Respondeo, quod sicut contingit fieri motum vel mutationem in rebus secundum *substantiam,* secundum *quantitatem,* secundum *qualitatem,* et secundum *ubi* * *(locum)* * *V. Physic. text.* 7. 9. et 18 (1), ita in proposito potest intelligi fieri mutatio, vel variatio verborum secundum *substantiam,* ut si alia verba ponantur pro istis, ut si dicatur: *ego balneo te in nomine Apostolorum Petri et Pauli;* vel secundum *quantitatem,* subtrahendo aliquid, ut nomen alicuius Personae Trinitatis, vel addendo aliquid; vel secundum *qualitatem,* corrumpendo, vel proferendo incongrue ista verba, vel syncopando; vel secundum *ubi,* scilicet transponendo verba vel aliquid interponendo.

Verborum autem omnium istorum, quae continent formam Sacramenti, *Ego baptizo te,* etc.; non est aequalis necessitas, quia quorumdam verborum forma est necessario requisita ad necessitatem Sacramenti, ut *in se,* ut haec pars, quae invocat omnes Personas Trinitatis, *in nomine Patris,* etc., quia per illas particulas exprimitur principaliter baptizans, a quo est immediate collatio gratiae, et ablutio interior, quae est effectus Sacramenti. Sed in verbis exprimentibus ministrum non est tanta necessitas, quia non est de necessitate Sacramenti *in se,* ut hoc pronomen demonstrans personam baptizantem, scilicet *Ego,* exprimatur. Pertinet tamen ad necessitatem Sacramenti expressio tam actus quam suscipientis actum, ut tam huius verbi *baptizo,* quam huius pronominis *te,* secundae personae; non ita persona baptizantis; Salvator enim exprimens *Matth. ultimo* (1), omnia necessaria, et instituens illud, non expressit baptizantis personam; expressit tamen tam actum in se, quam personam suscipientem, *euntes,* etc. *baptizantes eos, in nomine Patris et Filii,* etc. Graeci vero, qui vere conferunt Sacramentum Baptismi sub illa forma: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris et Filii,* etc. non exprimunt personam baptizantis. — *Report. ib.* n. 5. — Ad propositum dico, quod mutatio facta secundum *substantiam* verborum non semper mutat, vel destruit Sacramentum. Patet de mutatione verborum in forma, qua utuntur Graeci. Verbum enim *baptizo,* exprimens actum per modum indicativum, mutant ipsi in optativum *baptizetur,* et ubi nos loco suscipientis ponimus *te,* ibi ponunt *servus Christi,* et tamen utrumque est necessarium Sacramentum, et utraque forma salvat Sacramentum — *Ib.* n. 6.

De aliis etiam verbis magis necessariis ad hoc Sacramentum fieri potest mutatio *secundum substantiam* dupliciter: *uno modo* quod una dictio ponatur loco alterius *idem significans,* licet alio modo, et tunc dico, quod nec mutatur forma, nec virtus Baptismi. Vox enim est *materiale* in dictione et oratione, et signatum eius est *formale;* et ideo si signatum eius maneat idem, forma manet eadem; et per consequens baptizatio potest fieri in omni lingua, etiamsi differat secundum vocem apud di-

(1) Vid. exposit. Doctoris.

(1) Cap. 28. v. 19.

versos. — Si autem fiat mutatio secundum substantiam, ut loco unius dictionis ponatur alia *aliud significans,* hoc contingit dupliciter: uno modo ut simpliciter significet *aliud,* et tunc certum est quod non salvatur forma Baptismi, ut si dicatur: *Ioannes Roberni immergat in nomine Ioannis Roberni, et Petri.* Alio modo ut *idem* significet, licet sub alia et alia ratione. Et de hoc sunt opiniones, specialiter de hoc nomine *Christus,* utrum sit vera forma Baptismi, dicendo: *ego te baptizo in nomine Christi.* — *Ib.* n. 7.

Sed hic dubito an quis esset baptizatus sufficienter virtute istorum verborum, *ego te baptizo in nomine Christi,* quia nullus potest revocare legem statutam a superiore eius, nec ultra tempus dispensatum ab eo uti dispensatione eius. Christus instituit Baptismum dari, non in nomine *suo,* sed in nomine *totius Trinitatis explicite,* nisi forte pro tempore certo, et causa necessaria, ut divulgaretur nomen Christi; ergo nomine Christi divulgato, et causa cessante, non possunt Apostoli, cum quibus dispensatum fuit ad tempus, in nomine Christi baptizare, et post illud tempus formam institutam a Christo, ubi invocarentur Personae Trinitatis, aliqualiter revocare. Et ideo, si nunc aliquis teneretur ex officio scire formam institutam a Christo, et baptizaret aliquem in nomine *Christi,* ego credo quod nihil faceret in virtute Sacramenti. — *Ib.* n. 8.

De variatione *secundum quantitatem,* dico quod si aliquid addatur *repugnans* verbis principalibus formae, vel *diminuens* verba illa, nihil fit. Verbi gratia, de primo, si sic dicatur: *In nomine Patris maioris, et Filii minoris,* etc. Verbi gratia de secundo, si praemittatur vel disiungatur vel interponatur aliqua conditio, quae non existat, utpote: *Si ego sum omnipotens, ego te baptizo,* etc., vel si sit aliqua oratio disiunctiva contra rationem formae, quia disiunctiva non ponit determinate alteram partem; et eodem modo de similibus. Similiter si anteponitur vel postponitur aliquid non repugnans, fit; si aliter, non.

De *interpositione* tamen, esto quod non sit alicuius distrahentis vel repugnantis, est speciale hoc, quia si interrumpat unitatem debitam formae, non manet forma. Quando autem talis unitas necessaria interrumpitur, iudicatur ex aliis actibus humanis.

De *subtractione* vero, si subtrahatur aliquod verbum de non principalibus, dictum est prius. Si autem de principalibus aliquod subtrahatur, nihil fit, quia quodlibet verbum illorum est per se necessarium ad formam. Sed si subtrahatur aliqua syllaba per syncopam, non propter hoc destruitur forma.

De variatione *quantum ad qualitatem,* id est, *terminationes,* quae pertinent ad *congruitatem,* patet per illud *cap. de conver. dist. 4, Retulerunt,* ubi Papa respondit de Sacerdote qui baptizavit in *nomine Patria et filia et spiritu sancta,* quod si hoc fecit ex imperitia linguae latinae, non intendens inducere errorem, vere baptizavit. Quod intelligendum est, quando est talis incongruitas in fine dictionis, quae non prohibet quin possit capi conceptus significatus per dictionem.

De variatione *Ubi,* dico quod aliqua transpositio omnino variat sententiam, ut si diceretur: *Ego Patris baptizo te in nomine Filii,* etc.; aliqua autem transpositio permittit ut transposita teneant quasi eamdem virtutem in ipsa forma, ut si diceretur: *In nomine Filii et Patris,* etc. Et prima transpositio impedit, quia aufert conceptum orationis, ut instituta est. Secunda non impedit, quia etsi congruum esset servare ordinem, et necessarium sit hoc quantum ad ministrum, tamen non videtur omnino necessarium ex parte Sacramenti. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 2. nn. 11. 12; *ubi praedicta omnia late discutiuntur et solide stabiliuntur.*

Baptismi Materia. — Distingo de *materia,* sicut primo distinxi de *forma.* Materia uno modo accipitur *proprie,* prout est proprium *susceptivum* formae. Et sic *aqua* non est proprie *materia Baptismi,* quia non recipit in se formam Baptismi, quia verba non sunt in aqua. — Alio modo accipitur materia *appropriate,* sicut forma prius accipiebatur *appropriate,* comparando eam ad aliam partem compositi. Et sic verba ista, *ego te baptizo,* possunt dici *forma aquae,* ut *materiae,* quia in omnibus concurrentibus

ad aliquod tertium constituendum, unum concurrit ut *principale*, et *forma*, aliud ut *minus principale*, et *materia*.

Cum ergo *aqua* et *verba* sic concurrant ad constitutionem Baptismi et ablutionem corporis exteriorem, quae est Sacramentum, sequitur quod unum istorum est *principale* respectu tertii, et aliud *minus principale;* et per consequens unum esse *materiam* respectu alterius, quia in omnibus compositis et constitutis ex partibus unum habet rationem *materiae*, et aliud habet rationem *formae;* et *verba* non possunt esse *materia* respectu aquae in ablutione Sacramenti; sed *aqua* est *materia* respectu verborum, et materia Baptismi *remota*, quia per *appropriationem* tantum. Sed materia Baptismi *propinqua* est *ablutio in aqua* facta cum verbis, et applicatio verborum ad elementum, quod essentialiter est signum invisibilis gratiae et ablutionis animae interioris, et non aqua tantum, sicut dixit Bernar. Glossator.; propter quod prohibuit istam aquam permitti bibi ab asino, ne asinus biberet Sacramentum. Sed hoc nimis est *bernardice* dictum; quia ista aqua non est tantum Sacramenti Baptismi, nec materia proxima gratiae invisibilis, et ablutionis interioris, quia tunc omnis aqua esset Sacramentum, et materia proxima Baptismi, et illius effectus invisibilis; sed proxima materia est *ablutio exterior* cum verbis, ut dictum est.

Sed quare magis placuit Christo instituere hoc Sacramentum fieri in aqua, quam in alio liquore, ut in oleo, vel vino? Sunt multae et apertae congruentiae: aqua est *frigida, fluida, lucida, necessaria*, et *communis;* et hae omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo debet fieri Baptismus, qui est ad reprimendum *aestum* concupiscentiae, ad *flectendum* rigorem inobedientiae, ad *illustrandum* per claritatem fidei, ad *introducendum* in viam salutis; et hoc est *commune* omnibus * hominibus *, sicut lex ista * (evangelica) * communis est omnibus ad salutem.

Videndum est, quae sit aqua *naturalis*. Ad quod dico, quod omnis aqua, quae producta est in *esse* naturali ab agente naturali per naturam, est aqua *naturalis;* multa enim humida sunt producta in *esse* per artem, ut puta, per distillationem et ignem, auxilio naturae, quae non sunt verae aquae in specie aquae, ut elementum aquae.

Dico ergo, quod aqua *pura* est tantum conveniens materia Baptismi, quae non habet mixtionem cum alio. Sed *mixtionem fieri* potest intelligi dupliciter: uno modo, quod ex mixtionibus fiat aliquod tertium per se unum; sive sit *perfecte* mixtum, et *in termino* mixtionis, ut sunt composita corpora ex quatuor elementis * (terra, aqua, igne, aëre, iuxta veteres) *, vel *imperfecte* mixtum, et *in via* ad perfectam mixtionem, cuiusmodi sunt impressiones grandinis et nivis. Et aqua, sive sic, sive sic mixta cum aliis, non est materia Baptismi, dum est in tali composito. Unde per nivem dum est sic mixtum, nec per grandinem, antequam resolvatur in elementum aquae, non potest fieri Baptismus. Alio modo potest intelligi mixtio non proprie, sed *per appositionem*, vel *iuxtapositionem* partium, quae non apparet tantum iuxtapositio partium, sed etiam mixtio quaedam, sicut est in iuxtapositione partium liquidorum, ut aquae et vini, vel aquae et olei; vel solidorum cum liquidis, ut salis cum aqua, vel glaciei cum aqua; in quarum utraque iuxtapositione partium semper manet aqua actualiter in propria specie. Et de ista iuxtapositione partium adhuc distinguo, quia vel ista iuxtapositio partium prohibet *vim abluendi*, sicut est in aqua ita spissata cum pasta, vel siliqua, vel terra foetida, ut luto, quod non apparet puritas; et sic dico, quod non est conveniens materia Baptismi, quia Baptismus est Sacramentum, et *ablutio exterior*, quae est signum talis effectus invisibilis, ut *ablutionis animae interioris*. Unde per aquam impressam luto non fit materia Baptismi, quia non ablueret corpus, nec esset verum signum ablutionis interioris intinctio corporis in tali aqua. Si autem talis iuxtapositio partium *non impediat* vim abluendi, sicut est aqua maris coniuncta multis vaporibus terrestribus, et aqua communis, qua nunc communiter utuntur homines, sic potest esse materia conveniens Baptismi.

Quae autem aqua retinet suam speciem, et quae non in iuxtapositione partium, per-

tinet ad Naturalem scire. De quibusdam autem iuxtapositis patet eorum mixtio; et per consequens non sunt materia debita Baptismi; sicut urina digesta, quae est colatura sanguinis. De quibusdam autem aquis dubium est si conservent et retineant suam speciem, ut in lixivio et in cerevisia.

Sed de omnibus quae pertinent ad materiam istam, * id est, *ad materiam* et *formam* Sacramentorum, eorumque collationem et susceptionem *, pono tres regulas. Prima est, quod *in omnibus possibilibus via tutior eligatur;* unde nullus baptizet in aliquo liquore, de quo dubitat an sit pura aqua, si adsit possibilitas ad habendam aquam puram in specie aquae. — Secunda regula est, quod *si possibilitas non est ad habendum materiam convenientem alicuius Sacramenti, via propinquior viae certae, quantum possumus probabiliter iudicare, eligatur.* — Tertia regula, *si via propinquior viae certae non potest haberi, fiat quod licite fieri potest, et reliquum omissum est caute supplendum;* ut si aliquis dubitet * rationabiliter * se esse baptizatum, baptizetur sub conditione sic: *si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* — *Report.* IV. d. 3. q. 3. nn. 2-7. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 3. *per tot.*

Baptismi Minister. — *Nullum suppositum intellectuale* excluditur a potestate ministrandi hoc Sacramentum cuilibet alteri a se in articulo necessitatis, nisi propter triplicem defectum naturalem. Aut enim propter defectum *usus rationis,* propter quem non potest habere intentionem baptizandi (1); aut quia *non potest loqui,* ut propter defectum naturalem linguae, vel alicuius alterius instrumenti, quod requiritur ad formandum verba; aut propter defectum *instrumentorum necessario requisitorum* ad collationem huius Sacramenti, ut propter defectum vel impotentiam in virtute motiva manuum, quibus deberet corpus tangere et abluere.

Isti tres defectus simul concurrunt in parvulis; et ideo in illa aetate non possunt hoc Sacramentum conferre, licet postquam creverint, possint habere omnia ista simul, vel aliqua istorum. — In adultis autem sunt isti defectus divisim, quia aliquis *non habet usum rationis,* et tamen habet alia, ut *fatuus,* qui habet linguam, et ipsam potentiam motivam in manibus. Aliquis *habet usum rationis,* non tamen usum manuum, ut *mancus* vel *paralyticus.* Aliquis habet usum rationis et *manuum,* non tamen linguae, ut *mutus.*

In natura igitur humana nullus excluditur in necessitate, nisi per istos defectus naturales. Quod autem non habens usum rationis excludatur, patet *de Consecr. dist. 4. c. Solet.* Similiter etiam de manco et muto, *ibidem cap. firmissimum, 1. quaest. 1. cap. Detrahe.*

Aliae species naturae intellectualis excluduntur a potestate conferendi Baptismum *de congruo,* licet *non absolute,* quin possint baptizare. *Prima* congruentia ad hoc est, quia Christus, * Deus et *homo* verus *, fuit qui hoc Sacramentum instituit. — *Secunda,* quia in hoc Sacramento est aliquid *sensibile,* et aliquid *spirituale* et intellectuale, *1. quaest. 1. cap. Detrahe;* et ideo decet et congruit conferri a tali qui habeat utrumque. — *Tertia,* quia confertur illis, qui adscribuntur *militiae Christi,* ut filii *Ecclesiae militantis;* et congruum est ministrum ipsum conferentem esse de familia Christi *in Ecclesia militante.*

Verumtamen si conferatur ab Angelis bonis, vel malis de beneplacito divino, non esset iterandum. Possunt enim in corpore assumpto verba proferre, et corpus abluere, et intentionem rectam faciendi quod Ecclesia facit habere, et per consequens potestatem conferendi verum Baptismum. Et pro facto habendum esset si facerent; nec esset iterandum Baptisma collatum ab eis sub

(1) « In ministro ad hoc quod sacramentum Baptismi alicui conferat, requiritur intentio *virtualis habitualis* (*), quia non sufficit intentio sola *habitualis proprie* sumpta, quia tunc dormiens, vel actu ebrius sine usu rationis posset baptizare; nec requiritur intentio *actualis:* patet, quia talis non est semper in potestate nostra; sed requiritur intentio *virtualis,* ex cuius virtute fiunt omnes actus consequentes, qui sunt in Baptismo ». — *Report.* IV. d. 6. q. 6. n. 10.

(*) Vid. *Intentio actualis — habitualis — virtualis.*

debita forma, sicut nec collatum ad homine est iterandum. Unde Ecclesia in monte Gargano ab Angelo dedicata, non est postea dedicata ab aliquo Episcopo. — De Angelis tamen malis, licet possent baptizare, semper esset nobis dubitandum de eis, quia *mali* sunt et inimici, an recta intentione baptizarent, vel non; et quia Deus non ministrat Sacramenta salutis per ministros perpetuae damnationis; ita semper timendum esset ne eorum intentio esset mala.

Dico ergo, quod licet *non congruat* omnibus suppositis intelligentibus; hoc tamen *absolute potest competere* cuilibet habenti illas tres conditiones naturales. — *Report.* IV. d. 6. q. 1. nn. 2. 3. — *Oxon.* IV. d. 6. *per tot.*

Baptismi promulgatio duplex. — *Promulgatio* * Baptismi * fuit duplex: *una* per modum *consilii*, ut quando praedicabatur ab Apostolis, Christo adhuc vivente, ante eius Passionem. Patet Ioan. 3: *Venit Iesus et discipuli eius in Iudaeam, et illi baptizabant*, etc. Luc. 4: *Misit illos binos et binos ad praedicandum et baptizandum;* et tunc nullos ad hoc obligavit. — *Secunda* promulgatio Baptismi fuit per modum *praecepti;* quae, ut credo, incepit in die Pentecostes, quando Apostoli, accepto Spiritu Sancto in linguis igneis, praedicabant verbum Dei, ita quod quisque audiebat eos loqui in lingua, in qua natus erat, et appositae sunt animae circa tria millia, et baptizati sunt. *Act. Apost.* c. II. * v. 41. * — *Report.* IV. d. 3. q. 4. nn. 3. 4.

Hoc autem fuit congruum, quod primo promulgaretur per modum consilii, propter duo: *primo*, quia Lex Evangelica, quae est perfectissima, non debuit praecipitanter imponi, sed homines primo ad illam allici cadentem adhuc sub consilio, ut postea exercitatis posset sub praecepto imponi: *secundo*, quia Lex vetus non erat mala, sicut est idololatria, et ideo non debuit subito repelli, in hoc enim fuisset repulsa quasi mala; sed debuit Synagoga cum honore sepeliri, ut ostenderetur fuisse bona pro tempore suo. Impositio autem Baptismi per modum praecepti evacuatio fuit Circumcisionis, saltem quantum ad necessitatem. — Debuit autem aliquando sequi promulgatio per modum praecepti, quia aliter nunquam haberet Lex ista firmitatem vel necessitatem, saltem quantum ad illud Sacramentum. Sic ergo patet, quod prima obligatio Baptismi per modum consilii obligavit omnes ad *non contemnendum;* secunda autem per modum praecepti obligavit omnes, ad quos legitime venit, ad *suscipiendum.* — *Oxon.* IV. d. 3. q. 4. nn. 5. 6.

Beatificatio duplex. — Tam *actualis* quam *aptitudinalis.* — *Oxon.* III. d. 27. n. 5.

Beatitudines. — *Beatitudines*, quas posuit Salvator, *Matth.* c. 5. (1), sunt idem habitus cum habitibus *virtutum;* tamen aliquando nominantur species *specialiores* virtutum, quam sumantur in numero illo septenario virtutum prius assignato (2). — Duas quidem species *temperantiae* enumerat Salvator inter beatitudines, scilicet: *humilitatem*, quae moderatur circa primum delectabile, scilicet honorem, et hanc exprimit ibi: *Beati pauperes spiritu.* Ubi, secundum Augustinum, recte intelliguntur *pauperes spiritu recti* ac *timentes Deum, non habentes inflantem spiritum.* — Aliam speciem *moderantem voluptates in communi* exprimit illud: *Beati mundo corde,* etc. *Munditia* enim *cordis* est *immunitas voluntatis ab omni inordinata affectione, vel delectatione,* tam ratione sui, quam ratione *appetituum* sensitivorum, quibus coniungitur. — *Fortitudinem* exprimit in sua specie perfectissima, ibi: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* — *Iustitiae* exprimit tres species: unam quidem, quae est in *communicando seipsum per amicitiam,* et hanc exprimit cum dicit: *Beati mites.* Quamvis enim *amicitia* plus sit, quam *benevolentia,* secundum Philosoph. *VIII. Ethic.*, quoniam amicitia est non latens in contra passis, et *benevolentia* plus sit, quam *mititas,* quia *mites* sunt, qui non offendunt, nec resistunt in malum; tamen hoc minimum, quod est quasi infimum in amicitia, exprimit illam, qua quis *communi-*

---

(1) vv. 3-12.

(2) Vid. *Virtutes praecipuae.*

cat se proximo (1). — Aliam speciem, quae dividitur in *dominationem iustam*, et *obedientiam*, exprimit per illud: *Beati pacifici. Pax* quippe servatur in hoc, quod praesidens *recte regit*, et subditus *recte obedit*. — Tertiam speciem iustitiae, quae est quantum ad *exteriora communicanda*, exprimit ibi: *Beati misericordes;* nullo enim alio modo potest aliquis esse perfecte dispositus circa exteriora communicanda proximo, quam per misericordiam; *misericors* enim communicat, non ut rehabeat, nec ut prius rebeneficiatus ab eo, cui communicat; *liberalis* quidem, etsi communicet amico, potest tamen esse aliqua *liberalitas* inferior, quam *misericordia;* et ita liberalitas est imperfectior species *iustitiae* quam misericordia. Hanc autem iustitiam, quae est circa temporalia communicanda, expressit Salvator *Luc.* c. 14 (2): *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et caecos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* — Sic igitur habemus tres virtutes *morales* expressas in se, vel in suis speciebus.

Duas autem *theologicas* exprimit: charitatem ibi: *Beati qui esuriunt, et sitiunt iustitiam*; *esurire* quidem non est sine *misericordia*, sed *habitus* quo elicitur est *charitas; propriissime* enim *charitas* viae est *habitus, quo esurimus iustitiam, et diligimus Deum in se,* quod est *vera iustitia.* — *Spem* exprimit per illud: *Beati qui lugent; luctus* enim est habitus *desiderandi* illud.

Sic itaque in octo *beatitudinibus* duae exprimuntur virtutes *appetitivae theologicae*, et tres *morales: fortitudo* in se, et *temperantia* in duabus speciebus, et *iustitia* in tribus speciebus. Duae autem virtutes *intellectuales*, una *acquisita*, ut *prudentia*, et alia *infusa*, ut *fides*, quae non exprimuntur in se, nec in suis speciebus, satis dantur intelligi per *appetitivas*, quia non est voluntas optime disposita sine virtute correspondente in intellectu. — *Oxon.* III. d. 34. nn. 18-19. — Vid. *Concupiscibile* — *Irascibile.*

(1) Vid. *Amicitia.*
(2) vv. 13. 14.

Beatitudo. — Beatitudo magis est in *operatione.* — *Oxon.* III. d. 2. q. 1. n. 10. — Et in *actu* consistit beatitudo. — *Ib.* d. 31. n. 9. — Dico ergo, quod beatitudo consistit in *operatione:* vel *essentialiter*, si beatitudo accipiatur pro perfectione quae est ratio coniunctionis ad obiectum beatificum; vel *proxime fundamentaliter*, si beatitudo accipiatur pro ipsa coniunctione, ita quod, excepta relatione ad obiectum beatificum, ultimata perfectio intrinseca beati et proxima obiecto beatifico est operatio. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 27, *ubi hoc plene demonstrat.* — Beatitudo non est sine voluntate vel actu voluntatis. — *Ib.* I. d. 10. n. 2. — In solo actu qui est fruitio consistit beatitudo simpliciter naturae intellectualis. — *Ib.* IV. d. 49. q. 5. n. 2. — Nulla passio est beatitudo essentialiter; quia beatitudo est ultima perfectio, ex eo quod simpliciter optimo coniungit: sed nulla passio coniungit obiecto beatifico, sed tantum operationes. — *Ib.* q. 7. n. 3.

Illa ratio *beatitudinis*, quam Philosophus *I. Ethic.* reputavit specialem, quae scilicet consistit in speculatione altissimarum causarum perfectissima possibili homini, est valde ratio universalis; in speciali autem descendendo, ipse non videtur processisse ultra speculationem perfectissimam in vita ista. — *Ib.* d. 43. q. 2. n. 31.

De nomine *beatitudinis* hoc supponitur notum apud Philosophos loquentes de ea; quod beatitudo est bonum *sufficiens*, excludens scilicet *defectum*, vel *indigentiam;* est bonum *perfectum* vel *completum*, excludens *imperfectionem* seu *diminutionem;* est bonum *ultimum*, excludens *tendentiam* et *ordinabilitatem ad aliud completius bonum;* est bonum, *quo habito, complete bene est habenti.* — Hoc modo *miseria completa* est indigentia *firmata;* est etiam *carentia* perfectionis secundae, et in hoc *diminutio* boni secundi, et etiam *exclusio* illius, quod propter se amaretur si haberetur. Tandem misero *complete male est.* — Licet autem *sufficientia, perfectio, completio* et *bonitas* possint pertinere ad entitatem primam rei * (substantiam) *, vel secundam * (operationem vel potentiam) *; possunt etiam inclu-

dere tam illa quae pertinent ad entitatem primam, * quam illa quae pertinent ad * secundam; tamen quia *sufficiens* est *alicui* sufficiens, ac propter hoc praesupponit illud, cui sufficiat; *completio* etiam complet illud quod *iam praecessit*, quod sine eo esset quasi vacuum, seu non plenum; *perfectum* etiam excludit defectum, qui est carentia eius, quod *natum est inesse; bene esse* etiam non convenit alicui, nisi *iam existenti* per aliquid quasi superadditum; ideo haec omnia magis pertinent ad perfectionem *secundam*, quam * ad * primam. Quia etiam ultimate et complete non perficitur aliquid nisi in extrinseco perfectivo, quod natum est sic perfici, ideo haec magis pertinent ad perfectionem *secundam*, inquantum *coniungit cum perfectivo extrinseco*.

Ex his posset distingui beatitudo in *simpliciter*, et *secundum quid:* ut illa sit *simpliciter* beatitudo, quae est perfectio secunda immediate coniungens obiecto, sive extrinseco perfectivo *nobilissimo; secundum quid* autem coniungens obiecto *minus nobili* perfectivo; et si quidem nobiliori ipsa natura, quae coniungitur, magis accedit ad rationem beatitudinis simpliciter; si autem minus nobili, magis recedit ab ea. — Posset etiam distingui aliter hoc nomen *beatitudo*, quia potest accipi pro *coniunctione* ad perfectivum extrinsecum, vel pro *fundamento proximo* illius coniunctionis; siquidem a relationibus possent fieri plurimae denominationes ordine quodam, et abstractiones ab illis denominatis. — *Oxon*. IV. d. 49. q. 2. nn. 25. — 26. — Illa, *Beatus est qui habet omnia quae vult, et nihil mali vult*, ex August. *XIII. de Trinit*. c. 5., non est *definitio* beati, sed *descriptio*, et verior caeteris improbatis; quia est per *necessaria concomitantia* beatum; non sic aliae descriptiones improbatae ab Aug. (1). *Quicquid vult* non accipitur ibi *divisive* pro volitis *formaliter*, sed pro aliquo uno, in quo sunt *unitive* omnia recte volita; ut sit sensus: *beatus est qui habet perfecte secundum modum sibi possibilem aliquod obiectum propter se volendum, in quo habet unitive et eminenter quicquid potest recte velle* (1); et illo intellectu includitur propositum, quia per operationem habet hoc modo quicquid vult.

Auctoritatem Boëtii, * *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus* *, oportet exponere: vel quod hoc nomen *beatitudo* est aequivocum ad perfectionem finalem seu completivam *extensive*, sive *intensive* acceptam, et ista est descriptio beatitudinis accepta secundum totalitatem *extensivam;* vel oportet dicere, si accipiatur pro totalitate *intensiva*, quod est *status perfectus aggregatione omnium bonorum in uno bono eminenter et unitive continente*; vel si in illo non est aggregatio propter simplicitatem, tunc tertio modo *aggregative* debet intelligi, tanquam praecedens vel concomitans illum statum perfectum, non autem de eius essentia. — *Ib*. n. 28.

Ex hoc sequitur illa ratio communissima beatitudinis, sive commune dictum de beatitudine, quod scilicet beatitudo non est *sine coniunctione ultimata ad suum optimum:* non pono modo aliquam definitionem beatitudinis. Isto modo non est visus beatus, *nisi coniungatur perfecto visibili*, sicut anima non est beata, nisi gratia, vel Deus *coniungatur ei;* et ita hoc est verum in generali, de quacumque potentia, *cui perfecte bene est*, et

---

(1) « Augustinus, *XIII. de Trinitate*, c. 5, aliis definitionibus beatitudinis reprobatis, concludit quasi pro vera definitione: ***Beatus igitur non est nisi qui habet omnia quae vult, et nihil mali vult.*** Ex hoc sequitur: quando in concretis est praedicatio *per se primo modo*, sequitur quod abstractum praedicatur de abstracto. Patet in exemplo: *album est coloratum* per se primo, et per consequens non ratione *subiecti*, sed ratione *formae;* et ideo haec est vera: *albedo est color*. Igitur si haec est vera primo modo, *beatus habet quidquid bene vult*, sequitur quod beatitudo est (ut ita dicam) *habitio* cuiuscumque voliti ». — *Quodlib*. q. 13. n. 7.

(1) « Quando dicitur quod *beatus est qui habet quidquid vult* etc., dico, quod *quidquid* non distribuit ibi pro singulis volibilibus in se, sed prout sunt in aliquo uno *eminenter;* et tunc est sensus: *Beatus est qui habet quidquid, vel omnia quae vult*, id est, *quidquid est recte volendum eminenter in ipso summo volibili;* et sic habere quidquid est recte volendum, est habere obiectum beatificum, et obiectum nobilissimum; et sic dico quod habet quidquid vult, id est, obiectum infinitum et beatificum ». — *Report*. IV. d. 49. q. 3. n. 8. = *Oxon*. ib. n. 10.

visui, et intellectui hoc competit, sicut et voluntati. — Ulterius, quodlibet natum est coniungi *suo optimo ultimate;* quaecumque autem non possunt habere pro bono suo, nisi materialia et corporalia, non possunt coniungi *simpliciter optimo.* — Ex his potest alicui bene esse *in se,* sed non *simpliciter;* unde esse sic est coniunctio cum *diminuto ultimo,* et *diminute* competit illi bene esse; sed coniunctio cum perfecto optimo competit bene esse *simpliciter* et perfecte.

* Cum * ergo * dicitur *, quod beatitudo est *in coniunctione cum bono suo optimo,* distinguitur: quia coniunctio cum bono suo optimo est dupliciter: vel quando coniungitur suo optimo, et *perfecte optimo,* et sic est beatitudo *simpliciter;* vel quia coniungitur *non perfecte* cum suo optimo, et sic est beatitudo *secundum quid.* Ista autem coniunctio cum optimo, quando est *perfecta simpliciter,* non potest esse nisi per aliquid *intrinsecum.* Beatitudo autem *simpliciter* erit perfectio *simpliciter* coniungens suo optimo; et beatitudo *secundum quid* erit perfectio coniungens *secundum quid* suo optimo. Sic igitur oportet, quod sit aliquid in illo, quod est natum coniungi, quo formaliter coniungatur suo optimo; haec est autem beatitudo. Ex hoc habentur multae descriptiones beatitudinis.

Ulterius dico, quod quilibet actus primus ordinatur ad attingendum suum optimum per operationem, tanquam per medium finem; et sic sequitur, quod beatitudo sit *in operatione,* sive quod sit *per operationem.* Hoc apparet a simili de beatitudine, quae est *secundum quid,* quia coniunctio quaecumque localis, vel quaecumque alia, sine operatione, non est ultimata, sed est ulterior aliqua alia.

Ex his patet ratio et descriptio beatitudinis, et explanatio Augustini, Boëtii, et Aristotelis de *beatitudine.* Unde Augustinus, *XIII. de Trinitate,* cap. ult.: *Beatus est qui habet omnia quae vult, et nihil mali vult;* ibi accipit *omnia* non *distributive* pro *singulis,* sed *unitive,* et *excellentius in illo optimo,* cui coniungitur, quam *in se;* et ideo beatus non est simpliciter, qui habet quae vult *in vita ista,* quia non habet omnia, quae *potest velle;* et ideo dicitur *quae vult,* id est, ordinate potest velle; simpliciter enim mali habent quae volunt, sed non aliud, et ideo additur *nihil mali vult.* — Similiter patet descriptio *beatitudinis* quam ponit Boëtius *III. de Consolat. prosa 2: Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Scilicet status, in quo * beatus * habet in *aggregatione* omnia sibi convenientia, et quae desiderare potest. Istae autem definitiones datae sunt de beatitudine *secundum quid.* — Item, patet similiter de definitione Philosophi, quam ponit *I. et X. Ethicorum,* ubi dicit quod *felicitas est operatio optima in vita perfecta.* Dicitur autem *operatio optima,* quia coniungens secundum se *ultimate perfecto* obiecto. De perpetuitate autem non curavit, quia illa non est essentialis operationi et beatitudini, secundum eum, ita quod ante operationem non est potentia nisi aliquid in se; sed post operationem, potentia est bonum in se et in alio.

Sic igitur patet, quod *beatitudo* est *alicui ultimate bene esse,* et non est nisi *per operationem,* secundum quamlibet rationem vel descriptionem *beatitudinis.* — *Report.* IV. d. 49. q. 1. nn. 6. — 8.

Beatitudo divina — creata. — Una excellentia beatitudinis *divinae* super *creatam* * est *, quia illa *ut absoluta* est plene ultimum bonum eius; beatitudo creata non est ultimum bonum, *nisi cum relatione annexa.* — *Quodlib.* q. 13. n. 17.

Beatitudo dupliciter accipitur. — Posset distingui hoc nomen *beatitudo: quia* potest accipi pro *coniunctione* ad perfectivum extrinsecum, vel pro *fundamento proximo* illius coniunctionis. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 26. — Quando igitur dicitur; quod est ultima perfectio *inquantum* praecise connectit cum obiecto, reduplicatio ista potest intelligi fieri vel ratione *relationis,* vel ratione *fundamenti proximi.* Primo negandum est, quia ipsa formalis ratio relationis non est sibi ratio essendi ultimam perfectionem. Secundo modo concedendum est, quod inquantum connectit, hoc est inquantum est fundamentum proximum connectens, sic est per-

fectio ultima. — Per idem patet ad illam confirmationem: *Beatus est, qui habet*, etc. Si enim *habere* intelligatur ibi importare *relationem*, tunc vel est descriptio per illud quod necessario concomitatur operationem beatificam, vel hoc nomen *beatitudo* non importat praecise absolutum, sed cum respectu ad obiectum. Si autem per *habere* intelligatur *operatio*, qua obiectum habetur, iuxta illud Augustini *83 Quaest.* quaest. 35. *Habere Deum nihil aliud est nisi nosse*, tunc *habere* beatificum non importat per se relationem, sed illa tantummodo concomitatur. — *Quodlib.* q. 13. n. 17.

Beatitudo formalis — obiectiva. — Beatitudo est duplex: quaedam *formalis*, et quaedam *subiectiva*. Beatitudo *formalis* est, quae est *perfectio coniungens optimo fini;* sed beatitudo *subiectiva* et *obiectiva* est *ipse Deus*. — *Report.* IV. d. 49. q. 1. n. 9.

Beatitudo naturae — potentiae = extensiva — intensiva. — Non loquendo de *beatitudine*, ut dicit *aggregationem omnium bonorum* pertinentium ad beatificabile, sed ut dicit illud *quo* immediate attingitur ultimate obiectum beatificum (1), posset distingui de beatitudine *naturae* intellectualis, et de beatitudine *potentiae;* sic quod licet *natura* non beatificetur *nisi secundum potentiam*, tamen in natura est aliqua potentia *beatificalis*, cuius beatitudo non est simpliciter *beatitudo naturae*, quia non est in illo simpliciter *perfecte bene ipsi naturae*, sed in aliquo alio nobiliori isto, licet ex illo sit *simpliciter bene huic potentiae*.

Secundum hoc ergo potest dici, quod *beatitudo naturae intellectualis* consistit in *operatione unica tantum*, quia tantum in unica est *sibi simpliciter perfecte bene*, ita quod nihil sibi desit: non tanquam hoc includat omnia pertinentia *ad bene esse naturae*, sed dicat complementum omnium in *bene essendo*. Istud probatur, quia sicut obiectum beatificum *unicum re* et *ratione* est, in quo tanquam in extrinseco perfectivo est huic naturae perfecte bene, et non nisi inquantum attingitur ab ista natura simpliciter immediate per operationem, ita talis operatio simpliciter erit *unica*.

Secundo modo, dicendo *omnem* potentiam esse beatificabilem, quae potest immediate attingere obiectum beatificum, distinguendum est de *immediatione:* aut enim excludit medium *eiusdem* ordinis, quod scilicet sit medium isti attingendi in suo ordine, sicut operatio est medium ipsi potentiae in attingendo obiectum; aut excludit medium *alterius* ordinis, quod scilicet nihil sit illo immediatius, sive perfectius attingens, sive illud sit isti ratio attingendi, sive non. *Exemplum* huius distinctionis: causa prior et posterior *immediate* attingunt idem passum, ita quod neutra causa agens in passum est *medium* per quod attingat illud commune passum; tamen prior causa *immediatius* attingit, quia *intimius* et *perfectius*, quia tota attingentia posterioris est in virtute prioris.

Primo modo concedendum est, quod *immediate* tam intellectus beatificabitur, quam voluntas, quia immediatus terminus operationis utriusque potentiae est ipsum obiectum, ita quod neutra est *media* respectu alterius in ratione obiecti, nec in ratione attingendi obiectum, ut attingitur per istum actum; et ita beatitudo *totalis extensiva* possibilis in natura intellectuali, quia est beatitudo duarum potentiarum, quarum utraque est suo modo beatificabilis, ista, inquam, consistit *in pluribus* operationibus; et isto modo, si possent esse in natura intellectuali *decem* potentiae, quarum quaelibet per operationem suam attingeret immediate Deum, beatitudo *totalis extensiva* consisteret in *decem* operationibus. — Secundo autem modo loquendo de *immediatione*, planum est, quod non consistit beatitudo nisi in *unica* operatione; quia nonnisi unica potentia in natura *perfectissime* attingit obiectum. Sic ergo loquendo de beatitudine *naturae*, qua scilicet *ipsi naturae* simpliciter est optime, saltem ex parte obiecti optimi, et ut optimi cui coniungitur, beatitudo non est nisi in *unica* operatione *unius* potentiae. Consimiliter etiam loquendo de beatitudine *poten-*

(1) « Beatum esse non est nisi cum ultimate bene est in coniunctione perfecta ad optimum. Ista autem coniunctio perfecta potest intelligi dupliciter: *intensive* et *extensive* ». — *Report.* IV. d. 49. q. 5. n. 10.

tiae, prout includit *immediationem* utroque modo dictam. Nullo ergo modo potest poni consistere in *duabus* operationibus, nisi ponendo quod ad operationem beatificam non sufficiat operatio unica sine alia, quod tamen est dubium. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 3. nn. 5-7; 9-11 — q. 6. n. 20.

Beatus. — *Beatus igitur non est nisi qui et habet omnia quae vult, et nihil mali vult* (Aug. *de Trinit. lib. XIII. cap.* 5). Ita intelligenda est haec definitio, quod beatus est qui habet quidquid *ordinate potest velle*, non tantum quidquid *nunc actu vult;* tunc enim aliquis viator posset esse beatus pro tunc, quando de uno tantum ordinate cogitat. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 20. — Beatus habet quidquid *potest recte velle*, non de potentia *absoluta*, sed de potentia *ordinata;* vel si de potentia *absoluta*, potest sic intelligi: quidquid potest absolute *recte* velle, hoc est, quidquid Deus *vult voluntatem velle;* Deus autem non vult aliquam voluntatem velle libere maiorem gloriam habere, quam sibi contulit, et ideo non potest aliam gloriam *recte velle.* — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 15. — Vid. *Beatitudo.*

Beatus-Miser. — *Beatus* est, *cui complete bene est*, sicut *miser* est, quando *complemento* sui *esse* caret. — *Report.* d. 49. q. 1. n. 6.

Beatus — non beatus. — *Beatus* non distinguitur a *non beato*, nisi videndo obiectum beatificum, ut est obiectum beatificum, et ea quae includuntur in ipso, ut est tale obiectum. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 8. n. 10 — d. 49. q. 3. n. 11.

Bellicositas — Patientia. — Irascibilis indiget moderari per habitum, ne immoderate velit propellere offendens et ulscisci de illo, sed moderate velit propellere propellenda, et non propellere non propellenda. Habitus autem, quo disponitur ad *propellendum propellenda*, non est nominatus, licet posset dici *bellicositas*, vel aliquid tale; habitus autem, quo disponitur *ad non repellendum non repellenda*, dicitur *patientia.* Et quia difficilius est non repellere offendens quam repellere, ideo patientia est nobilissima fortitudo, iuxta illud Poëtae: *nobile vincendi genus est patientia;* vincit enim qui patitur. — *Oxon.* III. d. 34. n. 11.

Beneficium. — *Beneficium* videtur esse effectus amoris, cum *probatio dilectionis sit exhibitio operis.* — *Expos. in Metaph.* lib. I. S. 2. c. 2. n. 45.

Benevolentia. — Vid. *Beatitudines.*

Benignitas. — *Benignitas* est quasi benevolentia et *bona igneitas.* — *Oxon.* III. d. 34. n. 21.

Bonitas actus interioris — exterioris. — De bonitate actus *naturali* manifestum videtur, quidquid per illam intelligatur, quod ipsa est alia et alia alterius naturae * actus *interioris* et *exterioris* *. — *Quodlib.* q. 18. n. 2. — Potest * etiam * dici, quod actus *exterior*, scilicet imperatus, habet bonitatem *moralem* propriam aliquam aliam, quam actus *interior* elicitus. — *Ib.* n. 12, *ubi hoc fuse explicat et probat.*

Bonitas et malitia triplex. — Ultra bonitatem *naturalem* volitionis, quae competit sibi inquantum est *ens positivum*, quae etiam competit cuicumque enti positivo, secundum gradum suae entitatis magis et minus; praeter illam, est triplex bonitas *moralis*, secundum ordinem se habens: prima dicitur bonitas *ex genere;* secunda potest dici bonitas *virtuosa*, sive *ex circumstantia;* tertia bonitas *meritoria*, sive bonitas *gratuita*, sive bonitas *ex acceptatione divina in ordine ad praemium.*

Prima competit volitioni ex hoc, quod ipsa *transit super obiectum conveniens tali actui, secundum dictamen rectae rationis*, et non solum quia est conveniens tali actui *naturaliter*, ut sol visioni; et haec est prima bonitas moralis, quae ideo potest dici *ex genere*, quia est quasi *materialis* respectu omnis boni ulterioris, in genere moris. Nam actus transiens super obiectum est quasi *formabilis* per quamcumque aliam circumstantiam moralèm, et ita quasi *potentiale* non omnino *extra genus moris*, quia iam habet aliquid de illo genere, puta *obiectum conveniens actui.* — *Secunda* bonitas convenit volitioni ex hoc, quòd ipsa elicitur a voluntate *cum omnibus circumstantiis dictatis a recta ratione, debere sibi competere in eliciendo ipsam* (1). Bo-

---

(1) « Bonitas moralis actus est integritas eorum omnium, quae recta ratio operantis iudicat debere ipsi

num enim est ex causa integra, secundum Dionys. *IV. de Divin. Nomin.*, et illud est quasi bonum *in specie* moris, quia iam habet quasi omnes *differentias* morales contrahentes bonum *ex genere*. — *Tertia* bonitas convenit actui ex hoc, quod, praesupposita duplici bonitate iam dicta, ipsa elicitur *conformiter principio merendi*, quod est *gratia* vel *charitas*, sive *secundum inclinationem charitatis*. — Exemplum de *primo:* dare eleemosynam. Exemplum de *secundo:* dare eleemosynam de proprio, pauperi qui eget, et in loco, quo melius potest sibi competere, et propter Dei amorem. Exemplum *tertii:* istud opus facere non tantum ex inclinatione naturali, sicut potuit fieri in statu innocentiae, vel forte modo potest fieri a peccatore, si adhuc peccator existens, et non poenitens, ex pietate naturali moveretur ad proximum, sed *ex charitate*, ex qua faciens est amicus Dei, inquantum respicit opera eius. — Haec triplex bonitas est ita ordinata, quod prima praesupponitur secundae, et non e converso; secunda tertiae, et non e converso.

Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia. *Prima* quidem malitia *ex genere*, quando scilicet actus, qui tantum habet bonitatem *naturae*, ex quo deberet constitui *in genere* moris, habet malitiam, quia transit super obiectum *disconveniens*, puta si odire transit super Deum. — *Secunda* est malitia ex aliqua *circumstantia* deordinante actum, licet transeat super obiectum conveniens secundum rectam rationem actui. — *Tertia* est malitia in demerito.

Quaelibet istarum malitiarum potest accipi *contrarie*, vel *privative* respectu suae bonitatis. Et ut *privative* accipitur, *tantum privat* ipsam bonitatem; ut accipitur *contrarie*, *ponit* aliquid ultra carentiam illam, repugnans tali bonitati. Haec distinctio apparet per Boëtium, *super Praedicamenta c. de Qualitate*. — Sed malitia *ex genere contrarie* accepta et *privative* convertuntur; et ideo sicut inter privationem et habitum immediatum non est medium, ita bonum *ex genere*, et malum *ex genere* sunt contraria immediata. Ratio est, quia actus non potest esse quin transeat super obiectum, et illud necessario est conveniens, vel disconveniens actui; et ita necessario actus bonus *ex genere*, ex obiecto *convenienti*, vel actus malus *ex genere*, ex obiecto *disconvenienti*. — Malitia *privative* accepta in secundo modo et *contrarie* non convertuntur. Potest enim aliquis actus *carere* circumstantia requisita ad perfectionem actus *virtuosi*, et tamen *non elici cum* circumstantia repugnante, quae redderet illum actum *vitiosum;* puta, si det eleemosynam pauperi non ex circumstantia finis, quia non considerat; nec secundum alias circumstantias requisitas ad actum *virtuosum*. Iste quidem actus non est bonus vel *virtuosus* moraliter, quia non est *circumstantionatus;* nec tamen malus *contrarie*, quia non ordinatur ad finem *indebitum*, sicut faceret qui daret eleemosynam pauperi propter vanam gloriam, vel propter aliquem alium finem indebitum. — Malitia tertio modo *contrarie* et *privative* accepta non convertuntur; quia actus potest esse malus *privative*, ita quod non eliciatur *ex gratia*, et tamen non erit *demeritorius*. Quod patet ex secundo membro, quia ille actus qui est *bonus simpliciter* in genere moris non est *meritorius*, et tamen non omnis actus talis est *demeritorius*. Et ita tam in secundo membro, quam in hoc tertio, videtur poni actus *indifferens*, qui licet sit malus *privative*, non tamen *contrarie* (1). — Similiter non solum propter neutralitatem actus in secundo modo potest esse *neuter* in tertio modo, id est, nec bonus nec malus, accipiendo ista *contrarie;* sed propter dispositionem ipsius operantis, puta si in statu innocentiae absque gratia aliquis recte egisset, fuisset quidem ille actus perfecte bonus secundo modo, et tamen non bonus tertio modo, quia non habuisset principium *merendi;* nec malus *contrarie*. Forte tamen in statu isto non est aliquis actus neuter inter bonum et malum, sumptum tertio modo, nisi in uno casu, quando scilicet actus est bonus *ex circumstantia*, ad quem non inclinat charitas. Et ratio est,

---

actui convenire, vel ipsi agenti in suo actu convenire ». — *Quodlib.* q. 18. n. 3.

(1) Vid. *Actus indifferens.*

quia modo quilibet vel est in gratia, vel in peccato. Si *in gratia*, et habet actum bonum secundo modo; ergo gratia inclinat ad illum, et ita est *meritorius*. Si autem habet actum malum secundo modo, planum est, quod ille est *demeritorius*. Semper enim malitia prior infert secundam; non e converso. Si est *malus*, et habet actum malum secundo modo, peccat illo actu. Si est malus, et habet actum bonum secundo modo, ille non est *bonus* tertio modo, nec *malus* tertio modo; ergo *neuter*, quantum ad bonum et malum, ut sunt contraria tertio modo; nec tamen est neuter loquendo de secundo modo. — *Oxon.* II. d. 7. n. 11. seqq. — *Ib.* d. 40. nn. 2. 3. — *Ib.* I. d. 17. q. 3. nn. 3. et 12. — *Report.* II. d. 7. q. 3. n. 27. — *Ib.* d. 40. nn. 2. 3. — *Quodlib.* q. 18. n. 8. — *Miscell.* q. 3. nn. 10. et 15. = Vid. *Actus bonus naturaliter — moraliter*, etc.

Bonitas intrinseca — extrinseca. — Vid. *Perfectio seu Bonitas intrinseca — extrinseca.*

Bonitas prima — secunda. — Sicut *perfectum* distinguitur, ita et *bonum*. Unde licet quodcumque ens sua entitate sit bonum bonitate *prima*, non tamen bonitate *secunda*. Et de ista praecipue videtur Boëtius tangere in libello suo de *Hebdomadibus*, ubi vult, quod bonitas sit accidens, et quod res non in eo quod sunt, bonae sunt. Istam autem secundam bonitatem sic signanter exprimimus: *huic rei bene est.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 24.

Bonum arduum. — Quaero, quid intelligitur per *bonum arduum?* Aut bonum *absens;* aut non solum hoc, sed *excedens* facultatem potentiae, cui dicitur arduum; aut tertio bonum *appretiabile*, id est amabile excedens omnia alia sibi contraria. — *Oxon.* III. d. 26. n. 7.

Bonum entitativum — perfectivum. — Duplex est bonum: unum quod *convertitur cum ente*, et de illo bono tantum habet unumquodque quantum habet de entitate. — Aliud est bonum, quod *est idem* quod *perfectum*, quod non incurrit aliquem defectum. — *Collat.* XII. n. 5.

Bonum essentiale — morale. — Bonum accipitur dupliciter: uno modo pro perfectione *essentiali;* et alio modo pro bono *moris*. — *Physic.* II. q. 9. n. 7.

Bonum — Finis. — *Bonum* secundum propriam rationem habet rationem *finis;* nam *bonum* est quod omnia appetunt, ex *I. Ethic.* cap. 1.; illud autem in quod tendit appetitus videtur habere rationem *finis*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 2. c. 4. n. 69.

Bonum — Fruibile. — *Bonum* uno modo *convertitur cum ente;* et isto modo *bonum* potest poni in quolibet genere; sed *bonum* ut sic non habet rationem obiecti *fruibilis*, et ideo non oportet quod in quocumque sit *bonum* hoc modo sumptum, quod sit ibi proprie ratio obiecti *fruibilis;* ratio enim boni *fruibilis* non est ratio boni *in communi*, sed boni *perfecti*, quod est bonum non habens defectum, vel saltem secundum apparentiam est tale, vel secundum praeflxionem voluntatis. — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 12.

Bonum honestum — utile — delectabile. — Ut habetur *IV. Ethicorum cap. 9. et circiter*, sed expressius habetur *VIII. Ethicorum*, triplex est bonum, scilicet: bonum *honestum*, bonum *utile*, et bonum *delectabile* (1). *Primum* est bonum secundum se, et habet rationem *finis proprie*, et est amabile amore *amicitiae*. *Secundum* bonum habet magis rationem amabilis amore *concupiscentiae* (2), et sic potest habere rationem *finis*, non tamen *ita proprie* sicut primum bonum; magis autem habet rationem *eius, quod est ad finem;* sicut medicina *utilis* ad sanitatem *ordinatur* ad sanitatem ut ad finem. — *Tertium* bonum, scilicet *delectabile*, magis etiam habet rationem *eius, quod est ad finem*, licet rationem *finis* habeat *aliquo modo*, non tamen sic sicut primum bonum. Bene ergo ait Aristoteles, quod omne quod est bonum *propter se*, et secundum suam naturam, quod *proprie* est bonum *honestum, finis* est, et ita causa *cuius gratia* sunt et fiunt alia. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. II. n. 9. — Est duplex bonum in genere, scilicet: *delectabile* et *ho-*

---

(1) Vid. *Amor triplex.*
(2) Cfr. *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 5.

nestum; bonum enim *utile* ordinatur ad ista duo bona; bonum autem *honestum* est, quo modo homo *bene meretur;* bonum vero *commodi* est quod *redditur ei pro praemio,* et habet quamdam habitudinem bonam ad bonum meriti, scilicet iustitiam. — *Report.* IV. d. 46. q. 4. n. 21. — *Oxon.* III. d. 34. n. 10; IV. d. 46. q. 4. n. 4. — Vid. *Damnatorum punitio.*

Bonum — malum. — * Bonum et malum * non sunt *privative* opposita circa actum, loquendo de bonitate et malitia morali, vel etiam loquendo de bonitate et malitia meritoria vel demeritoria; non enim est actus malus ex hoc solo, quod caret bonitate *tali* vel *tali,* sed quia caret bonitate *quam debet habere;* non autem omnis actus debet habere *talem* bonitatem. — *Oxon.* II. d. 41. n. 5.

Bonum — Perfectum — Finis. — Secundum Philosophum *V. Met. c. de perfecto, bonum* et *perfectum* idem est. Duplex autem est perfectio rei, scilicet: *intrinseca,* ut forma, et *extrinseca,* ut finis. Alicuius etiam potest esse duplex finis, scilicet: *remotus,* et *propinquus;* et remotior est realiter principalior, quia ad illum ordinatur propinquior. — *Oxon.* IV. d. 31. n. 4.

Bonum — perfectumque duplex — Malum. — Cum privatio *cognoscatur per habitum,* ut *tenebra* per *lucem,* oportet scire quid *bonum* significat. Dico, quod *bonum* et *perfectum* idem sunt, *VI. Metaph. Perfectum* autem dupliciter dicitur: *uno* modo, *cui nihil deest,* et hoc intrinsece; et illud est perfectum perfectione essentiali intrinseca, seu perfectione *prima. Alio* modo dicitur perfectum perfectione *secunda.* — Sic igitur *bonum* duplex est: primo modo, et secundo. Bonum primo modo non potest habere *contrarium,* neque *privativum* in natura, quia contraria *nata sunt fieri circa idem;* igitur quod non est natum inesse alteri non habet contrarium, neque privative oppositum: sed bonum seu perfectum perfectione *prima,* inquantum primum, non est natum alteri inesse. Bonum igitur bonitate *prima* tantum habet oppositum *contradictorie,* ut *non bonum.* Bonum autem secundo modo, quod est extrinsecum, habet *malum* oppositum *privative.* Malum enim est *privatio boni,* secundum Damascenum cap. 18., ut tenebra luminis; isto igitur secundo modo opponitur malum *privative.* — *Report.* II. d. 34. n. 3.

Bonum « simpliciter » dupliciter accipitur. — Illud enim potest intelligi, vel ut distinguitur contra bonum *apparens,* vel ut distinguitur contra bonum *in singulari* acceptum. — *Oxon.* III. d. 33. n. 6.

Bonum universi duplex. — Notandum, quod sicut in exercitu est considerare duplex bonum: *unum* quod consistit in ordine *ipsius exercitus,* et *aliud in Duce* qui exercitui principatur, potius tamen est *bonum Ducis,* quatenus ordo exercitus ordinatur ad bonum Ducis, ut ad finem, scilicet quia ad complendum voluntatem Ducis pro victoria prosequenda; sic et in universo est bonum utroque modo. Nam est aliquod bonum *separatum,* nempe *primum,* quia movens, ex quo sicut ex fine et bono appetibili, dependet coelum et natura. Iterum *in partibus* universi est ordo; et sic universum habet bonum *ordinis* et bonum *separatum.* Sic tamen, quod bonum *separatum* est potius in ipsa bonitate; quia totus ordo universi est *propter primum* movens, ut propter finem. Quare oportet, ut sic *a primo movente* sit totus ordo universi, sicut et ordo exercitus non est solum propter Ducem, sed etiam est *ab ipso Duce.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 3. c. 1. n. 81. — *Ib.* lib I. S. 1. c. 2. n. 26. — Cf. *Oxon.* IV. d. 48. q. 2. n. 17.

C

Caecus. — *Caecus* non connotat nisi oculum, qui est commune subiectum caecitatis et visionis; et tamen numquam inest oculo per solam rationem oculi, sed per aliquam aliam entitatem positivam, quam consequitur ista privatio, puta, per talem mixtionem in oculo, cum qua non possit stare visio. — *Oxon.* I. d. 28. q. 2. n. 14.

Calumniator. — Impositor falsi criminis, vel cuiuscumque veri, licet occulti, quod non potest probare, pro *calumniatore* habetur *Extra, De calumnia.* — *Oxon.* IV. d. 21. q. 2. n. 17.

Cambium. — Vid. *Dominii translatio.*

Caro secundum materiam — secundum speciem. — I. *de Generatione,* cap. *de augmento* * ait Philosophus *: *Caro secundum speciem augetur, non caro secundum materiam; et caro secundum speciem manet, caro autem secundum materiam fluit et refluit.* — *Oxon.* IV. d. 44. q. 1. n. 5. — Pars secundum formam potest dici quamdiu habet *esse* secundum formam, vel quamdiu habet *agere* secundum formam. *Primo modo* parti secundum *speciem* non opponitur proprie pars secundum *materiam,* nisi sicut homini vivo opponitur homo mortuus. Et sic eadem pars dicitur pars secundum *speciem* dum manet in toto; et pars secundum *materiam* quando fluit, sicut idem dicitur primo homo vivus, et postea mortuus. — *Secundo modo* alia est pars secundum *speciem,* alia secundum *materiam.* Unde * Philosophus * vocat carnem secundum *materiam,* et carnem secundum *speciem* compositum ex materia et forma, non autem materiam carnis, et speciem carnis. — *Ib.* n. 9. seqq.

Caro tripliciter accipitur. — *Corpus,* vel *caro* potest considerari in *maxima abstractione,* secundum quod *natura abstrahitur a supposito,* et dicitur *carneitas,* vel *corporeitas;* et sic non denominat suppositum proprium, nec alienum, quia sic est abstractum *maxime* ab omni concretione. — *Aliter* potest abstrahi, sicut *universale abstrahitur a proprio supposito,* ut *caro* ab *hac* carne *individua;* et sic potest *caro* praedicari de *hac* carne; et hoc modo *caro minus* abstrahitur, et potest concernere proprium individuum *carnis.* — *Tertio modo* accipitur *caro* magis *concretive,* ut *concernit suppositum, cuius est pars;* et ut sic accipitur, nata est aliquid *denominare,* scilicet *suppositum proprium,* ut dicatur *carneum,* vel *carnosum;* et ita potest *totum* denominari a *parte.* — *Exemplum* de *albedine;* potest enim considerari albedo in *maxima* abstractione, et potest dici *albedineitas;* et sic nihil denominat. — *Alio modo* prout *non abstrahit ab individuo proprio;* et tunc aliquo modo concernit, et dicitur *albedo.* — *Tertio modo* potest considerari ut *concernit alienum suppositum,* et dicitur *album;* tunc quamvis albedo denominet *hanc* albedinem, quia *haec* albedo est *albedo,* tamen non denominat aliquid esse *album,* nisi cum albedine concurrat *proprium* subiectum. Et similiter de *quantitate.* — *Oxon.* III. d. 22. n. 21.

Cassum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 107.

Castitas. — *Castitas* est per quam quis cohibet se ab illicitis cogitationibus in venereis. — *De rer. princip.* q. 15. n. 11. * Sive * abstinere ab omni delectatione circa venerea. — *Ib.* n. 22. — Si placeat dicere *continentiam* circa alia delectabilia, et circa venerea *castitatem;* vel potest poni una species temperantiae, ut *continentia* dicatur una species, et *castitas* circa quaecumque delectabilia, quomodo Philosophus *VII. Ethic.* ponit castitatem esse quemdam gradum in qualibet virtute. — *Oxon.* III. d. 34. n. 21.

Casuale. — *Casualia* dicuntur illa, quae eveniunt tantum ex causa alterius effectus impedita; et ideo casualia sunt monstruosa, et non perfecta in aliqua specie, quia proprie loquendo casualia non eveniunt ab aliqua causa ordinata, sed causa ordinata ad productionem alterius impedita producit casuale. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 29.

Casuale — fortuitum. — Vid. *Effectus casualis — fortuitus.*

Casus. — *Casus* dicitur in graeco αὐτόματον, idest, *per se frustra,* ut si lapis cadat proiectus ab aliquo ad percutiendum aliquem, et non percutiat, dicimus quod lapis cecidit *a casu.* — *Physic.* II. *Exposit.* text. 63. n. 18. — Vid. *Effectus casualis — fortuitus = Fortuna — Casus = Natura — Principium,* etc.

Casus fortunaque tripliciter sumuntur. — *Fortuna* est *intellectus* agens praeter intentionem; *casus* autem est *natura* agens praeter intentionem. Et ideo ea quae fiunt *a casu* et *a fortuna* non oportet assimilari suis agentibus, respectu quorum dicuntur sic per accidens generare, cum casus et fortuna

sint causae *per accidens*, non *per se*. — *Exposit. in Metaph.* etc. lib. XII. S. 1. c. 3. n. 9.

Casus se habet in plus quam *fortuna;* nam quidquid evenit a *fortuna* evenit etiam a *casu*, et non e contra; quia solum illis evenit aliquid a fortuna, quibus potest bene contingere vel male. — *Physic.* II. q. 9. n. 14. — Vid. *Fortuna — Casus.*

Casus vel *fortuna* possunt accipi tripliciter: uno modo *propriissime*, et tunc solum invenitur in contingenti *raro*, et quanto *rarius* invenitur, tanto potius dicitur a *fortuna*. — Secundo modo *communiter*, et tunc potest reperiri in contingenti *ad utrumlibet:* verbi gratia, sicut dicimus, istum a fortuna habere pedes maculatos. — Tertio modo *magis improprie*, in tantum, quod quando dicimus effectus *intentos* evenire *a casu*, vel *fortuna*, ut dicimus, lusor ad taxilos *lucratur a casu*, et tamen *intendebat*. — *Phys.* II. q. 12. n. 10.

Casus grammaticalis. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 85. et seqq.

Causa. — Hoc nomen *causa* est nomen relativum, et dicitur in relatione *ad effectum*. *Causa* potest sic definiri: *causa* est *propter quod alterum est*, scilicet secundum *esse*, vel secundum *fieri*, aut *conservari*, aut secundum aliquam aliam dispositionem; et ideo *albedo* potest dici quodammodo *causa hominis*, quia propter albedinem homo est *albus;* et ideo quando Aristoteles definit causam in lib. *De bona fortuna*, dicendo, quod causa est *ad cuius esse sequitur aliud*, non intelligit de sequela secundum *locum*, vel secundum *tempus*, sed intelligit, quod causa est ad cuius *esse*, id est, *propter quod*, * scil. *a quo* *, sequitur aliud, id est, alterum *est*, vel *fit*, vel *conservatur*, vel aliquo modo disponitur. — *Physic.* II. q. 7. n. 2.

Haec definitio, *causa est ad cuius esse sequitur aliud esse*, est definitio illius *quod causa*, quod scilicet *subiacet intentioni causae;* et non est definitio huius intentionis, quae est *causae*, quia loquendo de istis intentionibus formaliter, vel de aliquo accepto sub istis, non magis ad causam sequitur effectus, quam e contra. — *Post.* I. q. 9. n. 5. (1). — Vid. *Idem duplex = Natura — Principium*, etc. = *Principium — Causa* = *Principium — Causa — Elementum.*

Causa aequivoca. — Vid. *Causa univoca — aequivoca.*

Causa cognoscendi aliquid duplex. — *Dupliciter* potest aliquid esse causa *cognoscendi* aliud: *uno modo*, quia *est rei cognitae causa;* et hoc modo Essentia divina est ratio intellectui divino intelligendi omnia. — *Alio modo* e contrario, sicut dicimus, quod causa *cognoscitur per effectum*. — *Primus* modus est proprius modus cognoscendi Dei. *Secundus* est proprius modus cognoscendi creaturarum, quia cognoscunt per species, non quia sunt *causa* rerum, sed quia *causatae* a rebus, et ita secundo modo cognitionis ordinantur. — *De rer. princ.* q. 14. n. 31.

Causa conservans. — Vid. *Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causae essentialiter et accidentaliter ordinatae. — Aliud est loqui de causis *per se* et *per accidens*, et aliud est loqui de causis *essentialiter*, sive *accidentaliter ordinatis*. Nam in *primo* tantum est comparatio unius ad unum, *causae* videlicet ad *causatum;* et est *causa per se*, quae *secundum naturam propriam*, et non secundum aliquid *sibi accidens*, causat (2); et *causa per accidens* e converso. In *secundo* est comparatio *duarum causarum inter se*, inquantum ab eis est aliquid causatum.

Et differunt *causae per se*, sive *essentialiter ordinatae*, a *causis per accidens*, sive *accidentaliter* ordinatis in tribus. — *Prima* differentia est, quod in causis *per se ordinatis*, causa secunda, inquantum cau-

---

(1) Vult dicere, quod allata *causae* definitio est causae prout existit *in re*, quia in re *effectus sequitur ad esse causae, ut causae*, non econtra; non est autem causae prout existit *in intellectu*, seu prout cognoscitur, quia ad *cognitionem effectus sequitur* etiam *cognitio causae*, sicut et ad huius cognitionis illius cognitio, licet diversimode; causae enim per effectus cognoscuntur *a posteriori;* effectus vero per causas *a priori.*

(2) « Illud est per se causa, quo posito, et circumscripto alio vel variato, sequitur effectus ». — *Oxon.* IV. d. 43. q. 1. n. 1.

sa, *dependet a prima;* in *per accidens* non, licet in *esse* vel in aliquo alio dependeat. — *Secunda* est, quod in *per se ordinatis* est causalitas *alterius rationis* et *alterius ordinis,* quia superior est perfectior; in *accidentaliter ordinatis* non. Haec sequitur ex prima; nam nulla causa a causa eiusdem rationis dependet essentialiter in causando; quia in causatione alicuius sufficit unum unius rationis. — *Tertia* est, quod *omnes* causae *per se et essentialiter ordinatae simul necessario requiruntur* ad causandum, alioquin aliqua *per se* causalitas deesset effectui; in *accidentaliter* autem *ordinatis* non sic est, quia non requiritur simultas eorum in causando. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 12. — II. d. 18. n. 9. — *Report.* II. d. 1. q. 4. n. 14. — Nihil est causa *per se,* nisi ut ab ipso tamquam a priore essentialiter dependet causatum. — *Oxon.* loc. cit. n. 16. — Causa *essentialiter* ordinata excellit effectum. — *Ib.* n. 18. — *De primo princ.* c. 3. n. 2. *(quoad omnia)* — *QQ. Metaph.* lib. II. q. 6. n. 13. — Causae *per se* ordinatae possunt tripliciter concurrere: *vel* quod superior *tribuat* inferiori *formam; vel* quod non tribuat sibi formam, sed *motum* tantum; *vel* quod *nihil sibi tribuat,* nec actionem, nec aliquid, tamen una principalius habet effectum quam alia. — *Primo modo* concurrunt *Deus* et *causa secunda,* quia Deus *dat formam* causae secundae. *Secundo modo* se habent agens *principale* et *instrumentale* quod agit per motum. *Tertio modo* se habent *obiectum* et *potentia,* secundum opinionem quae ponit utrumque concurrere ad actum in ratione principii activi; potentia enim non tribuit suam potentiam activam obiecto, nec e contra. — *Report.* III. d. 4. q. 2. n. 8.

Causa efficiens. — *Causa efficiens* est illud, *propter quod alterum est tanquam ab illo;* ut *ignis* est causa efficiens *caloris;* quia calor est propter ignem tamquam ab igne. Et per illam particulam *tamquam ab illo* differt causa *efficiens* ab aliis causis; et ideo quando Aristoteles dicit, quod causa efficiens est *unde est principium motus,* intelligit quod causa *efficiens* est unde est principium motus tamquam ab illo, scilicet *effective.* — *Physic.* II. q. 8. n. 2.

Non quod *efficiens* efficiat *movendo,* non enim omne gens agit movendo, ut patet de Deo; sed quia dicit quamdam *operationem.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 2. n. 35. — Illa descriptio est *a posteriori* et non *a notiori;* non enim est simpliciter de ratione *efficientis,* quod *sit principium motus,* quia accidit efficienti, secundum quod huiusmodi, quod agat per motum, quia *efficiens* potest agere *sine motu;* tamen in naturalibus communiter est vera. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 3. n. 2. — Vid. *Causarum species.*

Causa efficiens — finalis. — *Finis,* ex hoc quod movet *efficientem* ad causandum, est alia causa ab efficiente, haec enim est causalitas sua; igitur finis, inquantum finis, non movet efficientem *effective,* quia ipse efficiens movet effective, et alia est causalitas unius et alterius, aliter non esset alia causa. — *Oxon.* II. d. 25. n. 11. — Finis non est causa nisi inquantum movet efficiens ad dandum esse; movet, inquam, ut amatum et desideratum. Hoc patet ex ratione *finis V. Metaph.* c. 2. (1). *Propter quem finem agens agit, et propter quem scilicet finem amatum agens dat esse alii ad ipsum ordinando.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 6. — *Prolog.* q. 4. n. 11. — Sed finis non movet nisi *metaphorice, I. de Generatione* * text. c. 35 *; igitur non *effective,* inquantum finis, quia vere movens effective movet propter finem: sed finis, inquantum finis, non movet propter finem. — *Ib.* II. d. 25. n. 2 — I. d. 2. q. 2. n. 16.

Deus est causa finalis omnium; et hoc non aliter, nisi sicut propter quem amatae sunt res. Deus enim omnia producit propter seipsum, et sic est finis immediatus omnium, ut *propter se* et *a se,* non *ad se,* ut ad finem immediatum. — *Ib.* IV. d. 49. q. 8. n. 7.

Per accidens est, quod in eodem concurrant ratio *efficientis* et ratio *finis;* tamen de facto una est *ratio formalis* ipsius finis, sicut una est *ratio formalis* ipsius efficientis. — *Ib.* I. d. 1. q. 2. n. 14 — q. 1. n. 4. — Vid. *Causarum species* = *Finis.*

---

(1) Vid. exposit. Doctoris, n. 11.

Causa efficiens multipliciter dividitur. — Efficiens enim dividitur in efficiens *per intellectum* sive propositum, et efficiens *per naturam*, secundum Philosophum, *V. Physic.* — *Oxon.* I. d. 36. n. 5.

Aristoteles in littera enumerat quatuor *modos* causarum communes quatuor *generibus* * seu *speciebus* * causarum, ut puta: quaedam est causa *per se*, quaedam *per accidens;* quaedam *prior*, quaedam *posterior;* quaedam *in actu*, quaedam *in potentia;* quaedam *complexa*, quaedam *incomplexa;* de quibus dictum est in textu (1); ideo ad praesens nihil dico de eis. Sed ad praesens specialiter est dicendum de *modis* causae *efficientis*, qui possunt reduci ad *quinque modos.*

Primus modus est, quod quaedam est causa efficiens *producens* tantum, quaedam *conservans.* — *Secundus* modus: quoddam est efficiens *totale*, aliud *partiale.* — *Tertius* modus: quoddam est efficiens *mediatum*, aliud *immediatum.* — *Quartus* modus: quoddam est efficiens *universale* *, aliud *particulare* *. — *Quintus* modus: quoddam est efficiens *principale*, aliud *instrumentale.* — *Physic.* II. q. 8. n. 5.

Quantum ad *primum* modum, notandum, quod aliquid dicitur causa *conservans* tripliciter: *uno modo* sicut *locus* dicitur causa *conservativa locati*, ut patet *IV. huius. text.* 48 (2), propter hoc, quod habet aliquam qualitatem similem qualitati locati. — *Secundo modo* dicitur causa conservans, quae est *occasio conservandi*, ut *nauta* dicitur causa *conservativa navis.* Et isti duo modi sunt improprii. — Sed *tertio modo* dicitur causa *conservans*, et *propria*, quae *continue influit in effectum*, virtute cuius influentiae ille effectus est, et manutenetur; quia substracta illa influentia causae *conservantis*, ille effectus non esset; et sic effectus dependet a causa *conservante*, non solum *in fieri*, imo etiam *in facto esse*, et *in conservari.* — Sic causa *producens* tantum est illa, a qua dependet res *in fieri*, licet non *in conservari*, ut calor cum manet, remoto agente, a quo producebatur. — *Ib.* n. 6.

Ex quo possunt inferri quaedam *differentiae* inter causam *producentem tantum* et causam *conservantem. Differunt* enim *primo*, quia causa *conservans* est *nobilior* et *perfectior* suo causato; ut luminosum est perfectius lumine, et prima causa est perfectior aliis; sed de causa *producente* quae non est conservans *non oportet*, * *quod sit nobilior nec perfectior* *. — *Secundo* differunt, quod causa *conservans non necessario praecedit* suum effectum; immo simul est cum effectu; unde si luminosum esset subito praesentatum medio disposito ad receptionem luminis, subito produceret lumen; sed causa *producens necessario praecedit* suum effectum. — *Tertio* differunt ex parte *motus*, quia agens *producens* agit per *verum motum*, vel *mutationem* (1), sed *conservans* non nisi *improprie.* — *Quarto* differunt, quia agens *producens* agit *successive;* sed *conservans* agit *subito*, quantum est ex parte sui. — *Quinto* differunt ex parte *effectus*, quia effectus causae *conservantis* dependet a causa sua in *conservari*, et in *fieri;* sed effectus causae *producentis* dependet a causa sua in *fieri* solum. — *Sexto*, quia effectus causae *conservantis non habet contrarium*, ut patet de lumine; sed effectus causae *producentis habet.*

Patet igitur, quae sit causa *conservans*, et quae *producens*, et quomodo differant ab invicem; et hoc de *primo modo* * causae *efficientis* *. — *Ib.* n. 9.

Quantum ad *secundum modum*, notandum, quod quando plures causae concurrunt ad eumdem effectum, vel illae causae sunt sibi invicem causae *subordinatae*, vel non. Si non, tunc vel omnes concurrunt per modum *unius* causae, vel per modum *diversarum* causarum. *Exemplum primi:* quia ad generationem Socratis concurrunt pater suus et Deus. Et in talibus causis *subordinatis* nulla dicitur *totalis* vel *partialis*, immo quaelibet talis producit totum effectum. — *Exemplum*

(1) Vid. *Causarum Modi.*

(2) Vid. exposit. Doctor. n. 16.

(1) Loquitur de *producente naturali stricte*, id est, ex *praeexistente materia;* non vero de *creante.*

secundi: ut si plures homines traherent navem mediante una chorda, omnes illi concurrunt per modum *unius* causae, et in illis non invenitur causa *totalis*, vel *partialis*, quia quilibet trahit totam navem, et ex hoc non sequitur, quod alii superfluant; quia nullus trahit totam navem *totaliter*, ut ly *totaliter* designat totam virtutem trahentis (1). *Exemplum* tertii: ut si Socrates et Plato applicentur ad levandum unum lapidem a diversis partibus, quem neuter illorum sufficeret levare solitarie, tunc ad levationem lapidis isti duo concurrunt per modum *diversarum* causarum, et ideo uterque illorum est causa *partialis* levationis. Et hoc de *secundo modo*. — *Ib.* n. 10.

Quantum ad *tertium modum*, notandum, quod aliqua causa dicitur *universalis* tripliciter: *uno modo* in *praedicando*, et sic terminus communior significans causam est *universalior*, quam terminus minus communis, ut *artifex* est causa universalior, quam *aedificator*. *Alio modo* dicitur causa universalis in *causando*, et tunc universalitas causae attenditur penes diversitatem *effectuum*, quos illa causa potest producere: secundo penes diversitatem *locorum*, in quibus potest simul producere diversos effectus: et tertio penes diversitatem *temporum*, in quibus potest producere diversos effectus successive, ita quod illa causa dicatur *universalior* quae potest simul producere effectus plures in pluribus locis, aut in pluribus temporibus potest plures effectus producere. Ex quibus sequitur, quod Deus est causa universalior quam coelum, et coelum causa universalior sole, et sol causa universalior quam ignis hic inferior; et ideo causa dicitur maxime *particularis* quae unius solius effectus est productiva. — Et sic patet quae causa dicatur *universalis*, et quae *particularis* (2). Et hoc de *tertio modo*. — *Ib.* n. 11.

Quantum ad *quartum* notandum, quod aliqua causa potest dici *mediata* vel *immediata* alicuius effectus tripliciter: *uno modo* dicitur causa *mediata*, quia *non est coniuncta effectui secundum locum;* et sic coelum dicitur causa mediata huius effectus, scilicet ignis hic producti; sed isto modo Deus dicitur causa immediata; non quia proprie coniungatur effectui, sed quia cuilibet rei ipse est indistans. — *Secundo modo* dicitur causa *mediata*, quia *non influit in effectum;* et isto modo agens *consiliativum*, vel *occasionale* potest dici causa *mediata;* et tunc illa causa dicitur *immediata*, quae *influit in effectum;* et sic coelum dicitur causa immediata effectus hic producti, quia licet non attingat effectum, immediate tamen in ipsum influit, ut patet *I. Meteororum*, et sic *tangit* ipsum *secundum influentiam*. — *Tertio modo* dicitur causa *immediata* quae *non determinatur* per aliud agens magis particulare ad producendum hoc vel illud; sed dicitur causa *mediata* quae *determinatur* per unum vel plura agentia particularia ad productionem istius effectus magis quam alterius. — Et sic patet quae causa dicatur *mediata*, et quae *immediata*. — *Ib.* n. 12.

De *quinto* notandum, quod de causis concurrentibus ad eumdem effectum semper causa *principalior* (1) est *perfectior* et *nobilior*, et e contra causa *minus principalis* seu *instrumentalis* est causa *minus perfecta*, seu *ignobilior*, ita ut *principalitas* causae sit per comparationem plurium effectuum ad invicem respectu eiusdem effectus; quae cognoscitur penes comparationem ipsarum ad invicem in perfectione et nobilitate.

Et si quaeratur, penes quid attendatur *perfectio* et *nobilitas* causae? Respondetur, quod *perfectio* et *nobilitas* causae potest

---

(1) « Illud est *totalis* causa alicuius, quod si esset, omni alio per impossibile circumscripto, perfecte causaret illud. Praeter totalem causam, nihil aliud causat in eodem genere causae, alioquin idem bis causaretur, vel causaretur ab aliquo, sine quo nihil minus esset ». — *Oxon*. II. d. 37. q. 2. n. 4.

(2) « Dupliciter potest intelligi *causa universalior*, scilicet: secundum *virtutem*, seu perfectionem, vel secundum *praedicationem;* et similiter *effectus* potest dici *universalior* dupliciter, scilicet: *praedicatione* et *virtute* seu perfectione. Universalius *praedicatione* dicitur illud, *cuius ratio dicitur de pluribus;* universalius autem *perfectione, cuius perfectio est maior in se*, et *perfectionum plurium contentiva* ». — *Oxon*. IV. d. 1. q. 1. n. 7. — Vid. *Causarum species*.

(1) « Illa est *principalior* causa, qua agente, alia causa coagit, et non e converso ». — *Oxon*. I. d. 3. q. 8. n. 2.

cognosci *ex tribus: primo* supponendo, quod in ordine causarum sit una causa prima independens ab aliquo alio, et a quo omnia alia dependent, ut patet *II. Metaphys.*, quae causa est posterior et nobilior aliis causis. — Tunc dico *primo*, quod perfectio causae cognoscitur *per appropinquationem ad causam primam* secundum perfectionem, ita ut demonstratis duabus causis, quarum una est propinquior causae primae, et alia remotior, tunc illa propinquior est *perfectior* remotiori. — *Secundo* cognoscitur perfectio causae *per modum agendi;* quia illa causa est *perfectior,* quae agit *conservando,* et cum hoc *producendo,* quam illa quae agit *producendo* tantum. Similiter modus agendi *subito* est *perfectior* quam modus agendi *successive.* — *Tertio* cognoscitur per *nobilitatem effectuum;* et ideo dicitur, quod magnitudo effectus demonstrat omnipotentiam Conditoris.

Ex quibus sequitur, comparando causas ad invicem, quod *dispositio accidentalis* est causa minus principalis, quam *forma substantialis;* et quod omnium causarum concurrentium ad aliquem effectum causa *prima* est *principalissima,* nec potest *ministerialiter* concurrere ad aliquem effectum.

Et sic patet quae causa dicatur *principalis,* et quae *instrumentalis.* Et haec de *quinto modo.* — *Ib.* n. 13.

Causae nobilitas et perfectio. — Vid. *Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causae primae et secundae concursus triplex. — Quod causa *prima* et *secunda concurrant* ad effectum, potest intelligi tripliciter: *vel* quod *prima* producat *secundam,* et tunc concurrunt, quia *secunda est a prima: vel* quod *prima* non producit *secundam,* sed *dat sibi influentiam,* vel *motum,* sicut manus baculo: *vel* quod ambae immediate concurrant respectu effectus, unum tamen *principalius,* sicut Sol et *generans particulare* ad productionem huius generati, ita quod utrumque agit propria virtute, unum tamen *principalius.* — *Report.* II. d. 1. q. 3. n. 6.

Causa exemplaris. — Quod additur de causa *exemplari,* non est aliud genus causae ab *efficiente,* quia tunc essent quinque genera causarum. Unde causa *exemplaris* est quoddam efficiens, quia agens per *intellectum* distinctum contra agens per *naturam,* de quo alias (1). — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 10. — Causa *exemplaris* non est nisi quoddam *efficiens;* efficiens enim dividitur in efficiens per *intellectum* sive *propositum,* et efficiens per *naturam,* secundum Philos. V. *Physic.* Sicut igitur *naturaliter* producens non est alia causa ab efficiente, ita nec exemplaris, nec *exemplariter* producens. Et ita idem est effectum et exemplariter productum alicuius intelligentis, inquantum est intelligens, et inquantum exemplans. — *Ib.* d. 36. n. 5.

Causa extrinseca corruptiva multiplex. — Quid de causa *extrinseca corruptiva?* Dico, quod illa est *duplex:* vel scilicet propter *dispositionem contrariam* continentis, vel propter *violentiam illatam* ab aliquo extrinseco. *Primo modo* contingit *dupliciter:* quia uno modo continens *directe* corrumpit contentum, ut ignis corpus quod continet. Aliud est continens quod non directe corrumpit, sed *prohibet* illud quod est *necessarium ad vitam,* cuiusmodi est aqua, quae prohibet inspirationem et respirationem, et similiter terra; et ista sunt duo *cito* corrumpentia. Est etiam continens corrumpens, sed *non ita subito,* ut aër regionis intemperatae. — *Oxon.* II. d. 19. n. 6.

Causa formalis. — Vid. *Causarum Species = Forma.*

Causa (In causa esse est tripliciter). — *Uno* modo est aliquid in causa, quod *necessario* eveniat ex illa. — *Alio* modo ut *habet inclinationem* ad causam, ut producatur a causa, potest tamen impediri. — *Tertio* modo, quod *non magis se habet ad esse quam ad non esse.* — *Opus secundum super Periherm.* q. 8. n. 2.

Causa in fieri — in facto esse. — *Duplex* est causa: una *in fieri* et *facto esse,* sicut corpus luminosum respectu luminis; ideo subtracta causa, non habet effectus eumdem ordinem ad causam quem prius, et ideo nec eamdem virtutem operandi. — Alia est causa, quae tantum est causa *in fieri,* et non *in*

---

(1) Vid. pag. 84.

facto esse; et ipsa subtracta in *fieri*, non habebit effectus *esse;* ipsa autem subtracta in *facto esse*, bene potest * habere esse *. — *Report.* II. d. 11. q. 1. n. 10.

Aliquid causa dicitur alicuius secundum *fieri*, ut *aedificator domus*, aut secundum *esse*, sicut *forma* et *materia* eius; et sicut subtracta causa *in fieri*, res non amplius est in *fieri*, sic subtracta causa ipsius * *in esse* *, res non habet amplius *esse*. — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 11. n. 3. — Causa autem in *esse* et in *fieri* semper aeque causat. — *Oxon.* II. d. 3. q. 8. n. 4. — Quaedam sunt causae *esse* rei, et quaedam sunt causae *fieri*. *Forma* et *materia* sunt causae *esse* rei, *finis* et *efficiens* sunt causae *fieri* rei; et sicut *formalis* et *materialis* includunt necessario *esse* rei, ita *finalis* et *efficiens* necessario demonstrant *fieri* per se. Quae * (priores) * sunt causae *intrinsecae;* aliae duae sunt causae *extrinsecae*. — *Poster.* II. q. 10. n. 3.

Causalitas habitus — potentiae. — Alterius rationis est causalitas *habitus* quam causalitas *potentiae;* quia ex ratione sui habitus est causa *secunda*, qua scilicet potentia *potest* uti; et ita si in infinitum augeretur, nunquam posset fieri principium *utens*. Non igitur eiusdem rationis est causalitas habitus cum causalitate potentiae, ut illa intensa possit ascendere ad istam; sed semper sunt alterius rationis; et tamen hic cum illa causans causat actum perfectiorem, quam si solum causaretur ab una illarum. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 10. — Illa causalitas partialis, quae attribuitur habitui, convenit sibi ex ea parte, qua obiectum dicitur activum respectu actionis, et non ex ea parte, qua potentia dicitur activa, quia magis habitus vim suam habet ex obiecto, quod determinate includit, quam ex ipsa potentia. — *Ib.* n. 28.

Causalitas intellectionis duplex. — Bene requiruntur duae causalitates ad intellectionem, quarum una sit ex parte *intellectus*, et alia ex parte *obiecti*. Sed quandoque istae duae causalitates possunt concurrere in una natura, sicut quando intellectus intelligit se. Nam altera causalitas est communis toti enti, illa scilicet quae est ex parte obiecti; reliqua autem est determinata ad determinatam naturam, scilicet intellectualem; et sic in natura intellectuali concurrit ista causalitas communis cum illa speciali. Non ergo requiruntur per se ad causandum inquantum differentes genere, diversitate absoluta; nam ubi est illa entitas, quam consequitur causalitas obiecti, et illa entitas, quam consequitur causalitas intellectus, idem potest esse totalis causa secundum utramque causalitatem respectu intellectionis. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 33.

Causa materialis. — Vid. *Causarum Species = Materia.*

Causa mediata — immediata. — Vid. *Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causa particularis. — Vid. *Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causa per accidens duplex. — Notandum, quod *per accidens* potest *dupliciter* sumi, scilicet: vel *ex parte effectus*, vel *ex parte causae*. *Primo modo* dicitur *causa per accidens* respectu eius, quod *accidit effectui per se*. Quod potest etiam dupliciter intelligi: *uno* modo, quia habet ordinem *necessarium* ad effectum per se, sicut *remotio impedimenti* habet ordinem necessarium ad effectum, et propter hoc agens removens impedimentum dicitur agens *per accidens*. *Exemplum:* aperiens fenestram est causa illuminationis domus, et removens trabem est causa descensus lapidis existentis super trabem. — *Alio* modo potest esse, quando effectus *per accidens* habet aliquem ordinem ad effectum *per se*, non necessarium, nec ut *in pluribus*, sed *ut raro*. *Exemplum:* ut inventio thesauri ad fossionem foveae; et hoc modo *casus* et *fortuna* dicuntur causae *per accidens* II. *Physicorum*, t. c. 50, *et inde*. — Sed dicitur causa *per accidens ex parte causae*, quando scilicet dicitur causa effectus id quod *accidit* causae *per se*. *Exemplum:* hoc modo *album* et *musicum*, et etiam *Polycletus* (1) dicuntur causae statuae per *accidens*, quia quodlibet eorum *accidit* statuae *factori*, ut statuae factor est. Sed sunt ibi gradus secundum *propinquius* et *remotius;* nam licet *Polycletus*,

(1) Hoc exemplum ideo adducit Doctor, quia Polycletus Sicionensis percelebris extitit sculptor.

album et *musicum* sint causae *per accidens* ipsius statuae factoris, nihilominus tamen *Polycletus* est causa *propinquior* quam *album* et *musicum*, quatenus *Polycletus* est *magis idem* cum statuae factore, quam *album* et *musicum;* nam *Polycletus* est *sibi idem realiter* et *per se; album* autem et *musicum* sunt *sibi idem per accidens*, et non *idem realiter*. Iterum *album* et *musicum* inter se habent ordinem *propinquioris* et *remotioris*, quatenus musica est *in eodem subiecto proximo* cum arte statuae factiva, quae est principium formale per se ipsi artifici; nam tam musica quam talis ars sunt *in intellectu* ut in subiecto, licet altera sit in intellectu practico, altera in speculativo, realiter tamen non sunt nisi unus intellectus; *albedo* autem est *in corpore* ut in subiecto, in quo non est *ars factiva;* et ideo licet utraque sit causa *per accidens* statuae, *musicum* tamen est causa *propinquior*, et *album remotior*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. unic. c. 2. n. 17. — *Report.* II. d. 34. n. 9. — Vid. *Casus — Fortuna = Causa per se — per accidens = Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causa per se — per accidens. — *Duplices* sunt causae: quaedam *per se*, sine quibus effectus *non possunt* produci in esse; aliae *per accidens*, quae concurrunt ad productionem effectus, sed sine illis *possunt* effectus produci, sicut *Socrates* est causa domus. — *Physic.* I. q. 3. n. 5. — Vid. *Causae essentialiter et accidentaliter ordinatae = Causarum Modi = Causa per accidens duplex = Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causa prima tripliciter dicitur. — Est causa prima in triplici genere causalitatis respectu omnium, sicut dicit Commentator *X. Metaph. com. 7. in fin. et XII. Met. com. 18. et 24*, scilicet: in genere causae *efficientis, formalis* et *finalis* (1). — *De rer. princip.* q. 1. n. 14.

Causa producens. — Vid. *Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causa propria — communis. — Vid. *Causarum Modi.*

(1) Vid. exposit. Doctoris.

Causare prius et posterius origine. — Posset dici, quod *prius origine causare* est causare *a se: posterius origine* causare est causare *ab alio.* Sicut autem ab alio * aliquid * habet virtutem causandi, vel a se, sic et *causare.* — *Quodlib.* q. 8. n. 19.

Causarum diversarum concursus. — Distinguo de pluribus causis concurrentibus ad eumdem effectum. Quaedam enim *ex aequo* concurrunt, sicut aliqui duo trahentes aliquod idem corpus. Quaedam vero *non ex aequo*, sed habentes ordinem essentialem. Et hoc dupliciter: vel sic quod superior moveat inferiorem, ita quod inferior non agat, nisi quia movetur a superiore; et tunc inferior habet a superiore virtutem illam qua movet. Quandoque autem superior non movet inferiorem, nec dat ei virtutem qua movet, sed superior de se habet virtutem perfectiorem agendi, et inferior habet imperfectiorem virtutem agendi, nec tamen recipit virtutem istam imperfectiorem a superiori, quae est perfectioris virtutis. Exemplum *primi membri* huius secundae divisionis: de potentia motiva, quae est in manu et baculo et pila. Exemplum *secundi membri:* si mater ponatur virtutem activam habere in generatione prolis, illa et potentia activa patris concurrunt ut duae causae partiales, ordinatae quidem, quia altera perfectior reliqua; non tamen imperfectior recipit suam causalitatem a causa perfectiore; nec tota illa causalitas est eminenter in causa perfectiori, sed aliquid addit causa imperfectior. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 21. * *Vel aliter* *:

Causae concurrentes quandoque sunt *eiusdem* rationis et ordinis, ut plures trahentes navem; quandoque vero sunt *alterius* rationis et ordinis. Et hoc dupliciter: quandoque posterior habet virtutem suam a priore; quandoque posterior non habet virtutem suam a priore, nec dependet in habendo suam virtutem ab ea, sed tantum dependet ab ea in agendo secundum suam virtutem, ita quod superior principalius agit, et inferior minus principaliter. — *Quodlib.* q. 15. n. 10.

Causarum Modi. — *Modi causarum* possunt quadrupliciter combinari. *Prima* combinatio est: vel sunt *propriae*, vel *commu-*

nes. Secunda: vel sunt *per se*, vel *per accidens. Tertia:* vel sunt *actu*, vel *potentia* (1). *Quarta:* vel sunt *simplices*, vel *complexae.*

Modi hic sumuntur multum universaliter, nam quilibet eorum habet sub se *multos* modos, quatenus possunt accipi secundum diversa genera causarum. Similiter est de *per se* et de *per accidens;* iterum *per se* et *per accidens* sunt duo modi, et tamen ducuntur ad unum commune, et ad unam combinationem. Iterum causae dicuntur multipliciter, non solum quantum ad diversitatem generis vel speciei, sed etiam quantum ad causas particulares quae reducuntur ad idem genus. Bene ergo dicitur, quod modi causarum sunt multi numero; sed *capitales* et sub compendio accepti sunt pauciores.

Causa *communis* et *propria* in eodem genere causae dupliciter sumi possunt, scilicet: vel secundum communitatem *causalitatis*, vel secundum communitatem *praedicationis.*

Notandum circa praedicta, quod alia est distinctio causarum *per species*, et alia *per modos praedictos;* nam distinctio *per species* est quasi per *differentias essentiales*, quatenus sumitur penes diversas rationes causalitatis constituentes diversas species causarum; divisio vero *per modos* accipitur penes diversas *habitudines* causarum; ideo est quasi per *differentias accidentales*, quae speciem causae non diversificant; nam tales habitudines sunt in his, quae habent eamdem rationem essendi in genere, vel in specie, sicut sunt *per se, per accidens, propinquum et remotum*, etc. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 2. — *Physic.* II. — *Exposit. text.* 32-38. n. 12. seqq.

Causarum ordo. — Licet sit aliquando ordo causarum principalium et minus principalium, quarum neutra movet aliam, sicut se habent obiectum et potentia cognitiva respectu actus cognoscendi, *ex dist. 3. primi libri*, aliquando autem sit ordo, ita quod principale movet minus principale, vel ad actum secundum vel primum, ita tamen quod si istae duae causae sint partiales, et integrent per se unam causam totalem, sicut manus et baculus respectu motus pilae, tamen in causis totalibus respectu suorum effectuum immediatorum, potest etiam esse ordo essentialis, ita quod causa secunda sit causa totalis immediata respectu sui effectus, sicut causa prima respectu sui effectus; et tamen essentialiter sit secunda, quia secundum suam causationem, sicut secundum suum esse, essentialiter dependet a prima, non tamen ita quod ista dependentia sit immediata effectus sui ad ipsam et ad causam priorem. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 7.

Causarum Species. — *Causa* famose subdividitur in quatuor causas satis notas: *finalem, efficientem, materialem* et *formalem* (1). Et sibi oppositum similiter subdividitur in quatuor sibi correspondentia, scilicet in ordinem *ad finem*, quod, ut breviter loquar, dicatur *finitum;* et in causatum *ab efficiente*, quod dicatur *effectum;* et in causatum *a materia*, quod dicitur *materiatum;* et in causatum *per formam*, et dicitur *formatum.* — *De primo princ.* c. I. n. 4. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. I. S. 2. c. 1. n. 35. — *Theor.* XIX. n. 2. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 3.

Causa sufficienter dividitur in quatuor genera causarum ad istum sensum: quia quidquid significatur *generaliter* et *communiter* hoc nomine *causa* significatur *magis determinate* altero istorum terminorum, scilicet: *materia, forma, efficiens*, vel *finis.* Et est sensus conclusionis iste, quod omnis causa est *materia*, vel *forma, efficiens*, vel *finis.* Probatur, quia ad omnem quaestionem quaerentem *quid* de aliquo, convenienter respondetur per alterum istorum terminorum; igihoc nomen *causa* sufficienter dividitur in ista quatuor genera. — *Physic.* II. q. 7. n. 4.

Causa dicitur *uno modo ex quo aliquid fit ut inexistente*, id est, *intus existente* (2), ut *aes* statuae, et *argentum* phia-

(1) « Ut aedificationis aedificator est causa *in potentia*, et aedificans *in actu; aedificator* enim significat habentem habitum quo *potest* aedificare; *aedificans* autem significat *actum* iam aedificandi ». — *Exposit.* etc. lib. V. n. 18.

(1) Vid. *Causa.*

(2) « Et oportet addere: *ex quo praesupposito*, ad differentiam *formae* », seu *causae formalis.* — *Physic.* II. *Exposit.* text. 28.

lae, et horum genera. Notandum, quod aliquid dicitur *fieri ex aliquo*, non tantum *ex materia*, sed etiam *ex privatione* et *contrario*, ut dicitur *I. Physic. text. Com. 43. et inde* (1); differenter tamen; nam *ex privatione* et *contrario* fit aliquid non ut *ex existente*, nam si *album* fit ex *non albo*, vel ex *nigro*, ipsum nigrum vel non album non manet, nec inexistit ipsi albo, quinimo corrumpuntur ad generationem albi. Sed *ex materia* fit aliquid ut *ex inexistente*, nam *aes* manet et inexistit ipsi statuae factae ex aere, et similiter *argentum* phialae. Non solum autem ista sunt in genere causae *materialis*, sed etiam eorum genera. Sicut igitur *aes* dicitur *materia* statuae, et *argentum* phialae, sic etiam *metallum*, et *corpus*, et huiusmodi, quae sunt genera *aeris* et *argenti*, possunt dici genera statuae et phialae. — *Alio modo* dicitur causa *species*, id est forma, *et exemplar; haec autem est ratio ipsius quod quid erat esse; forma* enim maxime pertinet ad *quidditatem* rei. Notandum, quod *forma* rei vocatur *species*, quatenus est principium essendi; nam unaquaeque res ponitur *in specie per suam formam*, et distinguitur *specifice* a quocumque. Vocatur etiam *exemplar*, quatenus est principium generandi et assimilandi genitum generanti in generatione univoca, ut sic ipsa forma generantis sit *quoddam exemplar*, ad cuius similitudinem ipsum genitum univoce generatur; ita etiam et forma *appropriate* vocatur *ratio* eius, et *quod quid erat esse*, non quin *materia* pertineat ad definitionem rei, et quod quid erat esse rei, sed per *quamdam appropriationem*, quatenus *forma* est *principalior pars* definitionis, et principalius faciens ad quidditatem rei (2). — Dicitur *alio* modo causa *nude principium primum permutationis aut quietis, ut consiliator* dicitur causa, *et pater* dicitur causa *pueri, et* universaliter *efficiens facti, et permutans permutati.* — Causa *efficiens* distinguitur; quia quaedam est *principalis*, et quaedam est *secundaria* et *coadiuvans*. Iterum potest distingui; quod quaedam est *universalis*, et quaedam *particularis*. Per *primum principium* intelligitur causa *principalis*, et per *consiliatorem secundaria*. *Pater*, et *efficiens*, *particularis;* et *permutans*, *universalis*. — *Amplius* dicitur causa *ut finis; haec autem est quod cuius causa, ut ambulandi sanitas.* Ex hoc probatur, quod *finis* habet *rationem causae*, quia ad quaestionem factam *propter quid*, quae quaerit de causa, respondemus per finem, et putamus nos respondisse et assignasse causam eius quod quaeritur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 2. — *Physic.* II. *Exposit.* text. 31. n. 25 seqq. — Ut si dicatur *propter quid* iste laborat? convenienter respondetur: *propter sanitatem.* Et subdit Aristoteles, quod omnia intermedia ad aliquem finem, quibus scilicet acquiritur finis, possunt dici fines, ut purgatio, macies corporis, potio medicinalis, et organa corporis possunt dici fines sanitatis, eo quod mediantibus istis acquiritur finis principaliter intentus, scilicet sanitas; sed isti fines medii differunt ab invicem *Physic.* II. *Exposit.* text. 29. n. 24. — *Ib.* q. 9.

Causalitas et causatio causae *finalis* est simpliciter prima, secundum Avic. *VI. Metaphysic.* dicentem, quod *si de qualibet causa esset scientia, illa quae esset de causa finali esset nobilissima.* Ipsa enim quantum ad causalitatem praecedit causam *efficientem*, quia *movet* eam ad agendum; et ideo *causalitas* primi finis et eius *causatio* est penitus *incausabilis*, secundum quamlibet causationem in quolibet genere causae. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 22. — *Finis* * tamen * non est causa nisi inquantum amatus et desideratus movet *efficiens* ad efficiendum. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 11. et 13. — I. d. 2. q. 2. n. 16. — d. 8. q. 5. n. 6. — II. d. 25. n. 2. et 11. — Omnes causae dictae sunt causae *per se* (1). Sicut *efficiens* et *finis* sibi correspondent, sic etiam *materia*

---

(1) Vid. exposit. Doctor.

(2) « Quaerenti enim *quare est aliquid?* respondetur per causam formalem ». — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 2. n. 35.

(1) « Tantum sunt quatuor genera causarum *per se*, sicut apparet ex *II. Physic.* et *V. Metaph.* ». — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 3.

et *forma; efficiens* enim est causa *finis* et e converso; tamen differenter; nam *efficiens* est causa *finis* quantum *ad esse*, nam producit formam quae est *finis; sed finis* est causa *efficientis*, non quantum *ad esse*, sed quantum *ad causare*, quatenus *finis movet efficiens* ad causandum, et *efficiens* agit *ex appetitu* finis (1). — Similiter *forma* est causa *materiae*, et e converso, etiam quantum *ad esse*, quatenus *forma* dat *materiae* esse et actum *specificum* (2), *materia* vero *substentat formam;* nam loquendo naturaliter, sicut est impossibile *materiam* existere sine forma, sic et *formam* sine *materia*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 2. — *Physic.* II. *Exposit.* text. 28-31. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. 16.

Nota quod praepositiones diversae appropriate significant circumstantias diversarum causarum: *ex*, materiae; *per*, formae; *a* vel *ab* efficientis; *propter* vel *pro*, finis. — *Theor.* XIX, n. 1.

Causa secunda — Instrumentum. — Aliud est loqui de *causa secunda*, et aliud de *instrumento* proprie dicto, de quo tractatum est supra *dist. 1.* (3). *Causa* enim *secunda* habet formam *propriam in esse quieto*, quae est sibi ratio agendi in ordine suo, et hoc respectu eiusdem effectus, respectu cuius agit causa *principalis* in suo ordine, ita quod universaliter *secunda* causa proprie accepta effectum *principalis* causae per formam suam propriam attingit, in virtute tamen causae *principalis* agentis, quia subordinatur illi. — Sed *instrumentum* proprie, si ponitur activum, vel *non attingit effectum principalis agentis*, sed tantum aliquam dispositionem praeviam, quomodo *qualitas alterans* dicitur *instrumentum substantiae* ad generandum substantiam; hoc tamen non est quod sit instrumentum in actione *alterandi*, imo respectu alterationis est *perfectum principium*, in tantum quod si per se esset, per se posset alterare; sed solum propter hoc dicitur *instrumentum* respectu substantiae, quia agit ad aliquam formam quae est *dispositio* ad substantiam, unde ad substantiam diceretur magis agens *disponens*, ut dividitur contra *perficiens*, quam agens *instrumentale* divisum contra *principale*. Vel si ponatur instrumentum activum, et tamen *attingens terminum principalis agentis*, in hoc distinguitur a causa *secunda*, quia non habet *in esse quieto formam*, quae sit principium agendi in suo ordine, sed tantum in *actuali motione*, et recipit eam dum actualiter movetur.

Et de quocumque illorum trium, scilicet *causa secunda proprie dicta*, * de *primo* *, et *causa instrumentali dispositiva*, * de *secundo* *, et *instrumentali activa per formam receptam in actuali motione*, * de *tertio* *, falsum est, quod non habeat *intentionem propriam*, eo modo quo agens naturale habet *formam propriam*, quae est sibi proprium principium agendi in ordine suo, et per consequens propriam *intentionem*, quia formam activam naturalem consequitur *intentio* isto modo. — *Quarto* modo posset poni instrumentum, et proprie activum respectu *totius, aliqua pars*, cui scilicet primo convenit esse principium operationis, et *toti* non nisi per *partem*. Et hoc modo Philosophus vocat *organa* partes illas secundum quas convenit toti operatio. Et istud quodammodo habet *intentionem propriam*, et quodammodo non. Nam *forma* eius *activa* et est *eius*, et est *totius; sed eius* est *primo; totius* autem est *per se*, sed non *primo*. Et eodem modo *de intentione;* non enim est hic ordo *virtutis* ad *virtutem* in *esse quieto*, sicut in *primo* membro; nec ordo *effectus* ad *effectum*, sicut in *secundo;* nec virtutis *in fieri* ad virtutem in esse *quieto*, sicut in *tertio;* sed est *eadem* virtus *diversimode*, tamen participata, in *toto* et in *parte*. Et in isto membro posset concedi, quod tale *instrumentum* non habet aliam *intentionem* a *principali* agente, sicut nec aliam *actionem* proprie habet *pars* quam *totum* agens per *partem;* sed *alio modo* habet eamdem.

Exemplum primi: sol et *pater* respectu generationis filii. *Exemplum secundi:*

---

(1) Vid. *Causa efficiens — finalis.*

(2) Non vero esse et actum *materiae*, ut pluribi docet Doctor, praesertim *De rer. princ.* qq. 7-8 et 9.

(3) q. 1. *per tot.*

ignis et *calor* qui est *disponens* ad generationem alterius ignis. *Exemplum tertii: color illuminatus* et *species coloris* in aëre respectu mutationis oculi ad speciem vel visionem coloris. *Exemplum quarti: organum potentiae nutritivae* et *totum animal* respectu nutritionis.

Praeter haec quatuor, communius dici consuevit nomen *instrumenti* de quibusdam aliis, id est, de *instrumentis artificum*, a quibus primo tractum est nomen *instrumenti*, ut de *securi* et *serra*, et huiusmodi, de quibus frequenter ponuntur exempla ista, quae, ut dictum est supra (1), non sunt proprie *activa*, neque respectu *principalis effectus*, si agens per talia attingit effectum principalem, sicut *monetarius* per aliquod instrumentum attingit figuram imprimendam monetae, quae est terminus eius principalis; neque * respectu * *formae disponentis*, si agens per talia agit ad *dispositionem praeviam*, sicut per *securim* agit ad divisionem ligni, quae est *praevia* forma *arcae*. Sed tamen *instrumentum* isto modo dictum, aliud a quatuor modis praedictis, est motum susceptivum effectus prioris ordinati ad effectum posteriorem, ita quod receptum in eo habet ordinem ad terminum principalem, sicut effectus propinquior causae ad effectum remotiorem; non autem habet ordinem *causalitatis* proprie dictae; et de tali posset concedi, quod *instrumentum* non habet actionem *propriam* respectu effectus, quia nec habet aliquam virtutem, nec in *esse quieto*, nec *in fieri*, et ideo simpliciter non est activum, et per consequens nec habet *intentionem*, ut convenit agenti. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 5. n. 6-8. — d. 1. q. 1. n. 9. et 34. — d. 12. q. 3. n. 6. — d. 13. q. 1. n. 37. — Vid. *Instrumentum.*

Causa totalis — partialis. — Vid. *Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causa universalis triplex. — Vid. *Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Causa univoca — aequivoca. — *Duplex* est genus *causae:* quaedam est causa *univoca*, quaedam *aequivoca*. *Univoca* dicitur, quae habet similem formam illi quam producit; *aequivoca* vero dicitur, quae non habet formam similem illi quam producit, licet habeat eam *in virtute*. Exemplum primi: *ignis* producens alium ignem. Exemplum secundi: *Sol* generans ignem. — *Exposit in Metaph. Aristot.* lib. II. S. unic. c. 2. n. 8.

— Causa univoca habet effectum univocum pro termino adaequato suae potentiae. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 14. — Causa aequivoca aequivoce assimilat secundum aliquid, quod habet in se, non formaliter, sed virtualiter. — *Ib.* d. 44. q. 2. n. 17. — Quia causa aequivoca eminenter continet in se perfectionem effectus. — *Ib.* I. d. 17. q. 2. n. 10. — Et eminentius quam causa univoca; et ideo non magis assimilatur sibi *formaliter*, quia hoc esset imperfectionis in causa. Sed assimilat *magis*, hoc est, dat magis formam effectui, per quam sibi assimilatur aequivoce, quam det agens particulare; et ista assimilatio activa est ex perfectione causae, licet non sit magis assimilatio formaliter. — *Ib.* d. 3. q. 8. n. 4.

Ubicumque ad productionem eiusdem effectus concurrunt causa univoca et aequivoca, aequivoca est simpliciter perfectior; sed quod non possit sine univoca, hoc est aliqualis imperfectionis in ipsa aequivoca. — *Ib.* IV. d. 12. q. 3. n. 14.

Causatum. — *Causatum* dividitur in quatuor genera, et in *modos* tot quot et *causa*. Patet ex definitione *causae*, quia correlativa similiter multiplicantur; ergo causae *communi* causatum *commune; propriae proprium*, et e converso; et sic de aliis differentiis. — *Theor.* XIX. n. 2. — Vid. *Causarum Modi = Causarum Species.*

In entibus autem ens causatum non est quaedam entitas quasi partialis causae, sed est omnino alia entitas dependens ab entitate causae. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 17. — *Ib.* d. 20. n. 8.

Censura. — Vid. *Poena canonica.*

Centrum. — *Centrum* est ultimus terminus quietis gravium corporum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 2. — Vid. *Quies multiplex.*

Certitudo. — Certitudo proprie non est nisi circa compositionem et divisionem, quae ad intellectum tantum proprie pertinet. — *QQ. Metaph.* lib. I. q. 4. n. 14. — *Certi-*

(1) d. 1. q. 1.

tudo se habet in plus quam *evidentia;* nam certitudo est ad quamlibet partem alicuius propositionis, et potest esse respectu erroris, sicut respectu veritatis, sed nihil est *evidens* nisi verum. — *Prior.* I. q. 11. n. 6. — Vid. *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 5., *ubi praedicta reformare videtur, ait enim:* « *Certitudo* non est quando obiectum alio modo cognoscitur quam se habet »; *licet forte loquatur hic de certitudine* « *scientifica seu evidenti* ».

Certitudo Fidei. — Est certitudo *adhaesionis,* et talis est in iis quae tenemus *per fidem,* et in iis quae *ex fide sequuntur de necessitate.* Sicut enim fide tenemus, quod Deus est *homo,* ita quod habet *veram animam rationalem,* quia hoc sequitur ad illud, sic quod destructo secundo, destruitur pr.mum. Et talis certitudo conceditur in iis quae manifeste per Sacram Scripturam probantur, quia fide tenemus ipsam a Deo traditam. — *Miscell.* q. 6. n. 6. — *Oxon.* III. d. 24. n. 17.

Certitudo quadruplex. — *Quatuor* sunt cognitiones, de quibus est nobis necessaria *certitudo,* scilicet: de scibilibus *simpliciter,* de scibilibus *per experientiam,* de *actibus nostris,* et de cognitis *ut nunc* a nobis per sensus. *Exemplum* de primo: *triangulus habet tres;* de secundo: *Luna eclipsatur;* de tertio: *vigilo;* de quarto: *illud est album.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 6. (1).

(1) Ubi praefatarum cognitionum certitudinem solide et pluribus demonstrat, « ut in nullis cognoscibilibus locum habeat error Academicorum » (num. 7), qui omnia esse incerta contendunt (n. 5), in quorum errore evellendo totus est Subtilis Doctor in citata quaestione, ubi quaerit: *Utrum aliqua veritas certa et sincera cognosci possit naturaliter ab intellectu viatoris, absque speciali illustratione lucis increatae?* Dum priscorum Academicorum ineptias evincit, futurorum Scepticorum illusionibus inexpugnabile opponit murum duplici compactum elemento: *auctoritate* videlicet S. Scripturae, Sanctorumque Patrum, praesertim Augustini, et *scientificae demonstrationis* nervo.

Quapropter mirari satis haud valemus quorumdam neotericorum levitatem, qui hunc catholicae veritatis adsertorem et vindicem, nedum Scepticis faventem dictitant, sed et horum castrorum limina ingressum fuisse audacter asserunt. (Vid. Gonzalez, *Historia de la Filosofia,* ed. 2ª. vol. 2. pag. 301). Ab ipsis autem sciscitamur: quis inter Scholasticos Doctores in Scepticorum erroribus non modo praecavendis, sed et debellandis Subtili palmam praeripere potest? Omnes quidem actu *exercito* (Vid. *Actus signatus — exercitus*), ut ita dicamus, rationis humanae potentiam adstruunt; Doctor vero noster *ex professo* et plenissime Scepticorum systema exponit et refellit. — Confer, si lubet, ipsum *loco citato,* et *Oxon* Prol. q. 3. a n. 26; II. d. 27 et 28. — *Quaest. Metaph.* lib. I. *per tot;* lib. II. qq. 1. 2. et 6; lib. VI. *per tot.;* lib. VII. qq. 14. et 15. — *Super Univers.* qq. 1-5. — *Elenchor.* q. 2. — *Prior.* I. q. 1. — *Poster.* I. qq. 1-14. — *Physicor.* I. qq. 1-6; II. q. 6. — *De Anima,* qq. 12-23. — *De rerum principio,* qq. 13-14-15. etc. etc.

Character. — Transferendo verbum ex verbo, *charactèr* significat idem quod *figura,* et sic accipitur ad *Hebr.* c. 1, ubi nos habemus *figura substantiae,* ponitur *character* in graeco (1). Et hoc modo dicimus characteres *figuras,* quibus litterae scribuntur; et hoc modo dicimus characteres in incantationibus et huiusmodi quasdas *figuras* protractas, et hoc modo accipitur in *Apoc.* * *(cap. 13, 14, 16, et 19)* * *character bestiae, figura* in fronte vel manu, quae significat ipsam pertinere ad familiam bestiae. Generalius autem accipitur *character* pro *signo,* et hoc modo *Baptismus* potest dici *character,* quia *signum quoddam* est; *forma* etiam verborum in Sacramento aliquo potest dici *character,* sicut Magister loquitur de charactere, *dist. ista.*

Sed his omnibus praetermissis, de *charactere,* ut loquimur in proposito, Theologi concipiunt communiter per *characterem quoddam spirituale impressum a Deo suscipienti Sacramentum non iterabile.* — Ex ista ratione nominis sequuntur aliquae proprietates *characteris,* quarum duae sunt *communes* sibi et cuilibet formae, scilicet: quod est *forma assimilativa alii habenti,* et quod est *forma distinctiva a non habente.* Et aliae *speciales,* quarum una est quod est *signum rememorativum Sacramenti suscepti;* alia, quod est *signum conformativum Christo,* cuius Sacramentum suscipitur, et etiam obligatorium ei, eo modo quo suscipiens Sacramentum obligatur per eius susceptionem.

(1) Χαρακτὴρ = *figura;* loc. cit. *ad Hebraeos* v. 3, dicitur graece: καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ = *et figura substantiae eius.*

Ex ista etiam ratione nominis patet, quod *character* non est *gratia*, nec *virtus* aliqua infusa, puta *fides, spes, charitas;* quia tales virtutes non semper imprimuntur suscipienti Sacramentum non iterabile, utpote ficto * (indisposito) * suscipienti Ordinem, vel Confirmationem: *character* autem semper imprimitur. Hoc etiam apparet ex quadam alia conditione, quam communiter loquentes attribuunt *characteri*, scilicet, quod est *indelebilis:* virtutes autem istae sunt *delebiles.* — *Oxon.* IV. d. 6. q. 9. nn. 2. 3.

* *Vel aliter, et clarius* *. Concordant omnes, quod *character* est *aliquid spirituale impressum animae in susceptione cuiuslibet Sacramenti non iterabilis.* Ex ista ratione communi *characteris* sequuntur tria: *primum* est, quod character *distinguit habentem* ipsum a *non habente*, quia si sit aliquid impressum in anima in susceptione Sacramenti initerabilis, ergo distinguit suscipientem illud. — *Secundo* sequitur, quod *character* sit signum *rememorativum* Sacramenti suscepti. — *Tertio*, quod sit principium *assimilans* suscipientem alteri habenti ipsum. — Sequitur *quartum*, quod *conformat* animam Deo, quia in susceptione huius Sacramenti signat animam configurari, et obligari Deo. Potest ergo *character* dici *forma spiritualis impressa animae in susceptione cuiuslibet Sacramenti non iterabilis, distinguens suscipientem a non suscipiente, et assimilans suscipientes ad invicem, rememorativa existens Sacramenti suscepti, et configurans animam Christo.*

Sed, quomodo se habet iste *character* impressus animae ad *gratiam*, quae est in anima? Utrum sit *idem*, vel *aliud* ab ea? Respondeo, quod *est aliud a gratia* et *virtutibus*, quia *character* imprimitur quandoque in susceptione Sacramenti, quando gratia et virtutes *non infunduntur.* Patet de ficte * (indisposite) * suscipiente Baptismum, qui recipit *characterem*, et non *gratiam*, neque *virtutes.* — *Report.* IV. d. 6. q. 8. n. 2.

* Pono aliam * rationem generalem *characteris* continentem etiam aliquas proprietates eius: *Est* enim *character forma spiritualis impressa in anima cuiuslibet suscipientis Sacramentum non iterabile, indelebiliter permanens, signans ex institutione divina gratiam illius Sacramenti, ad illam efficaciter disponens.* Quod autem *character* sit *forma*, patet, sive sit *absoluta*, sive *respiciens* * (relativa) *. Utrum autem sit forma *respectiva*, vel *absoluta*, ut *habitus*, vel *dispositio qualitatis*, non credo quod possit demonstrative probari; quia si ratio non potest haberi, per quam demonstretur *esse*, multo minus per quam demonstretur esse *in tali*, vel *in tali genere.* Nec potest probari *a priori*, ut a causa sua, quae est Deus, quia ipsa causa voluntarie tantum et contingenter * (libere) * causat; nec *a posteriori*, ut ab effectu eius, quia non habet aliquem actum, quo potest a nobis cognosci. — Similiter patet secunda conditio, quod sit *impressa in anima suscipientis Sacramentum initerabiliter;* non quod per illud Sacramentum imprimatur in anima, sed quod Deus assistens Sacramento ipsam imprimat. — Et etiam est *indelebiliter permanens*, quia nullum supernaturale deletur in nobis, nisi per causam demeritoriam: *character* non habet talem causam, quia manet in malo et ficto. — Est etiam *ex institutione divina signans gratiam;* si enim ponatur *character* esse forma *absoluta*, tunc haec particula non esset de essentia eius, quia respectus importatus per signum non est de essentia absoluti. Est igitur proprietas *respectiva* consequens formam *absolutam*, quia signat semper gratiam inesse animae, nisi fictio insit. — Est etiam *ad gratiam disponens*, ut signum ad signatum, quia quando duae formae sunt simul in aliquo impressae ab eodem agente, quarum una est imperfectior alia, forma imperfectior est dispositio respectu formae perfectioris: *gratia* et *character* sunt in anima impressi a solo Deo, et non ex aequo, quia *character* est *imperfectior gratia;* ergo, etc. — *Ib.* q. 9. n. 8. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 13.

Character Ordinis multiplex. — Concedo, *plures* esse *characteres*, et probabilius, quod alterius speciei, ut apparet ex actibus, ad quos isti gradus disponunt, qui gradus vel sunt character, vel habent proprios characteres necessario correspondentes. — *Oxon.*

IV. d. 24. n. 11. — Et secundum hoc pateret, quia utraque potestas, * celebrandi et absolvendi *, est quidam character, sed illi duo integrant totum Ordinem Sacerdotii. — *Ib.* d. 19. n. 11.

Charitas. — *Charitas* est habitus quo Dominum diligimus. — *De rer. princ.* q. 15. n. 25. — *Charitas* dicitur habitus, quo Deus habetur charus. Posset autem haberi charus aliquo amore *privato,* quo amans nollet habere condiligentem, sicut in zelotypis habentibus mulieres charas; sed ille habitus nec esset ordinatus, nec perfectus. *Non quidem ordinatus,* quia Deus, qui est bonum commune, non vult esse bonum privatum alicuius; nec secundum rectam rationem debet aliquis sibi appropriare istud bonum commune; et ideo amor ille inclinans ad hoc bonum ut ad bonum proprium *non condiligendum,* nec habendum ab alio, esset inordinatus. *Esset etiam imperfectus,* quia perfecte diligens vult dilectum diligi; igitur Deus infundens habitum, quo anima *ordinate* et *perfecte* tendat in ipsum, dat habitum quo habeatur *charus,* ut bonum *commune* et condiligendum ab aliis; et ita habitus ille, qui est Dei * et ad Deum *, inclinat etiam ad velle ipsum haberi charum, et diligi ab alio, saltem cuius amicitia sit ei grata, vel non displicens pro tunc, pro quando est grata. Sicut igitur ille habitus inclinat ad diligendum Deum in se ordinate et perfecte, ita inclinat ad velle eum diligi a se, et a quocumque alio, cuius amicitia sit grata ei.

Ex hoc patet qualiter habitus charitatis sit *unus,* quia non respicit *primo* plura obiecta, sed solum Deum respicit pro primo obiecto, ut in se bonum primum, et secundario velle eum diligi, et per dilectionem haberi a quocumque, quantum est in se, quia in hoc est perfecta et ordinata dilectio eius. Et hoc volendo diligo *me* et *proximum* ex charitate, volendo mihi et sibi, velle et per dilectionem habere Deum in se; quod est bonum simpliciter iustitiae; ita quod *primum* obiectum est solus Deus in se; omnia autem alia sunt quaedam obiecta *media,* quasi actuum reflexorum, mediantibus quibus tendo in infinitum bonum, quod est Deus: idem autem est habitus recti et reflexi. — *Oxon.* III. d. 28. n. 2.

Et ideo actus amandi *privatus,* qui scilicet destruit *amare proximum,* nullo modo potest esse talis habitus. Et in hoc apparet magna perfectio huius habitus, quia ordinatus et perfectus in genere habituum appetitivorum non potest esse Dei, nisi ut boni communis et condiligendi; ideo non potest esse principium alicuius actus, quo diligatur Deus cum contrario dilectionis proximi. — *Ib.* n. 4. — Ratio * autem * bonitatis proximi non est ratio terminandi actum, sed tantum ratio bonitatis divinae, quia si in bonitatem proximi tendat, hoc non est nisi actu *reflexo,* qui semper ulterius tendit in obiectum actus *recti;* quia haec virtus * charitatis * habet pro obiecto quietativo tantum Deum, tamen pro obiecto proximo in actu reflexo potest habere aliquid creatum. — *Ib.* n. 6.

Salvator exprimit charitatem ibi: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam* (1); esurire quidem non est sine misericordia: sed habitus quo elicitur est charitas; propriissime enim charitas viae est habitus, quo esurimus iustitiam et diligimus Deum in se, quod est vera iustitia. — Charitas exprimitur inter dona per spiritum *sapientiae;* universaliter enim quando in Scriptura commendatur sapientia, ut *Beatus vir qui in sapientia morabitur* (2), et huiusmodi, ibi sapientia est charitas; est enim habitus, quo *sapit* habenti illud obiectum, quod est in se sapiendum, quo scilicet placet mihi bonum eius in se, et illud volo mihi. — *Ib.* d. 34. n. 19. seqq.

Diligere * autem * Deum super omnia est actus conformis rationi naturali rectae, quae dictat optimum esse summe diligendum; igitur est rectus; immo eius rectitudo est per se nota, sicut rectitudo primi principii in operabilibus; aliquid enim est summi diligendum: et non nisi summum bonum, sicut nihil aliud a summo vero est maxime tenendum, vel credendum tanquam verum apud intellectum. *Confirmatur,* quia praecepta moralia sunt de Lege naturae, et per consequens illud praeceptum: *Diliges Domi-*

---

(1) Matth. c. V. v. 6.
(2) Eccli. c. XIV. v. 22.

num Deum tuum (1), est de Lege naturae; et ita naturaliter notum est, hunc actum esse rectum.

Ex hoc sequitur, quod ad ipsum potest esse aliqua virtus inclinans, et haec *theologica;* quia est circa obiectum *theologicum,* scilicet, Deum immediate; nec hoc tantum, sed innititur immediate primae regulae humanorum actuum; et infundi potest a Deo; et sic nata est perficere supremam portionem animae, quae non perfectissime perficitur, nisi immediate a Deo. Haec virtus distincta est a *fide,* quia actus eius non est *credere.* Similiter a *spe,* quia actus eius non est *concupiscere* bonum amanti, *inquantum est commodum amantis;* sed *tendere* in obiectum *secundum se* (2), etiamsi per impossibile circumscriberetur ab eo commoditas eius ad amantem. Hanc virtutem affectivam perficientem voluntatem, inquantum habet affectionem iustitiae, voco *charitatem.* — *Oxon.* III. d. 27. n. 2.

Ratio obiectiva actus charitatis et habitus potest intelligi tripliciter: vel *prima,* quae secundum se accepta nata est per se esse *ratio terminandi;* vel *secunda,* quae est aliqua ratio *praecedens* actum, propter quam natus est actus *elici circa obiectum;* vel *tertia,* quae *quasi concomitatur,* imo *quasi sequitur* ipsum actum elicitum. — *Prima* ratio est proprie ratio obiectiva, et non alia * et alia * stricte loquendo; et haec ratio obiectiva est ratio *Dei in se;* praecisa enim ratio huius essentiae est *ratio formalis terminandi omnem actum* et *habitum theologicum;* et hoc in quacumque natura intellectuali, sicut tactum est *in primo, quaest. de obiecto Theologiae* (3). Quod *probatur* breviter ex hoc, quia potentia respiciens aliquod obiectum commune, sive in ratione *motivi,* sive in ratione *termini,* non potest perfectissime quietari, nisi in eo solo, in quo est perfectissima ratio obiecti *adaequati:* omnis autem potentia intellectiva et volitiva respicit pro obiecto *adaequato terminante* totum ens; igitur in nulla natura, sive creata, sive increata, potest perfecte quietari, nisi in illa in qua est *perfecta ratio entitatis:* tale autem est solum Ens primum, non sub ratione aliqua relativa, sed sub ratione, qua est *hoc ens;* ergo, etc. (1). — *Ib.* n. 7.

Secunda ratio potest aliquo modo dici ratio obiectiva actus *alliciens* ad amandum; nam ipsa nata est allicere aliqualiter ad amandum; et talis in proposito est ratio relativa huius Naturae ad amantem, inquantum est conveniens bonum communicativum sui illi. Sicut enim in nobis primo amatur aliquis propter bonum *honestum;* secundo, quia scitur *redamans;* * et * illa *redamatio* in eo est una specialis ratio *amabilitatis* in eo, *alliciens* ad amandum, alia quam propter bonum *honestum,* ita in Deo non sola bonitas infinita, vel haec Natura, ut haec Natura, allicit ad amandum; sed quod haec bonitas *amaverit me,* communicando se mihi, *secundario* hoc *allicit;* et in isto gradu amabilitatis potest poni omne illud, in quo invenitur ratio amabilitatis, et potest se demonstrare, sive *creando,* sive *reparando,* sive *disponendo* ad beatificandum; ita quod inter haec non sit distinctio, nec charitas respiciat magis ultimam quam secundam, nec secundam quam primam, sed omnes sicut rationes quasdam, non solum boni *honesti,* sed boni *communicativi,* et *amantis,* et quia amantis, ideo digni *redamari,* iuxta illud Ioan.: *Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos* (2). — *Ib.* n. 8.

Tertia ratio, quae est esse obiectum *finiens* actum, non est proprie ratio formalis obiectiva, quia naturaliter sequitur actum elicitum; et tamen pro quanto semper *comitatur* actum, posset poni *aliqua ratio obiecti.* Et hoc modo diligitur * Deus *, inquantum est bonum *beatificum diligentis,* sicut diceretur *Deus diligere,* inquantum *summe diligitur,* quod non est *ex ratione*

---

(1) *Deut.* c. VI. v. 5. — *Matth.* c. XXII. v. 37. — *Marc.* c. XII. v. 30. — *Luc.* c. X. v. 27.

(2) Vid. *Oxon.* III. d. 31. n. 8.

(3) Vid. *Oxon.* q. 3. *Prolog.* — *Report.* ib.

(1) Vid. *Oxon. Prol.* q. 1. — I. d. 1. q. 1. et 4. — *Ib.* d. 49. qq. 2. 11. 12. — *Ib.* d. 50. q. 5. — *Report.* iisd. in locis.

(2) Epist. I. c. IV. v. 9.

formali obiecti, sed sequitur rationem in obiecto *concomitantem* actum.

Exemplum huius distinctionis *trimembris* esset, si poneretur unum quod esset *pulcherrimum* visibile *ex natura rei;* secundo, quod illud *daret virtutem visibilem oculo,* qua videretur; tertio si *esset quietans visum,* inquantum attingitur ab oculo per actum videndi, qui est ratio formalis terminandi amorem visivum, si visus posset amare tale obiectum. Prima ratio, qua visus *tendit* in obiectum, est prima ratio talis naturae, pro eo quod in tali natura est perfecte ratio obiecti *adaequati* tali potentiae, quantum potest esse in aliquo. Secunda est quaedam ratio *alliciens* ad amandum, pro quanto *communicavit se huic,* dando potentiam videndi. Tertia est ratio *concomitans* actum, in quo perfecte quietatur visus absolute. Igitur prima ratio in visu respectu *amare,* si posset amare, esset ratio *huius naturae;* minime et impropriissime ratio eius quod attingitur per actum.

Ex quo videtur sequi, quod impropriissime dicunt, dicentes, Deum, *inquantum est obiectum beatificum,* esse obiectum charitatis, si intelligant per *beatificum* respectum *actualem,* inquantum scilicet *terminat* respectum actus beatificandi. Si autem intelligant respectum *aptitudinalem,* tunc illa non est ratio *terminandi,* nisi quia *natura* est ratio *terminandi.* — *Ib.* n. 9.

Illud * autem * *super omnia* potest intelligi *extensive,* puta quod *plus* diligat Deum, quam omnia alia, et citius vellet omnia alia non esse, quam Deum non esse; et *intensive,* puta, ex *maiori affectu* vult Deo *bene esse,* quam alicui alteri. — De primo membro, conceditur communiter, quod nihil aliud a Deo, nec omnia simul, sunt aeque appretianda sicut Deus. — De secundo, ponitur una distinctio, quod amor excedit amorem, vel quia *ferventior* sive *tenerior;* vel quia *fortior* sive *firmior:* et dicuntur isti amores *sese excedere,* sicut mater dicitur *tenerius* et *ardentius* diligere filium; pater vero *fortius* et *firmius,* quia maiori periculo se exponeret pro amore filii. Hoc modo dicitur, quod dilectio Dei debet esse *super omnia,* quantum ad *firmitatem,* ne scilicet, aliquid aliud possit ab hoc evellere; sed non oportet, quod sit *super omnia,* quantum ad *fervorem,* et *teneritudinem,* et *dulcedinem,* quia aliquando invenit se quis *ferventius* diligere creaturam, quam alias Deum. — *Ib.* n. 16.

Contra istam distinctionem arguitur: quia solum hoc *magis* diligitur, quod *firmius* diligitur; hoc enim *magis* diligo, cui *minus* volo malum accidere, et pro cuius bono salvando *magis* me expono *ex amore;* quia *exponere* sequitur amorem, et hoc loquendo de amore qui est *actus voluntatis,* non de illo qui est *passio appetitus sensitivi.* Etsi igitur aliqui dicantur diligere *ferventius,* vel *tenerius,* qui tamen *firmius* non diligunt, hoc non est ex aliquo *excessu* amoris *intellectivi* in eis, sed forte alicuius *passionis* amoris *sensitivi,* sicut aliqui, qui dicuntur *devoti,* sentiunt aliquam maiorem dulcedinem, quam alii *multo solidiores* in amore Dei, qui centuplum promptius sustinerent martyrium; nec dulcedo est *actus* voluntatis elicitus, sed *passio* quaedam actui retributa, qua Deus *allicit* et nutrit parvulos, ne deficiant in via.

Dico igitur, quod istud, *super omnia,* debet intelligi *utroque modo;* sicut enim teneor diligere Deum super omnia alia *extensive,* ita etiam *maiori affectu,* quam aliquod aliud (1). — *Ib.* n. 17.

Illud praeceptum affirmativum, *Diliges Dominum Deum tuum,* etc., non tantum obligat *semper* ad *oppositum fugiendum,* ne scilicet insit actus *odii,* sed obligat *pro aliquando* ad *actum elicitum;* quia ille actus est circa finem, ex cuius bonitate descendit omnis bonitas moralis in actibus qui sunt ad finem. Sicut igitur homo tenetur habere aliquem actum *virtuosum,* ita tenetur habere aliquem actum illius praecepti circa *finem gratuite diligendum.* — *Ib.* n. 18.

Charitas proprie potest dici *amicitia,* licet non omnino accipiendo amicitiam *stri-*

---

(1) Vult dicere, ut ex ipsius verbis colligitur, nos teneri amare Deum super omnia *extensive* et *intensive* amore *intellectivo,* non vero affectu *sensitivo.* — Vid. *Scholium* Edit.

cte, sicut accipit Philosophus (1), sed aliquantulum *extendendo* * *(late)* *, sicut, secundum intentionem eius, ad Deum est *aliquid excellentius* amicitia. Illa enim excellentia obiecti non tollit quod est perfectionis in obiecto, sed illud quod est imperfectionis. *Honestas* * et bonitas * quippe in *diligibili,* et *redamatio* in *dilecto* sunt conditiones per se in diligibili, non quidem imperfectionis, immo non esset perfectior si non redamaret; sed *aequalitas* in istis est conditio *concomitans.* Deus autem habet *honestatem,* et *redamationem,* sicut *amationem,* et excellentius potest esse *amicitia* ad ipsum, ita ut dicatur *super-amicitia.* — Et si arguitur, quod *aequalitas* est *ratio* amicitiae; verum est, *supposita honestate,* quae est *prima ratio* amabilis. *Aequalitas* autem est *ratio* amicitiae *stricte* sumptae; sed *excellentia* est ratio habitus magis similis, vel perfectionis, quam sit amicitia. Talem in proposito voco *charitatem.* — *Ib.* n. 20. — Vid. *Beatitudines* = *Habituum divisio* = *Dona Spiritus Sancti.*

Charitas dupliciter minuitur. — *Fervor charitatis* dupliciter potest diminui: uno modo *positive,* per actionem positivam; alio modo *privative,* sive *negative* per amissionem. *Primo modo* sic; nam charitas est *pondus voluntatis,* inclinans ipsam; voluntas tamen non necessario sequitur inclinationem eius, sicut lapis inclinationem gravitatis; et ideo potest agere *praeter* inclinationem eius, et *contra* inclinationem eius. Agendo autem et eligendo actus *praeter* inclinationem, potest sibi per huiusmodi actus habitum generare, qui licet non sit *omnino contrarius* charitati, nec damnatur ut malus, tamen inclinat in *alios* actus quam charitatis, et *quasi* in actus *contrarios* actibus charitatis; et sic voluntas disposita per huiusmodi habitum redditur minus habilis ad eliciendum actus charitatis. Secundum hoc igitur *fervor charitatis* diminuitur, quia * imminuitur * habilitas voluntatis per habitum generatum ex peccatis venialibus.

Alio etiam *modo* diminuitur fervor charitatis *negative, omittendo* elicere actus charitatis; nam ex actibus charitatis elicitis nata est generari in voluntate quaedam charitas *acquisita,* sive quidam *habitus amoris.* Quod probatur, nam, *activo* et *passivo* approximatis, sequitur *actio* et *effectus actionis:* sed actus eliciti ex charitate non sunt minus activi quam si elicerentur a sola voluntate sine charitate; igitur sicut illi actus nati essent generari quemdam habitum, ita etiam quando eliciuntur mediante habitu charitatis: ille autem habitus disponit voluntatem ut *faciliter* et *delectabiliter* operetur, et per consequens cum *maiore fervore.* Et ideo *omittendo* elicere actus charitatis, non generatur talis habitus, quo voluntas esset *magis habilitata* et *inclinata* ad actus charitatis, et *magis ferventer* operaretur. Et ideo sic *negative* diminuitur *fervor charitatis* per omissionem actuum charitatis. — *Report.* I. d. 17. q. 7. nn. 8. 9.

Charitas — Gratia. — *Gratia* est virtus, et est *idem re* quod ipsa *charitas,* ut patet per multas praeeminentias, quas Sancti attribuunt aliquando *charitati,* aliquando *gratiae,* ut *XV. de Trinit. 18,* dicitur, quod *sola gratia dividit filios regni a filiis perditionis;* et alibi, *quia sola charitas perfectissime unit.* Et si *charitas* et *gratia* essent *duae res,* cum sint absolutae, non esset contradictio quod unum inesset sine alio, et tunc homo posset salvari *sine gratia,* vel *sine charitate;* vel damnari *in gratia,* vel *in charitate* existens.

Dico tamen, quod, licet *charitas* et *gratia* sit *eadem res,* hoc tamen est ut *diversimode concepta,* quia Deus est *formaliter charitas,* sed non sic est Deus *formaliter gratia.* Aliquid enim, quod in Deo est *infinite,* potest concipi in creatura *limitate;* et idem potest dupliciter concipi: vel illud finitum *solum,* quod est in creatura, *non ut limitate nec illimitate;* et illud solum conceptum est indifferens ad Deum et creaturam; et sibi potest, ut sic, imponi unum nomen, ut *sapientia* vel *charitas;* vel potest concipi id, quod est in creatura, scilicet *talis perfectio,* ut *limitata,* concipiendo totum ut perfectum *cum limitatione;* et tunc illi toti potest imponi nomen; et sic *gratia*

(1) *Ethic.* c. VIII.

imponitur eidem rei, et *sapientia* creata eidem rei, cui imponitur absolute hoc nomen *sapientia;* et sic non dicitur de Deo, quia illud aliquam imperfectionem dicit, quia dicit aliquid dignum charitate, vel gratia, et tale non *ex se* habet charitatem.

Secundo, est differentia inter ista *in respectu connotato,* quia ut habeo Deum mihi *charum,* possum illud dupliciter concicipere: vel ut *charitas* est *absolutum principium operandi* circa Deum *gratum* mihi, vel ut est *in habente* Deum, ut habentem *charum* (1), ut *habens* est obiectum secundarium, circa quod operatur intellectus divinus; et sic eadem res dicitur *gratia* ut *in homine existens,* et dicitur *charitas* ut est *absolutum principium operandi* circa Deum *gratum.* — Primo modo dicit imperfectionem; secundo modo non; et sic est de omni perfectione, quod in quolibet est melius esse quam non esse (2); considerando illud quod *perfectionis* est solum, indifferens est ad Deum, et creaturam; sed *ut limitatum,* tantum * (est) * in creatura. — *Report.* II. d. 27. n. 3. seqq.

Charitas dicitur, qua habens eam *habet Deum charum,* ita quod respicit Deum, non in ratione *diligentis,* sed in ratione *diligibilis.* — *Gratia* est, qua *Deus habet aliquem gratum,* ita quod ipsa respicit Deum *acceptantem* sive *diligentem,* non autem *dilectum.* Non autem dicitur *gratia* quodcumque, *propter quod Deus diligit,* quia tunc *Essentia divina* in Filio posset dici *gratia,* quia *propter eam* diligit Filium; sed illud *propter quod* Deus *acceptat habens * aliquem ** ut *dignum beatitudine,* dignitate, quae est in correspondentia meriti ad praemium, illud dicitur *gratia;* et ita aliquam imperfectionem includit illud, quod est *gratia,* quia talis dignitas aliquam imperfectionem ponit in digno, quia non est *per se beatus.* — *Oxon.* II. d. 27. n. 4.

Charitas — Spes. — *Charitas* perficit voluntatem inquantum est affectiva affectione *iustitiae,* et *spes* perficit eam inquantum est affectiva affectione *commodi;* et ita erunt distinctae virtutes, non tantum ex *actibus,* qui sunt *amare* et *desiderare,* sed etiam ex *susceptivis,* quae sunt voluntas secundum illam duplicem affectionem affecta. Ex *obiectis* autem non distinguuntur, scilicet per *arduum* et *delectabile,* imo est omnino eadem ratio formalis utriusque obiecti, licet aliqua adduntur hic, quae non ibi. Siquidem esse *excedens* dicit conditionem, non eius quod est esse *obiecti,* sed eius quod est esse *a quo.* Esse *absens* dicit conditionem concomitantem istam, tam in causa efficiente quam in fine, scilicet remotionem obiecti, non autem dicit rationem formalem obiecti. *Velle mihi* dicit conditionem *cui;* et velle ex *meritis* dicit conditionem *qualiter.* — *Oxon.* III. d. 26. n. 18. — Vid. *Beatitudines* = *Habituum divisio* = *Dona Spiritus Sancti.*

Christi unitas triplex. — Secundum Linconiensem, Christus est unum *triplici* unitate: quarum *prima* est ad Patrem et Spiritum Sanctum: *secunda* Verbi ad naturam assumptam: *tertia* Christi capitis ad membra. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 16. — Unitas potest dici maxima vel ex privatione *distinctionis,* vel ex privatione illorum *unitorum* in ipsa unitate. Primo modo non est hic * (in *tertia*) * maxima unitas, quia maxima est hic distinctio naturarum. Secundo modo potest concedi maxima unitas post unitatem Trinitatis, quia ipsa unita sunt perfectissima, quia unum * (Verbum Divinum) * est infinitum, et alterum * (natura assumpta) * est substantia perfecta in se; et ex unione eius ad reliquum est perfectissimum per communicationem idiomatum, quia est Deus. — *Ib.* III. d. 6. q. 1. n. 9.

Christus creator — non creatura. — *Creator* non dicit aliquid repugnans naturae vel huic supposito, sicut *creatura; creare* enim est dare *esse* prima causalitate post *non esse;* hoc Christo non repugnat: *creari* est accipere *esse* primum a primo efficiente post *non esse;* hoc Christo repugnat, * quia *Christus* est *Deus-Homo* *. — *Oxon.* III. d. 11. q. 1. n. 13.

Christus genitus — non creatus. — Christus dicitur *genitus* temporaliter, et non *creatura,* quia *generari* denominat natu-

(1) Vid. *Oxon.* III. d. 28. n. 2.
(2) Vid. *Perfectio simpliciter.*

ram, et mediante natura natum est denominare suppositum; *creatura* nata est denominare utrumque propria denominatione, et ita neutrum est ibi ratio *qua* respectu alterius. — *Oxon.* III. d. 11. q. 1. n. 12.

Christus in forma humana — secundum humanitatem. — Aliud est dicere, Christus *in forma humana* iudicabit, aliud Christus *secundum humanitatem* iudicabit; vera enim est ista, quod Christus *in forma humana* creat animas, sed non ista, *secundum humanitatem* creat; immo quidquid fecit Verbum, ex quo naturam humanam assumpsit, quod faciens, naturam humanam non deposuit, hoc fecit *in natura humana,* nisi stringas hoc quod est *in natura* ad intellectum eius quod dicitur *secundum naturam humanam,* ubi notatur non tantum *concomitantia* naturae humanae ad actum, sed *causalitas* naturae humanae respectu actus. — *Oxon.* IV. d. 48. q. 1. n. 4.

Cibi finis duplex. — Cibus valet ad *duo,* scilicet: ad *delectationem,* quae est minus principalis, et ad *nutritionem,* quae est magis principalis. Et conveniens est, ut utatur cibo eo modo quo magis expedit nutritioni, licet in hoc detrahatur delectationi. — *Oxon.* IV. d. 33. q. 1. n. 5.

Cibus corporalis — spiritualis. — Hoc interest inter cibum *corporalem* et *spiritualem,* quia cibus corporalis convertitur in nutriendum, sed nutritione spirituali cibatus convertitur in cibum. — *Oxon.* IV. d. 8. q. 3. n. 2.

Circulus. — *Circulus* est figura plana quibusdam lineis contenta, in cuius medio ponitur punctus, a quo omnes lineae ductae ad circumferentiam sunt sibi invicem aequales. — *Meteor.* III. q. 7. n. 2. — Cf. *Oxon.* I. d. 26. n. 36. — II. d. 14. q. 2. n. 4.

Circumcisionis quatuor tempora. — Quantum ad Circumcisionem, distinguo quatuor tempora: pro *primo* erat necessaria; pro *secundo* utilis, non necessaria; pro *tertio* nec utilis, nec necessaria; pro *quarto* omnino illicita et mortifera. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 4. n. 12; *ubi praedicta quatuor tempora determinat.*

Circumincessio. — De *circumincessione* divinarum Personarum, utrum quaelibet Persona divina sit in alia (*Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 1), veritas est plana et certa ex auctoritate Salvatoris in Ioanne (1): *Ego in Patre et Pater in me est,* et alibi in multis locis, et etiam Sanctorum exponentium. Sed, ut *aliqualiter* (2) possit intelligi, tria sunt videnda:

Primo, de *modo* quo Persona est in persona: *secundo,* quae sit *ratio* istius inexistentiae: *tertio,* si iste modus *essendi in* posset *reduci* ad modum aliquem *essendi in* repertum in creaturis, loquendo de illis modis quos ponit Philosophus *IV. Physic.* (3); vel utrum posset *declarari* per aliquem modum, qui possit in creaturis inveniri. — *Ib.* n. 2. *Exposita et explosa Henrici sententia nn. 3 seqq., pergit n. 6 seqq. in propria doctrina exprimenda, ac praemissis opportunis terminorum declarationibus, concludit:*

De *primo* dico, quod iste modus *essendi in* non est per illum modum quo natura est in supposito, vel forma in materia, sed sicut subsistens est in subsistente, secundum Hilarium *VII. De Trinitate* cap. 6. ubi dicit sic: *Inesse non ut aliud in alio, ut corpus in corpore, sed sic inesse ac subsistere ut in subsistente insit, ut sit ita inesse ut ipse subsistat.* Subsistere autem, id est, incommunicabiliter per se esse, convenit personae *primo,* non enim de persona dicitur quia de essentia vel de relatione dicitur. Sicut etiam *agere* in creaturis vel *produci* primo convenit supposito *toti,* id est, non sibi quia parti; ergo et *subsistere in* primo convenit personae. Licet enim natura primo insit parti, ut natura in supposito, illa tamen non est subsistentia vel inexistentia subsistentis in subsistente, sed praecise illa inexistentia, qua totus Filius inexistit praesentialiter et intime in toto Patre, cui alludit illud Ambrosii in hymno: *In Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater.* — *Ib.* n. 7.

---

(1) Cap. XIV, v. 10.

(2) « Licet hoc ratio humana non capiat, secundum Hilarium *VII. De Trinitate* ». — *Report.* I. d. 19. q. 1. n. 2.

(3) Vid. infr. « *Esse in* » *dupliciter accipitur* — « *Esse in* » *est multiplex.*

Dico igitur, quod una Persona est in alia non per informationem, quomodo illud, cui aliquid inest, denominatur ab inexistente, sed per mutuam praesentiam spiritualem, qua subsistens est in subsistente distincto. — *Report.* I. d. 19. q. 4. n. 4.

Quantum ad *secundum* dico, quod nec essentia sola est *ratio* huius inexistentiae, nec relatio sola. *Primum* probo, quia tunc Pater esset in se; quod est falsum, eo modo quo intelligit Salvator, Patrem esse in Filio, et Filium in Patre, quia sic inesse requirit distinctionem realem. *Secundum* probo, quia relationes originis non sunt eiusdem rationis in Personis relatis, et ita si illae essent *formales rationes* essendi Personarum in se invicem, non essent Personae in se invicem uniformiter. — Ex his sequitur, quod ambo erunt *totalis ratio* inexistentiae. — Et ad intelligendum quomodo hoc sit, potest accipi exemplum in creaturis de *similitudine.* Nihil enim est *sibi* simile, sed *alteri;* similitudo tamen fundatur super unitatem in qualitate (1), secundum Philosopum *III. Metaph.* cap. de *Ad Aliquid.* Nec igitur sola diversitas relativorum, nec sola unitas fundamenti sufficit ad similitudinem, sed ambo requiruntur per se sicut una causa totalis. Ita hic, nec *distinctio Personae* inexistentis, et in qua est alia, nec *unitas essentiae,* per quam sunt in se invicem, est tota ratio inexistentiae, sed ambo simul. Sicut tamen in similitudine est principalior ratio unitas fundamenti quam distinctio ibi extremorum, et similiter immediatior, ita hic potest poni immediatior et principalior ratio inexistentiae istius unitas essentiae, quam distinctio Personarum. — *Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 6-7.

Quantum ad *tertium* dico, quod iste modus *essendi in* non est aliquis illorum modorum formaliter, quos ponit Philosophus *IV. Physic. Formaliter* dico, quia omnes illi modi sunt per hoc quod contentum est aliquid *continentis,* quo modo non e converso; vel per hoc, quod *continens est aliquid contenti,* quo modo non e converso; neutra illarum rationum est in proposito, quia *diversitas* est ibi maior ratio *essendi in,* quam *unitas:* contrarium est in proposito; ideo bene dicit Hilar. *III. de Trinitate,* et ponitur in littera: *naturaliter enim intelligentia humana rationem huius dicti non capit, nec exemplum aliquod rebus divinis comparatio humana praestabit.*

Colligendo tamen ea, quae sunt perfectionis in creatura, tollendo ea, quae sunt imperfectionis, possunt poni aliqua exempla huiusmodi *essendi in,* licet haberi perfecte non possint; tamen *imperfecta* exempla *imperfecte* repraesentantia illum modum *essendi in* possunt adduci.

Primo quidem de *illapsu essentiae divinae respectu creaturarum;* ad quem illapsum concurrit simul *immensitas* naturae divinae, et eius *manutenentia.* Circumscribatur ergo ab illapsu ratio *manutenentiae,* ita quod reservetur ratio *praesentiae activae* pertinentis ad manutenentiam. Hoc circumscripto, sicut Deus, quia immensus, praesens est omni creaturae, ita tunc intelligeretur *praesens alicui,* absque hoc, quod illud *manuteneat;* et tunc, si ponatur una natura in praesente, et in illo, cui est praesens, erit exemplum ad propositum de isto modo *essendi in.*

Aliud exemplum est de anima *non informante* corpus, *praesente* tamen corpori, sicut in instanti mortis; aut de Angelo *non informante* corpus, ipsi tamen *praesente;* aut de corpore glorioso *praesente* corpori non glorioso. Vel melius exemplum, si posset corpus gloriosum *inexistere* alii corpori glorioso aeque subtili.

In his omnibus *esse in* est *subsistentis,* et *praesentis,* non per *informationem,* nec per *modum partis;* et si in istis addatur *unitas naturae,* quae de necessitate naturae exigat talem praesentiam, est perfectius simile.

Aliud etiam est exemplum de *potentiis animae,* quae si ponuntur *differre ex parte rei,* et cum hoc tamen *esse idem realiter essentiae animae,* de necessitate una *erit in* alia, quia in alia est essentia animae, cui illa potentia est eadem; igitur distincta aliquo modo *realiter* erunt indistincta. Sed si utrumque istorum esset *per se*

(1) Vid. *Similitudo.*

subsistens, subsistens distinctum erit in subsistente praesentialiter, et erit exemplum *essendi in*, prae omnibus istis exemplis.

Et ad declarationem duorum articulorum praecedentium potest addi, quod in isto modo *essendi in* utrumque extremum secundum *eamdem rationem* est *in alio*, quia hic notatur *praesentia* mutua, non *continentia* extremi ab extremo; quia si intelligatur corpus *esse in loco*, hoc est sicut *contentum a continente*, non enim est hoc modo *in*; sed si intelligantur duo corpora *esse in eodem loco*, in se invicem, hoc est secundum *eamdem rationem*, quia sunt simul, et simultas dicit relationem communem *unius rationis* in extremis; et si per impossibile circumscribatur locus, et ponatur simul praesentia corporum, erit relatio *unius rationis* in extremis, et utrumque in altero sine *continentia* vel unius ab altero, vel amborum a tertio. — *Ib.* n. 10.

Circumscriptio. — Circumscriptio includit esse in loco actu, et aequali et commensurative. — *Oxon.* II. d. 2. q. 6. n. 46.

Circumscriptio — abstractio. — Aliud est *circumscribere*, et aliud *abstrahere*, ut patet per Philosophum, a quo habemus haec nomina; nam de *circumscriptione* patet per Philosophum *in Praedicamentis cap. 3*, ubi docet, cognoscere correlativum alicuius relativi, utpote quod *dominus* sit correlativum *servi*, per hoc, *circumscripto* a domino omni alio, ut quod sit *dives* vel *nobilis*, manente hoc solo, quod est *dominus*, adhuc *servus* ad ipsum dicitur. Unde *circumscriptio* est positio in intellectu unius esse sine alio, ut videatur quid sequitur; et sic ponit Boetius *De Hebdomadibus*, de Deo, quod sit *ens*, *circumscribendo* quod sit *bonus*. —. *Abstractio* vero est *consideratio unius sine alio*, non dicens unum esse sine alio, sed unum *considerari*, non considerando aliud; et sic loquitur Philosophus II. *Physic. text.* 15, cum dicit, quod *abstrahentium non est mendacium*. — *Report.* I. d. 26. q. 3. n. 7. — *Ib.* d. 17. q. 1. n. 9. — Vid. *Abstractio*, etc. — *Abstractum*, etc.

Circumscriptive — definitive. — Omnes auctoritates, quae negant Agelum esse in loco, sunt exponendae, quod verum dicunt, ipsum non esse in loco *circumscriptive*, circumscriptio autem includit esse in loco *actu*, *aequali*, et *commensurative*, iuxta secundam, tertiam et quartam conditiones locati, quae non conveniunt Angelo (1). * Convenit autem ipsi * *continentia loci*; talis enim continentia nihil aliud est, nisi contentum esse intra hanc superficiem continentem, et nihil eius esse extra; et hoc verum est in quocumque contento *definitive*, quia *nihil eius est extra locum ambientem*. — *Oxon.* II. d. 2. q. 6. n. 16. seqq. — * Qui * potest esse praesens alicui loco *definitive*, ita est praesens huic loco, quod non potest esse praesens alii loco. — *Ib.* q. 1. n. 14. *Naturaliter scilicet, ut explicat Doctor ib.* q. 7. n. 2.

Claritas Beatorum. — Dico, quod corpora beata erunt clara. *Claritas* enim est quaedam refulgentia, et addit super lucem et colorem *manifestationem sui*, quomodo dicitur *clara lux*, vel *clara veritas*, vel *clara intellectio*, id est *manifesta*, pro quanto dicit perfectam manifestationem sui.

Si ergo loquamur de claritate coloris sui corporis, dico, quod corpora beatorum erunt clara, quia habebunt perfectam manifestationem sui corporis; habebunt enim colorem perfecte manifestativum sui, quia quilibet habebit colorem pulchrum secundum gradum complexionis suae, quia non omnes habebunt eumdem colorem, nec secundum eumdem gradum qui habent similem colorem, quia commensurationes colorum sequuntur commixtionem propriarum qualitatum; et ideo secundum diversas complexiones habebunt diversos colores; unde et hoc modo magis delectatur unus in uno colore quam in alio, quia conveniens est complexioni suae; et sic non omnes erunt aeque clari, etiam habentes sibi similem complexionem, sed secundum merita sua. Unde secundum Apostolum (2) *alia est claritas solis*, etc. Et illa claritas videtur sufficere; quia magis delectatur sensus visus hominis in pulchro

---

(1) Vid. *Locatio Corporis — Angeli = Locatio corporis multiplex.*

(2) I. Corinth. c. XV. v. 41.

colore corporis humani, quam in corpore luminoso; unde plus delectatur naturaliter in videndo faciem humanam bene coloratam, quam solem.

Ille ergo modus claritatis est mihi planus, quod erit in beatis, quia in eis erit color secundum ultimam perfectionem convenientem complexionibus suis. Si autem corpus beati sit capax lucis, et non tantum coloris, placet mihi, quod ponatur ibi. Talem autem colorem, scilicet ultra perfectionem complexionis suae cum refulgentia, talem esse *dotem claritatis* voco. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 15. n. 2.

Clavis spiritualis. — Cum omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferant, dico, quod sicut *clavis materialis* est instrumentum proximum *claudendi* vel *aperiendi* alicui domum; *minister* autem claudens vel aperiens domum, vel ipsa *clausio* vel *apertio* domus, non sunt huiusmodi instrumentum proximum, quia ipsis non aperitur, nisi mediante instrumento *clavis;* proinde dico, quod *clavis* nostra principalis *spiritualiter* dicta est *immediatum instrumentum, quo coelum, alicui clausum propter peccatum, aperitur* (1) *cum poenitet, et idem clauditur cum iterum peccat.*

Non autem *meritum* vel *demeritum* sunt *claves proximae* quae aperiunt vel claudunt istam domum; quia non sunt *proximum* instrumentum illius apertionis vel clausionis, sed sunt *dispositio,* vel instrumentum *remotum* ad huiusmodi apertionem vel clausionem; et ipsa potestas vel *clavis spiritualis principalis* est instrumentum *proximum,* per quod alicui *proxime* aperitur et clauditur domus Dei.

Ista autem *clavis spiritualis* et *principalis,* sicut *proximum* instrumentum claudendi et aperiendi coelum, est *potestas iudiciaria,* vel *auctoritas sententiandi,* coelum esse apertum propter merita, et clausum propter demerita, et non ipsa merita vel demerita, quae non sunt nisi sicut dispositio *remota;* nec etiam ipsa *sententia definitiva actualiter lata* a iudice est illa *clavis,* quae est *proximum* instrumentum aperiendi vel claudendi coelum; sed est ipsa *clausio* vel *apertio,* quae praeexigit necessario illam *clavem* et iudiciariam potestatem.

Illa autem *clavis* vel *potestas iudiciaria* definitive sententiandi aliquem dignum coelo, vel indignum, *in genere* est *triplex:* quaedam *prima* et *principalis:* quaedam *instrumentalis* et *commissaria:* quae est duplex: quia quaedam est potestas instrumentalis commissaria *cum praeeminentia,* alia est instrumentalis et ministerialis *sine tali praeeminentia;* et haec est duplex: quia quaedam *communis* et *generalis,* alia tantum *partialis.*

De istis, habita ratione *nominis* et eius distinctione, dico ad propositum, quod *prima clavis* est auctoritas *prima* et *principalis;* quae non potest competere nisi *soli Deo* et *voluntati* eius; quia cum iudicium *primum* et *principale* sit actus *primae* iustitiae, quae est regula omnis alterius iustitiae, iuxta illud Ps. 118 (1), *Feci iudicium et iustitiam,* cui *primo* competit *prima* iustitia, quae est regula omnis alterius iustitiae, et ad quam omnis alia iustitia reducitur, si est iustitia, conformiter ei competit *primum* iudicium: voluntas divina est iustitia *prima* inobliquabilis, tanquam regula ad quam habet omnis alia reduci et eidem conformari; igitur voluntati divinae convenit *prima* auctoritas iudicandi.

Istud autem iudicium vel voluntatem iudicandi non posset Deus de potentia absoluta alicui dare; *praesidentis* enim *est iudicare;* igitur ad *primum* praesidentem pertinet *primum* iudicium: sed Deus non posset dare alteri *primam* praesidentiam, vel *primam* auctoritatem praesidendi, nisi faceret ipsum esse Deum, quod non posset facere, quia tunc non posset esse Deus, si essent duo; igitur non potest alteri dare *primam* auctoritatem vel potestatem iudicandi.

Secunda autem *clavis commissaria, instrumentalis* et *praeemitentiae,* potest alicui

(1) Vel potius « sententiatur aperiendum, quia ista apertio non est *actualis,* sed dictata condigna dispositio istius cui aperitur » — *Oxon.* IV. d. 19. n. 3.

(1) v. 121.

committi cum *duplici* praeeminentia: quia cum *universalitate,* inquantum committitur talis potestas respectu *omnium,* et cum *firmitate* et *stabilitatè,* inquantum sententia eius de aliquo tunc est *inviolabiliter* rata et irrevocabilis. Et illo modo *Deus tantum ut causa principalis claudit* et *aperit.* — *Potestas* autem *commissaria iudicii universalis respectu omnium* potest ei iuste committi qui *novit omnia* merita et demerita *omnium,* atque praemia et supplicia quae eis correspondent. *Potestas* autem *commissaria,* cuius iudicium sit *ratum* et *firmum* et *irrevocabile,* potest committi illi soli, qui *inseparabiliter adhaeret* legibus divinae voluntatis, *nec potest errare* in sententiando de aliquo, quia conformiter agit suae regulae *primae* iustae, divinae scilicet voluntati. Et illo modo dico, quod *potestas iudicandi de aliquo tantum convenit animae Christi,* quae est *inseparabiliter* unita Verbo, et *conformiter agens* voluntati eius, quae etiam *omnia novit* in Verbo, merita et praemia, culpas et poenas, in Ordine Sacerdotali.

Tertia vero *clavis* et *auctoritas iudicandi commissaria* et *instrumentalis in communi, sine tali praeeminentia, confertur in Ordine Sacerdotali,* et *potest conferri congrue Sacerdoti;* et hoc dupliciter, ut dictum est, quia vel *generaliter,* vel *particulariter;* quia sicut qui *omnia cognoscit* potest iuste sibi committi iudicium. universale respectu *omnium,* sicut committebatur Christo, ita *cognoscenti aliqua particulariter* per Scripturam potest *particulariter* committi, et alicui *plus,* alicui *minus,* secundum quod *plura* vel *pauciora* cognoscit; quia nullus debet esse ignorans in causa quam iudicat, neque leges scriptas ignorare, quae diversis diversa imponunt. Et illo modo claudunt et aperiunt Sacerdotes et Pontifices tantum *ministerialiter,* et illi soli *congrue;* quia sicut Deus non subtrahit causae secundae naturali causalitatem propriam et naturalem, quae potest sibi competere respectu alicuius effectus, quinimo agit cum illa ad producendum effectum suum naturalem in *esse,* ita nec in *esse morali* subtrahit a Sacramentis, quibus assistit ex pacto ad conferendum quod designant, proprium effectum et iudicium, quod in eis confertur ad talem effectum dispensandum. Dispensatur autem hoc Sacramentum * Poenitentiae * *de congruo* tantum per Sacerdotem; nam congruum est, ut *extrema* et *ultima reducantur in prima per medium* vel *per media: medium* autem inter Deum et hominem est *Hierarcha* et *Sacerdos;* igitur congruum est, quod ei commitatur ad sententiandum *sententia rata* merita et demerita, et praemium et supplicium, in conformitate ad suam regulam, et voluntatem divinam, secundum leges eius cognitas per Scripturam. Et si hoc est congruum, est *maxime congruum,* ut communicetur hoc primo Hierarchae, qui illam postea inferioribus, prout expedit et convenit, committet, ut sic *infima per media congrua coniungantur.*

Ista enim auctoritas Sacerdotibus de facto est commissa, *Ioan.* 20 (1): *Quorum remiseritis peccata,* etc. inquit Dominus Discipulis, et in eis omnibus Sacerdotibus: non ut sint iudices *principales,* quia solus Deus est talis Iudex, nec ut iudices *commissarii* cum praeeminentia universalis notitiae omnium, et *immutabili* firmitate sententiae latae, quod convenit soli Christo; sed ut iudices commissari *particulares,* et per consequens, quorum sententia non est immutabiliter firma, nec rata, nisi inquantum conformatur voluntati divinae, tanquam primae regulae primae iustitiae; et ideo Christus, qui habet hanc auctoritatem ex prima commissione cum illa *duplici praeeminentia,* dixit Sacerdotibus: *quod iudicaveritis remittendum in terra, erit remissum et in coelo; et quod iudicaveritis ligandum in terra, erit ligatum et in caelis* (2).

Quantum ad secundam clavem *minus principaliter dictam,* et etiam in ordine Sacerdotali minus principalem, dico quod ipsa etiam confertur in susceptione Ordinis; et haec clavis est auctoritas vel potestas *cognoscendi in causa,* de qua postea debet esse iudicium. Et dicitur *minus principalis*

---

(1) v. 23.

(2) *Matth.* c. XVI. v. 19.

priori clavi, quia non est *immediatum* instrumentum, quo coelum aperitur et clauditur, sed est *quaedam dispositio* ordinata ad illum proximum instrumentum, et auctoritatem sententiandi in aliquo. Cuius probatio est illa, quia quicumque habet auctoritatem definitive *sententiandi* de aliquo, habet auctoritatem *cognoscendi* in causa illius; non e converso; quia iudicium definitivum non est de ignotis et incognitis. Auctoritas *commissaria* collata alicui ad definiendum de aliquo necessario praesupponit *auctoritatem cognoscendi illud;* non e converso; quia interdum datur aliquibus auctoritas *cognoscendi* et inquirendi in causa, sine auctoritate *sententiandi* in eadem, sed facta inquisitione et discussione illius causae, referatur veritas eius iudici superiori, qui de illa definitive sententiet, qui sibi in illa causa potestatem et iudicium solummodo reservavit, sicut communiter modo faciunt Principes et Praelati.

Ordinatur igitur haec *clavis,* quae est *auctoritas cognoscendi quis sit dignus vita aeterna,* et *quis poena aeterna,* sicut *minus principalis,* ad priorem clavem *definitivae sententiae* habentem potestatem de coelo alicui aperiendo vel claudendo. Et sicut *clavis principalis* vel *auctoritas definitive sententiandi* de aliquo est *triplex,* quarum ultima tantum convenit creaturae purae, sic et secunda *clavis* et *auctoritas cognoscendi* in aliqua causa est triplex: una *principalis,* quae tantum convenit soli Deo; et alia *commissiva;* et illa duplex: una cum *duplici eminentia* ex parte commisarii; et alia *sine illis.* Et haec tertia auctoritas *cognoscendi ministerialiter* in causa confertur Sacerdotibus in susceptione Ordinis. Et auctoritas *ministerialiter* cognoscendi in causa meriti et demeriti dabatur implicite et antecedenter in priori clavi in auctoritate *ministerialiter sententiandi* de eis, Ioan. 20: *Quorum remiseritis peccata,* etc.

Sed quae est illa *clavis?* Respondeo, quod proprie potest dici *clavis scientiae:* non scientiae quae est actus vel habitus *prudentiae,* vel alicuius habitus *speculativi* vel *cognitivi,* sicut dixit Magister, et male, quia vocavit *clavem scientiae* habitum cognoscendi, quia tunc Sacerdos insipiens vel laicus non acciperet illam virtutem Sacramenti Ordinis, et per consequens nihil faceret secundum illam clavem circa sibi confessum, quod manifeste est falsum; sed dicitur *clavis scientiae* tantum *potestas* vel *auctoritas cognoscendi in causa;* licet habitus *scientiae* et *discretio vera* sit multum necessaria in Sacerdote ad rectum et perfectum usum *clavis;* sicut habitus *iustitiae* est multum necessarius in Sacerdote ad recte sententiandum de invento et inquisito sapienter, *Extra, de offic. iud. deleg.* Et ita *de congruo* tam habitus *scientiae,* quam *iustitiae concomitantur* illam *clavem,* licet absolute neuter sit necessarius simpliciter, ita videlicet, quod non possit esse sine eis; quia etsi in Sacerdote nec esset prudentia, nec iustitia, adhuc vere reciperet in ordinatione Sacerdotii utramque clavem, et utramque potestatem. Ad *congruum* tamen et *rectum* usum earum requiritur in ministrante Sacramentum Poenitentiae scientia et iustitia. — *Report.* IV. d. 19. nn. 3-10. — *Oxon.* IV. d. 19. nn. 3-8, *iisdem ferme verbis.* — Vid. *Forus duplex.* = *Poenitentiae Sacramentum.*

Coactio. — Vid. *Violentum.*

Coaequalitas. — Ly *co* apposita cum dicitur *coaequalitas* denotat *associationem* extremorum in *aequalitate,* et relationem *aequalitatis* terminari ad extrema intrinseca inter se. — *Report.* I. d. 31. q. 1. n. 2.

Coaequari. — *Coaequari* dicit duas relationes: unam *aequiparantiae,* et aliam *disquiparantiae,* quae importatur per verbum passivum et activum sibi correspondens. — *Report.* I. d. 19. q. 3. n. 16. — Cf. *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 9.

Coelum. — *Coelum* est substantia corporea simplex per privationem compositionis ex partibus diversarum rationum, mobilis localiter, sensibilis, ingenerabilis, et incorruptibilis. — *Physic.* II. q. 4. n. 4. * *(Haec descriptio coeli non est ad mentem Doctoris Subtilis, sed Aristotelis: Scotus enim admittit in coelo compositionem ex partibus diversarum rationum, materiae scil. et formae, et quidem materiae eiusdem rationis ac materia terrestrium, ut*

videri est in Oxon. II. d. 14. q. 1. — Cf. ib. IV. d. 49. q. 6. n. 7. — q. 13. n. 14. seqq. — *Quodlib.* q. 11. n. 7.) *.

Coexistentia alioquorum duplex. — Sicut *simul esse in loco* dicitur dupliciter: vel quia habent *eumdem* locum propinquum, quo eorum quantitas mensuratur, sicut dicimus, quod corpus glorificatum est cum non glorificato; vel quia *simul* quodlibet est in loco, quodlibet tamen *in proprio*, ut ego et tu simul sumus in loco, quia scilicet dum tu es in *tuo* loco ego sum in *meo;* et qui sic sunt in loco non habent eumdem locum proprium, sed dicuntur *simul* esse per *coexistentiam;* sic *simul in tempore* vel *in instanti* dicuntur aliqua duo *simul durare,* quia sunt *simul* in eadem mensura, qua mensurantur, sicut dicimus: *te legente sol oritur simul,* quia eadem hora mensurat actum legendi et ortum solis; et duo *mutata esse simul* sunt, quia sub eodem instanti temporis ubicumque duo motus terminati sunt. — *Alio* modo dicuntur aliqua esse *simul tempore* vel *instanti* per *coexistentiam, non secundum mensuram;* et isto modo dicitur, quod Deus, Angelus, et motus, *simul sunt,* quia quando unum est, alterum est, non quidem quando unum est in sua mensura, alterum est in *eadem;* sed quando unum est in *propria* mensura, ut Deus in *aeternitate,* Angelus est in *sua,* utpote in *aevo,* et motus in *sua,* utpote in *tempore.* Et quia aeternitas coexistit toti fluxui temporis, ideo Deus *simul* est cum omni ente temporali, et cum omni aeviterno. Sicut ergo *aeternitas, aevum,* et *tempus* sunt diversae mensurae secundum essentiam, sic *nunc* illarum mensurarum differunt ad invicem secundum essentiam. — *De rer. princ.* q. 22. n. 18. — Cf. *Oxon.* I. d. 39. q. 3. nn. 9 et 34. — II. d. 1. q. 3. n. 12.

Cognatio spiritualis. — Vid. Affinitas = *Consanguinitas* — *Affinitas,* etc.

Cognitio. — Vid. *Potentia cognitiva triplex.*

Cognitio abstractiva duplex. — * *Cognitio* * *abstractiva* distinguitur in *confusam* et *distinctam,* penes rationem aliam et aliam cognoscendi. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 7.

Cognitio abstractiva — intuitiva. — Potest aliqua esse cognitio obiecti secundum quod *abstrahit ab omni existentia actuali;* et potest esse aliqua eius secundum quod *existens,* et secundum quod praesens *in aliqua existentia actuali.* Ista distinctio probatur per *rationem,* et per *simile.*

Primum patet ex hoc, quod possumus habere notitiam de aliquibus quidditatibus: scientia autem est obiecti secundum quod *abstrahit* ab existentia actuali; alioquin scientia posset quandoque esse, et quandoque non esse; et ita non esset perpetua, sed corrupta re, corrumperetur scientia illius rei, quod falsum est (1). — *Secundum* probatur, quia quod est perfectionis in potentia inferiori, videtur eminentius esse in superiori, quae est eiusdem generis: in sensu autem, quae est potentia cognitiva inferior intellectu, perfectionis est, quod est cognitiva rei secundum quod in se existens est, et secundum quod est praesens secundum existentiam suam; igitur hoc est possibile in intellectu, qui est suprema vis cognitiva; igitur potest habere cognitionem rei *secundum quod praesens* (2).

Et ut brevibus utar verbis, primam voco *abstractivam,* quae est ipsius *quidditatis* secundum quod *abstrahitur ab existentia actuali* et *non existentia.* Secundam, scilicet quae est quidditatis rei secundum eius *existentiam actualem,* vel quae est rei *praesentis* secundum talem existentiam, voco *cognitionem intuitivam:* non prout intuitiva distinguitur contra *discursivam,* quia sic aliqua *abstractiva* esset *intuitiva,* sed *simpliciter intuitiva,* eo modo quo dicimur *intueri* rem sicut est in se. — Istud etiam secundum membrum per hoc declaratur, quod non expectamus cognitionem de Deo, qualis posset haberi de eo, ipso per impossibile non existente, vel non praesente per essentiam; sed expectamus *intuitivam,* quae dicitur *facie ad faciem,* quia sicut sensitiva est *facialis,* scilicet rei secundum quod est *praesentialiter* existens, ita et illa, quam expectamus.

---

(1) Vid. *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. VIII. S. 2. c. 15, et alibi passim.

(2) Vid. *De Anima,* q. 22, ubi luculenter hoc demonstrat.

Secunda declaratio huius distinctionis est per *simile* in potentiis sensitivis: aliter enim potentia vel sensus *particularis* cognoscit obiectum, aliter *phantasia*. Sensus enim *particularis* est obiecti, secundum quod est per se vel in se existens; *phantasia* cognoscit idem secundum quod est praesens per *speciem;* quae species posset esse eius, licet non esset existens, vel praesens; ita quod cognitio *phantastica* est *abstractiva* respectu sensus *particularis*, quia quae sunt *dispersa* in inferioribus quandoque sunt *unita* in superioribus. Ita isti duo modi cognoscendi, qui sunt *dispersi* in potentiis *sensitivis* propter organum (quia non est idem organum quod est bene *receptivum*, et quod est bene *retentivum*), *uniti* sunt in *intellectu*, cui ut uni potentiae potest uterque actus competere. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. nn. 6. 7. — *Ib.* I. d. 1. q. 2. n. 3. — III. d. 14. q. 3. n. 4. 6. — *Report.* Prol. q. 2. n. 15. — IV. d. 10. q. 9. n. 4. — *Collat.* XX. n. 3. — *Quodlib.* q. 6. nn. 7. 8. — *Ib.* q. 7. n. 8. — *Ib.* q. 13. n. 8. et 13.

* Ad pleniorem praedictorum intelligentiam sequentia subnectimus: *

Est cognitio quaedam *abstractiva*, quaedam *intuitiva*. Differunt illae cognitiones in hoc, quod cognitio *intuitiva* cuiuslibet rei concernit ipsum *esse* rei *in effectu;* sed *abstractiva* non concernit *esse* rei in effectu, sed *abstrahit* ab *esse* rei in effectu.

Ad huius evidentiam sciendum, quod aliqua cognitio potest concernere *esse* rei *in effectu* dupliciter: *uno modo* quoad rationem *obiecti cogniti*, ita quod *esse in effectu* sit obiectum cognitum: *alio modo* quoad rationem *alicuius* necessario secum *coexigiti* in existentia. Et sicut *concernere* potest intelligi dupliciter, ita *abstrahere* ab *esse actualis existentiae* potest intelligi dupliciter: *uno modo* fit abstractio ab *esse actualis existentiae* quoad rationem *obiecti cogniti*, ita quod *esse* actualis existentiae *non sit obiectum cognitum: alio modo* fit abstractio vel cognitio secundum quod *abstrahit* ab *aliquo necessario secum exigito.*

Modo, quoad *primum* modum differunt istae cognitiones, puta quod *esse* actualis existentiae cadat sub cognitione *intuitiva*, et non sub *abstractiva*, licet etiam dici possit quod cadat sub *utraque* cognitione, quia omnis modus et omne *esse*, se tenens *ex parte obiecti*, potest cadere sub utraque cognitione. Unde sicut *esse actualis existentiae* cadit sub cognitione *intuitiva*, ita sub cognitione *abstractiva;* possum enim *abstractive* cognoscere et habere cognitionem *abstractivam* de *esse* actuali existentiae alicuius. — Quantum autem ad *secundum* modum differunt, quia cognitio *intuitiva* concernit *esse actualis existentiae*, scilicet quoad rationem *obiecti cogniti*, et quoad rationem *alicuius necessario* secum cum cognitione *coexigiti*, scilicet illud quod cadit sub cognitione *intuitiva*, sit in actuali existentia, sicut ipsa cognitio, quia talis cognitio concernit *esse* ut necessario coexigit rem *actu existentem;* sed cognitio *abstractiva*, licet possit concernere *esse* quoad rationem *obiecti cogniti*, non tamen quoad rationem *alicuius necessario coexigiti* cum ipsa cognitione *abstractiva*. Iuxta illa possumus videre quod *esse intellectum* non arguit *esse in effectu;* nam potest *esse actualis existentiae* esse intellectum, et tamen non erit propter hoc *in effectu*. — *De cognitione Dei*, q. 1. n. 2. — *Quodlib.* q. 13. n. 10. — *Ib.* q. 7. n. 8, et loc. supr. cit.

Concedi potest quod * cognitio *intuitiva* et *abstractiva* * sint duae cognitiones *eiusdem obiecti* simul, sic quod non distinguatur obiectum ab obiecto, sicut essentia ab existentia, quia licet inter ista sit aliqua distinctio obiecti, tamen non sufficiens ad propositum, quia etiam ipsa existentia potest cognosci cognitione abstractiva; sicut enim essentiam, sic existentiam possum intelligere, licet non sit realiter extra intellectum. Dicentur igitur cognitiones distinctae, et hoc *secundum speciem*, propter *rationes formales* motivas hinc inde, quia in cognitione intuitiva res in propria existentia est per se motiva obiective; in cognitione autem abstractiva est per se motivum aliquid, in quo res habet esse *cognoscibile*, sive sit causa virtualiter continens rem, ut cognoscibile, sive ut effectus, puta species vel similitudo repraesentative continens ipsum, cuius est similitudo. — *Quodlib.* q. 13. n. 10.

Cognitio * igitur * *abstractiva* et *intuitiva* differunt *specie*, licet sint respectu *eiusdem obiecti formalis*. Sed quomodo est hoc possibile? Dico, quod ad cognitionem *abstractivam* non concurrit obiectum cognitum secundum *seipsum*, sed secundum aliquid quod *supplet vicem eius*. Unde *abstractiva* cognitio non est nisi in virtute alicuius *supplentis vicem obiecti*. Sed in cognitione *intuitiva* obiectum, secundum *esse* quod habet *in se*, concurrit ad actum cognoscendi; obiectum vero ut cognitum in se *efficacius* movet ad cognitionem, et *perfectius*, quam ut habet *esse* in alio, ut in specie, quae *supplet vicem eius*. Unde non movet ita perfecte *per speciem*, sicut quando obiectum est *in se praesens*, et ideo non est *aeque motivum* in uno et in alio actu. — *Report.* IV. d. 49. q. 11. n. 9. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 41. — Vid. *Intellectio abstractiva — intuitiva.*

Cognitio acquisita — infusa. — Cognitio *infusa* et *acquisita* rei in proprio genere sunt eiusdem speciei. — *Et si dicatur*, quod possunt distingui specie, sicut matutina et vespertina; *contra*, illae cognitiones, si secundum propriam rationem obiecti, ut scilicet est praesens in se et in Verbo, sint duae cognitiones, vespertina scilicet et matutina, acquisita et infusa dicuntur habere idem obiectum, et solum differunt penes causas efficientes, sicut homo creatus et genitus naturaliter; sed talis distinctio causarum non distinguit cognitionem formaliter, secundum Augustinum, *ad Deogratias;* et Ambrosius, *De Incarnatione: disparitas ortus non facit distinctionem naturae*, ut patet de Adam et nobis. — *Oxon.* III. d. 14. q. 3. n. 2.

Cognitio Angelica quadruplex. — Angelus potest proficere accipiendo cognitionem a rebus *tripliciter*. Et necessarium videtur, quod triplicem cognitionem accipiat, *ut communiter*, nisi Deus velit specialiter talem cognitionem causare immediate, et *quartam* cognitionem possit habere naturaliter, si non prius eam haberet. — *Prima* cognitio est *huius singularis* ut hoc. — *Secunda* cognitio est, qua habet determinatam notitiam existentiae *inquantum existentia*. — *Tertia* cognitio, quam acquirunt Angeli a rebus, est cognitio *intuitiva*. Nec est illa eadem cum *secunda*, nec cum *prima;* cognitio enim *singularis*, ut singulare, potest esse *abstractiva*, ita etiam potest cognitio *existentiae*, ut existentia, quia si unus Angelus revelet alteri existentiam rei pro tali tempore, quam videt *intuitive*, Angelus cui revelatur cognoscit existentiam determinatam, ut existentia est; tamen non habet cognitionem *intuitivam*, quia hoc non est nisi per obiectum *concurrens immediate*. — *Quarta cognitio* etiam possibilis esset Angelo, scilicet quod accipiat species universales a rebus, si non essent sibi concreatae, quia ex quo habet intellectum agentem et possibilem, posset abstrahere speciem a rebus, sicut nos possumus. — *Report.* II. d. 11. q. 2. nn. 11-12. — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 16. — d. 9. q. 2. n. 34.

Cognitio arguitiva — intuitiva — speculativa. — Sicut dicitur communiter, et bene, contingit rem quamlibet *tripliciter* cognoscere, scilicet: *arguitive, intuitive*, et *speculative. Arguitive*, sicut cognoscendo ignem esse, videndo fumum; *arguit* enim intellectus, quod si effectus * est *, causa est. — *Intuitive*, sicut dum rem visibilem directo *aspicio* actu. — *Speculative*, sicut dum *intelligo* quidditatem universalem rei per speciem eius, quam habet apud se; non ut haec est vel illa, vel ut est in illo vel in isto, sed simpliciter naturam rei speculando, ut dum cogito quod sit *rosa*, non cogito *quando* est, vel *ubi* est. — *De rer. princ.* q. 15. n. 1. — *Oxon.* II. d. 3. q. 11. n. 5.

Cognitio certa — incerta. — Cognitio *certa*, quae habet propriam certitudinem intrinsecam, et hoc vel a se, vel ab obiecto ut includitur in ipsa, vel ab aliqua per se causa, distinguitur *specie* ab *incerta* cognitione. — *Quodlib.* q. 17. n. 11.

Cognitio cognitionem causans — a cognitione dependens. — Unam cognitionem esse *causam* alterius potest intelligi dupliciter: *uno* modo *principaliter*, ita ut sit principale effectivum alterius. — *Alio* modo *instrumentaliter*, sicut intellectus informatus tali cognitione potest elicere aliam cognitionem, mediante tali cognitione tamquam

instrumento. — Secundo sciendum, quod una cognitio potest *dependere* ab alia dupliciter: *uno* modo via *ordinis;* et *alio* modo via *causalitatis.* — *Physic.* I. q. 2. n. 10.

Cognitio complexa — incomplexa. — *Duplex* est cognitio intellectiva: quaedam *complexa,* et quaedam *incomplexa.* Cognitio intellectiva *complexa* stat ad cognitionem intellectivam *incomplexam;* imo necesse est cognitionem intellectivam *incomplexorum* istam cognitionem praecedere. — *Poster.* I. q. 1. n. 4.

Quaedam est notitia incomplexa *primaria,* verbi gratia, ut simplex apprehensio albedinis in visu, vel in intellectu actu moventis. — Quaedam est notitia incomplexa *secundaria;* ut si alias cognovi Socratem, et interveniat habitus, tunc per plures discursus et cognitiones multorum occurrit mihi tamdem notitia *incomplexa* Socratis, quam alias habui. — *Physic.* I. q. 2. n. 6.

Cognitio distincta immediata — mediata. — Vid. *Cognitio intellectiva multiplex.*

Cognitio eiusdem et diversi ordinis. — Duae notitiae, vel plures, quorum utraque est *sensitiva,* vel utraque *intellectiva,* dicuntur notitiae *eiusdem ordinis;* sed duae notitiae, quarum una est *sensitiva,* et altera *intellectiva,* dicuntur notitiae *alterius ordinis.* — *Physic.* I. q. 2. n. 6.

Cognitio experimentalis duplex. — De *cognitis per experientiam* dico, quod licet experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de pluribus, nec quod semper, sed quod pluries, tamen expertus infallibiliter novit quod *ita est,* et quod *semper* et in *omnibus;* et hoc per istam propositionem quiescentem in anima, *quidquid evenit ut in pluribus ab aliqua causa non libera est effectus naturalis illius causae.*

Sed notandum, quod quandoque accipitur experientia de *conclusione,* puta quod Luna frequenter eclipsatur; et tunc supposita conclusione *quia ita est,* inquiritur causa talis conclusionis per viam divisionis, et quandoque devenitur ex conclusione experta ad principia nota ex terminis, et tunc ex tali principio noto ex terminis potest conclusio, prius tantum per experientiam nota, certius cognosci. — Quandoque autem est experientia de *principio,* ita quod non contingit amplius per viam divisionis ulterius invenire principium notum ex terminis, sed statur in aliquo vero, ut in pluribus, cuius extrema experimentatum est frequenter uniri: puta quod *herba talis speciei est calida;* nec invenitur aliquod medium aliud prius, per quod demonstretur passio de subiecto *propter quid* * (a *priori*) *, sed statur in isto sicut in primo noto propter experientiam. — Tunc licet incertitudo et fallibilitas removeantur per illam propositionem, *effectus ut in pluribus alicuius causae non liberae est naturalis effectus eius,* tamen iste est ultimus gradus cognitionis scientificae, et forte ibi non habetur necessaria cognitio *actualis* unionis extremorum, sed *aptitudinalis.* Si enim passio est res alia absoluta a subiecto, posset sine contradictione separari a subiecto, et expertus non haberet cognitionem quia *ita est,* sed quia *aptum natum est* ita esse. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 9. — *Quodlib.* q. 7. n. 3.

Cognitio ex puris naturalibus. — Per cognitionem *possibilem haberi ex puris naturalibus* intelligo praecise per *pura naturalia* causas *naturales* et *naturaliter* activas respectu intellectionis, cuiusmodi est intellectus. — *Miscellan.* q. 5. n. 21. — Cf. *Oxon.* Prol. q. 1. n. 21. — IV. d. 49. q. 11. n. 5.

Cognitio fidei — prophetica. — Cognitio *fidei* a cognitione *prophetica* differt, sicut cognitio illius qui *audit* ab *experto; Propheta* enim expertus est, Deum sibi loqui; alius autem *credit,* quia *audit* hoc, *Propheta* mediante, sicut nos. — Aliae etiam sunt rationes duae ad hoc: tum, quia cognitio *prophetica* et eius assensus non subest voluntati Prophetae: tum quia stat cum infidelitate, sicut patet *III. Reg.* 13, de Propheta falso et idololatra: tum ex parte finis, quia *fides* datur ad salutem personae *habentis; prophetia* aliquando non, sed ad bonum *aliorum,* sicut patet in Balaam. — *Miscell.* q. 6. n. 16.

Talis certitudo * *(fidei)* * adhaerentiae sive adhaesionis subiacet voluntati in Prophetis; nullus enim credit *nolens;* sed talis assensus et certitudo * *(prophetica)* * non

subiacet voluntati in Prophetis, quod patet *Num.* 22 de Balaam, cui displicebat quod videbat prosperitatem filiorum Israël, et tamen non poterat aliter sentire. Imo etiam ipsa demonstratio prophetica vel locutio non subiacet eorum voluntati, sicut patet ibidem: *Non potero aliud loqui, nisi quod Deus dederit,* etc. Et hoc aliquando dicunt Sancti et Doctores antiqui, quod revelatio prophetica taliter fiebat Prophetis, quod non poterant dubitare; et propter talem certitudinem Prophetae *de futuro* loquebantur per modum *praeteriti,* secundum Sanctos Patres et Doctores Hebraeorum.

Dicunt etiam Doctores, quod cognitio *fidei* perficit intellectum in ordine *ad vocem,* ut scilicet per medium *vocis* assentiat iis quae sibi proponuntur credenda; *prophetia* vero perficit illum *abstracte sine* ordine *ad vocem.* — *Ib.* n. 9. — *Quodlib.* q. 7. n. 11. — q. 17. n. 10. — *Oxon.* III. d. 24. n. 1. et 10. — Vid. *Prophetia* etc.

Cognitio futurorum duplex. — Deus dicitur cognoscere futura *uno* modo, quia *scit ordinem causarum: alio modo* quia cum hoc *scit executionem,* quia eius intuitus fertur super omnia quae sunt in quolibet tempore. — Homo autem, si praescit * naturaliter * futura, hoc est tantum primo modo, sicut Astrologus futuram eclipsim, quia motus coeli est ad hoc ordinatus, velut ad pluvias futuras. — *Miscell.* q. 6. n. 14. — Cf. *Oxon.* I. d. 39. q. 3. n. 35.

Cognitio immaterialis multiplex. — Istud vocabulum *immateriale* est frequens in usu Philosophi in proposito; sed videtur ambiguum; potest enim ad propositum *tripliciter* intelligi: vel *immaterialis,* quia *incorporea,* hoc modo, quia non operatur per partem corpoream et organum; et tunc est idem cum *non organica:* vel alio modo *immaterialis,* quia *nullo modo extensa;* et tunc plus dicit quam non organica, etsi enim omnis organica sit extensa, quia recipitur in extenso, non tamen solum * ex hoc *, quia si reciperetur in toto composito primo, cum illud sit extensum, adhuc esset operatio extensa. Tertio modo potest intelligi *immaterialis,* eius in comparatione ad obiectum, ut scilicet respiciat obiectum *sub rationibus immaterialibus,* utpote inquantum abstrahit ab *hic* et *nunc* et huiusmodi, quae dicuntur conditiones materiales. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 9.

Cognitio immediata. — Vid. *Cognitio intellectiva multiplex.*

Cognitio in se — in nobis. — Cognitio quaelibet *in se* est illa quae nata est haberi de obiecto eius, secundum quod natum est manifestare se intellectui *proportionato.* — Cognitio autem eadem *in nobis* est illa quae nata est haberi in intellectu *nostro* de obiecto illo intellecto. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 4.

Cognitio intellectiva. — Vid. *Cognitio sensitiva,* etc.

Cognitio intellectiva multiplex. — Cognitio intellectiva potest intelligi *perfecta* aut *imperfecta.* Et intelligo ad propositum, non de perfectione *intensiva,* sed de perfectione ex *parte obiecti,* quod scilicet illa intelligatur *perfecta,* qua attingitur obiectum sub *perfecta* ratione suae cognoscibilitatis, hoc est, *per se* propria et distincta; et per oppositum *imperfecta* dicatur illa, qua attingitur tantum *per accidens,* vel tantum in aliquo conceptu communi vel confuso. — Item, cognitio *distincta* vel est *mediata* vel *immediata.* Dico *immediatam* quando obiectum intelligitur *non mediante* aliquo *alio* obiecto, per quod vel in quo intelligitur; ita quod hic excluditur medium *cognitum,* non autem medium quod esset praecise *ratio* cognoscendi vel intelligendi. — *Quodlib.* q. 14. n. 2. — Vid. *Cognitio perfecta.*

Cognitio intellectualis de existentibus triplex. — Intellectus *tripliciter* versatur circa *cognitionem actualis existentiae rei: uno* modo *speculando* ipsum actu esse in ipsa sensatione; et sic est una actio intellectus et sensus. — *Alio* modo *reflexive,* intelligendo se intelligere illud esse actu; et quia non est eadem actio directa et reflexa, ista actio intellectus non est eadem cum actione sensus, nec contracta, nec in organo determinata. — *Tertio* modo *comparando* illud ad *universale,* intelligendo, quia *haec albedo* non solum est actu, sed etiam est *color;* et nec ista contracta est, nec eadem cum actione sensus. — *De rer. princ.* q. 13. n. 24.

Cognitio intuitiva. — Cognitio *intuitiva* est obiecti, ut obiectum est praesens in existentia actuali: et hoc in se, vel in alio eminenter continente totam entitatem ipsius. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 42. — *Report.* I. d. 33. q. 1. n. 12. — Cognitio intuitiva proprie dicitur *visio*. — *Ib.* IV. d. 10. q. 9. n. 4.

Cognitio *intuitiva* non est tantum *singularis*, inquantum est cognitio intuitiva, sed essentialiter est ipsius *naturae existentis*, ut *existens est*, quia prius competit esse naturae, quam sit *ut haec*, sive ut *singulare*, eo quod essentia sit eiusdem rationis in omnibus singularibus, non autem *singularitas* ipsa est eiusdem rationis in omnibus, sed diversa in quolibet singulari unius essentiae. Ex quo sequitur, quod essentia potest cognosci, non tamen *singularitas* eius. — *Report.* IV. d. 45. q. 3. n. 13. — Vid. *Cognitio abstractiva — intuitiva.*

Cognitio intuitiva multiplex. — Cognitio *intuitiva* potest esse *universalis*, et *naturae*, et ipsius *singularis*. Et ista cognitio potest esse *actualis*, vel *derelicta ex actuali*, quam habet memoria ex praeteritis, secundum hoc, quod aliquando erant praesentia, sicut post visionem actualem habet memoriam, quod tunc vidit. Nisi enim talem cognitionem posset quis habere post actum, per hoc quod derelinquitur ab actu, non posset homo poenitere de praeteritis, quia non recoleret, quod talem actum commisit; et actus, ut aliquando praesens, est primum obiectum memoriae, cum quis memoratur de praeteritis; et ista cognitio *habitualis* est derelicta ex *actuali*, quae aliquando infuit. — *Report.* III. d. 14. q. 3. n. 11.

Cognitio intuitiva perfecta — imperfecta. — Loquendo tamen de cognitione *intuitiva*, quae est *de natura*, vel *de singulari*, ut *concernit actualem existentiam*, dico quod illa est vel *perfecta*, qualis est de obiecto ut *praesentialiter* existens; vel *imperfecta*, qualis est opinio de *futuro*, vel memoria de *praeterito*. — *Oxon.* III. d. 14. q. 3. n. 6.

Cognitio naturalis — supernaturalis. — Distinguo primo qualiter aliquid dicitur *supernaturale*. Potentia enim receptiva comparatur ad *actum* quem recipit, vel ad *agens* a quo recipit. *Primo modo* ipsa est potentia naturalis, vel violenta, vel neutra. *Naturalis*, si naturaliter inclinetur: *violenta*, si sit contra inclinationem naturalem: *neutra*, si neque inclinatur ad istam formam, neque ad oppositam. — Sed comparando receptivum ad *agens* a quo recipit formam, est *naturalitas* quando receptivum comparatur ad tale agens, quod natum est naturaliter imprimere talem formam in tali passo; *supernaturalitas* autem quando comparatur ad tale agens, quod non est naturaliter impressivum illius formae in illo passo.

Ad propositum dico, quod comparando intellectum possibilem ad *notitiam actualem in se*, nulla est sibi cognitio supernaturalis, quia intellectus possibilis quacumque cognitione naturaliter perficitur, et ad quamcumque naturaliter inclinatur. — Sed *secundo modo* loquendo, sic est supernaturalitas, quae generatur ab aliquo agente, quod non est natum movere intellectum possibilem ad talem cognitionem naturaliter.

Pro statu autem isto, secundum Philosophum, intellectus possibilis natus est moveri ad cognitionem ab intellectu agente et phantasmate; igitur sola illa cognitio naturalis est quae ab istis agentibus potest imprimi. Virtute autem istorum potest haberi omnis cognitio incomplexa, quae secundum legem communem habetur a viatore; et ideo licet Deus possit per revelationem specialem cognitionem alicuius incomplexi causare, sicut in raptu, non tamen talis cognitio supernaturalis est necessaria de communi lege. — De complexis autem veritatibus secus est, quia posita tota actione intellectus agentis et phantasmatum, multae complexiones remanebunt ignotae et nobis neutrae, quarum cognitio est nobis necessaria. Istarum igitur notitiam est necesse nobis supernaturaliter tradi, quia nullus earum notitiam potuit naturaliter invenire, et eam aliis docendo tradere, quia sicut uni, ita cuilibet ex naturalibus erunt neutrae. Haec autem traditio talis notitiae dicitur *revelatio*, quae ideo est supernaturalis, quia est ab agente quod non est naturaliter motivum intellectus nostri pro statu isto. — Aliter etiam posset dici *supernaturalis*, quia est ab agente supplente vicem obiecti superna-

turalis. Nam obiectum natum causare notitiam huius, *Deus est trinus et unus*, vel similium, est Essentia sub propria ratione cognita: ipsa autem sub tali ratione cognoscibilis est obiectum nobis supernaturale. Quodcumque igitur agens causat notitiam aliquarum veritatum, quae per tale obiectum sic cognitum natae sunt esse evidentes, illud agens in hoc supplet vicem illius obiecti.

Differentia istorum duorum modorum ponendi supernaturalitatem notitiae revelatae patet, separando unum ab alio. Puta, si agens supernaturale causaret notitiam obiecti naturalis, ut si infunderet geometriam alicui, illa esset supernaturalis primo modo, et non secundo modo; si autem infunderet notitiam huius, *Deus est trinus*, vel similium, haec supernaturalis esset utroque modo, quia secundus infert primum, licet non e converso. Ubi autem est primus tantum, ibi non est necesse quod sit sic supernaturalis, quin naturaliter possit haberi; ubi vero est secundus modus est necessitas ut supernaturaliter habeatur, quia naturaliter haberi non potest. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 20. seqq.

Cognitio nominis — rei. — Dico secundum * Philosophum *, quod notitia *prima* et confusissima, quae habeatur de re, est notitia qua scitur *quid significatur per nomen;* et ista est magis suppositio quam scientia, vel notitia, et non determinat sibi *esse*, quia contingit significare quae non sunt, ex I. *Posteriorum.* — *Secunda* notitia est scire *si est* quod significatur per nomen; *si*, scilicet aliquid est * vel potest esse * in natura, quia quod non est, * nec potest esse * non quaeritur de eo nisi *quid* nominis. Istud, *si est*, secundum eum, potest haberi *per se* et *per accidens;* et secundum Linconiensem tunc habemus *si est per se* quando habemus per *speciem rei*, et *per accidens* quando per speciem *alterius.* — *Collat.* XIII. n. 1. — *Physic.* I. q. 11. n. 5. — Cf. *Oxon.* Prol. q. 3. n. 9. — I. d. 3. q. 4. n. 20. — Vid. *Sacramentum.*

Cognitio perfecta. — Aliqua cognitio vel scientia potest dici *perfecta* dupliciter: *uno modo simpliciter: alio* modo *secundum genus determinatum*, ut puta secundum considerationem *naturalem.* — *Physic.* I. q. 3. n. 5. — Aliqua cognitio potest esse *perfectior* alia, vel secundum *perfectionis complementum*, vel secundum *proportionem ad obiectum;* sicut *visio aquilae* est perfectior primo modo *visione mea;* sed visio mea respectu *candelae* est perfectior visione aquilae respectu *solis.* — *De Anima*, q. 16. n. 6. — Cognitio *rerum* dependet ex cognitione *causarum.* Sicut igitur per causas *primas* et *remotas* habetur cognitio rei, sic per causas *proximas* habetur cognitio rei, et *perfecta*, et *imperfecta;* et ideo ad habendum *perfectam* notitiam de re, non solum cognoscere oportet causas *primas* et *remotas*, sed etiam causas *proprias* et *propinquas.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un. c. 5. n. 29. — Vid. *Cognitio intellectiva multiplex.* = *Concipi primo — non primo*, etc.

Cognitio perfecta — distincta — confusa. — Vid. *Concipi primo — non primo*, etc.

Cognitio practica. — Quamvis supra (1) multum dictum est de cognitione *practica* et *speculativa*, breviter tamen nunc aliqua applicando ad propositum, potest dici, quod de ratione habitus *practici* sunt duo, scilicet: *conformitas ad praxim*, quam conformitatem habet *ex obiecto*, circa quod est, et *prioritas eius naturalis ad eamdem praxim;* quia praxis, ut ab ea dicitur operatio *practica*, est operatio, quae distinguitur a *speculatione:* nulla autem operatio * distincta * a speculatione est in potestate speculatoris, nisi sit vel esse possit *naturaliter posterior* intellectione vel speculatione: cognitio autem non ponitur *pratica* in aliquo, ut est eius, nisi respectu *praxis*, quae est *in potestate* eius. Et ex hoc sciendum est ulterius, quod licet cognitio *practica* actualissima et proxima *praxi* sit aliqua scientia de *praxi* elicienda, puta iudicium de conclusione syllogismi *practici*, quae conclusio *finis* est motus intelligentiae, sed ab ea *incipit* operatio, tamen non solum ista cognitio est *practica*, quae sic est *proxime* practica, sed etiam cognitio *practicorum* principiorum, quae virtualiter includit istam; et

(1) Vid. *Oxon.* Prol. q. 4. et 5. — *Quodlib.* q. 8. n. 11.

etiam cognitio *quidditativa* terminorum, quae includit principia *practica*, sicut ibi dictum est. Quicunque igitur intellectus non potest habere aliquam cognitionem *dictativam de operando, naturaliter priorem*, dictantem illam praxim, quam respicit talis cognitio; nec potest habere cognitionem principiorum, ex quibus inferat talem cognitionem dictativam *operandarum;* nec potest habere cognitionem *quidditativam* terminorum, in quibus includuntur talia principia; talis intellectus non videtur posse habere cognitionem *practicam propriissime* sumptam, secundum illas duas conditiones praedictas, scilicet, *conformitatem ad obiectum* et *prioritatem*. — *Oxon.* I. d. 38. n. 1, 2. — Cf. *Quodlib.* q. 8. n. 11. — Vid. *Praxis* = *Cognitio Dei speculativa* — *practica.*

Cognitio prophetica. — Vid. *Cognitio fidei* — *prophetica.*

Cognitio quadruplex. — Operatio *cognitiva intellectiva* est *quadruplex: quaedam* ad *nihil* ordinatur, ut cognitio conclusionis ultimae: *quaedam* ad aliud ut *causa* eius, ut cognitio principii ad conclusionem: *quaedam* ad aliud ut ad *finem*, ut scientia minus nobilis ad Metaphysicam: *quaedam* autem ut in *alia dirigat*, ut Logica. Omnes tamen illae sunt *speculativae*, quia non ordinantur nisi ad *speculationem*. — *QQ. Metaph.* lib. I. q. 7. n. 2.

Cognitio quid est — si est. — Cognitio *quid est* et *si est* se habent ordinate. In cognitione namque *si est*, secundum quod praecedit cognitionem *quid est*, non intelligitur de *actuali* existentia, alioquin demonstratio (cuius medium est definitio) non posset haberi de non existente, cuius oppositum vult Philosophus, *I. Poster.* et *VII. Metaph.* (1); sed intelligitur *si est* de ente *cui non repugnat* esse in effectu. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. n. 8.

Cognitio relate ad obiectum quadruplex. — *Quadrupliciter* potest aliquod obiectum cognosci: ut homo, *uno* modo secundum conceptum suum *quidditativum*, ut secundum *humanitatem: alio* modo secundum conceptum *communem* sibi et aliis speciebus, ut secundum conceptum *animalis* vel *substantiae: tertio* modo *per accidens*, ut in sua passione, sicut cum cognoscitur *inquantum visibilis: quarto* modo *in respectu ad aliud*, sicut cognoscitur quod est *nobilissimum* animalium. — Sic *quadrupliciter* potest Deus cognosci: *uno* modo, secundum suum conceptum *quidditativum*, ut inquantum *Deitas* est. *Alio* modo, secundum conceptum *communem* sibi et creaturis, ut per rationem *entitatis*. *Tertio* modo, *veluti per accidens*, ut quando cognoscitur *sub ratione aliqua attributali, bonitatis* seu *veritatis*, quae, secundum Damascenum, *lib. I. de fid. Orth. c. 4, non dicunt essentiam, sed quasdam dispositiones circa essentiam. Quarto modo* per respectum *eminentiae* et *causalitatis ad creaturam.* Cognoscere vero Deum secundum conceptum suum proprium *quidditativum*, ut per *rationem Deitatis*, non est nobis possibile naturaliter. — *Report.* I. d. 3. q. 1. n. 8. — *Oxon.* hic, q. 2. — *De Anima*, q. 19. nn. 5, 6. — *Quodlib.* q. 14. — *Collat.* X. et XIII.

Cognitio secundum speciem — secundum privationem. — Secundum Augustinum, *IX. de Trinitate*, c. 10, aliquid est cognoscibile secundum *speciem*, et aliquid secundum *privationem*. Cognitio *secundum speciem* est eius rei quae cognoscitur *in se; secundum privationem* cognoscitur quod cognoscitur *per aliud*. Et idem dicit Philosophus IV., VII. et IX. *Metaph.*, quod privatio cognoscitur per habitum. — *Oxon.* IV. d. 50. q. 3. n. 3.

Cognitio sensitiva — intellectiva. — Quaedam est notitia *sensitiva:* quaedam *intellectiva*. — Et *differunt*, quia notitia *sensitiva* est *extensa* ad extensionem organi sensitivi, ita ut *determinatae* parti organi sensitivi correspondeat *determinata* pars cognitionis. Similiter, quemadmodum *tota* cognitio sensitiva repraesentat *totum* obiectum, ita *pars* cognitionis repraesentat *partem* obiecti. Sed notitia *intellectiva* est *indivisibilis* et *inextensa*. — *Conveniunt* tamen istae notitiae in hoc, quod utraque habet gradus cognitionis *intensivae. Secundo* conveniunt, quia tam *sensitiva* quam *intellectiva* possunt esse *complexa* vel *incomplexa*. — *Physic.* I. q. 2. n. 5.

---

(1) Vid. infr. *Demonstratio*.

Distinctio quae ponitur communiter inter cognitionem *intellectivam* et *sensitivam* ex parte *obiecti*, iuxta quod intelligimus *universale*, sentimus *singulare*, et quaecumque distinctio alia isti correspondens, non debet intelligi tanquam inter potentias disparatas *ex aequo*, sicut est distinctio *visus* in *videndo* colores, ab *auditu* in *audiendo* sonos; sed debet intelligi distinctio *intellectus* a *sensu*, sicut potentiae *superioris* cognitivae ab aliqua cognitiva *subordinata* sibi; et per consequens, quod potentia superior potest cognoscere aliquod obiectum, vel sub aliqua ratione, quod obiectum, vel sub qua ratione potentia inferior non potest cognoscere; non tamen e converso, quod inferior potest aliquod obiectum, vel sub aliqua ratione cognoscere, quin superior possit etiam perfectiori modo obiectum illud cognoscere, et sub eadem ratione cognoscibilitatis ex parte obiecti. Et sic potest concedi, quod intellectus potest cognoscere obiectum non *ut hic* et *nunc*, quia * natus est ipsum cognoscere * sub ratione *quidditativa absoluta;* sensus autem non potest sic cognoscere obiectum, quia est virtus limitata ad cognoscendum ipsum sub ratione *existentis;* sed non propter hoc intellectus determinatur ad cognoscendum obiectum sub modo opposito, quia indifferens est ad cognoscendum ipsum sub *utroque* modo. — *Quodlib.* q. 13. n. 9. — Vid. *Principia cognoscendi duplicia.*

Cognitio sensitiva multiplex. — Notandum, quod in *sensu* est una cognitio *intuitiva, primo propria:* alia *primo* et *per se propria* per speciem, sed non *intuitiva.* Utrique correspondet sua cognitio *per accidens,* scilicet per privationem cognoscibilis *per se.* Exemplum de primo: *visus videt* colorem. De secundo: *phantasia imaginatur* colorem. De tertio: visus videt *tenebram.* De quarto, phantasia imaginatur *tenebram.* — *Quinta* cognitio phantasiae propria est per compositionem specierum diversorum sensibilium, ut imaginando *montem aureum. Sexta* cognitio est cognitio *per accidens* alicuius, ut hominis per figuram et colorem, etc. — *QQ. Metaph.* lib. II. q. 3. n. 19.

Quatuor sunt *gradus* in cognitione sensitiva: *primus* est intuitivae cognitionis, quae est de *re praesente,* non tantum per speciem, nec tantum sub ratione cognoscibilis, sed in *propria natura.* — *Secundus* gradus est rei cognitae per speciem *propriam* ex se genitam. — *Tertius* gradus est per speciem *aliam* factam a virtute cognitiva, et hoc ex speciebus aliquorum propriis impressis sibi. — Omnes istae cognitiones sunt *per se.* Verbi gratia, de primo gradu: *visus videt* colorem. De secundo: *phantasia imaginatur* colorem visum. De tertio: *phantasia imaginatur montem aureum;* vel ex *nigro debili,* quod videt, imaginatur *nigerrimum.* — Ultra hos gradus cognitionis, est cognitio per *accidens,* et hoc vel *oppositi* per remotionem, sive *subiecti per accidens.* — *Ib.* n. 23.

Cognitio speculativa — practica. — Cognitio *mere speculativa* est illa quae nullo modo est directiva in opus. Cognitio vero *mere practica* est illa quae immediate est directiva in opus. Quaecumque ergo cognitio media pro quanto magis recedit ab uno extremorum, tanto magis potest dici contineri sub altero. — *Quodlib.* q. 8. n. 11.

Cognoscendi ratio. — Intelligo per *rationem cognoscendi* non id, quod ut cognitum, est ratio cognoscendi, sed illud quo, sicut *species.* — *Report.* II. d. 3. q. 2. n. 8. — Omnis una ratio cognoscendi habet obiectum unum adaequatum sibi, in quo obiecto includuntur perfecte omnia cognoscibilia per rationem illam. — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 8.

Cognoscere confusum — confuse — distincte — distinctum. — Non est idem cognoscere *confusum* et *confuse,* nec *distinctum* et *distincte;* nam *confusum* potest *distincte* cognosci, sicut *animal,* quod est *confusum* respectu *hominis.* Similiter *distinctum* potest *confuse* cognosci, sicut *homo* cognoscendo *animal,* vel quod sit *animal.* Illud autem est *confusum,* quod est *indistinctum, distinguibile* tamen, sicut *genus.* — Cognoscere autem *confuse* est cognoscere *quid dicitur per nomen,* vel cognoscere in suo *universali* tantum; sed cognoscere quid *distincte* est cognoscere id per principia *propria* posita in sua definitione. — *De Anima* q. 16. n. 2. — Cognoscere aliquid *confuse* est medium inter puram ignoran-

tiam et cognitionem eius distinctam; et sic cognitio alicuius *confusa* prior est cognitione eiusdem *distincta*. Cognitio *confusa* alicuius est, vel quando cognoscitur tantum de ipso *quid est quod dicitur per nomen*, vel quando cognoscitur in suo *universaliori* vel *confuso*. — *Ib.* n. 8. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. nn. 21, 27.

Cognoscere in genere proprio. — *Cognoscere in genere proprio* proprie est cognoscere rem *formaliter in se*, non ut relucet in aliquo, in quo continetur *eminenter*. — *Report.* III. d. 14. q. 3. n. 5.

Cognosci aliquid est dupliciter. — *Aliquid cognosci ab alio* est *dupliciter:* aut tanquam per *potentiam cognoscitivam;* aut tanquam per *principium* et *causam cognitionis*. *Primo* modo cognoscitur res per intellectum: *secundo* modo intellectus per res. — *QQ. Metaph. lib. X*, q. 4. n. 3. — Cf. *Opus II super Periherm.* q. 3. n. 3.

Cognoscibile triplex. — Vid. *Materiae primae conditiones.*

Colobon. — Determinat * Aristot. * de opposito *totius*, quod est *colobon*, id est *truncatum;* unde alia littera habet *quantum diminutum* vel *defectivum*. Est ergo intentio Philosophi ostendere quid est *colobon* vel *truncatum*. Circa quod duo facit: primo narrat ea quae requiruntur *ex parte totius quod truncatur*. Secundo ea quae requiruntur *ex parte partis truncatae*, et quae a toto deficit.

Quantum ad *primum* enumerat *septem* quae requiruntur ad hoc quod aliquod totum sit *colobon*. *Primum* est, ut illud totum sit aliquid *quantum*, habens partes *quantitativas*, in quas dividitur; ideo dicit quod *colobon dicitur quantorum*, id est, quod sit de numero quantorum; et per hoc distinguitur a toto *universali*, quod non est divisibile secundum *quantitatem*, et ideo sublata una parte subiectiva, non potest dici *colobon*. — *Secundum* est, quod *colobon* non dicitur quodcumque quantum, sed quod sit partibile in partes *alterius rationis*, et sit totum *constitutum ex diversis partibus;* ideo dicit quod non quodcumque *quantum* est *colobon*, sed *oportet illud esse partibile et totum;* et per hoc distinguitur *colobon* a partibus homogeneis, in quas totum heterogeneum dividitur, et ideo *caro* vel *os*, * ex gr. * non possunt dici *colobon*, licet sint *quanta*. — *Tertium* est, quod *colobon* non potest dici aliquid habens *duas partes*, si altera tollatur, quia pars ablata a *colobon* non debet esse aequalis residuo; ideo dicit quod *duo*, puta numerus *binarius*, *non sunt coloba altero uno ablato*, quia *colobonia*, id est, *pars ablata*, et reliquum quod remanet, non est aequalis, et ideo oportet quod semper residuum sit maius illo quod aufertur. — *Quartum* est, quod *substantia colobi manet*, etiam *amota parte;* et propter hoc *numerus* non potest esse *colobus*, quia ablata quacumque unitate, statim *variatur substantia* numeri; ideo dicit quod *nec totaliter*, id est, universaliter *nullus numerus est colobus;* quia *oportet manere substantiam*, scilicet *colobi*, sicut si *calix* truncatur pede, adhuc manet calix; ideo dicit quod *adhuc oportet esse calicem, si calix sit colobon*, id est, *colobus; numerus autem non adhuc idem* manet, *ablata* una parte. — *Quintum* est, quod *colobon* dicitur habere partes *dissimiles*, licet *non convertatur;* ideo dicit, quod adhuc oportet quod *coloba* sint *dissimilium* partium, nec tamen haec omnia quae habent partes *dissimiles* sunt *coloba; numerus* enim habet partes *dissimiles*, ut *dualitatem* et *trinitatem*, et tamen numerus non est *colobus*. Ratio huius dicti assignatur, quia in toto homogeneo, quod est *similium* partium, ratio *totius* salvatur in qualibet parte, ideo si una pars auferatur, reliqua non diceretur *coloba;* oportet ergo *colobon* esse totum *heterogeneum*, et *dissimilium* partium. — *Sextum* est, quod *colobon* oportet esse tale, quod habeat *determinatam* positionem partium; ideo dicit, quod universaliter nullum est *colobon* eorum, quorum *positio non facit differentiam*, sed oportet esse talia quae habent in substantia positionem *determinatam*, ut *homo, equus*, et alia tota *heterogenea*. — *Septimum* est, quod *colobon* oportet esse totum *continuum*, non discretum; et ideo *harmonia*, quae componitur ex numeris musicis, non potest dici *coloba*, esto quod sibi aliqua pars subtraha-

tur; ideo dicit quod *amplius continua oportet esse coloba;* nam *harmonia* * ex gr. * licet sit ex eis quae sunt *dissimilium* partium, et habent *positionem* (quod dicit pro quanto voces acutae et graves non quomodocumque ordinatae habent *hanc* vel *hanc* harmoniam, licet harmonia non habeat *proprie positionem,* quae est differentia quantitatis, sicut nec numerus), licet, inquam, sic sit, tamen harmonia non fit *coloba;* ex eo scilicet quod non est *continua,* sed *discreta.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. *unic.* c. 18. n. 149.

Enumerat * postea * conditiones requisitas ad *colobon* ex parte *partis quae truncatur* et aufertur, et sunt *tres.* — *Prima* est, quod pars ablata *non sit principalis,* sine qua scilicet substantia rei esse non possit; ideo dicit quod *adhuc autem sicut nec quaelibet tota* dici *possunt coloba,* ita nec totum dicitur *colobon* ex privatione *cuiuscumque* particulae; oportet enim partem ablatam non esse *principalem* substantiae rei. Ratio huius est, quia oportet *colobon* etiam manere, parte ablata: sublata autem parte *principali* rei, iam non remanet res, ut *homo,* truncato *capite.* — *Secunda* est, quod pars ablata *debet esse in extremitate colobi,* et *non interior;* ideo dicit, quod nec *ubicumque entia,* id est, quod ista quae auferuntur non sunt ubicumque, *ut si perforatur calix,* et de medio eius pars aliqua auferatur, *calix* non erit *colobus; sed si auferatur auris,* id est, aliqua particula calicis ad instar *auris,* aut aliqua eius extremitas, tunc dicitur *colobus.* Similiter *homo* non est *colobon,* si amittat *carnem,* id est, aliquid de *carne pedum,* aut *brachii,* aut si amittat *splenem,* aut aliquam partem interiorem; sed si aliquam extremitatem amittat, puta *manum,* aut *aurem.* — *Tertia* conditio est, quod ista particula in extremitate, ex cuius substractione dicitur *colobon,* dicitur *esse talis,* quod *iterum non renascatur;* quod si sic, non dicitur *colobon;* ideo dicit, quod *et haec pars,* a qua dicitur *colobon,* non *omnem partem oportet esse, sed cum non habet generationem ablata a toto,* puta, sicut sunt *manus,* vel *pedes;* ideo infert, *quapropter calvi non sunt colobi,* si capilli debeant iterum renasci, ut cum aliquis ex infirmitate perdidit pilos. — *Ib.* n. 150.

Color rubeus duplex. — *Duplex* est *color rubeus:* quidam tendens ad albedinem, vel claritatem, et vocatur *puniceus;* alter tendens ad nigredinem et obscuritatem, et vocatur *purpurens.* — *Meteor.* I. q. 16. n. 2.

Comestio. — *Comestio* non est nisi divisio cibi per motum maxillarum, et traiectio eius in ventrem per motum localem. — *Oxon.* II. d. 8. n. 4.

Commune — suppositum. — *Commune,* secundum quod habet rationem *communis,* est natura, prout concipitur sub ratione *dicibilis de pluribus.* — Et ita *suppositum* est natura concepta apud intellectum, sub ratione *non dicibilis de pluribus.* — *Opus prim. super I. Periherm.* q. 8. n. 4.

Communis divisio. — Communis divisio *communis* est in *habitum* et *privationem,* sicut animal in *rationale* et in *irrationale.* Irrationale quidem dicit privationem in bove, non eius quod natum est haberi in bove secundum *speciem,* sed eius quod natum est haberi in eo secundum quod est *animal.* Genus quidem, quasi commune habitui et privationi, est illud cui convenit aptitudo ad utrumque. — *Oxon.* I. d. 28. q. 2. n. 5.

Communicabile per identitatem — per informationem. — *Communicabile* dicitur aliquid, vel *per identitatem,* ita quod illud cui communicatur *sit ipsum;* vel *per informationem,* ita quod illud cui communicatur, sit *ipso,* non *ipsum.* Primo modo *universale* communicatur *singulari;* et secundo modo *forma materiae.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 38. — *Report.* I. d. 23. n. 5. — *Ib.* III. d. 1. q. 1. n. 4.

Et sic per oppositum *incommunicabile* dicitur *dupliciter.* Deus est *incommunicabilis* in ratione *formae;* sed anima non; licet * enim * sit separata, adhuc est *apta nata* communicari in *ratione formae.* — *Report.* I. d. 23. n. 5. — Vid. *Persona* = *Deitas dupliciter communicabilis.*

Communicabilitatis negatio triplex. — Potest intelligi *triplex negatio communicabilitatis,* sive dependentiae. Sicut enim possu-

mus intelligere dependentiam *actualem, potentialem*, et *aptitudinalem*, sic possumus intelligere negationem *actus* dependendi, et negationem *possibilitatis* dependendi, et negationem *aptitudinis* ad dependendum. — Prima negatio est *nuda*, sive sola. Secunda est *cum repugnantia* ad actum. Tertia est *cum inclinatione opposita*, sive *aptitudine contraria*. Exemplum: primo modo, superficies, si esset sine colore omnino, esset *non alba;* quia haberet *solam negationem* albedinis. Secundo modo, Angelus est *non albus*, quia *sibi repugnat* albedo. Tertio modo lapis est *non sursum*, quia in lapide est *negatio aptitudinis* ad sursitatem, *cum inclinatione* ad non sursitatem sicut ad suum oppositum. — *Quodlib.* q. 19. n. 19 et 22. — Vid. *Persona.*

Communicare — communicari in Divinis. — *Producere* in Divinis dicit relationem realem; *communicare* autem dicit relationem originis et quasi rationis, concomitantem illam realem. *Cum igitur dicitur*, quod istae sunt relationes oppositae, scilicet *communicare* et *communicari; dico*, quod sunt relationes rationis oppositae secundum proprias rationes suas, licet necessario concomitentur aliquas relationes reales oppositas, scilicet *producere* et *produci;* sed istae relationes et illae non sunt eorumdem relatorum formaliter. — *Oxon.* I. d. 5. q. 1. n. 9.

Communicatio duplex. — Dico, quod duplex est communicatio: *una*, qua communicatur aliquid *existenti:* et *alia* est communicatio, qua aliquid communicatur alicui, *ut ipsum sit.* — Prima est *imperfectionis*, ut quando *scientia* communicatur *animae*, et universaliter *accidens* communicatur *subiecto*. Secunda est simpliciter *perfectionis*, sicut quando communicatur *esse* totale. — *Report.* I. d. 5. q. 2. n. 13.

Communicatio idiomatum. — Ratio huius *communicationis* est, quod suppositum recipit praedicationem *in concreto* illius naturae in qua subsistit. — *Oxon.* III. d. 2. q. 1. n. 13. — Ab illa regula de *communicatione idiomatum, propter unionem naturarum est communicatio idiomatum*, excipiuntur illa quae exprimunt *unionem naturae ad personam.* Et ratio huius est, quia illa communicatio in praedicationibus fit propter unionem, et ita *praesupponit* unionem; non ergo fit secundum illa quae exprimunt unionem, et ideo * Christus * non est factus *Deus*, licet sit factus *homo.* — *Ib.* d. 7. q. 2. n. 9.

Commutatio. — In omni commutatione, quantum est ex parte commutantium et commutatorum, stricta iustitia requirit aequalitatem commutatorum, quantum possibile est, et hoc ad illum finem propter quem commutatur. — *Oxon.* IV. d. 33. q. 1. n. 2.

Commutatio mutua. — Vid. *Dominii translatio.*

Commutatio oeconomica — negotiativa. — Commutatio *oeconomica* est quando commutans intendit rem accipere, pro qua commutat, ut non mercetur ea, sed ea utatur. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 2. n. 21. — Commutatio *negotiativa* * est * ubi commutans intendit mercari de re, quam acquirit, quia emit non ut utatur, sed ut vendat, et hoc carius; et haec negotiativa dicitur pecuniaria vel lucrativa. — *Ib.* n. 22.

Comparatio. — *Comparatio* est *duarum rerum habitudo ad invicem*, vel *collatio in aliquo.* Ex quo sequitur, quod ad *comparationem tria* requiruntur, videlicet: illud *quod* comparatur: secundo, illud *cui* fit comparatio: et tertio, illud *in quo* comparantur. — *Physic.* VII. q. 5. n. 2.

Comparatio proprie dicta est secundum *magis et minus* in eadem forma. — *QQ. Metaph.* lib. IV. q. 1. n. 13.

Illius *in quo* aliqua comparantur sunt aliquae *conditiones. Prima* est ista, quod, illud *significet denominative*, ita ut sit terminus denominativus praedicabilis *in quale*, scilicet de genere *accidentis;* et ideo secundum terminos quidditativos de genere *substantiae* non fit *comparatio*, nec etiam * secundum * *abstracta* de genere *accidentis*, quae non sunt *connotativa.* Verbi gratia, non dicimus, quod aliquid sit *magis homo quam alius*, aut *magis albedo*, aut *nigredo;* bene tamen dicimus, quod aliquid est *magis album;* et ideo secundum huiusmodi *concreta* bene fit *comparatio.* — *Secunda* conditio est, quod illud *in quo* fit

comparatio, scilicet huiusmodi terminus connotativus, sit *natus dici secundum magis et minus;* et ideo dicit Aristoteles, quod circa *genera non accidunt comparationes,* quia non dicuntur secundum *magis et minus.* Verbi gratia, non dicimus, quod aliquid sit *magis quale quam aliud,* vel *magis coloratum;* quia huiusmodi genera non recipiunt *comparationem;* ideo in illis non potest fieri *comparatio.* — *Tertia* conditio, quod illud, *in quo* fit *comparatio, dicatur univoce de illis,* quae comparantur ad invicem; et ideo dicit Aristoteles *in isto VII. text. 24,* quod *acus* et *sonus* non comparantur ad invicem in *acutie;* quia *acutum* dicitur de eis *aequivoce.* — *Physic.* VII. q. 5. n. 4. — Vid. *Mensura* — *Proportio,* etc. — Cf. *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 12. — II. d. 3. q. 1. n. 3. — IV. d. 7. q. 3. n. 1. — d. 50. q. 3. n. 4. — *Quodlib.* q. 17. n. 4.

Comparatio immediata — mediata. — *Duplex* est *comparatio:* quaedam scilicet *immediata,* qua scilicet aliqua duo comparantur *in aliquo tertio;* ut dicimus: *Socrates est albior Platone;* ibi enim *Socrates* et *Plato* comparantur ad invicem in *albedine.* — Alia est comparatio *mediata,* qua scilicet comparantur aliqua duo ad invicem *in duobus,* de quibus dicitur *aliquod tertium,* secundum quod ista in illis comparantur, ut dicendo: *Socrates est albior, quam Plato sit niger;* hic enim *Socrates* et *Plato* comparantur ad invicem in *albedine* et *nigredine,* de quibus dicitur esse *intensum, in quo* ista ad invicem comparantur. — *Physic.* VII. q. 5. n. 3.

Comparatio multiplex. — *Septem* vel *octo* inveniuntur *modi* comparationis, quorum quatuor primi sunt *proportionales,* alii non. *Prima* comparatio est proportio *infinita;* sicut si numerus *infinitus* comparetur ad *unitatem,* aut totum tempus *aeternum* ad *unam diem.* — *Secunda* comparatio est proportio *rationalis finita,* quae scilicet immediate denominatur ab aliquo numero; ut *duplex, tripla, quadrupla,* et ita de aliis. — *Tertia* comparatio est proportio *irrationalis finita* et *nota;* cuiusmodi est proportio *diametri quadrati* ad eius *costam,* quae est medietas duplae. Et vocatur proportio *irrationalis,* quia immediate nominatur non a numero, sed ab alia proportione, ut medietas duplae denominatur a proportione duplae. — *Quarta* comparatio est proportio irrationalis *ignota* et *inscibilis;* et multae sunt tales, ut dicit Commentator Campanus in *comm.* 11. definitionis, scilicet Euclidis; et talis forte est proportio *quadrati* ad *triangulum inscriptum.* — *Quinta* comparatio est *inproportionalis,* cuiusmodi est quantitas anguli *rectilinei* ad quantitatem anguli ex una *recta* et una *curva;* aut etiam qualiter se habent duo anguli *rectilinei diversarum* curvitatum; huiusmodi enim angulorum comparatio ad invicem in quantitate est *finita,* sed *inproportionalis.* — *Sexta* comparatio est *inproportionalis* et *infinita ultra omnem comparationem,* cuiusmodi est proportio anguli *rectilinei* ad angulum *contingentiae;* vel etiam *superficiei* ad *lineam,* aut *corporis* ad *superficiem;* quia corpus est *maius* superficie, *plusquam* in *duplo, plusquam* in *triplo,* et sic in infinitum, *ultra omnem proportionem.* — *Septima* comparatio est *improportionalis* vocata *infinita,* sed *citra omnem proportionem,* ut, verbi gratia, sicut si diceremus quod *aggregatum ex corpore* et *superficie* est *maius* illo corpore *minus quam* in *quadruplo, minus quam* in *triplo, minus quam* in *duplo, minus quam* in *medietate dupli,* et sic in infinitum, *citra omnem proportionem.* — *Octava* comparatio est modus *alienissimus* ab aliis, ut quando aliqua comparantur ad invicem secundum ordinem *prioritatis,* aut *naturae,* ut dicendo: *causa* est *prior effectu* secundum *naturam,* aut A est *prius* quam B, secundum *ordinem situs.* Et dico, quod iste modus est *alienissimus ab aliis,* pro tanto quia quilibet aliorum modorum comparandi est comparabilis *secundo* modo, scilicet *proportione rationali;* quia quocumque illorum modorum fiat comparatio, ista consequentia est bona: A est *maius* quam B; igitur A est *in duplo* maius quam B, vel *maius quam in duplo,* aut *minus quam in duplo;* sed ista consequentia non valet de comparatione *finita,* mediante isto * modo * comparata *prius,* loquendo de *prio-*

ritate ordinis, vel *naturae;* quia non sequitur: *Sol est prior natura lumine;* igitur est prior *in duplo*, vel *plus*, vel *minus quam in duplo*. Eodem modo, non valet consequentia de *priori* secundum *ordinem situs*, nisi accipiatur *ordo* penes distantiam ad aliquem certum punctum; et tunc non fit comparatio solum secundum *ordinem*, sed secundum *extensionem magnitudinis*. — *Physic.* VII. q. 5. nn. 9, 10.

Complexum duplex. — Aliquid dicitur *complexum* dupliciter: *uno* modo, quia sibi correspondet oratio *perfecta*. — *Alio* modo, de oratione *imperfecta;* et sic sunt termini complexi de Praedicamentis accidentium, sicut *album, nigrum* sunt complexi, eo quod eis correspondet conceptus *complexus*. — *Physic.* I. q. 7. n. 8. — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 34.

Compositio — Divisio. — In nobis *compositio* est *actus intellectus*, et est signum *coniunctionis* aliquorum *in re*. — Similiter *divisio* est quidam *actus intellectus* divisivus, et est signum *separationis* aliquorum *in re; compositio* et *divisio* sunt signa eorum *in intellectu*. — *Report.* I. d. 38. q. 2. n. 5. — Per *compositionem* intelligitur *affirmatio*, ubi praedicatum notatur *inesse* subiecto: per *divisionem* vero intelligitur *negatio*, ubi praedicatum notatur *separari* et *dividi* a subiecto, sive talis compositio sive divisio sit in *voce* et in *oratione*, ubi est veritas et falsitas *ut in signo*, sive sit in *conceptibus* mentis, ubi est *ut in subiecto*. — *Exposit. in Metaphis. Arist.* lib. VI. S. 2. c. 2. n. 30. — Vid. *Fallacia compositionis et divisionis.*

Compositio et resolutio duplex. — Est *duplex* modus *compositionis* et *resolutionis: unus* secundum quem *conceptus specierum resolvuntur in genera;* et secundum hunc modum *genera* videntur esse *elementa*. — *Secundus* modus est magis *realis* et *naturalis*, secundum quem *corpora naturalia dicuntur resolvi in elementa;* et secundum hunc modum non *genera communia*, sed *corpora elementaria* erunt principia et *elementa* rerum. — *Exposit in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 1. c. 2. n. 5. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. n. 6.

Compositio logica — grammaticalis. — Vid. *Grammat. specul.* n. 81.

Compositio multiplex. — Omnis compositio, aut est *partium quantitativarum*, aut *materiae* et *formae*, aut *generis* et *differentiae*, aut *esse* * *existentiae* * et *essentiae*, aut *suppositi* et *naturae*, aut *accidentis* et *subiecti*. — *QQ. Metaph.* lib. XII, q. 15. n. 3. — Est compositio *essentialis* ex *materia* et *forma;* compositio *quantitativa*, quae est ex *partibus integralibus*, * et * compositio secundum *gradus perfectionis*. — *Super Praedic.* q. 38. n. 13. — Vid. *Creatura multipliciter composita.*

Compositio proprie — minus proprie. — Compositio potest intelligi *proprie*, prout est ex re *actuali* et re *potentiali;* vel *minus proprie*, prout est ex *realitate* et *realitate actuali* et *potentiali* in eadem re. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 16.

Compositum. — Nihil est *compositum sine unione* * convenienti * partium componentium, ita quod, partibus *separatis*, non manet *compositum*. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 11. — Cf. ib. I. d. 5. q. 1. n. 9 — q. 2. n. 15 — II. d. 12. q. 1. n. 13. seqq. — *Quodlib.* q. 9. n. 8.

Compositum universale — singulare. — *Compositum* quoddam est *ex materia et forma determinate*, non quidem ut *singulariter*, sed *universaliter;* homo enim dicit compositum ex *anima* et *corpore*, non autem ex *hac* anima et *hoc* corpore... *Singulare* vero compositum, ut *Socrates*, est ex *hac* anima et *hoc* corpore. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. VII. S. 2. c. 11. n. 86.

Comprehensio. — Nunquam est *comprehensio* obiecti a potentia, nisi quando *tanta est intellectivitas potentiae intelligentis, quanta est intelligibilitas obiecti intellecti;* aliter enim actus non potest esse adaequatus obiecto, et propter hoc potentia talis *non comprehendit* obiectum. — *Report.* III. d. 14. q. 2. n. 14.

Concausae multipliciter concurrunt ad eumdem effectum. — *Quaedam* enim *ex aequo* concurrunt, sicut *aliqui duo trahentes aliquod idem corpus. Quaedam* vero *non ex aequo*, sed *habentes ordinem essentialem;* et hoc dupliciter: vel sic, quod *superior*

moveat inferiorem, ita quod inferior non agat, nisi quia movetur a superiore, et tunc inferior habet a superiore virtutem illam qua movet; * vel sic quod * superior *non movet* inferiorem, nec dat ei virtutem, qua movet, sed superior *de se habet virtutem perfectiorem* agendi, et inferior habet *imperfectiorem virtutem* agendi, nec tamen recipit virtutem istam imperfectiorem a superiori, quae est perfectioris virtutis. — *Exemplum primi* membri huius secundae divisionis: de *potentia motiva*, quae est in *manu*, et *baculo*, et *pila*. *Exemplum secundi* membri: si *mater* ponatur virtutem activam habere in generatione prolis, illa et potentia activa *patris* concurrunt ut duae causae partiales, *ordinatae* quidem, quia altera *perfectior* reliqua; non tamen imperfectior recipit suam causalitatem a causa perfectiore; nec tamen illa causalitas est eminenter in causa perfectiori, sed aliquid addit causa imperfectior, in tantum quod effectus non solum non potest esse perfectior a causa perfectiori, plusquam ab imperfectiori, imo non potest plus esse a perfectiori *tantum*, quam ab imperfectiori *tantum*, * quia alterutra deficiente nihil fiet *. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 21.

Conceptus. — *Conceptum dico, quod actum intelligendi terminat.* Hic *obiectum* * (nempe *conceptus*) * dicitur, vel *intelligibile*, vel *intellectum*, vel *intentio*. Primum *communissimum* est, quia ad omnes potentias. Secundum *commune* ad obiectum intellectus *in potentia*, vel *in actu*. Tertium *proprium*. *Quarto* utuntur Arabes, ut Avicenna et Averroes. Sicut autem *intentio* aequivoce dicitur de *obiecto* et de *actu*, ita et *conceptus*. — *Theor.* VIII. n. 1. — *Conceptum* dico obiectum actu intellectum, prout scilicet est in intellectu, non ut forma, sed ut actu cognitum. — Hic autem *esse in* non est nisi habere relationem actualem ad intellectum; sive intellectum ad ipsum, sive utrumque ad utrumque. — *Theor.* IX. n. 3.

Conceptus sunt signa rerum naturaliter, *I. Periherm* (1). — *Oxon.* IV. d. 10. q. 4. n. 3. — Conceptus sunt iidem apud omnes, *I. Periherm.*, et communiter in qualibet lingua est unum nomen impositum tali conceptui communi. — *Quodlib.* q. 3. n. 2.

(1) Cf. Doctor. *Op. I. super I. Periherm.* q. 2.

Conceptus grammatice — logice consideratus. — *Conceptus idem* posset *diversificari* penes modos *grammaticales*, et *logicales*: *grammaticales*, ut penes quoscumque modos *significandi* (1); *logicales*, ut penes quoscumque modos *considerandi* diversos, sicut penes *universale* et *particulare*, vel penes *explicite* et *implicite*; *explicite*, sicut *definitio* exprimit; *implicite*, sicut *definitum* exprimit. Et per istas differentias possunt poni non tantum *certitudo* et *incertitudo*, sed etiam *veritas* et *falsitas*, *congruitas* et *incongruitas*. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 6.

Conceptus perfectus — imperfectus. — Quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinseco suo, ille conceptus non est ita simpliciter simplex, quin possit concipi illa realitas *absque modo illo*; sed tunc est conceptus *imperfectus* illius rei. — Potest etiam concipi *sub illo modo*; et tunc est conceptus *perfectus* illius rei. *Exemplum*: si esset albedo sub *decimo* gradu intensionis, quantumcumque esset simplex omnino in re, posset tamen concipi sub ratione albedinis *tantae*; et tunc perfecte conciperetur conceptu adaequato illi rei. Vel posset concipi praecise sub ratione *albedinis*; et tunc conciperetur conceptu imperfecto, et deficiente a perfectione rei. Conceptus autem imperfectus posset esse *communis* illi albedini et alii, et conceptus perfectus *proprius* esset. Requiritur igitur distinctio inter illud a quo accipitur conceptus proprius, non ut distinctio realitatis et realitatis, sed ut distinctio realitatis et modi proprii et intrinseci eiusdem; quae distinctio sufficit ad habendum *perfectum* conceptum vel *imperfectum* de eodem, quorum imperfectus est communis, et perfectus sit proprius. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 27.

Conceptus quidditativus duplex. — Conceptus *quidditativus* est *duplex*: *unus* est *primo primus*, qui scilicet non est in alios conceptus *resolubilis*, quo res cognoscitur

(1) Vid. *Grammat. specul.* per tot.

intuitive in se, ut est talis natura... *Alius* autem conceptus *quidditativus* rei non est omnino simplex, ut primus, sed compositus, et *resolubilis* in alios, ut est definitio rei *compositae* ex diversis conceptibus. — *De Anima,* q. 19. n. 6.

Conceptus simpliciter simplex. — Voco conceptum simpliciter simplicem, *qui non est resolubilis in aliquos conceptus simplices, quorum quilibet possit actu simplici distincte cognosci.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 5. — *Ib.* d. 3. q. 2. n. 21. — *Theor.* VIII. n. 1. — *Miscell.* q. 5. nn. 16-18. — Vid. *Veritas complexi — incomplexi.*

Conceptus simpliciter simplex — simplex — multiplex. — *Triplex* est *conceptus:* est enim conceptus *simpliciter simplex;* est conceptus *simpliciter,* non tamen simpliciter simplex; et conceptus *multiplex,* qui nec est simpliciter simplex, nec simplex.

Conceptus *simpliciter simplex* est ille qui non est *resolutus,* * *nec resolubilis* * in plures conceptus; et talis conceptus correspondet *enti* et omnibus *transcendentibus;* conceptus enim entis non est resolutus in plures conceptus (1).

Conceptus *simplex,* sed non *simpliciter simplex,* est conceptus *per se unus* et *resolutus* vel *resolubilis* in plures, quorum alter sit per se *determinabilis,* alter per se *determinans;* aliter non fieret ex eis *per se unus;* quorum etiam conceptuum particularium alter, scilicet *determinabilis* sive *possibilis,* dicitur de conceptu tertio in *quid;* alter autem, scilicet per se *determinans,* dicitur de eo in *quale;* utrumque tamen est ei aequalis, scilicet et *determinabilis* et *determinans.* — Ex quo per modum *corollarii* inferri potest, quod in plus est esse *essentiale,* quam dici in *quid* (2). Talis autem conceptus, scilicet *simplex,* non *simpliciter simplex,* correspondet cuilibet enti perfecto *in genere.*

Conceptus *multiplex* est conceptus *compositus resolutus* in plures conceptus, quorum unus non est per se determinabilis, et alter per se determinans; et talis conceptus correspondet *toti per accidens,* ut est *homo albus,* vel *toti aggregato* connaturaliter, sicut est *triplex* conceptus.

Sed ut conceptus se tenet ex parte *obiecti,* sic definitur *triplex;* ut se tenet ex parte *intellectus,* est etiam *triplex* actus intelligendi. Est enim quidam actus intelligendi *simpliciter simplex,* qui terminatur ad primum *simpliciter simplex,* quod quidem obiectum est tantum *distincte* cognoscibile, et non *confuse;* quia quod natum est cognosci *distincte,* si cognoscatur *confuse,* quando cognoscitur *confuse* aliud non *patet* intellectui quam illud quod correspondet notitiae *confusae;* et aliud non *latet* quam illud quod correspondet notitiae *distinctae.* Ex hac proprietate sequitur, quod est impossibile aliquod obiectum cognoscibile solum *distincte* cognoscere *confuse,* nam non est in eo sic *aliud* et *aliud;* ergo tale obiectum non est cognoscibile primo *confuse,* postea *distincte;* vel si *distincte* cognoscitur, simpliciter cognoscitur, vel simpliciter ignoratur. De illis enim obiectis ita loquitur Philosophus, *VIII. Physic. text. 46,* et *VII. Metaph.* c. 60 (1), dicens, quod *simplicia vel totaliter sciuntur, vel totaliter ignorantur.* — Actus autem intelligendi qui determinatur ad obiectum *simplex,* sed non *simpliciter simplex,* est *simplex,* sed non *simpliciter simplex.* — Actus etiam determinatus ad obiectum *multiplex* non est per se unus, sicut nec obiectum ad quod terminatur. — *Miscell.* q. 5. nn. 16-18. — Cf. *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 21 seqq.

Conceptus universalis duplex. — *Duplex* est conceptus *universalis: quidam* cum circumstantia *particulari* sibi appropriata, ut *hoc* ens, *hoc* corpus, et huiusmodi. — *Alius* est *sine tali circumstantia,* ut *homo animal,* et huiusmodi.

Et *differunt* isti conceptus ab invicem, primo, * quia * quo ad hoc quod intellectus habeat actualiter conceptum universalem cum circumstantia particulari, aut cum pluribus circumstantiis particularibus, oportet, quod *actualiter respiciat* et intendat ad phan-

---

(1) *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 5.

(2) *Theor.* VIII. *fere ad litter.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 21.

(1) Cf. exposit. Doctor. n. 143. seqq.

tasmata, causata ab illo cuius est ille conceptus; sed ad hoc, quod habeat conceptum universalem sine huiusmodi circumstantia, non requiritur, quod actu intendat ad phantasmata, sed requiritur, quod alias respexerit ad illa, et intenderit.

Secundo differunt sicut *causa* et *causatum*. Nam conceptus universalis *cum circumstantia particulari* est *causa* effectiva instrumentalis conceptus universalis *sine tali circumstantia*. Unde, cum sensus vel intellectus percipit obiectum, prius * percipit * sub hoc conceptu, *hoc ens*, deinde sub isto, *hoc corpus*, et sic consequenter usque ad conceptum *individui*, verbi gratia, *Socratis;* tunc intellectus, habito hoc conceptu, *hoc ens*, de *Socrate*, abstrahit circumstantias particulares, eliciendo simplicem conceptum, scilicet *ens;* et sicut dictum est de isto conceptu, ita proportionabiliter de aliis suo modo.

Isti * autem * conceptus *conveniunt* ad invicem: primo, quia neuter illorum potest causari ab aliqua re futura, sed quilibet requirit in sua generatione obiectum *actu* movens sensum, vel intellectum; tamen illi conceptus, licet non causentur a rebus futuris, sunt significativi rerum futurarum. — Secundo conveniunt, quia sicut in ordine conceptuum simplicium *sine circumstantiis* particularibus unus conceptus est *universalior* alio, ut puta *animal* quam *homo*, ita in ordine conceptuum *cum* illis *circumstantiis* est unus universalior alio, ut puta *hoc ens* quam *hoc corpus*, et ita consequenter; et huiusmodi circumstantiae particulares solebant vocari ab antiquis *conditiones individuales*. — *Physic.* I. q. 5. n. 6.

Conceptus univocus. — *Conceptum univocum* dico, qui *ita est unus, quod eius unitas sufficit ad contradictionem, affirmando et negando ipsum de eodem.* Sufficit etiam pro medio syllogistico, ut extrema unita in medio *sic uno*, sine fallacia aequivocationis, concludantur *inter se unum.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 5, *ubi probat dari conceptus univocos Deo et creaturae* — Vid. *Univocum.*

Concernere aliquid alicui est dupliciter. — Vid. *Cognitio abstractiva — intuitiva.*

Concipi primo — non primo — perfecte — distincte — confuse. — *Primo concipi* dicitur quod intellectui adaequatur. — *Per se*, non *primo*, quidquid in primo intellecto includitur. — *Perfecte* cognoscitur ex parte obiecti, quando nihil obiecti latet. — *Simplex* itaque si concipitur, *perfecte* concipipitur. — *Resolubile* contingit *imperfecte* concipi. — *Distincte* concipitur quod secundum hoc concipitur, secundum quod ab aliis distinguitur. — *Confuse* concipitur quod indistincte. — *Theor.* X. — Vid. *Theor.* VIII. — *Confuse* dicitur aliquid concipi quando concipitur sicut exprimitur per *nomen; distincte* vero quando concipitur sicut exprimitur per *definitionem.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 21. — Nihil concipitur distincte, nisi quando concipiuntur omnia quae includuntur in ratione eius essentiali. — *Ib.* n. 24.

Concipi conceptu proprio est multipliciter. — Aliquid *concipi conceptu proprio* potest esse *dupliciter: primo*, quando obiectum sic concipitur *sicut existit* in natura sua, et non aliter; et iste modus concipiendi aliquid *conceptu proprio* est ipsum concipere *intuitive.* — *Alio modo* potest aliquid concipi *conceptu proprio*, quando concipitur conceptu qui convenit rei *soli;* non tamen concernit talis conceptus *actualem* existentiam rei, sed abstrahit ab actuali existentia. Et iste modus concipiendi dicitur modus concipiendi *abstractivus.* — Et iste modus duplex cognoscendi maxime patet in potentiis sensitivis, scilicet in *visu*, qui cognoscit rem tantum ut *in se* existentem et praesentem; et in *imaginatione*, quae imaginatur rem non tantum praesentem, sed etiam *absentem.*

Loquendo autem de secundo modo concipiendi obiectum *conceptu proprio*, adhuc contingit aliquod obiectum concipi *dupliciter:* vel conceptu *simplici*, vel conceptu *composito*, seu multiplici; * et hoc * dupliciter: vel ita quod *totalis* conceptus correspondeat *totali* obiecto, et *particulari* parti obiecti, velut *homo albus;* vel ita quod obiectum quod concipitur concipiatur tantum concipiendo obiecta *partialia*, sicuti concipitur *mons aureus*, concipiendo *montem* per speciem *montis*, et *aurum* per speciem *auri;* et intellectus postea virtute sua activa com-

poneret istos duos conceptus partiales, sicut facit virtus phantastica. — *Miscell.* q. 5. n. 19.

Conclusio. — *Conclusio* non est nisi quaedam veritas partialis principii, quod habet quasi totalem veritatem, sicut singulare est quaedam veritas partialis respectu universalis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 17. — Conclusio * autem *, licet habeat veritatem a principio, tamen habet propriam veritatem, quia propriam conformitatem eius quod affirmatur ad existentiam rei, et ad ipsos terminos proprios conclusionis. Non enim conclusio est vera formaliter veritate principii, sed est vera veritate mediata et determinata, et ita habet veritatem determinabilem. Consimiliter multae conclusiones sequentes ordinate ex eodem principio habent veritates proprias distinctas. — Consimiliter conclusiones falsae repugnantes eidem vero habent proprias falsitates, quia proprias disconvenientias eius quod enuntiatur ad illud quod est in re. — *Quodlib.* q. 18. n. 14. — Conclusio vera non est effectus praemissarum, sed est effectus animae formantis praemissas et conclusionem, licet praemissae sint quodammodo instrumenta, quibus mediantibus anima devenit in assensum conclusionis. — *Prior. II.* q. 2. n. 6. — *Oxon.* I. d. 1. q. 3. n. 2. — Vid. *Veritas principii-conclusionis.*

Conclusionis principia tria. — *Principia conclusionis* sunt *tria:* unum *complexum,* quod est dignitas: duo *incomplexa,* ut *subiectum* et *passio,* quia ex his duobus constituitur *conclusio; in conclusione* enim praedicatur *passio* de *subiecto.* — *Poster.* I. q. 4. n. 2.

Concretio. — Vid. *Abstractio — Concretio.*

Concretio ad suppositum — ad subiectum. — Est concretio duplex: *quaedam* enim forma concernit *suppositum,* quod est eiusdem naturae; et est *alia* concretio ad *subiectum,* quod non est eiusdem naturae. — Et per hoc abstractio duplex est: scilicet *a supposito,* sicut humanitas, et alia *a subiecto,* sicut *albedo.* — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 17. n. 3. — *Ib.* lib. III. q. unic. n. 2.

* Vel aliis verbis *, *duplex* est concretum: *unum* videlicet quod *concernit subiectum,* quod est alterius naturae a forma significata; *aliud* quod concernit *suppositum.* — *Super Univers. Porphyr.* q. 16. n. 11.

Concretum primo modo signat *formam ut est in subiecto;* et tale est tantum in *accidentibus,* sicut *album* respectu *albedinis.* Secundo modo, ut est *in suppositis;* et sic est in *substantiis,* ut *homo respectu humanitatis.* — *Ib.* n. 12.

Concretum. — Nomen *concretum* non significat proprie *subiectum,* sed tantum *formam.* — *Super Praedic.* q. 8. n. 3. — *Concretum* significat *formam,* secundum quod est *in subiecto.* — *Super Univers. Porph.* q. 36. n. 4. — Vid. *Abstractum — Concretum.*

Concupiscentia dupliciter considerata. — Vid. *Peccatum originale.*

Concupiscibile — Irascibile. — Notandum, quod *concupiscibile* respicit illud, quod ex se natum est esse *conveniens,* vel *disconveniens,* ita quod nullo alio posito circa ipsum, nisi sola apprehensione facta, natus est sequi actus *delectandi* vel *tristandi,* sive *prosequendi* vel *fugiendi,* quantum est ex parte eius. Talia non respicit *irascibile;* actus enim *irascibilis* est *irasci,* quod, secundum Philosophum, II. *Rhetoricorum,* est *appetere vindictam* secundum rationem apparentem, propter apparentem parvipensionem; igitur obiectum *irascibilis* est *vindicare,* vel verius, si hoc est actus eius, *vindicabile,* seu *punibile,* quod posset dici *irascitivum,* vel usitatiori modo loquendi, *offendens;* quod offendens non dicitur statim *disconveniens concupiscibili,* sed quia *impedit* illud, quod est primo *conveniens* appetitui, puta *gustativo cibum;* prohibens autem cibum et removens *offendit* animal concupiscens. Obiectum igitur *irascibilis* est tale *offendens,* circa quod *irascibilis* habet quoddam *nolle:* non quidem proprie *refugientis, sicut concupiscibilis nolens* refugit, sed magis *respuentis* sive *repellentis,* quia *irascibilis nolens* repellit, non enim concupiscit tantum *amovere* illud impediens, sed etiam ultra *punire.*

Quia tamen eius actus est velle *ulcisci,* vel nolle, et obiectum nolitum, non punitum, est adhuc praesens, ideo semper *irasci* est

cum *tristitia,* non tantum *concupiscibilis,* sed etiam cum tristitia *irascibilis;* et hoc nonnisi tunc quando *irascibilis* habet actum imperfectum, quando scilicet *desiderat* vindicare, sed *non vindicat;* quando autem actu vindicat, tunc actus eius est perfectus, assimilatus *fruitioni* ex parte *concupiscibilis,* et tunc *irascibilis* est sine tristitia, immo est cum magna delectatione propria, secundum Aristotelem, II. *Rhetor.: Ira viri quasi mel.*

Sicut ergo *concupiscibilis* indiget *ordinari* circa ea qua sunt nata *primo appeti,* ne ea inordinate appetat, sed secundum moderamen rectae rationis, ita etiam *irascibilis* indiget *moderari* per habitum, ne immoderate velit propellere offendens et ulcisci de illo, sed moderate velit propellere propellenda, et non propellere non propellenda. Habitus autem, quo disponitur ad *propellendum* propellenda, non est nominatus, licet posset dici *bellicositas,* vel aliquid tale; habitus autem, quo disponitur ad non repellendum non repellenda, sed ad *sustinendum,* dicitur *patientia;* et quia difficilius est non repellere offendens, quam repellere, ideo patientia est *nobilissima fortitudo,* iuxta illud Poëtae: *Nobile vincendi genus est patientia;* vincit enim qui patitur.

Irascibilis igitur non habet pro obiecto arduum, sive appetibile, quod est obiectum *concupiscibilis;* sed ipsum *offendens,* ita quod actus eius adaequatus est velle *vindicare,* vel nolle *offendens:* velle quidem quasi *imperfectum,* dum *irascitur,* ante repulsionem, vel sustinentiam, quod assimilatur ei, quod est *desiderium* ex parte *concupiscibilis;* et velle vel nolle *perfectum,* quod assimilatur *fruitioni concupiscibili,* dum *moderate repellit,* vel *moderate sustinet.*

Semper quando *irascibilis* habet actum suum, sunt ibi *duo nolita:* unum *concupiscibilis,* et aliud *irascibilis,* ut in exemplo posito, *nolitum* concupiscibilis est *carere cibo;* ex qua nolitione sequitur in concupiscibili *tristitia,* qua quasi *refugit* nolitum, et *non repellit.* Est etiam ibi aliud *nolitum,* scilicet illud *quod aufert* cibum, et illud est nolitum ab *irascibili:* non actu *refugitivo,* sed *repulsivo,* et dum non actualiter repellitur, est *tristitia* propria *irascibilis.*

Patet autem, quod isti dolores, scilicet *irascibilis* et *concupiscibilis,* non sunt idem dolor; quia si offendens illud offeratur sub ratione *impossibilis* repellendi, erit maior tristitia in concupiscibili, et tamen non erit *proprie ira;* nullus enim *maxime* timens *irascitur,* secundum Philosophum, *II. Rhetoric.,* et tamen timens, *quanto magis* timet, *tanto maiorem* dolorem habet ipsius concupiscibilis *refugientis,* quod timetur; et licet aliquando doleat *irascibilis* de *non posse* vindicare, quando scilicet non est potestas vindicandi, tamen de alio dolet *concupiscibilis,* scilicet *de carentia* obiecti concupiti. Dolor etiam *concupiscibilis* fit cum *alia mutatione* organi in parte sensitiva, quam dolor *irascibilis;* quia ille concupiscibilis est cum *restrictione,* sicut delectatio opposita fit cum *dilatatione;* dolor autem *irascibilis* fit cum *calefactione,* quae est accensus sanguinis circa cor. Et ex hoc sequitur, quod *irascibilis* et *concupiscibilis* in parte sensitiva habent diversa organa, quia idem non posset moveri simul diversis motibus talibus.

In parte autem *rationali* possunt habere similem *distinctionem obiectorum,* sicut in parte sensitiva; nam voluntati est aliquid *primo delectabile,* puta bonum *sibi* conveniens *secundum se,* vel conveniens *appetitui sensitivo,* cui coniungitur in eodem supposito. Potest etiam habere voluntas obiectum *offendens,* et *secundum* rectam rationem, et *contra* rectam rationem; et respicere illud ut offendens actu nolendi *repulsivo* et *imperioso.* Non tamen est tanta distinctio horum in voluntate, quanta est in appetitu sensitivo, quia voluntas non est organica. Nec oportet dicere magis, quod alterum istorum sit *vis,* et alterum *potentia,* quam e converso; sed sicut *ratio* distinguitur in portionem *superiorem* et *inferiorem* per comparationem ad obiecta diversa, et tamen est simpliciter eadem potentia, * ita in proposito *.

His suppositis de *irascibili* et *concupiscibili,* redeo ad *virtutes* * hos appetitus regulantes *. Et dico, quod proprius habitus *perfectivus concupiscibilis* est *temperantia,* et proprius *perfectivus irascibilis* dicitur

fortitudo in communi; et hoc loquendo de habitibus *acquisitis*, et non *infusis;* ambae autem *infusae* perficiunt *concupiscibilem*, quia Deus, quem habent pro obiecto, est tantum *volibilis*, et *non nolibilis*. Et si utraque istarum specierum intermediarum, tam scilicet *fortitudo* quam *temperantia*, possint subdividi, tamen in connumeratione virtum *cardinalium* remanent *indivisae* (1).

Ulterius notandum est, quod tres virtutes morales acquisitae, scilicet *fortitudo*, *temperantia*, et *iustitia*, sunt genera *intermedia;* nam prima concupiscibilia videntur esse duo, scilicet: *honor*, et *voluptas* vel *delectatio* stricte sumpta. Aliter ponitur, quod primo *bonum* est conveniens; et hoc vel *honestum*, vel *delectabile*, sive etiam *utile;* sed *utile* non potest esse primo motivum ad concupiscendum, quia non concupiscitur nisi in ordine ad aliud (2). Idem concludit illud *I. Ioan. 2* (3): *Omne quod est in mundo*, etc. Nam *concupiscentia oculorum*, quae scilicet respicit divitias, non potest esse prima, loquendo de divitiis, inquantum sunt bonum *utile*, et non *delectabile*. Quod si loquamur de divitiis, inquantum sunt *pulchrae*, hoc est, inquantum sunt bonum *delectabile*, sic possunt primo concupisci, sicut aliquid pulchrum visibile, ita quod prima concupiscibilia, ut dictum est, a natura rationali sunt *honor* et *delectatio stricte* sumpta. Igitur primae species temperantiae, quae moderantur circa concupiscibilia, erunt duo: quia quae moderatur circa honores dicitur *humilitas*, quae circa voluptates retinet nomen generis, * idest *temperantiae* *; et quot possunt esse voluptates distinctae, circa quas voluntas moderatur, tot possunt esse *species* illius temperantiae, quae moderatur ipsas voluptates, puta altera circa *gustabilia*, altera circa *tangibilia*. Nec solum de voluptatibus *sensitivis*, quibus delectatur voluntas coniuncta, sed etiam de voluptatibus *propriis ipsi voluntati*, ut voluntas est. Unde voluntas Angeli potest appetere bonum *delectabile*, licet non habeat appetitum sensitivum coniunctum.

Quae autem sunt *species fortitudinis*, non oportet ad propositum ita explicare; quia non tangitur inter alia nisi *fortitudo in se*, vel *patientia*, quae, ut dictum est, est *nobilissima fortitudo*, quae non repellit repellenda, ita quod pati est quoddam permittere; et si diceretur de permissione, quod sit actus positivus, *velle* scilicet vel *nolle*, vel forte nihil velle, vel non impedire, ita diceretur qualis actus sit pati in voluntate respectu terribilis. — *Oxon.* III. d. 34. nn. 10-17. — *Report. ib.* a n. 6.

Condensatio — Rarefactio. — *Condensatio* dicitur *quando aliquod corpus fit minus sine recessu alicuius partis ab eo.* — *Et rarefactio* dicitur *quando aliquod corpus fit maius non adveniente aliquo alio ab extrinseco.* — Et differunt ab *augmentatione*, et *diminutione;* nam *augmentatio* fit *adveniente* aliquo corporeo, et *diminutio recedente*, ut patet *II. de Generatione*, text. 38.

Tripliciter invenitur *condensatio: quaedam* violenta, quae fit per solam *compressionem* corporis condensati, ut si comprimatur terra. — *Alio modo* fit condensatio mediante *alteratione* praevia sine generatione. — Et *tertio modo* mediante *generatione*. — *Physic.* IV. q. 14. n. 4.

Conditio individualis. — Vid. *Conceptus universalis duplex.*

Conductio. — Vid. *Dominii translatio.*

Confessio laudis — fraudis. — *Duplex* est *confessio*, scilicet: *fraudis*, et *laudis*. Confessione *laudis* nullus digne potest confiteri, nisi actu suscitetur per gratiam, quia dignus Dei laudator non est aliquis, nisi amicus * aliqualiter * eius per gratiam; sed confessione *fraudis* suae et peccatorum suorum potest aliquis confiteri, etsi non prius actu suscitetur per gratiam, dummodo habeat votum, et desiderium suscitari. — *Report.* IV. d. 14. q. 4. n. 13. — *Oxon.* ib. n. 9.

Confirmatio in gratia duplex. — Aliquis potest dici *confirmatus in iustitia*, vel quia *non potest peccare*, eo modo quo non posse peccare potest creaturae competere; vel quod *non peccat*, vel *non peccabit*, sicut de mul-

(1) Vid. *Virtutes praecipuae.*

(2) Vid. supr. *Bonum honestum — utile — delectabile.*

(3) v. 16.

tis viatoribus sanctificatis in utero. — *Oxon.* II. d. 20. q. 1. n. 2. — *Report.* ib.

Confirmatio (Sacramentum). — Primo ponenda est interpretatio et significatio *nominis* per descriptionem vel definitionem eius, quae talis est: *Confirmatio est unctio non inviti cum chrismate sanctificato per Episcopum, facta in fronte signo crucis, a ministro idoneo, simul inungente, et verba cum intentione debita proferente, signans ex institutione divina unctionem animae interiorem, roborantem eam per fidem interius ad confitendum constanter fidem Crucifixi* (1).

In hac descriptione primo ponitur *materia propinqua* et *remota. Propinqua* autem est ipsa *unctio* corporis exterior, sicut materia *propinqua* Baptismi est *ablutio* corporis in aqua, et *non ipsa aqua sola;* et similiter hic *unctio* facta in fronte cum chrismate sanctificato ab Episcopo est materia *propinqua Confirmationis.* Materia vero *remota* est *chrisma* factum ex oleo olivae et balsamo, non absolute, sed *sanctificatum ab Episcopo,* si solus Episcopus hoc potest, vel * ab alio * si alius, cui ab eo * vel Papa * potest committi; sicut in Baptismo materia *remota* est *omnis aqua* in specie aquae. — *Report.* IV. d. 7. q. 1. nn. 1. 2.

Materia autem *remota,* scilicet *chrisma,* habet similitudinem cum effectu huius Sacramenti; *oleum* enim *nitorem* habet, et *supereminet* caeteris liquidis, et est materia proxima *incendii.* Per primum significat *castitatem,* vel *munditiam:* per alia duo significat *charitatem.* Et *balsamum,* quod habet *bonum odorem,* significat *bonam famem,* iuxta illud *II. Corin., 2* (2): *Christi bonus odor sumus Deo.* Balsamo etiam corpora mortuorum condiuntur, *ne putrefiant,* ideo significat *incorruptionem.* Per illam ergo materiam, scilicet *chrisma* confectum ex *oleo* et *balsamo,* significatur, quod qui confirmatur debet habere *munditiam,* et *charitatem,* et *bonam famam;* quia sine istis non est multum authentica confirmatio fidei Christianae. — *Oxon.* IV. d. 7. q. 1. n. 2.

Forma vero huius sacramenti exprimitur per verba certa, quae sunt ista: *Signo,* vel *consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris* ✠, *et Filii* ✠, *et Spiritus* ✠ *Sancti.* Sed est ne haec *praecisa* forma Confirmationis? Dico quod sic. — *Report.* ib. n. 4.

Minister hic exprimitur, cum dicitur *a ministro idoneo* (1).

Ex parte *suscipientis* vero ponitur in hac definitione, quod sit *hominis non inviti,* sicut in Baptismo, et est exponendum sicut de veraciter accedente ad Baptismum (2).

Sed istud *ex institutione divina signans,* ponitur ut signum *ad placitum,* tamquam *genus;* caetera vero ibi posita sunt respectu huius quod est *ex institutione significans.*

Et ista descriptio *Confirmationis* comprehendit totam materiam de *Confirmatione;* et potest per eam responderi ad diversas quaestiones, sicut per eam de Baptismo. — *Ib.* n. 8. — *Oxon.* ib. a n. 1.

Confusum. — Illud est *confusum* quod est *indistinctum, distinguibile* tamen, sicut *genus.* — *De Anima* q. 16. n. 2. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 21. — Vid. *Concipi primo — non primo,* etc.

Congruitas orationis. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 217. seqq.

Coniunctio. — Vid. *Grammat specul.* nn. 170. et seqq.

Coniunctio causalis. — Vid. *Grammat. specul.* n. 173.

Coniunctio copulativa. — Vid. *Grammat. specul.* n. 172.

---

(1) Vel aliter: « *Confirmatio* seu *Sacramentum Confirmationis est unctio hominis viatoris, aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam usi, facta in fronte, in figura Crucis, cum chrismate sanctificato, et hoc a ministro idoneo, simul cum intentione debita inungente et verba certa proferente, significans efficaciter ex institutione divina unctionem animae per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi* ». — *Oxon.* IV. d. 7. q. 1. n. 1.

(2) v. 15.

(1) « Minister est Episcopus, vel alius, cui committi potest; ideo dicitur in generali: *a ministro idoneo* ». — *Oxon. ib.* n. 2.

(2) Vid. *Baptismus.* — « Suscipiens est homo viator, aliqualiter consentiens ». — *Oxon.* loc. cit.

Coniunctio disiunctiva. — Vid. *Grammat. specul.* n. 172.

Coniunctio expletiva. — Vid. *Grammat. specul.* n. 173.

Coniunctionis potestas. — Vid. *Grammat. specul.* n. 171.

Coniunctio per vim — per ordinem. — Vid. *Grammat. specul.* n. 172. et seqq.

Coniunctio rationalis. — Vid. *Grammat. specul.* n. 173.

Consanguinitas — Affinitas — Honestas publica — Cognatio spiritualis. — *Propinquitatum* quae impediunt Matrimonium quaedam est propinquitas *carnalis proprie* dicta, quae dicitur *consanguinitas;* quaedam *minus proprie* dicta, et vocatur *affinitas;* tertia est propinquitas *spiritualis,* et non carnalis, per Sacramentorum dispensationem vel collationem contracta, et haec dicitur *cognatio spiritualis.*

Circa *primam* propinquitatem, quae dicitur *consanguinitas,* primo pono definitionem *consanguitatis,* quae breviter est *quoddam vinculum personarum ab eadem persona vel stipite descendentium carnali propagine contractum.*

Secundo dico, quod prima persona in isto processu carnali vocatur *stipes,* respectu cuius est *consanguinitas,* et *linea* graduum *ascendentium* ad primum, vel ab ipso *descendentium.* Pater enim in linea *descendente* est *truncus,* et *filius* additur ei, et distat ab eo *primo* gradu, et *nepos* in *secundo* gradu. In linea *ascendente filius* est *truncus,* et *pater* additur ei, et distat ab eo in *primo* gradu, *avus* in *secundo,* et sic de aliis.

Tertio dico, quod *linea consanguinitatis est ordinata collectio personarum consanguinitate vinctarum procedentium ab eodem stipite, habens diversos gradus, et eos ab unitate stipitis secundum numerum distinguens.* Haec autem linea posset *tripliciter* dividi: nam *quaedam* est linea personarum *descendentium* a prima persona, et a stirpe *directe; quaedam* autem est linea *directe ascendentium* ad primum; et *quaedam* est linea *transversalis* personarum inter se, sed non absolute, sed *in camparatione* ad eum, a quo aequaliter distant et attinent.

Secundum autem lineam *ascendentem* a propagato ad propagantem computatur, sicut *pater* et *mater, avus* et *avia, proavus* et *proavia, atavus, atavia.* Secundum lineam *descendentem,* a propagante ad propagatum computatur, sicut *filius* et *filia, nepos* et *neptis, pronepos* et *proneptis, abnepos, abneptis;* et *eadem* est linea *ascendentium* et *descendentium,* quia inter *eadem* extrema, sicut eadem est via ab Athenis ab Thebas, et e converso. *Alia* tamen et *alia* est *habitudo* inter personas *ascendentes* et *descendentes,* quia *aliae* et *aliae* sunt personae; et tam in linea *ascendente,* quam *descendente* potest computari * a propagante * ad propagatum, vel e converso, *immediate,* vel *mediate. Immediate* in linea *ascendente* a propagato ad propagantem, *pater, avus, abavus; mediate, avus, abavus.* — Similiter in linea *descendente* a propagante ad propagatum potest computari *immediate* vel *mediate. Immediate,* sicut *filius, nepos, pronepos,* etc.; *mediate, nepos,* etc.

Secundum vero lineam *transversalem* computantur personae *propagatae;* sic *filii* duorum fratrum, *nepotes* duorum fratrum; et hoc potest fieri *immediate,* et *mediate,* sicut in linea *ascendente* et *descendente,* sicut patebit. — Linea autem *transversalis* dicitur, *quando neutra personarum est ab alia, sed ambae a tertia, ut stipite communi;* et hoc vel *immediate,* et sic sunt in *eadem* linea *transversali* aequaliter *duo fratres,* vel *frater* et *soror,* vel *filii duorum fratrum,* quae aequaliter distant, et sunt ab eodem patre; vel *aequaliter,* licet *non immediate,* et sic sunt in linea *transversali* duo *nepotes* respectu unius avi; vel procedunt ab eodem stipite *inaequaliter,* et sic sunt in ista linea inaequaliter, ut *filius* et *consanguineus germanus.*

Quarto dico, quod *gradus est determinata propinquitas personae ad personam procedentem ab eadem persona ex carnali propagatione proveniens;* quia determinata propinquitate cognoscitur quanta generationis distantia duae personae distent inter se. Unde *proprie* accipiendo *gradum,* non est nisi inter illos de linea *ascendente*

et *descendente*, propagatum et propagantem, inferiorem et superiorem, et e converso, quantum ad situm rectum in linea recta. Tamen *generaliter* accipiendo *gradum*, licet iste qui est propinquus alteri in linea *transversali* proprie non sit inferior eo, quia non descendit ab eo, tamen est ab aliquo alio, qui est eiusdem situs cum illo, quomodo scilicet iste est in simili gradu, vel in situ in illa linea, in quali gradu est alius in illa linea.

Et ex hoc sequitur quoddam *corollarium*, scilicet quod gradus in linea *recta virtuosior* (1) sit, quam in linea *transversali*. Patet de *fratre* et *sorore*, qui sunt eiusdem gradus in linea recta ad *patrem*, quia aequaliter distant a *patre; propinquius* tamen se habet *frater* ad *patrem*, quam ad *sororem*, quia primo consideratur idem gradus in linea *recta;* secundo idem gradus in linea *transversali*. Et ex hac maiori propinquitate *filii* ad *patrem* vel *matrem*, quam ad *sororem*, propter virtuositatem gradus in linea *recta* maiorem quam in linea *transversali*, sequitur quod in lege naturae potuit esse et fuit necessario contractus * matrimonialis * cum *sorore*, non autem cum *matre*.

Secundum corollarium est, quod in linea *ascendente* et *descendente tot sunt gradus, quot personae, una minus*. Ratio huius est, quia tot sunt generationes, quot sunt personae, una generatione minus, quia prima persona supponitur ingenita; igitur si Enoch fuit septimus ab Adam, non sunt nisi sex generationes ab Adam usque ad Enoch, quia Adam supponitur primus et ingenitus; igitur cum *gradus* sit propinquitas determinata inter personas procedentes a prima, tot erunt quot personâe, una minus. In linea autem *transversali*, si duo *aequaliter* se habeant ad *stipitem*, tunc idem est iudicium de gradu illorum, sicut de gradu in linea *recta*, quia aequaliter distant a *stipite*, et a *tertio*, et neuter est alio propinquior. Si autem *non aequaliter* se habeant ad *tertium*, et ad *stipitem*, verbi gratia, una persona * sit * in *quarto* gradu, alia in *secundo*, vel *primo* gradu *consanguinitatis*, tunc computatur *gradus* ille inter illos, qui sunt in tali linea, per respectum *ad remotiorem a stipite*. Et ratio huiùs est, quia * « personae quae sunt in linea *transversali* non habent inter se propinquitatem, nisi *ratione stipitis;* et ideo non possunt inter se propinquius coniungi quam remotior eorum coniugatur *stipiti* (1) » *. De hoc habetur *Extra, de consanguinitate cap. ultimo*.

Tertium corollarium, vel *regula* est talis, quod *quoto gradu remotior distat a stipite, tanto distat a quolibet alio in linea transversali non magis remoto, vel * non * magis distanti;* et ratio huius apparet ex regula praecedente, quia sibi invicem non attinent, nec coniunguntur *nisi per stipitem*.

Quartum corolliarum vel *regula* est de potentibus contrahere Matrimonium in his gradibus. *Nimia* propinquitas in *consanguinitate* impedit Matrimonium, etiam ex dictamine *Iuris naturae;* aliqua ex dictamine *Legis divinae;* aliqua ex dictamine *Ecclesiae*.

Ex dictamine *Legis naturae* probibetur Matrimonium *filii* cum *matre*, et *filiae* cum *patre;* unde in *Lege naturae* dictum est *Genes*. (2): *Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae;* ubi satis expresse dat intelligere, quod nec *patris* ad *filiam*, nec *matris* ad *filium* debet esse coniugium, quia si sic, tunc non *relinqueret* homo *patrem* et *matrem* celebrando vel contrahendo Matrimonium. * « Et non inteltelligitur tantum de patre proximo, sed de quocumque in linea *recta*, ita quod si Adam hodie viveret, non posset ducere aliquam uxorem (3) » *.

Ex Lege etiam *divina* prohibentur consanguinei in *primo* gradu et *secundo*, sicut patet *Levit*. c. 18 (4); cuius ratio est, quia si tales personae possent matrimonialiter copulari, facilius daretur incentivum luxuriae, eo quod tales personae frequenter solent in eadem domo cohabitare.

---

(1) « Efficacior ». — *Oxon*. IV. d. 40. n. 3.

(1) Ex *Oxon*. IV. d. 40. n. 3.
(2) Cap. II. v. 24.
(3) Ex *Oxon*. d. 40. n. 4.
(4) VV. 6 et seqq.

Ex *statuto* autem *Ecclesiae* prohibentur modo consanguinei contrahere etiam in *tertio* et *quarto* gradu * collaterali « propter pacem et amicitiam servandam in Ecclesia; usque enim ad *quartum* gradum manet amicitia ratione *consanguinitatis*, et ex tunc incipiunt esse quasi *extranei*, et amore contepescere, et ideo congruum est tunc per vinculum coniugalem tepescentem amicitiam revocare (1) » *. In aliis autem gradibus usque ad *septimum* olim prohibebantur nubere; sed Innocentius III restrinxit usque ad *quartum* gradum, et extra illum concessit Matrimonia posse celebrari.

Affinitas non *est* nisi *quaedam propinquitas, vel coniunctio contracta coniugis ad consanguineam alterius coniugis* (2). Unde *affinitas* dicta est quasi *accessio ad fines* alterius, id est, ad terminos suae cognationis; et secundum hoc dico, quod *affinitas habet tot gradus in linea recta, quot habet consanguinitas;* quia in *quoto gradu consanguinitatis* distat aliquis ab uno coniuge, in *tali gradu affinitatis* distat ab eodem. Haec sit *prima regula de affinitate.*

Secunda regula est ista, quod *in quoto gradu consanguinitatis prohibetur Matritrimonium, in eodem gradu affinitatis similiter prohibetur Matrimonium.* Vel sic: *in quocumque gradu impedit Matrimonium contrahendum consanguinitas, in eodem impedit et affinitas,* * scilic. usque ad *quartum gradum*, si proveniat ex copula licita; usque ad *secundum* vero, si ex *illicita* *.

Dico etiam ulterius, quod in *sponsalibus*, et in Matrimonio *non consummato* est aliud impedimentum, de quo adhuc nihil dixi, quod dicitur *iustitia publicae honestatis,* oriens ex istis sponsalibus. Unde non est *affinitas* Matrimonii inter contrahentes sponsalia, sed quaedam *alia* propinquitas, et ideo est *aliud* impedimentum, quam *affinitas*. Et de hoc impedimento est regula, quod nullus consanguineus sponsi potest ducere sponsam aliquam illius consanguinei, nec consanguinea sponsae illum (1); nec est alia ratio, nisi quia est quaedam *honestas* contenta sub iustitia *publicae honestatis.*

De *cognatione spirituali* dico, quod est *propinquitas quaedam personarum contracta ex collatione Sacramentorum Baptismi et Confirmationis, et ex hoc quod aliquis tenet suscipientem ad recipiendum haec Sacramenta.*

Et haec propinquitas, si *praecedit* contractum Matrimonium, impedit contrahendum; et dirimit contractum * cum tali propinquitate *. Si autem *superveniat* iam contracto, non dirimit, sicut patet *Extra, de cognatione spirituali* (2); *cap. Veniens, et in 6. libro in illo titulo,* ubi additur, quod cognatio spiritualis in dando vel tenendo catechumenum impedit Matrimonium.

Ratio autem quare haec cognatio *spiritualis* impedit Matrimonium, et dirimit contractum, potest esse talis: Sicut homo per *carnalem* generationem accipit esse *naturae*, ita per regenerationem *spiritualem* accipit esse *gratiae;* igitur sicut per generationem *carnalem* contrahit generans cum parentibus vinculum cognationis *carnalis*, ita per regenerationem *spiritualem* contrahit regeneratus cum dante Sacramentum, qui tenet vicem *patris*, et cum tenente ipsum ad recipiendum illud Sacramentum, qui tenet vicem *matris*, quamdam cognationem *spiritualem;* et ideo sicut cognatio *carnalis* impedit, ita cognatio *spiritualis.*

Haec autem propinquitas cognationis spiritualis oritur inter baptizatum et baptizantem, et illum, qui tenet eum ad Baptismum, et inter patrem et matrem baptizati, fratres et sorores eius ad illos, qui tenuerunt eos ad Baptismum (3). Eodem modo

---

(1) Ex *Oxon.* loc. cit. n. 5.

(2) Vid. *Affinitas.*

(1) Quod post Tridentinum ita intelligendum venit: Sponsalia *invalida* nullum afferunt impedimentum; valida *de futuro* dirimunt usque ad *primum* gradum dumtaxat; sponsalia de *praesenti* et Matrimonium *ratum,* etiam invalidum, nisi defuerit consensus, dirimunt usque ad *quartum* gradum.

(2) Ubi legitur: *Si vir vel mulier ignoranter ex sacro fonte susceperint..., Nobis videtur quod sive ex ignorantia, sive ex malitia fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debet debitum subtrahere.*

(3) Post Trident. haec tenenda: « Baptizans et e fonte levans hanc cognationem contrahunt cum bapti-

de Confirmatione(1). — *Report.* IV. d. 42. n. 28. seqq. — *Oxon.* IV. d. 40. 41. 42, per tot.

Consequenter. — Vid. *Simul* — *Seorsum.*

Consequentia. — *Consequentia est propositio hypothetica, composita ex antecedente et consequente, mediante coniunctione conditionali, vel rationali, quae denotat, quod impossibile est, ipsis, scilicet antecedente et consequente, simul formatis, quod antecedens sit verum, et consequens falsum;* et tunc si ita sit sicut ista coniunctio denotat, tunc *consequentia* est *bona;* et si non, tunc *consequentia* non valet. Et dico notabiliter, quod *antecedens sit verum;* et non debet dici, quod antecedens *possit* esse verum, quia in hac propositione, *omnis propositio est affirmativa; igitur nulla est negativa,* antecedente et consequente simul formatis, antecedens *potest* esse verum, et consequens *non potest* esse verum. Tamen impossibile est, quod antecedente et consequente simul formatis, antecedens sit verum, et consequens falsum. — *Prior. I.* q. 10. n. 7. — Ad hoc quod consequentia sit bona, oportet quod *consequens virtualiter* includatur in *antecedente,* et non sub *propria* ratione. — *Elench.* q. 11. n. 5.

Consequentiae necessitas. — Vid. *Necessitas consequentis,* etc.

Consequentia formalis — materialis. — Consequentia sic dividitur: quaedam est *materialis,* quaedam *formalis.* Consequentia *formalis* est illa, *quae tenet in omnibus terminis, stante consimili dispositione, et forma terminorum.* Et vocantur *termini* in proposito *subiecta* et *praedicata* propositionum, vel *partes* subiecti, et praedicati, * quae sunt *materia* syllogismi *; sed ad *formam* consequentiae pertinent omnia *syncategoremata,* posita in consequentia, ut *coniunctiones,* signa *universalia, particularia, negationes,* et huiusmodi. — Secundo ad *formam* consequentiae pertinet *copula* propositionis; et ideo non est *eadem forma* consequentiae ex propositionibus, quarum copula est de *inesse,* et quarum copula est de *modo.* — Tertio ad *formam* pertinet *multitudo* praemissarum, *affirmatio* et *negatio* propositionum, et huiusmodi; et ideo non est *eadem forma* arguendi ex *affirmativis* et *negativis,* et ita de aliis.

Consequentia *formalis* subdividitur, quia *quaedam* est, cuius antecedens est una propositio *categorica,* ut *conversio, aequipollentia,* et huiusmodi; *alia* est, cuius antecedens est propositio *hypothetica.* Et quilibet istorum *modorum* potest subdividi in *plures* alios modos.

Sed consequentia *materialis* est illa, *quae non tenet in omnibus terminis, retenta consimili dispositione, et forma,* ita quod non fiat variatio nisi terminorum. Et talis est duplex; quia quaedam est vera *simpliciter,* et alia est vera *ut nunc.* Consequentia vera *simpliciter* est illa, *quae potest reduci ad formalem, per assumptionem unius propositionis necessariae;* et sic ista est consequentia *materialis* bona *simpliciter: Homo currit; igitur animal currit,* et reducitur ad *formalem* per istam necessariam, *omnis homo est animal.* Et ista subdividitur in *multa* membra, secundum diversitatem *locorum* dialecticorum. — Sed consequentia *materialis* bona *ut nunc* est illa *quae potest reduci ad formalem per assumptionem alicuius propositionis contingentis verae;* et sic posito quod *Socrates* est *albus,* ista consequentia est bona *ut nunc: Socrates currit; igitur album currit,* quia reducitur ad *formalem* per istam contingentem, *Socrates est albus.*

Patet igitur quid sit consequentia, et qualiter dividatur. — *Prior.* I. q. 10. n. 8-9. — *Ib.* II. q. 3. n. 2. — *Physic.* I. q. 2. n. 2. — Cf. *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 11.

Consequentia multiplex. — Quaedam est consequentia *enthymematica* (1), et quaedam *syllogistica.* — Consequentiarum *enthymematicarum* quaedam sunt *formales,* quae-

zato ipsiusque patre et matre; nec ultra amplius se extendit ».

(1) Prout nempe praeced. *nota* dictum est de Baptismo.

(1) « Multae consequentiae enthymematicae tenent non praecise virtute alicuius verae subintellectae, sed quandoque virtute alicuius falsae subintellectae, dum tamen includatur in antecedente ». — *Oxon.* II. d. 2. q. 11. n. 7.

dam *materiales.* — *Materialium* quaedam sunt *simplices*, quaedam *ut nunc.* — *Prior.* I. q. 20. n. 2.

Conservare — Creare. — *Conservari* continue a Deo est continue causari. — *Oxon.* II. d. 5. q. 2. n. 4.

Dici potest, quod idem est respectus * realis * creaturae ad Deum ut *creantem*, et *conservantem.* — *Quodlib.* q. 12. n. 2, *ubi hoc solide probat.* — Cum isto * tamen * respectu * reali * creaturae habentis esse ad Deum, ut *a quo* habet esse, possunt *concurrere* diversi respectus. Idem enim esse quandoque *immediate* succedit *non esse,* sicut in instanti in quo res incipit esse; quandoque autem *non immediate* succedit ipsi non esse, sed quasi eidem esse ut *prius habito,* ita intelligendo, quod licet non sit ista prioritas in ipso esse secundum se, tamen dicitur esse in ipso per comparationem ad aliud prius secum coëxistens.

Primus respectus, qui scilicet est ipsius esse ad non esse praecedens, non est *realis,* quia non est ad terminum positivum. — *Secundus* autem, qui est ipsius esse ad esse idem quasi praeexistens, vel magis cum alio priori existens, non est *realis,* pro quanto est eiusdem ad idem. Respectus autem ipsius esse ad causam, a qua est, est *realis;* igitur neuter illorum respectuum est idem illi.

Contingit tamen eadem voce multa distincta aliqualiter importari. Sicut ergo potest imponi aliquid ad significandum dependentiam ipsius esse ad causam, non praecise, sed ut est cum respectu ad non esse immediate praecedens, et sic significat haec vox *creari* vel *creatio,* quia ibi non tantum notatur dependentia rei ad causam in essendo, sed ultra hoc in accipiendo tunc primo illud esse post non esse, potest etiam aliqua vox imponi ad significandum illam dependentiam, ut est cum secundo respectu, scilicet ut est ipsius esse ad seipsum quasi praehabitum, et sic imponitur haec vox *conservari,* ubi non tantum notatur dependentia in essendo, sed cum hoc habitudo illius esse quasi ad idem esse ut praehabitum. — *Ib.* n. 7.

Pro tanto igitur non est verum dicere de creatura, quod *creatur* proprie, nisi in primo instanti, quia non nisi in illo habet immediatum ordinem ad non esse praecedens; nec est verum dicere, quod *conservetur,* nisi post primum instans, quia non nisi tunc habet immediatum ordinem ad seipsum quasi praehabitum.

Propter igitur istos distinctos respectus rationis importatos per *creari* et *conservari,* non praedicatur unum de re quando aliud praedicatur; respectus tamen ille qui est ad *causam* semper manet idem; et si iste praecise significaretur duabus vocibus, utraque simul vere praedicaretur de eodem, sicut hoc quod est *esse* ab alio dante esse, et hoc quod est *accipere* esse ab alio, praecise significant illam habitudinem, non intelligendo ibi dare vel accipere novitatem, nec illam important.

Nec curo disputare de significato huius vocis *creari,* an per se significet respectum ad creationem, et connotet respectum ad non esse praecedens; an e converso illum per se significet, et illum connotet ad causam; an utrumque significet, et tunc non significat conceptum per se unum, sed duos respectus, et unus est *realis* et alius *rationis,* qui non faciunt conceptum per se unum; quia quodcumque istorum trium detur, hoc saltem salvatur, quod uterque respectus aliqualiter importatur; praecise tamen propter illum qui est *rationis,* negatur idem simul *creari* et *conservari.* — *Ib.* n. 8.

* Itaque * cum dicitur, *conservare* et *creare* sunt idem, vel *fieri* et *conservari,* posset concedi uno modo; alio tamen modo differunt, quia *conservatio* est datio *esse* in comparatione ad *tempus,* non tamen in comparatione ad *aeternitatem,* cum in tali mensura non sit prius. Sed *creatio* est datio *esse* post *non esse,* quod *non esse* praecedit *esse natura* vel *duratione.* Et sic patet qualiter *fieri* non solum est respectu *habendi,* sed respectu *habiti conservandi* etc. — *Report.* II. d. 1. q. 4. n. 7. — *Creari* est produci de *non esse* ad *esse; conservari* autem est ipsius praehabiti *esse,* et ita *creari* non est *conservari.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 6. — Vid. *Mutatio triplex* = *Creare* = *Creatio,* etc.

Consilium. — Vid. *Voluntas in Deo multipliciter accipitur.*

Constantia subiecti. — Intelligo *constantiam subiecti* * in propositione * *consistentiam* sive *convenientiam* requisitam ad hoc quod aliquid sit *subiectum.* Hoc autem est, quod oratio *non sit in se falsa,* includens contradictionem. — *Report.* I. d. 21. n. 10.

Constructio. — Vid. *Grammat. specul.* n. 185. et seqq.

Construi a parte ante — a parte post. — *Construi a parte ante* nihil aliud est, quam quod modi significandi dictionis correspondeant modis significandi ipsius verbi, qui debentur ei per comparationem quam habet ad substantiam, a qua actus egreditur *a parte ante.* — Et similiter *construi a parte post* nihil aliud est, quam quod modi significandi dictionis correspondeant modis significandi ipsius verbi, qui ei debentur per comparationem ad substantiam, a qua actus egreditur *a parte post.* — *Elench.* q. 20. n. 4.

Consuetudo. — *Consuetudo* est quaedam natura, et vertitur in naturam. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. II. S. unic. c. 3. n. 22.

Contactus virtualis. — *Contactus virtualis* est, quod aliquid in isto possit esse *terminus virtutis* in illo; quod nihil est aliud, quam illud *habere virtutem causativam alicuius in illo.* — *Oxon.* IV. d. 44. q. 2. n. 17.

Contemplatio. — Contemplatio, secundum Augustinum, non est nisi actus portionis superioris respiciens aeternum. — *Oxon.* II. d. 25. n. 2.

Contemptus praecepti vel consilii duplex. — Statutum vel praeceptum alicuius *dupliciter* potest *contemni:* uno modo *negative,* quia *non observatur:* alio modo *contrarie,* quia *impeditur,* et *reprobatur* tanquam stultum, malum et inane. — *Consilium* primo modo non contemnitur * eo quod * non observatur, quia nullus tenetur de necessitate ad eius observationem, *inquantum consilium;* sed consilium *contemnitur* secundo modo, inquantum tanquam *irrationale* et *malum* reprobatur et deridetur. Quem contemptum credo esse peccatum mortale, * dum agitur de consilio dato a Deo *; quia non video quod possum contemnere et reprobare consilium, tanquam malum et fatuum, nisi contemnam et reprobem consulentem, ut huiusmodi.

Praeceptum autem utroque modo contemnitur, et quando *non servatur,* et quando *reprobatur;* quod non contingit fieri, sine peccato mortali, * quando agitur de praecepto divino *; quia qui contemnit mandatum, similiter et mandantem. — *Report.* IV. d. 3. q. 4. n. 7.

Continentia unitiva. — Secundum Dionys. 5. c. *de Div. Nom.*, *continentia unitiva* non est eorum quae *omnino sunt idem,* quia illa *non uniuntur;* nec est eorum quae *manent distincta ista distinctione, qua fuerunt distincta ante unionem;* sed quae *sunt unum realiter, manent tamen distincta formaliter,* sive quae sunt *idem* identitate *reali, distincta* tamen *formaliter.* — Huiusmodi autem contenta sunt in *duplici* differentia: quia quaedam sunt *de natura continentis,* ut quaecumque sunt superiora ad continens, verbi gratia, ab *eadem* re accipitur ratio *albedinis, coloris, qualitatis sensibilis,* et *qualitatis;* et haec sunt superiora ad *hanc* albedinem, et ideo omnia sunt *de essentia eius.* — Alia sunt contenta in aliquo unitive, quasi posteriora, quia *quasi passiones continentis,* nec sunt res aliae ab ipso continente. Isto modo *ens* continet multas passiones, quae non sunt *res aliae* ab ipso ente, ut probat Aristot. in *prin. IV. Metaph.;* distinguuntur tamen *ab invicem formaliter* et quidditative, et etiam *ab ente.* — *Oxon.* II. d. 16. n. 17. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IV. q. 2. et 13.

Contingens. — *Contingens* est cuius oppositum *potest fieri* quando illud fit. — *De Primo Principio,* c. 4. n. 6. — Quod autem necessario, etiam necessitate consequentiae, est conforme necessario non potest esse contingens. — *Oxon.* I. d. 38. n. 3.

Contingens nunquam est formaliter contingens nisi *quando est;* ideo contingens quando est, contingenter est. Non tamen loquor in sensu *compositionis;* non enim omne ens est quod est necessarium. Unde sicut antequam sint, quaedam sunt contingentia, et quaedam necessaria, sic etiam quando sunt,

quaedam sunt contingenter, et quaedam necessario. (Cf. *Oxon.* I. d. 39). Unde non est ratio quare contingentia sunt contingentia, quia eorum causa duratione praecessit, sed quia causa quando causat *contingenter causat.* — *Oxon.* III. d. 18. n. 17. — * Ideo * illud non est contingens propter habitudinem sui in aliquam causam, ad cuius eventum causa superior est determinata, cuius causae determinationem necessario sequitur determinatio omnium causarum inferiorum. *Exemplum:* si voluntas mea esset modo *determinata ad unam partem*, de scribendo cras, et non esset impedibilis, nec mutabilis, non esset meum *scribere cras* contingens ad utrumlibet ex habitudine sui ad manum; quia sicut voluntas est determinata modo ad alteram partem, ita in ipsa virtualiter sunt omnes causae inferiores * determinatae * ad idem. Et similiter ex quo illud determinatum est, ad cuius determinationem effectus non est simpliciter indeterminatus ad utrumque, saltem non est eius esse contingens propter potestatem causae inferioris. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 3.

Contingens multiplex. — Hoc nomen *contingens* capitur *dupliciter: uno modo,* ut convertitur cum *possibili;* et isto modo sumendo, *omne illud est contingens, quod non est impossibile;* et sic propositiones *de contingenti* non convertuntur in oppositam qualitatem, quia non sequitur: *Deum contingit esse iustum; igitur Deum contingit non esse iustum.* — *Alio modo* accipitur *contingens* prout restringitur ad *possibile non necessarium;* et sic sumit Aristoteles *contingens* ubi dicit, quod *contingens est quo non existente necessario posito in esse, nullum sequitur impossibile.* — *Prior.* I. q. 30. n. 2. — Et tunc dividitur in contingens *ut in pluribus,* et in contingens *raro,* et in contingens *aequaliter,* quod vocatur contingens *ad utrumlibet.* — *Physic.* II. q. 12. n. 9.

Contingenter fieri aliquid est multipliciter. — Voco *contingenter causatum* * illud * cuius oppositum posset fieri quando illud fit. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 21. — * Vel * voco contingenter evenire, evitabiliter evenire. — *Ib.* II. d. 25. n. 22.

Aliquid dicitur *evenire contingenter* dupliciter: *uno modo,* quia *quandoque est,* et *quandoque non est;* et sic illud quod fit *a casu* fit *contingenter.* — *Alio modo* dicitur *evenire contingenter,* quia cum hoc, quod quandoque est, et quandoque non est, eventus *potest impediri;* et sic dico, quod illud quod fieret a casu *non fieret contingenter,* sed *necessario;* sed diceretur *casuale,* eo quod fieret *praeter intentionem agentis.* — * Alio modo * aliquid *fieri contingenter* potest intelligi quod *immediate fit a voluntate,* et sic in centro terrae, * ex. gr. *, et in concavo orbis lunae, vel in terra inhabitabili nihil fit contingenter. — *Alio modo,* quia illud de sui natura est *impedibile,* et *potest impediri,* si agens liberum sit approximatum; et sic in quolibet locorum illorum fit aliquid contingenter, quia de facto aliter fit quam si non fuisset libera voluntas. — *Physic.* II. q. 13. n. 9.

Contingentia et necessitas duplex. — Est sciendum, quod *duplex* est *contingentia* in rebus, sicut patet per oppositum *contingentis,* quod est *necessarium.* Nam *duplex* est *necessitas,* scilicet: *immutabilitatis;* et est illa quae *non potest aliter se habere,* quomodo Deus est ens *necessarium.* — Necessitas autem *alia* est in illa qua eventus alicuius non *potest evitari,* licet in se non sit necessarium immutabile, sicut ortus solis erit cras, quamvis ille motus potest aliter se habere.

Sic per oppositum est *contingentia duplex* in rebus: una est *mutabilitatis,* qua aliquid in se *potest se aliter habere,* ut se habent illa quae sunt corruptibilia. — *Alia* contingentia *evitabilitatis,* cuius eventus et productio *potest impediri,* ut actus causatus a voluntate libere. — Nec sunt istae *contingentiae* eaedem, quia non omne contingens primo modo est contingens secundo modo, quia non omne quod *in se est contingens,* ut *generabile* et *corruptibile, contingenter* evenit; aliqua enim *necessario* eveniunt, et tamen non sunt *necessaria in se.* — *Report.* I. d. 40. n. 4. — Cf. *Quodlib.* q. 18. n. 11.

Continuitas — Identitas. — *Continuitas* est unitas partis ad partem in toto; sed

unitas totius ad seipsum est vera *identitas*. — *Oxon*. IV. d. 10. q. 3. n. 7.

Continuum. — De ratione *continui* sunt duo, puta: posse *dividi* in infinitum, et quod partes eius *copulentur* ad aliquem terminum communem. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. XI. S. 4. c. 2. n. 92.

Dico autem continuum, cum terminus utriusque eorum, quae se tangunt, *fuerit unum et idem in quibus tangunt et continent* (1), quia scilicet partes continui continentur et tangunt se in aliquo termino communi, et eodem, in quo copulantur, ut partes *lineae* in *puncto*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. Sum. cap. IV. n. 107.

Continuum dicitur * illud * cuius *motus est unus* secundum se, et *indivisibilis* secundum *tempus* (2); cuius ergo motus est *magis indivisibilis*, illud est *magis continuum*, et per consequens magis unum secundum *continuitatem*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. X. S. 1. c. 1. n. 2. — *Ib.* lib. V. S. unic. c. 6. n. 46; *ubi rationem* continui *enucleatius evolvit.*

Continuum duplex. — *Continuum* est *duplex*, sicut potest haberi ex *IV. Met. text. c. 42, et inde:* quoddam *flexibile*, ut *virga lignea;* quoddam *inflexibile*, ut *later*, aut *lapis*. — *Primum* continuum est continuum secundum lineam *reflexam*. *Secundum* continuum est secundum lineam *rectam;* tale enim continuum habet motum *indivisibilem*, quantum ad omnes suas partes; non sic est de continuo *flexibili*, ut patet in exemplo supra posito. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. unic. c. 6. n. 47.

Continuum tripliciter accipitur. — Vid. *Totum multipliciter accipitur.*

Contractio terminorum. — *Contractio* * terminorum * *est terminatio alicuius communis*, ita quod aggregatum ex *contrahente* et *contracto* necesse est repraesentare intellectum *determinatiorem*, quam sit intellectus ipsius *contracti* de se. — *Elench.* q. 13. n. 4.

(1) Ex Aristotel. — Cf. *Oxon*. II. d. 2. q. 2. n. 5.
(2) *Oxon*. II. d. 2. q. 9. nn. 16., 35 et 38. — *Quodlib.* q. 20. n. 10.

Contractus. — Dicitur *contractus*, quasi *simul tractus* duarum voluntatum. — *Oxon.* IV. d. 26. n. 8. — Omnis contractus includit duas partes, scilicet: assensum huius et illius, et in utroque etiam duos actus, scilicet: interiorem, et exteriorem significantem illum interiorem. — *Ib.* d. 27. q. 1. n. 2. — * Ideoque * si unus contrahit animo simplici, et alter dolose, utens signis contractus sine animo contrahendi, non est contractus, quia deficit ibi principalior causa, scilicet actus mutuus voluntatis, sine quo causa minus principalis, scilicet signum exterius, non sufficit. — *Ib.* d. 30. q. 1. n, 3.

Contractus matrimonialis. — Vid. *Matrimonium.*

Contractus multiplex. — Vid. *Dominii translatio.*

Contradictio. — *Contradictio est oppositio, cuius non est medium secundum se* (1) (Aristoteles *I. Poster.*). — Illud, *non est medium secundum se*, potest intelligi dupliciter: vel quod sit negatio *modi* simpliciter, vel *modus* negationis. Primo modo convenit *contrariis immediatis;* secundo convenit *contradictoriis;* et ponitur in definitione eorum, quia sola contradictoria *nullo modo* habent medium; quia secundum se inest eis non habere medium; omnibus autem aliis *oppositis* aliquo modo convenit habere medium. — *Super Praedic.* q. 39. n. 2. — *Ib.* q. 25. n. 8. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 11. — *QQ. Metaph.* lib. IV. q. 4. n. 1. — Quaelibet duo extrema contradictionis de eodem sunt incompossibilia aeque inter se. — *Oxon.* III. d. 24. n. 8. — *Contradictio* est *affirmatio* et *negatio circa eumdem conceptum univocum.* — *De Anima*, q. 21. n. 10. — *Contradictio* est oppositio seu affirmatio et negatio *unius* et *eiusdem.* — *I. Prior.* q. 3. n. 8. — *Contradictio* est secundum *idem.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 4. n. 2. — Ad *contradictionem* non solum requiritur *unitas vocis*, sed etiam *unitas rei;* quod patet per definitionem contradictionis *I. huius, cap. 2.* — *Contradictio* non est *nominis* tantum, sed *rei*, et *nominis.* — *Elench.*

(1) Quae definitio affertur etiam a Doctore *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 11.

q. 55. n. 4. — *Contradictio* dicitur esse primum inter species *oppositionis*, ex hoc quod concluditur in aliis oppositis; nam unum oppositum includit negationem alterius, sicut *non album* includitur in *nigro*, et e converso, et *non videns* includitur in *caeco*, et e converso, et sic de aliis; et ex hoc forte accidit, quod quaelibet *opposita* repugnant *simul* esse, sicut *affirmatio* et *negatio* numquam se *simul* patiuntur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 3. n. 42. — Vid. *Contraria mediata — immediata.* = *Oppositio* = *Oppositio — Contradictio* = *Oppositorum quatuor genera* = *Privatio — Contrarium* = *Affirmatio et negatio duplex.*

Contradictio complexorum — incomplexorum. — Alio modo *contradictio* est in *complexis*, et alio modo in *incomplexis*. *Complexa* non sunt *contradictoria*, nisi accipiantur pro *eodem instanti*, pro quo oportet illa ambo enuntiare praedicatum de subiecto. *Incomplexa* autem *absolute* sumpta, non determinando ad aliquod instans, sunt *contradictoria*. De contradictione prima loquitur Philosophus in *Perihermenias;* de secunda vero in *Predicamentis*. — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 34. — Contradictio est tam in complexis quam in incomplexis; et loquendo de contradictoriis complexis, semper verum est, quod altera est vera, et altera falsa. Et sic haec est falsa: *Deus genuit alium Deum;* et haec vera: *Deus non genuit alium Deum*, quae est sua contradictoria. — In contradictoriis incomplexis, dico quod, licet de quolibet dicatur alterum illorum, non tamen dicitur de quolibet quodcumque praedicatum determinatum per alterum illorum, quia nec ipsum determinabile dicitur de quolibet; et ita licet *Deus* vel *non Deus* dicatur de quolibet, non tamen *aliud* sive *alium* sic determinatum per *Deum* vel per *non Deum;* et ideo quamvis Deus genuit alium, non tamen alium Deum, nec alium non Deum. — *Ib.* I. d. 4. q. 1. n. 4.

Contradictio — Privatio — Contrarietas. — *Contrarietas* est *quaedam privatio;* non tamen *omnis* privatio est *contrarietas*, sed solum privatio *perfecta*. Ratio primae differentiae est inter *contrarietatem*, *privationem*, et *contradictionem;* quod enim *contradicit* alii opponitur sibi, sed *nihil ponit*, nec *subiectum requirit;* potest enim dici, quod *non ens* non videt, et quod *lapis* non videt. — *Privatio* autem alii contraponitur; tamen *naturam nullam ponit*, et igitur non est in genere; *subiectum* tamen *habile requirit*, et ideo nec *non ens*, quia non est *subiectum*, nec *lapis*, quia non est *aptus*, possunt dici *caeca*, sed solum *animal*. — *Contrarietas* subiectum ab illo requirit, et *utrumque* extremum *aliam naturam ponit;* et igitur *contraria* sunt in *eodem* genere. Et ideo ubicumque est *privatio*, ibi est quaedam *contradictio;* quod enim est *caecum* est *non videns;* similiter ubi est *contrarietas*, ibi est quaedam *privatio;* licet enim privatio de se naturam *non ponit*, naturam tamen *primo praemittit*, et ideo *contrarietas* est quaedam *privatio*.

Privatio solum importat *carentiam habitus;* requirit tamen subiectum *cum habitudine* ad habitum, sive quod determinatur in qua distantia subiectum sit ad habitum; quia sive sit propinquum, sive remotum, dicitur *privativum*, quia illud quod *caret* albedine, sive *nigrum*, sive *pallidum*, dicitur *privativum;* sed quia *caret albedine*, non dicitur *contrarium*, nisi sit in *maxima* distantia; unde *contrarium* requirit subiectum *maxime remotum* ab habitu; et ideo *non omnis privatio* dicitur *contrarietas*, sed solum privatio *perfecta*, quae fundatur in aliqua natura ab habitu *maxime* distante, quae *privatio* de se non recipit *magis* et *minus*. — Similiter dicitur *perfecta* et *imperfecta*, secundum naturam in qua fundatur; unde *perfecta* privatio *albedinis* solum dicitur privatio fundata in *nigredine*. Igitur *omnis contrarietas* est quaedam *privatio*, et *non omnis privatio* est *contrarietas*, sed privatio *perfecta*. *Privatio* igitur prior est *ratione contrarietate*, et est *prima radix cuiuslibet contrarietatis*, sicut *contradictio* est *prima radix cuiuslibet oppositionis*. Ideo dicit Philosophus, quod *privatio* et *habitus* sunt *prima contrarietas*, quia sunt *prima radix contrarietatis*.

Unde intelligendum est, quod *contrarium* potest considerari, aut inquantum aliquam naturam *positivam importat;* et sic *absolute* et *proprie* loquendo *contrarium non est privatio:* vel potest considerari secundum quod natura est *imperfecta* respectu *alterius extremi,* et omnis *imperfectio* est *privatio* perfectionis; et sic *contrarium* potest dici *privatio.* — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 11. nn. 2. 3. — Vid. *Privatio = Privatio — Contradictio.*

Contradictoria. — *De eodem secundum idem non sunt simpliciter vera contradictoria.* — *Oxon.* IV. d. 10. q. 4. n. 11. — Inter *contradictoria* non est medium *simpliciter,* quia circa nullum subiectum neutrum * contradictoriorum * *simpliciter* potest inesse, vel utrumque *secundum quid;* tamen in aliis * oppositis * potest esse simpliciter medium circa aliquod subiectum; quia *lapis,* * ex. gr. * non est *caecus,* nec *videns simpliciter,* nec *secundum quid* unum et alterum. — *QQ. Metaph.* lib. IV. q. 4. n. 7. — *Report.* I. d. 2. q. 3. n. 4. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 29. 31.

Contradictoria non distant per aliqua media, quia contradictoria sunt immediata, ita quod quantumcumque parum recedit aliquid ab uno extremo, statim est sub altero; sed distant propter ipsa extrema in se. — Quod autem dicitur communiter, *contradictoria distare in infinitum,* potest sic intelligi, id est, *indeterminate,* quia sicut nulla est ita parva distantia quae non sufficiat ad contradictoria, ita nulla est ita magna, etiamsi esset maior maxima possibili, quin ad illa contradictoria se extendant. Est igitur eorum distantia infinita, id est, indeterminata ad quamcumque, magnam vel parvam. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 29.

* Bene vero * inter contradictoria est medium cum ly *inquantum,* ita quod neutrum inest cum *inquantum.* Sicut nec homo inquantum homo est *albus,* neque inquantum homo est *non albus.* Tamen non sunt duo contradictoria complexa simul vera; ista enim contradictoria est vera: *homo non inquantum homo est albus.* — *Ib.* d. 5. q. 1. n. 14. — Cf. II. d. 2. q. 9. n. 35.

Contradictoria intelliguntur sibi contradicere pro *eodem instanti,* non tantum *temporis,* sed *naturae;* ita quod in quocumque instanti *temporis* vel *naturae* unum inest, reliquum non inerit, et e converso. — *Report.* IV. d. 10. q. 4. n. 15.

Illa propositio, qua dicitur, quod *contradictoria* referuntur ad idem *nunc,* non solum in ordine *durationis,* sed etiam *naturae,* et *originis,* est vera, intelligendo de *per se contradictoriis,* prout *affirmatio* comparatur ad *negationem;* non est autem vera, intelligendo de affirmatione et negatione, comparando *ad tertium,* de quo dicuntur. — *Quodlib.* q. 4. n. 10. — Vide tamen *Report.* I. d. 28. q. 2. n. 20.

Contraria. — Illa descriptio contrariorum, * *contraria nata sunt fieri circa idem* *, non debet intelligi de quibuscumque *contrariis* acceptis secundum *numerum,* nec de quocumque *eodem* secundum numerum, sed de *contrariis* secundum *speciem* acceptis, et de *eodem* secundum *speciem;* et si de eodem secundum *numerum,* non * de * omni, sed * de * aliquo. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 13. n. 3. — *Report.* IV. d. 49. q. 12. n. 4. — Vid. *Privatio — Contrarium.*

Quando dicitur, quod contraria dicuntur esse circa idem susceptivum, et non ex eadem causa, dico, quod non requiritur quod contraria habeant *eamdem causam,* sed *idem susceptivum,* quando sunt mere absoluta; quia a quibuscumque causis causentur, contraria sunt et opposita, ut albedo et nigredo, quia non dependent essentialiter ab aliquo extrinseco; sed si ista contraria sunt absoluta, et dicant necessario respectum consubstantialem ad obiecta et ad causas, non erunt opposita, nisi comparentur ad idem obiectum formale. — *Oxon.* III. d. 15. n. 34.

Contraria duplicia. — *Contrariorum* aliqua *insunt quibusdam secundum accidens,* ut *album* et *nigrum* insunt *homini* et *equo;* et *multa* alia *contraria* possunt *simul* esse in eadem *specie,* et in eodem *singulari successive.* — *Alia contraria* sunt, in quibus *hoc est impossibile,* ita quod est impossibile ipsa non inesse illis, quibus insunt, de numero *quorum sunt corruptibile et incorruptibile.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 8. n. 92.

Contraria in rebus. — Possunt contraria in * rebus * sic definiri: *contraria sunt, quorum alterum, vel medium inest subiecto apto nato, et impossibile est ambo inesse simul.* — *Physic.* I. q. 18. n. 7. — Vid. *Contrarietas in rebus quadruplex.*

Contraria mediata — immediata. — *Contrariorum* quaedam sunt *immediata,* quorum alterum *necese est* inesse omni susceptibili; alia sunt *mediata,* quorum *non necesse est* alterum inessse. — Et *mediatorum* quaedam habent media *per participationem,* quae media aliquid habent utriusque extremi; quaedam habent tantum media *per abnegationem.* — *Mediatorum* etiam quaedam habent *plura* media; quaedam tantum *unum;* et quaedam media *nominata,* quaedam *innominata.*

Pro *secunda* divisione tamen intelligendum, quod nulla dicuntur contradictoria *mediata proprie,* nisi quae *habent medium per participationem;* medium enim *per abnegationem* invenitur in omnibus, praeterquam in *contradictoriis;* sed forte in aliquibus *contrariis mediatis* medium non nominatur, nisi *per abnegationem* extremorum, ut in *bono,* et *malo,* et consimilibus.

Tertiae divisionis et *quartae* causa assignatur in *X. Metaphys. cap. Quoniam autem uni contrarium,* etc., *text. 17.*(1) *et inde;* quae est, quod aliquando negationes *contrariorum* cadunt super aliquid unum *determinatum eiusdem generis cum extremis;* et tunc potest esse unum medium *nominatum,* sicut negatio *maioris* vel *minoris determinate* cadit super habens *eamdem quantitatem;* et ideo illorum est unum medium *nominatum,* quod est *aequale.* Quando autem negationes *contrariorum* non cadunt super aliquod unum susceptivum, tunc non est unum medium, sed vel omnino remanet *innominatum,* vel plura media *nominata,* quando negatio extremorum cadit super plures formas eiusdem generis, ut est in *coloribus.* — *Super Praedic.* q. 38. d. 16. * Quae sequentibus amplius declarantur *.

Quaedam sunt *opposita,* quae habent medium *secundum formam,* ut contraria *mediata,* sicut *album* et *nigrum;* sive quae habent *formam mediam,* quia inter illas duas formas contrarias cadit forma media, ut inter *albedinem* et *nigredinem* * sunt * *rubedo* et *pallor.*

Quaedam sunt *opposita,* quae non habent medium secundum formam, sed *secundum subiectum constans,* sive *actu existens;* et ista sunt contraria *immediata,* quae determinant sibi subiectum aliquod in genere, ut *sanum* et *aegrum,* quae determinant sibi *corpus animalis;* inter quae non est forma aliqua media, quae nec sit *sanitas,* nec *aegritudo,* sed participet utrumque, sicut *pallor* participat *album* et *nigrum.* Idem dico de *iusto* et *iniusto,* quae determinant sibi animal *rationale.* Habent tamen talia contraria medium *secundum subiectum constans,* sive *actu* in rerum natura *existens;* quod non est *sanum,* nec *aegrum;* nec *iustum,* nec *iniustum,* ut *lapis.*

Quaedam sunt *opposita,* quae non habent medium secundum formam, nec secundum subiectum constans; sed habent medium *subiectum non constans,* sive *non existens* in rerum natura, sed subiectum fictum, vel imaginatum, sicut sunt contraria *generalia,* ut *bonum* et *malum,* quae, secundum Aristotelem *in Topicis,* sunt *genera* aliorum *contrariorum.* Si enim *bonum* et *malum largo modo* accipiantur, in quolibet genere *contrarietatis* dicitur *bonum,* quod habet rationem *perfecti,* et *malum,* quod habet rationem *privationis* et *incompleti.* Nam, secundum Aristotelem, semper altera differentia habet rationem *habitus,* et per consequens *boni;* altera rationem *privatiotionis,* et per consequens *mali;* ut *incorporeum* dicit *habitum* et *bonum, corporeum* dicit *privationem* et *malum* per consequens; similiter de *albedine* et *nigredine.* Cum igitur tam *habitus* quam *privatio* sit praesupponens subiectum *constans,* sive *existens,* impossibile est, quod sit in rerum natura aliquod subiectum actu existens, quod sit nec *bonum,* nec *malum;* quia nihil est *actu existens,* quin habeat perfectionem sibi competentem, vel *perfecte,* et sic *bonum,* vel *imperfecte,* et sic *malum.* — Sed ista contraria *generalia,* vel *genera* aliorum *con-*

---

(1) Vid. exposit. Doctoris.

trariorum, habent *medium* subiectum *non stans*, id est, *non actu existens*; nam de ipso *albo* * in abstracto * verum est dicere, quod nec *bonum* est, nec *malum*. Constat quod non est *bonum*. Constat quod non est *malum*; quia *malum* cum sit *privatio* non dicit *negationem* simpliciter, sed in subiecto * apto nato *. Si tamen *bonum* et *malum* accipiuntur, non ut *contraria generalia*, sed *specialia* in aliquo genere, sic habent medium, non secundum *formam*, sed secundum *subiectum constans*, sive *existens*.

Quaedam sunt *opposita*, quae nec secundum *formam*, nec secundum *subiectum*, nec *cum constantia* subiecti, nec *sine constantia* subiecti habent medium, qualia sunt *contradictoria*; quorum *alterum*, et *non ambo*, de subiecto verificantur, et praeter ipsa nihil contigit verificari. Et ideo dicit Aristoteles, quod *contradictoria* sunt *quorum secundum se non est medium*. Cum igitur ex aliqua ratione sequitur, quod *contradictoria* sunt *simul* vera, talis ratio debet mendicari ex aliquo impossibili; quia talia non possent esse vera affirmando, uti quod *currat, et non currat*; vel negando, ut quod *neque currat, neque non currat*, nisi sit aliquod medium inter illa; cum tamen nullum habeant medium, nec secundum *formam*, nec * secundum * *subiectum*, nec *cum constantia* subiecti, nec *sine constantia*. — *De rer. princip.* q. 24. nn. 1. 3. — Vid. *Super Praedic.* q. 39.

Contraria prima — secunda. — Quaedam sunt *contraria prima*, ut *album* et *nigrum*, *dulce* et *amarum*; et alia *secunda*, ut *fuscum, pallidum, ponticum, acutum*. — *Physic. I. Exposit. text.* 50.

Contraria triplicia. — *Quaedam* sunt *contraria*, quae habent unum *subiectum commune*, cui *vicissim* insunt, sicut dicitur *in lib. Praedicam. cap. 10. text. 3. et 6*; quia contraria sunt *quae maxime a se distant, in eodem susceptibili vicissim insunt, nisi alterum insit a natura*. — *Alia* sunt *contraria*, quae unum *genus praedicabile immediate dividunt*: et talia etiam sunt vera entia, quia genus de utroque dicitur, sicut differentiae genus dividentes. — *Alia* sunt contraria, quorum unum *ab ordine debito alterius deficit*; et sic dicimus, *vitia contraria* esse *virtutibus*, et *mala bonis*. — *De rer. princ.* q. 2. n. 11.

Contrarietas. — *Contrarietas* est *maxima* differentia; nec est inter ea quae *genere*, sed quae *specie* differunt. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. X. S. 2. c. 2. n. 38. — *Contrarietas* est *perfecta* et *maxima* distantia. — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 12. n. 2.

* Notandum tamen, quod aliqua * dicuntur *contraria multipliciter*: quaedam enim dicuntur *contraria*, quia in eis salvatur essentialiter per se tota ratio *contrarietatis*; et inter sic *contraria* requiritur *distantia continua*, per quam perveniri potest ab uno in alterum. Talis distantia non est inter *numeros*, eo quod numeri non sunt *continui*, nec per continuum distantes, sed differunt *specie* per additionem *unitatis*; et ideo *in numero proprie non est contrarietas*. Similiter in *substantiis* non est distantia *perfecta* et *continua*, quia esse in indivisibili consistit; unde *in substantiis non est proprie contrarietas*.

Quia tamen prima ratio *contrarietatis* est *privatio* et *habitus*, et *superabundantia* et *defectus*, ut in primo *Physicorum*, text. 55,(1) *differentiarum* dividentium quodcumque genus per se altera se habet ad alteram ut *deficiens* ad *superabundans*, et *imperfectum* ad *perfectum*; nec tamen dicit *solam* privationem, nec negationem simplicem, sed utraque differentia naturam aliquam ponit. — Igitur differentiae possunt dici *contrariae*, quia *prima* ratio *contrarietatis* in eis salvatur, etsi *tota* ratio *contrarietatis* in eis non compleatur, sicut in *privativis* aliquid dicitur *privativum* alterius, licet non totaliter privet ipsum, etsi privet rationem formalem in ipso. — *Ib.* q. 18. n. 3. — Vid. *Contradictio* — *Privatio* = *Contrariorum definitiones* = *Oppositio* = *Oppositio* — *Contradictio* = *Oppositorum quatuor genera*.

Contrarietas dupliciter facit differre. — Omnis *contrarietas* facit differre *specie*; sed *contraria* possunt *dupliciter* considerari:

(1) Vid. exposit. Doctoris.

vel *ad subiectum*, vel *ad genus*, quod diversificant. Si ad *subiectum*, quaedam faciunt differre *specie*, quaedam non. Cuius ratio est: genus sumitur a *materia*, et materia per se ordinem habet *ad formam*; unde contrarietas *formalis* proprie est ipsius *generis*; et ista diversitas *formalis* circa *genus* diversificat ipsum in *specie*. — Sed alio modo dividitur species in *individua* per differentias *materiales*; et ista *contrarietas* non facit *specie* differre. Talis *contrarietas* est inter *accidentia individua*, ut inter *album* et *nigrum*; et propter hoc dicit Philosophus, quod *contraria* quae sunt proprie *generis* sunt differentiae *formales* et *speciei*, et diversificant *speciem*. *Contraria* vero quae sunt *individua* et *materialia* dicuntur differentiae *materiales*, quia non insunt *communi*, sive *speciei*, *nisi quia* insunt *individuo* habenti materiam signatam (1). Non enim est *album* vel *nigrum*, nisi quia *iste* homo vel *ille* est *albus*. — Et ideo sic loquendo de *contrariis*, quaedam faciunt sua distantia differre *specie* in *genere* quod dividunt, quia *album* et *nigrum* specie differunt in *colore*, et *masculinum* et *foeminimum* faciunt differre *sexum*, sed non *animal*. — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 20. n. 2.

Contrarietas formarum. — Vid. *Contrarietas terminorum — propositionum*, etc.

Contrarietas in rebus quadruplex. — *Quatuor* modis invenitur *contrarietas in rebus*, quae non sunt *termini*, vel *propositiones* (2). *Primo* modo oppositio *inter privationem* et *habitum* vocatur *contrarietas*, *large* accipiendo *contrarietatem*; et sic dicimus, quod *sonus* et *silentium* sunt *contraria*. — *Secundo* accipitur *contrarietas* pro oppositione *inter relative opposita*, maxime inter illa quae dicuntur de *quantitate*; et sic dicimus, quod *magnum* et *parvum* sunt *contraria*; et *improprie* dicitur de *intensione*, quia intensio imaginanda est per modum *qualitatis*, et ideo *intensum* et *remissum* vacantur *contraria*. — *Tertio* modo accipitur *contrarietas* pro oppositione, quae est inter *terminos motus localis*, quae significatur per terminos absolutos de genere *Ubi*, cuiusmodi est oppositio inter *Oriens* et *Occidens*, vel inter *Oriens* et *Auster*. — *Quarto* accipitur *contrarietas* pro repugnantia *duarum formarum intensibilium* et *remissibilium*, quarum una nata est alteri inesse ut in subiecto; et sic opponuntur ad invicem *caliditas* et *frigiditas*, *albedo* et *nigredo* (1).

Et quilibet istorum modorum potest subdividi. — *Physic.* I. q. 18. n. 3.

Contrarietas multiplex. — *Contrarietas* accipitur *dupliciter:* uno modo *proprie;* et sic ad contrarietatem requiritur *maxima* distantia, ut patet *X. Metaph.* text. 52(2), cuiusmodi est repugnantia inter *summam* caliditatem et *summam* frigiditatem. — Alio modo *contrarietas* accipitur pro *incompossibilitate terminorum*, inter quos est distantia *media*, secundum quam proceditur. — *Physic.* V. q. 4. n. 2.

Huiusmodi *incompossibilitas terminorum*, inter quos est distantia, est *triplex:* quaedam secundum *locum*, quaedam secundum *formam*, et quaedam secundum *quantitatem*. — *Contrarietas secundum locum* quaedam est *maior*, et quaedam *minor*, secundum *maiorem*, vel *minorem* distantiam localem, propter quam causatur successio in motu locali. — Alia est *incompossibilitas terminorum*, inter quos est distantia secundum *formam;* cuiusmodi est distantia inter *caliditatem* et *frigiditatem*, vel etiam distantia gradualis inter *magis* calidum et *minus* calidum (3). — Tertia est *incompossibilitas terminorum*, inter quos est quantitas *intermedia;* et propter incompossibilitatem istorum terminorum quantitatis provenit successio in motu *ad quantitatem*. Unde, quia impossibile est aliquod totum esse sub *minori* quantitate, et esse sub *maiori* totaliter, igitur necesse est, quod procedendo ab uno ad reliquum fiat *successio*. — *Ib.* nn. 3-4.

---

(1) Cf. tamen *Oxon.* II. d. 3. q. 6. per tot.

(2) Vid. infr. *Contrarietas terminorum — propositionum*, etc. = *Contrarietas rerum — terminorum*.

(1) Vid. *Contrarietas terminorum — propositionum*, etc.

(2) Vid. expos. Doctoris.

(3) Vid. *Contrarietas terminorum — propositionum*, etc.

Contrarietas accipitur aliquando pro *privative oppositis, I. Physicorum;* et sic est in genere *substantiae:* vel prout *utrumque extremum est aliquid positivum;* et sic in *omni genere:* tertio modo, dicitur non solum *distantia maxima in eadem specie,* sed talis, *quae nata est in eodem subiecto succedere vicissim,* ita quod paulatim deperdatur unum, et acquiratur alterum; sic non est in substantia; sed ubi tale, ibi motus vere est, ut dicit Philosophus, *V. Physicorum, text. com. 8. et inde.* — *QQ. Metaph.* lib. VIII. q. 3. n. 3.

Contrarietas propositionum. — Vid. *Contrarietas terminorum,* etc.

Contrarietas proprie — transumptive. — *Contrarietas* sumitur aequivoce, scilicet *proprie,* et *transumptive.* — *Transumptive* dicitur absolute *maxima distantia in genere,* et extenditur ad *oppositionem privativam,* sicut in *I. Physic. context. 24.* (1) dicitur, principia esse *contraria,* pro *forma* et *privatione.* Oppositio enim hoc modo est *contrarietas* in omni genere, quia omnis divisio generis est per differentias oppositas, hoc modo *contrarias.* — Sed contrarietas *proprie* sumpta est *maxima distantia formarum,* quae natae sunt fieri, et mutuo se expellere circa *idem* susceptivum; hoc modo negatur a *substantia* et *quantitate;* et est hoc intelligendum in *definitis,* id est in *speciebus* quantitatis, ut dicit Aristoteles, non forte in *passionibus.* Similiter intelligendum est de quantitate *secundum se,* non secundum esse *naturale,* quia forte illo modo habet *contraria.* — *Super Praedic.* q. 24. n. 2. — *Ib.* q. 14. n. 3.

Contrarietas rerum — terminorum. — *Contrarietas* est *duplex:* quaedam *inter terminos,* et alia *inter res* extra animam existentes; quia de illa, quae est inter propositiones, non est ad propositum (2). — *Contrarietas* quae est *inter res* extra animam accipitur *dupliciter: uno modo* pro *repugnantia duarum formarum intensibilium et remissibilium,* quae non possunt esse simul in eodem subiecto, attamen natae sunt sibi invicem succedere *per actiones suas proprias,* et non consecutive ad actiones aliarum qualitatum; et sic dicimus, quod *caliditas* et *frigiditas* sunt *formae contrariae.* — *Alio modo* accipitur *contrarietas* pro huiusmodi repugnantia duarum formarum intensibilium, etc., sive sint natae succedere sibi invicem *per actiones proprias,* sive per actiones *aliarum qualitatum;* et sic *nigredo* et *albedo contrariantur* ad invicem. — *Physic.* V. q. 7. n. 3.

Contrarietas terminorum accipitur *dupliciter: uno modo* pro repugnantia duorum terminorum qui non possunt dici simul et semel de eodem subiecto manente in actu; et *uterque terminus significat affirmative;* et illi duo termini significant vel connotant *res contrarias* altero praedicatorum modorum; et sic isti termini, *album, nigrum,* sunt termini *contrarii.* — *Alio modo* sumitur *contrarietas* pro repugnantia duorum terminorum qui non possunt dici simul de eodem subiecto, et *unus illorum significat affirmative illud idem quod alter significat negative;* et isto modo *contrarietas* se extendit ad *oppositionem* quae est inter *privationem* et *habitum,* et isto modo isti termini, *caecus* et *videns, contrariantur.* — *Ib.* n. 4. — Vid. *Contrarietas multiplex,* et infra *Contrarietas terminorum,* etc.

Contrarietas terminorum — propositionum — formarum. — *Triplex* invenitur *contrarietas:* una scilicet *terminorum,* quae consistit penes hoc, quod *non possunt simul * duo termini * vere praedicari de eodem subiecto.* — Secunda est *propositionum* contrariarum, quarum repugnantia consistit in hoc, quod *non possunt esse simul verae.* — Et tertia est *formarum,* ex. gr. *caliditatis* et *frigiditatis;* quarum repugnantia est *in essendo simul in eodem subiecto.* Unde ad hoc quod aliquae *formae* sint *contrariae* isto modo, requiritur quod natae sint fieri circa idem subiectum, scilicet, ipsae vel sibi consimiles; quia dato quod essent duae formae incompossibiles esse in eodem subiecto, quae *non essent natae fieri* in eodem subiecto, illae non essent *contrariae,* sed *disparatae;* ut forma *hominis,* et forma *equi.* Et dico

---

(1) Vid. exposit. Doctoris.

(2) Vid. *Contrarietas terminorum — propositionum,* etc.

notabiliter *illae*, vel *sibi consimiles*, quia per hoc solvitur argumentum istud: vel *albedo* contrariatur *nigredini*, quae *est*, vel quae *non est*: non primo modo, quia illae non sunt natae fieri circa idem subiectum; nec secundo modo, quia ei quod *non est* nihil est contrarium. — *Physic.* III. q. 5. n. 6. — Repugnantia secundum *formam* subdividitur: quia quaedam est inter qualitates *in invicem activas*, ut inter *caliditatem* et *frigiditatem*: alia est inter qualitates *contrarias*, quae non sunt aptae natae *in invicem agere*, sed sunt natae *sibi invicem succedere* in eodem subiecto, non per actiones *proprias*, sed concomitanter ad actiones *aliarum* qualitatum. — *Ib.* V. q. 4. n. 5.

Contrariorum definitiones. — *Prima* definitio *contrariorum* est, quod *contraria* sunt *quae plurimum differunt; contrarietas* enim est differentia *perfecta*: perfecta autem differentia facit *plurimum differre*. — *Secunda* definitio est, quod *contraria* sunt *plurimum differentia in eodem genere*; namque *differentia horum* quae sunt sub eodem genere est illa quae est *perfecta* differentia; ex quo patet quod *contraria* sunt *in eodem genere plurimum differentia*. — *Tertia* definitio: contraria sunt *quae in eodem susceptivo plurimum sunt differentia*. — *Quarta* definitio est, *quod contraria* sunt *quae sub eadem potentia*, id est, sub eadem scientia, *sunt plurimum differentia*; scientia enim dicitur *potentia rationalis*, ut patet IX. huius. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X, S. 2. c. 3. n. 40, *ubi has contrariorum definitiones ab Aristotele assignatas subtiliter explicat Doctor Marianus.* — Vid. *Contrarietas.*

Contrariorum proprietates. — *Quatuor* ponit Aristoteles *proprietates contrariorum*. *Prima* est, quod *semper bono contrariatur malum; sed malo quandoque malum, quandoque bonum*. Quae intelligenda est non solum de istis formis, *bonum* et *malum*, quasi ista sola inter se contrarientur, et nunquam *malum malo* ratione *formae mali*, sed de his quae subsunt; quia aliquando illud quod est *malum* contrariatur ei quod est *malum*, sicut et in propositionibus aliquando illud quod est *falsum* contrariatur ei quod est *falsum*; quia ambo *contraria* possunt esse *simul falsa*.

Secunda est: *uno contrariorum existente, non oportet reliquum esse*. Ut omnibus existentibus *sanis*, *sanitas* est, et non *aegritudo*; vel si forte absolute sumptae non sint *contrariae*, nisi in comparatione ad *idem* subiectum, ut *sanum* et *aegrum* circa *Socratem*, cum impossibile sit ipsa simul inesse *eidem* subiecto, impossibile est uno existente, reliquum esse. Primum forte est verius; quia forte inter se sunt *contraria*; quia ex se *maxime distant in eodem genere*.

Proprietas *tertia* est, quod *habent fieri circa idem specie, vel genere*. Quae notanda est, quia licet alicui speciei repugnet unum *contrarium*, ut *albedini congregativum*, tamen illa contraria habent fieri circa *idem genere*, ut circa *colorem*, qui est in diversis speciebus; quia sic tantum est idem *genere*.

Quarta proprietas est, quod *contraria vel sunt in eodem genere, vel in contrariis generibus, vel sunt genera aliorum*; et istud est intelligendum de generibus *primis*; semper enim *contraria* sunt in eodem genere *primo*, nisi sint forte *transcendentia*, et tunc aequivoce sunt in diversis generibus, ut forte *bonum* et *malum*, prout sunt transcendentia, sunt huiusmodi; prout autem accipiuntur in *moribus* sunt genera *morum*. — *Super Praedic.* q. 42. nn. 3-6.

Contritio. — Actus qui est propria causa proxima tristitiae dicitur *contritio*. Causa autem propria tristitiae interioris est detestatio peccati commissi a se, sive displicentia de peccato. Et haec includit duas causas partiales, scilicet: *considerationem* peccati commissi, et *nolitionem* eius; et inter istas principalior est causa nolitio; ipsa etiam posita, necessario ponit aliam, non e converso. — *Oxon.* IV. d. 16. q. 1. n. 6. — Contritio est quoddam spirituale in anima. *Ib.* n. 7. — habens esse *in fieri*. — *Ib.* n. 5. — Vid. *Attritio — Contritio = Poenitentia — poenitere = Poenitentia Sacramentum.*

Contritio perfecta — imperfecta. — Non est peccatum quod non possit remitti per

solam contritionem; et tunc illa sola est totalis satisfactio. Potest etiam idem remitti per contritionem *remissam*, et alias poenas supplentes imperfectionem contritionis. Contritio autem intensa, * sive *perfecta* *, ex una parte, et ipsamet remissa, * seu *imperfecta* *, cum aliis poenis, ex alia parte, differunt etiam specie, licet sint aequivalentes in acceptatione divina. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 1. n. 9.

Contritio potest esse tanta, quod in ea etiam ante confessionem deleatur peccatum. — *Ib.* d 17. n. 29. — * At * illa contritio habet propositum seu promissionem confessionis secuturae; et sic non deletur peccatum sine proposito confitendi. — *Ib.* n. 30.

Conveniens alicui aptitudinaliter — actualiter. — Aliquid est *conveniens* alicui *aptitudinaliter*, vel *actualiter*. Conveniens *aptitudinaliter* est, quod convenit alicui *ex se*, et quantum *ex natura rei;* et tale convenit *actualiter* omni ei, in cuius potestate non est, quod ei aliquid *actualiter* conveniat vel disconveniat; et ideo * ex. gr. * quidquid convenit *aptitudinaliter* appetitui naturali, vel appetitui sensitivo, convenit esse ei *actualiter*, si non sit defectus ex parte alterius extra. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 21.

Convenire primo — secundum partem. — Illud dicitur *convenire alicui primo* quod non convenit ei secundum aliquam partem sui, sed secundum quod ex omnibus partibus suis integratur. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 5. — Praedicatum convenit alicui toti *primo*, ut *primo* distinguitur contra illud quod est *secundum partem*, ut dicitur *V. Physicorum, in principio*, quod non convenit ei *praecise quia parti illius convenit;* et per oppositum, nihil dicitur convenire alicui toti *secundum partem*, nisi quod *convenit parti*, et *per partem dicitur de toto*, sicut patet per Philosoph., *V. Physicorum*, in eius exemplo, *sanatur homo, quia thorax eius sanatur;* nam formaliter *sanari* dicitur de *thorace*, et *primo*, et per consequens *per hoc* de toto, cuius totius *thorax* est *pars*. — Tale praedicatum *primo* inhaerens alicui toti aliquando *nulli* parti ipsius totius inest, aliquando autem *cuilibet* parti inest. — Exemplum *primi:* triangulus *primo* habet tres angulos, etc.; et tamen *nulla pars* trianguli, loquendo de partibus integralibus, habet hoc praedicatum, scilicet *habere tres*. Similiter homo *primo* est *risibilis*, et tamen *nulli parti* eius *primo* inest haec passio; et compositum generatur *primo*, licet *nulla pars* eius generetur *primo;* et ita universaliter in omnibus subiectis *heterogeneis*, et passionibus eorum. Et ratio est ista; quia natura *talis* subiecti adaequata est *tali* praedicato; quam adaequationem notat talis *primitas;* et natura illius totius adaequati in nulla *parte* salvatur, et ideo eius passio nulli *parti* convenit. — Exemplum *secundi* est, si ignis sit *primo* calidus, quaelibet pars ignis est *primo* calida; et ita est universaliter in subiectis *homogeneis*, et passionibus eorum, quia natura *ista*, cui *primo*, id est adaequate, convenit *talis* passio, ipsa est *eiusdem rationis* in *parte*, et in *toto;* igitur praedicatum adaequatum *tali* naturae convenit cuilibet, in quo est ipsa natura, et ita convenit *parti*. Non igitur propter rationem *primitatis* oportet praedicatum, quod convenit *toti* naturae, convenire *parti;* immo nunquam propter hoc oportet, quod conveniat *parti;* sed *praecise* quando natura totius est *eadem* in toto *tali*, et in *parte* eius. — *Ib.* n. 6.

Conversio ad finem. — Vid. *Aversio a fine ultimo multiplex*.

Conversio multiplex. — Conversiones docuit * Aristoteles * propter perficiendam imperfectionem imperfectorum syllogismorum. — *Oxon.* I. d. 21. n. 6.

— *Conversio* quandoque attribuitur *terminis;* et hoc dupliciter: *uno modo* sicut dicimus, quod isti termini *homo* et *risibile convertuntur*, eo quod de quocumque dicitur unus, et alter. — *Alio modo* dicuntur *termini convertibiles*, eo quod quilibet illorum dicitur de subiecto cum additione alterius obliqui; et sic dicitur in *Praedicamentis*, quod relativa dicuntur *ad convertentiam*. — *Tertio modo* attribuitur conversio *propositionibus*, ut secundum transpositionem *terminorum*, vel secundum oppositionem *qualitatis*. — *Quarto modo* attribuitur conversio syllogismis, prout facto aliquo syllogismo, arguitur ex opposito suae conclusionis cum

una suarum praemissarum ad reliquam praemissam. — *Prior.* II. q. 5. n. 2.

Convertibilitas triplex. — Est *quaedam convertibilitas secundum universalitatem;* et hoc est quando *passio* * seu praedicatum * reperitur in *quolibet* inferiori, in quo reperitur *subiectum,* sicut *habere tria* et *triangulum* sunt *convertibilia* secundum *universalitatem.* — *Alia* est *convertibilitas* secundum *identitatem;* et est quando *passio* est *eadem cuicumque subiectum* est *idem.* — *Alia* est convertibilitas secundum *singularitatem;* et est quando aliqua *passio* de se est *haec,* determinat subiectum primum quod de se sit *hoc;* similiter *subiectum* ex ratione sua determinatur ad *hanc* passionem, quae de se est *hoc.* — *De Cognitione Dei* q. 3. n. 4.

Converti in praeexistens est dupliciter. — *Dupliciter* potest intelligi *conversionem fieri in praeexistens: uno modo,* scilicet in illud, quod aliquando fuit, sed nunc *non manet.* — *Alio modo* in praeexistens, quod scilicet praefuit, et nunc in eodem esse *manet.* — Et hoc secundum adhuc *dupliciter* intelligitur: *uno modo,* quod manens simpliciter in *esse* praehabito, tamen aliqua novitate superaddita illi *esse,* sit terminus *novae conversionis:* puta quod ibi sit nova praesentia illius termini alicui, cui prius non fuit praesens. — *Alio modo,* quod ibi non sit *aliqua novitas,* nec in ipso *esse,* nec in alio posteriori. — *Quodlibet.* q. 10. n. 11.

Cooperari Deo multipliciter potest intelligi. — *Cooperari Deo* in productione alicuius *dupliciter* potest intelligi: vel *in disponendo,* vel *in producendo.* — In *disponendo,* adhuc *dupliciter:* vel ita quod illa dispositio *respiciat illud, cui debet infundi quod creatur;* et isto modo creatura Deo cooperatur in creatione, ut liberum arbitrium in infusione gratiae, assentiendo et non contradicendo; et natura in creatione animae rationalis, disponendo corpus, quo disposito, Deus dat animam: vel ita quod illa dispositio intelligatur *ex parte Dei creantis;* et isto modo est impossibile, cum nulla nova dispositio ex parte Dei requiratur ad hoc, quod aliquid creet. — *De rer. princ.* q. 6. n. 20.

Corpora diaphana. — *Corpora diaphana* dicuntur, *per quae patet transitus luminis,* sicut sunt *aer, aqua, crystallus, vitrum,* et huiusmodi. — *Meteor. III.* q. 8. n. 4.

Corporum quietatio. — Vid. *Quies multiplex.*

Corpus. — Vid. *Numerus* — *Linea* — *Superficies,* etc. = *Mensura continua multiplex.*

Corpus Christi dupliciter existit. — Supponitur corpus Christi *dupliciter* existere: in coelo suo modo *naturali,* et in Eucharistia modo *sacramentali.* — Utrumque est satis manifestum. Primum per illud Augustini, *de consecrat. dist. 2. prima haeresis: Donec,* inquit, *finiatur saeculum sursum est Dominus.* Secundum per ea quae praedicta sunt *quaestion. 1 huius Distinct.* * *ubi duo declarat Doctor:* « Primo, quid tenendum sit, et propter quam auctoritatem: secundo qualiter illud est possibile » *. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 4. n. 3.

Corpus cubum. — Corpus *cubum* vocatur corpus, quod habet sex superficies, ut taxillus. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. III. S. 2. c. 4. n. 82.

Corpus dupliciter accipitur. — Corpus potest accipi *stricte,* prout includit partes *animatas,* cuiusmodi non est sanguis, licet sit in potentia propinqua ut convertatur in carnem animatam. — *Alio modo* corpus potest accipi ut omnia illa includit, quae pertinent ad totum corpus *organicum,* sive sint partes animatae, sive sint alia non formaliter animata, ut humores et spiritus; et hoc modo sanguis est aliquid corporis. — *Oxon.* IV. d. 8. q. 1. n. 4.

Correctio — Punitio. — Dicit Philosophus *II. Rethoric. cap. 12,* quod differentia est inter *punitionem* et *correctionem;* nam *punitio* est *peccantis, correctio gratia illius qui corrigitur.* Unde *punitio* est propter bonum commune, et per consequens non principaliter propter eius bonum qui punitur. — *Report.* IV. d. 14. q. 2. n. 7. — *Oxon.* ib. n. 6.

Vindicta * seu *punitio* * proprie respicit correspondentiam poenae ad culpam secundum legem, licet non concomitetur *correptio* ipsius *puniti;* unde et quandoque

iusta vindicta fit *exterminando* reum, et patet quod non *corrigendo;* nec tamen crudelitatis est, quia finis istius proximus est *conservatio legis*, et ulterior finis ille, qui est finis legis. Finis autem legis positae ab homine legem ferente non est ipse legislator vel bonum eius, sed bonum *commune;* propter illum ergo finem est lex et observatio eius; et ita rationabilior est vindicta, inquantum est ad istum finem, quam si esset ad bonum *privatum* personae *punitae.* — *Oxon.* ib. n. 7.

Corrigens corrigit *gratia correcti;* sed *vindicans* non * vindicat * gratia correcti per se, nec gratia sui ipsius, sed *gratia legis*, et ulterius *gratia boni communis.* — *Ib.* n. 8.

Corruptibile potentia remota — propinqua. — Illud est *corruptibile potentia remota*, quod habet in se unde *possit* dici *corruptibile;* non potest tamen *exire in actum*, nisi prius fiat in *potentia propinqua:* sicut *calefactivum* dicitur quod *habet calorem*, non tamen potest *calefacere*, nisi *approximatum passo.* — *Oxon.* III. d. 22. n. 15. — *Report.* ib.

Corruptio. — *Corruptio* proprie dicta est *separatio formae a materia*, manente postea sub *privatione* formae. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 6. n. 8. — Vid. *Generatio — Corruptio = Potentia ad corrumpi duplex = Transmutatio = Annihilatio — Creatio.*

Corruptio proprie — communiter. — *Corruptio* potest accipi *dupliciter: proprie* vel *communiter.* — *Proprie*, secundum quod *corruptio* terminatur ad *non esse* per se. Secundo modo * *(communiter)* accipitur * pro *privatione;* sicut *tenebra* dicitur *privatio luminis* in quolibet instanti posteriori, sicut in primo instanti. — *Report.* II. d. 35. n. 3.

Creare — Creatio. — *Creare* est *de nihilo producere* (1), secundum Anselmum, *Monolog.* cap. 8. Et illud *de* potest intelligi *tripliciter: primo*, sicut dicimus *de tacente*, quando de *nihilo loquitur;* quia *omnino non loquitur.* Sic * dicimus fieri * *de nihilo* quod *omnino non fit.* — *Secundo*, de *nihilo*, tanquam *de materia;* et tunc non negatur *fieri omnino*, sed est de *nihilo* tanquam de materia, * id est, *nulla praesupposita materia* *. — *Tertio*, dicitur *de nihilo* fieri *ordinabiliter*, hoc est, *post nihil.* — Et illud adhuc potest intelligi *dupliciter:* quia vel est hic ordo *durationis*, cum aliquid *fit post nihil*, sic quod *post nihil* duratione fiat aliquid; vel quod *non fit nihil prius* duratione, sed tantum *natura.* — *Report.* II. d. 1. q. 3. n. 2. — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. n. 3. — Vid. « *De nihilo* » *tripliciter dicitur.* — Secundum quod dicit Magister Sententiarum, *creare* est *aliquid de nihilo producere.* — *De rer. princ.* q. 6. n. 1. — *Ib.* q. 7. n. 15.

Causa *creans*, cum *totum* producat *de nihilo*, necessario est causa *totius* rei secundum omnem rationem suam, et nihil praesupponit, ac per hoc est causa rei, ut est ens. — *Ib.* q. 6. n. 2. — *Ib.* n. 28.

Apud sapientes vocatur *creatio, dare esse rei post non esse absolute.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 7. — *De rer. princ.* q. 4. n. 2. — In creatione nihil susceptivum supponitur. — *Oxon. Ib.* d. 17. q. 2. n. 34. — *Creatio* est *productio, quae excludit omnem aliam causalitatem*, et causae *materialis*, et *seminalis*, et *efficientis creati.* — *Oxon.* II. d. 18. n. 4. — *Creatio* est productio *totius creati in esse, non praesuposita aliqua parte eius;* ita quod licet *creatum* habeat duas partes, quarum altera naturaliter posset praecedere alteram, et eam recipere ut suam perfectionem, tamen ut *totum* creatur, non videtur primus terminus *creationis* esse pars aliqua, sed *totale esse.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 30.

Proprie potest dici, quod *creatio* est sic *de nihilo*, non ut *ex termino*, sed ut *ex subiecto*, quod *nullum subiectum* habeat in productione illa aliquam *rationem causalitatis*, ita quod nullum subiectum concauset causatum cum efficiente. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 12. n. 7.

Creatio non tantum videtur importare relationem *ad Deum*, in ratione causae *effi-*

(1) « Creare est *aliquid de nihilo producere in effectu* ». — *Oxon.* loc. cit. d. 36. n. 3. — II. d. 1. q. 2. n. 5.

cientis, sed etiam respectum ad *non esse praedecens;* et hoc ordine *durationis,* ut accipitur proprie *creatio.* Sed iste ordo potest intelligi, vel ad *non esse immediate* praecedens, vel *indistincte;* et primo modo tantum dicitur res *creari* in *primo instanti;* secundo modo potest dici res semper *creari dum manet.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 27.

Cum *creatio* non habeat divisibilitatem, aut successionem ex parte rei, nec ex parte subiecti, oportet quod sit actio *subita tota simul et simplicissima.* — *De rer. princ.* q. 6. n. 28.

De nihilo, id est, non de aliquo secundum esse *existentiae* * (non praesupposita existentia illius quod creatur) * potest Deus *creare;* et per consequens *de nihilo,* id est, non de aliquo secundum esse *essentiae* (* nulla scilicet praesupposita parte essentiali illius quod creatur, puta *materia* vel *forma* in compositis. Ex quibus haec definitio creationis potest erui: *Creatio est eductio rei ex nihilo existentiae et essentiae;* quae satis congruit communi definitioni: *Eductio rei ex nihilo sui* (existentiae) *et subiecti* (essentiae) *. — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. n. 7. — Vid. *Conservare — Creare = Mutatio triplex = Mutatio ad substantiam triplex = Annihilatio — Creatio.*

Creari — Fieri — Creatura. — *Creari* dicit quoddam *fieri,* ita quod ultra *fieri* addit aliquid: et quantum ad respectum quem dicit *fieri* ad causam *efficientem,* et quantum ad illud respectum quem dicit ad *oppositum praecedens.* — Quoad primum, *fieri* respicit *efficiens* in *communi;* sed *creari* proprie respicit *primum efficiens, ut immediate producens,* ita quod nihil dicitur proprie *creari,* nisi quod a *solo primo efficiente immediate producitur ad esse.* — Quoad secundum, *fieri* dat intelligere *oppositum praecedens qualecumque,* sive *positivum,* sive *privativum;* sed ultra hoc *creari* proprie sumptum addit, quod *oppositum* immediate *praecedens* sit *contradictorium,* puta *negatio non in aliquo subiecto,* ita quod nec *privatio* nec *contrarium.* — Hoc modo a *creari stricte* accepto illud dicitur *stricte creatura,* quod *accipit esse a primo efficiente immediate,* et *post omnino non esse,* sive *post purum nihil.* — *Oxon.* III. d. 11. q. 1. n. 7.

Alio modo *generalius* accipitur *creari* prout dicit habitudinem ad *primum efficiens,* licet *non ut immediate* producens excludendo omnem causam; dicit etiam ordinem ad *oppositum praecedens,* scilicet *negationem,* sed non excludendo quod *sit in aliquo susceptivo.* — Et a *creari* hoc modo *generalius* dicto dicitur *creatura* generaliter de *omnibus aliis a Deo, praeterquam de Christo.* Omnia enim alia a primo efficiente *recipiunt esse* et dicuntur *creari,* licet etiam sint effectus aliarum causarum; non tamen dicuntur *aliarum causarum creaturae,* quia *creatura* isto modo non dicit relationem ad aliquam causam *secundam.* Accipiunt etiam *esse* sui *primum post non esse,* sive illud *sit nihil,* sive *in aliquo susceptivo.* — *Esse* autem *primum* alicuius *dupliciter* potest intelligi: * primo * illud, quo *totum dicitur primo ens,* hoc est *adaequate,* sicut *humanitas* dicitur primum *esse* corporis organici animati, quia hoc totum *esse,* quod consurgit ex unione istarum partium, est *esse adaequatum* totius. — *Alio modo esse primum* alicuius potest dici *esse primae partis* alicuius in illo toto; puta si *corpus organicum* praecederet duratione animationem, *primum esse* hominis hoc modo esset *esse corporis organici.* Quaecumque ergo *creatura* accipit *esse primum* altero istorum duorum modorum post *non esse,* vel *totale,* vel partiale *primae partis.* — *Ib.* n. 8. — *Report.* hic q. 2. nn. 6-7. — Cfr. *Oxon.* I. d. 3. q. 6. — II. d. 1. q. 2. — *Creare* est dare esse prima causalitate post non esse; *creari* est accipere esse primum a primo efficiente post non esse. — *Oxon.* III. ib. n. 13.

Creatio — Conservatio. — Vid. *Conservare — Creare.*

Creatio dupliciter accipitur. — *Creatio dupliciter* potest accipi: uno modo *proprie,* excludendo a *creante* omnem aliam causam *concreantem,* praeter causam *finalem,* quae movet causam efficientem et creantem ad creandum; et excludendo causam *materialem,* efficientem *secundariam,* et *formalem,* quae est *pars rei;* et sic *creatio* est *pro-*

ductio alicuius in esse sine quacumque alia causa concreante primo creanti, excepta causalitate finis. Finis enim, ut dictum est, movet *efficientem* ad agendum, et non potest ab eius actione excludi. Et isto modo Deus solus creat. Licet enim aliquod aliud a Deo posset aliud producere *de nihilo*, necessario tamen praesupponeret *aliud agens* in actione sua, et *primam causam*, et ita non est possibile isto modo aliquam creaturam *creare* aliquid. — Alio modo accipitur *creatio* solum *excludendo causam materialem concausantem;* et isto modo *creatio est productio alicuius de nihilo*, quia de *nulla materia. — Report.* IV. d. 1. q. 1. n. 12.

Creatio — Factio. — Vid. *Creari — Fieri*, etc.

Creatio — Generatio. — *Creans* non est nisi *mere de nihilo nullo praesupposito. — Transmutans* autem materiam ad formam, inquantum talis, non *creat*, sed *generat*, etiamsi formam *de nihilo* produceret. Sed si *formam* producat, materiam non transmutando, ibi sunt duae *mutationes*, una *creatio*, alia *generatio*, sicut est in anima intellectiva (1). Si autem aliud producat et aliud uniat; sive quod idem est, materiam *transmutat ad formam;* sive quod idem est, *compositum* producat, *uniens* dicetur *generans*, licet non sit forma ab ipso. Forma enim est *per accidens* terminus *generationis;* compositum autem *per se*. Aut nihil *omnino novum* * (creatum) * est, aut tantum a Deo immediate. — *Theor.* XXII. n. 10.

Esse quod per *generationem* accipitur *supponit naturam; esse* quod per novam creationem accipitur *nihil praesupponit. — De rer. princ.* q. 2. n. 21.

Istam specificationem addit *creatio* ultra alias *mutationes*, ut sicut aliquid non esset *creatura*, si esset *tantum a secunda causa*, pro eo quod *creari* dicit respectum ad *primum efficiens* (2), et tamen potest dici *genitum* respectu causae secundae; similiter licet per *generationem* acquiratur aliquod *esse simpliciter*, si tamen illud non sit *primum esse* geniti, et etiam *primum esse* geniti sequatur *non esse*, tale *genitum* non dicitur *creatura. — Oxon.* III. d. 11. q. 1. n. 11. — Vid. *Christus genitus — non creatus = Generatio — Creatio — Productio in Divinis = Generari = Generatio* etc.

Creatio — Transmutatio. — *Creatio proprie* non est *transmutatio*, quia *transmutatio* connotat *subiectum;* sed *creatio* connotat *oppositum*, quia connotat *esse post non esse, sine subiecto praesupposito.* Et sic, iuxta istam solutionem possunt concordari veritas Fidei et opinio Aristotelis, concedendo quod nihil potest *fieri* non praesupposito subiecto, et hoc intendebat Aristoteles; sed aliquid potest *creari* non praesupposito subiecto, licet non possit *fieri. — Physic.* I. q. 17. n. 13. — Vid. *Transmutatio multiplex.*

Creator — Creatura. — Sicut creatura dicit respectum unius naturae ad aliam, ut naturae humanae ad divinam, ita videtur quod Creator dicat e converso respectum naturae divinae ad humanam. — Negatio etiam aliqua potest inveniri, quae importetur per hoc nomen, quod est Creator, puta non accipere esse post non esse ab alio, sicut in hoc nomine *creatura. — Oxon.* III. d. 11. q. 1. n. 5.

Creator non dicit aliquid repugnans naturae vel huic supposito, sicut *creatura. — Ib.* n. 13.

Creatura est post nihil, id est post non esse sui et cuiuscumque in ea. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 19.

Creator — Redemptor. — Sicut *Creator* est principium essendi in natura condita, ita et *Redemptor* est principium reparationis in natura lapsa; ergo nullus potest recreari sine recreatore vel Redemptore, sicut nec esse sine Creatore. — *Oxon.* III. d. 25. q. 1. n. 9.

Creatura. — Augustinus, *ad Felicianum*, assignat definitionem creaturae, et dicit, quod *creatura* est *ex eo quod Omnipotentis Dei voluntate, ex non esse ad esse producta*

---

(1) « Nos ponimus * in homine * duas productiones: unam de *non esse* animae ad *esse* eius, et illa est *creatio;* aliam a *non animatione* corporis ad *animationem* eius, et illa est *productio* ». — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 20.

(2) Vid. *Creare — Creatio.*

est eius substantia. — *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 1. — Dico quod, vel illa non est definitio creaturae, sed descriptio quaedam concessa ab Ario, contra quem arguit Augustinus, quia dicit Filium Dei aliquando non fuisse; et tunc sufficit Augustino accipere istam definitionem vel descriptionem contra eum ut concessam, et ex negatione huius descriptionis a Filio Dei concessae ab eo, concludere contra eum, quod non sit creatura: vel si est definitio creaturae, proprie loquendo de creatura inquantum creatura, non tamen propter hoc est definitio cuiuslibet alterius a Deo, puta Angeli vel hominis, quia diceretur, quod huic, quod est esse *creaturam*, accidit haec definitio. — *Ib.* n. 22. — Vid. *Ens creatum* — *increatum.*

Creatura multipliciter composita. — Concedo, quod aliqua creatura est simplex, hoc est, non composita ex *rebus;* tamen nulla creatura est *perfecte simplex,* quin aliquo modo sit *composita,* vel *componibilis.* — Et quomodo *composita* declaro sic: quia habet *entitatem* cum *privatione* alicuius gradus *entitatis;* nulla enim creatura habet *entitatem* secundum *totam perfectionem,* quae nata est esse *entitatis in se,* et ideo caret aliqua perfectione, quae est nata competere *entitati in se;* et ideo privatur: sicut talpa *dicitur* esse caeca, quia nata est habere visum secundum rationem animalis, non secundum rationem talpae, secundum Philosophum *V. Metaph. cap. de privatione* (1). Componitur igitur, non *ex re* et *re positivis,* sed ex re *positiva* et *privatione,* idest *ex entitate aliqua,* quam habet, et *ex carentia alicuius gradus perfectionis entitatis.* Nec tamen ista compositio ex *positivo* et *privativo* est *in essentia* rei, quia *privatio* non est de essentia alicuius positivi.

Ad istam sequitur compositio *actus* et *potentiae obiectivae;* quidquid enim est ens, et caret aliqua perfectione entis, est simpliciter *possibile,* et terminus potentiae simpliciter, cuius terminus non potest esse ens infinitum, quod est *necesse esse.*

Est etiam quaelibet creatura *componibilis;* quod patet de *accidente,* quod est *componibile* cum *subiecto.* In *substantia* etiam patet, tam de *forma* quam de *materia.* De substantia etiam per se generabili et corruptibili patet, quod est *receptiva* accidentis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 2. n. 2.

Credere explicite — implicite. — Fides infusa fuit necessaria homini salvando pro omni statu; quia sicut anima non est accepta Deo, nisi ornetur et perficiatur per charitatem quoad voluntatem, sic non acceptatur a Deo, nisi perficiatur habitu supernaturali quoad intellectum. Ista autem supernaturalis perfectio, qua anima determinate assentit vero et credit verum, est fides infusa. — *Oxon.* III. d. 25. q. 1. n. 2. — Unde sicut quilibet tenetur diligere Deum pro omni statu, si habuerit usum rationis, et hoc pro aliquando, quando scilicet circumstantiae debitae diligendi Deum concurrunt, ita eodem modo dicendum de actu fidei, quod habens usum rationis pro omni statu tenetur credere in unum Deum, factorem coeli et terrae, et hoc pro aliquando. — *Ib.* n. 3.

Sed estne necessarium habere actum * fidei * circa omnia haec * (*articulos fidei* infra distinguendos) * vel aliqua eorum? — Dico, quod necessarium fuit pro omni statu habere actum *implicitum* de omnibus; tunc enim habetur actus *implicite,* quando habetur habitus. — Sed habere solum talem habitum non sufficit, sed in habente usum rationis requiritur actus distinctior et *explicitus.* Sed non requiritur necessario in quodlibet pro isto statu, scilicet quod omnes illos articulos *explicite* et distincte credat, quia Deus nullum obligat ad impossibile... Quilibet autem habens usum rationis tenetur pro aliquando ad aliquem actum *explicitum,* et maxime ad illa quae sunt grossa ad capiendum, sicut quod Christus natus est et passus, et alia quae pertinent ad Redemptionem. Sic igitur omnes tenentur ad aliquem actum explicitum pro aliquando, et ad alios in generali, ut scilicet credat quod Ecclesia credit. — Sed Maiores, qui habent alios instruere, tenentur fidem *explicitam* habere de omnibus, et pro tempore, illa quae credenda sunt aliis explicare secundum capacitatem eorum. — *Ib.* n. 6. — Sed non in hoc quod obligaverunt se in Baptismo, sed

(1) Vid. *Privatio multiplex.*

in hoc quod curam animarum suscipiunt. Ex quo enim sunt in statu altiori quam simplices, ideo obligant se ad illuminandum alios, et per consequens ad veritatem Scripturae capiendam et explicite credendam.

Omnes igitur tenentur pro quolibet statu ad fidem Mediatoris post lapsum hominis, quia nullus salvatur nisi sit membrum Ecclesiae post lapsum, quod non est nisi in fide Mediatoris, sicut patet per Apostolum *ad Hebr. II.* diffuse, et per Hugonem, *de Sacramentis.*

Sed illa fides de Mediatore potest esse *explicita*, sicut quod Dei Filius Deus et homo redimeret genus humanum, per hoc quod nasceretur de Virgine, et moreretur in cruce. Sed sic explicite credere in Redemptorem non fuit necesse pro omni statu, sed hoc idem potuit credi magis confuse, * seu *implicite* *, scilicet, quod Deus ordinaret aliquam viam redemptionis; sic generaliter credere fuit necessarium omni homini ad salutem... Et quia nullus in vetere Lege habuit tot sibi explicita, quot habemus nos in Lege nova, ideo nullus tenebatur ad tot explicite credenda; et si aliquis habuerit sibi tot revelata, ut forte Abraham, tenebatur illa credere, et aliis credenda explicare, pro captu mentis suae, pro statu illo. — *Ib.* n. 9. — Credo tamen, quod non sunt aliqua in novo Testamento, quae non possunt extrahi de veteri in aliquo sensu allegorico, vel tropologico, vel anagogico: tamen non omnia concipiuntur in sensu historiae et litterae in veteri. — *Ib.* n. 11.

Credere — Intelligere. — Cum dicis: actus *credendi* est simpliciter perfectior quam actus *intelligendi* elicitus ab habitu naturali perfecto primorum principiorum, dico, quod est loqui de actibus istis *in se;* et sic actus credendi est perfectior, quia a perfectiori principio elicitus, et in perfectius obiectum tendit; et est loqui de eis secundum quod *plus vel minus attingunt obiectum* in quod tendunt; et sic dico, quod actus intelligendi est perfectior, quia eius obiectum non tantum excedit ipsum in intelligibilitate non intellecta, quantum Deus excedit actum credendi in intelligibilitate non intellecta per actum fidei. *Exemplum:* oculus aquilae videt solem; oculus meus videt candelam. Tunc *simpliciter* loquendo, visio aquilae est perfectior, quia a perfectiori et acutiori potentia est elicita; sed loquendo de actu *secundum proportionem* ad obiectum, est e converso, quia visio mea magis attingit ad totam visionem * seu visibilitatem * candelae, quam visio aquilae ad totam visionem solis in se; et ita secundum proportionem *geometricam* visio mea est perfectior; secundum autem *arithmeticam*, visio aquilae, quia nobilius est parum attingere de nobilioribus obiectis, quam multum de aliis, ut dicit Aristoteles, *II. de Anima.* — *Oxon.* III. d. 23. n. 19.

Credere — Scire. — Actus *credendi* dependent ex duobus, scilicet: ex habitu inclinante, et praesentia credibilis, quod non est praesens in habitu; et ideo sine doctore et revelatore non tenentur simplices, quibus non erant tot credenda explicita, tot credere. — Opposito modo est de *scientia*, quia habens habitum scientiae, eo quod generatur ab obiecto sicut a partiali causa, habet obiectum sufficienter praesens, quamvis non ex vi habitus, sed per species, quae manent quamdiu manet scientia; ideo potest considerare quando vult, et in potestate eius est post scientiam habitam considerare quodcumque contentorum in habitu; non sic est de fide, ut patet. Nec sufficit quicumque occursus credibilium ad intellectum ad hoc quod habitus inclinet in actum firmiter eliciendum; ideo necessario requiritur cum fide infusa fides acquisita ex auditu. Quia actus credendi dependet ex duobus, scilicet: habitu inclinante, et credibili praesentato, non quomodocumque, sed praesentato tamquam credibile: sic communiter non praesentatur, nisi per doctrinam; et adhuc si sic praesentatur, non necessario credit intellectus, ut sic credere praecedit velle, quia proponens credibile intellectui non demonstrat, ita ut cogat intellectum ad assentiendum; ideo non credit nisi volens. — *Oxon.* III. d. 25. q. 1. n. 11.

Secundum Augustinum, *XI. de Civit.* cap. 3., *ea quae remota sunt a nostris sensibus, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus,*

eisque credimus; et idem, *XV. De Trinitat.* c. 12: *Absit, ut scire nos negemus quae testimonio didicimus aliorum; alioquin nescimus esse oceanum, nescimus esse terras, atque urbes, quae celeberrima fama commendat.* — *Quodlib.* q. 14. n. 4. — Ex his et similibus auctoritatibus eius habemus, quod credere possumus testimonio aliorum, etiam tam firmiter, ut illud *credere* dicatur apud eum *scire;* igitur magis possumus et magis debemus credere testimonio veraci, et adhuc magis communitati, quam personae singulari: nunc autem, Ecclesia Catholica est communitas maxime vera; igitur eius testimonio certissime credi potest. — *Ib.* n. 5.

Credere supernaturale — naturale — Credere *supernaturale* est actus ut elicitur secundum inclinationem *fidei infusae:* credere autem *naturale* est actus elicitus secundum certitudinem acceptam *ab aliquo testificante.* — *Quodlib.* q. 17. n. 10.

Credibile ex fide. — Nihil est tenendum *tanquam de substantia fidei,* nisi quod potest expresse haberi de *Scriptura,* vel expresse declaratum est per *Ecclesiam,* vel evidenter sequitur ex aliquo plane contento in Scriptura, vel plane determinato ab Ecclesia. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 5.

Credibilium distinctio. — *Aliqua* sunt ita *simpliciter explicite* de substantia fidei, quod ista scire et credere tenentur omnes, quantumcumque simplices, ut *Deus est unus et trinus, mortuus et passus,* etc. — *Alia* sunt ad quae non tenentur omnes, sed tantum Maiores in Ecclesia, ut quod *Patri est aequalis Filius,* et *ab eo genitus,* et multa alia: sicut patet per Augustinum, *XIV. de Trinit. cap. 1.* — *Alia* non sunt *explicite credenda,* cuiusmodi sunt ista quae sequuntur ad articulos fidei, et non sunt ipsi articuli fidei, nec adhuc manifestata per Ecclesiam; et non tenentur etiam Maiores scire, sed postquam declarata sunt ab Ecclesia pertinere ad substantiam fidei et veritatem eius, non possunt amplius pertinaciter negari sine errore. — *Report.* IV. d. 5. q. 3. n. 5. — *Oxon.* IV. d. 5. q. 1. n. 6. — III. d. 25. q. 1. n. 8.

Credibilia sunt in triplici differentia: *quaedam* enim sunt, quorum visio *per se pertinet ad beatitudinem,* sicut est visio Trinitatis; et talia sunt scibilia, extendendo *scire,* et sunt visibilia extendendo *videre;* et de istis *per se* intelligendum est, quod *fidei* succedet *visio.* — *Alia* sunt, quorum visio aliquo modo pertinet ad beatitudinem, non tamen *essentialiter,* sed *concomitanter;* quae etiam non sunt *scibilia,* quia sunt quaedam facta temporalia, sicut sunt credibilia de Incarnatione; et de talibus *concomitanter* succedet *fidei visio,* non tamen rei in se, quia non videbitur in patria Christus *in Cruce,* nec *in utero* Virginis, sed *in Verbo.* — *Alia* sunt, nec unquam visibilia, nec scibilia, quia facta temporalia, nec pertinentia *ad beatitudinem principaliter,* nec *concomitanter;* cuiusmodi sunt aliqua vera pertinentia ad actus humanos. — *Oxon.* III. d. 31. n. 10. — Vid. *Fidei Articuli.*

Crimen matrimonium dirimens. — *Tria* sunt *crimina,* quae coniuncta, vel separata, videntur facere difficultatem circa *Matrimonium* contrahendum. Sunt autem crimina illa *adulterium, machinatio* in mortem coniugis legitimi, *fidei datio* ipsi adulterae, vel *contractus de facto* cum ea, vel *promissio cum iuramento,* quia haec tria ultima ad propositum pro eodem reputantur.

De duobus primis patet, *Extra, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, cap. ultim.* De tertio, scilicet *promissione cum iuramento,* an valeat, habetur *Extra, de his quae metu, vel vi fiunt. Ad aures.*

De his tribus dico, quod *ultimum* per se non impedit Matrimonium contrahendum post mortem viri, sicut habetur *Extra de eo, qui duxit in matrim. cap. ult. Si quis uxore vivente, fide data, promiserit se aliam ducturum vel cum ipsa de facto contraxerit, si nihil aliud fuerit,* non est *matrimonium, quod cum ea contraxerit* post *obitum uxoris, dirimendum. Tertium* cum *primo* simpliciter impedit, et dirimit; *ibidem in eodem cap.* sequitur enim ibi: *Tolerari non debet si prius, vel postea, dum vixit uxor illius, illam adulterio polluisset;* et refertur *prius* et *post ad fidei dationem.* Hoc autem intelligendum est quando ambo sunt conscii, quod actus ille est *adulterium;* si enim vir tantum sit

conscius, et mulier inscia, puta quia nescit eum habere aliam, tunc si vir postea contrahat cum illa, ad petitionem viri non est celebrandum divortium, sicut habetur *titulo eodem*, cap. 1. — *Oxon.* IV. d. 35. nn. 2. 3.

Sive *primum* concurrat cum *secundo*, sive *tertio*, et impedit, et dirimit, sicut patet *Extra de conver. infidelem, Laudabilem:* immo * solum * *secundum* videtur impedire ex illo cap., et loquitur de Saracenis, *qui dum essent in captivitate, quarumdam Christianarum viros suis insidiis et machinationibus occiderunt.* Et sententiat Ecclesia, quod si post per ipsas ad fidem Christianam accesserint, et cum eis adhaeserunt in Matrimonio, non sunt tolerandi, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit. Hic non tangitur de *adulterio* Saraceni cum Christiana, nec de *fidei datione*, sed tantum de *machinatione* in morte legitimi viri (1), et adhuc conscia uxore; nec Glossa addidit ibi ad casum istum *fidei dationem*, vel *adulterium*. Sed ista machinatio debet intelligi cum effectu, ut simul sit *affectus* et *effectus*, sicut Glossa super illo verbo: *Procuraverunt.* — *Ib.* n. 7.

Sic igitur patet, quod istorum trium *tertium* solum nunquam impedit, ita quod dirimat. *Primum* etiam solum nunquam impedit. *Secundum* quandoque impedit, et quandoque non, sed semper quando est cum *tertio* impedit. *Tertium* cum *primo* semper impedit. — *Ib.* n. 9.

Et * haec impedimenta * rationabiliter statuit Ecclesia, quia aliter statim quando mulieres essent odiosae suis viris, vel viri uxoribus, propter alium magis dilectum, machinaretur quilibet in mortem alterius. — *Report.* hic n. 10. — *Praefatis in locis allata impedimenta enuclatius discutit et ab obiectis optime defendit.* — Vid. *Matrimonii impedimenta multiplicia.*

Culpa duplex. — Aliqua culpa talis est, quae *non meretur* totalem exclusionem a civitate; et haec est temporalis * quoad poenam *. — Respectu autem vitae civilis aliqua tanta est quae *meretur* totalem exclusionem ab illa vita civili, et illius intensio correspondet culpae; extensio autem accidit, scilicet, quod sit finita, quia vita finita. — *Oxon.* IV. d. 46. q. 4. n. 20.

Culpa — Gratia. — *Culpa* et *gratia* non sunt formaliter opposita, nec formaliter repugnantia. *Probatio:* quia tunc agens effective vel defective potens super esse unius posset effective vel defective super non esse alterius, ut patet universaliter in incompossibilibus: voluntas autem creata potest effective vel defective super esse culpae, quia ab ipsa est culpa; ergo ipsa posset effective vel defective super non esse gratiae, quod est falsum, quia gratia non destruitur nisi annihiletur: sed creatura non potest aliquid annihilare. — *Oxon.* IV. d. 16. q. 2. n. 5.

Culpa — Poena. — Triplex malum invenitur in *culpa*, quod non in *poena* : *unum*, quia pro culpa infligitur poena: *secundum*, quia Deus potest poenam efficere, non culpam: *tertium*, quia culpa facit habentem formaliter malum. — *Oxon.* IV. d. 50. q. 2. n. 2. — Sicut culpa quando committitur, inquantum culpa, non habet causam positivam aliquam, sic nec inquantum continuatur ut culpa. — *Ib.* d. 46. q. 4. n. 6.

Poena dicitur ordinare culpam, quia ex quo Deus non vult culpam auferre, non potest melius sive ordinatius anima culpabilis esse, quam quod sit in poena, quae non est tantum malum formaliter quantum est culpa, quia naturam manentem sub culpa ordinat.

Et si obiicitur: quomodo potest eadem carentia iustitiae esse formaliter culpa, et poena formaliter? *Respondet Magister* distinguendo carentiam inquantum est privatio boni *active* vel *passive*. Primo modo est culpa; secundo modo est poena. Hoc potest sic exponi: quod ipsa culpa est a voluntate ut causa *activa*, sed tamen deficiente; et ipsa poena est in voluntate sicut in *obiecto*, quod per culpam privatur bono conveniente; quod quidem bonum debitum erat, inquantum voluntas potuit agere ad rectitudinem sibi debitam, et non egit; et ideo primo modo est culpa, et sic voluntaria (1), quia

(1) Quod intelligas oportet, quando, utroque consentiente, fit machinatio, contrahendi Matrimonium causa.

(1) « Nulla ratio culpae est in aliquo praecedente actum voluntatis ». — *Oxon.* II. d. 42. q. 4. n. 19.

in potestate voluntatis ut causa activa. Secundo modo formaliter est poena, quia corruptio sive privatio boni debiti in voluntate, et maxime sibi convenientis; et ut sic non est formaliter voluntaria, quia voluntas inquantum subiectum non habet formam sibi inhaerentem in sua potestate; et ita privatio iustitiae debitae inhaerens voluntati est contra inclinationem naturalem voluntatis magis quam quaecumque carentia boni commodi non iusti, vel praesentia incommodi. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 23.

D

Damnatorum punitio. — *Punitio* est *perceptibilis carentia boni convenientis in natura intellectuali,* vel *perceptibilis praesentia mali disconvenientis in eadem.* Bonum autem *naturae intellectualis* in genere *duplex* est: bonum scilicet *commodi,* et bonum *honesti.* Bonum quidem *utile,* quod ponitur tertium, ad alterutrum illorum reducitur, secundum quod ad ipsum ordinatur. Et licet quandoque in *eodem* concurrant rationes boni *commodi* et *honesti,* ut in fruitione Dei in Patria, immo generaliter omne *honestum* sit *commodum,* licet non e converso; tamen *summum commodum* est *beatitudo,* et esset *commodum,* licet per impossibile non esset *honestum. Summum* etiam *honestum* est *charitas,* et esset *honestum,* licet per impossibile non esset *commodum.*

Ergo in natura intellectuali est *duplex punitio* per *privationem duplicis boni. Prima* vocatur malum *iustitiae,* sive *culpae,* et potest dici obstinatio in peccato. *Secunda* vocatur poena *damni,* vel *damnum,* vel *damnatio. Malum disconveniens* in natura mere intellectuali non potest esse aliqua operatio illius naturae *secundum se* accepta, quia quaelibet est conveniens; omne quidem *intelligere secundum se* acceptum convenit intellectui communiter, et omne *velle* voluntati, et similiter omne *nolle secundum se* acceptum, quia ita libere habet *nolle* sicut *velle;* et etiam illi comparando hanc potentiam, operatio unius non est disconveniens alii. Nihil ergo invenitur ibi quod sit *positivum disconveniens* tali naturae, nisi *passio* distincta contra *operationem,* vel *operatio disconveniens,* non quidem *secundum se,* sed *quia nolita;* immo generaliter omne *nolitum,* positum tamen in effectu, causat *tristitiam.* Huiusmodi *operatio nolita* * in damnatis * est immediata *consideratio ignis,* sicut dictum est prius, distin. 44. q. 2., quae est contra imperium voluntatis volentis libere uti intelligentia sua ad applicandum nunc ad *istud* obiectum, nunc ad *illud;* determinatur autem intelligentia contra illud velle ex semper intensa consideratione ignis, per quod impeditur a perfecta consideratione aliquorum obiectorum, ut dictum est ibi.

Tristitia autem in genere est * in damnatis * *quadruplex. Duplex* de *privatione boni duplicis: una* quidem de privatione boni *honesti,* sive *gratiae per culpam;* tristatur enim de obstinatione sua in peccato, quae est prima privatio; vel saltem tristatur de peccato quod commisit in vita, in quo nunc sine remissione derelictus est. Non quidem tristatur de hoc, vel illo secundum se, quia *talis* privatio; sed quia *demeritum* respectu poenae *damni;* hoc est tristatur, *non quia Deum offendit,* sed *quia commodo,* quod immoderate appetit, *se peccando privat;* et illa tristitia proprie potest dici *poena vermis,* vel tristitia ex remorsu de peccato commisso, non quia *peccatum,* sed quia causa *demeritoria* respectu poenae damni.

Tristitia autem de carentia boni *commodi,* scilicet *beatitudinis,* vel non est *nominata,* vel potest dici *tristitia absortiva,* quia eius desiderio maxime inest naturae, et specialiter sibi sine fraeno iustitiae derelictae, eius perpetua carentia percepta contristat *totaliter absorvendo;* vel nominatur *poena damni,* ut sit constructio transitiva, idest poena *de damno;* nam vocando solam carentiam commodi *poenam damni,* constructio est transitiva.

Duplex est autem *tristitia* de *positivo disconveniente: una* de *detentione ignis* perpetua, tanquam definitive locantis: *alia* de *detentione intelligentiae in consideratione intensa ignis,* ut obiecti; quae duo positiva, scilicet duae *detentiones,* sunt *nolita,* et ideo *disconvenientia;* non sic, quod destruant naturam potentiae cui insunt, sed sicut est disconveniens gravi esse sursum, et esset ibi triste, si esset ab eo perceptum. Et illae duae *tristitiae* de *duplici detentione* possunt sic nominari: *poena incarcerationis* prima, *poena excaecationis* secunda, ut sit constructio transitiva, accipiendo poenam pro *tristitia,* et illud additum in genitivo, pro obiecto *contristante.*

Sic ergo habemus in genere *duas punitiones* per *privationem duplicis* obiecti boni, et quatuor per *posititionem quadruplicis tristitiae,* respectu quarum sunt causae duo *positiva,* scilicet: duae *detentiones* nolitae, et duae *privationes* illae *nolitae,* et *perceptae.* — *Oxon.* IV. d. 46. q. 4. nn. 4. 5. — *Report.* ib.

* Quae pressius sequentibus complectuntur *: *Poena damnatorum* est *multiplex.* — *Quaedam* poena *damni, carentia,* scilicet, *visionis divinae.* — *Alia* est *tristitia* de ipsa *poena.* — *Tertia tristitia* de *culpa,* non ut est offensiva Dei, sed *ut est causa poenae.* — *Quarta* est *tristitia* de *igne continente perpetuo.* — *Quinta* de igne *immutante* et *retinente* intellectum damnatorum in *perpetua consideratione* sua.

Tertia tristitia, scilicet, *de culpa, in quantum est peccatum,* est *vermis conscientiae.* — *Oxon.* IV. d. 50. q. 3. n. 3. — Illa poena *vermis* erit quaedam tristitia et continuus remorsus conscientiae. — *Ib.* q. 6. n. 14.

Damnati erunt *miseri,* miseria, scilicet, *animae* et *corporis;* et ita est *duplex miseria,* sicut et Beati sunt *beati* in *anima* et *corpore.* — *Miseria* autem *animae* est in *duplici* poena, scilicet, *damni* et *vermis.* De *poena damni* dico, quod non est *solum carentia,* quia sic non esset *poena,* sed est carentia *boni apti nati inesse* et *convenientis,* quod debet inesse; non boni *remoti,* sed *propinqui;* nec cum hoc toto esset illa carentia poena, nisi esset *nolita.* — *Ib.* n. 12. — Vid. *Oxon.* IV. d. 44. qq. 2-3. — II. d. 33. n. 5. — *Report.* ib.

Datio duplex. — *Aliquis* est *dans* ita liberaliter, quod nihil respicit, nisi ipsam dationem, non exspectans aliquam redditionem ex pacto post donationem, quia redditio non cadit sub pacto pro tunc, nec * pro * futuro; et taliter dans vere dat, etsi nihil recipiat ab illo cui dat; et tenet datio talis, quae est *mera datio.* — *Alia* est *datio,* quae ex natura donationis essentialiter includit redditionem, non solum pro futuro, sed etiam pro tunc, pro quando dans facit talem dationem; et hoc non est *mere datio,* sed rerum *permutatio,* quae nulla est nisi fiat *redditio.* — *Report.* IV. d. 30. q. 1. n. 7. — *Oxon.* ib. n. 6.

Dativus. — Vid. *Grammat.* n. 89.

Dator. — Vid. *Donum.*

De. — Per ly *de,* * in ista propositione, *Filius est de substantia Patris* *, non tantum notatur efficientia vel origo; si enim tantum efficientia, tunc creaturae essent *de* substantia Dei. Nec notatur per illud *de* tantum consubstantialitas, quia tunc Pater esset *de* substantia Filii. Sed notatur simul originalitas et consubstantialitas, ut scilicet in casuali huius praepositionis, *de,* denotetur *consubtantialitas,* sic quod Filius habet eamdem substantiam et quasi formam cum Patre, *de* quo est originaliter; et per illud quod construitur in genitivo cum isto casuali notetur principium *originans;* ita quod totalis intellectus huius sermonis, *Filius est de substantia Patris,* est iste: Filius est originatus a Patre ut consubstantialis ei. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 12.

« De » accipitur multipliciter. — *De,* licet possit multipliciter sumi, sicut patet per Anselmum, *Monol.* c. 8., uno tamen modo accipitur ut notat *ordinem.* Tamen ut notat ordinem adhuc est multipliciter dictum; quia potest notare ordinem *naturae* vel *durationis.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. n. 3. — Vid. *Prius natura multiplex.*

Declarare in Divinis. — Vid. *Dicere in divinis,* etc.

Declinatio grammaticalis. — Vid. *Grammatic. specul.* n. 95.

Defectus. — Defectus est *carentia eius quod natum est inesse.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 25.

Deficere -- Desinere. — *Deficere,* sicut *desinere,* potest exponi *dupliciter: uno modo* per *positionem* praesentis, et *negationem* futuri, * « ut *nunc est, et non erit* (1) » *: vel per *positionem* praeteriti, et *negationem* praesentis * « ut *nunc non est, et fuit* (2) » *. — *Primo modo* debet exponi in indivisibilibus, et in his quae habent ultimum sui *esse;* illa enim non habent primum sui *non esse,* et tunc desinunt, cum sunt; et hoc modo *nunc* desinit in se, quia nunc est, et post hoc non erit. Et si quaeras primum sui *non esse,* nullum est, sicut nec alicuius habentis ultimum *esse.* -- *Oxon.* II. d. 2. q. 1. n. 16. — *QQ. Metaph.* lib. IV. q. 4. n. 4.

Definibile primo — non primo. — Definibile oportet esse ens positivum, per se unum, et reale et commune; nihil enim habet definitionem *primo,* nisi substantia, quae non definitur per aliquod additum, neque sicut correlativum additur in definitione correlativi, nec sicut subiectum in definitione accidentis; talia enim habent definitionem, sed *non primo,* * ut * patet *VII. Metaph.* — *Oxon.* IV. d. 3. q. 1. n. 1.

Definitio. — *Definitio* est *distincta cognitio definiti secundum omnes eius partes essentiales.* — *Oxon.* I. d. 36. n. 11.

Notandum est, quod cuiuscumque, sive *entis* sive *non entis,* quod potest concipi et significari, potest esse *aliqua ratio nominis,* quae scilicet explicet *explicite* et *distincte* illud quod nomen importat *implicite* et *confuse* (3). Et quaelibet ratio talis potest dici *definitio, extendendo nomen* definitionis. — Sed *definitio proprie dicta* non est nisi *ratio verum esse significans,* secundum Philosophum, *I. Top.* cap. 4. (1); et ideo non est *quaecumque* ratio nominis, sed ratio *per quam distincte indicatur verum quid rei.* Non est ergo proprie *non entis,* et hoc sive *non ens* accipiatur *proprie* pro *impossibili* quod includit contradictionem, sive pro *pura negatione,* vel *privatione;* quia *non ens* non habet *quid est.*

Nec est ratio eius quod *non est per se unum,* ut patet ex *VII. Metaph.* c. 3. Intelligo autem *per se unum,* scilicet quod est simplex, vel *compositum* ex *per se actu* et *per se potentia.* Nec ista unitas impedit, quod definitum includat aliquid tanquam *terminum per se dependentiae,* ut *accidens* includit *subiectum,* vel sicut aliquid quod *simul est secum natura,* ut *relativum* includit *correlativum;* sed prohibet, quod nihil includatur tanquam *per se pars* in ipso, quod non se habeat ad aliud in eodem sicut *per se actus* ad *per se potentiam,* vel pars eiusdem actus, vel eiusdem potentiae, ad aliam partem.

Nec est tertio *entis rationis,* quod est tantum ens diminutum, quia proprie *quid,* sicut et *ens,* non competit nisi enti *reali.* Patet *V.* et *VI. Metaph.* Nec intelligo *hic ens rationis* quod est in intellectu *obiective,* quia sic omne *universale* est in anima; nec illud quod est tantum in intellectu *subiective,* quia sic intellectio et scientia sunt in anima, quae tamen sunt formae *reales,* et in genere qualitatis; sed intelligo ens in anima, tanquam *secundo* consideratum, non tanquam *primo* consideratum, ad quod considerandum movetur primo anima a re extra, sed tanquam ens in primo considerato, inquantum consideratum; et tale, ut in summa sit dicere, non est nisi *relatio rationis,* quia nihil habet praecise esse in considerato, ut considerato, nisi comparatio qua *consideratum* comparatur ad aliud *per actum considerantis.* Ens ergo diminutum, ut hic accipitur universaliter, est *ens rationis* (2).

---

(1) *QQ. Metaph.* lib. IV. q. 4. n. 4.

(2) *Ib.*

(3) « Eadem enim est ratio exprimens quid dicitur per nomen et vera definitio. Nam, secundum Philosophum, *IV. Metaph.*, ratio quam significat nomen est definitio. Et hoc apparet per rationem, quia nomen imponitur ad significandum essentiam rei; ergo ratio quae exprimit quod dicitur per nomen distincte et per partes exprimit distincte per partes conceptus essentiae rei ». — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 9.

(1) « Ex *I. Topic.* Definitio est *oratio indicans quid est esse rei* ». — *Oxon.* I. d. 25. n. 3.

(2) « Definitio non tantum indicat rationem *causatam ab intellectu,* sed *quidditatem rei* ». — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 18.

Quarto, non est quid expressibile per *definitionem*, de quo non potest haberi nisi conceptus *simpliciter simplex*, quia secundum Philosophum, *VIII. Metaph.* cap. 2., *Definitio est ratio longa* (1), et oportet terminum esse rationem longam exprimentem *quid* et *quale; distincte* enim explicat * *definitio* * quod *definitum* importat *implicite;* ergo oportet quod de *definito* possint *plures* conceptus formari, *quidditativus* scilicet et *qualitativus*, per quos explicatur.

Quinto, non est *singularis;* quia non potest esse ratio omnino exprimens *quidditatem* eius, quin illa explicet aliud, quod non pertinet ad *quod quid erat esse*, ut patet *II. lib. distin.* 3. q. de *Individuatione.*

Ex his sequitur, quod *definitio proprie* dicta est *entis positivi, per se unius, realis, compositi realiter*, vel *quantum ad conceptus, universalis*, et *solius talis.* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. nn. 2.-3. — d. 3. q. 1. n. 1.

Philosophus, *VII. Mataph.* c. *de Definitione*, dicit: *Nihil aliud est in definitione, quam primum dictum genus et differentiae. Alia vero genera sunt primum et cum hoc comprehensae differentiae.* Et exemplificat statim: *ut animal alatum, vel animal bipes non alatum. Similiter autem, et si plura dicantur, omnino non differt per plura aut per pauciora dici.* Vult dicere, quod nihil aliud est definitio, quam *primum* genus cum *multis* differentiis, vel *proximum* genus et *una* differentia; quia proximum genus nihil est nisi genus remotum cum multis differentiis inclusis; et quilibet modus definiendi includeret nugationem, si differentia inferior per se includeret superiorem. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 48. — Vid. *Definitio dupliciter fit.*

Definitio proprie est *speciei*, cum *definitio* constet ex *genere* et *differentia*, ex quibus proprie constat *species*. Unde, si aliquando genus, puta subalternum, definiatur, hoc est ut habet aliqualiter rationem speciei. — *Exposit., in Metaph.* lib. V, S. unic. c. 5. n. 59. — Partes *definitionis*, quae sunt diversi conceptus inter se primo, sunt idem conceptui *speciei*, qui *unus* est, ita quod *unitas* ad conceptum *speciei* refertur, et *dualitas* ad conceptum *generis* et *differentiae.* — *Poster.* I. q. 20. n. 4. — Omnis *definitio* complectitur *genus*, quod se habet ut *materia*, et *differentiam*, quae se habet ut *forma;* quae respondent duabus rebus, vel saltem duabus realitatibus, ex parte *definiti*, quarum una est *materialis*, et alia *formalis.* — *Exposit.* etc. lib. VIII. S. un. c. 2. n. 21.

Definitio non est nisi *substantiae compositae*, cuius est hoc *materia*, et illud *forma.* — *Theor.* XXI. n. 3. — Oportet *definitionem* esse compositam et habere partes; constat enim ex duabus conceptibus, uno *quidditativo*, et alio *qualitativo*, qui exprimunt principium *materiale* et *formale* ex parte definiti. — *Exposit.* etc. lib. VII. S. 2. c. 10. n. 74. — Aliquae * tamen * sunt partes * in *definitione* *, sine quibus *definitum* non potest esse nec intelligi, et dicuntur partes *essentiales*, vel *species;* aliquae vero sunt, sine quibus *definitum* potest intelligi; et tales dicuntur partes *materiales*, vel partes *individuae.* — *Conclus. Metaph.* l. VII. concl. 31.

Definitio dicit *quid* vel *aliquid.* — *Concl. Metaph.* lib. VII. concl. 8. — *Definitio* perfecta explicat essentiam definiti. — *Report.* II. d. 1. q. 6. n. 7. — *De rer. princ.* q. 9. n. 33. — *QQ. Metaph.* lib. II. q. 3. n. 11. — *Ib.* lib. VII. q. 4. n. 1. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 18. — *Opus prim. sup. I. Periherm.* q. 2. n. 2.

Omne illud oportet poni in *definitione sine quo definitum non potest concipi*, quia *definitio* exprimit * seu exprimere debet * *completum* intellectum *definiti.* — *Super Praedic.* q. 29. n. 6. — Quia definitio est distincta cognitio definiti secundum omnes eius partes essentiales. — *Oxon.* I. d. 36. n. 11. — Secundum Philosophum, *IV. Metaph. text. 20., definitio* est ratio quam significat nomen, et ideo tantum est

(1) « Patet auctoritate Aristotelis, *VIII. Metaph.* c. 3: *Oportet terminum, id est definitionem, esse rationem longam, quia significat aliquid de aliquo, ita quod oportet illud esse materiam, et illud formam* ». — *Ib.* q. 3. n. 16. — III. d. 22. n. 12.

signum; et cum convertitur cum *definito*, hoc est sicut *signum* cum *signato*. — *Report.* I. d. 27. q. 3. n. 4. — Vid. *Differentia est in plus quam definitum dupliciter.*

Tria sunt quae videntur posse *impedire* aliquid *definiri*: *unum* est si illud de quo aliquod genus praedicatur participat illud genus, sicut *lignum* dicitur *aqueum; aqua* enim praedicatur de *ligno* secundum quamdam *extrinsecam participationem*; et ideo *lignum* non potest definiri per tale genus, idest per *aquam*, cum aqua non sit de *essentia* ligni.

Aliud est si illud quod de alio praedicatur sit *ut subiectum* respectu propriae passionis, sicut *homo* praedicatur de *risibili*, et tamen *essentia* hominis non est formaliter quidditas *risibilis*.

Aliud est, si illud quod de alio praedicatur sit *accidens* eius, ut cum *musicum* praedicatur de *homine; homo* enim non est *essentialiter* ipsum *musicum*. — *Exposit.* etc. lib. VII. S. 2. c. 2. n. 26. — Vid. *Quid = Sacramentum.*

Alius terminus est definitio, alius definitum, et hoc sive accipiantur termini propositionis pro vocibus significantibus, sive pro conceptibus significatis. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 2. — Cuicumque repugnat formaliter definitio, eidem repugnabit et definitum. — *Ib.* d. 8. q. 3. n. 20. — * At * *definitio* et *definitum* sunt perfecte idem; ideo ubi ponitur unum, potest etiam poni reliquum. — *Exposit.* etc. lib. VII. S. 1. c. 2. n. 6. — *Ib.* S. 2. c. 10. n. 74. — *Ib.* n. 126. — Partes *definitionis* coniunctim et divisim praedicantur de *definito primo modo* (1); et huius ratio est, quia tunc est *primus modus* * *praedicandi* * quando subiectum egreditur a principiis *praedicati*, sive a praedicato *secundum se*; quod dicitur propter genus *generalissimum*, generalissimum enim praedicatur de *per se* contentis * sub eo *, et tamen *subiectum* non potest egredi a principiis *generalissimi*, quia * *generalissimum* * principium non habet, non enim habet *genus superius*, vel *differentiam* (2); sed *subiectum* egreditur a *generalissimo* tanquam ex *causa; generalissimum* enim, ut *substantia*, quae substantia praedicatur de *homine*, est *causa* quare *homo* est *substantia*; ex hoc enim est homo substantia, quia substantia inclusa in homine est substantia * *generalissimum* *. — Sed quando praedicantur partes *definitionis* de *definito*, coniunctim vel divisim, illae sunt *causae* a quibus progreditur *subiectum*; igitur est *primus modus dicendi per se*. — *Poster.* I. q. 20. n. 4.

Definitio — Divisio. — Cognoscere distincte habetur per *definitionem*, quae inquiritur per viam divisionis, incipiendo ab ente usque ad conceptum definiti. — In *divisione* autem prius occurrunt conceptus communiores, deinde genera et differentiae, in quibus concipitur distincte conceptus inferior. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 24. — *Ib.* q. 4. n. 16.

Definitio dupliciter fit. — *Uno modo* ex genere *primo generalissimo* et *omnibus differentiis* usque ad ultimam; et hoc est quando genus proximum est *innominatum*; tunc enim circumloquimur ipsum per genus remotum et differentias omnes communes usque ad ultimam; et tunc genus remotum tenet locum generis proximi cum omnibus differentiis praecedentibus et communibus. — *Secundo modo* assignatur *definitio* ex genere *proximo* et *ultima* differentia; et hoc quando proximum genus est *nominatum* et ultima differentia est *nobis nota*. Exemplum *primi:* ut si dicatur, quod *homo* est *substantia corporea, animata, sensibilis, rationalis*, dato quod genus *proximum* ignoretur. Exemplum *secundi*; ut si dicatur quod *homo* est *animal rationale*, dato quod *animal* sit genus *proximum*, et *rationale* sit *ultima* differentia. — *Exponit. in Metaph.* lib. VII. S. 2. c. 23. n. 102.

Non * tamen * potest intelligi, quod *tota* ratio quidditativa sit in *ultima differentia*; tunc enim *genus* superflueret in *definitione*, quia sola ultima differentia *totam* essentiam rei exprimeret; sed debet sic intelligi, quod *completive* est tota substantia rei, sicut a *forma ultima completive* est tota essentia habentis formam. — *Ib.* n. 106.

---

(1) Vid. *Praedicatio per se primo modo.*

(2) Vid. *Genus generalissimum.*

Definitio materialis — formalis. — Vid. *Dicere per se est dupliciter.*

Definitionis conditiones. — *Prima* est, quod definitio debeat sic fieri, quod per ipsam appareat, quae res sit illa, de qua datur definitio. — *Secunda,* quod per illam possint solvi quaestiones contingentis circa *quid est* definiti. — *Tertia,* quod per ipsam appareant causae omnium per se accidentium definiti. Et causa est, quia bona definitio non solum debet exprimere *quae* res est, sed etiam debet exprimere *causas definiti,* quae sunt causae omnium per se accidentium eius. — *Quarta* conditio, quod per definitionem appareat causa diversitatis opinionum de definito. Causa huius est, quia per bonam definitionem debent exprimi omnia significata et connotata partium definiti, ex quorum ignorantia accidit fieri diversas opiniones. — *Phys.* IV. Exposit. text. 31. n. 25. — Definitio debet indicare omnia praedicata essentialia de definito, et illa includere, secundum Aristotelem in *secundo huius.* — *Poster. I.* q. 24. n. 5. — Definitio exprimit totum per se intellectum definiti; quia aliter non conveniret primo definito. — *Super Univer. Porph.* q. 25. n. 3. — Non est definitio, nec descriptio conveniens, nisi convertatur cum definito vel descripto. — *Ib.* q. 27. n. 6.

Definitio nominalis duplex. — Ratio declarans quid significet nomen fit *uno modo,* quando nomen minus notum exprimitur per aliud nomen notius: puta, si hoc nomen *philosophus* exponatur per hoc nomen *sapiens.* — Fit *alio modo,* quando sumitur aliqua ratio magis nota: puta, si ad exponendum hoc nomen *philosophus* sumatur haec ratio *amator sapientiae.* — *Exposit. in Metaph.* lib. VII. S. 2. c. 2. n. 26.

Definitio propria — communis. — Definitio de re * aliqua * potest assignari duplex, scilicet: *propria,* quae est *speciei,* et *communis,* quae est *generis.* — *Exposit. in Metaph.* lib. V. S. unic. c. 7. n. 52.

Definitio realis — nominalis. — Duplex est definitio: quaedam est definitio *quid rei,* et quaedam *quid nominis.* — Definitio *quid rei* est duplex: quia quaedam exprimit quid res est per verum genus et differentias formales, sine explicatione *alicuius extraneae conditionis.* Et voco *extraneam conditionem,* puta quod definitio non exprimat a quo res est, in quo est, cuius gratia sit, aut aliquam huiusmodi conditionem; sed solum debet exprimere *quid* res est; et talis definitio datur solum de substantia composita, ut patet *VII. Metaphysicae text. com. 12.* (1). — Secunda est definitio *quid rei,* quae non solum exprimit *quid* res est, sed cum hoc explicat *aliquam extraneam conditionem,* ut verbi gratia, definitio accidentis, si sit bona, debet exprimere subiectum, et in definitione materiae debet explicari forma, et e contra in definitione formae materia. — Sed definitio *quid nominis* proprie dicitur *descriptio,* et est illa *quae exprimit explicite significationem implicitam termini definiti.* Ad talem descriptionem, quod sit bona, sufficiunt tres conditiones: prima est, *quod sit convertibilis cum definito;* secunda est, quod *exprimat explicite significationem definiti;* tertia est, quod *sit sine nugatione.* — *Prior.* I. q. 5. n. 5.

Definitio simplex seu essentialis — per additamentum. — Est *duplex definitio:* una *simpliciter* * seu *essentialis* * (2), quae est habentis *quod quid est* simpliciter, ut *substantiae;* et ista definitio tantum habet *genus* et *differentiam,* quae sunt intra per se intellectum *speciei.* — *Alia* est definitio *per additamentum,* ubi scilicet aliquid additur *praeter essentialia* definiti; et talis est *accidentium.* Quia enim accidentia non cognoscuntur complete sine subiecto, et definitio datur causa completae cognitionis habendae, ideo non definiuntur sine subiecto; sed quia talis definitio *aggregat* in se aliquid, non de essentia definiti, ideo plus significat quam nomen definiti. — *Super Praedic.* q. 8. n. 7.

In definitione *essentiali definitum* natum est *subiici* respectu partium *definitionis,* quia ad illas comparatur ut *quid,* tanquam ad suam propriam essentiam. — Sed in definitione *per additamentum* non oportet *definitum* esse natum subiici respectu cu-

---

(1) Cf. exposit. Doctoris, n. 23,

(2) Ex *Post.* I. q. 16. n. 9.

iuscumque partis *definitionis*, quia non respectu subiecti; non enim comparatur ad utramque partem ut *quid*, sed ad unam ut *quid*, ad aliam vero ut *quale;* ut patet in isto exemplo, *Simum est nasus cavus. Simum* comparatur ad *nasum* ut *quale*, per hoc quod est sibi *additum*. Sed ad *cavum* comparatur ut *quid*, sicut omne inferius comparatur ad suum superius per modum *quid* in eodem genere. — *Poster. I.* q. 16. n. 9.

Definitio — unum potest cadere in definitione alterius dupliciter. — *Unum cadere in definitionem alterius* potest esse *dupliciter: uno modo*, sic, quod unum sit *intrinsecum essentiae alterius*, sicut in definitionem *speciei* cadit *genus* et *differentia*, quae sunt *intrinseca essentiae* speciei, sicut *animal* et *rationale* sunt *intrinseca homini*. — *Alio modo* unum cadit in definitionem alterius, non sicut intrinsecum essentiae, sed sicut *additum essentiae*, quod est *extrinsecum;* et isto modo *subiectum* cadit in definitionem *accidentis;* sicut *homo* cadit in definitionem *risibilitatis* tanquam *extrinsecum* esse risibilitatis; ideo definitio *accidentis* dicitur definitio *per additamentum*. — *Poster.* I. q. 16. n. 8.

Definitive. — Vid. *Locatio corporis — Angeli.*

Definitum. — *Definitum* accipitur *dupliciter : uno modo* pro *termino*, cuius significationem *implicitam* exprimit definitio *explicite*. Et sic attribuuntur *definito tres conditiones: prima* est, quod *definitum est terminus communis incomplexus. Secunda* est, quod *definitum* est *convertibile cum definitione. Tertia*, quod *nullum singulare definitur*. — *Alio modo* accipitur *definitum* pro *re significata* per terminum convertibilem cum definitione; et sic dicit Commentator *in prooemio de Anima*, quod *definitiones sunt ipsorum singularium existentium extra animam*. — *Prior.* I. q. 5. n. 4.

Defraudatus in substantia — in quantitate. — In *substantia*, qui putat permutando accipere aliam *substantiam*. — In *quantitate*, qui putat accipere aliud *quantum*. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 2. n. 14.

Degradatio. — Vid. *Poena canonica.*

Dei cognitio speculativa — practica. — *Duplex* est cognitio Dei circa res: una *speculativa*, secundum quam cognoscit omnia, absque hoc quod actu existant, vel non existant. Et isto modo simul cognoscitur esse et non esse rei. — Alio modo *quasi practice;* et isto modo cognoscitur res considerando suum velle et suum nolle, a quibus dependet existere vel non existere rei. — *De rer. princip.* q. 4. n. 49.

Dei existentia dupliciter demonstrabilis. — De Ente infinito non potest demonstrari esse *propter quid* * (a *priori*) * quantum ad nos, licet ex natura terminorum propositio esset demonstrabilis *propter quid;* sed quantum ad nos propositio est demonstrabilis demonstratione *quia* * (a *posteriori*) * ex creaturis. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 10.

Dei mensura. — In qualibet re existente in actu *duo* est considerare: unum scilicet eius *essentiam;* aliud eius *existentiam*. Et secundum utrumque eorum respondet ei *varia mensura*. — Ex parte essentiae mensura *Dei* est sua *immensitas*. Ex parte vero suae existentiae Dei mensura est *aeternitas*, quod modum suae existentiae simplicem, invariabilem, actu et potentia, carentem fine et principio, mensurat. Et haec quidem mensura *in se* est *indivisibilis*, nec habens partem et partem; *virtute* tamen et per coexistentiam *infinita*. Unde si totum tempus secundum omnes partes suas simul esset, *aeternitas* et eius *nunc* omnibus coexisteret partibus temporis, si simul essent. Unde *indivisibilitas* aeternitatis quodammodo est sicut indivisibilitas animae rationalis, quae tota coexistit omnibus partibus corporis, indivisa eius essentia. — *De rer. princ.* q. 19. n. 1. — Vid. *Mensura rerum = Aequalitas in Divinis.*

Deitas. — Cuilibet entitati formali correspondet adaequate aliquod ens, vel aliquid ens entitate tali: ista autem Deitas, quae est entitas formalis, quia se tota est forma, non habet sic sibi adaequate correspondens *quod* nisi *Deum*. — *Oxon.* I. d. 4. q. 1. n. 2. — Unicuique *quo* correspondet proprium *quod* vel *quis;* et ideo Deitati, ut Deitas est, correspondet *quod* vel *quis*, quia illud *quod* vel *quis* est primo Deitate ens,

ut Deitas est; et sicut Deitas est de se *haec*, ita Deus, qui Deus est Deitate, est de se *hic*. — *Ib.* q. 2. n. 3. — *Deitas* est abstractum ultimata abstractione. — *Ib.* d. 5. q. 1. n. 7. — Vid. *Abstractio in substantiis — in accidentibus*, etc. — Ei * (naturae divinae) * adaequate correspondet unum singulare, quod exprimitur nomine *Dei*, quod naturali intelligentia intelligitur ante quamcumque proprietatem personalem. — *Ib.* d. 4. q. 2. n. 4. — Deitas est communis omni subsistenti in natura divina, et est aliquid subsistentis in natura divina. — *Ib.* d. 19. q. 2. n. 11. — Vid. *Deus*.

Deitas dupliciter communicabilis. — *Communicabile pluribus* dicitur dupliciter: *uno* modo dicitur communicabile pluribus quod *est idem cuilibet eorum*, ita quod quodlibet sit ipsum, sicut universale dicitur communicari suis inferioribus. — *Alio* modo communicatur alicui ut *forma*, qua aliquid est tale secundum ipsum, sed non est ipsum, ut anima communicatur corpori. — Et utroque modo Deitas est communicabilis * tribus Personis *. — *Oxon.* I. d. 23. n. 4. — d. 4. q. 2. n. 3. — Vid. *Persona*.

Dei ubiquitas. — Vid. *Deus quadrupliciter adest creaturis*.

Delectabile — Delectare. — *Delectabile* dicit aliquid in se; vel si respectum, non nisi aptitudinalem, qui necessario consequitur fundamentum; sed *delectare* dicit effectum posteriorem contingenter causabilem. — *Oxon.* IV. d. 48. q. 1. n. 6.

Delectatio. — *Delectatio* est passio consequens naturaliter operationem perfectam. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 24. — I. d. 1. q. 3. n. 2. — *Delectatio* est *coniunctio convenientis cum convenienti*. — *Collat.* XVII. n. 14. — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 10. n. 2. — Omnis *delectatio* est *virtutis appetitivae* passio ex placenti percepta. — *Ib.* lib. I. q. 2. n. 7. — *Delectatio* tantum videtur esse eius cuius est desiderium elicitum. — *Ib.*

Quod dicit Avicenna, *VIII. Metaph.*, quod delectatio est *coniunctio cuiuslibet virtutis cum convenienti*, accipit ibi *virtutem* ut includit *cognitivam* et *appetitivam* suam propriam; quia quaelibet virtus cognitiva habet suam propriam appetitivam; nec potest *perfecte coniungi cum convenienti*, nisi secundum utramque coniungatur; et propter *propinquitatem* accipiuntur tanquam *una potentia;* sunt enim inseparabilius coniuncta, quam *operatio* et *delectatio*, quas Philosoph., *X. Ethic.*, dicit non posse ab invicem separari, et ideo videntur *eadem*. Unde tales praedicationes sunt causales, ut sit sensus: delectatio est *coniunctio cuiuslibet virtutis cum suo convenienti*, quia *causatur ex obiecto convenienti*. — *Oxon.* III. d. 15. n. 10-11. — I. d. 1. q. 4. n. 21. — Vid. *Dilectio — Delectatio*. = *Appetitus animalis — rationalis*, etc.

Delectationis causa efficiens et non finalis videtur esse obiectum delectabile; et ita non tendit delectans in obiectum propter se. — *Oxon.* I. d. 1. q. 3. n. 3. — Delectatio est ab obiecto quod attingitur per actum, et non tantum ab ipsa potentia agente circa obiectum. — *Ib.* d. 17. q. 3. n. 34.

Delectatio est formaliter in voluntate, et sequitur operationem, per quam quietatur in alio, cui coniugitur. — *Ib.* IV. d. 49. q. 7. n. 4. — Nunquam enim delectatio est in factione, quae praecise est factio, sed quia actio est in agente potest esse actio delectabilis propter convenientiam agentis ad obiectum. Hanc autem convenientiam potest tribuere habitus ex hoc, quod inclinat ad actionem et obiectum; ergo et delectabilitas non includit rationem principii activi, sed tantum convenientiam principii passivi ad actionem et obiectum; et hoc ad actionem quae est de genere Qualitatis, non quae est de genere Actionis, de qua differentia Actionum dictum est supra * (Vid. *Actio multipliciter accipitur*) *, quod quaedam est actio quae est qualitas, et illa convenit potentiae habituatae, quae per habitum inclinatur ad talem actum, et ad obiectum terminans talem operationem. — *Oxon.* I. d. 17. q. 2. n. 12.

Deliberare — Deliberatio. — Absolute nullus vitiose vel virtuose agit, nisi agat ex deliberatione. Sicut enim non *humane* agit, nisi agat intelligendo * (Vid. *Actus humanus*) *, ita circa illud quod est ad finem non humane *bene* agit, nisi intelligendo illud propter quod agit; et istud intelligere est

deliberare. — *Oxon.* III. d. 33. n. 23. — Deliberatio est eorum quorum est electio; electio autem est eorum quae sunt ad finem, et est de conclusione, quae deliberative concluditur per syllogismum practicum. — *Ib.* IV. d. 49. q. 10. n. 7.

Demonstratio. — *Tria* ad *demonstrationem* requiruntur; necesse est enim *demonstrationem* esse *ex aliquibus,* scilicet *principiis,* et *circa aliquid,* scilicet circa *subiectum,* et *aliquorum,* scilicet accidentium *propriorum.* — *Exposit in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 2. c. 1. n. 17. — Nec per ipsam demonstrationem acquiritur aliquo modo de subiecto *quid est,* imo totaliter praesupponitur; sed tantum per demonstrationem acquiritur cognitio passionum inhaerentium sibi. Cognitio principii totaliter praesupponitur demonstrationi, et in nullo perfectior acquiritur per demonstrationem. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 12. — Demonstrationis enim principii non est demonstratio. — *Quodlib.* q. 16. n. 9.

Intelligendum est, secundum Linconiensem, quod *demonstrativa* scientia potest accipi vel secundum quod est *eadem* cum *demonstratione,* et isto modo ista praepositio *ex* (1) debet denotare circumstantiam causae *materialis;* et tunc est sensus, quod *demonstratio* est *ex primis,* tanquam ex causa *materiali,* quia *principia* sunt causae *materiales demonstrationis.* — *Alio modo* scientia *demonstrativa* potest accipi pro *habitu* acquisito per *demonstrationem;* et sic scientia *demonstrativa* solum est *conclusionis* in *demonstratione.* Isto modo haec praepositio *ex* dicit circumstantiam causae *efficientis,* sive *originantis,* quia scientia *demonstrativa,* quae est habitus conclusionis, est *ex principiis veris,* tanquam ex causa *efficiente* vel *originante,* quia *principia* sunt *origo* scientiae conclusionis.

Hanc definitionem Aristoteles sic ostendit: primo declarat hanc particulam *ex veris,* isto modo: *Quod scitur in demonstratione est verum* (1): *sed verum non scitur nisi ex veris.* Licet enim *verum* possit *syllogizari* ex *falsis,* non tamen *sciri* ex *falsis,* quia *falsum* non est; vera igitur *demonstratio* est *ex veris.* — Item, *demonstratio* est *ex primis,* quia *ex principiis* quae sunt eadem. — Item, *demonstratio* est *ex immediatis,* quia si *demonstratio* esset ex *mediatis,* aut tunc esset processus in infinitum, aut esset status ad *immediata:* non est processus in infinitum, quia tunc nihil sciretur; si est status ad *immediata,* habetur propositum. — Item, *demonstratio* est *ex prioribus* et *notioribus,* quia intellectus noster in syllogizando procedit *a magis ad minus notum,* quia minus notum vel aequaliter non faciunt scientiam de ignoto. — Item, *demonstratio* est *ex causis,* quia *demonstratio* facit *scire:* et *scire* est *per causam* cognoscere; ergo *demonstratio* est *ex causis.* — Sciendum tamen est, quod Aristoteles, *II. Poster.* text. 5., non ponit hanc particulam, *ex propriis,* quia hoc innuitur per hanc particulam, *ex causis;* causa enim est *propria* respectu illius, cuius est causa.

* Probatur ulterius quod * *demonstratio* est *ex primis* etc.; cuius ratio est quia *demonstratio est syllogismus faciens scire.* Haec est definitio *finalis,* * seu ex fine *, *demonstrationis:* et *scire* est *per causam* cognoscere; ergo (2) etc. — *Poster.* I. q. 11. n. 4.

* *Ad pleniorem praedictorum intelligentiam sequentia afferre iuvat:* * Posita hac particula *primis,* non superfluit ponere *immediatis,* quia forte non omnia *principia* sunt *immediata.* Haec enim est *per se prima, homo est animal,* et tamen *medium* habet per quod potest demonstrari. Similiter, posito quod * *prima* et *immediata* * sint eadem, tamen ex *diversa* proprietate accipitur; ideo non est superfluitas, nec diminutio. — Non superfluit haec particula *ex prioribus. Principia* enim dicuntur *prima in se* et *absolute,* sed *priora* dicuntur per

---

(1) In definitione Demonstrationis, « necesse est demonstrativam scientiam * seu demonstrationem * ex veris esse et primis et immediatis et notioribus et prioribus causisque conclusionis ». — Aristot. *Poster.* I. text. 9.

(1) *Quodlib.* q. 7. n. 23.

(2) « Demonstratio est universalium, sicut scientia, ex *VII. Metaph.* et *I. Poster.* » — *Oxon.* III. d. 22. n. 9.

comparationem ad conclusiones, quae sunt *posteriores;* et ideo posito uno, non superfluit alterum. Similiter *primum* non est *relativum,* nisi per *accidens;* non enim *refertur primum* ad *secundum,* nisi quia *refertur secundum* ad *primum.* Posito enim quod nihil esset ens in rerum natura, praeter illud quod est ens *primum,* adhuc illud esset *primum;* et tamen *non relatum* ad *secundum,* nisi *per accidens,* sicut *scibile* ad *scientiam.*

Non superfluit dicere *ex causis,* * quasi sufficeret dicere *ex primis* seu *principiis* *, quia *causa* ex hoc quod est *causa,* et ad hoc quod sit *concludens,* oportet quod sit *propria,* sed non oportet *principium* esse *proprium.* Similiter ex alia ratione dicitur *principium,* et * ex alia * *causa* (1), et ideo non superfluit.

Aristoteles non intelligit, quod *demonstratio* sit *ex primis simpliciter* et *extra genus,* quia sic non esset nisi tantum *una* demonstratio, vel saltem non esset nisi *una scientia;* sed Aristoteles intelligit, quod *demonstratio* est *ex primis in genere,* et quia in *diverso* genere *sciti diversa* sunt *principia, alia* enim sunt *principia* in Arithmetica, et *alia* in Geometria, ideo *demonstratio* est *diversa* et *multiplicata,* sicut *diversae* scientiae. — *Ib.* n. 7.

Demonstratio est necessariorum, et definitio, et scientia; et non contingit, sicut nec scientiam quandoque scientiam, quandoque ignorantiam esse, ita nec *demonstrationem,* nec *definitionem* quandoque contingit esse talem, quandoque non esse talem. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 15. n. 125. — *Ib.* lib. V. S. unic. c. 5. n. 41. — *Quodlib.* q. 7. n. 9. — Vid. *Propositio demonstrabilis.*

Demonstratio a priori — a posteriori. — * Haec * distinctio est nota ex *I. Posteriorum,* quod *demonstrationum* alia est *propter quid,* sive per *causam* * (id est *a priori*) *; alia *quia,* sive per effectum * (seu *a posteriori*) *. Probatur ista distinctio per rationem: quia omne necessarium verum *non evidens ex terminis,* habens tamen connexionem necessariam et evidentem ad aliud, ut necessarium *evidens ex terminis,* potest *demonstrari* per illud verum evidens. Nunc autem, aliquod verum necessarium non evidens ex terminis habet connexionem necessariam ad aliquod verum acceptum *a causa,* et aliquod verum acceptum *ab effectu;* non solum enim veritates de *causis* non possunt esse sine quibusdam veris de *effectibus,* sed nec e converso; igitur potest aliquod verum *demonstrari* per aliquod verum evidens acceptum *a causa,* et tunc *propter quid;* vel per aliquod verum acceptum *ab effectu,* et tunc *quia* (1).

Et videtur hinc sequi corollarium: quod principia *immediata,* sive *evidentia ex terminis,* non possunt demonstrari demonstratione *quia.* Quod si verum est, tunc quaedam media vera inter prima vera et conclusiones ultimas, et solum illa sunt *demonstrabilia,* quia per vera ultima. — Qualiter autem verum acceptum *ab effectu* possit esse evidens, et tamen verum acceptum *a causa* non evidens, patere potest, si aliquis consideret modum acquirendi scientiam *per experientiam;* quia per experientiam est frequenter notum de effectu *quia est,* * seu ipsius existentia *, ex multis singularibus acceptis a sensu, et nondum scitur *propter quid* ita est, quia illud non habetur a sensu, nisi mediante ulteriore acquisitione. — *Quodlib.* q. 7. n. 3. — Sicut in demonstrationibus *propter quid* est ordo, ita in demonstrationibus *quia.* — *Ib.* n. 14.

Demonstratio circularis. — Non est inconveniens *demonstrare circulariter* secundum *aliud* genus demonstrationis, imo nec tunc est proprie *circulus;* sic enim demonstratur *effectus* per causam * a priori *, *propter quid,* et *causa* per effectum *demonstratione quia,* * *a posteriori* *, sine aliquo inconvenienti. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un. c. 5. n. 32.

Demonstratio fieri potest multipliciter. — Contingit *demonstrare* per quodlibet genus

(1) Vid. *Principium — Causa.*

(1) « Non potest * autem * scire illud de causa per effectum demonstratione *quia,* quo circumscripto remanet in causa quidquid est necessarium ad causandum ». — *Quodlib.* q. 14. n 9.

causae, * sc. *finalis, materialis, formalis, efficientis* *. Cuius ratio est, quia *causa* et *medium* sunt eadem: sed contingit demonstrare per quodlibet *medium* demonstrationis; ergo per quodlibet genus causae. — *Poster. II.* q. 10. n. 2.

Demonstrationis ad impossibile processus triplex. — In tali *demonstratione* est triplex processus: *unus* ducens ad impossibile *ex hypothesi*.et *una assumpta.* — *Alius* est ab interem tione conclusionis *impossibilis* ad interemptionem *hypothesis.* — *Tertius* est ab interemptione *hypothesis* ad *ostendendum* principale propositum esse verum. — *Poster.* I. q. 11. n. 2.

Demonstratio quadruplex. — *Aliud* est contra *negantem* aliquam propositionem ostendere eam esse veram; *aliud* est alicui *admittenti* eam ostendere *quomodo sit vera.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 15. — Secundum Aristotelem, quaedam est demonstratio *affirmativa;* quaedam *negativa.* — *Poster.* I. q. 21. n. 3.

Denarius. — * *Denarius,* de quo *Matth.* c. XX. v. * exponitur de *vita aeterna*, quam quilibet accipit. — Aliter expono, quod ille *denarius* est *essentia divina,* quae est idem obiectum omnium Beatorum, et datur omnibus sub aequali ratione, quia infinita ex parte obiecti. — *Oxon.* IV. d. 50. q. 6. n. 10.

« De nihilo » tripliciter dicitur. — *Negative,* ut aliquis dicitur *loqui de nihilo* quando *nihil loquitur: affirmative,* ut ly *de* sit nota *materialitatis* vel *quasi materialitatis:* affirmando ly *de originaliter,* sive *ordinaliter,* id est, *post nihil;* quos tres modos intelligendi aliquid esse *de nihilo* ponit Anselm., *Monol.* c. 8. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 2. — Vid. *Creare — Creatio.*

Denominatio formae a subiecto — subiecti a forma. — Illud *quod* est conveniens alicui dicitur ei bonum, hoc est, illi perfectio vel bonitas; sed non dicitur denominative, vel accidentaliter bonum in se. — Illud autem *cui* aliquid convenit dicitur denominative bonum, eo quod habet illud quod sibi convenit. — Et in primo est *denominatio* quasi *formae a subiecto,* sicut anima * (forma) * dicitur *humana* * ab homine (subiecto) *. Sic aliquid dicitur bonum *hominis,* quia bonum *humanum.* — Sed in secundo e converso, est denominatio *subiecti a forma,* cum dicitur *homo est bonus* secundum illud bonum suum. — *Quodlib.* q. 18. n. 3.

Denominativorum praedicatio. — Aliqua *denominativa,* vel concreta, praedicantur de aliquibus *primo modo per se;* aliqua de aliquo *per se secundo modo,* sive *per accidens.* De *composito* quidem susceptivo et *forma* praedicatur *denominativum* sive *concretum formae per se primo modo,* specialiter si subiectum est *per se unum,* quantum ad conceptum, sicut *homo* dicitur *rationalis* sive *animatus per se primo modo;* sed *corpus,* quae est altera pars compositi, dicitur denominative *animatum, proprie* tamen, sive *per se secundo modo,* sive *per accidens;* quia illud non est tantum includens formam, sed susceptivum recipiens formam. Ubicumque ergo est aliqua forma oportet dare praedicationem de toto quae est *per se primo modo.* — *Quodlib.* q. 3. n. 14. (1).

Uno modo praedicatum denominativum est medium inter praedicatum univocum et aequivocum. — Alio modo univocum et aequivocum sunt immediate apud Logicum. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 14.

Univoce autem praedicatur illud cuius ratio est ita una ut praedicatur, quod ratio eius includitur in ratione subiecti; et hoc modo denominativum non praedicatur univoce, quomodo loquitur Philosophus in *Praedicamentis.* — *Ib.* III. d. 7. q. 1. n. 5.

Denominativum. — *Denominativa* dicuntur quaecumque ab aliquo solo *casu* differentia habent *denominationem.* Huiusmodi sunt omnia *concreta* respectu *abstractorum.* — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 3. — Vid. *Grammat. speculat.* n. 35.

Denominativa proprie dicuntur quae differunt *cadentia* ab alio. Patet in *Praedicamentis. Casus* autem iste potest esse vel sicut *accidentis ad subiectum,* vel sicut *formae ad suppositum* eiusdem naturae. Et secundum hoc est *duplex* praedicatio *denominativa:* una *accidentis denominantis*

---

(1) Vid. *Praedicatio per se primo modo — secundo modo.*

subiectum; alia *formae,* non acceptae in abstracto, nec secundum rationem quidditatis absolutae, sed quasi in concreto per cadentiam *formae ad suppositum naturae propriae,* secundum quod dicimus *homo est animatus,* non *homo est anima.* Et isto modo omnia *superiora* dicuntur de suis *inferioribus,* ut *Socrates est homo, homo est animal:* non *homo est animalitas,* vel *Socrates est humanitas.* — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 18. — Vid. *Praedicatio essentialis — denominativa.*

Densum. — Vid. *Rarum — Densum.*

Deo aliquid inesse est dupliciter. — Aliquid potest inesse Deo dupliciter: vel *formaliter:* vel inesse *subiective,* sicut logice praedicatum quodcumque dicitur inesse subiecto. — *Primo modo,* concedo, quod omne tale est Deus, et idem Deo necessario. *Secundo modo* non: sicut appellatio relativa potest inesse Deo, secundum quod Deus dicitur *Dominus* ex tempore; et tamen ista appellatio non significat aliquid idem Deo, ita quod necessario sit idem Deo, vel idem quod ipse Deus, quia tunc non esset ex tempore. — *Oxon.* I. d. 39. n. 32.

Deorsum. — Vid. *Sursum — Deorsum.*

Dependentia actualis — aptitudinalis — potentialis. — Distinguendum est inter dependentiam *actualem, potentialem,* et *aptitudinalem.* Et hoc vocando *aptitudinalem,* quae *semper,* quantum est de se, esset in *actu,* quo modo *grave aptum* natum est esse *in centro,* ubi *semper* esset, quantum est de se, nisi esset impeditum. — Et *potentialem* voco absolute illam, ubi *nulla est impossibilitas* ex repugnantia vel incompossibilitate terminorum; et ista possibilitas potest esse quandoque respectu potentiae activae supernaturalis, non tamen naturalis. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 9. — Vid. *Dependentiae ratio duplex.* = *Persona* = *Persona — Individuum.*

Dependentia duplex. — *Dependentia* potest *dupliciter* distingui: uno modo *formaliter,* sive quasi specie, secundum rationem distinctam formalem *dependentiae:* alio modo *quasi materialiter,* secundum distinctionem ipsorum *dependentium.* Et *hoc dupliciter:* vel *in eodem ordine,* vel *in alio et alio.* — *Prima* distinctio requirit in termino rationem formalem terminandi, *aliam* et *aliam,* vel eamdem *quasi illimitatam, virtualiter* scilicet, vel *eminenter* continentem tales rationes formales distinctas. *Secunda* distinctio non requirit distinctionem nisi eorum quae dependent; et quandoque ista distincta sunt *eiusdem ordinis,* quando scilicet aeque immediate vel aeque mediate dependent ad idem; quandoque sunt *alterius ordinis,* quando scilicet unum dependet *mediate,* et aliud *immediate.* — *Quodlib.* q. 19. n. 6.

Dependentiae ratio duplex. — Aliquid potest esse *ratio dependentiae dupliciter: uno modo,* sic quod ipsum necessario consequatur vel concomitetur *dependentia actualis.* — *Alio modo* quod licet ipsum necessario concomitetur *aptitudo ad dependentiam,* non tamen *dependentia actualis,* sed ipsum, quantum ex natura sua, dependeret. — *Primo* modo est dependentia creaturae ad Deum, quia necessario fundamentum dependentiae est in *actuali* dependentia *semper. Secundo* modo est dependentia *causati* ad *causam secundam,* sine qua posset ipsum immediate causari a *prima,* et ita posset ab illa secunda non dependere *actualiter,* licet semper haberet *actitudinem* ad dependendum. — *Quodlib.* q. 19. n. 24.

Dependentia essentialis duplex. — Potest distingui de *dependentia essentiali:* quia quaedam est *simpliciter essentialis,* quae est *ratione essentiae in utroque extremo,* ubi scilicet fundamentum *ratione essentiae* dependet, et terminus *ratione essentiae* terminat; et isto modo est *dependentia essentialis* creaturae, ut *causati,* ad Deum, ut ad *causam.* — *Alio modo* potest dici essentialis *tantum ex parte fundamenti,* cui scilicet *essentia* est *ratio* dependendi; sed nihil *ratione essentiae* terminat, sed ratione entitatis *distinctae ab essentia.* — *Quodlib.* q. 19. n. 9.

Dependentia hypostatica seu personalis. — Ratio dependentiae * *hypostaticae* * potest circumloquendo, vel aliter describendo, poni talis: *dependentia est naturae, ut communicabilis, ad personam propriam alterius naturae, ut terminantem eius dependen-*

tiam. — Haec ratio exponatur. Primo illud quod dicitur *ut communicabilis;* potest aliquid *uno modo* communicari alicui sic, quod illud *sit ipsum* quod communicatur; sicut *universale* communicatur *singulari. Alio modo* sic, quod illud, cui communicatur, *sit isto,* tanquam formali principio essendi. Et hoc *dupliciter:* vel ut forma *partialis,* quae communicatur composito constituto per ipsam; vel ut forma *totalis.* sicut *quidditas* communicatur *supposito,* ut *humanitas Socrati* (1).

In proposito intelligitur *communicabile tertio modo,* scilicet, quod sic communicatum sit forma *totalis,* quam habens dicatur secundum eam esse *formaliter tale.* Sed *proprium* suppositum naturae dicitur hoc modo *tale* secundum illam, non propter *dependentiam,* sed magis propter *per se identitatem;* sed ad suppositum *non proprium* non potest esse per se identitas; sed illud quod potest ibi esse quasi supplens vicem identitatis est *perfecta dependentia naturae,* et perfecta *substentatio* ex parte *suppositi,* sive *terminatio* dependentiae; tale autem suppositum quia est *per se* suppositum *alterius* naturae, et *istius* naturae dependentis non est *per se* suppositum, et *per se* est prius eo, quod *non est per se,* sequitur quod *prius* habeat naturam *propriam* quam istam *dependentem,* quae est sibi tanquam natura *adventitia* vel natura *secunda.* — *Quodlib.* q. 19. n. 22. — Vid. *Persona* = *Persona* — *Individuum.* — Cf. *Oxon.* III. d. 1. *per tot.*

Dependere. — Vid. *Excedi* — *Dependere.*

Depositio. — Vid. *Poena canonica.*

Desiderare. — *Desiderare* est *velle,* non absolute, sed *absentis.* — *Oxon.* III. d. 26. n. 10. — Actus *desiderii* est respectu *non habiti.* — *Ib.* I. d. 1. q. 5. n. 6. — IV. d. 49. q. 4. n. 5.

Desiderare absolute — conditionate. — Ad *absolute* desiderare praesupponitur conceptio intellectus ostendens sibi desideratum sicut possibile desideranti; quidquid enim ostenditur voluntati tamquam impossibile, vel voluntas omnino non vult illud, vel si vult illud, tenuiter vult, tunc eius non est desiderium absolute, sed tantum *conditionatum,* quia scilicet desideraret, si non esset talis apprehensio vel ostensio. — *Oxon.* III. d. 26. n. 20.

Desiderium duplex. — Sicut *potentia* dicitur aequivoce de potentia *essentiali,* quae est ad *formam,* et *accidentali,* quae est ad *operationem,* ut patet *XII. de Anima,* text. c. 55, ita videtur esse aequivoce *desiderium* illud quod est ad *formam,* et illud quod est ad *operationem* consequentem formam; quia in primo non potest habere *desiderans ex se desideratum* sine actione alicuius extrinseci agentis; in secundo autem potest, amoto impedimento. — *QQ. Metaph.* Prol. n. 3.

Desiderium naturale duplex. — *Proprie dictum,* et illud non est aliquis actus *elicitus,* sed sola *inclinatio naturae* ad aliquid: *minus proprie dictum,* quod est actus *elicitus,* sed concorditer inclinationi naturali. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 29. — d. 49. q. 8. n. 3.

Desinere. — Vid. *Deficere* — *Desinere.*

Determinatio duplex. — *Determinatio duplex* est, opposita *duplici indeterminationi: una indeterminatio* est *ad opposita contradictorie,* sicut materia est *indeterminata* ad *formam,* et ad *privationem; alia* est *ad diversa positiva,* quae tamen stat cum determinatione ad alteram partem utriusque contradictionis. — *Oxon.* I. d. 28. q. 3. n. 12. — Vid. *Indeterminatio contradictionis* — *illimitationis.*

Determinatio in obiecto duplex. — *Determinatio in obiecto* potest intelligi duobus modis: uno modo ad *singularitatem,* per oppositum indeterminationis universalis. — Alio modo determinatio ad certum *gradum participatum,* per oppositum ad illimitationem istius quod participatur. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 14.

Determinatum — indeterminatum. — Vid. *Abstractum* — *Concretum* — *Determinatum.*

Detestatio. — Vid. *Voluntatis assensus duplex.*

(1) Vid. *Communicabile per identitatem — per informationem.*

Deus. — Omnis inquisitio metaphysica de Deo procedit sic: scilicet, considerando formalem rationem alicuius, et auferendo ab illa ratione formali imperfectionem quam habet in creaturis, et reservando illam rationem formalem, et attribuendo sibi omnino summam perfectionem, et sic attribuendo illud Deo.

Exemplum: de formali ratione *sapientiae* vel *intellectus*, vel *voluntatis;* consideratur enim primo in se, et secundum se; et ex hoc quod ratio istorum non includit formaliter imperfectionem aliquam, nec limitationem, removeantur ab ipsa imperfectiones quae concomitantur eam in creaturis, et reservata eadem ratione sapientiae et voluntatis, attribuuntur ista Deo perfectissime. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 10. — *Prol.* q. 4. n. 41.

Breviter dici potest, quod ad minus nomina multa imponuntur, quae significant DEUM *in communi;* quia sic naturaliter potest concipi a simplici viatore; vel si verum est, quod distinctius * aliquid * potest *significari,* quam *concipi* (1), potest Deus nominari a viatore nomine significante *hanc* essentiam.

Quidquid sit de istis, verisimile est Deum nominari nomine * significante Essentiam divinam proprie *, et hoc sive illud nomen sit impositum ab ipso Deo, vel ab Angelo cognoscente ipsum Deum, vel a viatore; verisimile est enim, quod multa nomina sint in sacra Scriptura distincte illam Essentiam significantia, sicut Iudaei dicunt de nomine Dei, quod vocant *Tetragrammaton* (2). Et videtur Deus dicere *Exodo 3* (3)*: Haec dices filiis Israel:* QUI EST *misit me ad vos; hoc nomen mihi est in aeternum*: et cap. 6 (4): *Ego Dominus, qui apparui Abraham,* etc.; *nomen meum* ADONAI *non indicavi eis.*

Est ergo Deus nominabilis a viatore nomine significante propriam essentiam, ut est haec essentia; quia viator potest uti illo signo, et intendere exprimere significatum illius signi, sive ipse imposuerit illud signum, sive alius quicumque, qui cognovit significatum; et tali etiam signo potest viator uti tamquam nomine, licet non potuerit illud imponere tamquam signum. * Dato * autem * quod * ista propositio esset vera, quod *nullum nomen potest alicui* IMPONI *distinctius, quam intelligatur;* haec tamen est falsa, quod *nullus potest* UTI *nomine distinctius significante rem, quam ipse possit intelligere.* Et ideo simpliciter concedendum est, quod multis nominibus uti potest viator exprimentibus Essentiam divinam sub ratione Essentiae divinae. — *Ib.* d. 22. q. 1. nn. 2-4.

Intelligenda est descriptio Anselmi sic: *Deus est, quo* cogitato sine contradictione, *maius cogitari non potest,* sine contradictione; nam in cuius cogitatione includitur contradictio, illud debet dici *non cogitabile,* et ita est. Duo enim sunt tunc *cogitabilia opposita,* quae nullo modo faciunt unum cogitabile, quia neutrum determinat alterum. Sequitur autem tale summe cogitabile esse in re, per quod describitur DEUS. — *De primo princ.* c. IV. n. 24. — *Oxon.* I. d. 2. n. 32. — Vid. *Ens increatum — creatum = Essentia divina = Infinitum.*

Ait ille sapiens * (Hermes Trismeg. et Empedocles) *, quod Deus est *sphaera intellectualis, cuius centrum ubique est, et circumferentia nusquam.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 2.

Damascenus, *l. I. c. 4. et 9.* vult, quod inter omnia nomina de Deo dicta, propriissimum est *qui est* (1), quia Ipse dicit *quoddam pelagus infinitae substantiae; caetera autem,* ut dixit cap. 4., *sunt illa quae circumstant naturam.*

Nota pro dicto Damasceni, quod *pelagus perfectionum* uno modo potest intelligi pro continente *actu* et *formaliter* in se *omnes* perfectiones sub *propriis* rationibus *formalibus.* Sic nihil unum *formaliter* est *pelagus,* quia contradictio est *unicam* rationem

(1) Ut tenet Doctor. Vid. EFFATA: *Sicut aliquid intelligitur, ita et nominatur.*

(2) De quo Doctor Subtilis librum scripsit, qui nondum inveniri potuit.

(3) vv. 14-15.

(4) vv. 2-3.

(1) « Deus non est tantum, cui *non repugnat esse,* sed est *ex se ipsum esse* ». — *Oxon.* I. d. 36. n. 11.

formalem continere actu * *formaliter* * tot res; ergo hoc modo nihil est pelagus nisi unum *identice*, quod est *Deus, sapiens, bonus, beatus*, etc. Hoc modo non accipit Damascenus *pelagus*. — *Alio* modo potest intelligi aliquid unum *formaliter* continens omnem perfectionem *modo eminentiori*, quod non tantum contineantur in eodem *identice* propter infinitatem formalem continentis (sic enim quaelibet * perfectio * continet omnes), sed ultra, quod contineantur *virtualiter* quasi in causa, et adduc in aliquo, ut prima causa, *a se* continente, et *universalissima*, quia omnes continente. Hoc modo Essentia * divina * est *pelagus;* ideo ipsa non est tantum *formaliter* infinita, sed virtualiter continens alias * perfectiones *. Nec tantum *aliquas*, sicut forte *intellectus* * divinus * continet *sapientiam* et intelligere, et voluntas *charitatem* et diligere, sed omnes. Nec ab alio vel virtute alterius continens, sed a se. Itaque habet infinitatem formaliter primariam, tam scilicet a se quam respectu omnium universaliter causalem, et virtualiter contentivam; et ideo pelagus ita continens omnes, sicut possunt eminenter in uno aliquo formaliter contineri: *Omnia flumina intrant in mari, et unde exeunt revertuntur.* (1) — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 18. — IV. d. 46. q. 3. n. 4. seqq. — *Quodlib.* q. 5. n. 25. — q. 6. n. 6.

Deus aliter charitas — aliter spes. — Deus est *formaliter* dilectio et formaliter charitas, et non tantum *effective*, sicut dicitur spes vel patientia mea, quia efficit patientiam tanquam non perfectionem simpliciter, et ideo non convenientem sibi formaliter. Sed charitatem efficit in anima et dilectionem tanquam perfectionem simpliciter, et ideo sibi formaliter convenientem. Quemadmodum alio modo facit bonitatem, alio modo humanitatem; ex hoc quippe quod facit humanitatem, non sequitur quod sit formaliter homo, sed tantum causa effectiva hominis; sed ex hoc quod efficit bonitatem, sequitur quod sit formaliter bonitas. Et ratio est, quia omnis perfectio simpliciter (2), quae est in causato, reducitur ad causam formaliter habentem istam perfectionem; non sic de perfectione limitata. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 31.

Deus Creator — Creativus — Artifex. — Etsi Deus dicatur formaliter *Creator* relatione rationis, vel etiam nulla relatione, sed denominatione deducta ad genus Relationis, inquantum scilicet terminat relationem in creatura, sicut dictum fuit *dist. 20 primi*, tamen non est *creativus* per relationem rationis; et hoc intelligendo non de eo formaliter quod importatur per hoc nomen *creativus*, sed de fundamento, sicut aliquid dicitur *calefactivum* calore, ut fundamento potentiae calefactivae, et non relatione fundata in calore. — *Oxon.* III. d. 8. n. 19, *ubi id docte probat.* — Et cum * dicitur * quod Deus non est potens creare, nisi ut *Artifex;* respondeo, quod scientia Dei, quae est in Deo quaedam perfectio absoluta, est in eo ex natura rei; sed ipsa non dicitur *ars*, nisi ex respectu ad alia obiecta, vel aliquorum obiectorum ad ipsam. Licet ergo Deus producat creaturas ut *Artifex*, hoc tamen non est ut in scientia fundatur respectus rationis, quae sit ratio qua potest producere, sed tantum ut ille habitus absolutus, qui dicitur esse *ars*, inest ipsi Deo. — *Ib.* n. 20.

Deus — Dominus. — Sola relatione nova, quae est in creatura ad ipsum * (Deum) * ipse denominatur *Dominus:* non quidem quod in creaturis sint duae relationes oppositae, quorum altera ipse denominetur, sed una tantum, quae est in ipso ut ad absolutum. Et propter hoc, quod sic absolutum est terminus illius relationis, denominatur, quasi esset in eo nova relatio correspondens: quemadmodum opus factum ab homine dicitur *humanum*, non propter aliquid humanitatis quod sit formaliter in opere, sed propter humanitatem quae est formaliter in homine, ad quem opus habet habitudinem. Et haec videtur intentio Magistri expresse *in littera* concludentis ex verbis Augustini; ait enim sic: *Appellatio, qua creatura relative ad Creatorem dicitur, relativa est, et relationem notat, quae est in ipsa creatura. Appellatio autem ista, qua Creator dicitur*

(1) *Eccles.* c. I. v. 7.
(2) Vid. *Perfectio simpliciter.*

ad creaturam, relativa quidem est, sed nullam relationem connotat, quae sit in Creatore. Et hoc idem videtur Augustinus dicere *V. de Trinit.* c. 16, secundum quod Magister adducit eum: quod *temporaliter incipit dici Dominus, quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici, non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius, ad quod incipit dici Dominus relative.* — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 12. et 20.

Deus finis. — Concedo, Deum esse finem *naturalem* hominis, licet *non naturaliter adipiscendum.* — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 12.

Licet Deus non sit finis *sui,* tamen respectu voluntatis suae est illud obiectum, cui nata est competere ratio *finis,* quia est summum bonum; non tamen potest sibi competere ratio finis *respectu sui,* sicut nec respectu sui est finis, sed respectu *omnium finibilium,* qualia sunt bona ordinabilia ad aliud. — *Ib.* I. d. 1. q. 5. n. 6.

Finis * vero * accipitur multipliciter (1): quandoque accipitur pro *causa finali:* quandoque pro *perfectione ultima,* ad quam res ordinatur: quandoque pro *optimo:* quandoque pro *ultimo.* — Hi duo modi ultimi non faciunt ad propositum. — *Primo modo* Deus est causa finalis omnium; et hoc non aliter nisi sicut propter quem amatae sunt res. Deus enim omnia producit propter seipsum; et sic est finis immediatus omnium ut *propter se* et *a se,* non *ad se* ut ad finem immediatum. — *Secundo* modo, scilicet de *perfectione ultima* ad quam res ordinatur, non est Deus nisi *causa finalis;* non enim est Deus beatitudo *formaliter* * creaturarum *, licet propter se det beatitudinem. Potest tamen dici, quod Deus est finis inquantum terminat operationes creaturae beatificabilis. — *Ib.* IV. d. 49. q. 8. n. 7.

Deus — Homo. — Descriptio * Damasceni, DEUS *est divinam habens naturam,* HOMO *humanam* *, est quaedam *explicatio nominis,* non autem *expressio per se significati;* quia nomen *concretum* de *per se significato* non importat hoc quod est *habens,* sive *habere,* sed tantum de *modo significandi,* in quo distinguitur ab *abstracto; concretum* enim solum importat ipsam *formam,* quia *album* * ex. gr. * solam *qualitatem* significat. Unde importat hoc quod est *habens,* quia concernit suppositum *habens* suum significatum. Tamen *idem* significat *concretum* et *abstractum,* licet *modus* significandi sit *alius.* — *Oxon.* I. d. 4. q. 1. n. 5.

Deus multipliciter cognoscibilis. — De Deo duplex haberi potest intellectio distincta: *intuitiva* et *abstractiva.* — *Report.* II. d. 3. q. 4. n. 3.

Quia * vero * nullus intellectus creatus potest habere tantam intellectualitatem, neque in actu primo, neque in actu secundo, quanta est intelligibilitas Dei ut obiecti, imo in infinitum excedit, ideo nullus talis intellectus creatus, etsi videat quodcumque visibile ex parte Dei, potest ipsum *comprehendere,* quia non est commensuratio hinc inde — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 7.

*Deus * igitur * est incomprehensibilis a quacumque creatura, prout scilicet incomprehensibilitas dicit vel negat adaequationem actus ad obiectum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 2. n. 33.

Est sciendum, quod quidam distinguant circa cognitionem Dei, dicentes quod quaedam est cognitio Dei *negativa,* et quaedam *positiva.* — Sed haec distinctio inutilis est, quia aut praecise intelligitur *negationem in se* cognosci, aut intelligitur de aliquo *positivo* negationi substrato. Si primo modo, non plus hoc modo cognoscitur Deus, quam chimaera; quia et chimaera est *non Angelus, non-lapis,* et caetera huiusmodi. Si secundo modo, de illo *positivo* quaerimus an possit a nobis naturaliter cognosci? Igitur vel nihil cognoscitur de Deo, vel habemus cognitionem positivam de ipso. Quod autem cognitio negativa, qua removentur de Deo ea quae sunt imperfectionis, et quae sibi non competunt, sit necessaria ad habendum cognitionem de Deo per inquisitionem, transeat; * tamen * si habeamus aliquam cognitionem de Deo, oportet quod sit per aliquid positivum quod sibi competat. — *Report.* I. d. 3. q. 1. n. 1, *ubi latius prosequitur.* — Vid. etiam *Oxon.* I. d. 3. q. 2. et *Collat.* X et XIII.

---

(1) Vid. *Finis multipliciter sumitur.*

Dico *primo,* quod non tantum haberi potest conceptus naturaliter, in quo *quasi per accidens* * (ut censebat Henricus Gandavensis) * concipitur Deus, puta in aliquo attributo, sed etiam aliquis conceptus, in quo *per se* et *quidditative* concipiatur Deus. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 5, *ubi hoc demonstrat.*

Secundo, non asserendo, quia non consonat opinioni communi, potest dici, quod non tantum in conceptu analogo conceptui creaturae concipitur Deus, qui scilicet sit omnino alius ab illo qui de creatura dicitur, sed in conceptu aliquo univoco sibi et creaturae. — *Ib. ubi, praemissa notione conceptus univoci* (1), « *ne fiat contentio de nomine* », *pluribus enuntiatam conclusionem evincit.*

Tertio dico, quod non cognoscitur Deus naturaliter a viatori in particulari et *proprie,* hoc est sub ratione huius essentiae, *ut haec* et *in se* (2), quia sub ratione talis cognoscibilis est obiectum voluntarium, et non naturale, nisi respectu sui intellectus tantum; et ideo a nullo intellectu creato potest sub ratione huius essentiae, *ut haec,* naturaliter cognosci, nec aliqua essentia naturaliter cognoscibilis a nobis ostendit sufficienter hanc essentiam ut haec, nec per similitudinem univocationis, nec imitationis; *univocatio* enim non est nisi in generalibus rationibus; imitatio autem deficit, quia imperfecta est, quia creaturae imperfecte eum imitantur. — *Ib.* n. 16.

Quarto dico, quod ad multos conceptus proprios de Deo possumus pervenire, qui non conveniunt creaturae, cuiusmodi sunt conceptus omnium perfectionum *simpliciter* in summo; et *perfectissimus* conceptus, in quo quasi in quadam descriptione perfectissime, * quantum in nobis est *, cognoscimus Deum, est concipiendo omnes perfectiones simpliciter et in summo. Tamen conceptus perfectior et simplicior nobis possibilis est conceptus entis *simpliciter infiniti.* Iste enim simplicior * est * quam conceptus entis *boni,* vel entis *veri,* vel aliquorum similium; quia infinitum non est quasi attributum, vel passio entis, sive eius de quo dicitur, sed dicit modum intrinsecum illius entitatis, ita quod cum dico *ens infinitum,* non habeo conceptum *quasi per accidens* ex subiecto et passione, sed conceptum *per se* subiecti in certo gradu perfectionis, scilicet *infinitatis.*

Perfectio autem istius conceptus multipliciter probatur: tum quia iste conceptus, inter omnes a nobis conceptibiles, virtualiter plura includit; sicut enim *ens* includit virtualiter *bonum* et *verum* in se, ita ens *infinitum* includit verum *infinitum* et bonum *infinitum,* et omnem perfectionem simpliciter *sub ratione infiniti:* tum quia.... — *Ib.* n. 17.

Quinto dico, quod ista quae cognoscuntur de Deo cognoscuntur per species creaturarum, quia creaturae quae imprimunt proprias species in intellectu, possunt etiam imprimere species transcendentium, quae communiter conveniunt eis et Deo. Et tunc intellectus propria virtute potest uti multis speciebus simul ad concipiendum illa simul, quorum sunt istae species, puta specie *boni,* specie *summi,* specie *actus,* ad concipiendum *summum bonum* et *actualissimum.* — *Ib.* n. 18.

Quinque sunt gradus cognitionis de Deo: *prima* et suprema est *intuitiva,* quam semper habuit de essentia divina Deus sub ratione Deitatis. — *Secunda* est cognitio de obiecto, non intuitive cognito, sed *distincte* cognito, per aliquod repraesentativum subiecti. — *Tertia,* quae est obiecti non praesentis intellectui, nec in se, nec in alio repraesentativo, sed *immediate creata a Deo,* quae non subest actui voluntatis, quae tamen non est evidens ex obiecto. — *Quarta* cognitio est illa, quae *opitulatur piis,* et defenditur contra impios, ut cum litterae sensus cognoscitur, et unus locus litterae per aliam exponitur, et persuasiones adducuntur, et contra impios defenditur. — *Quintus* gradus est *simplicium,* cuius cognitionis certitudo subest actui voluntatis, et haec cognitio est habita per fidem. — *Report.* Prol. q. 2. n. 17.

(1) V. supr. *Connceptus univocus.*

(2) Ex his Doctoris Subtilis verbis aliqui (Card. Gonzalez, *Historia de la Filosofia,* ed. 2ª tom. 2° pag. 302) ansam sumpserunt eum uti scepticismo proclivem traducendi. Quisnam autem *catholice* aliter ac Scotus sentire hic potest?

Deus multipliciter immutabilis. — Si Deus est perfecte simplex, ut probatum est ex infinitate * (*Oxon.* I. d. 8. q. 1.) *, ideo non potest mutari ad aliquam *formam*, quae in ipso recipiatur; quia etiam est necesse esse, * (seu ens necessarium, et « summe necessarium, quantum potest cogitari aliquid esse necessarium » (1) *), ut probatum est ex primitate efficientiae, d. 2. q. 1, ideo non potest mutari ab *esse* in *non esse*, vel a *non esse* in *esse*, quae mutatio dicitur *versio* a Damasceno. Omni igitur immutatione, sive *substantiali* sive *accidentali*, dicitur Deus simpliciter immutabilis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 2. et 22.

Impossibile est, ut quidpiam ab aliquo genere mutationis, sive sumatur *proprie*, sive *metaphysice*, moveatur, vel possibile sit moveri, nisi aut aliquid *acquirat*, vel intelligatur posse *amittere*, vel *totaliter novum esse* acquirat, vel *totale sui* amittat: sed primum omnino simpliciter et actualissimum Principium neutrum istorum, nec actu nec potentia, admittit; ergo nullum genus mutationis in illud cadit, nec potest intelligi ut cadat. — *Probatio:* ens quod est infinitae actualitatis re vel intellectu non potest ad aliquam *ulteriorem perfectionem* moveri, vel intelligi moveri, quia tunc non esset re et intellectu in fine actualitatis: nihil enim movetur ad id quod est, vel quod habet. — Non etiam potest moveri ut *aliquid amittat*, quia tunc simplex non esset. — Nec potest moveri ut *novum esse acquirat totaliter*, quia tunc esset ab alio, quia, ut dicit Augustinus, *I. de Trinitate*, c. 1, *nihil seipsum gignit, ut sit;* nec esset primum. — Nec ut *totum amittat*, quia tunc actualissimum non esset. — *De rer. princ.* q. 3. n. 4.

Cum primum Principium sit ab omni materia et potentialitate separatum, cum sit actus purus, nec re, nec intellectu potest subesse alicui mutationi. — Omne quod mutatur, aut *loco*, aut *forma*, aut *tempore* mutatur. Deus autem *loco* mutari non potest, quia *ubique* est; nec secundum *augmentum*, quia est *perfectus* in semetipso, non potest aliquid recipere; *dividi* autem non potest, quia *unus* et *indivisibilis* est, quod enim separatione dividitur, in coniunctione idem non fuit; nec moveri potest secundum *alterationem* * *volitionis* *, quoniam nec consilium mutat de praeterito, nec proponit de futuro; nec secundum *cognitionem*, quia augeri non potest eius sapientia, quia plena est; nec minui, quia sibi ipsi sapientia est; nec vicissitudinem habet, quia omnia simul, et semel, et semper, sub uno visionis radio comprehendit. — *Ib.* n. 6.

(1) *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 17.

* *Qua in quaestione Subtilis* doctissime *ostendit*, « *primo*, quod primum Principium, ut quoddam ens perfectum *in se consideratum*, nulli motui aut transmutationi subiicitur: *secundo*, hoc idem inquantum est *habituale* principium creaturae: *tertio*, quod nec inquantum *actuale* est principium alicuius novae creaturae ». — Cf. *Oxon.* I. d. 8. q. 5. — dd. 30. 39. et 45. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 7.

Deus multipliciter simplex. — Omnis compositio aut est *partium quantitativarum*, aut *materiae* et *formae*, aut *generis* et *differentiae*, aut *esse* et *essentiae*, aut *suppositi* et *naturae*, aut *accidentis* et *subiecti:* sed nulla illarum in primo Principio potest poni.

Non est compositum ex partibus quantitativis; ostensum enim est supra, q. 14, quod non habet magnitudinem (1). — *Nec ex materia et forma*, ut prius est ostensum, q. 6. (2). — *Nec ex genere et differentia*, quia tunc esset aliquid in eo per modum actus, et aliquid per modum potentiae, et tunc esset in genere, quod fuit supra improbatum, X. q. 2. ad 4. (3). — *Nec ex esse et essentia*, ostensum est enim supra, q. 5. quod esse eius non dependet ab essentia (4).

(1) Idipsum ostendit Doctor *Oxon.* I. d. 8. q. 1. n. 3. — *De Primo Principio*, c. 4. concl. 10. n. 31 seqq.

(2) « Si Primum esset compositum ex materia et forma, praesupponeret causalitatem causae efficientis; ergo Deus non esset primum efficiens ». — *Oxon.* ib. n. 2.

(3) *Oxon.* ib. q. 3. n. 16 fuse probat Doctor, Deum non esse in genere. — Cf. etiam *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 4. et 7. — d. 31. n. 5.

(4) Cum cit. quaest. agat de potentia, quam active asserit esse in Deo, non vero passive, videtur et hic loqui de *esse* et *potentia*.

— *Nec ex natura et supposito;* ostensum est enim in VII., quod in separatis unumquodque est idem quod quid est (1). — *Nec ex accidente et subiecto,* quia omne accidens vel est causatum ex principiis essentialibus subiecti, vel ab aliquo extrinseco: sed in primo Principio nihil potest esse causatum, cum sit causa prima (2). Est ergo Primum simpliciter simplex, ab omni compositione reali absolutum. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 15. n. 3.

Deus quadrupliciter adest rebus. — Competenter sunt assignati modi essendi ipsius Dei in creaturis; quia si consideratur ut *causans, efficiens* et *conservans,* sic est in rebus *per potentiam,* quia ista respiciunt *potentiam.* Si consideretur ut omnia *cognoscens* nude et aperte per suam scientiam, sic sibi omnia sunt *praesentia;* * et sic * dicitur esse in rebus *per praesentiam.* Quia autem omni rei *illabitur* ratione suae illimitationis, sic est in omnibus *per essentiam.* Ut autem dat quamdam formam et operationem, cuius actionis ipse est terminus, sic specialiter est in Sanctis *per gratiam et charitatem.* — *Report.* I. d. 37. q. 2. n. 16. — *Oxon.* I. d. 13. n. 21. — d. 37. n. 3. — IV. d. 10. q. 2. n. 15.

Deus qualiter nominabilis. — Praemitto quaedam. *Primo,* quod nomen quodcumque aliquid significans, quod huic soli potest inesse, potest dici *proprium* nomen huic. Sed *simpliciter* nomen *proprium* huius non est, nisi *quod primo significat hoc sub ratione propria,* quia solum illud est proprium signum vocale huius. *Secundo* praemitto, quod *nominari ab aliquo* potest *intelligi dupliciter:* vel ut nomen *imponente,* vel ut nomine *utente.* Et utrumque *dupliciter,* scilicet *perfecte,* vel *imperfecte. Perfecte uti nomine* est non tantum uti nomine ut re quadam *naturali,* formando scilicet *sonum* illum, sic enim potest *avis* edocta formare; sed est uti nomine ut signo, non tantum conceptus possibilis haberi ab aliquo per illum nomen, sic posset Latinus aliquod verbum Hebraeum proferre Hebraeo, nesciens quid diceret, sed ut *signo conceptus habiti ab utente;* ut sic *perfecte uti nomine* sit illo uti ut *signo conceptus proprii expressivo.* Uti autem illo ut quodammodo *causa similis conceptus habendi* ab audiente per rememorationem, non est necèssarium ad *perfecte uti simpliciter,* sed ad perfecte uti illo ut signo *communi* inter duos; et ideo requirit ad hoc, quod est uti nomine *perfecte moraliter,* quia requiritur ad utendum nomine ad *finem debitum.*

Et hanc utramque perfectionem tangit Augustinus, *super Ezech.: Verba instituta sunt, per quae in alterius notitiam quisque cogitationes suas proferat. — Per quae quisque cogitationes suas proferat,* ecce perfectio prima; *in alterius notitiam,* ecce secunda. Intellige, *alterius,* vel *quasi alterius;* quia quandoque aliquis *seipsum* alloquendo efficacius ducit in intelligendo per rememorationem, quam si sine loquela intelligeret, et in notitiam non tunc novam. Sic loquimur Deo orando. Item de prima perfectione, *cogitationes suas,* distingue: vel habet conceptum ita proprium sicut nomen significat, et tunc significat perfecte cogitationes suas; vel habet minus proprium, vel confusum, utpote non habens nisi conceptum animalis proferat hanc vocem *homo,* intendens illud exprimere audienti, quod alii concipiunt per nomen, et ad quod est impositum, sciens ipsum esse impositum alicui speciali sub animali, quod tamen non intelligit in particulari, sicut significatur per hoc nomen.

Est igitur hic ordo: uti nomine ut re *tali.* Ulterius ut *signo ad placitum* alicuius, cuius tamen nullum conceptum habet utens, nisi in hoc universalissimo, quod est aliquid significatum hoc nomine. Tertio uti nomine ut signo alicuius, cuius *conceptum univer-*

---

(1) Trinitatem Personarum nullam inferre in Deo compositionem, late demonstrat Doctor *Oxon.* I. d. 2. q. 4.

(2) « Quia enim Deus non est materialis, nec quantus, non est capax accidentis alicuius materialis convenientis rei materiali, sicut est qualitas rei materialis; ergo tantum est capax illorum quae conveniunt spiritualibus, puta intellectionis et volitionis, et habituum illis correspondentium: sed talia non possunt esse accidentia illi naturae, sicut probatum est *dist.* 2. * q. 2. *, quod intelligere eius et velle sunt substantia eius, et habitus et potentia ». — *Oxon.* I. d. 8. q. 1. n. 4.

salem tantum habet, ut *ens;* intendit tamen illum exprimere, ut significatur per nomen, licet illud sic in particulari non concipiat. Quarto uti nomine ut signo expressivo *proprii conceptus* in particulari. — Et semper hic prior gradus est imperfectior respectu posterioris. Primus igitur est imperfectissimus; ultimus simpliciter perfectus. — *Oxon.* I. d. 22. q. 2. n. 7.

His praemissis, sit *prima conclusio:* quod possibile est Deum simpliciter nomine proprio nominari a viatore *imperfecte,* secundum tres gradus primos praedictos.

Secunda conclusio est: non est hoc possibile *perfecte,* scilicet secundum quartum gradum.

Tertia conclusio est, qualiter de facto a nobis nominatur. — *Ib.* n. 8; *ubi duas priores conclusiones demonstrat. — Pro tertia vide supra* **Deus**, et *Report.* I. d. 22. n. 10.

Verba cuiuscumque temporis dicuntur de Deo vere, sive significent actus *personales,* sive *essentiales;* sicut patet per Augustinum, *super Ioannem,* homil. 99, super illud Ioan. 16: *Non enim loquetur a semetipso; sed quaecumque audiet loquetur. Audiet,* inquit Augustinus, de Spiritu, *quod utique audivit, et audit; quia Spiritum Sanctum audire, est a Patre Filioque procedere, et per consequens, quod audiet, audivit, et audit; sicut quod scit, scivit, et sciet;* igitur vult ipse dicere, quod verba omnium temporum vere dicuntur de Deo. Et illud apparet per illud, quod adducit Magister in littera *dist.* 8. *cap.* 2.

Sed quid significant ista verba diversorum temporum, cum dicuntur de Deo? Respondeo, magis proprie possunt dici *consignificare nunc aeternitatis,* quam *differentias temporis;* non autem illud *nunc absolute,* quia non esset variatio tunc diversorum modorum significandi temporis, sed *inquantum coexistit partibus temporis;* ut cum dicitur *Deus genuit,* consignificatur nunc aeternitatis, ut sic sit sensus: *Deus habet actum generationis in nunc aeternitatis,* inquantum illud coexistebat *praeterito: Deus generat,* hoc est habet actum in *nunc* aeternitatis, inquantum *nunc* aeternitatis coexistit *praesenti;* et ex hoc patet, quod cum illud *nunc* vere *coexistat cuilibet differentiae* temporis, vere dicimus de Deo *differentias omnium temporum.* — Expressius tamen, secundum B. Gregorium, significatur divinae generationis veritas per hunc sermonem, *semper natus est,* quam per istum sermonem, *semper nascitur,* quia per ly *natus* significatur nativitas ut *perfecta;* sed per ly *semper* significatur ut perfecta *cum omni parte temporis coexistere:* et ita non tantum significatur omni parti temporis coexistere, sicut significatur per istam, *semper gignitur,* sed significatur etiam omni parti temporis coexistere sub *ratione perfecta.* Et in hoc videtur expressissime significari veritas huius processionis. — *Oxon.* I. d. 9. nn. 5-6.

Deus tripliciter ens primum. — Aliquod ens est simpliciter primum *triplici primitate,* scilicet: *efficientiae, finis* et *eminentiae;* et ita simpliciter primum, quod est impossibile aliquid esse prius. *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 34. — *Hanc triplicem Dei primitatem locupletissime evincit Doctor,* ib. a n. 11, et *De Primo Principio,* c. III. ac *De rer. princ.* q. 1.

Diaconatus. — Vid. *Ordo (Sacramentum).*

Diaconissa. — Vid. *Praesbytera — Diaconissa.*

Diagrammata. — * Hoc verbum *diagrammata* sonat * *Descriptiones figurarum geometricarum. — Exposit in Metaph. Arist.* lib. IX. S. 2. c. 5. n. 50.

Dialectica — Sophistica — Docens — utens. — *Dialectica* et *Sophistica* distinguuntur: quia quaedam est *docens,* et quaedam est *utens.* Dicitur *docens* haec vel illa, ut habet considerare de proprio subiecto, dando modum et artem arguendi et syllogizandi vere et apparenter reddendo singula singulis; sed dicitur *utens* haec vel illa, quando modo arguendi adinvento utitur ad arguendum vel ad concludendum aliquid in aliis scientiis.

Primo modo quaelibet earum habet aliqualiter rationem *scientiae,* quatenus circa proprium subiectum quaelibet modo aliqualiter demonstrativo speculatur. *Secundo* autem modo recedunt a ratione *scientiae.*

Dialectica * utens * dicitur *tentativa,* pro quanto communes intentiones quas considerat tamquam quaedam extranea applicat ad propria in aliis scientiis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 2. *a.* 2. n. 21. * Quae clarius in sequentibus exponuntur *:

Sophistica et *Dialectica* uno modo consideratae habent rationem *scientiae;* alio modo consideratae a ratione *scientiae* recedunt. Si enim *Dialectica* consideretur ut habet considerationem de quibusdam intentionibus, quas ratio adinvenit in re, instituens in illis quemdam modum, quo procedere potest a principiis ad conclusiones, sic *Dialectica* debet dici *scientia.* — Si autem isto modo adinvento *utatur* in aliis scientiis, sic a *scientiae* ratione recedit; nam sic solum procedit ex *probabilibus.* Unde *scientia* Dialectica traditur per *demonstrationem; usus* tamen eius *in probabilibus* consistit.

Similiter etiam de *Sophistica* est dicendum. Si enim *Sophistica* consideretur prout habet considerationem de principiis sophisticis, instituens in illis quemdam modum, quo potest procedi ad conclusiones quas concludit Sophista, sic *Sophistica* est *scientia;* nam sic *Sophistica* traditur per determinata principia. Ita enim ostenditur apparentia de syllogismo sophistico per unitatem vocis, tamquam per proprium medium, sicut *habere tres* de triangulo per eius definitionem. — Si autem isto modo adinvento *utatur* ad concludendum aliquid falsum per syllogismum sophisticum, sic a *scientiae* ratione recedit. — *Elench.* q. 3. n. 2. — Vid. *Sophistica.*

Diapason. — Tradunt musici, quod quando *duo soni se habent ad invicem in dupla proportione,* dicitur inter eos esse consonantia, quae dicitur *diapason;* et ideo *dualitas,* sive proportio *dupla* quae oritur ex dualitate, est *forma* ipsius *diapason; et totaliter numerus,* qui scilicet est genus dualitatis, est etiam *forma* ipsius *diapason.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. unic. c. 2. n. 7.

Diasynthetica. — Vid. *Grammat. specul.,* n. 184.

Dicere dupliciter accipitur. — *Dicere* potest *dupliciter* accipi: vel prout dicit *exprimere vocaliter,* vel prout dicit *assentire mentaliter.* — *Report.* III. d. 12. n. 9.

Dicere in Divinis — Diligere — Declarare. — Primum *notionale,* saltem quod includit primum respectum positivum ad aliquam Personam, est *dicere.* — *Quodlib.* q. 1. n. 17. — * Quid autem sit *dicere* *, declaro, primo in intellectu nostro, quia memoria nostra exprimit notitiam; et ista notitia habet *duplicem relationem,* secundum Anselmum, *Monol.* 64: una est *in ratione producentis,* et pertinet ad secundum modum *relationis* (1): alia est *relatio eiusdem ad obiectum* quod declarat; et hoc dupliciter: vel *formaliter,* vel *effective. Formaliter* ipsa notitia declarat, sed memoria *effective,* sicut *imago* est *formaliter* similitudo et declarat *formaliter,* sed *producens* imaginem *effective* declarat. Et ideo convenit ei declarare *effective,* sicut *producens speculum* declarat *effective* imagines in speculo; sed speculum * declarat imagines * *formaliter.* Sic Pater gignit Verbum et dat *effective* notitiam actualem, et illa notitia actualis *formaliter* est declarativa. Sed Pater, qui dat illam notitiam, vel memoria paterna, declarat *principiative.*

Sic *dicere* potest accipi *quadrupliciter* in Divinis: *primo* dicitur *mere essentialiter;* et sic dicit Anselmus, *ubi supra,* quod nihil aliud est *dicere* quam *actu intelligere;* et sic quaelibet Persona *dicit* suam intelligentiam, et sic una *dicit* aliam (2), sicut intelligit aliam; sed non *dicit* aliam Personam *absolute.* — *Alio* modo accipitur *dicere mere personaliter* (3), et hoc est idem quod *generare intellectualiter;* et sic Pater *dicit* Filium, et non *Filio* absolute, sed aliquo modo Pater *dicit Filio,* hoc est, *communicat Essentiam Filio.* — *Tertio,* dicitur quod *dicere* accipitur pro *declarare,* scili-

---

(1) Vid. *Relationis per accidens modus triplex* = *Relationis per se modus triplex.*

(2) « Et sic, secundum August., Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt *unum dicens* ». — *Oxon.* hic n. 7.

(3) « Et sic denotatur significare illam *relationem originis,* quae est gignentis ad genitum ». — *Oxon.* hic n. 7.

cet respectu rationis, quod dicit aliam relationem a relatione quae est realis expressi; et sic *dicere* formaliter est *essentiale;* tamen per *appropriationem* dicitur competere Filio (1); quia Pater memoria producit absolute, et memoria non habet sic declarare, quia sibi soli convenit declarare *vi productionis.* Unde sicut Verbum declarat, sic declaravit se; et *dicere* illo modo dicitur *notionale* per *appropriationem,* sed *formaliter* est *essentiale.* — *Quarto* modo accipitur *dicere* pro *declarare effective,* sicut *producens speculum* declarat *effective.* Et isto modo *dicere* connotat *essentiale,* et quantum ad principale significatum est *notionale,* quia isto modo *dicit* ille *qui est principians* illud *quod est declarans;* sic Pater *dicit Verbo,* sicut *producens* speculum *declarat speculo* imagines. Sed si *declarare* esset *actio* sicut *creare,* sic dicerem esse principium activum *subauthentice,* quia haberet rationem activi ab alio; sed *declarare* non est *agere,* sed est *habere* illud in quo relucent alia. — *Report.* I. d. 32. q. 2. n. 4. — *Oxon.* ib. n. 7.

Sicut superius distinguebatur *dicere* quadrupliciter, sic distinguitur *diligere.* Potest enim accipi *primo essentialiter mere;* et sic quaelibet Persona dicitur *diligere.* — *Secundo* potest accipi *mere personaliter;* et sic diceretur *diligere* idem quod *spirare,* sicut dicere * dicitur idem quod * *generare.* — *Tertio* modo potest accipi *diligere* pro *acceptare formaliter,* sicut *dicere* pro *declarare formaliter;* tamen *appropriate* convenit sic *dicere* Spiritui Sancto, quia convenit sibi ex vi productionis; et sic est *essentiale* secundum se, *notionale* per appropriationem. — *Quarto* modo accipitur *diligere* pro acceptatione, secundum quod *principiative* denominat spirantes, sed *formaliter* Spiritum Sanctum, sicut *dicere* pro *declarare effective,* et sic dicitur *effective subauthoritative.* Unde ablativus dicit quod est principium formale accipiendi *subauthoritative;* et sic Pater et Filius diligunt se *Spiritu Sancto.* — *Report.* ib. n. 5. — *Oxon.* ib. nn. 11-12.

Dicere * in Divinis * importat *duplicem* respectum: unum *realem originis,* qui est *expressi ad exprimentem:* alium *rationis,* qui est *declarantis ad declaratum;* ut sic per illud connotetur et *expressum* a dicente ipso, et *declarans* dictum per ipsum. Et ille respectus, qui est *declarare,* tantum est *appropriatus Verbo,* quia procedit per modum notitiae genitae, et ita *declarative.* Est tamen communis tribus * Personis *, accipiendo *declarare formaliter;* sed accipiendo *principiative* potest esse *proprius Patri,* quia Pater *principiative declarat,* inquantum exprimit notitiam genitam. — Qui duplex modus accipiendi *declarare,* scilicet *formaliter* et *principiative,* patet in aliis relativis, sicut in *assimilare,* et *adaequare; forma* enim, qua aliquid est simile *formaliter,* assimilat ipsum alteri; sed *agens* dans formam illam assimilat *effective* vel *principiative.* — *Oxon.* III. d. 32. n. 4.

Contra opinionem de identitate *intelligere* et *dicere* arguo sic: *intelligere* est perfectio *simpliciter: dicere* non; ergo non sunt idem *formaliter.* Probatio primae: Pater quantum ad intellectum est *formaliter* beatus intellectione, et quantum ad voluntatem volitione: non est autem beatus nisi *perfectione simpliciter;* ergo *intelligere* est *perfectio* simpliciter. Probatio secundae, quia si *dicere* esset *perfectio simpliciter,* tunc Filius et Spiritus Sanctus non essent *simpliciter perfecti,* quia non *dicunt,* accipiendo hoc modo *dicere,* quod est *exprimere* Verbum. Secundo sic: quia sicut in creaturis ratio *actionis* et ratio *factionis formaliter* distinguuntur, quia *actio* est ultimus terminus, *factionis* autem est alius terminus productus per ipsam *factionem,* ita in Divinis *operatio* qua *formaliter* Pater operatur videtur distingui a *productione* qua *formaliter* producit; et hoc videtur, quia *operatio* habet obiectum quasi *praesuppositum:* productio autem habet terminum *productum per ipsam;* ergo *intelligere,* quod est *operatio* Patris, non est formaliter *dicere,* quod est *productio* Filii a Patre. — *Oxon.* I. d. 6. n. 2.

---

(1) « Et sic Verbum *dicit* omnia declarabilia et seipsum seipso formaliter ». — *Ib.*

Intelligere ex ratione sua est *operari* Patris, et non est *producere; productione* autem sive *dictione* producit, sicut aliquid *calefactione* calefacit *formaliter*, cuius non est alia causa prior. *Dicere* non est aliquis actus *intelligendi formaliter;* est tamen aliquis actus *intellectus:* nullus autem actus *intelligendi formaliter* est productivus, sed aliquis alius actus formaliter naturaliter praecedens vel subsequens potest esse productivus, qualis est actus *dicendi.* — *Ib.* p. 2. q. 7. n. 25.

« Dicere per se » est dupliciter. — Dicitur, secundum Linconiensem, quod tantum sunt *duo* modi *dicendi per se.* Et ratio est, quia in propositione *per se,* in qua unum de alio enuntiatur, unum egreditur ex principiis quidditativis alterius, et per consequens quidditas unius dependet a quidditate alterius in *essendo;* et ex hoc sequitur, quod quidditas unius habet definiri per quidditatem alterius, quia eadem sunt principia *essendi* et *cognoscendi,* secundum Aristotelem, *II. Metaph.;* ergo, * procedendo * a primo ad ultimum, *propositio per se* est quando *unum extremum cadit in definitionem alterius.* — *Poster. I.* q. 16. n. 8.

Cum in propositione *per se* necesse sit *unum extremum cadere in definitionem alterius* (1), hoc potest esse *dupliciter:* aut enim *praedicatum* cadit in definitionem *subiecti,* et est *primus modus* (2), supposito quod illud quod *subiicitur natum* sit *subiici,* et quod *praedicatur praedicari;* et ad illum modum reducuntur omnes praedicationes, in quibus praedicantur *causae* de *causatis,* sive *in recto,* ut *homo est animal,* sive in *obliquo,* ut *risibilitas est hominis;* quia *subiectum* est *causa* respectu suae *passionis.* — *Alio modo* in propositione *per se subiectum* cadit in definitionem *praedicati;* et sic fit *secundus modus* dicendi *per se.* Et ad istum modum reducuntur omnes tales praedicationes, in quibus *causata* praedicantur de *causis,* retenta priori conditione, quod illud *subiiciatur* quod *natum* est *subiici,* et *praedicetur* quod *natum* est *praedicari.* Et cum unum extremum non possit cadere in definitionem alterius, nisi duobus modis, quia aut praedicatum cadit in definitionem subiecti, vel e contra, ideo tantum sunt duo modi *dicendi per se.* Ideo dicit Aristoteles, quod *quae neutraliter insunt, accidentia sunt.* — *Poster. I.* q. 16. n. 8.

Primus modus *dicendi per se* habet *tres* gradus: *primus* secundum quod idem dicitur totaliter de se. — *Alius* secundum quod definitio praedicatur de definito, cuiusmodi est *differentia* et *genus.* — *Tertius* secundum quod pars definitionis praedicatur de definito, sicut *genus* vel *differentia.* — *Poster. I.* q. 15. n. 5.

Secundus modus habet *plures* gradus, sicut *primus* modus, quia in *primo modo* est *unus* gradus, secundum quem definitio *materialis* praedicatur de definito. — *Alius* modus est, secundum quem definitio *formalis* et *finalis* praedicatur de definito; et tamen utrobique est primus modus dicendi *per se.* — Quod autem aliter et aliter fit alius gradus, ostendo per Aristotelem, ubi ponit quod definitio est incorruptibilium; dicit ibi, quod quaedam definitio est *conclusio* demonstrationis, ut definitio *materialis:* et quaedam est *principium* demonstrationis, ut definitio *formalis:* quaedam ést tota demonstratio, sola positione differens. Cum ergo definitio materialis sit conclusio, et definitio formalis principium, alius est gradus.

Eodem modo in proposito, passio praedicatur de suo subiecto *secundo modo* in *conclusione,* et passio de definitione subiecti secundo modo in *maiori;* tamen utrobique est *secundus modus.* Sed quia in uno gradu est conclusio, et in alio est principium, ideo *diversi* sunt *gradus* secundi modi. — *Poster. I.* q. 16. n. 11.

Dici de omni — dici de nullo. — Istud dictum, *dici de omni,* non est oratio completa, et indiget complemento, et ponitur loco alterius propositionis, scilicet istius, *praedicatum universaliter et affirmative dici de subiecto.*

---

(1) Vid. Definitio: *Unum potest cadere in definitionem alterius dupliciter.*

(2) « Aristoteles dicit, quod *primus modus dicendi per se* est quando *praedicatum cadit in definitionem subiecti indicantem quid sit subiectum* ». — *Post.* I. q. 17. n. 3. — *Super. Univers. Porph.* q. 16. n. 9.

Notandum, quod talis oratio complexa proprie non habet definitionem, nec descriptionem, quia definitio et descriptio dantur de *terminis incomplexis;* bene tamen potest habere quamdam *explicationem* vel interpretationem, eo modo quo oratio minus nota declaratur et explicatur per orationem magis notam. — Et ideo ista descriptio vel explanatio, « *dici de omni* » *est quando nihil est sumere sub subiecto, de quo non dicatur praedicatum,* debet sic intelligi, quod propositio *universalis affirmativa* significat praedicatum *dici de omni eo* de quo praedicatur subiectum; et ideo si subiectum sumatur *dici de aliquo,* necesse est praedicatum *dici de illo eodem.* — Et ita definitio « *dici de nullo* » *est quando nihil est sumere sub subiecto, a quo non removeatur praedicatum.* Et debet sic intelligi, quod propositio *universalis negativa* significat praedicatum *negari ab omni illo* de quo affirmatur subiectum. Et ista duo principia significant *quid nominis* propositionis *universalis;* ideo non possunt probari. Nam *quid nominis* est principium omnis doctrinae, ut patet in libro *De Sensu et Sensato,* et ideo *quid nominis* debet praesupponi in qualibet scientia.

Ex quibus patet, quod *signum universale* non requirit aliquem *certum numerum* suppositorum termini communis cui additur, sicut aliqui dicunt, quod hoc signum, *omnis,* ad minus requirit *tria* supposita; quia signum universale affirmativum non denotat aliud, quam praedicatum *dici de omni* supposito subiecti, non connotando vel significando multitudinem vel paucitatem suppositorum termini, cui additur.

Secundo notandum, quod quando dicitur, quod omnis syllogismus tenet in virtute *dici de omni, vel de nullo,* debet intelligi, quod omnis syllogismus est evidens aliquo dictorum principiorum, et hoc quantum ad illationem conclusionis; et dico notabiliter, *aliquo,* quia non oportet, quod ambo principia illa applicentur ad eumdem syllogismum. — *Prior. I.* q. 7. n. 2. — Vid. *Signum universale.*

Dici « secundum substantiam » est dupliciter. — Adducitur * (a D. Bonav.) * dictum cuiusdam antiqui Doctoris distinguentis aliquid *dici dupliciter secundum substantiam;* dicit enim, quod, sicut dicit Ricardus de sancto Victore, *dici secundum substantiam* est *dupliciter: uno* quidem modo indicando substantiam *secundum naturam communem;* et sic dicitur *homo secundum substantiam.* — *Alio* modo indicando substantiam *ut suppositum certum,* ut *quidam* homo. — Primo modo *dicere substantiam* est dicere *quid;* secundo modo *dicere substantiam* est dicere *aliquid.* — Dicit igitur, quod hoc nomen *substantia* vel *essentia* * in Divinis * dicitur *secundum substantiam,* quia indicat *naturam communem;* sed hoc nomen *persona* dicitur *secundum substantiam,* quia indicat *suppositum certum* et distinctum. *Natura* autem *communis* non multiplicatur nec refertur; et ideo *quod dicit* substantiam *secundum naturam communem* ita dicitur *ad se,* quod nullo modo potest dici secundum *relationem,* et hoc modo dividitur ex opposito contra *ad aliquid. Suppositum* autem sive *hypostasis* natum est plurificari, et *ad aliud* comparari, et ita referri; et quod sic *dicitur secundum substantiam* nihil impedit, ratione relationis superadditae, dici secundum *relationem;* et hoc vult dicere Richard. de sancto Victore. — *Oxon.* I. d. 26. n. 23. — *Report.* ib. q. 3. n. 3.

Dictare. — Intellectus apprehendit *agibile* antequam voluntas illud velit; sed non apprehendit determinate *hoc* esse agendum, quod *apprehendere* dicitur *dictare.* — *Oxon.* IV. d. 46. q. 1. n. 10.

Dictio. — Vid. *Grammat. specul.* n. 18.

Dictum humanum duplex. — Vid. *Iuramentum — Periurium.*

Diesis. — *Diesis,* ut dicitur, est *semitonium;* nam *tonus* dividitur in duo *semitonia* inaequalia, quorum unus vocatur *diesis* in *musicis.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 6. n. 57.

Diffamatio triplex. — In genere potest aliquis alium *tripliciter diffamare: uno* modo *falsum* crimen *imponendo.* — *Secundo* modo *verum* crimen, tamen *occultum,* non servato ordine iuris, *in publico proponendo.* — *Tertio* modo *verum* cri-

men, sed *occultum*, in publico tamen sibi impositum *negando*, quia in hoc negans notat imponentem de calumnia. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 4. n. 2. — *Report.* II. d. 15. q. 4. n. 48.

Differens multiplex. — Dicit * Aristot. *, quod *differentia dicuntur quaecumque dicuntur diversa idem aliquid entia* (1): id est, *in aliquo uno convenientia*, sive illud sit unum *numero*, ut Socrates *scribens* differt a Socrate *non scribente;* tamen sunt idem in *Socrate;* sive illud sit idem *in specie*, ut *Socrates*, et *Plato*, qui conveniunt in *homine;* sive illud sit unum *proportione*, sicut *tranquillitas maris*, et *serenitas aëris*, quae differunt, et tamen communicant secundum quamdam *proportionem* in hoc quod est *esse quietum*. — Alio modo dicuntur *differentia quorum genus est diversum;* et ideo non sunt aliquid *idem entia* in aliqua *una specie*, vel *genere*, etc., sed forte in aliquo *transcendente*, ut substantia et quantitas in *ente*.

Deinde ostendit quae *proprie* sunt *differentia*, dicens quod *contraria et quaecumque habent in substantia diversitatem* sunt *proprie differentia*, sicut duae *species* sub *genere*, quae duabus *contrariis* differentiis et *substantialibus* differunt, et *conveniunt* in *genere*.

Notandum, quod sicut potest elici ex littera, *diversa proprie* dicuntur quae ut sic non respiciunt aliquam convenientiam, sed solum dicuntur *diversa*, ut *non conveniunt;* et ex hoc sequitur, quod illa quae *in nullo simpliciter conveniunt* sunt *proprie diversa*, et dicuntur *prima diversa*, ut sunt ultimae differentiae (2). Sed *differentia* non tantum respiciunt diversitatem, sed etiam in *aliquo uno;* et ideo dicuntur *diversa idem aliquid entia*, ut dictum est. — *Exposit. in Meth. Arist.* l. V. S. unic. c. IX. n. 76. — Vid. *Diversum* — *Differens.* — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 6. — d. 13. n. 23.

---

(1) « *Differentia* sunt, secundum Aristotelem in V. *Metaph.*, quaecumque inter se diversa sunt, alicui tamen idem entia ». — *Poster.* I. q. 23. n. 6. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 6.

(2) *Primo diversa* sunt « quae in nullo conveniunt ». — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 13. n. 18.

Differentia. — *Differentia* est *qua species abundat a genere* * ex Philosoph. * id est, quae cum *genere* constituit *speciem*.

Differentia potest esse nomen *primae intentionis* vel *secundae*. *Primo modo* est nomen *abstractum*, et significat relationem, et est species *multitudinis*, ut *multum* est *differentia* entis. *Secundo modo* est *concretum*, sicut et alia nomina *intentionum*, et transumit a *differentia*, ut est nomen *primae intentionis;* significat autem *intentionem* applicabilem ei quod est principium formale *differentiae* ut est res *primae intentionis*. — *Super Univers. Porph.* q. 27. n. 4. — *Differentia*, ut est nomen *secundae intentionis*, sic est aequivocum: *uno* enim *modo* significat intentionem applicabilem ei quod est principium *differentiae* ut est relatio *realis*, sicut *rationale* dicitur *differentia;* et sic * *differentia* * est *universale*. *Alio modo* significat relationem *rationis*, cuius species sunt *differentia numero*, et *differentia specie*, a quibus dicitur denominative *differens specie* et *differens numero;* et sic est *abstractum*, sicut quando est nomen *primae intentionis*. — *Ib.* n. 6.

Differentia est *duplex:* quaedam *ultima*, quaedam *intermedia*. Haec definitio, *Differentia* est quae *praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale*, convenit differentiae *intermediae* universaliter, et est vera definitio; ponuntur enim ibi *genus*, et *differentia* ipsius *differentiae;* quia *differentia species* est respectu *universalis; universale* enim per *differentias* sibi additas in ipsam descendit, quia illae per se dividunt *universale*, et ipsum ad *differentiam* contrahunt. *Differentiae* autem per se *divisivae* superiorum per se sunt *constitutivae* inferiorum, quia per illas *superius* determinatur ad *inferius*.

Tamen * illa * non est definitio differentiae *universaliter;* quia non differentiae *ultimae*. Sicut enim est quaedam species *specialissima*, et quaedam *subalterna*, et sicut est aliqua descriptio data de specie *specialissima* tantum, sic est differentia quaedam *ultima*, et quaedam *intermedia*, sic quod est aliqua descriptio conveniens differentiae *intermediae*, cuiusmodi est ista. — *Ib.* n. 2.

Differentiae autem *in communi* est sufficiens definitio *praedicari* de *pluribus in quale essentiale*, quae convenit *utrique differentiae*. — Pro definitione autem *universalis*, et *differentiae* sic *in communi*, oportet dicere *plura* esse univocum ad plura *specie*, et ad plura *numero*; et *simpliciter inesse*, id est, *vere utrique pluralitati convenire*, licet unum insit *uni numero* et *speciei*, sicut *simpliciter* et *secundum quid*, sicut *non homo* est univocum ad *mortuum*, et *non mortuum*, licet *homo* conveniat * vivo * *simpliciter* et * mortuo * *secundum quid*. — *Ib.* n. 3.

Non sunt * tamen * *multae* definitiones differentiae *secundum se*; sed *prima* est eius, secundum quod est *constitutiva* speciei, est enim sensus: *differentia est, qua abundat species a genere*, id est, quae cum *genere* constituit *speciem*; ita quod ibi ponitur *species* ut *correlativum* differentiae, inquantum species est *constituta*, et differentia *constitutiva*. *Abundat a genere* ponitur pro *constituere*, et * pro * *propria* ratione constituendi; quia non ut genus *constituit* speciem (1). — *Secunda* definitio est differentiae *intermediae*, inquantum est *universale*; sed si sumatur generalius, dempto hoc, quod est *differentibus specie*, est propria *differentiae*, inquantum hic de illa agitur. — *Aliae duae* definitiones * a Porphyr. assignatae * (2) sunt differentiae, inquantum *divisiva* est. — Prima datur a divisione *activa*, in qua ponitur ratio differentiae *divisivae*, scilicet *nata dividere*, cum *correlativo*, scilicet *diviso*, et *termino* divisionis, scilicet ea in qua divisum dividitur, scilicet *ea quae sunt sub eodem genere*. — *Quarta* non multum valet, ut ipse dicit in littera: et cum corrigitur, tunc contrahitur magis ad differentiam *constitutivam*. — *Ib.* n. 5. * Et * sic intelligi debet: *Differentia est qua, non ut forma informante*, ut est de albedine, *sed qua, ut intentione applicabili ad principium*, differentia specie *singula differunt a se*. *Differentia specie*, quia *differentia* denominative dicitur de *differentia* ut est relatio *rationis*. — *Ib.* n. 7.

Differentia praedicatur in *quale*, quod ostendit Auctor * (Porphyr.) * dupliciter: *primo*, quia ad quaestionem factam per *quale*, convenienter respondetur per *differentiam*: *secundo*, sicut est in composito *reali*, ita proportionabiliter est in composito *rationis*: in composito autem reali est aliquid habens rationem *materiae*, et aliquid rationem *formae*; igitur in composito rationis erunt aliqua istis proportionabilia; nam *omnia ex quibus fit unum per se, alterum est ut potentia, alterum ut actus*, per Aristotelem *VIII. Metaph. cont. 6, 9, et 15*. *Differentia* autem non habet modum *materiae*; quia non est *indeterminata*, nec *in potentia*, quae propria sunt *materiae*; ergo habet modum *formae*. *Forma* vero et *qualitas* et *actus* idem sunt; ergo habet modum *qualis* respectu *speciei*; et hoc est praedicari in *quale*. — Intelligendum tamen, quod sicut est *actus duplex*: *primus*, qui facit ens *simpliciter* in actu; et *secundus*, qui praesupponit ens in actu, et tantum facit ens in actu *tali*: sic est *forma duplex*, et *qualitas duplex*, et ita a *qualitate duplici duplex* est modus *qualis*. *Differentia* sumitur a primo actu, scilicet a forma *specifica*, quae est *qualitas essentialis*, et ideo praedicatur in *quale essentiale*, non accidentale, sicut alia duo Universalia * *(Proprium* et *Accidens)* *. — *Ib.* q. 28. n. 2.

Nihil prohibet duas *differentias* esse *differentes*; hoc non est necessarium; *proprie* tamen *differentes* non sunt. Ad cuius intelligentiam intelligendum est, quod *diversitas* faciens *speciem differentiae* non est *differentiae*, sed ipsius *generis*; *differentia* enim *proprie* non dividitur per *differentias*, sed *genus* ipsum; *animatum* enim non dividitur per *sensibile* et *insensibile*, sed *corpus animatum*. Unde illa *proprie differunt* quae claudunt in se *diversum per se*, et ea *per quae dividitur*; et talia sunt *species*; et ideo species sunt *differentes proprie*. Unde *differentia* sunt quae *formaliter diversa aliquid idem materialiter entia sunt*. Unde non omnia quae participant aliquid idem,

(1) Vid. *Super Univers.* q. 25. n. 3.

(2) Scil. tertia, quae est: *Differentia est illud quod est notum dividere ea quae sunt sub eodem genere*, et quarta, quae est: *Differentia est qua differunt a se singula.*

et per aliud sunt diversa, habent dici *differentia*, sed requiritur quod illud idem *sit per se diversificatum*. Et ideo licet duae differentiae oppositae claudant in se intellectum superioris differentiae, et aliquid quo sunt diversae, non illae differentiae *proprie* sunt *differentes*, quia ista differentia superior *non proprie diversificatur* in istas. Exempli gratia: *animatum* non diversificatur per se propter *sensibile* vel *insensibile*, sed *corpus animatum*. Si tamen *animatum* dividatur per A et B, et animatum constitueret *sensibile* cum B, intelligi deberet quod *sensibile* et *insensibile* sint *differentes*; sed non est ita. Imo si dividatur immediate, dividetur in *sensibile* et in *insensibile*; unde *differentiae oppositae* eo modo quo *diversa sunt aliquid idem entia*, sunt *differentes*. Sed tamen illud *idem* quod sunt entia non est aliquid *materiale*, imo *formale*; nec se habet differentia *inferior* ad *superiorem* sicut *materia* ad *formam*, sed sicut *forma* ad *formam*. Et propter hoc *differre per differentias* convenit *speciebus*, non autem *differentiis*, quia omnibus convenit speciebus, non tamen ex omnibus differentiis. — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 19. n. 3.

Differentia differt ab aliis Universalibus *definitione* et *specie*. — *Super Univers. Porph.* q. 27. n. 6. — Vid. *Praedicari in quid — in quale = Praedicari in quid — in quale quid.*

Differentia est in plus quam definitum dupliciter. — Possumus intelligere differentiam *esse in plus quam definitum* dupliciter: *uno modo*, quod *excedat definitum quantum ad supposita*; et isto modo *differentia ultima* non est *in plus*, et per consequens non quaelibet pars definitionis est *in plus*. — *Alio modo* potest intelligi differentiam esse *in plus*, quia *simplicius*; et isto modo *differentia*, et *genus*, et quaelibet pars *definitionis* est *in plus* quam *definitum*. — *Primum* patet, quia *differentia ultima* accipitur ab *ultima forma*, si ponantur esse plures, vel ab *ultimo gradu* unius formae; sed sive ponatur ultima forma, sive ultimus gradus, illa non excedunt speciem; ergo eadem differentia, quae ab iis accipitur, non excedit speciem *quoad supposita*, et per consequens quoad supposita non est *in plus*. — *Secundum* patet, quia species *definienda* componitur ex *genere* et *differentia* in suo conceptu, sicut statua componitur ex *aere* tanquam *materiale*, et ex *figura* tanquam ex *forma*, per Porphyrium. Sed componentia sunt *simpliciora* quam compositum; quaelibet ergo pars definitionis *simplicior* est quam *definitum*; et isto modo est *in plus*. — *Poster.* II. q. 11. n. 2. — Cf. *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 46.

Differentia formalis — formarum. — Non omnis *differentia formarum* est *formalis*, loquendo *proprie* de *formali*, prout videlicet *differentia formalis* est differentia *secundum formas*: sicut non omnis differentia *hominum* est differentia in *humanitate*. Cuius ratio assignatur realiter, et logice. *Realiter* sic: possunt homines habere humanitatem, et differre, licet non *per humanitatem*, et ita *in humanitate* non differunt. Ita possunt *purae formae* differre, et tamen non *per formalitatem* differunt, et ita nec *formaliter*; quia idem est *differre formaliter, proprie* loquendo, quod *differre in forma*, vel *per formam*. — *Logice* sic: quia sicut terminus differentiae intelligendus est per negationem inclusam in differentia, respectu illius negationis, potest accipi confuse, et distributive, ita etiam illud, quod denotatur esse *ratio formalis* differentiae, quale est illud, quod construitur cum *differre*, ut *in quo*, vel secundum quod denotatur, quod posset confundi a negatione. — *Oxon.* I. d. 17. q. 5. n. 8.

Differentia formalis — specifica. — Alias fuit dictum (1), quod *differentia formalis* potest accipi pro differentia *in forma*, et hoc videtur *proprie* significare hoc quod dicitur *differentia formalis*; vel potest accipi *differentia formalis* pro differentia *formarum*, licet non sit in forma ut in *ratione differendi*. — *Primo modo* potest concedi, * quod * omnis differentia *formalis* est differentia *specifica*... Si autem accipiatur *improprie*, id est iuxta *secundum* intellectum, nego.

---

(1) Paulo ante.

* Hinc * non sequitur: *formae* differunt; ergo *formaliter* differunt, vel differunt *in forma;* sicut non sequitur: *homines* plures differunt; igitur *in humanitate* differunt. Aliud enim est aliquid distingui, et aliud ipsum esse *primam rationem* distinguendi, vel distinctionis, quia cum hoc quod ipsum sit distinctum stat quod ipsum non sit *ratio* distinguendi; cum hoc autem quod ipsum sit *prima ratio distinguendi* non stat ipsum *non esse distinctum.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 7-8. — *Report.* II. d. 3. q. 1. n. 8.

Differentia per se — per accidens. — Quaedam sunt differentia *per se*, et *speciales;* quaedam vero *per accidens,* sive *accidentales.* — *Poster.* II. q. 11. n. 2.

Differentia secundum rationem duplex. — Vid. *Paternitas — Generatio activa.*

Differentia specifica. — *Hoc est differre,* sive esse *diversa specie entia in eodem genere habere contrarietatem entia individua,* id est, quod differunt secundum species individuas, id est, *specialissimas,* quae ulterius *specifice* non dividuntur, et tamen existunt sub uno genere; et per oppositum dicuntur *eadem specie quaecumque entia individua.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 7. n. 81. — Illa dicuntur *eadem specie,* quaecumque habent *unam* differentiam; sed dicuntur *diversa specie,* quae *diversas* et *oppositas* differentias habent. — *Ib.* n. 82.

Ad *differentiam secundum speciem* duo requiruntur, scilicet: *identitas generis in se,* et *diversificatio ipsius per diversas species.* — *Conclus. Metaph.* lib X. concl. 55. — Vid. *Genus — Differentia.*

Differentia specifica ad tria comparatur. — *Differentia specifica,* sive entitas a qua sumitur differentia specifica, potest comparari ad illud quod est *infra se,* vel ad illud quod est *supra se,* vel ad illud quod est *iuxta se.* — *Primo modo* differentiae specificae et illi entitati specificae repugnat per se dividi in plura essentialiter specie vel natura, et per hoc repugnat toti, cuius illa entitas est per se pars. — Comparando autem ad illud quod est *supra se,* dico quod illa realitas a qua sumitur differentia specifica est actualis respectu illius realitatis a qua sumitur genus vel ratio generis, ita quod haec realitas non est formaliter illa, alioquin in definitione esset nugatio, et solum genus sufficienter definiret, quia indicaret totam entitatem definiti, sine differentia (1)... — Comparando vero ad illud quod est *iuxta se,* scilicet differentiam specificam, licet quandoque posset esse non primo diversa ab alia, sicut est illa entitas, quae sumitur a forma, tamen ultima differentia specifica est primo diversa ab alia, illa scilicet quae habet conceptum simpliciter simplicem; et quoad hoc dico, quod differentia *individualis* assimilatur differentiae specificae ultimo sumptae, quia omnis entitas individualis est primo diversa a quocumque alio. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 11. seqq.

Differentia specifica — individualis. — *Differentiae quaedam* sequuntur rem secundum suum esse *formale et specificum;* et tales sunt *per se differentiae generis;* et per consequens faciunt differre *secundum speciem,* ut sunt *rationale* et *irrationale, volatile* etiam et *gressibile,* et huiusmodi. — *Quaedam* autem differentiae consequuntur rem secundum suum esse *materiale* et *individuale,* ut *albedo* et *nigredo* et huiusmodi, quae *primo* competunt *individuo,* et ex consequenti et *per accidens speciei;* et tales non sunt differentiae *per se* generis, sed *per accidens,* nec per consequens faciunt differre *specie.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 8. n. 87.

Differentia specifica in Divinis — in creaturis. — *Differentia specifica* non est perfectior identitate specifica in Divinis; sed in creaturis est perfectionis. Posita enim limitatione creaturarum, non potest esse tota perfectio in creaturis absque distinctione specifica; sed si in aliqua una natura esset perfectio infinita, ibi distinctio specifica non requireretur ad perfectionem simpliciter. In creaturis igitur differentia specifica est perfectio supplens imperfectionem; in Divinis autem, ubi una natura est simpliciter perfecta, non oportet ponere ad talem perfectionem supplentem imperfectionem, quia nulla est imperfectio quae suppleatur. *Exem-*

---

(1) Cf. *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 46.

plum: generatio in creaturis est perfectio supplens imperfectionem in corruptibilibus, quae sine generatione non possent conservari nec idem numeraliter, nec idem specie; in Divinis autem non oportet ponere talem perfectionem supplentem imperfectionem aliquam quae sit ibi, nec in aliquo aeterno. — *Oxon*. I. d. 7. n. 16.

Differentia ultima. — *Ens* non est univocum dictum *in quid* de differentiis ultimis; nam *differentia ultima* dicitur, quia non habet differentiam, quia non resolvitur in conceptum quidditativum et qualificativum, determinabilem et determinatum; sed est tantum conceptus eius qualificativus, sicut ultimum genus habet tantum conceptum quidditativum. — *Oxon*. I. d. 3. q. 3. n. 6, *ubi assertionem duplici probat argumento.*

Cum tamen praedictum est, quod *ens* non praedicatur *per se primo modo* de differentiis ultimis, distinguo de *differentiis*, quod aliqua potest sumi a parte *essentiali ultima*, quae est res et natura alia ab illo a quo sumitur conceptus *generis:* sicut si ponatur formarum pluralitas, et *genus* dicatur sumi a parte *essentiali prima*, et differentia specifica a *forma ultima*, tunc sicut ens dicitur *in quid* de illa parte essentiali a qua sumitur differentia talis specifica, ita dicitur *in quid* de tali differentia in abstracto, ita quod sicut haec est *in quid, anima intellectiva est ens*, accipiendo eumdem conceptum entis, secundum quem dicitur de homine vel de albedine, ita haec est *in quid, rationalitas est ens*, si rationalitas sit talis differentia.

Sed nulla talis differentia est *ultima*, quia in tali continentur plures realitates aliquo modo distinctae; et tunc talis natura potest concipi secundum aliquid, hoc est secundum aliquam realitatem et perfectionem, et secundum aliquam ignorari; et ideo talis naturae conceptus non est simpliciter simplex.

Sed ultima realitas, seu perfectio realitatis naturae, a qua sumitur *ultima differentia*, est omnino simpliciter simplex. Ista realitas non includit ens *quidditative*, sed habet conceptum simpliciter simplicem. Unde si talis realitas sit **A**, haec non est *in quid*, **A** *est ens*, sed est *quasi per accidens*, et hoc sive A dicat illam *realitatem*, sive *differentiam in abstracto* sumptam a tali realitate.

Dixi igitur prius, quod nulla differentia *simpliciter ultima* includit ens *quidditative*, quia est simpliciter simplex. Sed aliqua differentia *sumpta a parte essentiali*, quae pars est una in re, alia a natura a qua sumitur genus, illa differentia non est simpliciter simplex, et includit ens *in quid*. — *Ib*. n. 15. — Vid. *Genus — Differentia*.

Difficultas in operando duplex. — *Difficultas* contingit *in actu dupliciter:* vel *ex inclinatione ad oppositum;* vel quia illud, circa quod operatur, *excedit facultatem naturae operantis*. — *Report*. II. d. 5. n. 4. — *Oxon*. II. d. 5. q. 1. n. 4.

Digestio. — *Digestio* vel potest capi pro *dispositione*, a qua provenit operatio debita rei, vel *simpliciter*, vel *secundum tempus*, vel alio modo; vel pro *via*, vel pro *mutatione* ad talem operationem habendam, puta *simpliciter* perfectam, vel *secundum tempus*. Si capiatur pro dispositione *tali*, et non *pro via*, potest describi sic, quod *digestio est dispositio qualitativa propria et intrinseca alicuius mixti, qua natum est debite agere, vel pati, secundum finem intentum simpliciter, vel secundum tempus*. — *Meteor*. IV. q. 2. n. 7. ubi late prosequitur huius descriptionis explicationem.

Dignitas. — Vid. *Principia entis duplicia = Conclusionis principia tria*.

Dilectio — Delectatio. — Quod dicunt * aliqui *, *delectationem* et *dilectionem* differre *secundum rationem*, non est verum; imo illa differentia est *in re*, et non tantum *in ratione;* quia *dilectio* elicitur a voluntate *realiter*, et non solum significatur secundum rationem procedere a voluntate. *Delectatio* autem est ab obiecto *delectabili*. Unde sicut obiectum *sensibile* est causa delectationis in appetitu *sensitivo*, ita obiectum conveniens *intelligibile*, sive bonum, causat delectationem in appetitu *intellectivo*.

Ideo dico, quod non sunt idem actus *realiter dilectio* et *delectatio*, nec sunt ab eisdem agentibus, sed a diversis *realiter*. — *Report*. I. d. 1. q. 3. n. 6. *ubi latius*

hanc doctrinam exponit Doctor et demonstrat. — *Vid. etiam eumdem in Oxon.* III. d. 15. nn. 8 et 12. — *Dilectio* et *delectatio* sunt actus diversi, quia *dilectio* est in voluntate et *a voluntate; delectatio* autem est in voluntate, sed non *a voluntate,* sed potius *ab obiecto.* Probatio, quia eorum contraria, quae sunt *odium* et *tristitia,* non sunt idem, nec sunt ambo a voluntate causata, sed alterum tantum, scilicet *odium;* quare voluntas complacet sibi in actu proprio * odii * ab ipsa libere causato tanquam convenienti, non autem sibi complacet in *tristitia,* imo est volitioni contraria. Quare quilibet *invite tristatur, complacet* autem sibi in *odio.* Ergo *tristitia* semper causatur *ab obiecto,* non *a voluntate;* quia tunc esset immediate in potestate voluntatis; et per consequens nec *delectatio* * causatur a voluntate *, sed obiectum conveniens, cum perceptione, cum sit praesens, causat *delectationem,* et obiectum contrario modo dispositum causat *tristitiam.*

Delectatio non *immediate* causatur ab apprehensione convenientis, sed *mediante* actu *dilectionis* coniungente potentiam obiecto sibi convenienti; quae coniunctio est prior *ordine naturae* ipsa *delectatione,* licet non *tempore;* eodem enim modo quo voluntas coniungitur obiecto suo praesenti per actum *dilectionis,* vel fruitionis, fit quaedam dulcedo in potentia volitiva, et haec est *delectatio.* — *De Anima* q. 11. n. 7. — Vid. *Delectatio.*

Dilectio naturalis — meritoria. — Videndum est quid intelligendum sit per *dilectionem naturalem.* Non intelligitur hic *dilectio naturalis* illa inclinatio naturae ad bonum, quae est coaeva ipsi naturae, imo forte non aliud ab ipsa natura; sed quaeritur de actu *elicito* dilectionis naturalis; illa autem inclinatio non est actus elicitus; et pro tanto posset dici *dilectio habitualis,* quia assimilatur *habitui* in hoc, quod est *praecedens actum* et *permanens sine actu.* — Actus autem *dilectionis naturalis* posset uno modo intelligi actus elicitus *secundum illam inclinationem naturalem:* puta quando mens actu diligit se, vel actu vult sibi commodum. — Alio modo posset intelligi actus *naturalis dilectionis,* distinguendo contra *supernaturalem,* ille scilicet, quem voluntas ex seipsa actu naturali potest habere, licet non sit secundum inclinationem naturalem, sicut voluntas ex seipsa potest habere actum vitiosum, et tamen ille actus est praeter naturam, vel contra naturam, secundum Damascenum.

Primo modo intelligendo *dilectionem naturalem,* illa forte continetur sub *dilectione naturali secundo modo* accepta, saltem ut in pluribus, quia plures actus dilectionis, ad quos naturaliter inclinamur, possumus potestate naturali elicere, licet non omnes, quia ad perfectissimum circa ultimum finem est inclinatio naturalis, licet ad illud non possit natura attingere ex se. — *Quodlib.* q. 17. n. 2.

Potest dici, quod actus dilectionis *naturalis* et *meritoriae* non differunt specie; et hoc loquendo de *per se* differentia, quam important per se ratio *naturalis* et ratio *meritorii;* non autem *per accidens,* de differentia scilicet aliqua concomitante, puta differentia obiectorum, vel aliqua tali, intelligendo etiam de differentia actus specifica in esse naturae. — *Ib.* n. 6. — *Actus naturalis,* ut hic loquimur, est proprium *potentiale* respectu illius, quod dicit *actus meritorius,* quia actus sub illa ratione consideratus, sub qua est in potestate *naturali* voluntatis, capax est ordinis illius, quem importat *meritorium.* — *Ib.* n. 7.

Actus qui est complete circumstantionatus secundum virtutem *moralem* est potentiale respectu virtutis quam dicit *meritorium,* imo est immediatius potentiale, quam actus naturalis, hoc est *naturae nudae,* ut praesupponitur virtuti morali. Est enim rationabile, ut actus mere naturalis per prius recipiat perfectionem illam quae non transcendit totam facultatem naturae, cuiusmodi perfectio est secundum virtutem *moralem;* et ulterius, illa habita, recipiat perfectionem simpliciter *supernaturalem.* — *Ib.*

Posset concedi, * quod * dilectio *meritoria* dicatur habere quamdam rationem specificam, quam non habet aliqua dilectio *naturalis,* unde naturalis, licet eadem dilectio numero sit naturalis, considerata ut praesupposita rationi *meritorii.* Ratio igitur *me-*

ritorii est ratio specifica *completiva* bonitatis praecedentis, non autem specifica *disparata*. — *Ib.* n. 8.

Aliter dicitur, quod ratio *meritorii* non est aliqua ratio specifica et completiva in genere moris, quia non dicit aliquam bonitatem vel rectitudinem *intrinsecam* activi, sed tantum illam *praesupponit*, et dicit ulterius respectum ad voluntatem acceptantem. — *Ib.* n. 9.

Sed actus *charitatis*, ultra conformitatem sui ad cognitionem directivam, habet propriam bonitatem ex hoc, quod est secundum inclinationem charitatis; imo esse secundum illam inclinationem est habere propriam bonitatem charitativam; non sic de virtutibus *moralibus*. — *Ib.*

Consulenda tota citata quaestio Quodlib., *ubi erudite et profunde materiam expendit*. — Vid. *Actus meritorius* = *Meritum*.

Dilectio positiva — prohibitiva. — Loquendo de inimico *per accidens*, scilicet de homine qui nunc est inimicus, possumus loqui de dilectione vel *positive*, quasi per modum actus eliciendi, vel quasi *prohibitive*, per modum actus contrarii arcendi. Secundum est magis necessarium, quia praecepta affirmativa magis obligant, ne contraria eorum fiant. — Et isto modo accipiendo *diligere*, scilicet pro *non odire*, duplex bonum possumus non odire sibi: bonum *spirituale*, scilicet quo attingit vel natus est attingere Deum; vel aliud bonum *indifferens*, quod potest ordinari ad illud, et ad oppositum. Verbi gratia de *primo:* ipsum diligere Deum amore amicitiae, ut est bonum honestum, vel concupiscere sibi Deum, ut est bonum commodi. De *secundo:* ipsum vivere vita corporali, esse sanum, divitem, fortem et huiusmodi. — *Oxon.* III. d. 30. n. 3.

Diligere. — *Diligere*, * in illa propositione * *Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto*, nec mere *essentialiter*, nec mere *notionaliter* tenetur; sed *connotat* notionem, scilicet productionem Spiritus Sancti, et *significat* illam habitudinem consequentem Spiritum Sanctum ad amatum, non quidem *formaliter*, sed *principiative*. Et ratione istius habitudinis consequentis *essentiale* est quantum ad terminum illius habitudinis, quia terminus ille non tantum est Spiritus Sanctus, sed etiam omne necessario amabile. — *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 12.

Non oportet * autem * concedere, Patrem et Filium diligere *creaturam* Spiritu Sancto, sicut diligunt *se* Spiritu Sancto, quia iste modus diligendi, ut sumitur *principiative*, videtur esse primo illius termini dilectionis, cuius ipsa dilectio est formaliter, ex hoc quod est principiata. Sic enim *diligere* obiectum est principiare amorem, qui ut principiatus est formaliter illius obiecti. Spiritus autem Sanctus, ex vi principiationis suae, neque primo, nec concomitanter est amor creaturae, quia creatura tantum contingenter amatur a Deo. Licet autem ex vi productionis suae primo sit amor essentiae, tamen concomitanter potest dici amor Filii, quia illae Personae sunt in natura primo amata, ex necessitate illius naturae; et ita posset concedi quod Pater non diligit creaturam Spiritu Sancto eo modo quo Filium, quia non producit amorem qui ex vi productionis suae sit amor creaturae. — *Ib.* n. 14.

Potest * igitur * concedi, quod Pater diligit Spiritu Sancto, modo quo expositum est; et hoc est *appropriatum* Spiritui Sancto, non *proprium*. Et notatur ibi duplex relatio realis, scilicet spiratio, et alia rationis inspiratio ad amatum ipso; qui respectus rationis est appropriatus Spiritui Sancto, vere tamen communis est tribus. — *Ib.* III. d. 32. n. 4.

Diligere in Divinis. — Vid. *Dicere in Divinis.*

Diligere magis — firmius. — Vid. *Charitas.*

Discursus. — *Discursus* non requirit successionem *temporis*, nec ordinem ipsius, sed ordinem *naturae*, scilicet quod principium discursus sit naturaliter prius notum, et ut sic sit causativum alterius extremi discursus. — *Oxon.* Prol. q. 3. (4 lat.) n. 27. — Sed discursus praesupponit cognitionem istius simplicis ad quod discurritur. — *Ib.* I. d. 3. q. 2. n. 9. — II. d. 3. q. 9. n. 5. — Quia discursus praesupponit aliquem conceptum de termino, ad quem est. — I. ib. n. 31.

Causatio * autem * scientiae per discursum a causa ad scitum includit imperfectio-

nem ex parte scientiae, scilicet quod sit effectus aequivocus, et etiam potentialitatem ex parte intellectus recipientis. — *Prol.* ib. n. 26.

Discursus practicus. — *Discursus* et syllogizatio *practica* est ad hoc, quod habeatur actus electivus voluntatis, et facto iudicio per cognitionem practicam, voluntas eligit; et quando voluntas eligit, ratio practica non discurrit, quia facta conclusione practica sententiat de eligendo. — *Oxon.* III. d. 18. n. 11.

Discursus triplex. — In intellectu Primi non est *discursus* aliquis; sed in intellectu nostro *duplex* est *discursus: unus,* cum *multa apprehendimus secundum successionem,* ut cum unum intelleximus, ad aliud nos convertimus. — *Alius* est cum *a principiis ad conclusiones discurrimus.*

Primus discursus non est in intellectu Primi, quia multa quae intelliguntur *per successionem,* secundum quod unumquodque *in se* apprehenditur, *simul* intelliguntur si *in alio* apprehendantur, sicut *partes,* quae *distinctae* et *seorsum* apprehensae, apprehenduntur *per successionem, simul* apprehenduntur si *in toto* apprehenduntur; et eodem modo de *multis * imaginibus *,* quae *simul* possunt videri *in speculo.* Nunc autem, Primum Principium intelligit omnia *in Seipso,* et ita *in alio* ab eis; non igitur oportet quod Ipse intelligat *discurrendo.*

Secundus etiam discursus non est in Ipso, quia secundus discursus primum sequitur, quia in secundo discursu *ex notis proceditur ad ignota,* nam ex *principiis notis* devenimus ad *conclusiones ignotas.* Nunc autem Primo Principio *nihil est ignotum;* igitur in intellectu Eius non est *secundus discursus.*

Imo potius alius *tertius discursus,* scilicet cum *in ipsis causis cognoscitur effectus.* Nunc autem Primum Principium intelligit omnia *in Se* tamquam *in causa;* et ideo intellectus eius *in indivisibili* est. — *QQ. Metaph.* lib. XII, q. 26. n. 2.

Disparatum. — Vid. *Distingui aliqua magis.*

Dispensatio duplex. — *Dispensare* non est facere quod, *stante praecepto,* liceat facere contra praeceptum; sed *dispensare* est *revocare praeceptum * pro iis* cum quibus dispensatur, et *pro tunc* pro quando dispensatur *, vel *declarare qualiter debeat intelligi;* est enim *duplex dispensatio,* scilicet Iuris *revocatio,* et Iuris *declaratio.* — *Oxon.* III. d. 37. n. 3. — *Ib.* IV. d. 33. q. 1. n. 4.

Displicentia formalis — virtualis. — Vid. *Poenitentia — Poenitere.*

Dispositio. — Dicit * Philosoph. *, quod *dispositio dicitur habitus, et ordo habentium partes,* id est, *ordo partium in habentibus partes.* — Distinguit *tres modos* * dispositionis *; quorum *primus* est secundum ordinem partium *in loco;* et sic est Praedicamentum *positionis* vel *situs.* — *Secundus* est ordo partium *secundum potentiam,* id est, *virtutem naturalem;* et sic est species *qualitatis,* secundum quam aliquis dicitur *dispositus ad sanitatem* vel *aegritudinem,* ex eo quod partes eius habent aliquem ordinem in *virtute activa* vel *passiva.* — *Tertius* est ordo partium *secundum speciem;* et sic est differentia *quantitatis,* quae dicitur *positio,* ut dicitur in *Praedicamentis,* quia quantitas *quaedam* est habens *positionem,* ut *superficies; quaedam* non, ut *tempus.* — Deinde ostendit quoddam suppositum, quod scilicet *dispositio* significet *ordinem,* sicut ipsum nomen ostendit, et ideo suppositum istud probat dicens, quod *dispositionem oportet positionem quamdam esse, positio* autem *ordinem* dicit. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 15. n. 127. — Vid. *Habitus — Dispositio = Qualitatis Modi seu Species.*

Dispositio necessitans ad formam. — In tota natura nihil est in susceptivo, quod sit *dispositio necessitans ad formam;* quia cum qualibet tali * dispositione * stat *potentia contradictionis,* cum ista necessario concomitetur susceptivum, quod est praecise susceptivum ; talis enim repugnat *necessitati.* Sed illud verbum usitatum de *dispositione,* quae est *necessitans,* debet sic intelligi, quod *dispositio* non sit *ratio* necessitatis, sed quod, *ipsa posita,* agens *necessario* inducat formam, *ad quam est dispositio:* vel necessitate *simpliciter,* sicut quando est * agens * *mere naturale;* vel necessitate *secundum quid,* ut quando agens

est *voluntarium*, et disponit *sic* agere; et hoc ultimo modo *forma corporeitatis* * ex. gr. * est *dispositio necessitans* ad animam; non quod ex ista * forma * vel virtute eius sequatur animatio, sed quia ipsa posita, agens *necessitate conditionata* suae *dispositionis* inducit formam, ad quam est * talis *dispositio* *. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 3. n. 22.

Dissentire — non consentire multipliciter sumuntur. — *Non consentire* dicitur *dupliciter: uno* modo *pure negative*, ut quando voluntas non est in actu suo respectu alicuius. — *Alio* modo accipitur *contrarie*, pro *dissentire* (1).

Non consentiens primo modo, ut in *dormiente* vel *amente*, non magis invenitur obex contrariae voluntatis, quam in *parvulo*. — *Non consentiens* autem *secundo* modo, id est, *dissentiens*, potest intelligi *dupliciter:* vel *actualiter*, vel *habitualiter*.

Si autem *dissentire* accipitur *habitualiter*, distinguo: aut ille, qui sic dissentit habitualiter, et non utitur ratione, prius tamen quando habuit usum rationis, *dissensit actualiter;* et tunc nisi intervenerit motus voluntatis contrarius, iudicari debet *simpliciter dissentiens*, ac si *actualiter dissentiret*, quia ex quo quando habuit usum rationis, et dissensit actualiter, et post non intervenit aliquis motus contrarius voluntatis, signum est quod si tunc etiam uteretur ratione, quod etiam tunc dissentiret; * vel * alio modo dissentiens habitualiter ex dissensu actuali, quem habuit cum utebatur ratione, habet *motum contrarium* voluntatis prioris dissensus.

Dissentire * iterum * contingit *dupliciter:* vel *simpliciter*, vel *secundum quid*. *Dissentire simpliciter* alicui est *simpliciter illud nolle;* et est ratio involuntarii *simpliciter*. *Dissentire* autem *secundum quid* alicui, non est simpliciter nolle illud, sed *si nihil esset praesuppositum, simpliciter nollet illud;* et ideo est *simpliciter voluntarium*, et *secundum quid involuntarium*, sicut *proiicere merces in mare* est *simpliciter volitum* et *voluntarium*, supponendo quod non potest aliter salvare se a submersione, quod est *simpliciter voluntarium; secundum quid* tamen est *involuntarium*, quia quantum est *ex se* non esset *volitum*, quia nullus eligit absolute hoc facere; sed quia hoc facit *per libertatem*, et per consequens *non coacte*, qua libertate dominatur actui proiectionis, ideo est *simpliciter voluntarium* (1). Illud enim est *simpliciter voluntarium*, et *secundum quid involuntarium*, quod est *simpliciter volitum*, *quodam effectu simpliciter nolito praesupposito*.

Utrumque istorum membrorum est subdistinguendum ulterius, quod *dissentire simpliciter* contingit *dupliciter:* aut *cum signo exteriori et reclamatione*, aut *sine tali signo*. *Dissentire* autem *cum signo* contingit *dupliciter:* aut *respectu signi exterioris*, ut ablutionis sacramentalis in aqua cum verbis * in receptione Baptismi *, aut *respectu effectus interioris*, ut gratiae invisibilis, cum signo exteriori. — *Report.* IV. d. 4. q. 4. n. 3 et 5. — *Oxon.* ib.

Dissimile. — Vid. *Diversum — Differens = Idem — simile*, etc.

Distantia duplex. — Est quaedam quae est secundum gradum *perfectionis*... Alia est distantia, quae est secundum gradum *proportionis*. — *De Cognitione Dei*, q. 4. n. 4.

Distinctio. — *Distinctio* aliquorum, quorum unum proprie inest alteri, non concluditur, nisi ex separatione *actuali*, vel *potentiali*, vel nisi sint talia, quae sic se habeant ad invicem, sicut aliqua alia, quorum unum est separabile ab alio.

Accipio ergo, quod nihil potest concludi esse *distintum* ab alio, nisi vel propter *separationem actualem*, vel *potentialem*, vel propter *proportionem istorum ad aliqua alia, quorum alterum est ab altero separabile*. — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 3. — Vid. infra *Distinctio in Divinis*.

---

(1) « *Negative* tantum *negat* actualem *consensum; contrarie* vero *ponit* actualem *dissensum*. Et patet distinctio, quia non est idem *non velle* et *nolle* ». — *Oxon.* IV. d. 4. q. 4. n. 3.

(1) « Nam potentiam suam motivam ad proiiciendum *voluntas* movet imperando, et ipsa seipsam *libere* movet, quia *cogi non potest*. *Simpliciter* ergo *volens* proiicit, sed *secundum quid nolens*, hoc est, *sub conditione nolens*, quia nollet si posset alio modo salvare vitam ». — *Oxon.* IV. d. 4. q. 4. n. 3.

Distinctio omnis reducitur ad aliqua primo diversa, quae essent distincta, si per impossibile essent ab omnibus aliis separata. — *Oxon.* I. d. 13. n. 3. — Prima ratio distinctionis est aliqua ratio primo distinctorum (*Ib.* n. 4); quia in quacumque distinctione illud est ratio principalis distinguendi hoc, quod est ratio principalis essendi in illo esse (1). — *Ib.* d. 31 n. 11 — Distinctio ergo vel convenientia convenit constituto per rationem formalem constitutivam; non autem includitur in ipsa ratione constitutiva. — *Quodlib.* q. 4. n. 20.

Distinctio formalis. — Quae *distinguuntur formaliter* non sunt idem *formaliter* et praecise, quia * tunc * distinguerentur *formaliter*, et non distinguerentur *formaliter*, quia nihil essent nisi illud *indistinctum formaliter* — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 19. — Vid. *Formaliter* — *Ex natura rei* = *Continentia unitiva* = Vid. *statim*

Distinctio in Divinis (2). — Cum *vera identitate,* qua una *perfectio essentialis* est eadem *essentiae*, et quaelibet alteri, stat tamen * in Divinis * aliqua *distinctio ex parte rei, secundum quid;* sola enim, *distinctio rationis* non sufficit ad salvandum opposita convenire eis praeter omnem operationem intellectus; conceditur enim, quod Pater *dicit intellectu* sive *memoria*, et *non voluntate*, et quod *operat voluntate*, et *non intellectu*, et multa talia; ideo distinguuntur *secundum quid* tantum *a parte rei.*

Sed quid intelligis per *secundum quid?* Respondeo, quod, quantum ad illas tres conditiones *distinctionis* positas *distinct.* 33 (3), scilicet, *non esse tale potentialiter*, nec *virtualiter*, nec *confuse*, est ibi vera *distinctio* inter huiusmodi perfectiones *essentiales*, sicut alicubi invenitur *distinctio*, quia ita vere in Deo est *intellectus*, sicut si *tantum esset ibi intellectus*, et similiter *voluntas*, et aliae perfectiones *simpliciter * simplices**, et per consequens non sunt ibi *potentialiter*, nec *virtualiter*, nec *confuse.*

Sed illae tres conditiones non sufficiunt ad *distinctionem*, quia non ponunt *non-identitatem*, et non-identitas complet *rationem distinctionis.* Perfectiones autem *simpliciter * simplices ** in Deo habent non-identitatem *secundum quid*, quae est non-identitas *formalis. Distinctio* ergo *secundum quid, ex natura rei*, est *non-identitas formalis aliquorum.* Et intelligo per *non-identitatem formalem aliquorum*, quando unum non est de *formali ratione* alterius, ita quod si definiretur, non pertineret ad definitionem eius; igitur per *non-identitatem formalem* intelligo *non-identitatem quidditativam, non pertinentem ad definitionem alterius, si definiretur.* — *Report.* I. d. 45. q. 2. n. 9.

* Itaque * inter perfectiones * Dei * *essentiales* non est tantum *differentia rationis*, hoc est, *diversorum modorum concipiendi idem obiectum formale:* talis enim distinctio est inter *sapiens* et *sapientiam*, et utique maior inter *sapientiam* et *veritatem.* Nec est ibi tantum distinctio *obiectorum formalium in intellectu*, quia illa numquam est in cognitione intuitiva nisi sit in obiecto intuitive cognito. Est ergo ibi distinctio tertia *praecedens intellectum* omni modo: et est ista, quod *sapientia* est in re ex natura rei, et *bonitas* est in re ex natura rei: *sapientia* autem in re *formaliter* non est *bonitas* in re. Quod probatur; quia si *infinita* sapientia esset *formaliter infinita* bonitas, et sapientia *in communi* esset *formaliter* bonitas *in communi: infinitas* enim non destruit *formaliter* rationem illius cui additur, quia in quocumque gradu intelligatur esse aliqua perfectio, qui tamen gradus est gradus illius perfectionis, non tollitur *ratio formalis* istius perfectionis propter istum gradum; et ita, si non includit *for-*

---

(1) Cf. *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 7.

(2) Ut vera mens Doctoris Subtilis circa percelebrem *distinctionem formalem* haberi queat, potiora, quae hac de re affert, transcribenda duximus, licet parumper ab Operis scopo prima fronte aliena videantur. Et primo quidem nonnulla ponimus circa distinctionem inter *essentiam* divinam ipsiusque *perfectiones essentiales* sive *attributa absoluta;* secundo vero, circa distinctionem inter eamdem *essentiam* et *proprietates personales* sive *attributa relativa ad intra.* Quae omnia sese mutuo complent et explicant. Vides. plura in locis citand. et alibi.

Ab aliis theologicis philosophicisve quaestionibus, in quibus *distinctio formalis* locum habet, innuendis abstinuimus, quia allata Doctoris mentem satis exprimere videntur quoad *naturam* huius distinctionis.

(3) Vid. paulo inferius.

maliter ut *in communi*, nec ut *infinitum* infinitum. — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 17, *ubi plura videri possunt.*

* Notandum autem quod * multiplex est *non-identitas ex natura rei secundum quid: Quaedam* est non-identitas *adaequationis*, quae est *triplex:* vel secundum *praedicationem*, vel secundum *virtutem* et *perfectionem*, vel secundum *mutuam identitatis rationem.*

Proprietas autem * in Divinis * est *non eadem* essentiae *identitate formali;* unum enim non est de *ratione formali* alterius. Nec etiam sunt eadem identitate *adaequationis* secundum *praedicationem*, quia proprietas non est nisi in *una* Persona, essentia autem est in *tribus.* Nec etiam sunt eadem secundum *perfectionem*, quia essentia est *formaliter* infinita, proprietas vero non. Nec etiam sunt eadem identitate *adaequationis*, quae est secundum *mutuam rationem identitatis*, quia in proprietate relativa non est *ratio identitatis* ad essentiam, sicut e converso; quia enim essentia est *formaliter infinita*, ideo quidquid est in ea est *idem sibi.* Ista autem ratio non est in proprietate, quia non est *formaliter* infinita. Igitur *quadrupliciter* proprietas *non est eadem* essentiae.

Sed *voluntas* * et quaevis alia perfectio *essentialis* * est eadem essentiae *tripliciter:* quia secundum *virtutem* et *perfectionem*, secundum etiam *adaequationem praedicationis*, et secundum *mutuam rationem identitatis*, quia utrumque est *formaliter infinitum;* sed tamen non est eius *identitas formalis* ad essentiam, quae *non-identitas* communis est *voluntati* ad essentiam, et *proprietati relativae* ad essentiam.

Patet igitur quod proprietas * relativa * est *non eadem* essentiae *quadrupliciter*, et de numero illorum modorum; perfectio *attributalis* est *eadem* essentiae *tripliciter;* et sic patet ad *Augustinum*, quomodo *non eo Pater quo Deus*, et tamen *tripliciter eo Deus quo sapiens;* sed arguere ex hoc ad omnem identitatem, est *fallacia consequentis.* — *Report. ib.* n. 17.

Certum est quod *essentia* et *proprietas* sint idem * realiter *, et e converso; quia Deus est *simplex* et *est quidquid habet*, excepto *ad quod dicitur relative;* quia, secundum Aug., V. *de Trin.* c. 5, *Deus ideo simplex dicitur, quia est hoc quod habet, excepto quod quaecumque persona dicitur relativa ad alteram;* nam Pater *habet* Filium, et tamen *non est* Filius, nec e converso; essentia etiam divina *habet* proprietates *relativas*, cum omnes fundet; non tamen dicitur *relative* ad eas; patet enim quod dicitur *formaliter* ad se. Est ergo essentia divina *paternitas*, et quaecumque alia proprietas, et e converso, licet non *formaliter.* Est etiam inter eam et *proprietatem* alia differentia, quia essentia est *una* realiter, proprietates sunt *plures* realiter realitate *relativa.* Ad ostendendum autem aliqua differre, sufficienter probatur per *aliquid dici de uno, quod non de alio*, secundum Philosoph., VII. *Topicorum.*

Ideo restat inquirere differentiam inter *essentiam* et *proprietatem* (1). Et probo quod *non differunt tantum per actum intellectus creati* vel *increati negotiantis circa ea*, sicut dicit una opinio; quia Pater *ex natura rei, ante omnem actum intellectus*, in primo signo originis habet rem *communicabilem*, ut essentiam, quia aliter eam non communicaret; habet etiam *ex natura rei*, in primo signo originis, *ante actum intellectus* rem *incommunicabilem*, * *proprietatem* *, quia aliter non esset Persona *ex natura rei:* et *non est eadem* realitas illa, quae est *communicabilis* ex natura rei, et illa quae est *incommunicabilis* ex natura rei; imo hoc includit contradictionem; ergo in Patre *non est idem ex natura rei essentia*, quae est *communicabilis* de se, et *proprietas* quae est *incommunicabilis.*

Assumpta, licet videantur satis manifesta, probantur sic: quoniam realitas *communicabilis* de se habet quod possit communicari; realitati autem Dei *incommunicabili* repugnat ex natura rei, quod com-

---

(1) « Dico sine assertione et praeiudicio sententiae melioris, quod ratio qua *formaliter* suppositum est *incommunicabile* et *ratio essentiae ut essentia* habent aliquam distinctionem *praecedentem omnem actum intellectus creati vel increati* ». — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 41, *ubi optime hoc explanat probatque.*

municetur. Quod autem sit eadem omnino realitas, cui ex natura rei *repugnat* communicatio, et cui ex natura rei *inest* communicari, contradictionem implicat, nec intellectus hoc capere potest, etc.

Si ergo dicas, quod istorum distinctionem fabricat Pater *per actum intellectus sui*. — *Contra*, ex hoc sequitur illud inconveniens, quod Pater *in primo signo originis*, ante actum intellectus, ita communicat paternitatem sicut essentiam, quia tunc sunt omnia indistincta, secundum istam responsionem.

Item secundo sic: quod secundum aliquid sui *convenit realiter* cum aliquo, et per aliquid sui *differt realiter* ab illo, habet in se aliqua distincta *ex natura rei*: sed Pater *realiter convenit* cum Filio *per essentiam*, et *realiter distinguitur* ab eodem *per proprietatem relativam*; ergo in Patre essentia et relatio distinguuntur *ex natura rei*. *Maior* probatur; quoniam illud, per quod aliquid *convenit* realiter cum alio, est principium *convenientiae realis*; et illud, per quod aliquid differt ab alio *ex natura rei*, est principium *distinctionis realis*: sed principium convenientiae realis et distinctionis realis est habens *ex ratione sui distinctionem realem*; quod autem per idem ex natura rei habeant *unitatem realem*, et *distinctionem realem non est possibile* (1). — *Ib.* d. 33. q. 1. n. 9.

Dico ergo breviter, quod *essentia distinguitur a proprietate ex natura rei*, ut natura *absoluta* a *relativa*; non tantum ut comparatur ad *oppositum*, sed ut comparatur ad essentiam et *subiectum*; quia nunquam potest intelligi *relatio*, cuicumque comparetur, sine respectu *ad oppositum*, manente *ratione relationis*.

Nec tamen *est compositio* propter hoc, quia alterum eorum includit *infinitatem*, propter quam *est idem* cuilibet quod est in Divinis, quia cum infinito nihil facit compositionem, quia transit in *veram identitatem eius*. — *Ib.* n. 13.

Essentia * igitur * et relatio, * ut dictum est *, *sic distinguuntur*, quod *ante omnem actum intellectus* haec proprietas distinguitur ab essentia *secundum quid*. — Sed *distinctio realis* aliquorum *secundum quid* potest intelligi *dupliciter*: *uno* modo, ut haec determinatio *secundum quid* referatur *ad relationem*; et sic opiniones priores voluerunt *essentiam* et *relationem* distingui *secundum quid*, quia *realitas relativa* non dicit relationem *simpliciter*, sed cum *determinatione* realitatis relativae, ut dicit opinio prima. — Secunda etiam opinio (1) dicit, quod relatio dicit *alium modum* super *essentiam*, modus tamen non est *simpliciter*, sed modus *talis* rei. — Sed non sic pono ego *essentiam* et *relationem* distingui *realiter secundum quid*, quia tunc esset sensus, quod distinctio essentiae et relationis esset distinctio *realitatum secundum quid*, quod est inconveniens, quia essentia est *res simpliciter*, cum sit *formaliter infinita*.

Alio modo potest haec determinatio *secundum quid* referri ad *distinctionem*, ut sit sensus, quod essentia et relatio *ex natura rei* distinguuntur *secundum quid*; et sic est verum quod *distinctio essentiae* et *relationis* est *rei simpliciter*, et *distinctio secundum quid*. Quomodo autem hoc possit intelligi, declaro sic:

Ad hoc quod aliqua *simpliciter distinguantur*, requiruntur *quatuor* conditiones: *Prima* est, quod * distinctio * sit aliquorum *in actu, et non in potentia tantum*; quia non distinguuntur ea quae sunt in potentia in materia, et non simpliciter, quia non sunt in actu. — *Secunda* est, quod sit eorum quae habent *esse formale*, non *tantum virtuale*, ut effectus sunt in causa *virtualiter*, et non *formaliter*. — *Tertia* est, quod sit eorum quae *non habent esse confusum*, ut extrema in medio et miscibilia in mixto, sed eorum quae habent *esse distinctum propriis actualitatibus*. — *Quarta*, quae

---

(1) Per *distinctionem realem* non intelligit hic Doctor distinctionem *realem*, ut aiunt, *maiorem*, sed distinctionem quae quoquo modo praecedit actum intellectus, quaeque hoc sensu *realis* dici potest, licet non distinguat *rem* et *rem*, *rem* et *modum* accidentalem. Hanc esse mentem Doctoris ex dicendis patebit.

(1) Henric. Gandav.

sola est completiva distinctionis perfectae, est *non-identitas*, ut patet per Philosophum *V. Met. cap.* 9, ubi dicit *diversum et distinctum* esse idem.

Illa ergo distinguuntur *perfecte* * et *simpliciter* *, quae secundum *esse* eorum *actuale, proprium* et *determinatum, non sunt eadem simpliciter;* et illa distinguuntur *secundum quid,* quae non habent *non-identitatem simpliciter,* sed tantum *non-identitatem secundum quid. Diversitas* autem in omnibus tribus primis conditionibus, salvata identitate, est distinctio *secundum quid.*

Essentia autem et *relatio* habent tres primas conditiones; nam non habent *potentiale, virtuale,* nec *confusum,* sed *actuale, formale,* et *proprium,* et *determinatum,* quia est ita perfecte essentia secundum omnes tres praedictas conditiones in prima * persona, ex. gr. *, ac si nihil aliud esset ibi. Similiter paternitas est ita perfecte ibi, ac si nihil aliud esset ibi praeter eam. Eis tamen non convenit quarta conditio, quae est *completiva distinctionis,* scilicet *non-identitas,* quia non habent non-identitatem *simpliciter,* sed tantum non-identitatem *secundum quid;* quae est secundum tres conditiones, quia quantum ad illas tres conditiones distinguuntur.

Sunt enim *idem simpliciter;* quia alterum illorum est *infinitum formaliter,* scilicet *essentia; infinitum* autem *est idem cuilibet enti sibi composibili. Relatio* autem originis est *sibi* * essentiae * *compossibilis,* cum oriatur ex fecunditate eius, et ideo relatio est sibi eadem *perfectissima identitate,* ac si nullo modo distingueretur ab ea. Et ideo *non-identitas* eorum est tantum *secundum quid,* et per consequens *distinctio* eorum * est * *non-identitas secundum quid.*

Potest autem essentiae et relationis *distinctio* vocari *distinctio ex natura rei;* quia ita est non-identitas eorum *secundum quid,* ac si utrumque *ex natura rei, actualiter, proprie* et *determinate* existeret sine alio.

Sed, quomodo est essentiae et relationis non-identitas *secundum quid?* Respondeo: ibi est *duplex non-identitas:* non-identitas *formalis,* et non-identitas *adaequata;* et utraque est non-identitas *secundum quid,* quia simul stant cum *identitate simpliciter.* Habent enim essentia et relatio *primam* non-identitatem, id est, *formalem* non-identitatem, quia relatio *formaliter* non est essentia, nec e converso. — Dicuntur autem aliqua *non habere identitatem formalem,* quando unum non est de *per se* et *primo* intellectu alterius, ut *definitio,* vel partes definitionis * sunt * de intellectu definiti; * seu * quando neutra includitur in *formali ratione* alterius, licet tamen sint *eadem realiter,* sicut *ens* et *unum* dicuntur eadem, IV *Methaphysicae, cap.* 2; *formalis* enim *ratio entis* non est de *per se* intellectu *unius,* cum *unum* sit *passio,* et passio non sit de *formali* intellectu *subiecti;* et tamen sunt *eadem realiter,* ut probat ibidem Philosophus et Commentator. — *Ib.* q. 2. nn. 8-11.

* Quae ut melius intelligantur notandum, quod * iste est ordo *unitatum* * et distinctionum * in divinis: primo est *unitas essentiae,* quae est unitas *identitatis;* hanc unitatem sequitur *distinctio formalis* essentiae et *proprietatis,* et ista distinctio est talis quod eam *potest* praecedere aliqua distinctio *rationis,* sed *non necessario praeexigitur* ad illorum distinctionem, quia nunquam distinctio, quae est *ex natura rei* vel *realis,* necessario praeexigit distinctionem *rationis,* sicut nec *unitas realis* unitatem *rationis* (1). Post distinctionem essentiae et relationis *secundum quid,* seu *formalem,* sequitur distinctio *personarum,* quae *necessario praeexigit* distinctionem *essentiae* et *proprietatis, ex natura rei;* quia cum essentia et proprietas constituant personam *realem,* nisi illa distinguantur *aliquo modo realiter,* ut dictum est, persona non esset nisi *ens rationis.* Haec autem distinctio proprietatis ab essentia est *secundum quid, ex natura rei,* ut dictum est. Non quod ly *secundum quid* dicat aliquam *imperfectionem,* sed *negationem imperfectionis,* quia dicit illam habere distinctionem, vel

(1) « Nulla distinctio *realis* praeexigit necessario distinctionem quae tantum est *rationis,* sicut nec aliquid quod est pure reale praeexigit aliud quod est mere ens rationis ». — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 10.

non-identitatem secundum quid, propter *infinitatem* alterius extremi; si enim unum *simpliciter* distingueretur ab alio, neutrum esset *simpliciter infinitum*, quia *infinitas* unius tollit *non-identitatem* et *distinctionem* eorum *simpliciter*; et hoc ideo est, quia * identitas eorum * non est *adaequata*, nec secundum *praedicationem*, ut prius patuit. — *Ib.* n. 15.

Proprietas et *persona* distinguuntur *secundum quid*, *ex natura rei*, non quod alterum distinctorum sit *res*, vel *ens secundum quid*, sed quod *distinctio* eorum est *secundum quid*. Patet; quia eorum est *non-identitas secundum quid*, quae attenditur per non-identitatem *formalem*, et non-identitatem *adaequatam*. Primum patet sic: secundum enim quod identitas *fundatur in persona, et terminatur ad proprietatem*, secundum hoc persona et proprietas sunt *formaliter idem*, quia persona ut *quoddam totum* includit in sua *formali ratione* ipsam proprietatem, ut aliquid sui, ut *homo* includit *animal* et *rationale formaliter*; non tamen e converso. Sed ut identitas *fundatur in proprietate, et terminatur ad personas*, sic non est proprietas cum persona *idem formaliter*. Exemplum de homine, qui est idem *formaliter rationali*, quod includit *formaliter*, non tamen e converso; sicut nec *pars* est * idem * *formaliter* cum *toto*, nisi quatenus *totum includit partem*, cui secundum partem est idem. Persona enim ut quoddam totum includit essentiam, quae non est de *formali ratione* proprietatis; et ideo licet Pater sit *formaliter* idem suae proprietati, et alicui sui, non tamen e converso. — *Ib.* q. 3. n. 6.

Sic ergo patet quomodo proprietas et persona non sint eadem *formaliter*, nec etiam sint eadem *adaequate*, nec secundum *perfectionem*, nec secundum *praedicationem*, sicut dictum est prius de essentia et proprietate; persona enim includit *formaliter* essentiam ut aliquid sui, et proprietatem; ergo persona excedit proprietatem secundum *perfectionem*; quia magis accedit ad *infinitatem*; proprietas autem excedit personam secundum *praedicationem*, quia praedicatur *per se* et *formaliter* de omnibus *notionalibus*, quae sunt *quinque*; persona vero de *tribus* tantum, ut de Patre et Filio et Spiritu Sancto. — *Ib.* n. 8.

Oportet * nunc * videre *qualis* sit ista *differentia*, quae ponitur *praecedere omnem actum intellectus*.

Dico, quod tam *in rebus* quam *in intellectu* differentia *maior* manifesta est, et ex illa frequenter concluditur differentia *minor*, quae est immanifesta, sicut ex differentia *creaturarum* concluditur differentia *idearum* in intellectu divino, sicut patet per Augustinum, *LXXXIII Quaestionum, quaest.* 46. — In *re* autem manifesta est *distinctio rerum*, et haec duplex, *suppositorum*, scilicet, et *naturarum*. In *intellectu* manifesta est differentia duplex, *modorum*, scilicet, *concipiendi*, et *obiectorum formalium*.

Ex his concluditur differentia hic intenta, quae est immanifesta, quia *minima* in suo ordine, id est, inter omnes quae *praecedunt intellectionem*. Concluditur autem ex differentia *reali* sic:

Distinctio divinorum *suppositorum* est *realis*; cum igitur non possit idem *eodem formaliter convenire* realiter et *differre* realiter, concluditur aliqua differentia *essentiae*, in qua supposita *distinguuntur*. — Similiter ex differentia *obiectorum formalium*, quorum neutrum continetur in aliquo eminenter, et hoc in intellectu intuitive considerante, concluditur aliqua differentia, *ante actum intellectus*, eorum quae cognoscuntur intuitive, * prout superius expositum est *.

Sed numquid haec distinctio dicetur *realis?* — Respondeo: non est proprie *realis actualis*, intelligendo, sicut communiter dicitur, *realis actualis* illa quae est *differentia rerum et in actu;* quia in una persona non est aliqua differentia rerum, propter simplicitatem divinam; et sicut non est realis *actualis*, ita non est realis *potentialis*, quia nihil est ibi in potentia quod non est in actu.

Potest autem vocari differentia *rationis*, sicut dicit Doctor quidam (1), non quod *ratio* accipiatur pro differentia *formata ab*

---

(1) Varro et S. Bonav.

intellectu, sed ut *ratio* accipitur pro *quidditate rei*, secundum quod quidditas est obiectum intellectus. — Vel alio modo potest vocari differentia *virtualis*, quia illud quod habet talem distinctionem in se non habet *rem* et *rem*, sed est una res habens *virtualiter* sive *eminenter* quasi duas realitates, quia utrique realitati, ut est in illa re, competit illud proprium quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta; ita enim *haec* realitas *distinguit* et *illa non distinguit*, sicut si ista esset una res et illa alia.

Vel, ut *propriissime* dicatur, sicut possumus invenire multos gradus in *unitate:* in *primo*, minima unitas est unitas *aggregationis:* in *secundo* gradu est unitas *ordinis*, quod aliquid addit supra *unitatem aggregationis*: in *tertio* est unitas *per accidens*, ubi ultra ordinem est *informatio*, licet *accidentalis*, unius ab altero eorum quae sunt sic unum: in *quarto* est unitas per *se* compositi ex principiis essentialibus *per se actu* et *per se potentia* *, ut in composito substantiali *: in *quinto* est unitas *simplicitatis*, quae est vere *identitas;* quidquid enim est ibi est realiter idem cuilibet, et non tantum est unum illi unitate unionis, sicut in aliis modis; ita adhuc ultra omnes est *identitas formalis*. Voco autem *identitatem formalem* ubi illud, quod dicitur sic idem *includit illud cui sic est idem in ratione sua formali*, et per consequens *per se primo modo*.

In proposito autem, essentia non includit in *ratione sua formali* proprietatem suppositi, nec e converso. Et ideo potest concedi, quod ante omnem actum intellectus est realitas *essentiae*, quae est *communicabilis*, et realitas *suppositi*, qua suppositum est *incommunicabile;* et ante actum intellectus haec realitas *formaliter* non est illa vel non est *eadem formaliter illi*, sicut prius expositum est quid est *formaliter esse idem*.

Numquid igitur debet concedi aliqua *distinctio?* — Respondeo: melius est uti ista * propositione * negativa: *hoc non est formaliter idem*, quam: *hoc est sic et sic distinctum*.

Breviter igitur dico, omittendo illa verba de distinctione *rationis* et de distinctione *virtuali*, *non quia sint male dicta*, sed quia non oportet eis uti, dico quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas *A* et est entitas *B*, et haec non est *formaliter* illa. — *Oxon*. I. d. 2. q. 7. nn. 43-44. = Vid. *Differentia formalis — formarum*.

Distinctio in divinis quadruplex. — *Prima* est distinctio *essentiae* a *personis*. *Secunda* distinctio *personae* a *persona*. *Tertia essentiae* ab *attributis*. *Quarta essentiae* ab *ideis*. — *Oxon*. I. d. 1. q. 2. n. 2.

Distinctio in intellectu duplex. — Distinctio una in intellectu est penes diversum modum concipiendi *idem* obiectum formale, et hoc sive concipiendo *grammatice*, ut *homo* et *hominis*, sive *logice*, ut *homo* et *humanitas*. — Alia maior distinctio est in intellectu accipiendo duobus actibus *duo* obiecta formalia; et hoc sive illis correspondeant *diversae* res, ut intelligendo *hominem* et *asinum*, sive *una* res extra, ut intelligendo *colorem* et *disgregativum*. — *Oxon*. I. d. 2. q. 7. n. 42.

Distinctio intensiva — extensiva. — Vid. Effata. — *Unitati immediatior est minor pluralitas quam maior*.

Distinctionis simpliciter conditiones. — Vid. *Distinctio in Divinis*.

Distinctio rationis. — Vid. *Distinctio in Divinis*.

Distinctio realis. — Vid. *Distinctio in Divinis*.

Distinctio realis — adaequata. — Per *formale constitutivum* distinguitur constitutum ab omni alio, etiam si per impossibile quodcumque aliud ab illo circumscribatur; quia per illud distinguitur *primo*, id est *adaequate*, ab omni *non tali:* sed quodcumque non habens illam formam constitutivam est *non tale;* igitur per illam distinguitur ab omni alio non habente illam. — *Ista ratio declaratur;* quia licet homo * ex. gr. * non tantum per *rationale* distinguatur a lapide, sed etiam per *animalitatem*, non etiam *primo* distinguitur per rationalitatem, id est, non *adaequate*, quia tunc quodlibet distinctum a lapide esset rationale; sed adaequate in genere *corporis*

primo distinguitur a lapide per *animatum;* tamen circumscribendo per intellectum ab homine quodcumque aliud a rationali, per illud solum distingueretur essentialiter a quocunque non rationali, et ita a lapide, qui non est rationalis. Non igitur tantum illud distinguit *realiter* quod distinguit *adaequate;* sed etiam illud quod solum si poneretur, esset incompossibile illi a quo distinguitur. — *Oxon.* I. d. 11. q. 2. n. 7.

Distinctio rerum duplex. — *Duplex* est *rerum distinctio, materialis* et *formalis:* materialis *individuorum,* formalis *specierum;* et *materialis* est *propter formalem.* — *Formalis* vero distinctio non potest esse nisi per inaequalia; imo in *formaliter distinctis* una forma perfectior est alia; perfectior est * ex. gr. * forma *hominis* quam *equi,* et *equi* quam *plantae,* et *plantae* quam *lapidis.* — *QQ.. Metaph.* lib. XII. q. 27, n. 2.

Distinctio secundum quid duplex. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Distinctio simpliciter — secundum quid. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Distinctio virtualis. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Distingui aliqua aequaliter est dupliciter. — Aliqua *aequaliter distingui* potest intelligi *dupliciter:* vel quia aequaliter *incompossibilia,* scilicet quia non possunt inesse eidem; vel quia aequaliter *in nullo conveniunt.*

Et *primo* modo *distincta* sunt aeque diversa, sicut ipsa *distinguentia,* non enim possunt distinguentia esse incompossibilia, quin etiam distincta sint incompossibilia. — *Secundo* modo * hoc * universaliter est impossibile, quia *distincta* non solum includunt *distinguentia,* sed etiam *aliquid,* quod est quasi *potentiale* respectu *distinguentium;* et tamen distinguentia in eo non conveniunt. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 14.

Distingui aliqua magis. — Aliqua dicuntur aliquando *magis distingui* propter eorum *minorem convenientiam* in aliquo genere; aliqua propter *maiorem repugnantiam* vel *incompossibilitatem* eorum; sicut *contraria* magis dicuntur distingui, ut *album* et *nigrum,* quam *disparata,* ut *homo* et *album.* Sed hoc modo non est *proprie* dictum aliqua *magis distingui.* Plus enim *proprie* distinguuntur quae *minus conveniunt in aliquo genere;* et ita distincta genere *generalissimo* plus distinguuntur quam *contraria,* quae sunt eiusdem generis, licet contraria *magis repugnent.* Unde universaliter, *quanta est distinctio, id est, repugnantia constituentium vel formaliter distinguentium, tanta est et constitutorum;* quia si *albedo* * ex gr. * et *nigredo* sunt *incompossibilia,* et constituta per ea sunt *incompossibilia.* — Vid. EFFATA. — *Unitati immediatior est minor pluralitas quam maior.* — *Oxon.* I. d. 7. n. 13.

Distingui primo formaliter. — *Distingui primo formaliter* non est distingui per aliquod inclusum in uno aliquo, et in aliquo convenire; sed *se toto formaliter distingui,* etiam si per impossibile omne aliud a ratione sua circumscribatur. — *Oxon.* I. d. 14. n. 19.

Distingui — repugnare. — Non est idem aliqua *distingui,* et *habere repugnantiam;* imo aliqua, quae *maxime* distinguuntur, *minorem* habent repugnantiam, quam illa quae *formaliter* repugnant. — *Report.* I. d. 7. q. 3. n. 3.

Distributio. — *Distributio* est *acceptio alicuius * termini * communis pro quolibet eius supposito, quorum quodlibet est ipsum.* — *Elench.* q. 14. n. 3. — Cf. *Oxon.* I. d. 21. n. 6.

Diversa genere duplicia. — *Diversa genere dicuntur, quorum primum subiectum est diversum;* sicut dicimus, quod *primum* subiectum* *colorum* est *superficies,* et *primum* subiectum *saporum* est *humidum;* et ideo *color* et *sapor* distinguuntur *genere subiecto,* quod est *genus physicum.* — * Alio modo * *diversa genere* dicuntur *quaecumque dicuntur secundum diversam figuram categoriae,* id est, praedicationis *entis;* nam licet *ens* sit commune praedicatum *in quid* de omnibus generibus, *ens* tamen *non est genus.* Iste autem modus, sicut patet, correspondet *quarto* modo generis, quod est *genus logicum* (1). = *Expos. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 18. n. 153-154.

---

(1) Vid. *Genus multipliciter dicitur.*

Diversa primo. — Quae sunt *primo diversa* nihil unius includit aliquid alterius. — *Oxon.* I. d. 3. q. n. 6. — *Primo diversa,* id est, nihil idem realiter includentia. — *Ib.* d. 23. n. 6. — Quae se totis distinguuntur sunt *primo diversa.* — *Ib.* d. 26. n. 2. * Sic * illud quod habet de ratione sua formali, quod sit perficiens alterum, et alterum sit susceptivum illius, et de ratione sua est perfectibile ab illo, haec inquantum huiusmodi sunt *diversa primo,* in tantum quod impossibile est, quod unum, quantumcumque crescat in perfectione substantiali et essentiali in suo genere, sit alterum essentialiter, vel contineat illud unitive, sicut patet de materia et forma, substantia et accidente. — *Ib.* II. d. 22. n. 9.

Diversa — repugnantia. — *Magis diversa* dicuntur quae minus in eodem sunt convenientia; sed non propter hoc magis *repugnant,* sicut *album* et *nigrum* in pluribus conveniunt quam *album* et *homo,* et tamen magis repugnant album et nigrum, quam album et homo. — *Oxon.* III. d. 7. q. 1. n. 9.

Diversitas specifica. — In *diversitate secundum speciêm* duo requiruntur, quod, scilicet, diversa specie *conveniant in suo genere,* et tamen quod *inter se invicem distinguantur.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 7. n. 78.

Diversitas specifica quintuplex. — Distinguit * Aristoteles * modos *specificae diversitatis,* quorum primus est quando aliqua *sunt in eodem genere, non* tamen *sunt subalterna.* — *Secundus* modus est, quando aliqua sunt *in eodem genere, et dividuntur contra invicem differentiis,* sive sint contraria, sive non. — *Tertius* modus est, quando aliqua *habent contrarietatem in subiecto,* ut ea quae dividuntur differentiis contrariis, sive ipsa sint contraria, ut *album* et *nigrum,* quae dividuntur per *congregativum* et *disgregativum,* sive non sint contraria, ut *homo* et *equus,* quae dividuntur per *rationale* et *irrationale.* — *Quartus* modus est, quando sunt *duae species specialissimae,* ut *homo* et *equus,* quae distinguuntur propriis differentiis et definitionibus. — *Quintus* modus est, quando *aliqua accidentia sunt in eodem subiecto simul.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 9. 82.

Diversum — Differens. — *Diversum et dissimile dicuntur multipliciter.* * *Primo* modo * dicitur *diversum* quod est *aliud opposite,* id est, per oppositum ad *idem.* — *Alio* modo dicuntur *diversa, si materia* id est, *suppositum,* et *ratio talis individualis non sit una;* et hoc modo sunt *diversa numero* duo individua. — *Tertio* modo dicitur *diversum, ut quae in mathematicis,* puta, si *lineae inaequales* dicantur *diversae.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 1. n. 32. — Dicit * Philos. * quod *diversa dicuntur uno* modo, *quorum species sunt plures,* puta *homo* et *asinus.* — *Alio* modo *quorum materia est alia* * et alia *; et potest accipi *materia pro subiecto,* vel genere; et sic possunt sumi duo modi *diversitatis* iuxta *alietatem materiae.* — *Alio* modo dicuntur diversa quorum *ratio substantiae,* id est, definitio substantialis, est alia * et alia *; et subdit, *quod omnino diversum opponitur eidem;* ideo tot modis potest accipi, quot modis ipsum *idem;* quia *quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis et reliquum* correspondenter. — *Ib.* L. V. Sum. un. c. IX. n. 75. — Vid. *Differens multiplex = Idem — diversum = Idem per accidens quintuplex = Idem per se = Idem — simile — aequale, etc. = Idem unumque, etc.*

Licet *idem* et *diversum* stricte loquendo solum sint in genere *substantiae,* nam *unum in substantia* est *idem;* tamen extendendo nomen *substantiae* ad *essentiam* cuiuslibet entis, sic omne ens, omni enti comparatum, aut est *idem* aut *diversum.*

Differentia et diversitas sunt aliud * et aliud *, quia *diversum non necesse est aliquo esse diversum,* sed *se totis* sunt *diversa;* nam *diversa se totis* distingui possunt. Et dicit *non necesse,* quia etiam diversa *possunt* aliquo *differre* et aliquo *convenire,* quando *diversum* accipitur pro *differenti;* sed non est necesse, quia omne *differens* est *diversum,* sed non convertitur, quia aliqua *diversa* sunt *seipsis totis* et non aliquo distinguuntur. Patet ergo quid sit *diversum proprie* sumptum.

Differentia in aliquo *conveniunt* et in aliquo *differunt; diversa vero,* quae proprie et primo sunt diversa, *se totis* distinguuntur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. nn. 32-35.

Differentia est inter *differens* et *diversum. Diversa* sunt entia quaecumque *non sunt eadem,* sive non sint eadem *genere,* sive *specie,* sive *numero,* sive *proportione. Differentia* vero sunt quaecumque *in aliquo conveniunt,* et *in aliquo differunt,* sive conveniant in eodem *numero,* ut *senex* a se *puero, Socrates albus* a *Socrate nigro;* sive conveniant *in genere* et differant *per differentias,* ut *homo* et *asinus;* sive conveniant *in specie,* et differant *per accidens,* ut *Socrates* et *Plato. Proprie* tamen *differentia* sunt quaecumque *conveniunt in aliquo, et per differentias specificas sunt diversa,* ut *species* eiusdem generis, quae *conveniunt in genere,* et *differunt per differentias;* et ideo *proprie* aliqua *differunt,* quae *in aliquo conveniunt,* et *in aliquo differunt.* = *QQ. Metaph.* lib. X. n. 2.

Divisibile duplex. — *Divisibile* uno modo dicitur quòd *habet* formam secundum quam *formaliter potest dividi.* Secundo modo quod non habet in actu formam, sed *est in potentia* ad formam per quam *immediate posset dividi.* — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 6. n. 16.

Divisio. — De *divisione* dico, quod non est proprie mutatio aliqua eiusdem subiecti, sed tantum est reductio partium *in actu,* quae prius erant *in potentia* in *toto,* hoc est, *indistincte,* reductio, inquam, ad actum *distinctum;* quia prius erant in toto *continuatae,* et ita quodammodo *unum,* et postea extra totum * sunt * *discontinuatae.*

Si tamen quaeratur *subiectum,* respondeo: ipsae partes manentes secundum eamdem entitatem positivam, licet non cum illa praecisione quam intelligimus dicentes *partem esse in actu,* possunt poni subiectum, quia secundum *eamdem* entitatem positivam erant *in toto,* et postea *extra totum;* sed *in toto* habuerunt *continuationem,* quae prohibuit illam actualitatem includentem praecisionem; *extra totum* autem habent eam, ita quod partes transmutantur *a forma ad privationem,* et ita non est hic *generatio,* sed quasi *corruptio* sine generatione; quia illa entitas, quae nunc est utriusque partis positiva, totaliter praefuit, licet non praefuerit sub illa praecisione, scilicet, *non cum alio,* sicut nunc est; illa autem entitas *totius,* quae praefuit, non manet nunc. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 4. n. 25.

Divisio duplex. — *Divisio* alicuius est *duplex;* quia quaedam est divisio *distrahens,* et quaedam non. Exemplum *primi:* si dicatur quod *homo* quidam * est * *verus,* quidam *pictus;* nam esse pictum *distrahit* hominem, sicut esse *mortuum.* Exemplum *secundi:* ut cum dicitur, quod *animal* quoddam est *rationale,* quoddam *irrationale.*

In *prima* divisione divisum non praedicatur de dividente distrahente; ista enim est falsa, *homo pictus est homo,* sicut et ista, *homo mortuus est homo.* In *secunda* divisione divisum praedicatur de utroque dividente, ut patet in exemplo dicto, quia *animal,* sive *rationale* sive *irrationale,* est *vere animal.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 7. n. 68.

Divisio dupliciter accipitur. — *Stricte,* prout est in illo quod requirit determinatas partes in multitudine et magnitudine, * vel * prout est in partes proportionem habentes ad totum, quae vel constituunt, vel sub eo continentur, in determinata multitudine, vel magnitudine; * et * *communiter,* prout est in quaecumque participantia naturam divisi, sive habeant talem proportionem ad totum in integrando, sive in subiiciendo, sive non. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 18.

Divisio intentionalium duplex. — Quarum *una* est secundum quam *genera in species* dividuntur. — *Alia* est secundum quam *species resolvuntur in genera.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. III. S. 1. c. 2. n. 6.

Dolor — Tristitia. — Quae sit differentia inter *dolorem* et *tristitiam,* declarat Augustinus, *XIV de Trinit.* 15: *Dolor est passio animae ab obiecto disconveniente, mediante virtute sensitiva. Sed tristitia est immediate secundum voluntatem ex his quae accidunt nobis nolentibus.* — *Report.* III. d. 15. n. 3. — *Ib.* II. d. 33. n. 23. — *Ib.* IV. d. 14. q. 1. n. 11. — *Ib.* d. 44. q. 3. n. 6.

— *Oxon.* III. d. 15. n. 20. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic., c. 5. n. 37.

Dolor carnis, * ait idem *, *tantummodo est offensio animae ex carne, et quaedam ab eius passione dissensio, sicut animae dolor, qui nuncupatur tristitia, est ab his rebus quae nobis nolentibus accidunt.*

Ex hoc apparet, quod *dolor* est passio consequens apprehensionem *sensitivam,* et in appetitu *sensitivo; tristitia* autem est proprie in appetitu *intellectivo,* aut in *voluntate,* et consequens apprehensionem eventus alicuius obiecti noliti. — *Oxon.* IV. d. 44. q. 2. n. 5.

Proprie non potest esse *tristitia* nisi ex hoc quod *displicet voluntati,* seu ex hoc quod accidit *nolitum a voluntate,* quia nihil est simpliciter triste voluntati nisi ex hoc quod est sibi nolitum; et quamquam aliquid esset sibi conveniens *secundum se,* tamen non delectatur in illo nisi illud *sibi placeat.*

Dupliciter potest intelligi *tristitia* in voluntate: vel in *inferiori* portione rationis, vel in *superiori.* In *superiori* prout respicit *aeterna tantum.* In *inferiori* dupliciter: vel prout respicit temporalia *secundum* se, vel prout *refert temporalia ad aeterna.* Augustinus, XII *de Trinit.* 2, ponit quod non est alia * seu distincta * potentia *portio inferior* et *superior,* sed *superior* respicit *aeterna, inferior* vero *temporalia.*

Nunc autem, *superior* portio voluntatis non potest *tristari absolute;* imo nec diaboli, nec alicuius, quia respiciendo ad *aeterna* nihil inveniemus *disconveniens* voluntati, nec rationi. Sed ut portio *inferior* respicit *temporalia* potest *tristari,* et *referendo* temporalia ad aeterna * etiam * potest *tristari.* — *Report.* III. d. 15. n. 5.

Tristitia in aliqua voluntate causari naturaliter non potest, nisi a duobus causis concurrentibus, scilicet, ex actuali *nolitione* alicuius existentiae, et actuali apprehensione illius existentiae, iuxta descriptionem tristitiae praemissam ab Augustino. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 12; *ubi plura videnda.* = Vid. *Tristitia* — *Gaudium* = *Damnatorum punitio.*

Dominii translatio. — Translatio iusta est *duplex*: vel *mere liberalis,* vel *non mere liberalis.* Dicitur autem esse *liberalis,* quando est simplex translatio dominii in alium *sine exspectatione alicuius retributionis pro ista.*

Et haec translatio *liberalis* requirit duas conditiones, quibus concurrentibus, dicitur esse iusta.

Prima conditio est, quod *adsit voluntas et consensus domini superioris,* ita quod dominus superior non contradicat illi donationi, et quod non sit contra voluntatem eius; quia si sic, donatio non solum est *iniusta,* sed *nulla* etiam, sicut patet *Extra de censur. cap. Romana, et de procurat., et exact. ideo* etc. — *Report.* IV. d. 15. q. 4. n. 15.

Secunda conditio est, quod illo, cui fit donatio et in quem transfertur dominium alicuius rei, sit *volens illud recipere;* quia nullus efficitur dominus alicuius rei, nisi volens, cum omne dominium sit liberum. Si enim non vult illud recipere, nec alter qui dat, res est *derelicta,* quia neuter vult, et per consequens primo occupanti conceditur.

Idem dico de translatione *usus* rei *liberalis,* retento dominio apud se, quae potest dici *accommodatio liberalis,* quia dominium rei retinetur, et remanet penes actorem. Nec est inconveniens vel inutilis talis translatio usus sine dominio; patet *Extra, Exiit qui seminat;* sed meritoria et sancta.

Alia est translatio dominii *non liberalis,* sed *expectans retributionem,* quia non est simplex alienatio rei a transferente; et dicitur *contractus mutuus,* quia illa *contrahuntur simul* et *mutuo* voluntates duorum, quia in illo quilibet dat ut recipiat, quia neuter alienat simpliciter liberaliter rem suam a se, sed ut pro ista aliud recipiat.

Et contractus mutuus, sive translatio rei pro re, habet multas species. Nam quidam est contractus *emptionis;* quidam *venditionis;* quidam *mutuae commutationis;* et sic dividitur contractus de *translatione rei* in illas species.

Sic potest distingui de *translatione usus* secundum omnes illas species contractus.

In *translatione* autem rerum inventum est quoddam medium ad faciliter commu-

tandum rem aliquam, quod est *numisma*, quia sine illo non potest ita convenienter fieri translatio rerum, ut *domus*, vel *agri*, vel alicuius immobilis; et ille contractus factus per hoc medium dicitur *translatio oeconomica* proprie.

Translatio autem pro numismate, ex parte illius qui dat et transfert dominium numismatis, dicitur *emptio;* et ex parte illius qui recipit numisma et transfert rem a se dicitur *venditio:* sed translatio numismatis pro numismate, sicut fit per *campsores*, et in *mutuis*, dicitur *cambium*, vel *mutuatio*, cui correspondet *multiplicatio*, vel *solutio* vel *redditio*.

In omnibus istis contractibus, ad hoc quod sint iusti, observandum est quod fiant *sine fraude* in *substantia*, et *qualitate*, *quantitate* et in vero *valore*, pro quo res venditur. — *Ib.* n. 16. — * *Praedicta sequentibus brevius complectuntur* *:

Translatio vel *accomodatio* quae non est *mere liberalis*, sed ubi transferens *exspectat aliquid* aequivalens ei quod transfert, dicitur proprie *contractus*, quia ibi *simul trahuntur* voluntates partium; *trahitur* enim iste ad transferendum in illum a commodo quod exspectat transferendum in se.

Huiusmodi contractus, in quibus dominia transferuntur, quidam sunt rei *utilis* pro re *utili immediate*, sicut *vini* pro *blado* et huiusmodi, et dicitur rerum *permutatio: do, ut des*, vel *do, si des*. — Quidam rei *utilis* pro *numismate*, vel e converso; quia enim difficile erat res usuales *immediate* commutare, ideo inventum est medium, per quod talis commutatio faciliter fieret, quod vocatur *numisma*, et dicitur commutatio *numismatis* pro re *usuali emptio;* e converso vero *venditio*. — Quidam tertio *numismatis* pro *numismate*, et dicitur *mutui datio*, et *mutui acceptio*.

Sunt ergo *tres contractus*, in quibus *transfertur dominium*, quibus correspondent alii contractus, in quibus *transfertur usus* vel *ius utendi*, retento *dominio*. Nam rerum *permutationi* correspondet *mutua* vel *permutata accommodatio*. *Emptioni* correspondet *conductio*, et *venditioni locatio*. *Mutuationi* concorrespondet aliquid proprie in translatione *usus* rei. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 2. n. 12.

Donabile duplex. — *Donabile* dicitur uno modo, quod est *aptum natum donari*: alio modo dicit idem, quod est *possibile dari*. Nec sunt ista eadem; quia aliquod est *possibile* esse tale, quod tamen non est *aptum natum* esse tale; *lapidem* enim est *possibile* ferri sursum, et tamen non est *aptum* natum esse sursum, nec habet ad hoc aptitudinem. — *Report.* I. d. 18. n. 11. — *Oxon.* ib. n. 8.

Donatio. — Requiritur ad iustam donationem * quod sit * *liberalis translatio* ex parte *donantis*, et *voluntas recipiendi* ex parte illius cui fit donatio, et *libertas* ex parte amborum, huius donandi, et illius recipiendi, hoc est, quod nulla lege superiori prohibeatur iste vel ille, nec per actum alterius a quo dependeant in ista translatione. Et propter defectum secundi non potest quis donare pecuniam Fratri Minori, quia ille non vult esse dominus. Propter defectum tertii non potest Monachus dare sine licentia Abbatis, nec filius familias sine voluntate parentis. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 2. n. 11. — *Report.* ib. q. 4. n. 15. Vid. — *Dominii translatio.*

Donatio duplex. — *Donare* potest intelligi *absolute*, prout est actus voluntatis liberaliter communicantis; vel *donare*, id est *condonare* sive *remittere*, ut accipitur cum dicitur: *donavit peccata*. — *Oxon.* IV. d. 22. n. 16.

Donum. — *Donum* potest accipi *tripliciter*, sive aequivoce, sicut habere possumus ab Augustino: uno modo *aptitudinaliter;* secundo modo *habitualiter;* tertio modo *actualiter*.

Primo, scilicet *aptitudinaliter donum* dicitur, ut *aptum natum* est dari, ut ei *non repugnat* dari, etsi in futuro non daretur. — *Report.* I. d. 18 n. 4.

Propter auctoritatem Augustini, est sciendum, quod *donum multipliciter* potest accipi: *Uno* modo potest *donum* dici quodcumque *liberaliter productum;* et sic *dare* nihil aliud est nisi *liberaliter producere*, et *dari liberaliter produci*. Et isto modo potest concedi, Spiritum Sanctum ab aeterno

datum esse et *donum*, quia ab aeterno *spiratur;* et sic *donum* non dicit nisi proprietatem personalem, quia ab aeterno Spiritus Sanctus est spiratus. Unde sic *dare* et *dari* nihil aliud est quam *spirare* et *spirari*. Et sic non loquuntur Sancti de *dono* * cum dicunt Spiritum Sanctum esse *donum* *; nam concedunt Spiritum esse *donum* ab aeterno, sed non *dari* ab aeterno, quia ipsum *dari* ab aeterno includit creaturam cui datur fore ab aeterno; non enim potest aliquid *dari* nisi sit illud *cui* datur. — *Alio* modo potest intelligi per *donum amor concors Patris et Filii*, quo Pater impendit amorem Filio, et ille rependit amorem eumdem, quomodo loquitur Richardus, *VI de Trin.* de amore. Et sic non intendit hic Augustinus loqui de *dono*, quia sic *donum*, quod idem est quod *amor*, est mere *essentiale*, secundum unam opinionem; vel mere *personale*, secundum aliam opinionem.

Et ideo dico, quod *donum* per se *aliquid unum* principaliter *signat*, et ex consequenti *aliud connotat;* et sic est *univocum; signat* enim *per se* respectum rationis ad creaturam, et tunc signat aliquod *essentiale;* et *non per se* vel principaliter signat proprietatem *notionalem* alicuius personae; *connotat* tamen respectum rationis. Vel si dicatur, quod signat utrumque *per se*, tunc erit *aequivocum*, et non signat *per se* unum.

Supponendo tamen quod signat aliquid *per se*, dico, quod *primo* et *per se* signat *respectum donabilitatis ad creaturam*, vel *donativi*, vel *donandi*, quia *donum* potest *tripliciter* accipi respectu creaturae; sed tamen *connotat* proprietatem tertiae personae procedentis a Patre et Filio, quia amor est verus ex vi processionis suae, et sic vere libere donum. Inter enim omnia dona dantis, primum donum, quod dat et quisquis dare potest, est *amor* eius, quem primo dat amato, qui est ratio cuiuscumque alterius doni; nihil enim habet rationem *doni*, nisi inquantum cadit sub actu *amoris*. Non enim *cultellus* vel *rosa*, neque aliquod exterius habet rationem *doni*, vel meretur nomen *doni*, nisi quia communicatum *amicabiliter* actu *amatorio voluntatis;* ideo omnia dona dicuntur talia ratione amoris *dantis*, etsi *non recipientis*. Spiritus autem Sanctus, ex vi processionis suae, est primus *amor*, et infinitus, et procedens per *actum amoris* a Patre et Filio, eum liberaliter producentibus; et ita *donum* si sit *essentiale* per se signans respectum ad creaturam, *connotabit* tamen necessario *proprietatem* Spiritus Sancti, qui est *primus amor* essentiae procedentis a Patre et Filio per actum amoris.

Et sic intelligendae sunt auctoritates Augustini: quod *donum* dicat proprietatem personalem Spiritus Sancti per *connotationem*, et non secundum suam principalem *significationem*. Hoc per *exemplum* declaratur: hoc nomen *dator* non signat primo respectum *virtutis* spirativae Patris et Filii, sed primo signat respectum *rationis ipsius ad creaturam, connotando* processionem passivam vel *proprietatem* personalem Spiritus Sancti, per respectum tamen ad virtutem spirativam, per quam producitur primus amor spiratus infinitus. Eodem modo *donum* non primo modo signat proprietatem personalem Spiritus Sancti. — *Ib.* nn. 7-9. — *Oxon.* hic. nn. 4-6. — Vid. *Persona Tertia SS. Trinitatis.*

Dos. — *Dos* est donatio facta sponsae in desponsatione a patre. — *Report.* IV. d. 49. q. 12. n. 9. — Vid. *Impassibilitas.*

Dubitatio. — Vid. *Admiratio.*

Dubitatio — Timor. — Longe distat *dubitatio* et *timor*, non solum quia dubitatio pertinet ad intellectum, timor ad appetitum, sed etiam quia timor in appetitu non necessario praeexigit apprehensionem *dubiam* mali. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 6. n. 22.

Duratio triplex. — *Triplex* est *duratio:* quaedam est *temporalis*, qua res exceditur in utroque termino, scilicet *ante*, et *post*. — Alia est *perpetua*, qua res durat per totum tempus quod fuit et erit. — Et tertia est *aeterna*, quae est *tota simul sine successione;* et istam durationem aeternam non comprehendit faciliter nostra imaginatio, ex eo quod ipsa semper apprehendit cum motu. — *Physic.* VIII. q. S. n. 2. — Vid. *Aeternitas — Aevum — Tempus.*

E

Ebriosus. — *Ebriosus* dicitur qui est assuetus ad ebrietatem; et iste non semper est ebrius, quia non semper impeditus ab actu rationis. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 5. n. 10.

Ecclesia. — Ecclesia est congregatio fidelium tantum. — *De perfect. Statuum*, n. 9.

Ecclesiae unitas. — Multi fideles dicuntur *una Ecclesia*, propter unam fidem et charitatem. — *Oxon.* I. d. 5. q. 1. n. 3.

Ecnephia. — Vid. *Typhon — Ecnephia.*

Educi de materia. — * Cum dicitur * *forma educitur * de potentia materiae **, non debet intelligi *educi*, ut aliqui dicunt, sicut denarius educitur de bursa; sed intelligitur *educi*, id est, quod materia transmutatur per agens naturale generans formam *in materia*, ita ut forma non eveniat *ab extrinseco*, quemadmodum venit intellectus; et propter hoc dicit Commentator, *XII Metaphysicae, com. 14.*, quod generans *non congregat inter diversa*, id est, quod non primo producit formam, et illam productam unit cum materia. — *Physic.* I. q. 24. n. 11.

Effectus artificialis — mixtus. — Effectus quidam natus est fieri a *natura* et ab *arte*, ut sanitas; quidam non est nisi ab *arte solum*, ut domus; et licet sanitas educta per naturam sit effectus *per se* comparatus ad causam naturalem, nihilominus tamen dicitur esse *per accidens*, si comparetur ad causam, puta ad *artem*, quae illum effectum non intendit; et ideo talis sanitas dicitur *accidere* a fortuna; non enim est inconveniens eumdum effectum evenire *per se* et *per accidens*, relatum ad diversas causas. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. IX. s. 2. c. 1. n. 29.

Effectus casualis vel fortuitus. — Aliquis effectus dicitur *casualis* vel *fortuitus* propter duo: *primo*, quia provenit *praeter intentionem agentis*, sive capiatur *intentio* pro *cognitione* primaria determinante agens ad agendum, sive pro *inclinatione* rei naturalis ad agendum; quae inclinatio non est cognitio, cuiusmodi est inclinatio gravis deorsum. *Secundo*, dicitur effectus *casualis* vel *fortuitus*, eo quod *raro* et contingenter natus est evenire ad huiusmodi causas; et ideo senectus, mors, caecitas, et huiusmodi, licet eveniant praeter intentionem naturae, tamen non sunt casualia et fortuita, eo quod ut in pluribus vel necessario nata sunt evenire cum effectibus intentis a natura (1).

Ad effectum *casualem* et *fortuitum* oportet, quod diversae causae agentes *concurrant* ad eumdem effectum, quarum quaelibet *intendat unum effectum per se;* ex quorum agentium confluentia ad invicem, praeter effectus *intentos*, proveniat aliquis effectus *inopinatus*; ut lapis sursum intendit locum deorsum, et Socrates intendit transire per vicum; et tunc ex *confluentia* lapidis et Socratis ad invicem, praeter duos effectus intentos, provenit tertius inopinatus, scilicet *fractio capitis* Socratis. Et ideo si ille effectus tertius sit inopinatus respectu utriusque agentis, tunc dicitur *simpliciter casualis* vel *fortuitus;* sed si intendatur per unum, et non sit opinatus a reliquo, tunc dicitur casualis vel fortuitus, non simpliciter, sed *secundum quid*, scilicet respectu unius illorum agentium, et non respectu alterius. — *Physic.* II. q. 10. n. 2. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 29 — Vid. *Casus = Casus — Fortunaque*, etc. = *Fortuna = Fortuna — Casus.*

Effectus causae formalis sumitur dupliciter. — *Effectus causae formalis* accipitur dupliciter: *uno modo* pro *causato formae;* et sic non est aliud quam materia vel compositum. — *Alio modo* accipitur improprie pro illo quod *denominatur ab aliqua forma*, sive intrinsece, sive extrinsece; et hoc modo agens est causatum a forma, scilicet actionis, quia denominatur ab *actione*. — *Physic.* III. q. 8. n. 8. — Cf. *Oxon.* IV. d. 49. q. 16. n. 13.

Effectus necessarius dupliciter. — In effectibus *duplex necessitas* invenitur: quaedam

(1) Vid. *Raro — Frequenter — Ut in pluribus.*

absoluta et *per se*; quaedam *per accidens* et *secundum quid.* — Necessitatem *absolutam* habet effectus quando dependet a talibus causis quae ipsum *necessario* producunt; sicut ponit Philosophus exemplum, *I. Physic. Text. comm. 69.*, quod necesse est animal corrumpi, quia est compositum ex contrariis; et si terra est inter solem et lunam, tunc luna * necessario * ecclipsatur.

Necessitatem *secundum quid* potest habere * effectus * vel ratione *temporis*, vel ratione *circumstantiae.* — Ratione *temporis*, * ut ex. gr. * currens *quando* currit *necessario* currit; quia secundum Aristotelem, circa finem *I. Perihermenias, cap. ultimo, omne quod est quando est necesse est esse.* Unde in talibus talis est necessitas, ut nec ex parte ipsius rei, nec ex parte alicuius virtutis, oppositum possit esse, nec intelligi; quia tunc contradictoria simul essent vera, super quod nulla se extendit potentia. Similiter dico, quod illud quod fuit, *quando* fuit *necesse* est fuisse, ita quod in nullo istorum est potentia ad oppositum pro eodem *nunc* vel tempore. Tale autem necessarium non habet necessitatem *absolutam*, sed *secundum quid*, quia erat potentia in tempore praecedenti vel potentia currentis, vel extrinseca causa, qua poterat impediri; nunc autem in illo *tunc* non potest non esse pro tempore quo est, quamvis per *accidens*, id est *quando est, necessario est.* — Est etiam aliquando necessitas in re ratione *circumstantiae*, sicut si ego *video te currere, necessario curris;* quia non potest esse quod ego videam te currere, et tu non curras; et tamen cursus de se, cum sit a voluntate tua, *simpliciter est contigens*, et potuit non esse, quia potuisti velle non currere. — *De rer. princ.* q. 4. n. 34. et 35.

Effectus universalior dicitur dupliciter. — *Dupliciter* enim potest intelligi causa *universalior*, scilicet secundum *virtutem* seu *perfectionem*, vel secundum *praedicationem* (1). — Et similiter *effectus* potest dici *universalior* dupliciter, scilicet *praedicatione* et *virtute* seu *perfectione.* Universalius *praedicatione* dicitur illud *cuius ratio dicitur de pluribus;* universalius autem *perfectione* * illud * *cuius perfectio est maior in se, et perfectionum plurium contentivum.* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 7.

(1) Vid. *Causa efficiens multipliciter dividitur.*

Effigies. — Non videtur esse proprium vocabulum loquendo de Deo (in ista propositione: *species vel essentia creata potest repraesentare effigiem divinam*) hoc vocabulum *effigies;* forte enim *effigiatum* non dicitur aliquid proprie nisi quod est *figuratum.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 12.

Electio dupliciter accipitur. — Vid. EFFATA — *Impossibilium non est electio.*

Elementum. — *Elementum* rei dicitur, *ex quo primo res componitur, et in quod ultimo dividitur.* = *Exposit. in Metaph. Arist.* l. III. S. 1. c. 2. n. 5.

In descriptione *elementi* ponit * Aristot. * quatuor particulas (1). *Prima* est, quod elementum est id *ex quo componitur res;* per quod apparet quod elementum pertinet ad causam *materialem*, et distinguitur a forma * seu a causa *formali* *; *ex quo* dicit habitudinem causae *materialis.* — *Secunda* est *primo;* nam elementum debet esse *primum* ex quo aliquid fit; et per hoc distinguitur elementum a materia *proxima disposita*, quae non est *prima* in *compositione*, nec per consequens *ultima* in *resolutione;* et propter hoc corpus organicum * ex. gr. * non est proprie *elementum* hominis; nam etiam corpus est resolubile in aliquid *prius*, puta, in *materiam primam.* — *Tertia* particula est *inexistente;* elementum enim est principium *inexistens* * (intus existens) *; et per hoc distinguitur a materia *transeunte*, vel a *contrario* vel a *privatione;* nam licet ex contrario vel privatione dicatur res fieri, non tamen privatio vel contrarium *inexistit* rei quae fit: elementum autem oportet manere. — *Quarta* particula est *indivisibili specie in aliam speciem*, id est, quod elementum debet esse *unius rationis* indivisibilis in partes *alterius;* et per hoc distinguitur a toto heterogeneo.

Ex istis colligitur, quod ista ratio *elementi* proprie competit *materiae primae*,

(1) *Elementum vero dicitur, ex quo componitur primo inexistente indivisibili specie in aliam speciem.*

ut patet discurrendo per singulas particulas.... Ulterius patet, quod haec ratio *elementi* non convenit primo quatuor corporibus vocatis *elementis;* quia illa corpora, puta ignis, aqua, terra, etc., utique sunt resolubilia in *materiam* et *formam,* quae sunt *alterius rationis.*

Ex eo quod elementum est *indivisibile secundum speciem,* modo praeexposito, acceperunt aliqui, quod elementum sit *unum* et *parvum;* sed ex eo quod est *primum,* quod sit *simplex;* ex eo autem quod *ex elementis alia fiunt,* dixerunt elementum esse ad *multa utile.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. V. s. un. c. 3. — Cf. *Oxon.* II. d. 15. n. 9. — Vid. *Principium — Causa Elementum.*

Elenchus. — Vid. *Fallacia ignorantiae elenchi.*

Elicere. — *Intellectio,* licet dicatur communiter actio vel operatio sive *actus secundus,* vere tamen est *terminus actionis* propriae, prout scilicet *actio* est in Praedicamento *actionis.* Illam autem actionem proprie dictam, cuius intellectio est terminus, designamus communiter per hoc quod est *elicere;* intellectionem enim *elicit* intellectus, non autem intellectione aliquid agit. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 4. n. 12.

Emptio. — Vid. *Dominii translatio.*

Ens. — *Ens* est *cui non repugnat esse.* — *Oxon.* IV. d. 8. q. 1. n. 2. — Ens autem per nihil notius explicatur (*ib.* I. d. 2. q. 2. n. 31); * quia * non potest concipi nisi *distincte,* quia habet conceptum simplicem (1): nihil concipitur distincte nisi quando concipiuntur omnia quae includuntur in ratione eius essentiali; ens includitur quidditative in omnibus conceptibus quidditativis inferioribus; ergo ens est primus conceptus distincte conceptibilis. — *Ib.* d. 3. q. 2. n. 24. — Vid. *Numerus multiplex.*

Ens a se. — Quod habet *a se* potentiam activam habet *a se entitatem:* quod autem habet *a se* aliquid, habet illud in tota plenitudine quae sibi potest competere; nihil enim habetur limitate in aliquo nisi habeatur ab aliquo agente determinante illud ad certum gradum; quia si unum ens habeat a se plenitudinem entitatis, et aliud ens non haberet a se talem plenitudinem, sed entitatem limitatam, omnino nulla esset ratio quare illud plus haberet plenitudinem entitatis quam istud. — *Quodlib.* q. 7. n. 31.

Ens dupliciter univocum. — *Ens* est *univocum* omnibus; sed conceptibus non simpliciter simplicibus est univocum *in quid* dictum de eis; sed simpliciter simplicibus est univocus * (conceptus entis) * ut determinabilis vel ut denominabilis, non autem ut dictum est de eis *in quid,* quia hoc includit contradictionem. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 12.

Ens extra animam — in anima. — Prima distinctio *entis* videtur esse in ens *extra animam* et ens *in anima.* Et illud *extra* potest distingui in *actum* et *potentiam, essentiae* et *existentiae.* Et quodcumque istorum *esse* extra animam potest habere esse in anima; et illud esse in anima aliud est ab omni esse extra animam. — *Oxon.* I. d. 36. n. 9.

Ens in actu — in potentia. — *Duplex* est ens: *in actu* et *in potentia. Conclus. Metaph.* l. XII. concl. 5. = *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. IV. s. 2. c. 3. n. 63. = Vid. *ens triplex.*

Ens increatum — creatum. — Hoc nomen *ens* communissime acceptum, quod dicitur ab *actu essendi* sive ab *esse,* dividitur prima sui divisione in ens quod non est nisi *esse purum,* quia nihil dicit praeter *esse;* et per hoc est *primum unum,* et *simplicissimum,* cuiusmodi est Deus, qui est extra omne genus Praedicamenti; et in ens *cui convenit esse,* quod in suo significato includit aliquid praeter esse. — *De rer. princ.* q. 19 n. 4.

* *Quae sequentibus confirmantur* *:

Res prima sui divisione dividi potest in rem *creatam* et *increatam,* sive in rem *a se* et in rem *ab alio* habentem esse, sive in rem *necessarium* et rem *possibilem* * id est *contingentem* *, sive in rem *finitam* et *infinitam.* — Res autem increata, a se, infinita et necessaria Deus est; res autem creata, ab alio, possibilis et finita communi nomine dicitur *creatura.* — *Quodlib.* Praef.

---

(1) Vid. *Conceptus simpliciter simplex,* etc.

Esse creaturae in *tribus* specialiter videtur differre ab *esse divino.* Esse enim divinum est *primarium;* creaturae est *secundarium;* ac per hoc esse divinum *non est dependens;* esse creaturae *necessario est dependens.* — *Secunda* differentia est, quia esse divinum est *purum;* esse creaturae est *mixtum potentia, participatum* et *receptum.* — *Tertia* differentia est, quia esse divinum *non potest esse contractum* nec ad *genus,* nec ad *speciem;* esse cuiuscumque creaturae *potest* ad utrumque esse contractum. — *De rer. princ.* q. 6. n. 2.

Ens — Infinitum. — Si accipiamus proprium individuum huius conceptus *ens,* quod individuum est in Deo, et proprium individuum huius quod est *infinitum,* idem individuum est, nec est potentiale ad seipsum. *Ens* * enim * ut convenit Deo, scilicet *ens per essentiam,* est ipsum esse *infinitum,* et non aliquid cui tantum convenit ipsum esse; et ideo ex se est *hoc,* et ex se *infinitum:* ut quasi per prius intelligatur aliquo modo *infinitas* esse modus entitatis per essentiam, quam ipsum intelligatur esse *hoc.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 29.

Ens in potentia triplex. — Vid. *Materiae primae conditiones.*

Ens naturae — rationis. — *Ens* est *duplex,* scilicet: *naturae,* et *rationis. Ens* autem *naturae,* inquantum tale, est *cuius esse non dependet ab anima,* * (nempe ab intellectus consideratione) *. — Sed *ens rationis* dicitur de quibusdam *intentionibus* quas adinvenit ratio in ipsis rebus, cuiusmodi sunt *genus, species, definitio* et huiusmodi.

Ens autem dictum isto secundo modo *aequiparatur secundum communitatem enti* priori *modo* dicto. Non enim est aliquod *ens naturae,* quin possit cadere sub *ente rationis,* et quin super ipsum fundari possit aliqua *intentio,* ut puta *generis,* vel *speciei,* vel *differentiae,* vel *proprii,* vel *individui,* vel saltem *causae,* vel *causati.* — *Elench.* q. 1. n. 2. — *Oxon.* I. d. 36. n. 9.

Ens naturale quadruplex. — Ens *naturale* accipitur *uno modo* pro omni eo de quo verificatur hoc verbum *est* affirmative — *Physic.* I. q. 12. n. 3. — * Ulterius * aliquid potest dici *ens naturale tripliciter:* uno modo *large,* ut *accidens* et *dispositio* dicitur *ens naturale;* et sic dicimus quod *motus coeli est naturalis;* et hoc vocatur *II huius, text. 10., secundum naturam.* — *Secundo* modo *improprie* dicitur *ens naturale,* ut *materia* et *forma;* quia tam materia quam forma dicitur *natura,* ut patet in *II.* — Sed *tertio* modo et *proprie* dicitur *ens naturale compositum ex materia et forma.* — *Ib.* q. 19. n. 3.

Ens participium — nomen. — Solet antiquitus dici, quod *ens* potest esse *participium,* vel *nomen.* Ens *participium* significat idem quod *existens;* quia tenet significatum verbi a quo descendit. — Ens *nomen* significat *habens essentiam.* — *Opus prim. super I. Periherm.* q. 8. n. 10. — Cf. *Oxon.* IV. d. 11. q. 5. n. 1.

Ens nomen est de essentia cuiuslibet; sed *ens participium* non. — *Poster.* II. q. 4. n. 2.

Ens nomen et *ens participium* significant sub distincto modo; et ille modus facit, quod *ens* et *esse* significent idem, ut *ens* est *participium,* quia utrumque significat rem ut *mensuratam tempore.* Tamen *ens nomen* et *esse* non significant idem; quia *ens nomen* non significant rem ut *tempore mensuratam;* sed *ens participium* et *esse* significant ut *mensuratam* tempore. — *Ib.* n. 3.

Aliter potest dici, et melius, quod *ens nomen* et ens participium *non significant puram entitatem rei,* sive quidditatem, sed ens *participium* significat rei *existentiam,* quae est *extra essentiam,* et illi essentialiter accidit. — *Ib.* n. 6.

Intelligendum est, quod *triplex* est *esse:* esse *essentiae,* et esse quod est *actualiter* essentiae, et esse *existere.* — *Esse primo modo* et *ens nomen* idem significant; secundo modo et tertio non significant idem. — *Ib.* q. 6. n. 3.

Ens per accidens. — Vid. *Sacramentum.*

Ens per accidens dupliciter accipitur. — *Ens per accidens* uno modo potest accipi pro conceptu quem per se importat, secundum quod est ens per accidens. — Alio modo pro eo cui inest, sive de quo denominative praedicatur. — *QQ. Metaph.* l. VI. q. 2. n. 9.

Ens per accidens metaphysice-logice. — Alio modo de *per accidens* loquitur *Metaphysicus*, et aliter *Logicus*. Metaphysicus enim dicit esse *ens per accidens* quod includit in se res *duorum generum*, sicut patet *V. Metaphysic. Cap. De Ente et Uno*. Logicus vero dicit propositionem esse *per accidens*, cuius subiectum non includit *rationem inhaerentiae* praedicati; et si ex duobus talibus flat unus conceptus, quorum neuter est per se determinativus alterius, dicit conceptum esse *unum* conceptum *per accidens*. — *Exemplum* non est in creaturis de conceptu *uno per accidens logico*, nisi cui correspondet *unum per accidens metaphysicum*; quia etsi haec * e. gr. * sit *per accidens: rationale est animal*, tamen iungendo unum conceptum alteri, unus est *per se determinativus*, et ideo totus conceptus non est *unus per accidens*; sed tantum aliquis aggregans *conceptus duorum generum* est *unus per accidens*, et ei semper correspondet unum *per accidens* apud *Metaphysicum*. — *Oxon*. I. d. 26. n. 48.

Ens per accidens multiplex. — Distinguendum est de *ente per accidens*. Dicitur enim *uno* modo *ens per accidens* quod *est aggregatum ex rebus diversorum generum* (1): aut *generalissimorum*, ut *homo quantus, album quantum*; vel *intermediorum*, ut *album dulce*. Et illud *ens per accidens*, sicut patet ex *V. Metaph. c. de Ente, t. c. 13.*, opponitur *enti secundum se*, quod dividitur in *decem genera*; quia tale *ens per accidens* non habet *unum conceptum quidditativum*, per quem possit in aliquo *uno* genere collocari; sicut tamen est aliquo modo, et non simpliciter, *unum* ens, ita etiam, cum sit obiectum intellectus, aliquo modo *unum intelligibile* est; non enim impossibile est *hominem album* unico actu intelligendi concipi, sicut *hominem* et *asinum*; nec tamen ita simplici actu concipiendi concipitur *homo albus*, sicut et *homo*. — *QQ. Metaph*. l. VI. q. 2. n. 3.

Alio modo dicitur *ens per accidens* prout *per accidens* non privat *perseitatem* in entitate rei *secundum se*, sed *in comparatione* ad aliquam causam. Et sic dicitur *ens per accidens* esse respectu alicuius causae, ad cuius fleri vel esse talis causa non ordinatur essentialiter, sed evenit praeter intentionem talis causae aliud intendentis, cui tali, in minori parte, et *per accidens* est coniunctum. Cum autem *duplex* sit principium *efficiens* in communi, scilicet *natura* et *voluntas*, *duplex* est *ens per accidens* secundo modo dictum, scilicet *casuale* stricte sumptum et *fortuitum* (1). — *Ib*. n. 4. — *Exposit. in Metaph. Aristot*. l. VI. s. 2. c. 1. n. 15. — *Ib*. l. XI. s. 3. c. 2. n. 60.

Ponit * Aristoteles * *tres* modos *entis per accidens*. — *Primus modus* est, cum accidens comparatur et praedicatur de alio *accidente*, ut cum dicitur: *iustum est musicum*. — *Secundus modus* est cum accidens praedicatur de *subiecto*, ut dicendo: *homo est musicus*. — *Tertius modus* est cum *subiectum* praedicatur de *accidente*, ut dicendo: *musicus est homo*.

Possent etiam addi duo modi *entis per accidens*: *unus quando terminus* complexus *per accidens* praedicatur de termino *incomplexo*: exemplum, ut *homo est homo musicus*. — *Alius* est cum terminus *complexus* per accidens comparatur et praedicatur de alio similiter *complexo*, ut si dicatur: *homo musicus est homo iustus*. — *Ib*. l. V. s. un. c. 7. n. 64.

Ens per essentiam — per participationem. — *Ens per essentiam* est ipsum esse infinitum, et non aliquid cui tantum convenit ipsum esse. — *Oxon*. I. d. 8. q. 3. n. 29. — Nullum creatum est pars Dei, cum Deus sit simplicissimus; sed omne finitum, cum sit minus illa entitate infinita, conformiter potest dici pars, licet non sit secundum aliquam proportionem determinatam, quia exceditur in infinitum. — Et hoc modo omne aliud ens ab ente infinito dicitur *ens per parti-*

(1) « Ut aggregat duo genera vel res duorum generum.... quodcumque includens duo, quorum unum advenit alteri habenti esse completum, et non est forma per se informans illud, constituens tertium ». — *Oxon*. III. d. 6. q. 1. n. 8.

(1) Vid. *Casus=Casus—Fortuna* etc. = *Effectus casualis* vel *fortuitus=Fortuna=Fortuna—Casus*.

cipationem, quia capit partem illius entitatis, quae est ibi totaliter et perfecte. — *Quodlib.* q. 5. n. 26.

Ens per se — per accidens — Substantia — Accidens. — Ista divisio *entis* in *per se* et *per accidens* est alia ab illa qua dividitur in *substantiam* et *accidens;* quod patet, quia ens *per se* dividitur postea in *decem praedicamenta*, inter quae sunt novem praedicamenta *accidentis.*

Sciendum igitur, quod divisio *entis* in *substantiam* et *accidens* est secundum quod ens *absolute consideratur;* sic enim *accidens* in se consideratum dicitur *ens*, et similiter *substantia* dicitur *ens.* — Sed divisio *entis* in *per se* et *per accidens* est secundum quod ens consideratur in *respectu*, puta comparando *accidens* ad *substantiam*, dicendo: *homo albus;* vel *accidens* ad accidens, ut dicendo: *album musicum;* et sic est ens *per accidens.* Circumscripta autem ista comparatione, puta, accipiendo *hominem* seorsum, vel *albedinem* seorsum, erit ens *per se.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. s. un. c. 7. n. 63.

Ens per se tripliciter sumitur. — *Ens per se* potest intelligi *tripliciter: uno* modo intelligitur *ens per se solitarie*, prout accipitur *I. Posteriorum*, in tertio modo *per se* (1); et hoc modo *accidens* potest esse *ens per se*, quando non est in subiecto. — *Secundo* modo dicitur *ens per se* prout distinguitur contra ens *in alio;* et sic *per se ens* est idem quod *non inhaerens* actualiter, nec aptitudinaliter; et hoc modo quaecumque substantia, non tantum composita, sed etiam materia et forma, est ens *per se*, quia forma substantialis, licet insit materiae *informando*, non tamen *inhaeret*, quia *inhaerere* dicit *non per se informare*, quia inhaerens nec est actus *simpliciter*, sed actus *secundum quid;* nec cum illo cui inhaeret facit *per se unum;* opposita conveniunt ei quod *per se informat.* — *Tertio* modo *ens per se* dicitur illud quod *habet actualitatem ultimam*, ita quod non est per se *ordinabile* ad aliquem actum simpliciter, ultra istum quem habet; qui quidem actus ulterior possit esse actus eius *per se;* et hoc vel *primo* vel *participative.* Quod hoc modo est *per se ens* communiter dicitur *suppositum*, et in natura intellectuali dicitur *persona.* Istud dicitur solum proprie *subsistens*, sicut Philosophus loquitur *II. de Anima*, dicens, quod *materia est potentia hoc aliquid; species autem secundum quam aliquid dicitur hoc aliquid; tertium quod est ex ipsis, quod simpliciter, est hoc aliquid*, scilicet per se subsistens, habet actualitatem ultimam, non ordinabilem per se ad aliquem actum ulteriorem. — *Quodlib.* q. 9. n. 3.

(1) Vid. « *Dicere per se* » *est dupliciter.* = « *Per se — secundum se* » *quintupliciter dicitur.*

Ens possibile — cognitum. — Omne creabile prius erat *possibile creari* ex parte sui. Sed ista possibilitas non fundatur in aliquo *esse simpliciter*, sed in *esse cognito*, ita quod *esse cognitum* concomitatur *possibilitas* ad *esse simpliciter*, licet formaliter esse cognitum non sit esse *possibile*, quia *esse cognitum* est esse *in actu*, licet *secundum quid;* sed esse *possibile* est esse *in potentia* ad esse simpliciter, et non *in actu.* Nec tamen *esse in potentia* est *esse simpliciter*, sicut nec *futurum esse* est *esse simpliciter*, nec *esse praeteritum* est *esse simpliciter.* Sicut enim *praeterisse* in *esse simpliciter* non infert *esse simpliciter*, sic nec *futurum esse* in *esse simpliciter* infert *esse simpliciter;* igitur nec multo magis *posse esse simpliciter* infert *esse simpliciter*, quia *posse esse* videtur esse remotius ab *esse simpliciter* quam *fore.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. n. 10.

Ens quidditative — subsistens. — *Ens* prima divisione dividitur in ens *quidditative*, et in ens *habens quidditatem*, quod est ens *subsistens.* Nunc autem, quidquid est *perfectio formalis* est ens *quidditative* et entitas quidditativa; nam *perfectio formalis* est *quae in quolibet ente melius est esse quam non esse:* sed nihil est tale nisi sit entitas *quidditativa*, prout abstrahit a *subsistere.* — Ens autem *subsistens habens quidditatem* est contrahens illam perfectionem, et non est formaliter illa perfectio quidditativa. — *Oxon.* I. d. q. 2. n. 12.

Ens reale — rationis. — Ens *reale* est perfectius ens quam ens quod est tantum

rationis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 10. — Nec potest realiter mensurari ab ente rationis. — *Ib.* II. d. 3. q. 1. n. 3. — Ens * enim * rationis est ita diminutum, quod non potest esse perfectio entis realis. — *Quodlib.* q. 1. n. 14. — * Et * omne ens rationis est sola relatio rationis. — *Ib.* n. 13.

Quod est tantum ens rationis, tantum habet esse in intellectu (1), quia ens rationis non causatur ab obiecto, nisi inquantum cognitum, et ut sic non habet esse nisi in intellectu, quod est ens diminutum, ex *VI Metaph.* (2): nihil autem, secundum quod ens diminutum est, est propria ratio entis veri et propria causa entis perfecti; quia omne causans verum ens oportet, quod habeat aliquod esse existentiae, inquantum est causa: ens autem diminutum, quod scilicet est ens cognitum, non habet esse realis existentiae; ergo nec inquantum tale potest esse causa propria alicuius entis realis. — *Oxon.* I. d. 13. n. 7. — III. d. 8. n. 19.

Nec est * definitio * entis rationis, quod est tantum ens diminutum; quia proprie *quid,* sicut et ens, non competit nisi enti reali, patet *V et VI Metaph.* (3). Nec intelligo hic *ens rationis* quod est in intellectu *obiective;* quia sic omne universale est in anima; nec illud quod est tantum in intellectu *subiective,* quia sic intellectio et scientia sunt in anima, quae tamen sunt formae reales, et in genere qualitatis; sed intelligo ens in anima tamquam *secundo consideratum,* non tamquam *primo* consideratum, ad quod considerandum movetur primo anima a re extra, sed tanquam ens in primo considerato *inquantum consideratum;* et tale, ut in summa sit dicere, non est nisi relatio rationis, quia nihil habet praecise esse in considerato ut *considerato,* nisi comparatio qua consideratum comparatur ad aliud per actum considerantis. Ens ergo diminutum, ut hic accipitur universaliter, est *ens rationis* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. n. 3. — Vid. *Definitio* = *Ens naturae* — *rationis* = *Ens* — *res.*

(1) « *Ens rationis* est praecise habens esse in intellectu considerante ». — *Quodlib.* q. 3. n. 2.

(2) Cf. *Exposit.* Doctoris.

(3) Cf. *Exposit.* eiusdem.

Ens — Res. — Sicut colligitur ex dictis Auctorum, hoc nomen *res* potest sumi *communissime, communiter,* et *strictissime.*

Communissime, prout se extendit ad quodcumque quod non est nihil; et hoc potest intelligi *dupliciter:* verissime enim illud est *nihil* quod *includit contradictionem,* et solum illud, quia illud excludit omne *esse, extra* intellectum, et *in* intellectu; quod enim est sic includens contradictionem, sicut non potest esse extra animam, ita non potest esse aliquid *intelligibile,* vel aliquod ens in anima, quia nunquam contradictorium cum contradictorio constituit unum intelligibile, neque sicut obiectum cum obiecto, neque sicut modus cum obiecto. — *Alio* modo dicitur *nihil,* quod *nec est, nec esse potest aliquod ens extra animam.*

Ens ergo, vel *res,* isto primo modo accipitur omnino *communissime,* et extendit se ad *quodcumque quod non includit contradictionem,* sive sit *ens rationis,* hoc est, praecise habens esse *in intellectu considerante,* sive sit *ens reale,* habens aliquam entitatem *extra considerationem intellectus.*

Et istorum duorum membrorum, quorum utrumque pertinet ad primum membrum distinctionis, * nempe *communissime* *, *primum* videtur *valde extendere* nomen *rei;* et tamen, ex communi modo loquendi, satis probatur; communiter enim dicimus, *intentiones logicas* esse *res rationis,* et *relationes rationis* esse *res rationis,* et tamen ista non possunt esse extra intellectum.

Non ergo nomen *rei,* secundum usum loquendi, determinat se ad rem *extra animam.* Et isto intellectu communissimo *ens* vel *res* dicitur quodlibet conceptibile, quod non includit contradictionem.

In *secundo* autem membro istius primi membri dicitur *res* quod habere potest entitatem *extra animam.* — Et isto modo videtur loqui Avicenna *I. Methaph.* c. 5, quod ea quae sunt *communia* omnibus generibus sunt *res* et *ens;* nec potest illud intelligi de *vocabulis* in una lingua, quia in unaquaque lingua est unus conceptus indifferens ad omnia illa quae sunt *extra animam;* conceptus enim sunt iidem apud omnes, *I. Perihermenias,* et communiter in

qualibet lingua est *unum* nomen impositum tali *conceptui communi*, qualiscumque sit illa communitas, sive *analogiae*, sive *univocationis*.

Habemus ergo *primum* membrum, scilicet, *communissime*, bipartitum, in illud scilicet, quod *non includit contradictionem*, qualecumque *esse* habeat, et in illud quod *habet vel habere potest proprium esse extra intellectum*.

Secundo modo accipit Boetius, distinguendo *rem* contra *modum rei*, sicut loquitur *libro De Trin. Patet*, inquit, *quae sit differentia praedicationum, quia aliae quidem quasi* REM *mostrant, aliae quasi* CIRCUMSTANTIAM *rei; quia istae praedicantur sic, quod secundum se rem aliquam mostrant. Illae vero ut non esse, sed potius extrinsecus aliquid apponunt*. Vult ergo distinguere *rem* contra *circumstantiam;* et sic, secundum eum, sola tria genera, *substantia, qualitas*, et *quantitas, rem* monstrant; alia vero rei *circumstantias*.

Hoc ergo nomen *res*, in secundo membro acceptum, dicit aliquod ens *absolutum*, distinctum contra *circumstantiam*, sive *modum*, qui dicit *habitudinem* unius ad alterum.

Tertius modus habetur a Philosopho, qui dicit *VII. Met.: Accidentia dicuntur entia, quia sunt entis. Et infra* c. 3: *Sicut de non ente logice quidam dicunt esse non ens, non quidem simpliciter, sed non ens, sic et qualitatem*. Et infra: *quemadmodum non scibile, et quemadmodum medicinale, eo quod ad idem quidem, et unum, non idem autem et unum, sic et de ente*. Et videtur eamdem sententiam dicere in principio IV., quod quemadmodum *medicinale* et *salubre* multipliciter dicitur, ita et *ens* (1).

Ens ergo, sive *simpliciter*, sive *potissime* dictum, et hoc sive sit *anagolum*, sive *univocum*, accipit ibi Philosophus pro ente cui *per se* et *primo* convenit *esse*, quod est *substantia* sola.

Sic ergo sub *primo* membro, *communissime*, continentur *ens rationis*, et *ens* quodcumque *reale*. — Sub *secundo*, * communiter *, ens *reale* et *absolutum*. — Et sub *tertio*, * strictissime *, ens *reale* et *absolutum* et *per se ens*. — *Quodlib*. q. 3. nn. 2 3.

Ens secundum accidens triplex. — *Tria* sunt entia *secundum accidens:* quaedam sunt *negativa*, ut *non esse album*, et huiusmodi; et talia *nihil* sunt, ut *non esse album* non est *albedo*, quia si sic, iam *esse* et *non esse* essent idem. — *Secundo* sunt quaedam dicta *privativa*, ut *esse surdum, caecum, privatum, infinitum*, et huiusmodi; et talia significant *subiectum, connotando dispositionem oppositam* inesse, ut iste terminus *caecum* vel *caecitas* significat *oculum, connotando* ipsum *carere dispositione*, mediante qua potest fieri *visio*. — *Alia* sunt dicta *affirmativa;* et illa sunt *duplicia*, nam quaedam sunt sumpta a *figura*, quae sunt dispositiones *additae* rebus dispositis, ut *esse figuratum*, et *esse triangulare*, etc.; sed alia sunt dicta *per accidens*, per quae connotantur dispositiones *distinctae* a rebus significatis per huiusmodi dicta, ut *album*. — *Physic*. I. q. 21. n. 7.

Ens simplex — compositum. — *Ens* et *unum* dividitur in *simplex* et *compositum*. — *Oxon*. IV. d. 11. q. 3 n. 46.

Ens simpliciter duplex. — Distinguo *non ens simpliciter*, quia aut *simpliciter* accipitur pro *universaliter*, et tunc *non ens simpliciter* est *purum nihil*, et sic ex *non ente simpliciter* non potest aliquid fieri; et isti *non enti* oppositum est quodcumque ens, quantumcumque minimum habeat de entitate. — *Alio* modo accipitur *ens simpliciter* prout distinguitur contra ens *secundum quid;* et tunc *ens simpliciter* est *substantia*, ens *secundum quid* est *accidens;* et patet quid est *non ens simpliciter* oppositum isti.

Forma substantialis dat *esse simpliciter*, non quidem *esse primum*, quod scilicet immediate sequitur *non esse simpliciter*, sed dat *esse simpliciter* ut distinguitur contra *esse secundum quid*.

Sed accipiendo *esse simpliciter* secundo modo, prout dividitur contra *secundum quid*, dico, quod sicut *ens* divitur in *prius*

(1) Cfr. exposit. Doctor.

et *posterius*, vel *primum* et *secundum*, et prius continet sub se *substantiam*, et posterius *accidens*, ita *simpliciter* in isto intellectu aequivalet ei quod est *primum* naturaliter, et *secundum quid* aequivalet ei, quod est *posterius* naturaliter; et isto modo omne *accidens* dat esse *secundum quid*.

Forma substantialis, sive adveniat alicui iam habenti esse, sive non, dat *esse simpliciter* hoc secundo modo, sed non primo, sicut *forma accidentalis*, cuicumque adveniat, dat *esse* non *simpliciter*, sed *secundum quid*. — *Oxon*. IV. d. 11. q. 3. n. 43.

Ens — Substantia. — Dicitur forte, quod *duplex* est *ratio*, a qua hoc nomen *substantia* imponitur, scilicet, *essendi*, et *substandi*. *Ens* autem imponitur ab actu *essendi*; sed actus essendi videtur ratio *simplicior* quam actus *substandi;* et ideo *ens* primo occurrit intellectui quoad *rationem a qua est nominis impositio*, quia simplicissima; sed quoad *essentiam* significatam, *substantia* intelligitur quando *ens* primo intelligitur.

Hoc patet in aliis nominibus synonimis; quia illa *essentiam eamdem* significant, tamen imponuntur a *diversa ratione*, sicut *lapis* et *petra;* et quando intelligitur *essentia* significata per unum, intelligitur *essentia* significata per aliud, quia eadem est; sed non oportet ea cointelligi quantum ad *rationes* a quibus est impositio nominum.

Dici potest, quod ratio *essendi* est simplicior ratione *substandi;* et *aequivoce* sumpta est simplicior ratione *accidendi:* et ita *aequivoce* sumpta convenit uni et alteri; et ita potest esse *aequivocum* illis, licet neutri sit omnino idem, sed *simplicius* utroque; quia non est *univoce* sumptum *simplicius* utroque. — *Super. Praedic*. q. 4. n. 13.

Ens summum — Infinitum. — Si *summum* intelligatur *comparative*, sic dicit respectum *ad extra*, sed *infinitum* dicit conceptum *ad se*. Si autem intelligatur *absolute* summum, hoc est, quod ex natura rei non possit excedi, perfectio illa expressius concipitur in ratione *infiniti* entis; non enim summum bonum indicat in se utrum sit finitum vel infinitum. — *Oxon*. I. d. 3. q. 2. n. 17.

Ens triplex. — Ponit * Aristot. * quod *ens* quoddam est *in actu tantum*, quoddam *potentia* tantum, quoddam *partim sic et partim sic*. Dicit ergo, quod *est autem hoc quidem actu solum*, puta, Primum Movens; vel magis secundum intentionem litterae, aliquod *habens formam in actu*, quod ut sic solum est *in actu*, quia non potest esse *in potentia* ad id quod iam habet.

Aliud est ens *in potentia solum*, puta *prima materia*, quantum est de se, quae ut sic nullum habet actum *formaliter*, sed est *in pura potentia* (1) ad *formam;* similiter quodlibet *subiectum* carens aliqua forma, quam est aptum habere, quia ut sic est in *pura potentia* ad illam formam.

Aliud est ens *in potentia et actu simul*, puta, aliquod *subiectum habens unam formam actu*, et *carens alia ad quam* est *in potentia*. Vel etiam respectu eiusdem formae, puta cum aliquid *iam movetur ad formam*, quia iam *habet actu aliquid illius formae*, et tamen *est in potentia ad ulteriorem gradum* ad quem tendit. *Omne* enim *quod movetur partim est in termino a quo, et partim in termino ad quem* (2). — *Exposit. in Metaph. Aristot*. lib. XI. S. 4. c. 1. n. 69.

Ens — Unum. — Quia *ens* et *unum* eamdem significant naturam, oportet tot *species*, id est, tot *partes subiectivas* esse *unius*, sicut et *entis*, sibi invicem correspondentes; sicut enim partes *entis* sunt *substantia, quantitas, qualitas*, sic et partes *unius* sunt *idem, aequale, simile ;* nam *idem* est *unum in substantia*, *aequale unum in quantitate*, et *simile unum in qualitate* (3). Similiter secundum alias partes *entis* possunt sumi aliae partes *unius*, si essent nomina imposita. — *Exposit. in Metaph. Aristot*. lib. IV. S. 1. c. 2. n. 11. — Cf. *Oxon*. IV. d. 11 q. 3. n. 46. — I. d. 1. q. 2. n. 12. — Vid. *Numerus multiplex*.

Entia in ordine ad perfectionem triplicia. — *Aliquid* est ita perfectum, quod *propter*

---

(1) Vid. *Materiae primae potentia*.

(2) Vid. Effata: *Mobile dum movetur partim est in termino a quo*, etc.

(3) Vid. *Idem—Simile*, etc.

sui perfectionem non recipit *ulteriorem perfectionem*, sicut *Deus*. — Et *aliqua* sunt ita imperfecta, quod *propter sui imperfectionem, non possunt recipere perfectionem*, sicut *accidentia ultima*, ut *respectus*. — *Alia* sunt *entia media*, quae cum perfectione sua sunt *in potentia* ad perfectionem aliam; et talia sunt omnia entia *absoluta* citra Deum. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 14. n. 13.

Entis divisio. — *Ens* prius dividitur in *infinitum* et *finitum* quam in *decem genera* (1), quia alterum istorum, scilicet ens *finitum*, est commune ad *decem genera*; ergo quaecumque conveniunt enti, ut *indifferens* ad *finitum* et *infinitum*, vel ut est *proprium* enti *infinito*, conveniunt sibi, non ut determinatur ad genus, sed ut prius; et per consequens ut est *transcendens* et *extra omne genus*. Quaecumque sunt communia *Deo* et creaturae sunt talia quae conveniunt enti ut est indifferens ad finitum et infinitum; ut enim conveniunt Deo sunt *infinita*, ut *creaturae* sunt *finita*; ergo illa per prius conveniunt enti quam ens dividatur in *decem genera*, et per consequens quodcumque tale est *transcendens*. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 18. — II. d. 1. q. 4 n. 15. — *Quodlib.* q. 5. n. 26.

Ens igitur, ut stat in primo membro * praedictae * divisionis, quod non est, nisi *esse* et *necessario esse*, est *unum*, *simplicissimum* et *indivisibile*; *ens* vero, ut accipitur in secundo membro, *dividitur* in *decem genera* Praedicamenti (2). Et sicut *ens communissimum* dividitur in ens, quod non est nisi *esse purum* et *simplicissimum*, ac per hoc *mensura* * omnium aliorum entium *, et in ens quod habet *esse* * ab alio *, ac per hoc *compositum* et *mensuratum*; sic *ens*, ut est in secundo membro, et claudit creaturam, et est quoddam commune ad decem Praedicamenta, dividitur in ens, quod non est nisi ens *habens esse*, * et hoc est *substantia* *, et in ens, quod *est alicuius*, * et hoc est *accidens* *.

Et sicut in divisione entis *communissimi ens* stat in prima divisione pro ente *per se*, in secundo vero membro pro ente quod non est ens nisi *illius participatione*; sic in divisione illius entis, quod cadit sub *genere Praedicamenti*, et continet omnem creaturam, *ens* stat in primo membro pro illo quod est ens *per se*, ut *per se* opponitur ei quod habet esse *per inhaerentiam*, vel *respective*; et in secundo membro stat pro ente, quod est ens *participatione illius*, sicut *accidentia* sunt entia per attributionem ad subiectum, quia non sunt entia, sed sunt *entis*, et illorum *esse* est *in alio esse* (1).

Sicut autem *ens cui convenit esse* est unum genus *metaphysicum* ad *decem* Praedicamenta, sic *accidens* universaliter acceptum est genus metaphysicum ad *novem* Praedicamenta *accidentium*. Et hoc genus dividitur, sicut alia duo iam dicta, in accidens, quod *est alicuius simpliciter*, *absque alio addito*, et hoc est *quantitas*; et in accidens, quod *est alicuius per aliud*, et sic *per additum*, ut sunt omnia alia accidentia a *quantitate*, quae non insunt substantiae nisi *per quantitatem*; et hoc loquendo secundum Philosophos, qui non posuerunt accidentia nisi in substantiis *corporalibus* habentibus *quantitatem*. Et sic in *genere accidentium mensura* est *quantitas*; alia vero sunt *mensurata*.

Similiter dico, quod accidens *per aliud* est unum genus *metaphysicum*, et continet *octo* Praedicamenta; et dividitur in accidens per aliud *simpliciter*, *absque addito alio*, et hoc est *relatio*, quae nihil reale addit supra suum fundamentum (2); et in accidens quod *accidit per aliud*, et *est aliud reale* ab illo per quod accidit, qualia sunt alia septem Praedicamenta; quia *qualitas*, praeter hoc quod accidit per aliud, ut per *quantitatem*, habet *rem aliam* propriam absolutam differentem a *quantitate*: et sic inter alia accidentia quae accidunt per aliud.

---

(1) « Ens sufficienter dividitur, tamquam in illa quae includunt *quidditative* ipsum, in ens *increatum*, et in *decem genera*, et in *partes essentiales* decem generum. Quidquid sit de istis, non videtur habere plura dividentia *quidditative*, quin sint in ipsis ». — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 7.

(2) Vid. *Praedicamenta decem*.

(1) Vid. *Accidens*.

(2) Cfr. tamen *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 7. — II. d. 1. q. 4. n. 5. seqq. et n. 21 seqq. — III. d. 1. q. 1. n. 14.

Propter quod, sicut quantitas, quia est mensura omnium accidentium, immediate ordinatur post substantiam, sic relatio, ut dicit Commentator et Simplicius, tertium locum tenet post substantiam; et sic procedendo semper in quolibet genere metaphysico est invenire unum primum immediatum, quod est mensura omnium aliorum. — *De rer. princ.* q. 19. n. 5-7.

Prima divisio *entis creati* est, quod est vel ens *actu*, vel *potentia;* sic de substantia et omni re, quia nullo modo alio cadit aliquid sub *ens.* Sed in tali divisione non accipitur *potentia* pro potentia *agente* vel actum *eliciente,* sed pro potentia quae actione agentis fit ipsum ens *actu.* — *Ib.* q. 11. n. 33. — *Oxon.* I. d. 36. n. 9.

Entis passiones. — Ens in ratione suae passionis cadit ut additum; habet enim passiones proprias, ut patet per Philosophum *IV. Metaph.* c. 3. (1), ubi vult, quod sicut linea inquantum linea habet proprias passiones, et numerus inquantum numerus, ita sunt aliquae passiones entis inquantum ens. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 6. — Ens continet multas passiones quae non sunt *res aliae* ab ipso ente, ut probat Aristoteles *in princ. IV Metaph.*; distinguuntur tamen ab invicem *formaliter* et quidditative, et etiam ab ente, formalitate dico reali et quidditativa. — Sic ergo ens continet unitive rationem *unius, veri* et *boni.* — *Ib.* II. d. 16. n. 17.

Ens non tantum habet passiones convertibiles simplices, sicut *unum, verum, bonum,* etc., sed habet aliquas passiones ubi opposita distinguuntur contra se, sicut *necesse esse* vel *possibile, actus* vel *potentia,* et huiusmodi. — *Ib.* I. d. 8. q. 3. n. 19.

Passiones * igitur * entis sunt in duplici genere: quaedam sunt *unicae,* quae uno nomine designantur; et istae simpliciter sunt convertibiles cum ente. *Quaedam* sunt *disiunctae,* quae disiunctis nominibus designantur; et haec non sunt simpliciter convertibiles cum ente, sed *sub disiunctione,* per quam disiunctionem circumloquimur unam passionem entis innominatam nomine proprio. — Exemplum primi: *unum, bonum* et *verum.* Exemplum secundi: *idem* vel *diversum; contingens* vel *necessarium; actus* vel *potentia,* etc. = *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 1. c. 2. n. 9.

Sicut autem passiones convertibiles sunt transcendentes, quia consequuntur ens non inquantum determinatur ad aliquod genus, ita et passiones disiunctae sunt transcendentes, et utrumque membrum illius disiuncti est transcendens, quia neutrum determinat suum determinabile ad certum genus; et tamen unum membrum illius disiuncti est speciale formaliter, non conveniens nisi uni enti, sicut *necesse est* in ista divisione, *necesse* vel *possibile,* et similiter *infinitum* in ista divisione, *finitum* vel *infinitum,* etc. *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 19.

Istud disiunctum, *necessarium* vel *possibile,* est passio entis, circumloquens passionem convertibilem cum ente, sicut sunt multa alia illimitata in entibus. Passiones autem entis convertibiles ut communius immediate dicuntur de ente, quia ens habet conceptum simpliciter simplicem, et ideo non potest esse medium inter ipsum et suam passionem, quia neutrius est definitio, quae possit esse medium. Si etiam sit aliqua passio entis non prima, difficile est videre per quam priorem, ut per medium, possit concludi de ente, quia nec facile est videre ordinem passionum entis, nec si ille ordo cognosceretur, viderentur propositiones assumptae ab eis pro praemissis esse multum evidentiores conclusionibus.

In passionibus autem disiunctis, licet illud totum disiunctum non possit demonstrari de ente, tamen communiter sumpto illo extremo, quod est minus nobile, de aliquo ente potest concludi et aliud extremum quod est nobilius de aliquo alio ente, sicut sequitur: *si aliquod ens est finitum, ergo aliquod ens est infinitum;* et *si aliquod ens est contingens, ergo aliquod ens est necessarium;* quia in talibus non posset enti particulariter inesse imperfectius extremum, nisi alicui enti inesset perfectius extremum, a quo dependeret. — *Ib.* d. 39. n. 13.

Entis primitas communitatis — virtualitatis. — In *ente* concurrit *duplex primitas,*

---

(1) Cfr. exposit. Doctoris.

scilicet, *communitatis* et *virtualitatis;* nam omne per se intelligibile aut *includit essentialiter* rationem entis, vel *continetur virtualiter* vel *essentialiter* in includente essentialiter rationem entis. Omnia enim genera et species et individua, et omnes partes essentiales generum, et Ens increatum *includunt ens quidditative.* Omnes differentiae ultimae *includuntur* in aliquibus istorum *essentialiter* vel quidditative. Omnes passiones entis includuntur in ente et in suis inferioribus *virtualiter.* Igitur illa, quibus ens non est univocum in *quid,* includuntur in illis quibus ens est sic univocum.

Et ita patet, quod ens habet primitatem *communitatis* ad prima intelligibilia, hoc est ad conceptus *quidditativos* generum, specierum, individuorum, et partium essentialium omnium istorum, et Entis increati; et habet primitatem *virtualitatis* ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus, hoc est, ad conceptus *qualificativos* differentiarum ultimarum, et passionum propriarum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 8.

Ex his apparet quomodo in ente concurrat *duplex primitas,* scilicet: primitas *communitatis in quid* ad omnes conceptus non simpliciter simplices, et primitas *virtualitatis* in se vel in suis inferioribus ad omnes conceptus in se simpliciter simplices. — *Ib.* n. 12.

Entitas duplex. — Quaecumque entitas, generalissime loquendo de *entitate,* vel est entitas *essentialis* sive *naturae,* vel entitas *hypostatica* sive *personalis,* quando est in natura intellectuali. — *Quodlib.* q. 19. n. 3.

Entium quatuor gradus. — *Quatuor* possunt distingui *modi,* seu *gradus entium* * naturalium *. In *primo* gradu sunt *accidentia imperfecta,* quae non sunt nisi quaedam relationes entium, ut *inaequalitas, dissimilitudo, acuties, proportio,* et huiusmodi, quae consequuntur *proportionem* et *aequalitatem.* — In *secundo* gradu sunt *accidentia perfecta,* ut *caliditas, frigiditas, albedo, sapor,* et huiusmodi. — In *tertio* gradu sunt *elementa simplicia,* et *mixta imperfecta homogenea,* ut *pluvia, vapor,* et huiusmodi. — Sed in *quarto* gradu sunt *mixta perfecta, plantae,* et *animalia.* — *Physic.* I. q. 12. n. 5.

Enuntiatio. — Sicut *nomen* et *verbum* in *voce* sunt partes *enuntiationis* in *voce,* sic ipsa in *mente* sunt partes *enuntiationis* in *mente;* quae enim percipiuntur ab inintellectu in *prima* eius operatione, (* *apprehensione* simplici *), componuntur in secunda, * (iudicio) *, licet nec haec nec illa exprimantur. — *Opus primum super I. Perihermenias, q. 1. n. 2.* = Vid. *Propositio.*

Eo quod. — Non semper *eo quod* est nota causae *formalis* illius quod praecedit; nam, ut dicitur *V. Metaph, cap. de in eo quod* (1), *Quoties dicitur causa, toties dicitur inquantum, sive in eo quod,* * id est *, talia possunt esse nota *cuiuscunque causae* illius quod praecedit; et ita cum *substantia* * ex. gr. * sit *aliqua causa accidentis,* licet non *de essentia* eius, *accidens* est ens *eo quod* est *talis entis,* designando illam causalitatem in *substantia;* sed non propter hoc *formale esse* in entitate *albedinis* erit *esse* alterius entis. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 14.

Episcopus. — A *cura* nomen *Episcopi* trahi videtur; dicitur enim *Episcopus* graece *speculator* latine, ut ille qui *Episcopus* efficitur superintendat, *curam* scilicet subditorum gerens; *scopein* enim graece latine *intendere* dicitur. — *De perfect. stat.* n. 23. = Vid. *Ordo (Sacramentum).*

Error in matrimonio multiplex. — *Error* potest accidere circa contractum matrimonialem, vel in his quae *per se* requiruntur ad Matrimonium, vel in his quae *per accidens* requiruntur ad id; nam, secundum Magistrum, in *litera,* c. 1. *huius dist., et est 29 q. 1. cap. 1,* alius * est * error *personae,* alius *fortunae,* alius *conditionis* sive *qualitatis.*

Error autem circa illa quae *per se* requiruntur ad rationem huius contractus est *duplex:* quia vel de his quae *praecedunt* illum contractum matrimonialem, tamquam *materiale* in Matrimonio, cuiusmodi sunt *persona* contrahens, et *conditio* eius; vel de his quae *concomitantur* per se huiusmodi contractum, ut *formale* in Matrimonio; vel est ipse contractus formaliter, sicut est mutuus consensus contrahentium.

---

(1) Cfr. exposit. Doctor.

Error autem circa illa quae *per accidens* requiruntur ad Matrimonium est *duplex:* quia vel est de bonis *fortunae*, ut putans illum, cum quo contrahit, esse divitem, et est pauper; vel de bonis *moris*, ut putans ipsum esse morigeratum et pium, et est vitiosus et impius. — *Report.* IV. d. 30. q. 1. n. 2. — *Oxon.* ib.

Esse. — Vid. *Aliquitas* — *Esse.*

Esse aeternum — aeviternum — temporale. — Est quoddam *esse* omnino *simplex* et *immutabile* et *invariabile actu* et *potentia, re* et *intellectu;* et hoc est solum divinum *esse*, cuius mensura est *aeternitas.* — *Aliud* est *esse* totum simul, *invariabile actu, variabile* tamen *potentia;* et hoc est *esse aeviternorum*, quorum mensura est *aevum.* — *Aliud* est esse *variabile actu* et *potentia*, subiectum motui et mutationi; quale est *esse* omnium generabilium, et corruptibilium, * quorum mensura est *tempus* * — *De rer. princ.* q. 19. n. 21. — Vid. *Aeternitas* — *Aevum* — *Tempus.*

Esse dupliciter cognoscitur. — *Esse dupliciter* cognoscitur: *uno* modo per medium *accidentale*, sicut nos cognoscimus *coelum* * ex. gr. * per accidentalia, et per effectus. — *Alio* modo cognoscitur esse per medium *essentiale*, ut quando cognoscitur per *quod quid est.*

Isto *secundo* modo *esse* cognoscitur *distincte*, et praesupponit *quid est*, a quo capit distinctionem. *Primo* modo *esse* cognoscitur *confuso* modo et *incomplete;* et isto primo modo *quid est* praesupponit *esse cognitum* modo confuso. Sed *secundo* modo *esse* acceptum praesupponit *quid est*, et loquendo de *esse* quod est *actualiter* entis, sive *gradus essendi*, et non de *esse* quod est *existere.* — *Poster.* II. q. 5. n. 3. = *Ib.* q. 2. n. 3.

Esse dupliciter sumitur. — *Uno* modo *esse* potest intelligi illud *quo primo formaliter aliquid recedit a non esse;* primo autem receditur a *non esse* per illud per quod aliquid *est extra intellectum et potentiam suae causae.* Hoc modo cuiuslibet entis extra intellectum et causam est proprium *esse.* — *Alio* modo dicitur *esse ultimus actus*, cui, scilicet, non advenit aliquis alius dans *esse simpliciter;* et ipsum dicitur *simpliciter* habere *esse*, cui primo convenit *esse* sic dictum, *primo*, inquam, sic quod non sit alicui alteri ratio essendi illo *esse.* Isto modo *compositum perfectum in specie* dicitur *esse*, et solum illud; *pars* autem eius dicitur esse *per accidens* tantummodo, vel magis proprie *participative* isto *esse* totius. — *Quodlib.* q. 9. n. 17.

Esse essentiae — existentiae. — *Essentia* variis modis dicitur de creatura: *uno* modo secundum rationem *determinatam alicuius generis*, secundum quem modum dicimus, *hic est homo*, vel *corpus*, vel *albedo*, vel *quantitas;* et hoc convenit cuilibet enti, sive existat *actu*, sive *in potentia*, sive *per suam essentiam;* nam quaelibet res reponitur in determinato genere per suam *essentiam*, non per suum *actum existentiae.*

Omnis autem creatura, vel essentia, dicitur *esse* vel *ens* isto modo, secundum quod habet aspectum ad Deum, ut ad causam *exemplarem*, inquantum, scilicet, habet in Deo ideam, secundum quam est *factibilis*; et secundum istum modum illa solum sunt *non entia* quae non habent in Deo rationem idealem, qualia sunt impossibilia esse, vel figmenta, ut *Tragelaphus*, et similia.

Alio modo dicitur res *esse simpliciter*, sumpto *esse secundum adiacens*, ut cum dico, *homo est*, vel *rosa est;* et hoc dicitur de re, *non per suam essentiam*, non enim homo *humanitate* est, alioquin homo semper esset *actu*, cum homo semper sit homo; sed dicitur esse, inquantum est *effectus Dei*, vel alicuius producentis, quia per actionem aliquam dat ei esse *actuale*, non esse *essentiae;* nullius enim actus terminus est quod *homo sit homo*, cum habeat hoc *per essentiam suam;* sed quod homo *actu sit*, hoc est a creatione vel a generatione.

Et istud *esse* habent creaturae, quae procedunt vel immediate, vel mediantibus agentibus creatis, ut respiciunt Deum in ratione causae *efficientis.* Et secundum istum modum dicuntur *non entia*, non solum *impossibilia* fieri, sed etiam illa quae secundum * primum * modum possunt dici *entia*, ut *rosa corrupta*, secundum istum modum non est ens.

Ex quo est advertendum diligenter, quod cum hoc, quod Philosophi ab eodem dicant *rem esse*, et esse *hanc*, quia quaelibet res est *haec* per suam essentiam * (formam) * et materiam, ita dicunt quod quaelibet res est ens per suam essentiam; et quia, ut patet, diversae sunt rerum essentiae, ut *substantiae* et *accidentis*, ideo dicunt quod ens *aequivoce* praedicatur de *substantia* et *accidente*.

Theologi autem dicunt *rem esse* non ab *essentia*, sed ab actu *existentiae*, quem non habet aliqua creatura, nec habere potest, nisi ab alio. Et hac eadem ratione, qua *accidens* non potest *tale esse* habere *de se*, eadem ratione nec *Angelus*, quia omnia sunt *de nihilo*. Ideo non dicunt quod *ens*, quod dicitur ab *esse*, *aequivoce* dicatur de *substantia* et *accidente*, imo *univoce*, quamvis tale esse varietur in rebus, secundum variam imitationem divinae perfectionis, ita quod *ratio entis* dicitur vario modo de entibus, secundum quod respiciunt Deum sub ratione causae *exemplaris*, non sub ratione causae *efficientis*. Ratio enim *exemplaris* in Deo est *alia* et *alia*, *secundum rationem*, sicut ratio idearum; sed ratio *efficientis* est *omnino eadem* in Deo, et *re* et *ratione*, respectu omnium quae producit. *Esse simpliciter* et *actuale* respicit Deum ut *efficientem; esse* vero *hoc* vel *illud*, per quod res est *in genere*, respicit ipsum sub ratione causae *exemplaris; imo vario modo* competit rebus tale esse. *Esse* vero *simpliciter* habet res *univoce* et *uniformiter*. — *De rer. princ.* q. 8. n. 1-2. — Cf. *Oxon.* I. d. 36. n. 11. — d. 30. q. 1. n. 5. = II. d. 1. q. 2. n. 6. seqq. — d. 3. q. 3. n. 2. = III. d. 6. q. 1. n. 2. — d. 22. n. 14. = IV. d. 13. q. 1. n. 38.

« Esse in Deo » est dupliciter. — *Esse in Deo* est *dupliciter*: vel *formaliter* vel *obiective*. — *Primo* modo quidquid est in Deo *est Deus;* non *secundo* modo. — *Report.* I. d. 40. n. 14.

« Esse in » Divinis. — Vid. *Circuminsessio.*

Esse in divinis duplex. — *Esse* in Divinis potest accipi vel pro *esse simpliciter*, vel pro *esse incommunicabili. Simpliciter* non est ibi nisi unicum *esse* ut *essentiae; esse* autem *incommunicabile*, sive *hypostaticum*, est ibi *aliud*, et *aliud*, sicut *alia*, et *alia Persona.* — *Quodlib.* q. 4. n. 30.

« Esse in » dupliciter accipitur. — *Esse in* potest accipi *dupliciter: uno* modo *denominative*, ut denominat rem cuiuslibet generis; et est idem quod *inhaerens alicui;* et sic *esse in* non constituit aliquod speciale Praedicamentum, quia sic circuit rem cuiuslibet generis. — *Alio* modo *formaliter*, secundum propriam et formalem significationem eius; et sic importat respectum specialem unius Praedicamenti *respectivi*, ut *species* talis Praedicamenti relativi, sicut *inhaerentia*. Et quia ratio *generis* non sumitur ab aliqua eius specie, quia est prior quodammodo omni specie, secundum intentionem generis, ideo quocumque modo verum est, quod ab *esse in* non sumitur ratio Praedicamenti alicuius. — *Report.* IV. d. 12. q. 1. n. 8. — *Oxon.* ib. n. 7.

Esse in — esse ab — Esse *in* nullam habitudinem essentialem dicit necessario ad illud in quo est; esse autem *ab* dicit dependentiam essentialem ad illud a quo est aliquod. — *Oxon.* II. d. 2. q. 8. n. 3.

« Esse in » est multipliciter. — *Uno* modo aliquid dicitur *in* aliquo tanquam *pars in toto*, ut digitus in manu (1). — *Secundo*, ut *totum est in partibus;* et tunc capitur *in* valde improprie pro *ex*, et sic totum est *in* partibus, quia est *ex* partibus, vel quia non est sine partibus. — *Tertio* modo aliquid dicitur *in* alio, sicut *species in genere*, id est, *sub* genere, secundum praedicationem quidditativam. — *Quarto*, sicut *genus in specie*, id est, *in definitione* speciei, vel *genus* dicitur *in specie*, quia *praedicatur de specie;* sicut dicimus praedicatum *inesse* subiecto. — *Quinto*, sicut *forma* accidentalis vel substantialis *est in materia*, scilicet, per *realem inhaerentiam*. — *Sexto*, sicut *effectus in sua causa efficiente*, id est, in potestate * (potentia) * efficientis, quia secundum eius impetum aut voluntatem fit aut producitur effectus. — *Septimo*, sicut *ordinatum in finem est in*

---

(1) Cf. *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 1.

suo fine, id est, ordinatur secundum exigentiam finis. — *Octavo*, ut *locatum est in loco*, ut *aqua* in *vase*.

Et notandum, quod praeter istos modos *essendi in* sunt quidam alii modi, sicut dicimus aliquod esse *in motu* vel *quiete*, *in gaudio* vel *tristitia*, et ita de aliis. — Item notandum, quod diversitas ista modorum *essendi in* fuit magis apparens in idiomate graeco quam in nostro. — *Physic.* IV. *exposit. test.* 23. — * *Vel aliter:* *

Distinguuntur *octo* modi *essendi in aliquo;* quorum *duo* sunt prout *totum integrale est in partibus*, et e converso. — Alii *duo* secundum quod *totum universale est in partibus subiectivis*, et e converso. — *Quintus* est secundum quod *forma est in materia*, sive sit forma *substantialis*, sive *accidentalis*. — *Sextus* est secundum quod *movens* (motus?) *est in movente*, et *effectus in efficiente*, ut *regnum in rege*. — *Septimus* secundum quod aliquid dicitur *esse in suo fine*. — *Octavus* est secundum quod aliquid est in *vase continente*, et omnino *in loco*.

Isti autem *octo* modi *essendi in* possunt reduci ad *quatuor* modos ipsius *habere* (1); nam *quatuor primi*, et etiam *octavus* reducuntur ad *habere tertium*. *Quintus* vero ad *secundum*. *Sextus* ad *primum*. *Septimus* autem ad *primum* vel *quartum*, secundum quod *ex fine moventur* vel *quiescunt* res quae sunt ad finem, sicut de se est manifestum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 16. n. 137. — Cf. *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 6. — IV. d. 11. q. 4. n. 3.

Esse in loco. — Corpus *esse in loco* nihil *aliud* est, quam habere *ubi*, id est, circumscriptionem passivam a circumscriptione activa loci procedentem; non est autem *activa proprie* circumscriptio loci respectu *ubi*, sed sicut *imaginamur* ibi esse actionem et passionem. Istud autem *ubi*, sive circumscriptio passiva, est *respectus extrinsecus* adveniens, et non forma aliqua *absoluta*.

Sed *idem corpus esse in duobus locis*, est idem corpus habere *duo ubi* et *duos respectus extrinsecus* advenientes, et contingenter inexistentes positis extremis. — *Report.* IV. d. 10. q. 3. n. 13.

Esse in loco est multipliciter. — Aliquid potest dici *esse in loco dupliciter: uno* modo *occupative* et *proprie*, sicut *homo* vel *lapis* est *in aere*. — *Alio* modo *improprie*, et vocatur *appropriate*, sicut dicimus, quod *Deus* est *ubique*, *Angelus* est *in coelo*, et sic de aliis; et talia dicuntur esse *alicubi*, eo quod ibi sint, et apparent suae operationes.

Sed aliquid potest dici esse in loco *occupative* sive *circumscriptive multipliciter: Primo* modo *per se*. — *Secundo* modo *per accidens*. — *Tertio* modo *in potentia* solum. — *Quarto* modo *in actu*. — *Quinto* modo secundum partes vel *ratione partis*. — *Physic.* IV. q. 7. n. 4.

« Esse in plus » est quadrupliciter. — *Esse in plus* est *dupliciter*, scilicet, secundum continentiam *actualem*, vel * secundum continentiam * *potentialem*, sive secundum indifferentiam. — *Super Univers. Porph.* q. 25. n. 3.

Aliquid *esse in plus* respectu alterius est * iterum * *dupliciter: uno* modo, quia est *in plus* quoad *ambitum suppositorum*. — *Alio* modo dicitur aliquid *in plus* alio, quia *simplicius*. — *Poster.* I. q. 24. n. 6.

Esse in potentia. — Vid. *Ens possibile — cognitum*.

Esse in potentia contradictionis est dupliciter. — *Aliqua* est forma *in potentia contradictionis*, ut *scientia contrariorum;* et ista non potest determinare se, quia est diminuta et *non potens* se complete determinare ad unum, et ideo, ut vult Aristoteles, si talis potentia *ex se* procederet ad actum, *simul produceret contraria*. — *Alia* est causa *indeterminata*, quae est causa completa *potens* se determinare ad unum istorum; et ista est rationalis complexa, ut voluntas cum intellectu; et hoc necesse est dicere, si aliquid sit contingens; et talis potest determinare, et complete se determinare, quia est indeterminata *active*. Quae tamen est indeterminata *passive* tantum, vel *active incomplete*, nunquam potest se ad unum indifferentium determinare; cuiusmodi sunt *materia* et *scientia*. — *Report.* II. d. 25. n. 23.

(1) Vid. *Habere quadrupliciter dicitur*.

Esse in revelatione. — *Esse in revelatione* non est nisi *esse actu cognitum in eo cui fit revelatio*. Non enim est *esse in intellectu revelantis*, quia hoc est aeternum et perpetuum; nèc est esse *in aliqua existentia alia* a cognitione illius cui fit revelatio, quia tunc per hoc quod esset in tali *esse*, fieret naturaliter cognitum cuilibet alii. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 11.

Esse in subiecto. — Non esse in subiecto est dupliciter. — Hoc praedicatum, *esse in subiecto, non esse in subiecto*, potest accipi secundum *aptitudinem*, vel secundum *actualitatem*. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 5.

Esse in tempore est tripliciter. — Aliquid potest dici *esse in tempore tripliciter: uno* modo quia est *quando tempus est*. — *Alio* modo, quia dicimus ipsum esse *in tempore*, quemadmodum dicimus aliquid esse *in numero;* et hoc *dupliciter: uno* modo, quia est *in numero* tanquam *pars* numeri, vel *passio* attributa numero: et *secundo* modo dicitur aliquid esse *in numero*, quia *mensuratur numero*. — *Physic. IV. Esposit. text. 115.*

Essentia divina. — In Divinis necessario est aliqua *entitas realis*, sive *ex natura rei*, et hoc in existentia *actuali;* alioquin nihil esset ibi reale in actu. Illa *entitas realis actualis*, sive ponatur omnino *unica*, sive ponatur aliquo modo *distinctio rei*, vel *rationis*, semper erit ibi ponere de necessitate aliquam entitatem *realem, primam, unicam, quae non praeexigat aliquam priorem*. Si enim quaelibet praeexigeret priorem, nulla esset prima, et per consequens nec aliqua alia esset posterior.

Illam etiam primam entitatem oportet esse *absolutam*, sive *ad se*, quia, secundum Augustinum, VII. *de Trin.* c. 1., *omnis essentia quae relative dicitur est aliquid excepto relativo;* et secundum ipsum, *ibid.*, *si Pater non est aliquid ad se, non est omnino quod relative dicatur.*

Habetur ergo ista conclusio: quod in Divinis *oportet ponere aliquam entitatem realem, in existentia actuali, unicam, primam, et illam esse ad se.*

Ista realis entitas quae est in Deo, cum sit prima *ratio essendi simpliciter*, rationabiliter a Sanctis vocatur *essentia*. Unde Augustinus, VII. *de Trin.* c. 1, *in fin.: Quod est sapientiae sapere, et quod est potentiae posse, et aeternitati aeternam esse, et iustitiae iustam esse, hoc est essentiae ipsum esse.* Et infra, c. 4.: *Ab eo, quod est esse, appellatur* ESSENTIA, *propter quod Deus ipse, cui propriissime et verissime convenit esse, verissime dicitur* ESSENTIA. Et hoc primo dicente Augustino, ibid. cap. 5.: *Manifestum est Deum abusive vocari substantiam* (1), *ut nomine usitatiori intelligatur* ESSENTIA, *quod vere, ac proprie dicitur : ita ut* FORTASSE SOLUM DEUM OPORTEAT DICI ESSENTIAM. *Est enim* VERE SOLUS, QUIA INCOMMUTABILIS, *idque nomen suum suo famulo enuntiavit Moysi, cum dixit: « Ego sum qui sum ». Sed tamen sive* ESSENTIA *dicatur, quod proprie dicitur, sive* SUBSTANTIA, *quod* ABUSIVE *dicitur, utrumque* AD SE *dicitur,* NON RELATIVE *ad aliquid.* Haec ille. — *Quodlibet.* q. 1. nn. 2-3.

Primum omnino in Divinis est *essentia* ut *essentia;* quae, secundum Damascenum, est *pelagus* propter comprehensionem omnium perfectionum divinarum. Ista est infinita non tantum *intensive* in se, sed etiam *virtualiter primo*, et *per se* continens omnia *intrinseca;* quodcumque autem aliud * (*Persona* ex. gr.) *, continet *per identitatem* alia, sed non *primo* omnia, quia nec

---

(1) Ideo forsan Augustinus Deum vocari *substantiam abusive* dicit, quia « *substantia* dicitur a *substando* » (Scot. *Physic.* II. q. 5. n. 9): Deus autem nulli *substat*. Ideo Subtilis, licet allatam definitionem etymologicam *substantiae* assignaverit, tenet « *substare*, unde est potentia receptiva, non esse per se *rationem* substantiae, sed illam *rationem substantiae* esse *per se existere, non dependenter ab aliis* » (*QQ. Metaph.* lib. VII. q. 6. n. 2); quo sensu Deum vocare *substantiam* rectissime possumus, quia *per se existit*, independenter ab aliis. — « Ad propositum essentia habet rationem utriusque *substantiae* quantum ad aliquid: *substantiae* quidem *secundae*, quoad hoc quod ipsa sit *universalis*, hoc est divisibilis vel plurificabilis; est enim communis communitate *reali*, secundum Damascenum, c. 4. ibi, est *communis substantiae, non solum rationis*, sicut est in natura creata. — Habet autem rationem substantiae *primae* quantum ad hoc, quod est esse *haec*, sive singulare, quia essentia de se est haec, (Vid. *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 6.): non dico quoad hoc quod est esse *incommunicabile*, quia hoc esset imperfectionis ». — *Quodlib.* q. 3. n. 17.

a se, sed *virtute essentiae*, a qua etiam habet suam infinitatem.

Videtur ergo, quod essentia habet infinitatem, et *formaliter*, et *propriam*, et *primam*, quia *a se*, quia respectu omnium dicitur *pelagus*, quia omnem perfectissime continet entitatem intrinsecam, ut possibile est eam contineri *in uno formaliter*. Ab hac autem prima, sicut licet loqui, emanant omnia ordinate: primo quidem *intrinseca essentialia*, quae non dicunt respectum *ad extra;* secundo *notionalia;* tertio et ultimo *creata*, sive *extrinseca;* et quodlibet emanans recipit illud perfectionis ab ea, cuius est capax, si sibi non repugnat; et illius recepti causa *quasi effectiva* et *primaria* est *infinitas essentiae;* causa autem sive ratio *formalis* est ipsa *entitas propria cuiuslibet emanantis.* — *Ib.* q. 5. n. 25.

Inter illa quae sunt in Divinis istum ordinem intelligo: Nam primo est *essentia*, quae est *fundamentum* omnium perfectionum in Divinis. Hanc sequuntur, secundum rationem, *naturales proprietates*, quae sunt in *essentia*, quarum quaelibet est *perfectio simpliciter*, et ideo sufficienter quaelibet earum capax est *infinitatis* ab essentia, quae *primo* est *infinita.* Tertio vero sequuntur *proprietates personales*, quae *non sunt infinitae formaliter*, quia nec capaces infinitatis. Ulterius sequuntur *entitates finitae creaturarum* * in Deo cognitae *. — *Report.* I.d. 10. q. 1. n. 8.

Essentia includit totam perfectionem divinam *unitive* et *identice*, licet non *formaliter* comprehendat omnes perfectiones divinas. — *Quodl.* q. 1. n. 1. — * Ideo * Augustinus, *VII. Trinit.* cap. 9., sub *essentia* ponit quidquid est ad se, sive sit essentiale commune tribus * personis *, sive personale. — *Oxon.* III. d. 1. q. 5. n. 2. — Vid. *Deus.*

Essentiale — Notionale in Divinis. — De termino *essentiale*, *duplex* distinctio videtur: *una*, quod aliter utuntur communiter hoc nomine, *essentiale*, Philosophi, et aliter Theologi, specialiter *in Divinis.* Nam in Philosophia accipitur communiter *essentiale* ut distinguitur contra *accidentale*, prout *accidentale* continet sub se omne accidens *per accidens*, sive *accidens commune*, et accidens *per se*, sive *proprium.* Unde ibi *essentiale* dicitur quod *per se includitur in essentia*, quemadmodum in *composito reali materia* et *forma* dicuntur sibi *essentialia*, et in *composito rationis*, vel in ipso definito, *genus* et *differentia* dicuntur *partes essentiales* rationis, sive rei definitae (1). — *Theologi* vero aliter utuntur hoc nomine *essentiale*, in Divinis. Cum enim essentia sit omnino primum, ut iam dictum est (2), et similiter est *commune communitate reali*, quia dicitur de qualibet persona, et de omnibus singulariter; et ideo quodcumque etiam aliud praedicetur simili modo in Divinis dicitur *essentiale*, quia *simile essentiae* in modo praedicandi, sive in *communitate reali.* Et per oppositum, *notionale* dicitur illud quod nec sic praedicatur, nec habet talem communitatem, sed quod *pertinet ad notitiam distinctionis personarum.* Sic ergo distinguit Theologus *essentiale* contra *notionale.* De hoc Augustinus, V. *de Trinit.* c. 5.: *In rebus creatis atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur; in Deo autem* NIHIL SECUNDUM ACCIDENS DICITUR; *nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur;* DICITUR *enim* AD ALIQUID, *sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem.* Haec ille. Vult ergo, quod in creaturis distinguitur *essentiale* contra *accidentale;* in Divinis autem non distinguitur contra *accidentale*, sed contra *relativum ad intra*, quod, scilicet, dicit relationem personae ad personam, et per consequens pertinet ad *distinctam notitiam* personae a persona; et ideo, ut datur regula ibi c. 4., de dictis de Deo *substantialiter* et *relative* communiter dicitur *notionale;* licet Augustinus hoc vocabulo non est usus, sed sit usus vocabulo *relativi*, vel *ad aliquid.*

Patet breviter quid sit *notionale*, quia omne *notionale* est *relativum ad intra*, et e converso; *essentiale* autem *non est relativum ad intra*, quia tunc esset *commune*, et *non commune.*

Secunda distinctio huius vocabuli, quod est *essentiale*, prout in Divinis specialiter

(1) Vid. *Definitio.*
(2) Vid. *Essentia Divina.*

accipitur, potest poni talis: quod aliquod est *essentiale* quod *importat respectum ad extra*, et aliquod non.

Istius distinctionis *primum* membrum exponatur: Si Deus dicatur *relative ad extra*, oportet quod illa relatio conveniat Deo secundum aliquod *fundamentum proprium*, quia non comparatur Deus *ad extra* nisi secundum aliquod *intrinsecum sibi*, et illud potest dici *fundamentum*. Ex isto fundamento intrinseco, cum sit *reale*, et respectu *ad extra*, cum sit *rationis*, non potest esse aliquid habens conceptum *per se unum*; ergo si aliquod nomen simul importat illud *intrinsecum* Deo, quod est *fundamentum* comparationis *ad extra*, et cum hoc illam *comparationem ad extra*, illud nomen non significabit conceptum *per se unum*, vel non significabit *ambo illa*, sed tantum al terum *significabit*, et alterum *connotabit. Essentiale* ergo in Divinis, quod scilicet habet conceptum *per se unum*, non includit *simul* et *per se absolutum* et *respectum ad extra*, et per consequens si includat *respectum ad extra*, non *per se* illud includit, sed *principaliter*, et *primo*, et *per se* includit *absolutum*, quod est fundamentum; illum autem *respectum connotando* includit.

Et hoc modo intelligitur *primum* membrum huius *distinctionis*.

De *secundo membro* huius distinctionis, dices forte quod nullum est *essentiale* non includens respectum *ad extra*, sed sola essentia est huiusmodi; quodcumque autem aliud commune tribus * personis * vel est respectus *ad extra*, vel includens respectum *ad extra* ..... Ideo probatur secundum membrum, scilicet quod aliquod *essentiale non includit aliquem respectum ad extra: primo* per rationem fundatam in auctoritate sumpta ex ratione *perfectionis simpliciter: secundo* per rationem sumptam ex ratione *divinae essentiae: tertio* per rationem sumptam ex ratione *intellectus divini: quarto* ex ratione *actus* vel *operationis divinae*. — *Quodlib.* q. 1. nn. 5-8; *ubi haec capita enucleate evolvit* = Vid. *Notio.*

Essentia rei. — Illud est *specificum* et pertinens ad rei *speciem*, quod competit rei secundum *esse quidditativum* rei et *specificum;* et ideo *forma* et *materia* universaliter sumpta, quae sunt partes *essentiales speciei*, dicuntur partes *specificae* et *formales*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 2. c. 10. n. 78.

Esse per se — Esse in alio dupliciter accipiuntur. — * Nempe * accipiendo *per se esse* et *esse in alio* uniformiter, scilicet prout *per se esse* negat aptitudinem ad inhaerendum, et *esse in alio* affirmat illam aptitudinem. — * Vel potest * accipi utrumque *actualiter*, scilicet actualiter esse per se, et actuatiter esse in alio. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 23. — *Ib.* q. 2. n. 17.

Esse potentiale — reale. — Intellectus divinus non tantum ab aeterno intellexit animam Antichristi *ut possibilem* pro tanto tempore antequam crearetur, sed intellexit esse *ut actu existentem* pro illo instanti creationis pro quo existet. Istud autem intelligibile videtur esse distinctum ab isto intelligibili in ratione intelligibilis, quia videtur aliud intelligibile esse *potentiale* et * aliud * *actuale* animae, quia possunt esse duo actus intelligendi circa illa, quia utrumque potest intelligi cum opposito alterius. — *Confirmatur* ista ratio: in quocumque genere illud quod est in *potentia* tale non est nisi *secundum quid* tale; ergo non est *simpliciter* ei idem illud quod est *actu* tale. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 6.

Esse — Praedicari. — Vid. *Praedicari — Esse.*

Esse primum duplex. — *Esse primum* alicuius dupliciter potest intelligi: *vel* illud quo totum dicitur primo ens, hoc est adaequate, sicut humanitas dicitur primum esse corporis organici animati, quia hoc totum esse quod consurgit ex unione istorum partium est esse adaequatum totius. — *Alio modo* esse primum alicuius potest dici esse primae partis alicuius in illo toto, puta si corpus organicum praecederet duratione animationem, primum esse hominis hoc modo esset esse corporis organici. — *Oxon.* III. d. 11. q. 1. n. 9.

Esse quadrupliciter dicitur. — *Esse* dicitur *dupliciter: uno* modo *esse* dicit *actum entis per decem genera divisi.* — *Alio*

modo significat *unitatem in compositione.* — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 15. n. 5.

Esse quandoque dicitur de *est secundo adiacente,* et hoc, vel respectu termini *absoluti,* vel respectu termini *correlativi;* et quandoque de *est tertio adiacente.* — *Physic.* I. q. 2. n. 3.

Esse simpliciter — secundum quid. — Accipiendo *esse simpliciter* prout dividitur contra *secundum quid,* dico quod sicut *ens* divitur in *prius* et *posterius,* vel primum et secundum, et prius continet sub se substantiam, et posterius accidens, ita *simpliciter* in isto intellectu aequivalet ei quod est primum naturaliter, et *secundum quid* aequivalet ei quod est posterius naturaliter. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 43.

Esse subiecti — passionis. — Duplex est esse: quoddam est esse *subiecti,* et aliud est esse *passionis* * (proprietatis seu praedicati) * — *Poster.* II. q. 2. n. 2.

Esse substantiale — accidentale. — Duplex est *esse,* scilicet: esse *substantiale* et *simpliciter,* et esse *accidentale* et *secundum quid.* — Similiter aliquid potest dici *in potentia contrădictionis* dupliciter correspondenter, scilicet: vel quia potest esse et non esse *simpliciter,* vel quia potest esse et non esse *secundum quid.* — *Esposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 2. c. 4. n. 43.

Ethica. — De *Ethica* * sciendum quod * omnis habitus cognitivus circa obiectum *operabile, ex natura rei* et *obiecti,* est directivus in operatione, licet non *ex usu habentis.* Sed aliquis habitus est directivus *incomplete,* et quasi *a remotiori,* sicut qui est circa *magis universalia;* aliquis *magis perfecte* et *de propinquo,* sicut qui est circa *magis particularia,* actus enim sunt circa singularia; unde *experientia* magis dirigit in operando, quam *ars* sine experientia, *I Metaph. in proemio;* et sic habitus incomplete dirigens *comparative* et *large* potest dici *speculativus,* quia ex se non sufficit ad dirigendum sine particulari determinante et applicante; et sic posset *moralis scientia* dici *speculativa,* sed non *proprie* et *strictē.* — *QQ Metaph.* VI. q. 1. n. 14.

Eucharistia. — Ratio nominis *Eucharistiae,* secundum communiter utentes vel loquentes de Eucharistia, potest esse talis: *Eucharistia est Sacramentum Corporis Christi et Sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis et vini, post consecrationem factam a Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina veraciter signans Corpus Christi et Sanguinem sub eis realiter contineri.*

Ista *ratio,* * seu *definitio* *, non est in se falsa, quia nulla pars repugnat alteri; possibile enim est, sine contradictione, Corpus Christi contineri sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini (1). Possibile est etiam ista signa instituta esse a Deo ad signandum veraciter illa signata sub eis contineri; quia quod Deus potest facere, potest per aliquod sensibile signum impositum signare; ergo isti rationi subest aliquod ens, hoc est, *cui non repugnat* esse.

Ulterius, dico quod sibi subest aliquod ens *in effectu,* ut probari potest per *auctoritatem* et congruam *rationem.*

Auctoritas est *Matthaei,* c. 26 (2), ubi Christus post coenam istud Sacramentum instituit, ut sub istis speciebus verum Corpus eius, et verus Sanguis veraciter contineretur; et non tantum tunc quando ipsemet confecit, sed quando postea hoc Sacramentum a Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur, ad quod dedit auctoritatem, subdens ibi, et dicens Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* — Item habetur *Luc. 22,* et *Iª Cor. 11,* ubi Apostolus diffuse determinat de modo perceptionis et consecrationis huius Sacramenti: *Panis,* inquit, *quem frangimus* (nos Sacerdotes) *nonne participatio Corporis Domini est?* Et quod istud Sacramentum sit perpetuo in Ecclesia, ibi ait: *Quotiescumque,* inquit, *panem hunc manducabitis, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat,* supple, *ad iudicandum;* unde usque ad tunc durabit Ecclesia militans, et Eucharistia in ea, sicut tenent omnes Sancti.

Quod hoc sit *congruum* probatur, quia *congruum* est Christum esse nobiscum in

---

(1) Hoc probat *dist.* 10.
(2) Vv. 26 et seqq.

tali signo sensibili, ut magis excitetur quilibet ad reverentiam et devotionem ad Christum. Et hoc patet de facto, quod quasi omnis devotio in Ecclesia est in ordine ad illud Sacramentum. Propter hoc enim clericus cum maiori diligentia persolvit officium divinum in ordine ad Missam. Propter hoc etiam populus devotius audit Missam, quam aliquod aliud officium ecclesiasticum. Propter hoc etiam singuli cum maiori diligentia confitentur, quando intendunt, secundum ordinationem Ecclesiae, saltem semel in anno communicare. — *Congruum* etiam fuit post *generationem spiritualem* conferri etiam nobis *nutrimentum spirituale;* et illud magis congrue nobis datur sub similitudine nutrimenti corporalis: nutrimentum autem corporale praecipuum consistit in pane et vino; ergo etc.

Congruum etiam fuit, quod signum sensibile, sub quo nobis Deus voluit se dare, haberet ordinem ad verba aliqua ab aliquo ministro proferenda; quia aliter nesciremus quando in tali signo esset Christus, et quando non, et sic periret reverentia debita et devotio. — *Congruum* etiam fuit quod in prolatione illorum verborum minister esset in Ecclesia excellens, scilicet Sacerdos, per cuius actum ministerialem Christus sic incipiat esse nobiscum. — *Oxon.* IV. d. 8. q. 1. nn. 2-3. * *Vel aliis verbis:* *

Eucharistia est species sensibilis panis et vini post consecrationem factam a Sacerdote verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina veraciter significans Corpus Christi et Sanguinem sub illis speciebus realiter contineri.

Haec descriptio quantum ad singulas eius partes est necessaria. Non enim est Eucharistia in *materia tantum una* species sensibilis, ut *panis* tantum, vel *vini* tantum, sed est *species sensibilis panis et vini* simul. Et quia istae species ante consecrationem non sunt Sacramentum, nec aliquid Sacramenti, nisi sicut quilibet panis et quodlibet vinum, ideo additur *post consecrationem;* et sequitur pro ministro *facta a Sacerdote.* Deinde ponuntur conditiones requisitae ex parte ministri cum dicitur *verbis certis cum debita intentione prolatis.* Praemittitur enim primo *materia;* postea *forma,* cum dicit *post consecrationem.* Deinde *minister* idoneus cum requisitis necessario quantum est ex parte eius realiter. Deinde *effectus* huius sacramenti, quod est *verum Corpus, verusque Sanguis, Christi realiter contenta sub illis speciebus,* quae sunt *unum integrum signum* huius effectus, quod est correlativum.

Hoc autem *speciale* est in hoc Sacramento, quod effectus eius est gratia *subsistens,* non *inhaerens,* sicut in aliis; quae gratia per se subsistens, scilicet totus Christus, ut effectus Sacramenti, semper concomitatur inseparabiliter suum signum, scilicet tales species; et ideo additur *veraciter significans Corpus et Sanguinem Christi sub illis speciebus realiter contineri.* Alia Sacramenta possunt esse *sine suis effectibus.* Patet de ficto. Hoc nullo modo. — *Report.* IV. d. 8. q. 1. nn. 2-3.

Videndum est an illa res, cui competit illa descriptio, ut *species sensibilis panis et vini, sit Sacramentum?* Et dico quod sic, quia cum dicitur in definitione Sacramenti, quod *est signum sensibile invisibilis effectus,* non solum accipitur ibi *effectus invisibilis* pro gratia gratis data, vel gratum faciente, *informante* animam, sed pro *effectu gratuito,* et gratia *per se subsistente,* cuiusmodi est totus Christus in hoc Sacramento. Ideo dictum est in definitione Sacramenti, quod sit *signum sensibile effectus invisibilis ordinantis hominem ad Deum et ad salutem* (1). *Esse* autem Corporis Christi sub illis speciebus non est *esse* gratiae *informantis,* sed gratiae *per se stantis.* Significat enim Eucharistia effectum Dei gratuitum, et gratiam *per se subsistentem,* et ideo *nobilissimum* Sacramentum est.

Sed estne *unum* Sacramentum? Respondeo quod sic; quod patet tam ratione *signi,* quam *signati.* Ex *ratione signati* sic: Corpus Christi et Sanguis aliquo modo sunt *unum,* et aliquo modo *duo;* si enim accipitur *corpus* pro toto eo quod *primo* et *totum animatur* anima et habet vitam, sic est *corpus organicum totum corpus,* exclu-

---

(1) Vid. *Sacramentum.*

dendo sanguinem, quia sanguis *non est animatus,* licet sit propinqua materia carnis, quae potest animari. Et sic *corpus animatum, organicum* et *sanguis* sunt *duo* essentialia, et possunt habere *duo signa* ea repraesentantia. — *Alio* modo accipitur *corpus* non tantum pro eo quod animatur, ut corpore organico, sed *pro omni eo quod includit tale corpus,* ut pro partibus solidis, ut ossibus, et nervis, quae sunt in tali corpore, et humoribus omnibus, et partibus homogeniis, et heterogeniis simul. Haec omnia sunt de *veritate corporis vivi,* sine enim istis non est vita, licet in omnibus istis non sit *formaliter* vita. Et isto modo sunt *unum* tantum *integrum* corpus et sanguis; et ita eis correspondet *unum* signum; sed non unum unitate *indivisibilitatis,* sed *unum* unitate *integritatis,* quia corpus et sanguis isto modo sunt unum *indivisibile,* sed *integritate,* et differt sanguis a corpore sicut *pars* a suo *toto;* et ideo etiam isto modo sunt *duo,* ut sunt pars et totum, et tamen *unum totum integrum;* et sic habent *unum* signum. — *Ib.* n. 5-6. = *Oxon.* loc. cit. n. 14.

Corpus potest capi *dupliciter: Uno* modo *ut est aggregatum ex partibus solidis et fluidis,* ut carnibus et sanguine; et sic est primum signatum totius Sacramenti Eucharistiae *unitate integritatis,* et non *indivisibilitatis;* quia sic ei correspondet *unum* signum, scilicet *species panis* et *vini.* — *Alio modo* potest sumi *corpus tantum pro partibus solidis,* distinguendo eas a partibus fluidis; et sic sunt *duo* signata, specialia, contenta sub proprio signato, sicut sunt huius duo signa, ut species panis sit unum signum proprii signati, ut carnis Corporis Christi tantum, et species vini sit proprium signum proprii signati, ut Sanguinis; et ita Corpus non continet Sanguinem, nisi *concomitanter* solum, ut est primum signatum, et proprium specierum panis, sicut prius dictum est, quia Sanguis est *primum* contentum sub speciebus vini. — *Report.* IV. d. 10. q. 4. n. 5.

Sed quomodo est *unum* ab aliis *divisum?* Respondeo, quod hoc Sacramentum distinguitur ab aliis Sacramentis, et excellit illa in *quatuor.* Istud enim Sacramentum *primo* est *permanens;* alia sunt in *fieri;* non enim est Eucharistia quousque sit signum veraciter continens Corpus Christi, sed quando verba sunt et proferuntur, tunc non continet Corpus Christi, sed in ultimo instanti, quando prolata sunt; quando etiam non sunt, est ibi Corpus; igitur Corpus Christi sub illis speciebus habet *esse permanens.* Hoc etiam est congruum, quia ex quo congruum est, quod voluit esse nobiscum in aliquo signo vel signis sensibilibus, ut supra dictum est, congruum est ut *permanenter* sit nobiscum, quia aliter nesciremus quando esset nobiscum, et quando non, et periret omnis devotio et reverentia ad susceptionem eius. Si enim tantum esset nobiscum *in fieri,* dum verba proferuntur in fine prolationis, non essent ibi species adorandae sine idololatria; sed cum hoc sit inconveniens, sequitur quod quamdiu hae species consecratae manent, quod tamdiu *permanenter* sit nobiscum: si enim esset in illis speciebus dum verba sunt in continuo fluxu prolationis, tunc non esset nobiscum in aliquo signo sensibili conveniente *nutrimento,* quia sic non nutriunt.

Ex hoc sequitur unum corollarium: quod *verba* non sunt de *forma* vel *essentia* huius Sacramenti; quia quando verba desinunt esse, hoc Sacramentum est, et quando verba sunt, hoc Sacramentum non est: illud autem quod est de *forma* vel *essentia* Sacramenti habet *aliquam simultatem* cum Sacramento; igitur verba non pertinent ad formam Sacramenti; sunt tamen *forma consecrationis sacramentalis,* etsi non *forma Sacramenti,* quia Sacramentum *permanens* bene habet inceptionem consecrationis sacramentalis, et desitionem talis consecrationis, cuius verba sunt *forma,* sed non Sacramenti permanentis; quia *forma* talis non est aliquid *in fluxu* vel *fieri,* quia cum unumquodque constituatur in *esse* per suam *formam,* non esset tunc *permanens,* sed *successivum. Forma* igitur huius Sacramenti, quae est *species sensibilis panis* et *vini,* post consecrationem, *permanens* est. *Forma* autem aliorum Sacramentorum est in continuo *fluxu* et *fieri,* ita quod post talem fluxum

non manet forma Sacramenti alterius. Patet de *ablutione* et *prolatione* verborum in Baptismo, et *unctione* frontis cum chrismate, et certis verbis proferendis in Confirmatione, et *verbis* in Poenitentia et Matrimonio; et aliis, quae ponuntur *forma* illorum Sacramentorum.

Secundo, hoc Sacramentum differt ab aliis ratione *significati*. Nam alia Sacramenta significant gratiam *accidentalem* inesse animae virtute Sacramenti; istud Sacramentum significat gratiam *essentialem*, ut Christum verum, qui est caput omnis gratiae, et ipsum *veraciter continet;* et non continet gratiam *accidentalem virtute Sacramenti*, nisi per modum meriti, quia digne se praeparans ad susceptionem Eucharistiae recipit gratiam *accidentalem* etiam ab illa gratia essentiali, quae hic virtute Sacramenti veraciter, et inseparabiliter continetur.

Tertia differentia, quod hoc Sacramentum semper est *verax*, non solum quantum est *ex parte sui*, sicut alia Sacramenta, sed *ex omni parte* continet verum Corpus Christi sub illis speciebus, post consecrationem, quamdiu manent illae species, etiamsi minister sit *fictus*, vel *praecisus*, vel qualitercumque *malus*, *servata forma consecrationis Ecclesiae*, et *intentione consecrandi*. Quare hoc Sacramentum semper infallibiliter habet secum suum signatum; non sic in aliis Sacramentis. Licet enim alia Sacramenta semper habeant quod figurant, scilicet gratiam *accidentalem* et invisibilem, quantum est *ex parte sui*, tamen non semper illam continent, si impedimentum *fictionis* insit. Patet de *ficto* accedente ad Baptismum vel Poenitentiam, vel alia Sacramenta.

Quarta differentia, quod Eucharistia *semper in se continet* gratiam *subsistentem*, dum manent species, ut Christum quem designant; *non sic* alia Sacramenta *continent semper* gratiam *accidentalem*, quam figurant. Patet ex iam dictis. = *Ib.* d. 8. q. 1. n. 7-10. — *Oxon.* loc. cit. n. 5.

Eucharistiae accidentia multipliciter mutantur. — Dicunt aliqui, quod in illis accidentibus * (eucharisticis) * est *triplex* genus *motus: unus* ad *situm;* et ratione huius materia non egent, quia ratione suae functionis potest res moveri ad situm, absque eo quod habeat materiam, quia non est ad hunc motum materia necessaria nisi propter motum naturalem *rectum*, qui requirit *gravitatem* et *levitatem*, quae fundantur in materia naturali. Et quia *grave* et *leve*, quae sunt dispositiones ad motum *rectum*, manent in speciebus, ideo talem motum habent.

Est *alius* motus *alterationis:* et hic *duplex: quidam* circa *qualitates*, quae sunt in *tertia specie*, cuiusmodi sunt *albedo* et *nigredo, calidum* et *frigidum;* et in istis est *alteratio*, quia quamvis non habeant materiam in qua sint, ac per hoc quoad hoc operatio sit miraculosa, habent quantitatem divisivam, quae tenet rationem *subiecti* immediati ad tales alterationes recipiendas; unde supposita quantitate, per se tales alterationes sunt in eis naturales.

Est *aliud* genus *alterationis* circa qualitates *quartae speciei*, ut circa *rarum* et *densum*, in quibus non fit *transmutatio per se*, ut dicitur *VI. Physicor.* In illis enim qualitatibus, quae sunt de *tertia specie*, tantum fit *alteratio per se:* in *rarum* autem et *densum* fit transmutatio *per quantitatem*, inquantum, scilicet, transmutantur a *magis* in *minus*, et e contrario; ideo illae species possunt *alterationem* a *raro* in *densum* recipere, quia etiamsi non habeant *vere materiam*, habent ipsam quantitatem, quae miraculose per se stat *pro subiecto*. Et sic patet, quod motus qui fit naturaliter in eis, in qualitatibus *tertiae speciei* habet subiectum. — *De rer. princip.* q. 7. n. 30. — Cf. *Oxon.* IV d. 12. q. 1.

Eucharistiae forma. — Hic *tria* videnda sunt: *Primo*, si Eucaristiae est aliqua una forma? *Secundo*, quae? *Tertio*, quid signat?

De *primo:* nulla verba sunt *forma Eucharistiae*, nec de *essentia* eius; sed verba aliqua sunt *forma consecrationis* Eucharistiae (1).

---

(1) « Verba consecrationis panis et vini non sunt *forma* Sacramenti vel specierum panis et vini, sed sunt *forma consecrationis*. In isto autem Sacramento *forma est realiter idem quod materia; panis* enim est *mate-*

Et sic intelligendo, dico quod sicut istud Sacramentum est *unum* unitate *integritatis*, non *indivisibilitatis*, quia in se includit *duo signa partialia*, quae *primo* signant *duo propria signata* et *proxima*, scilicet Corpus et Sanguinem, et *remota*, scilicet, cibationem et potum spiritualem; ita est *una* consecratio unitate *integritatis*, et tamen *duae* consecrationes *partiales*. Sicut enim aliqua res est *una*, sic est *una* eius *inceptio;* et sicut *plures*, sic *plures* eius inceptiones; et sicut consecratio est *plures*, sic eius *inceptio* est *plures*. Est ergo consecratio *plures partiales* consecrationes; tamen *una* unitate *integritatis;* et sic est una forma consecrationis unitate integritatis, sed tamen continens in se *plures* formas *partiales*. Distinctio autem formarum illarum *partialium* patet, quia una est efficax sine alia, quod manifestum est; alioquin enim fideles Corpus adorantes ante consecrationem Sanguinis essent idololatrae, quod falsum est. — *Oxon.* IV. d. 8. q. 2. n. 3. — *Report.* ib. n. 2.

Haec est forma consecrationis Corporis: *hoc est corpus meum.* Haec autem coniuncto *enim* est addita per Ecclesiam, et non est de essentia consecrationis; peccaret tamen qui illam omitteret a proposito, propter praeceptum Ecclesiae.

Causa autem quare haec coniunctio additur ab Ecclesia est, secundum unum Doctorem (1), ad denotandum ordinem *formae* consecrationis ad *usum materiae* consecratae; qui usus non est de essentia Sacramenti; talis autem ordo non est nisi per appositionem coniunctionis.

Alia tamen ratio potest assignari; quia Ecclesia noluit aliquam orationem dissutam ponere in Canone; sed ante haec verba consecrationis praemittitur quaedam historia ab illo loco, *qui pridie quam pateretur, accepit panem*, etc.; et idem expresse videtur Ambrosius *De consecr. d. 2. cap. Panis*, exponendo verba Canonis; et ideo sicut una pars conditionalis, separata et dissuta ab alia, nihil significat, ut si dicerem, *tu es homo dum tu curris* etc., ita praedicta oratio, si dissuta posita fuisset seorsum ab aliis, non fuisset sententia completa, nec perfecta; et ideo ut vitaretur omnis improprietas et inconnexio verborum sacramentalium, in Canone est addita haec coniunctio *enim.* — *Report.* IV. d. 8. q. 2. n. 3-4. — *Oxon.* ib. n. 4.

De verbis autem *consecrationis Sanguinis* est dubium magis, quia *formam*, qua utimur, nullus Evangelistarum recitat; ideo non videtur ex Evangelio certa. Graeci etiam alia forma utuntur, et per consequens forma nostra non est *praecisa.*

Respondeo; non dubito, *quin forma nostra sit certa*, secundum auctoritatem Innocentii, quia multa tradita sunt Ecclesiae ab Apostolis, quae tamen non sic scripta sunt in Evangeliis. Sed et de forma Graecorum Ecclesia non dicit eos non conficere, unde dicunt aliqui, quod forma eorum, et forma nostra, et quaecumque scripta in Evangeliis, sufficiens est ad consecrationem; tamen in Ecclesia Romana est de *necessitate ministri* uti forma qua utimur. — *Oxon.* ib. n. 6.

Respondeo igitur breviter, quod Christus non instituit nobis in Canone, quae verba essent *praecise* de *forma consecrationis Sanguinis*, nec Ecclesia de hoc determinat. Ideo periculum est dicere illa verba esse *praecise* de forma consecrationis Sanguinis, et illa non; quia periculum est asserere quod nescitur; sed non est periculum ignorare quod non determinatur. — *Report.* ib. n. 7, * *ubi varias affert sententias* *.

Eucharistiae materia. — *Utrum solus panis triticeus cum aqua elementari coagulatus sit materia conveniens conversionis in Corpus Christi?*

Ad * hanc * questionem patet * responsio affirmativa * *De cons. distinct. 2. c. 1. etc. Non oportet, et cap. sequenti.*

Ratio principalis est, quia Christus *talem materiam consecrandam* instituit, et in signum institutionis tali materia consecranda usus est. Quod etiam panis *triticeus*, et non alius, habetur *De cons. distin. 2. in Sacramento.*

---

ria, et *species* panis est *forma; consecratio* autem panis et vini habet *panem* et *vinum* pro *materia*, et *verba* pro *forma*, et ita non est eadem forma *Sacramenti* et *consecrationis sacramentalis* *. = *Report.* VI. d. 8. q. 1. n. 13. — *Oxon.* ib. n. 6.

(1) Richard, hic.

Et huius *congruentia* accipitur ex illo verbo Ioann. 12 (1). *Nisi granum frumenti etc.*, ubi Christus se *grano frumenti* comparat. Unde Aug. ibi: *Cum sint multa grana frugum, nulli se comparat, nisi illi; unde mos coepit Ecclesiae de hoc solo grano confici corpus Domini.*

De hac etiam farina triticea *aqua elementari coagulata* debet panis formari, quia ita supponitur panem illum fuisse formatum, quo usus est Christus consecrando. Nec sufficit *pasta*, sed *panis*; quia sic institutum est.

Et ad omnia est *congruentia*, quia cum Sacramentum illud sit signum *nutrimenti spiritualis*, in illis congrue instituitur, quae sunt signa principalis *nutritionis corporalis:* principale autem nutrimentum quantum *ad cibum* est *panis triticeus.* — *Oxon.* IV. d. 11. q. 6. n. 1.

De *necessitate* panis consecrabilis non est neque quod sit *azimus*, neque quod sit *fermentatus;* et ideo non negamus vere conficere Graecos, * qui pane fermentato utuntur *. Quod etiam patet, quia tempore Leonis Papae fuit constitutum quod conficeretur in *fermento*, sed fuit ad tempus, ad extinguendam haeresim Ebionitarum, qui dixerunt quod necessarium erat Christianos *iudaizare*, et per consequens Pascha suum in azimo conficere, ut fecerunt Iudaei, et ad extinctionem huius haeresis fuit ordinatum consecrare in fermento. Sed post, haeresi illa extincta, rediit Ecclesia occidentalis ad primam consuetudinem, quae conformis est institutioni Christi, et promulgationi factae per eius Vicarium Petrum.

Sed de *necessitate ministri*, ad minus in Ecclesia Latina, est hodie conficere in *azimo.* — *Ib.* n. 6.

Utrum solum vinum expressum de uva sit materia conveniens ad conversionem in Sanguinem Christi?

Dico, quod vinum *artificiale*, sive quodcumque aliud vinum, quod *non est vinum vitis*, utpote vinum *pomorum*, et huiusmodi, non est vinum nisi *secundum quid*, et aequivoce; unde *nullum tale est aptum consecrationi in Sanguinem.*

(1) V. 24.

Principalis *ratio* est, quia Christus sic instituit. — Bona *congruentia*, quia secunda pars principalis *nutritionis*, id est *potus*, principaliter consistit in *vino*, ut in potu principali; et de hoc habetur *De cons. dist.* 2. — Vinum etiam illud debet esse *expressum de uva;* quamdiu enim liquor est in uva tantum, habet magis rationem *comestibilis*, quam *potabilis*. Illud autem Sacramentum, pro *secunda* parte sui, essentialiter continet Sanguinem, et pro signo aliquo, quod est per se potus. Et hoc habetur *De cons. dist. 2. Didicimus, et cap. sequenti.*

Huic autem vino *apponere aquam* non est simpliciter necessarium *de necessitate Sacramenti*, quia etiam quando apposita est, non convertitur in Sanguinem, nisi prius sit conversa in vinum; et ita modica est apponenda, et ita tempestive, quod ante consecrationem possit conversa fuisse in vinum. Graeci etiam non apponunt aquam, ut dicit Innoc. *de officio Missae, p. 3. c. 4. vel 5.* Est tamen *de necessitate ministri* propter praeceptum Ecclesiae; et etiam Christus vinum, cum quo fuit aqua mixta, consecravit, iuxta illud *Damasc. lib. 4. cap. 14: Christus calicem ex vino et aqua tradidit discipulis suis, dicens*: *Bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus*, etc.

Congruentia appositionis aquae in vinum est propter mysterium, ut significetur populum uniri Christo, iuxta illud *De consecrat. distinct. 2. Omne: Cum in calice aqua vino miscetur, populus Christo unitur*, id est, *copulandus significatur* per fidem et dignam Sacramenti perceptionem. — *Ib.* q. 7. *per tot.*

Eucharistiae Minister. — *Conficere Eucharistiam* ut *principalis* causa nulli potest competere nisi *soli Deo*; licet ut causa *instrumentalis*, vel ut magis proprie dicam, ut *minister*, potest competere *alicui homini*, quia sic Deus ordinavit, quod in quibuscumque Sacramentis *minister* possit esse *homo*.

Sic ergo loquendo de *ministro*, dico quod *ministrum posse conficere* potest intelligi *dupliciter: uno* modo, *absolute*, ita scilicet quod si attentet facere, facit quod intendit; *alio* modo de posse *ordinate* facere.

Loquendo de *posse simpliciter*, nihil requiritur ultra *materiam debitam*, nisi *minister debitus*, ad quem requiruntur tres conditiones, scilicet: quod *sit Sacerdos*, quod *possit proferre verba consecrationis*, et quod *possit habere intentionem debitam* faciendi, scilicet, quod intendit Ecclesia facere . . . . . Solus Sacerdos potest conficere, et quilibet * Sacerdos * potest, cui possunt competere illae duae conditiones, scilicet, *prolatio* et *intentio*. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 2. n. 3. = *Report.* ib. q. 2. *per tot.*

Eucharistiae triplex perceptio. — Eucharistia potest percipi *tripliciter: uno* modo ut *Sacramentum tantum;* et *alio* modo ut Sacramentum et *sacramentaliter; tertio* modo ut Sacramentum, sacramentaliter et *spiritualiter.*

Primum potest esse sine *secundo*, licet non e converso; et *primum* et *secundum* sine *tertio*, licet non e converso. Percipitur enim Eucharistia *tantum ut Sacramentum*, quando illae species, sub quibus continetur Corpus Christi post consecrationem, sumuntur *sine fide*, ut sive brutum, sive homo hoc percipiat. Nec ex hoc sequitur, quod sumatur a bruto *sacramentaliter*, quia hoc adverbium dicit comparationem ad *modum accipiendi assumentis*, et non *assumpti*. Licet enim brutum accipiat species, sub quibus continetur Corpus Christi, et ita illud quod est Sacramentum, *non tamen ut est signum illius* quod ibi continetur, et ita * *non* * *sacramentaliter;* accipitur enim Sacramentum, et non sacramentaliter, quando aliquis accipit *cum mala fide*, scilicet contraria illius, quod sub illis continetur Corpus Christi: ut si aliquis *paganus*, vel *infidelis* acciperet; et ideo dicit Magister in littera, quod istud Sacramentum tam *boni*, quam *mali* accipiunt (1).

Secundo, sumitur Eucharistia, scilicet ut Sacramentum *sacramentaliter*, quando sumitur *cum debita intentione*, et *fide in generali*, sive intendens sumere *in generali* quod etiam ibi credit contineri; sive intendens *in speciali* accipere Corpus Christi, *sed non cum reverentia debita;* aut *si in peccato mortali existens*, non contritus illud sumat.

Tertio accipitur sacramentaliter *spiritualiter*, quando scilicet percipiens *digne se praeparat, per debitam reverentiam* ad istud Sacramentum percipiendum; quia tunc perceptio illa significat spiritualem manducationem *nutrimenti spiritualis*, per quam percipiens *spiritualiter nutritur*, et *convertitur in Corpus Christi, ut fiat membrum eius*, dicente Augustino: *tu mutaberis in me, sed ego non matabor in te* (1).

Et haec est differentia inter manducationem *carnalem*, et *spiritualem:* quia in manducatione carnali *nutrimentum* convertitur et transit in substantiam *nutriendi;* e converso in manducatione spirituali, *quod nutritur* transit in *cibum nutrientem*, quia sumens corpus Christi digne et *spiritualiter, incorporatur corpori Christi*, ut cibo suo spirituali, tanquam membrum eius. = *Report.* IV. d. 8. q. 3. n. 2. — *Oxon.* IV. ib.

Eucharistica transubstantiatio. — Quaeritur: quibus propositionibus possit haec conversio vere exprimi? Respondeo: non potest vere signari per verbum *essendi*, nec *fiendi;* neque etiam per hoc verbum *posse* vel *possibile;* et hoc secundum nullam differentiam temporis; nec enim panis *fuit* Corpus, nec *est*, nec *erit;* et e converso, Corpus non *fuit*, nec *est*, nec *erit* panis. Et ratio omnium istorum est, quia *esse* notat unionem extremorum, *essentialem* vel *accidentalem*, pro illo tempore quod assignat: sed pro nulla differentia temporis habent haec extrema, * *Corpus Christi* et *panis* *, unionem essentialem, nec accidentalem; sed pro omni instanti; vel *disparationem*, puta quando extrema sunt entia *positiva;* vel *maiorem repugnantiam*, scilicet, *entis* ad *non ens*, pro illo istanti, pro quo unum *est*, et aliud *non* est.

Secundo, dico, quod *panis* nec *fit*, nec *factus est*, nec *fiet Corpus Christi;* nec e converso. Et ratio istorum est, quia *fieri*,

---

(1) *Mors* tamen *est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.* — Miss. SS. Corpor. Christ.

(1) Verba Christi ad animam Corpus eius suscepturam.

quando praedicatur *secundum adiacens*, praedicat *fieri* simpliciter eius de quo dicitur, et sic non coniungit aliquod oppositum ipsi subiecto, sicut panis *fiebat* quando *coquebatur;* et sic Corpus *fiebat* quando *in utero Virginis formabatur*. Sed quando *fieri* praedicatur *tertium adiacens*, tunc denotat *subiectum fieri* secundum formam *praedicati*, sed panis pro nulla differentia temporis *fit secundum formam praedicati*, scilicet, *corporis*, nec e converso; et patet illud in simili per oppositum; ideo enim haec est vera, *homo fit albus*, quia *hic* homo *fit* sub forma *albedinis;* et per oppositum haec est impossibilis, *homo fit asinus*, et hoc loquendo *stricte* de *virtute sermonis*. Sic videtur esse in proposito.

Tertio, dico quod *panis* non *potest*, nec *potuit*, nec *poterit*, esse *Corpus Christi;* nec e converso. Et ratio omnium istorum est, quia illa * propositio * *de possibili* est *falsa*, cuius illa de *inesse* est *impossibilis;* quaelibet enim *de possibili* potest exponi in aliquam de *inesse* possibilem, licet forte *falsam:* sed quaelibet de *inesse* correspondens cuilibet istorum *de possibili* est *impossibilis*, ex prima conclusione iam probata.

Dico ergo, quod nullo istorum modorum, accipiendo utrumque extremum *in recto*, oportet alterum de altero *praedicari*.

Si ergo vera debet esse praedicatio, oportet alterum eorum *in obliquo* accipere, denotando *ordinem extremi* ad *extremum*. Et hoc potest esse dupliciter: vel cum hac praepositione *ex*, vel *de*, addendo ad terminum *a quo*, sicut dicit Philosophus *II. Metaphys. cap. 3.*, *Quod ex mane fit meridies*, et *non* e *converso;* et hoc modo potest concedi, quod *ex pane*, vel *de pane* fit *Corpus Christi*. Alio modo addendo termino *ad quem* hanc praepositionem, *in*, quae denotat ipsum esse terminum *ad quem:* hoc modo *panis transit in Corpus Christi*.

Et omnes aliae locutiones, *de virtute sermonis*, ad aliquam istarum reducuntur; sed secunda est magis propria, quia non denotat aliquid *commune* manere, sicut aliquo modo denotat ista praepositio *ex*, secundum modum proprium accipiendi *ex;* non enim *ex* opposito fit oppositum, nisi quia *ex* subiecto *communi utrique*, secundum Philosophum, I. *Physic.*, I. *De Gener.* et *XI. Methaphysic.*

Nulla autem propositio cum *mutatione* accepta, vel *moveri*, etiam accipiendo unum terminum *in obliquo*, et alterum *in recto*, vera est, utpote: *panis mutatur in Corpus;* quia non est hic *mutatio: transire* autem, seu *verti* abstrahit a ratione *mutationis*, quia ponunt *habitudinem* termini ad terminum, *non importando subiectum commune manere*. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 5 *pert. tot.*

Eufortunium. — Vid. *Fortuna-Casus.*

Ex. — Ista praepositio *ex* potest dicere circumstantiam *ordinis*, ut *ex nocte fit dies;* vel circumstantiam *partis integralis*, ut *domus fit ex lateribus;* vel circumstantiam *partium essentialium*, ut *elementum componitur ex materia et forma;* vel circumstantiam *subiecti*, ut *statua fit ex aere;* et sic capitur * cum quaeritur * utrum aliquid fiat *ex nihilo*, nullo subiecto praesupposito? — *Physic.* I. q. 17. n. 6.

Ex aliquo aliquid fieri est multipliciter. — *Dupliciter fit aliquid ex aliquo*, scilicet, *per accidens*, et *per se*. *Per accidens* fit aliquid *ex ente in actu; per se* vero fit aliquid *ex ipsa materia*, quae quidem non est *in actu* aliquid eorum quae fiunt ex ipsa, sed est omnia illa *in potentia*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 2. c. 3. n. 42.

Dicit * Philosoph. * quod *ex aliquo dicitur esse aliquid, uno quidem modo ex quo est, ut materia. Et hoc dupliciter: aut secundum primum genus;* id est, accipiendo materiam *remotam* et communem; *aut secundum ultimam speciem*, id est, accipiendo materiam *proximam*. Exemplum primi: *puta quaedam sunt ut omnia liquabilia ex aqua*. Aqua enim est materia *remota* et communis omnium liquabilium, nam in aquam ultimo resolvuntur. Exemplum secundi: *veluti statua est ex aere*; aes enim est materia statuae *proxima*. — *Alio* modo dicitur esse aliquid *ex aliquo, ut ex primo principio movente, ut pu-*

gna est ex convicio, ut ex quo, *hoc enim*, scilicet, *convicium*, est *principium pugnae*; ex convicio enim et iniuria moventur homines ad pugnandum. — *Alio* modo fit aliquid *ex aliquo ut ex composito ex materia et forma;* et hoc modo fiunt *simplicia* per viam resolutionis, *ut ex toto fiunt partes, et versus ex Iliade*, id est, ex tota historia Troiana, quae dicitur resolvi in multos versus, ex quibus componitur, sicut *totum* resolvitur in *partes; et* similiter *ex domo* fiunt *lapides* isto modo; cuius causam subdit: *quia finis est forma; perfectum vero dicitur habens formam.* — *Alio* modo dicitur aliquid *ex aliquo*, ut species ex parte, scilicet, speciei essentialis, *ut syllaba ex elemento*, quod est eius pars *essentialis.* — *Alia* dicuntur fieri *ex aliquo si secundum aliquam partem horum, aliquis extiterit, ut puer* dicitur fieri *ex patre et matre, et plantae ex terra*, quia fiunt ex aliqua parte ipsorum; patet enim, quod puer non fit ex *tota* substantia patris vel matris, quae sunt principium effectivum generationis pueri; similiter nec plantae fiunt ex *tota* terra; sed puer fit ex *aliqua parte* substantiae parentum ab eis ministratae, et planta similiter ex *aliqua parte* terrae. — *Alio* modo fit aliquid *ex aliquo*, quia *fit post tempore, ut ex die fit nox et ex serenitate hiems;* et iste modus fiendi *hoc ex hoc* dicit solum ordinem, scilicet *quia hoc fit post hoc.* Cum enim dicitur quod *ex die fit nox*, est sensus, quod *post diem fit nox.*

Notandum, quod isti sex modi praedicti sic se habent, quia secundum quatuor *primos* dicitur aliquid fieri ex aliquo *per se* et *proprie* et *primo;* secundum autem *quintum* modum *per se* quidem, sed non *primo*, quia solum secundum *partem.* Secundum autem *sextum* modum fit aliquid ex aliquo *improprie*, quia fieri aliquid ex aliquo non solum dicit *ordinem*, ut quia facit hoc post hoc, sed etiam dicit *causam* aliquo modo. — *Ib.* lib. V. S. un. c. 17. nn. 138-141.

Dupliciter fit aliquid *ex aliquo: Uno* modo *ex privatione*, vel *contrario;* et tunc utimur hoc modo loquendi, quod *hoc fit ex hoc*, et non *hoc est hoc*, quia unum oppositum *non inexistit* alteri; et ideo unum non praedicatur de alio, etiam denominative, praedicatione dicente *hoc est illius modi, vel illius.* — *Alio* modo fit aliquid *ex aliquo*, ut *ex subiecto*, quod dicitur materia; et tunc utimur hoc modo loquendi, quod *hoc fit ex hoc*, et *hoc est illius modi*, quia non praedicatione *in abstracto*, sed *in concreto*, ut cum dicimus: *homo est sanus*, non *sanitas*, et statua *lapidea*, non *lapis.* Ratio huius est, quia materia est pars inexistens rei, et ideo potest de re praedicari saltem *in concreto* et denominative; quando autem *privatio* est *immanifesta*, tunc utimur subiecto loco privationis, et eodem modo loquendi propter eamdem causam, ut non dicimus quod *statua sit aes*, sed *ex aere*, nec quod domus *sit lapides*, sed *ex lapidibus;* vel producendo abstractum in concretum, modo praexposito. — *Ib.* lib. VII. S. 2. c. 6. n. 58. = *Ib.* lib. XII. S. 1. c. 2. n. 5. = *Ib.* lib. V. n. 6.

Intelligendum est, secundum Philosophum. *I. Physic.* * text. Com. 58 et inde * (1), quod *dupliciter* dicitur *aliquid fieri ex aliquo*, scilicet ex *subiecto manente*, vel ex *termino corrupto;* aliter enim ignis generatur ex materia ignis, aliter ex aere, sive non igne, secundum ipsum *ibi.* — *Oxon.* IV. d. 11. q. 1. n. 3.

Aliquid potest fieri *ex altero tripliciter: uno* modo tanquam *ex subiecto;* et sic dicimus, quod forma fit *ex materia.* — *Alio* modo tanquam *ex termino a quo;* et sic dicimus, quod *ex nocte* fit dies. — *Tertio* modo tanquam *ex parte integrante;* et sic dicimus, quod homo fit *ex capite* et *manibus* et *pedibus;* et domus *ex lateribus* et *lignis.* — *Physic.* I. expost. text. 42.

Excedi — Dependere. — Non eadem est ratio formalis illorum *excedi* et *dependere*, quae si esset eadem, et correlativa essent eadem. Nec sunt convertibilia, quia sic eorum correlativa converterentur. — *De prim. princ.* c. 2. n. 16. — Cf. *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 4.

Exclusio dupliciter excludit. — Licet communiter non sit tradita Logica de *exclusione*

---

(1) Vid. *exposition. Doctoris.*

addita praedicato, forte quia *importat negationem ex parte praedicati*, quae non determinat in comparatione ad praecedens, et syncategorema natum est determinare unum extremum in comparatione ad aliud extremum, tamen quia *rei est sermo subiectus*, et non e converso, potest dici, quod *dictio exclusiva* alio modo excludit *addita subiecto*, alio modo *addita praedicato:* quia addita subiecto *praecise* excludit respectu praedicati omne illud de *quo vere non dicitur subiectum, neque per se, neque per accidens*, puta: *solum album currit; Socratem* currere, vel *Musicum* currere non excludit, sed *nigrum* currere, licet *Socrates*, vel *Musicus* non dicatur de *albo*, nisi *per accidens*. — Sed *ex parte praedicati* excludit respectu subiecti quidquid *non formaliter vel essentialiter dicitur de praedicato*, nec e converso, et maxime eiusdem generis, puta, *hoc est solummodo album*, potest excludi, quod *huic* subiecto nulla qualitas inhaereat *nisi albedo*. Et hoc modo accipitur in Divinis cum negatur ista: *Christus est solus homo*, vel *solus Deus*. Haec enim falsa est, non quia aliquid dicatur de Christo, de quo non dicatur Deus; sed quia *non omne dictum* de Christo est *formaliter vel essentialiter Deus;* quia *homo* dicitur de Christo, et tamen non est *formaliter* Deus, vel dictum de Deo. Conceditur ergo ista communiter: *Christus non est tantum homo, nec tantum Deus;* sed non sequitur ex hoc: *ergo est aliud quam homo*, et *aliud quam Deus;* sed est *fallacia consequentis*, arguendo a propositione habente *plures* causas veritatis ad unam illarum. In proposito enim verificatur *antecedens* pro isto intellectu: *Christus non est solummodo illud quod est formatiter* vel *essentialiter Deus*, vel non habens solam deitatem, quasi illa exclusio ponatur circa *abstractum* intellectum in *concreto*, quod exponitur per *habens talem formam*, secundum Damascenum, cap. 57. *Deus* enim est *habens naturam divinam*, et *homo humanam;* et ita potest negari ista propositio: *Christus est tantum homo;* vel quod exclusio excludat a *praedicato formaliter accepto*, vel quod excludat a *forma importata per praedicatum*, non autem a *supposito habente formam*.

Et ratio istius acceptionis exclusionis in praedicato, non in subiecto, posset assignari, quia licet subiectum supponat pro *supposito*, praedicatum tamen praedicat *formam* importatam per ipsum, et *non suppositum*. — *Oxon*. III. d. 6. q. 2. nn. 5-6. — Cf. d. 21. per tot.

Excommunicatio. — *Excommunicatio*, quae *simpliciter* est excommunicatio, quae est sola *maior*, est *exclusio alicuius a communione fidelium*, non quidem exclusio *corporalis*, quae fit in incarceratione, vel exclusione ab aliis; sed excludendo *per prohibitionem, ne communicet cum aliis, nec alii cum eo*. — *Oxon*. IV. d. 19. n. 16. = Vid. *Poena canonica*.

Exemplar duplex. — Est duplex exemplar: *creatum* et *increatum*, secundum Platonem in Timaeo. — Exemplar *creatum* est species universalis causata a re; exemplar *increatum* est idea in mente divina. — *Oxon*. I. d. 3. q. 4. n. 2. et 16.

Exhalatio. — *Exhalatio* est *fumus elevatus a terra per actionem Solis et aliarum calefacientium stellarum, propter mixta perfecta, calidus et siccus, levis, rarus, tenax, subtilis, et quodammodo invisibilis*. Per hoc quod dicitur *fumus elevatus a terra* tangitur causa *efficiens* exhalationis... Sed propter hoc quod dicitur *propter mixta perfecta* tangitur causa *finalis* istarum impressionum. — *Meteor*. I. q. 14. n. 2. — Vid. *Vapor* — *Exhalatio*.

Exhauriri in divinis. — Omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt. Illud autem vocabulum *exhauriri* transfertur a corporalibus, ubi dicitur aliquid *exhauriri*, quando *extrahitur ab alio*, et non manet in illo, sicut aqua quando *extrahitur* de puteo dicitur *exhauriri* * (*hauriri ex*) *.

Sic autem non potest intelligi in Divinis quod faecunditas principii productivi est exhausta, ita quod non manet, quia extracta est per productionem; igitur si secundum aliquam similitudinem dicatur, quod faecunditas principii *exhauriatur* per productionem aliquam, hoc erit, quia non manet *re-*

spectu alterius actus productivi. — *Report.* I. d. 2. q. 7. n. 2. — Sicut si non maneret *aqua* in *fonte quantum ad alium actum potationis,* posset aliquo modo dici *exhausta* per * primum * actum potationis. — *Quodlib.* q. 2. n. 13.

Existentia. — Vid. *Esse essentiae — existentiae.*

Existentia creata quintuplex. — *Existentia actualis rei creatae* potest intelligi *quinque modis.* — *Primo,* alia est existentia actualis, quae est *ipsius fluxus,* vel formae *inquantum est in fluxu.* — *Secundo,* est existentia alicuius rei, quae nec est fluxus, nec forma actu sub fluxu, sed tamen *nata est esse sub fluxu,* sicut calor in *esse* quieto. — *Tertio,* est existentia rei, quae nec est actu sub fluxu, nec nata est esse sub fluxu; *habet* tamen *aliquid annexum,* ratione cuius *potest esse sub fluxu,* quia secundum illud annexum potest esse per se fluxus, ut *forma substantialis ignis,* si est in indivisibili, ipsa neque actu, neque potentia est fluxus; tamen ratione *qualitatum annexarum* potest acquiri *per fluxum,* et deperdi. — *Quarto,* est existentia rei, quae nec actu est sub fluxu, neque potentia secundum se, nec ratione annexi; tamen illa existentia non est *sempiterna,* sicut *intellectio Angeli.* — *Quinto,* est existentia rei, quae nullo istorum modorum est sub fluxu, et est *sempiterna,* ut *existentia* Angeli, quia tantum mensuratur *aevo,* sicut ex adverso fluxus, et forma ut actu sub fluxu, tantum mensuratur *tempore.* — *Report.* II. d. 2. q. 1. n. 3.

Existere per se est dupliciter. — Secundum quod *per se existere* distinguitur contra *inesse,* quod convenit accidenti; * et inquantum significat *personalitatem,* ad quam * requiritur ultima solitudo sive negatio dependentiae actualis et aptitudinalis ad personam alterius naturae. Non autem omne quod per se existit primo modo, ut distinguitur contra accidens, oportet per se existere secundo modo. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 17.

Exorcista. — Vid. *Ordo (Sacramentum).*

Experientia — Ars. — Sicut ex *multis memoriis* colligitur unum *experimentum,* sistendo in consideratione particularium, ita ex *experimento* colligitur *ars,* cum in illis plurimis particularibus proceditur ultra, ad considerandum aliquam naturam communem et universalem; sicut enim *experimentum* versatur circa *particularia,* ita *ars* circa *universalia..* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 1. n. 10.

Dicit * Aristotel. *, quod in comparatione *ad agere,* id est, ad operationem, *experientia* non videtur differre ab *arte.* Quod potest intelligi *dupliciter:* vel quia utraque *singulariter* * se habet *, licet *mediatius* et *immediatius;* vel quia utraque *est habitus practicus* et *operativus,* licet differenter; ideo addit: *sed expertos magis videmus proficere,* scilicet universalem artem, *sine experientia.* Vult dicere, quod experti *certius* operantur artificibus inexpertis. — *Ib.* n. 11.

Notandum, quod in tribus proponit * Aristotel. * praeeminentiam *artis* ad *experimentum:* — *Primo,* quantum ad *scire simpliciter.* — *Secundo,* quantum ad *obviare adversario in disputando.* — *Tertio,* quia ars est *propinquior* sapientiae quam experimentum; nam cum *sapientia* sit de *universalissimis, ars,* quae considerat *universalia,* magis appropinquat sapientiae quam *experimentum,* quod considerat *singularia* et non universalia; et quia sapientia est *nobilissima* scientia, ideo *ars* ex hoc *nobilior* ostenditur quam *experimentum,* quia quod *propinquius* est nobiliori nobilius est. — *Ib.* n. 12. — Vid. *Ars,* etc. — *Recordatio-Experientia — Memoria.*

Experientia — Memoria. — *Memoria* et *experientia* videntur differre sicut *totum* et *pars,* aut sicut *unum* et *multa,* quia *memoria* est respectu *unius* particularis; sed *experimentum* respectu *plurium* simul vel *unius frequenter* cogniti per sensum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 1. n. 9. — Vid. *Recordatio — Experientia — Memoria.*

Experientia — Scientia. — Dicit * Aristot. *, quod *hominibus fit experimentum,* id est generatur, *ex memoria, nam multae memoriae eiusdem rei faciunt potentiam unius experientiae,* id est, unius *experimenti,* eodem modo quo habitus po-

tentiarum cognitivarum vocantur *potentiae*, scilicet rationales, quibus facilitantur ad operandum. Unde addit quod *fere experimentum videtur simile scientiae et arti.*

Ista autem *similitudo* potest intelligi *dupliciter: Uno* modo quantum ad modum *generationis*, quia sicut *scientia* et *ars* generantur ex *acceptione plurium*, sic et *experimentum.* — *Alio* modo quantum ad modum *inclinationis;* nam sicut *scientia* et *ars* inclinant per modum *habitus* et reddunt hominem *facilem* ad operandum, sic et *experimentum.* — Sed quia non est omnino simile, ideo ait *fere.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 1. n. 9.

Scire est *causam cognoscere*, et ideo qui causam scit potest facere *alium cognoscere et scire. Experti* autem *docere* non possunt, quia *causam ignorant.* Quod si aliis tradunt ea quae experimento noverunt, poterunt in eis generare habitum forsan *opinionis*, vel *credulitatis*, non autem *scientificum*, cum scientia sit per causam, *I Port. Ib.* n. 14. — *Ib.* c. 2. n. 22.

Per experientiam est frequenter notum de effectu *quia est*, ex multis singularibus acceptis a sensu; et nondum scitur *propter quid* ita est, quia illud non habetur a sensu, nisi mediante ulteriore inquisitione. — *Quodlib.* q. 7. n. 3. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 9. — Vid. *Scientia*, etc.

Expulsus. — Vid. *Motus naturalis* — *violentus.*

Extrema Unctio (Sacramentum). — Congruum est instituere signum ad illum effectum * (remissionem venialium in extremis) * significandum; cum enim de lege communi non oporteat venialia deleri per Poenitentiam Sacramentum, quia Poenitentia est secunda tabula post naufragium, ordinata in remedium contra naufragos et peccatum *mortale*, quod submergit, et non necessario contra illos qui sunt *intra* navem Ecclesiae et navem *charitatis*, quia illi, etsi habent peccata venialia, possunt salvari sine Poenitentia; cum autem non possit homo esse gloriosus, nec intrare beatitudinem, cum habeat venialia, quae retardant eum a gloria, quia nullus potest simul esse miser et beatus; congruum fuit Deum, qui nunquam reliquit hominem sine aliquo remedio ad salutem, ordinare aliquod Sacramentum, quod *efficaciter* et *de proximo* et *plene significaret* in suscipiente ipsam *remissionem finalem omnium peccatorum venialium*, per quam induceretur ad salutem incorruptibilem vitae aeternae; et congruum fuit dari et recipi *ab infirmo laborante in extremis*, quia tunc in ianuis mortis, quando spiritus exit, potest recipiens liberari a peccato, quod retardaret eum a gloria, nisi amoveretur et deleretur virtute Sacramenti.

Istud autem ita factum esse, patet *Iacobi*, c. V (1): *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Pono *rationem nominis*, et quid intelligo per *unctionem extremam*, vel per *Sacramentum Unctionis extremae.* Et dico quod Sacramentum istud est *unctio septena hominis infirmi poenitentis, cum oleo sanctificato per Episcopum, facta in determinatis ac certis partibus corporis, ministrata a Sacerdote, simul certa verba cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione divina remissionem vel curationem spiritualem finalem omnium peccatorum venialium.*

Isti autem rationi nominis correspondet aliqua res *possibilis* esse, *congruens* fieri et *existens* de facto, ut patet. = *Report.* IV. d. 23. nn. 2-3. = *Oxon.* ib. * *Quibus in locis praedictorum explanatio et demonstratio videri possunt* *.

Exponendo ergo partes * huius definitionis *, primo ponitur, quod est *unctio;* cuius *congruentia* est, quia istud signum sensibile congruit effectui, scilicet *interiori unctioni curativae.* — Subditur *hominis infirmi;* ideo non debet conferri sano, nec qualitercumque exposito periculo mortis, quia non ei cui imminet mors ex periculo extrinsicae violentiae, ut *armorum*, vel *submersionis*, vel huiusmodi; nec qualitercumque infirmo, sed *periculose*, ita quod pro-

(1) Vv. 14-15.

babiliter *immineat sibi exitus* de statu viatoris ad terminum. — *Oxon.* IV. d. 23. n. 3. = *Report.* ib.

Secundo, debet esse hominis *poenitentis* et *iusti*, quia non instituitur ut remedium contra peccata *mortalia*, sicut Baptismus et Poenitentia, quae non * solum * conferuntur iustis et poenitentibus, sed etiam impoenitentibus *negative*, ut per susceptionem eorum sint *iusti* et *poenitentes*. *Extrema* autem *Unctio* debet dari ad finalem remissionem *venialium* peccatorum; et ideo oportet suscipientem non habere obstaculum *impediens* effectum huius Sacramenti; et oportet habere * aliquo modo * reverentiam et devotionem ad Sacramentum, et *probabiliter* esse in peccato *veniali*, quod per Sacramentum possit dimitti.

Propter *primum* non debet dari *impoenitentibus;* si enim impoenitens *contrarie* in extremis peteret hoc Sacramentum, sibi deberet denegari. — Propter *secundum*, non debet dari *furiosis in extremis*, nisi prius ante furiam, quando usi fuerunt ratione, illud petiissent, vel aliquando per lucida intervalla, si aliqua habuerunt, *aliqualiter poenituerint*, vel saltem non fuerint impoenitentes *contrarie*. — Propter *tertium*, *innocentibus*, vel *parvulis* non habentibus usum rationis, non debet dari, cum non habeant liberum arbitrium *in usu*, neque per consequens aliquod peccatum propter quod esset necessarium: unde beata Virgo, vel innocentes alii, qui nunquam peccaverunt actualiter peccato veniali, non indiguerunt recipere hoc Sacramentum.

Tertio, additur quod fiat *cum oleo ab Episcopo consecrato;* oleo quidem *vero*, id est, *olivae*, quod solum dicitur *vere* et *proprium oleum*, quia omne aliud artificiale magis dicitur humor quidam digestus per ignem, vel putrefactionem aliorum, quam oleum, quia illorum omnium *ars* est principium, et non natura. Patet de se. — Nec debet oleum misceri cum balsamo, sicut in Confirmatione, quia hic non requiritur testimonium *claritatis bonae famae* ad confitendum nomen Christi, sicut ibi, quia ad ingrediendum sanitatem vitae aeternae *sufficit* sine fama *puritas vitae* et *nitor conscientiae*, ut habetur *Extra. de Sacramento unction. cap. 1.* Oleum debet etiam *sanctificari ab Episcopo* tantum, quia, ut ibidem habetur, oleum *lucet in aqua*. Et ideo ad significandum illius sanctitatis eminentiam, debet consecrari per Sacerdotem superemineritis gradus et dignitatis in Ecclesia, ut per Episcopum; aliter enim non esset materia *proxima* huius Sacramenti.

Quarto, debet fieri *in determinatis partibus corporis*, id est, partibus organicis, quae deserviunt parti *sensitivae;* et ideo organa quinque sensuum unguntur, ut *oculi*, *aures*, *os*, et *manus*, et quando organa duplicantur, duplicantur et unctiones. Partes etiam deservientes non solum parti *sensitivae*, sed etiam *generativae* et *motivae*, debent inungi, ut *lumbi*, sive *renes*, et *pedes*, qui deserviunt parti progressivae et motivae.

Sed quare non fit aliqua unctio in parte *nutritiva*, in remedium nutritivae, cui correspondet augmentativa? Licet huius rationem non viderim aliquem assignare, dico tamen quod *lingua* duo praestat opera naturae, scilicet, *loqui*, et *gustare;* et quia omne peccatum, quo peccamus circa *nutrimentum*, est per *gustum*, inquantum super vel aliqui cibi *nimis immoderate placent gustui linguae*, ideo non inungitur aliqua pars *specialis* correspondens parti nutritivae, nisi tantum *os* vel *lingua*. Et ideo in unctione *oris* intelligitur remissio offensae cuiuslibet, et quantum ad *interpretativam*, quae pertinet ad loquelam, et quantum ad *nutritivam*, quae pertinet ad virtutem degustativam.

Item quinto, hoc Sacramentum debet a solo *Sacerdote* dispensari, quia solus Sacerdos est *idoneus minister* et *conveniens* ad illud dispensandum; non est enim Sacramentum necessitatis sicut alia Sacramenta, Baptismus videlicet et Poenitentia, et tamen illa a solo Sacerdote solemniter ministrantur, licet enim Baptismus in casu necessitatis possit dispensari per alium quam per Sacerdotem, non tamen *solemniter*. *Solus* igitur *Sacerdos est minister conveniens* in dispensando generaliter hoc Sacramentum, sicut et alia.

Sacerdos quidem *simul cum intentione debita certa verba proferens*. *Simul*, id

est, sine interruptione tali verborum, quae impediat unitatem et continuitatem actus humani. Illam simultatem oportet esse in verbis sacramentalibus, sicut patet in materia de Baptismo (1). Et debet Sacerdos certa verba proferre in forma illorum verborum quae habetur in Canonica beati Iacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat Sacerdotes, et orent super eum.* Sed secundum usum sanctae Romanae Ecclesiae non utuntur oratione *indicativa*, sed *optativa.* Patet *Extra. de sacr. Unc. cap. 1. Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, parcat tibi Deus quidquid oculorum vitio deliquisti;* ubi optatur sibi alia vita et plena innocentia, quantum ad illas partes per quas deliquit. Illa autem oratio optativa et deprecativa, debet dici *cum intentione debita*: non quod habeat necessario intentionem *actualem* vel *habitualem*, sed *virtualem*, ut dictum est (2), et non *malam intentionem.*

Sexto hoc Sacramentum *significat efficaciter ex institutione divina.* Patet ex Evangelio *Marc.* cap. 6 (3), ubi habetur quod discipuli circuibant civitates et castra, et curabant infirmos, ungentes eos oleo sancto.

Et licet non legatur istud Sacramentum esse immediate institutum a Christo, supponendum est tamen pro certo, quod istud, sicut et alia, fuerunt ab eo instituta, licet ordo historiae ad scribentes non pervenerit. Et ita a beato Iacobo tantum divulgata et praedicata est, quia hoc quod discipuli audierunt a Christo, publicaverunt pro tempore dispensato, quia *in omnem terram exivit sonus eorum* etc. (4).

Hoc demum est signum *efficaciter signans ex institutione divina remissionem vel curationem finalem omnium peccatorum venialium,* ut proprium effectum, et signatum, nisi suscipiens ponat obicem, actualiter peccando. — Et sicut sunt *multae partiales unctiones*, et *signa partialia,* ita sunt *multae curationes* et *remissiones* peccatorum venialium commissorum per tales partes corporis, ut *os*, et *manus*; et sic est *una totalis unctio*, et *integrum signum totalis remissionis*, et poenae, et curationis omnium peccatorum venialium, qualitercumque commissorum; et talis est effectus proprius huius Sacramenti.

Ex quo patet et quae sit *materia remota*, et quae *propinqua* huius Sacramenti. *Remota* est *oleum olivae sanctificatum ab Episcopo; proxima* vero ipsa *unctio facta cum oleo.* — Patet etiam quae sit forma *partialis*, et quae *totalis. Partialis* est unctio *determinatae partis corporis*, cum *oratione optativa* et *deprecativa* gratiae et remissionis culpae *unius* partis. *Totalis* est *septenaria unctio* in partibus corporis cum *certis verbis optative significatis.* — Et hoc est *signum unum unius effectus totalis*, scilicet, curationis plenariae omnium peccatorum venialium. — *Report.* IV. d. 23. n. 7. — *Oxon. ib.*

Extremorum entitas duplex. — Entitas compositionis dependet ab entitate extremi. Sed *entitas extremi* dupliciter potest intelligi: *uno* modo sub ratione extremi; et sic entitas compositionis, ut sic, ab entitate extremorum dependet. — *Alio* modo potest intelligi pro actuali existentia eius quod est extremum; et sic entitas compositionis non dependet ab entitate extremorum, sicut nec eius veritas, quia sic haec non esset vera: *chimaera non est chimaera.* — *Poster.* I. q. 14. n. 10.

F

Facere de facto — de iure. — Vid. *Potentia ordinata — absoluta.*

Facere est tripliciter. — Contingit *positive* facere de non ente *ens*, ut patet in *creatione;* et *privative* de ente *non ens*, ut patet in *annihilatione* et *corruptione;* similiter de ente *in potentia* ens *in actu;* sed impossibile est sive *privative* sive *po-*

(1) Vid. *Baptismi forma.*
(2) Vid. *Intentio actualis-habitualis-virtualis.*
(3) V. 13.
(4) *Psal.* 18. v. 4.

sitive facere de *non ente non ens*, quia termini factionis sunt *impossibiles* et *contrarii*. — *Report.* IV. d. 1. q. 5. n. 5.

Factio. — Vid. *Actio.* — *Factio* = *Actio artificialis duplex.* = *Actio duplex* = *Scientia practica duplex.* = *Operatio motiva duplex.*

Fallacia Accentus. — Quantum est ex *potentiali multiplicitate dictionis* potuit Aristoteles ponere duos locos sophisticos iuxta *accentum*, sicut iuxta *compositionem* et *divisionem*, * in *scriptura* nempe et in *prolatione* *. Verumtamen quia Aristoteles consideravit locos sophisticos prout magis apti * sunt * ad decipiendum, nam sic magis congruunt in finem Sophisticae, et iste locus non est aptus ad decipiendum in his quae sunt *sine scriptura*, ut in his quae sunt in *prolatione*, nam prolatio manifestat eius defectum; unde Aristoteles, *I. Elenchor. cap.* 2, dicit, quod iste locus maxime decipit in *scripturis* et *poematibus*; et ut in scriptura est habet *unam solam causam apparentiae*, quia easdem litteras et syllabas; ideo Aristoteles sic considerans hunc locum, quia sic *decipit magis*, posuit *accentum* solum unum locum sophisticum. — *Elench.* q. 34. n. 3.

Quatuor sunt modi *accentus*: *Primus* est in hoc, quod aliqua dictio potest legi *gravi* accentu, vel *acuto*. — *Secundus* est, eo quod aliqua dictio potest legi *correpto* accentu, vel *producto*. — *Tertius* est, quod aliqua dictio potest proferri *cum aspiratione*, vel *sine*. Iuxta quem modum sic paralogizatur: *Quidquid hamatur hamo captum est: iste homo hamatur; ergo iste homo hamo captus est.* — *Quartus* modus est ex eo, quod aliquid potest proferri sub *uno* accentu, vel *pluribus*, ut *metuo*.— *Ib.* n. 5. = Vid. *Fallaciae diversae.*

Fallacia Accidentis. — Fallacia *accidentis* est ex hoc, quod *idem intellectus secundum substantiam variatur per diversos modos accipiendi.* — *Porter.* I. q. 29. n. 2.

Sophisma est *accidentis* ex identitate aliquorum inter se absolute concludere identitatem respectu tertii, respectu cuius extraneantur — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 23.

Universaliter est fallacia *accidentis* ubi *maior* extremitas dicitur de *medio* secundum illam rationem, secundum quam *medium* et eius *oppositum* essentialiter se habent ad extremum reliquum, ut patet si sic arguitur: *album distinguitur a dulci: lac est album; igitur lac distinguitur a dulci* — *Report.* I. d. 4. q. 1. n. 6. — *Oxon.* ib. n. 4.

Partialis identitas alicuius, habentis in se *diversas* rationes, ad aliquam earum, est causa *apparentiae* fallaciae *accidentis*, nam tegit defectum accidentis; et fallaciam *accidentis* ab aliis locis distinguit.

Primum patet in isto paralogismo: *homo est species: Plato est homo; ergo Plato est species;* nam *partialis* identitas de ly *homo*, prout in se includit diversas relationes, per quarum unam potest substare accidenti *intentionali*, et per aliam convenire *singulari* ad Platonem, facit credere, quod quidquid potest praedicari de *homine*, possit praedicari de *Platone.*

Secundum patet; per hoc enim quod eius apparentia accipitur *a parte rei*, distinguitur a locis *in dictione.* Quomodo autem distinguatur ab aliis locis *extra dictionem*, hoc patebit. Et hoc est quod dicit Aristoteles *I. Elench.* in illo c. *Fallacia autem fit in his;* dicit enim quod fallacia *accidentis* provenit ex eo, quod non potest dividere inter *idem* et *diversum*, *unum* et *multa.* — *Elench.* q. 44. n. 2.

Accidens dicitur *tripliciter: uno* modo quod *advenit rei post complementum eius;* et sic dicimus omnia novem genera (1) esse *accidentalia.* — *Alio* modo dicitur *accidens* quod advenit rei, et *est extra eius intellectum;* et isto modo potest dici, quod *inferius accidit suo superiori*, nam in intellectu superioris non includitur inferius. — *Tertio* modo capitur *accidens* pro illo quod *est extraneum alteri, prout ad tertium comparatur.* Et hoc modo non solum inferius *accidit* superiori, sed *superius inferiori*, ut *figura triangulo;* nam ratio ipsius figurae *est extranea* rationi trianguli, *prout triangulo convenit haec passio « habere tres »*, etc. *per se et primo.*

---

(1) Vid. *Praedicamenta decem.*

Et isto tertio modo accipitur *accidens* in *fallacia accidentis.* Et ratio huius est: nam *accidens* peccat contra rationem syllogismi: sed ad syllogismum requiritur, quod primum sub *eadem ratione* attribuatur *medio,* sub qua ratione *medium* attribuitur *postremo,* ita quod illae rationes non differunt, scilicet nisi sicut *pars* et *totum.* Unde quandocumque in aliquo discursu syllogistico accipitur terminus includens in se *diversas rationes,* ita quod iste terminus *acceptus sub una ratione* est extraneus sibi ipsi ut *sub alia ratione accipitur,* et per *unam* illarum rationum comparatur *uni* extremo, et per *aliam alteri,* ibi erit *fallacia accidentis,* ut hic: *homo est Plato: Socrates est homo; ergo Socrates est Plato.*

De *accidente* intelligendum est, quod terminus *maior,* et *minor,* et *medius* potest habere rationem *accidentis.* Unde terminus includens *alteram* rationem est *extraneus* termino includenti *diversas* rationes, ut ad utrumque comparatur. Unde Aristoteles dicit, quod *fallacia accidentis* est quando aliquid *similiter attribuitur rei subiectae* et *accidenti inesse, cum tamen similiter non insit.* Unde ibi vult *minorem* habere rationem *accidentis;* sed tamen magis proprie ille terminus includens *diversas* rationes potest dici *accidens.*

Sed intelligendum est, quod quidam considerant fallaciam *accidentis* quantum ad *fieri,* et quidam quantum ad *factum esse.* Considerantes primo modo dicunt, *minorem* habere rationem *accidentis.* Nam ante additionem *minoris* non fit aliqua variatio; licet enim *medium* includat *diversas* naturas, tamen secundum unam earum tantum comparatur *subiecto* ante additionem *minoris.* Considerantes secundo modo dicunt, quod terminus *includens in se diversas naturas* debet dici *accidens,* quia ex illo termino *capitur tota variatio.* Tamen secundum Philosophum *quilibet* terminus potest habere rationem *accidentis.* — *Ib.* n. 4.

Dicendum * igitur *, quod fallacia *accidentis* potest causari *ex varatione maioris, minoris,* et *medii;* differenter tamen; nam *medium variatum* secundum *diversas* rationes comparatur *uni* extremo et *alteri;* sed *estremum variatum* secundum *unam* rationem comparatur *medio,* et secundum *aliam* rationem *alteri* extremo in conclusione. Ratio huius est ista: nam fallacia *accidentis* est *immediate defectus formae syllogisticae:* sed *forma syllogistica non* solum consistit in *praemissis,* sed etiam in *conclusione;* ergo *variatio* quae est in fallacia *accidentis* potest esse in *praemissis* et in *conclusione. Medium* autem non ingreditur conclusionem. Potest igitur causari tam ex *variatione alterius termini,* quam *medii.*

Assumptum patet, scilicet, quod *forma syllogistica non solum consistit in praemissis;* nam *syllogismus* est *quaedam habitudo inferens conclusionem tanquam consequens ex praemissis, vel tanquam ex uno antecendente;* unde duae praemissae se habent in ratione *unius antecedentis* respectu conclusionis. — *Ib.* q. 45. n. 2.

Accidens peccat *immediate* contra syllogismum (1). Ad videndum ergo, quando est *accidens,* et quando non, videndum est primo *quid facit necessitatem* in syllogismo; *cognoscitur* enim *privatio per habitum.*

Unde intelligendum est, quod *tota necessitas* syllogismi est in hoc, quod *medium uniformiter, ad quod uniformiter extrema sunt comparata, sub una ratione accipitur* (2). Quandocumque ergo *extrema* accipiuntur ad invicem comparata, et ut ad *medium,* secundum *varias* rationes, *accidens* est.

Hoc manifestum est in omnibus exemplis Aristotelis: *tu cognoscis omne bonum: quod volo interrogare est bonum; ergo,* etc. Ista conclusio non sequitur, quia hoc, quod dico *bonum,* sub *diversa* ratione compara-

---

(1) « *Accidens* quantum ad sui *non esistentiam* est immediate *obliquitas* syllogismi; nam Aristoteles, I huius c. 4, dicit, quod peccat definito syllogismo » — *Elench.* q. 47. n. 2.

(2) « Tota *necessitas* syllogismi consistit in hoc, quod *medium unum,* sub *uniformi ratione* acceptum per respectum ad *extrema,* ipsa extrema coniungit. Si ergo ipsa extrema coniungantur inter se per respectum ad medium secundum *variam* rationem accepta, in illo processu erit *accidens* ». — *Ib.*

tur ad hoc, *tu cognoscis*, et ad hoc *quod volo interrogare*, quia haec propositio, scilicet, *tu cognoscis omne bonum*, vera est sub ratione qua bonum; sed cum dicitur: *quod volo interrogare est bonum*, hoc, quod dico *bonum*, *accidens* est huic *quod volo interrogare*, prout *bonum* cadit sub cognitione tui. — *Ib.* q. 46. n. 2.

Et ideo dicit Aristoteles, *II. Elench. cap. 7*, quod solum in his quae secundum substantiam sunt *indifferentia*, et quae *unum* sunt, omnia videntur esse *eadem*, intelligens per *indifferentiam secundum substantiam* identitatem *propriae rationis* alicuius *ut ad duo comparatur.*

Unde sive *medium* respectu *extremorum* accipitur sub *varia* ratione, sive *extremum alterum* respectu *medii* et *alterius extremi*, in tali processu erit fallacia *accidentis.*

Veruntamen intelligendum est, quod quantumcumque medium fuerit variatum, in ipso tamen erit *aliqua identitas partialis* respectu *extremorum;* aliter enim ibi deficeret *apparentia.* Si ergo extremum ibi concludatur de *extremo secundum illam identitatem partialem*, erit syllogismus bonus. Unde in quolibet paralogismo *accidentis* potest sequi aliqua conclusio; nam bene sequitur: *Coriscus cognoscitur a te: Coriscus est veniens; ergo illud quod est veniens cognoscitur a te.*

Unde dicendum, quod quandocumque *medius* terminus, vel *quilibet* alius terminus comparatur *uni* extremo secundum *unam* rationem, et *alteri* secundum *aliam*, *ita quod illae rationes non includant se invicem*, in tali illatione necessario erit *accidens. Si* autem *includant se*, bonus erit syllogismus. — *Ib.* q. 47. n. 2.

Paralogismus *accidentis* potest fieri *negative*, sicut *affirmative*. Hoc patet, si consideremus regulam per quam noscere debemus *accidens*, quae est: *Quando accipitur aliquis terminus in processu aliquo, includens in se diversas naturas et rationes, et semel in illo processu accipitur pro una illarum rationum, et alia vice in eodem processu pro alia, si illae rationes non includunt se prout ad tertium comparantur, in tali processu erit accidens.* Sed terminum *sic variari* contingit in processu *negativo*, et *affirmitivo*. Et ex hoc sequitur, quod *accidens* potest fieri in prima, secunda et tertia *figura*. Et hoc est quod dicit Aristoteles *II. Elenchorum, cap. 1.*, quod cum una est oratio, transposita contradictione, omnes similiter habebit syllogismos. Unde si defectus sit in *affirmativo*, de necessitate erit et in *negativo* processu. Unde si sic arguatur: *nulla species currit: homo est species; ergo nullus homo currit;* ponatur quod *omnis homo currit*, praemissae sunt verae, et conclusio falsa per casum. Ergo hic de necessitate erit aliquis defectus: sed non alius quam *accidens*. Nam cum sic dicitur, *homo est species*, accipitur *homo* prout *subiacet intentioni;* in conclusione vero pro *re ipsa;* quia nunquam utimur termino pro *intentione*, nisi quando res subiacet *intentioni;* taliter enim haec est falsa, *homo est substantia*, quia *intentio* substantia non est. Et similiter hic non esset *accidens: homo est species: Socrates est homo; ergo*, etc., quia *homo uniformiter* posset accipi in *maiori* et *minori*. Propter hoc dicitur, quod *accidens* potest fieri *negative*. — *Ib.* q. 49. n. 2.

Fallacia aequivocationis. — Vid. *Aequivocatio*, etc. = *Aequivocum*, etc. = *Fallaciae diversae.*

Fallacia compositionis et divisionis. — Unitas *materialis* est causa generalis *apparentiae* in *compositione* et *divisione;* sed quia commune, inquantum huiusmodi, non distinguit, ideo ipsa * unitas *materialis* * *divisa*, vel *partita* per *diversas* differentias, *diversos* locos * sophisticos * constituit; nam *similitudo* orationis *compositae* ad *divisam* est causa *apparentiae* in *compositione;* et *similitudo* orationis *divisae* ad *compositam* est causa *apparentiae* in *divisione*. Nunc autem, istae similitudines differunt *secundum speciem*, et ideo possunt distinguere locos *secundum speciem.*

Et licet istae similitudines *radicaliter* proveniant ex *unitate materialium*, istae tamen similitudines super *modos* proferendi *compositim* vel *divisim* fundantur, qui sunt *specie* differentes. — *Elench.* q. 24. n. 5.

Compositio potest *dupliciter* considerari: aut *in se* et *absolute*, aut *prout pertinet ad finem Sophisticae*. Si *primo* modo consideratur, *non est necesse* in *compositione sensum compositum esse falsum*, quia ad *potentialem* multiplicitatem non requiritur nisi quod *materialia* sub *diverso* modo proferendi *diversa* significent. Quod autem illa materialia sint *vera* vel *falsa*, vel in *alio* sensu vera et *alio* falsa, hoc accidit potentiali multiplicitati.

Si consideratur *secundo* modo, sic *necesse est sensum compositum* in *compositione esse falsum*. Nam opponens *sophistice* intendit respondentem ducere ad metam: sed hoc non facit nisi faciat ipsum *opinari falsum esse verum*, propter *similitudinem* falsi ad verum. Et propter hoc Aristoteles, determinans de *locis sophisticis*, *prout ducunt ad metam*, omnes orationes quas ponit in *compositione fallunt* in isto sensu, et omnes orationes quas ponit in *divisione sunt falsae* in isto sensu. — *Ib.* q. 25. n. 3.

Tot sunt *modi* secundum *compositionem* et *divisionem* quot modis *componere* contingit quae nata sunt componi, et illa ad invicem *dividere*, resultante *diversitate sententiae*. — *Ib.* q. 33. n. 3. — Vid. statim.

Fallaciae diversae. — *Duplex* est *multiplicitas*: *in dictione* et *extra dictionem*. — In dictione est *triplex multiplicitas*, scilicet: *actualis*, *potentialis* et *phantastica*. — *Actualis* multiplicitas est quando est ibi *identitas vocis secundum materiam* et *formam*, quae *est prolatio*. — *Potentialis* est quando est ibi *identitas secundum materiam et non secundum formam*. — *Phantastica* est quando aliqua dictio *unum significat*, sed propter similem figurationem *videtur aliquid aliud significare*.

Omnis multiplicitas aut est *vera*, aut *non vera*. — Si non vera, tunc ibi est *figura dictionis*. — Si est vera multiplicitas, aut ibi est identitas vocis secundum *materiam* et *formam*, aut secundum *materiam tantum*. — Si secundum materiam tantum, aut hoc erit in *voce complexa*, et tunc habemus *compositionem* et *divisionem*; si in voce *incomplexa*, tunc habemus *accentum*. — Si sit identitas secundum materiam et formam, et ista identitas sit in voce *complexa*, sic est *amphibologia*; si in voce *incomplexa*, sic est *aequivocatio*. — *Elenchor.* q. 19. n. 4.

Fallacia figurae dictionis. — Omnes consentiunt in hoc, quod *figura dictionis* aliquam *multiplicitatem* operatur, propter hoc, quod in omni loco sophistico *in dictione* significamus *non idem eisdem* nominibus vel orationibus. Unde sub *eisdem* vocibus, in omni loco in *dictione*, est aliqua latentia *plurium*, et hoc est locum aliquam *operari multiplicitatem*. — *Elench.* q. 36. n. 2.

Figura dictionis operatur *multiplicitatem*, non tamen ita veram sicut alii loci in *dictione*. Nam in multiplicitate *unitas* est *formale*; sed in *figura dictionis* non est unitas vocis secundum *substantiam*, sed solum vocis secundum *similitudinem*, propter quod iste locus operatur multiplicitatem; illa tamen multiplicitas est *secundaria*, respectu illius multiplicitatis ubi est *unitas vocis* secundum *substantiam*.

In *figura dictionis* est *apparens* multiplicitas; non tamen est sic apparens, quod sit sine *existentia*; sed ideo dicitur *apparens*, quia provenit ex *similitudine dictionis* ad *dictionem*; sed similitudo dicitur *phantasma* rei, ideo illa multiplicitas ab Alexandro vocatur multiplicitas *phantastica*. — *Ib.* nn. 5-6.

Fallacia *figurae dictionis* est locus in *dictione*. Et hoc patet per * duas * rationes. — *Una* est, quia iste locus magis fit considerando *cum alio*, quam *cum seipso*: sed cum alio consideratio fit *per sermonem*. — *Alia* ratio, quia iste locus fit *similitudine*, et similitudo est *in dictione*. — *Ib.* q. 37. n. 2.

Si deceptio proveniat ex *simili figuratione vocis* ad vocem, est *primus modus*, et est quando interpretamur *eadem* esse, sive *genera*, sive *casus*, ut hic: *secare*, et *videre* similiter terminantur, etc. — *Secundus modus* provenit ex *simili figuratione* dictionis *diversimode consideratae* ut *unum significat*, et *aliud concernit*; ut *quidquid heri vidisti hodie vides: album heri vidisti; ergo album hodie vides*. — *Tertius modus* provenit ex *simili figuratione* dictionis ut *unum significat*, et *aliud appellat*; ut hic

* *Socrates est homo: homo* est *species; ergo Socrates est species* *.

Similis ergo *figuratio* est causa *apparentiae* in *figura dictionis.* — *Ib.* n. 5.

Commutare rem *unius* praedicamenti in rem *alterius* acceptam sub *diverso* modo praedicandi causat *figuram dictionis;* tamen commutare rem unius praedicamenti in rem alterius sub *eodem* modo praedicandi forte non causat *figuram dictionis.*

Veruntamen intelligendum est, quod aliud est *commutare* rem unius praedicamenti in rem alterius, et rem unius praedicamenti *sequi* ad rem alterius; tunc enim *commutatur* res unius praedicamenti in rem alterius, quando res unius *accipitur ac si esset alterius,* et hoc propter aliquam *similem vocis figurationem.* Et hoc vult Aristoteles; dicit enim quod *figura dictionis* est quando interpretatur *quale* esse *quid,* vel *faciens* esse *patiens.* Sed propter hoc, quod res unius praedicamenti *sequitur* ad res alterius, non accipitur res unius praedicamenti ac si esset res alterius, sed *accipitur ut diversa;* quando enim sic dicitur *Socrates percutit Platonem; ergo Plato percutitur a Socrate,* non accipitur hic *agere* ac si esset *pati;* significatur enim quod ad *actionem* alicuius ut *agentis* sequitur *passio* alterius ut *patientis.* — *Ib.* q. 39. n. 2.

Commutare *quale quod* in *hoc aliquid* facit *figuram dictionis.* — Circa quod primo intelligendum est, quid intelligimus per *quale quid,* et *hoc aliquid.*

Ad cuius evidentiam intelligendum est, quod nomen *speciei* et nomen *individui* eiusdem speciei eamdem naturam important, sicut *homo* et *iste homo.* Sed ista natura per nomen *speciei* et *individui* diversimode importatur; per nomen enim *speciei* importatur prout sibi *accidit universalitas* et *particularitas;* per nomen autem *individui* importatur prout est *haec* natura. Ratio autem significandi prima est ratio significandi eius quod est *quale quid;* cuius rationem assignat Boëtius: natura *quid* dicit, et circa primam substantiam *qualitatem* determinat. Ista autem eadem natura significata per terminum *singularem,* per modum *determinati,* dicitur *hoc aliquid.*

Unde *hoc aliquid* et *quale quid* sunt *diversae* rationes accipiendi *eamdem* naturam. Si autem aliquis interpretatur *hanc* acceptionem vel rationem accipiendi esse *illam,* et hoc propter *similitudinem vocis ad vocem, figura dictionis* erit. Si autem propter *unitatem rei,* fallacia *accidentis* erit.

Et quia difficile est videre *diversitatem* rei, et *unitatem* rei, licet facile sit videre *similitudinem vocis ad vocem,* ideo paralogismi *tertii modi figurae dictionis* difficiles sunt ad solvendum, propter causam apparentiae *accidentis* annexam.

Ulterius est intelligendum, quod non omnis illatio a termino significante *quale quid* ad terminum significantem *hoc aliquid* facit *figuram dictionis;* sed solum illa, in qua *quale quid* accipitur *ac si esset hoc aliquid,* vel e converso; et hoc est quando aliquid attribuitur ipsi communi *prout commune est,* et postea singulari *prout est hoc unum,* sicut hic: *homo est species: Socrates est homo; ergo Socrates est species.* — *Ib.* q. 41. n. 2. — Vid. *Fallaciae diversae.* — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 21. seqq.

Fallacia ignorantiae Elenchi. — *Ignorantia elenchi* numeratur inter alios locos sophisticos *extra dictionem,* et ab aliis distinguitur. Nam loci sophistici distinguuntur secundum suas *causas apparentiae:* sed causa apparentiae in *ignorantia elenchi* est *apparens* identitas *apparentis* contradictionis ad *veram* contradictionem.

Circa hoc notandum, quod eadem est definitio *syllogismi* et *elenchi,* nisi quod oportet addere *contradictionem.* Ex quo sequitur, quod quaedam sunt conditiones *speciales* ipsius *elenchi,* et quaedam *communes.* Unde licet omnes aliae fallaciae peccent contra *elenchum,* et in hoc quaelibet possit dici *ignorantia elenchi,* tamen ista fallacia *specialiter* peccat *contra proprietates quas elenchus addit supra syllogismum,* quae sunt quatuor, scilicet: *ad idem, secundum idem, similiter,* et *in eodem tempore.* Et quia sic peccat contra conditiones *proprias* ipsius *elenchi,* ideo secundum quamdam excellentiam vocatur *ignorantia elenchi.*

Et ex hoc sequitur ulterius, quod *quatuor* sunt modi huius fallaciae, qui accipiuntur secundum istas quatuor proprietates, scilicet: *ad idem, secundum idem, similiter*, et *in eodem tempore.*

Apparentia in *ignorantia elenchi* est *identitas* contradictionis *apparentis* ad *veram* contradictionem; et *solutio* specialis est manifestatio *diversitatis* inter ea.

Ad contradictionem * autem * non solum requiritur *unitas vocis*, sed etiam *unitas rei;* contradictio non est *nominis tantum*, sed *rei* et *nominis*. Unde si *apparens* contradictio accipitur *a parte rei*, tunc est *ignorantia elenchi;* si ex *parte vocis*, tunc est locus *in dictione*. — *Elench.* q. 55. — Vid. *Fallaciae diversae.*

Fallacia secundum quid. — Dicit Philosophus, quod *secundum quid* et *simpliciter* est ex eo, quod *de eodem non est affirmatio et negatio.* — *Elench.* q. 7. n. 7. In *secundum quid* et *simpliciter* apparentia * fallaciam causans * est *identitas* dicti *secundum quid* ad dictum *simpliciter;* et *causa non existentiae* est *diversitas* eorumdem.

Unde solutio specialis in *secundum quid* et *simpliciter* est manifestatio *varietatis* inter dictum *secundum quid* et *simpliciter.* — *Ib.* q. 55. n. 4.

Falli. — *Falli* est rem opinari aliter esse quam sit pro tunc pro quando creditur esse. — *Oxon.* I. d. 39. n. 27.

Falsum. — *Falsum* dicit carentiam *talitatis* quale apparet, ita quod principale in significato eius non est *non apparere quale est*, quia tunc si quid esset, et sine omni apparentia, esset falsum; nec *apparere quale non est*, quia tunc esset falsitas formaliter *positio*, non *privatio;* sed falsum *materialiter* dicit *apparere*, et *formaliter carere talitate* quale videtur; et hoc non intelligendo per *talitatem* similitudinem, nam nihil est simile sibi, et ita nihil esset *verum;* similiter si Socrates appareret Plato, Socrates esset verus Plato, quia tunc appareret talis qualis est, id est, *similis*, quia Socrates est *similis* Platoni; sed per *tale quale* intelligitur *identitas;* verum est enim quod Socrates est *talis qualis est*, licet et *simile* dicatur *tale quale est;* igitur falsum quod *caret identitate ad id quod apparet esse:* et *falsitas* est *non identitas entis* ut *manifestati ad ens* ut *declarans* sive *apparens;* et hoc de falso *in re.* — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 3. n. 7. — Vid. *Verum — Falsum.*

Falsum duplex. — *Falsum dicitur uno modo, ut res falsa et huius*, scilicet rei falsae. *hoc quidem per non componi*, id est, quod res dicitur *falsa*, *uno* modo per hoc, quod *oratio* significans rem *incongrue componitur;* vel quia *non est composita*, puta, si sit *falsum contingens;* vel quia *impossibile est omnino componi*, si sit falsum *omnino impossibile, sicut dicitur diametrum esse commensurabilem*, quod est exemplum *secundi, aut te sedere*, si tu non sedeas, quod est exemplum *primi;* nam te *sedere* vel *non sedere* est *contingens; horum enim hoc quidem est falsum semper*, scilicet, *diametrum esse commensurabilem; illud vero quandoque*, scilicet *te sedere*, quia licet non sedeas, contingint tamen te sedere, *sic enim haec* dicuntur *non entia*, quia, scilicet *non est sic in re, sicut exprimitur per orationem.*

Alia dicuntur falsa in re, *quae sunt*, id est, quae in se *sunt entia, et apta nata sunt*, scilicet, aliquid *apparere* vel *videri;* sed *quae non sunt*, id est, *qualia non sunt*, ut *sciographia* et *somnia;* et dicitur *sciographia*, id est, *umbrosa descriptio; umbra* enim *videtur esse res* quandoque cuius est umbra, ut si *umbra hominis* videtur esse *homo;* similiter est de *somnio; haec namque sunt quidem aliquid, sed non* illa *quarum phantasiam*, id est, apparientiam *faciunt.*

Ultimo comparat * Aristoteles * dictos modos dicens, quod *res ergo sic dicuntur falsae: aut quia ipsae non sunt*, quantum ad *primum* modum; *aut quia ab eis est phantasia*, id est, apparentia *non entis*, id est, eius quod non est, licet illa res sit aliquid in se, quantum ad *secundum modum.*

Notandum, quod *secundus* modus distinguitur a *primo* dupliciter: — *Uno* modo quia primus modus respicit res *complexas;* secundus autem modus res *incomplexas.*

— *Alio* modo quia primus modus attenditur circa res quae *simpliciter non sunt;* secundus autem modus circa res quae *simpliciter utique sunt, sed non sunt secundum quid,* quia scilicet non sunt quales vel quomodo apparent. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un., c. 18. nn. 155-156.

Falsum — possibile — impossibile. — Secundum Philosophum, *I de Coelo et Mundo,* text. 109, *duplex* est *falsum:* quoddam *possibile,* quoddam *impossibile.* — Falsum *possibile,* ut si dicam quod *Socrates stans sedet;* hoc enim *falsum est,* sed non *impossibile,* quia habet potentiam ut sedeat, quamvis *non simul.* Falsum *impossibile* est, quod *Socrates simul stat et sedet.* — *De rer. princ.* q. 4. n. 3.

Falsus. — *Falsus* proprie est qui eligit falsas orationes *non propter aliud,* sed *propter idipsum,* quia, scilicet, *delectatur in arte mentiendi.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 19. n. 159.

Fama. — *Fama* est status illaesae dignitatis quantum ad vitam et mores. — *Oxon.* IV. d. 25. q. 1. n. 5.

Fames. — *Fames* est *appetitus calidi et sicci.* — *Oxon.* IV. d. 10. q. 2. n. 16.

Fatum. — Vid. *Fortuna,* etc.

Felicitas. — Ex definitione Philosophi, *I. Ethicor., felicitas* est *operatio optima secundum optimam virtutem, et in vita perfecta.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 3. n. 4. q. 1. n. 3. — *Quodlib.* q. 13. n. 3. — Vid. *Beatitudo* = *Beatus.*

Fictus. — *Fictus* dicitur qui *aliud praetendit exterius, aliud habet interius.* — *Oxon.* IV. d. 4. q. 5. n. 2. — *Report.* ib.

Fidei articuli. — Si *articuli* * fidei * distinguantur quantum ad ipsa *credita,* sic sunt *quatuordecim* articuli. — Si autem distinguantur secundum *numerum illorum qui primo articulos distinxerunt,* sic sunt *duodecim,* secundum numerum *duodecim Apostolorum.*

Si *primo modo* tenetur, aut articuli fidei sunt de *Deo tantum,* aut de Deo *ratione naturae assumptae.* — Si primo modo, hoc convenit *tripliciter:* quia aut de Deo *ratione naturae* vel *essentiae,* et sic habetur hic articulus: *Credo in unum Deum.* Aut ratione *Personarum,* et sic sunt tres articuli, secundum quod sunt tres Personae: primus, *Patrem omnipotentem:* secundus, *Et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum:* tertius, *Credo in Spiritum Sanctum.* Aut ratione *effectus Dei,* et sic sunt tres articuli de Deo: Primus, quantum ad creationem: *Creatorem Caeli et terrae;* Secundus, quantum ad gratificationem: *Remissionem peccatorum;* Tertius, quantum ad glorificationem: *Carnis resurrectionem, et vitam aeternam;* et sic habentur *septem* de Deo ratione *Dei tantum.*

Aliqui tamen includunt opus creationis in primo articulo, quod pertinet ad unitatem essentiae; et ultimum opus dividunt in duos articulos, scilicet, *carnis resurrectionem,* dicentes unum articulum, et *vitam aeternam* alium. Sed prima distinctio est melior, quia Apostolus ponit unum articulum de creatione *per se, ad Hebr* (1): *Fide intelligimus aptata esse saecula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

Articuli pertinentes ad Deum ratione *naturae assumptae* sunt etiam *septem.* — Primus pertinet ad conceptionem: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto;* secundus ad nativitatem: *Natus est ex Maria Virgine;* Tertius ad passionem: *Passus sub Pontio Pilato;* Quartus ad descensionem ad Inferos: *Descendit ad Inferos;* Quintus ad resurrectionem: *Tertia die resurrexit a mortis;* Sextus ad ascensionem: *Ascendit ad caelos,* etc.; Septimus ad iudicium: *Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.*

Horum articulorum PETRUS tres in unum complexus est, dicens: *Credo in unum Deum,* quantum ad Unitatem essentiae: *Patrem Omnipotentem,* quantum ad Omnipotentiam Patris: *Creatorem caeli et terrae,* quantum ad opus creationis. IOANNES posuit articulum de Persona Filii. Articulos autem de conceptione, et nativitate coniunxit IACOBUS ZEBEDAEI in unum articulum. De passione posuit ANDREAS; de descensu ad inferos PHILIPPUS: resurrectionem THOMAS: ascensionem BARTHOLOMAEUS: adventum ad iudicium

(1) Cap. XI. v. 3.

MATTHAEUS. De Persona Spiritus Sancti IACOBUS ALPHAEI. Opus gratiae dixerunt duo Apostoli; nam SIMON posuit effectum gratiae quoad *collationem boni*, scilicet *sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem:* IUDAS IACOBI, quoad *mali remotionem*, scilicet, *Remissionem peccatorum*. Effectum gloriae, * nempe, *Vitam aeternam* *, posuit MATHIAS, vel secundum aliquos, THOMAS. — *Oxon.* III. d. 25. q. 1. nn. 4-5. — *Report.* ib. n. 3.

Fidei obiectum. — Vid. *Credibile ex fide.* = *Credibilium distinctio.*

Fides. — *Fides* non est habitus *speculativus*, nec *credere* est habitus speculativus, nec *visio* sequens credere est visio *speculativa*, sed *practica;* nata est enim ista visio conformis esse fruitioni, et prius naturaliter haberi in intellectu creato, et fruitio recta illi conformiter elicitur. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 41. — Fides autem de ratione sua inclinat tantum in verum *latens*, secundum Glossam super illud Hebr. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* — *Ib.* III. d. 31. n. 2. — Vid. *Spiritus Sancti Dona.* = *Habituum divisio* = *Cognitio Fidei-Prophetica.*

Fides infusa — acquisita. — Ad Hebr. 11, *Sine fide impossibile est placere Deo:* sed certum est quod multi placent et multi placuerunt Deo; igitur necesse est ponere fidem respectu credibilium nobis revelatorum. — Et quod loquatur de fide *infusa* patet per eumdem *I. ad Corinth.* 12, ubi dicit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro;* et post *c. 13* subdit de istis virtutibus theologicis, quae sunt viae excellentiores omnibus habitibus acquisitis; ibi enim loquitur de fide *infusa* sicut de charitate infusa. — *Oxon.* III. d. 23. n. 3.

Primo, certum est, quod in nobis est fides revelatorum credibilium *acquisita* (1). Quod patet per Augustinum in *Epistola contra fundamentum Manichaei*, qui dicit, quod *non crederet Evangelio, nisi crederet Ecclesiae Catholicae.* Patet igitur per eum, quod libris Canonis sacri non est credendum nisi quia primo credendum est Ecclesiae approbanti et auctorizanti libros istos et contenta in eis; quamvis aliqui libri auctoritatem habeant ex auctoribus suis, non tamen adhaeremus eis firmiter, nisi quia creditur Ecclesiae approbanti et testificanti, veraces esse eorum auctores. Sicut igitur si nulla fides *infusa* esset in me, crederem firmiter historiis librorum Canonis propter auctoritatem Ecclesiae, sicut fide acquisita credo aliis historiis a quibusdam famosis viris scriptis et narratis, credo igitur fide *acquisita* Evangelio, quia Ecclesia tenet scriptores veraces, quod ego audiens *acquiro* mihi habitum credendi dictis illorum. — *Ib.* n. 4. * *ubi praedicta triplici adhuc argumento probat* *.

Secundo, potest dici, quod fides *infusa* similis est in aliquo fidei *acquisitae*, imo in multis; nam sicut fides acquisita assentit vel credit dicto alicuius, quia credit veracitati asserentis illud esse verum, sic fides infusa assentit alicui revelato, *quia credit Deo* vel *veracitati Dei asserentis illud.* Et quia quod Deus asserit supernaturaliter revelat, ideo fides assentiens tali revelato, quia assentit veracitati revelantis, est *habitus supernaturalis:* revelat autem credibilia quando infundit habitum. Et hoc modo dicendo, fides non habet certitudinem *ex obiecto*, sed *ex veracitate testis*, scilicet Dei.

Et hoc modo facile est videre, quomodo fides est *cum aenigmate* et *obscuritate*, quia habens fidem non credit articulum esse verum ex evidentia obiecti, sed propter hoc, quod assentit veracitati infundentis habitum, et in hoc revelantis credibilia.

Similiter hoc modo teneri potest, quod sit *una fides omnium credibilium*, quia non respicit credibilia sub propriis rationibus illorum, sed *ut revelata sunt a Deo*, et credit omnia revelata ab ipso tanquam vera esse eodem habitu, quo credit revelantem esse veracem. Si enim habeo habitum quo credo te esse veracem, per eumdem habitum credo haec quae asseris esse vera, quantumcumque illa sint diversarum ratio-

(1) « Certum est, quod respectu creditorum nos Christiani habemus fidem *acquisitam*, quia credimus firmiter Ecclesiae testificanti huiusmodi esse revelata a Deo, et ipsam in hoc veram esse ». — *Report.* III. d. 23. n. 3.

num, quia illis non assentio nisi *per accidens*, per hoc scilicet, quod assentio veracitati tuae, et ita assentio illis ut sunt a te asserta. Ita hic; nam credibilibus revelatis a Deo assentio, quia assentio veracitati Dei; et sic fides respicit omnia credibilia ut revelata a Deo, non autem sub propriis rationibus; et ideo una fides posset esse de omnibus credibilibus, quamvis geometricalia et physicalia, et quantumcumque diversa et alterius rationis introducerentur hic tanquam credibilia; in omnibus enim esset una ratio credendi illa esse vera, *quia revelata sunt a Deo*. — *Ib.* n. 6.

* *Nonnullis motis difficultatibus contra hunc modum ponendi fidem infusam,* n. 9. « *secundum modum* » *late exponit, qui talis est* * :

« Fides infusa respicit immediate Deum *ut obiectum*, de quo formantur articuli, sive *ad intra*, ut quod *Deus est trinus et unus*, sive ad *extra*, ut quod *Deus est creator, est incarnatus*, et huiusmodi. Fides ergo infusa habet Deum sub ratione Deitatis ut obiectum *primarium*, et habet omnes articulos fidei, qui includuntur in ipso Deo, ut obiecta *secundaria*.

* « Et in hoc differt a fide acquisita, quod fides acquisita primario respicit ut obiectum *veracitatem asserentis*, et secundario respicit *asserta* ut obiecta secundaria.

« Similiter iste modus ponendi fidem infusam est alius a *primo* modo * supra exposito *; quia primus modus ponit fidem infusam respicere Deum ut obiectum primarium, non absolute et sub ratione Deitatis, sed ut *revelantem* credibilia, ita quod Deus *sub ratione qua revelat* est primum obiectum fidei infusae. Ponit etiam respicere articulos fidei ut obiecta secundaria, non absolute considerata, sed *inquantum revelata*, ita quod *revelari* passive est ratio formalis talium obiectorum, ut supra patuit. Sed iste modus *secundus* ponit fidem infusam respicere Deum *sub ratione Deitatis*, et non inquantum revelans. Similiter respicit articulos sive credibilia *absolute*, et sub rationibus propriis, et non inquantum revelata (1) » *.

(1) Ex Comment. Lycheti ad n. 9. Doctoris.

Adversus hanc sententiam plura quoque obiicit Doctor n. 12 et 13, et utroque modo in lectoris facultate relicto, ita pergit n. 14:

Ad quaestionem tamen dico, quod oportet ponere fidem infusam propter auctoritatem Scripturae et Sanctorum; sed non potest *demonstrari* fidem infusam inesse alicui, nisi praesupposita fide, quod velit credere Scripturae et Sanctis; sed sicut credo Deum esse trinum et unum, ita credo me habere fidem infusam qua hoc credo, et *hoc a Deo*, ut perficiat animam in *actu primo*, quia Dei est perfecte perficere quando perficit. Ideo Christus reformando, sicut perfecit voluntatem per charitatem, sic intellectum per fidem. — *Ib.* n. 14.

Sed quid dicis de fide *infusa*, quod non possit demonstrari inesse, cum Augustinus, *XIII de Trinitate, cap. 1*, dicit, quod *homo fidem suam tenet firmissima scientia et certissima, eamque in se videt, clamatque conscientia, quia rerum absentium fides est praesens et rerum quae foris sunt; intus est fides, et rerum quae non videntur videtur fides?* — *Respondeo*, quod accipiendo *fidem* prout dicit habitum generatum inclinantem in aliquid non evidens ex se tanquam in verum, et hoc determinate, ut assentit illi tanquam vero, sic potest aliquis scire se habere fidem, generaliter loquendo de fide, sicut potest scire se habere scientiam, arguendo habitum esse in se ex ipsis actibus. — Sed quod aliquis sciat vel scire possit se habere fidem *certam* determinate inclinantem *in verum*, ita quod sciat fidem * quam putat habere * esse *veram* * *fidem* *, et illud in quod inclinat esse verum, ita quod facit assentire vero, et non solum inclinat in aliquid tanquam verum secundum primum modum, sic nullus scire potest in hac vita, nisi reveletur sibi.

Ad argumentum dico, quod Augustinus loquitur de scientia, non qua fides scitur actu *secundo*, sed actu *primo*, quia fides in anima, sicut et omnia quae sunt in anima, sunt praesentia in memoria, ita quod de illis, si respectu eorum posset exire in actum, haberet certam scientiam; sed pro statu isto

non potest habere actum *secundum* de fide secundo modo dicto supra. — *Ib.* n. 17.

Ideo non solum propter actum *primum* dat * Deus * charitatem, sed propter *secundum*, ut sit *perfectior* et *intensior* actus diligendi ex potentia et charitate, quam ex potentia tantum; et similiter de *fide* suo modo. — *Ib.* n. 14.

Nec pono habitum fidei infusae solum propter *gradum* in actu, sed etiam *propter assensum*, quia assensus non est totaliter a voluntate; aliqui enim sunt qui vellent magis assentire, et tamen minus assentiunt, et ideo petebant Apostoli: *Domine, adauge nobis fidem*, Luc. 7. — Quod autem requiratur fides infusa non solum propter intensionem actus, sed etiam *propter assensum* et *certitudinem*, patet, quia hoc non potest esse a fide *acquisita*, scilicet *firmus assensus*... Ex quo igitur ita est, oportet ponere fidem infusam propter firmum assensum. — *Ib.* n. 15. — Licet enim fides acquisita sufficiat ad assensum et certitudinem actus, prout *credere* opponitur *opinari*, tamen non est ita *perfecte certus* sicut cum fide infusa, nec esset actus ita *intensus*, nec sufficit in esse primo, quia fides acquisita non perficit animam ita perfecte sicut infusa. Oportet igitur ponere utramque fidem. — *Ib.* n. 18.

Notitia *credulitatis*, saltem acquisitae, potest etiam haberi modo ex naturalibus. Hoc probatur, quia secundum Augustinum, *XI. De Civit.* c. 3. *Ea quae remota sunt a nostris sensibus, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisque credimus, a quorum sensibus remota esse, vel fuisse non credimus*; et idem, *XV. de Trin. cap. 12: Absit, ut scire nos negemus quae testimonio didicimus aliorum. Alioquin nescimus esse oceanum, nescimus esse terras atque urbes quas celeberrima fama commendat.*

Ex his et similibus auctoritatibus eius habemus, quod *credere* possumus testimonio aliorum, etiam tam firmiter, ut illud *credere* dicatur apud eum *scire*. Igitur magis possumus et magis debemus credere testi *magis veraci*, et adhuc magis *communitati*, quam personae singulari. Nunc autem Ecclesia Catholica est communitas *maxime vera*, quia illa maxime veritatem commendat, et mendacium reprehendit; igitur eius testimonio certissime credi potest (1), et praecipue in illis in quibus illa plus damnat mendacium, puta, de his quae sunt *fidei* et *morum*. Potest igitur viator, ex natura sua, audita et intellecta communi doctrina Ecclesiae, *firma credulitate* assentire his quae ipsa docet de fide et moribus.

De ista credulitate *acquisita* videtur accipi illud ad Roman. (2): *Fides ex auditu*, scilicet sanae doctrinae Christi, de qua subdit: *auditus autem per verbum Christi*. De ista etiam potest accipi illud Augustini, *Contra Epistolam fundamenti: Ego*, inquit, *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae auctoritas compelleret* (3).

Sed ultra istam fidem *acquisitam*, habemus fidem *infusam;* et illam solus Deus *infundit.*

Comparando fidem *infusam* et fidem acquisitam ad *actum credendi*, in hoc *conveniunt*, quod quando insunt *eidem* animae, actus *unus* et *idem* credendi elicitur secundum inclinationem utriusque; quia quando sunt duae formae, quae naturaliter inclinant ad actum in eodem operante, *utraque*, quantum est de se, necessario et semper inclinat ad actum; et ideo quandocumque actus elicitur, elicitur secundum inclinationem *utriusque*. Et si per hoc quod est actum credendi *inniti fidei isti*, intelligatur actum *elici secundum inclinationem* eius, tunc concedendum est, quod actus credendi *innititur utrique fidei*.

Est tamen *differentia* una quantum ad hoc, quod est *actum elicere*, ita, scilicet, quod ex fide *acquisita*, etiam si sola insit, *potest elici actus credendi*, sicut credimus certis articulis testimonio fidei digno asserentis, ad quos tamen non inclinat aliqua fides *infusa;* haereticus enim in uno articulo dis-

(1) *Oxon.* Prol., q. 2. n. 6.

(2) Cap. X. v. 17.

(3) Praedicta intelligas oportet de credulitate *naturali*, non *meritoria;* haec enim haberi haud potest absque divinae gratiae auxilio, ut passim docet Subtilis cum Ecclesia catholica.

sentit, aliis articulis credendo, non ex fide *infusa*, cum illa non possit stare cum haeresi in quocumque articulo (1). — Sed ex fide *solum infusa non potest quis elicere actum credendi*, et hoc de *lege communi*, licet Deus fidei *infusae* assistendo, posset movere intellectum ad assentiendum actualiter illi, ad quod fides illa inclinat; sed tunc forte non ex *sola inclinatione fidei istius* eliceretur actus ille, sed ex *motione divina;* et multo magis de lege communi ex sola fide *infusa* non potest haberi actus credendi. Hoc patet de puero baptizato; quia si postea nutriretur in deserto, vel intra infideles, et nullam haberet doctrinam de credendis, numquam actum rectum credendi eliceret. Et ratio est, quia fides *infusa* inclinat ad credendum ea quae *non habent evidentiam ex terminis*, nec includunt aliquam evidentiam connexionis terminorum, si termini sint apprehensi ex sensibus.

Alia differentia est quantum ad hoc quod est *actum inniti fidei;* quia fides *infusa non potest inclinare ad aliquod falsum*, inclinat enim virtute *luminis divini*, cuius est participatio, et ita non nisi ad illud quod est conforme illi lumini divino; *actus* igitur *credendi, inquantum innititur isti fidei, non potest tendere in aliquod falsum* (2). — Sed fides *acquisita* communiter *innititur* assertioni alicuius testis *qui potest deficere*, et ideo illa fides *non tribuit actui credendi, inquantum sibi innititur, quod non posset sibi subesse falsum.* Frequenter tamen non sibi subest falsum, quando scilicet *testis*, cuius testimonio innititur, in testificando illud *sit verax.*

Et quandocumque *ad idem inclinat* fides *infusa* et *acquisita*, tunc *necessario acquisitae non subest falsum:* non quod haec necessitas sit ex ipsa fide *acquisita*, sed ex *infusa* concurrente cum ipsa ad eumdem actum. Innitur igitur actus credendi fidei *infusae* tamquam *regulae certae* et *omnino infallibili*, a qua actus habet quod non possit esse falsus; sed innititur *acquisitae* tanquam *regulae minus certae;* quia non per illam repugnaret actui quod esset falsus vel circa falsum obiectum.

Tertia differentia posset poni, quae convenit cum *prima*, quae, scilicet, est, quod *non percipio me inclinari in actum per fidem infusam*, sive secundum illam elicere actum, sed *tantum percipio me assentire secundum fidem acquisitam* vel eius principium, scilicet, testimonium, cui credo; quia si perciperem me habere actum secundum fidem *infusam*, et cum hoc scirem, quod secundum fidem *infusam* non potest haberi actus *nisi determinate verus*, perciperem quod actus meus *non potest esse falsus*, quia ex hoc sequitur quod perciperem quod obiectum actus non posset esse falsum, et tunc scirem illud, id est infalibiliter cognoscerem, illud esse verum; quod nullus experitur in se, ut credo, quantumcumque aliquis habeat *utramque fidem*, et secundum utramque assentiat; tantummodo igitur credimus in universali, quod tendens in aliquod complexum secundum inclinationem fidei *infusae*, in hoc non posset errare. Quis autem, et quando secundum eam tendit, nec ipsemet tendens scit, nec alius, nec aliquis certitudinaliter experitur. — *Quodlib.* q. 14. nn. 4-8. — Vid. *Spiritus Sancti Dona.*

Fides *infusa* est perfectior habitus simpliciter quocumque habitu acquisito, eo quod ratione suae perfectionis non potest causari nisi a Deo in ratione causae. — *Oxon.* III. d. 23. n. 19.

Fides — Levitas — Pertinacia. — Potest concedi fides esse media inter *levitatem*, qua quis nimis firmiter assentit ei quod non est credendum, iuxta illud, *qui cito credit levis est corde*, et inter *pertinaciam*, qua quis nimis resistit credendis, nolens alicui assentire, nisi per rationem naturalem ostendatur. — *Oxon.* III. d. 26. n. 24.

Fides naturalis — supernaturalis. — Vid. *Credere supernaturale — naturale.*

Fides — Opinio — Scientia. — *Fides acquisita* est super *opinione*, quae *adhaeret uni parti contradictionis cum formidine alterius*, licet sit infra *scientiam*, quae est *ex evidentia obiecti scibilis.* — *Oxon.* III. d. 23. n. 5. — Vid. *Scientia.*

---

(1) Quod diffusius tradit Doctor *Oxon.* III. d. 23. n. 4.

(2) Idipsum docet quaest. 17. n. 11.

Fides tripliciter induci potest. — *Tres* sunt modi artificiales fidem faciendi in auditoribus de aliqua re: aut per *rationem probabilem* et *apparentem*, aut propter audientium ad fidem de re illa *inclinationem*, aut propter loquentis *apparentem bonum morem*. — *De perfect. stat.* n. 13.

Fieri. — Vid. *Creari — fieri — Creatura.*

Fieri aliquid ex aliquo est multipliciter. — Vid. *Ex aliquo aliquid fieri est multipliciter. = Transubstantiatio.*

Fieri est multipliciter. — Sciendum de hoc verbo *fit*, quod aliquid dicitur *fieri dupliciter:* — *Uno* modo *simpliciter* loquendo, ut dicendo: *homo fit*. — *Alio* modo loquendo *cum additione*, et hoc *dupliciter:* quia vel terminus qui additur est concretum de genere *accidentis*, ut dicendo: *homo fit albus;* vel est terminus de genere *substantiae*, ut dicendo: *Socrates fit homo.*

Item sciendum, quod *aliqua* fiunt *subito*, sicut est illuminatio medii, posito quod luminosum esset subito approximatum. — *Alia* fiunt *successive*, ut *asinus, equus*, et huiusmodi. Ista, quae fiunt *subito, sunt dum fiunt*, et ista, quae fiunt *successive, non sunt dum fiunt*. — *Prior. I.* q. 17. n. 7.

Fieri * ulterius * attribuitur aliquibus secundum *duplicem* modum loquendi: verbi gratia, dicimus aliquod *fieri aliud*, ut puta *hominem fieri musicum;* et tunc iste modus loquendi attribuitur illi quod *praecedit* transmutationem. — Sed *alio* modo attribuitur *fieri*, dicendo: *ex non musico fit homo musicus;* et secundum istum modum loquendi *fieri* attribuitur illi quod *sequitur* transmutationem. — *Physic. I. exposit. text.*, 58.

Fieri quando praedicatur *secundum adiacens* notat factionem simpliciter eius de quo dicitur, ut si dicatur *homo fit*, denotatur factio simpliciter inesse homini. — Si autem praedicatur *tertium adiacens*, sicut *homo fit albus*, non notat fieri, nisi *secundum quid* eius, * seu * tunc denotat subiectum fieri secundum formam praedicati. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 13. — IV. d. 11. q. 5. n. 2. = III. d. 7. q. 2. n. 7.

Figura. — *Figura* non dicit ultra *quantitatem* nisi *relationem partium ad se invicem*, vel terminorum includentium partes. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 4. n. 19. — Tam *forma* quam *figura est exterior dispositio rei*. — *Super Praedic.* q. 36. n. 14. — Vid. *Forma — Figura. = Qualitatis modi seu species.*

Figura grammaticalis. — Vid. *Grammat. specul.* n. 79.

Figura grammaticalis simplex — composita — decomposita. — Vid. *Grammat. specul.* n. 83.

Figura quadruplex. — Hoc nomen *figura* est *uno* modo significans *superficiem terminatam lineis;* et sic est in genere *quantitatis*(1). — *Alio* modo significat ipsam *clausionem linearum*, sive terminationem; et sic est in quarta specie *qualitatis;* unde qualitates *quartae* speciei (2) dicuntur *qualites circa quantitatem*. — *Super Praed.* q. 10. n. 3.

* Item * *duplex* est *figura: quaedam* est *forma absoluta;* et ista est de genere *quantitatis* forma, vel circa aliquid constans figura. — *Alia* est figura, quae est *situatio partium in loco et in continenti*. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 2. n. 24.

Filiatio. — Vid. *statim*

Filiatio Christi duplex. — *Alia* est filiatio in Christo *ad Patrem*, et *alia ad Matrem;* et utraque est *realis.*

Primum probo: quia filiatio est *habitudo producti naturaliter similis producenti, in natura intellectuali.*

Istae particulae patent; quia sicut paternitas est *habitudo producentis*, ita filiatio *producti*. — *Naturaliter* etiam; nam propter defectum huius particulae Spiritus Sanctus non est *filius*. — *Similis producentis;* propter hoc *vermis* non est *filius solis*. — *In natura intellectuali;* ideo ignis non est *filius ignis*, nec *planta plantae*, nec *proprie bos bovis.*

Quod si omnino contendas brutum esse *filium* bruti, ut *vitulum* esse *filium bovis*, tunc filiatio est *habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali vel sensitiva.*

---

(1) Vid. *Quantitas.*
(2) Vid. *Qualitas.*

In ista * utraque * descriptione nihil *per se* et *primo* respicit *suppositum*, nisi ratione productionis *passivae:* quia omnia alia addita respiciunt *naturam* vel in producente, vel in producto, vel in utroque. — *Filiatio* ergo ratione nullius *magis determinat sibi* ut sit *suppositi*, quam *generatio passiva;* sed generatio passiva plurificatur ad plurificationem ipsarum *naturarum* actualiter existentium acceptarum per ipsas generationes, sicut patet ex Damasc. cap. 53, quod Christi sunt *duae generationes;* ergo et ipsa filiatio *plurificatur ad plurificationem earumdem.* — *Oxon.* III. d. 8. n. 10, * *ubi alias affert probationes* *. — *Report.* ib. q. 2. n. 8.

Secundum, videlicet, quod *utraque* sit *realis:* patet de *aeterna*, quia *realiter* est *Filius aeternus.* — Probo de *temporali*, quia illa *relatio* est *realis* quae *consequitur extrema ex natura extremorum, sine actu intellectus:* posita autem matre generante, et ita supposito habente naturam per generationem, ex natura extremorum sine actu intellectus sequitur hic filiatio, sicut ibi maternitas. — *Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* l. cit.

Filiatio — Verbum. — *Filiatio* et *verbum* non sunt *duo* propria, sed *idem*, quia eamdem relationem per se *significant* filius et verbum, licet alia *connotent*, quia filius *naturam viventem in communi*, et verbum *notitiam intellectualem actualiter expressam.* Ista *connotata* non semper sunt eadem; sed *relatio passiva* significata semper est eadem. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 21. — Idem significat verbum et abstractum eius: abstractum autem eius, si esset nominatum, esset *verbatio*, quae notat relationem formaliter; idem enim significat quod expressio passiva alicuius de intellectu. Sed sicut *filius* connotat naturam viventem, in qua est talis relatio, ita *verbum* connotat actualem notitiam, cuius est talis expressio. — *Ib.* n. 20.

Filius adoptivus. — Translatum est istud vocabulum a *Iuristis*, ut dicatur *filius adoptivus* qui *non est naturaliter genitus ab aliquo*, nec *ex generatione naturali* habens ius succedendi in haereditate; sed *ex gratia* praeordinatur, ut habeat ius succedendi; ita quod ibi tria concurrunt, scilicet: *extraneitas* ex generatione naturali, et *gratia*, quae est gratuita voluntas ipsius adoptantis, et *bonum* ad quod praeordinatur ex ista gratia, scilicet haereditas, ad quod habet ius succedendi ex *adoptione.* — *Oxon.* III. d. 10. n. 2. — *Report.* ib. — Vid. *Adoptio — Arrogatio* = *Filius — Filiatio.* = *Persona Secunda Smae. Trinitatis.*

Filius — Filiatio. — Idem per se significat abstractum et concretum, licet alio modo significandi, sicut *filius* et *filiatio*, quia sicut *filiatio* significat relationem de genere relationis, ita et *filius.* — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 20. — Vid. *Persona Secunda Smae. Trinitatis.*

Finis. — *Finis* est *cuius causa alia sunt*, et ipse non est causa alicuius, * si sit ultimus *. Licet * enim * in ordine finium sit dare finem qui *est gratia alterius*, puta, *finem sub fine*, est tamen devenire ad aliquem finem *ultimum*, qui ulterius non est gratia alterius, sed omnia alia sunt gratia eius. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. II. s. unic. c. 2. n. 16. — *Conclus. Metaph.* lib. II. concl. 10. — Vid. *Bonum — Finis* = *Causarum Species.* = *Terminus — Finis.*

Finis actus — ex natura rei. — Finis *actus* ut eliciti est ad quem potentia eliciens ordinat actum, et propter quem elicit ipsum — Sed finis *ex natura rei* est bonum ad quod actus ex natura sui natus est ordinari, non quidem in ratione obiecti quod attingitur per actum, sed sicut omnes naturae creatae in suo gradu ad finem ultimum ordinantur. — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 14.

Finis assecutio. — Per actum *desiderii*, qui est *absentis*, non est *assecutio finis*, sed per alium actum, scilicet qui est *amor rei praesentis*, est assecutio primo, loquendo de primitate *perfectionis*, licet per actum intellectus sit aliqualis assecutio prior prioritate *generationis.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 4. n. 5. et 9.

Omnis operatio in finem ducens, vel est *factiva* finis, quando scilicet finis non excedit virtutem operantis propter finem, sicut medicatio respectu sanitatis; vel est *meritoria* finis, quando scilicet finis excedit virtutem operantis propter finem, et tunc expectatur finis ex dono alterius. — *Ib.* II. d. 5. q. 1. n. 3.

Finis cognitio quadruplex. — Potest intelligi vel de fine *obscure* apprehenso in *universali*, sicut concipimus *beatitudinem in communi*; vel de fine *obscure* apprehenso *in particulari*, sicut concipimus beatitudinem in Deo Trino; vel de fine *clare viso*, ut *in habente* voluntatem *supernaturaliter* elevatam, sicut in habente voluntatem perfectam per habitum supernaturalem in voluntate; vel quarto de fine *clare viso in non habente* habitum *supernaturalem* in voluntate; et hoc, posito quod Deus de potentia absoluta ostenderet se intellectui, non dando habitum aliquem supernaturalem voluntati. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 2. — *Report.* ib. q. 2. n. 2.

Finis cuius — finis quo. — *Finis* est *duplex*, scilicet: finis *cuius*, quod est ipsum obiectum in quod tenditur; et iste est finis *praeexistens*. — *Alius* est finis *quo*, scilicet ipsa operatio qua obiectum attingitur; et hic *non praeexistit*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 2. c. 2. n. 39. — Vid. *Finis multipliciter sumitur.*

Finis duplex. — *Duplex* est *finis*: *aliquis* enim finis *praexistit motui*, ut si dicatur quod finis est medium respectu motus gravium. — *Alius* est finis *acquisitus per motum*, sicut esse deorsum acquiritur per motum gravis, et sanitas acquiritur per operationem medicinae.

Finis *primo* modo dictus nihil prohibet esse in separatis et immobilibus; sed finis *secundo* modo dictus non est in eis; nihil enim prohibet aliquid moveri, * proprie vel improprie *, ut participet aliquo immobili et separato (1); *immobile* autem et *separatum* non habebit esse per motum. — *QQ. Metaph.* lib. XII, q. 8. n. 4.

Finis intrinsecus — extrinsecus. — *Finis* potest esse *duplex*: — Nam *quidam* est finis *extrinsecus*, eo modo quo *obiectum potentiae* dicitur *finis actus* eius. — *Alius* est finis *intrinsecus*, eo modo quo *forma* dicitur *finis generati* cuius est pars; hoc etiam modo *ordo partium*, cum sit forma totius habentis unitatem ex ordine partium, est *finis* et *bonum* eius. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 3. c. 1. n. 80. — Cf. *Oxon.* IV. d. 49. q. 6. n. 8.

Finis multipliciter sumitur. — *Finis* accipitur *multipliciter*: — Nam aliquando accipitur pro *ultimo rei*, sicut dicimus quod *punctus* est *finis lineae*, *instans finis vitae*. — *Alio* modo accipitur *finis* pro *ultimo bono*, gratia cuius agens agit, et hoc innuit Aristoteles II. huius. — Et tunc *finis*, ut est ultimum bonum, quandoque accipitur pro *intentione agentis*; quandoque pro *re intenta* ab agente. Exemplum *primi*: ut *similitudo domus*, quam domificator habet in mente, dicitur *finis*, qui est in *mente cognoscentis*; et iste *finis* reducitur ad causam *efficientem*, eo quod movet agens ad executionem boni intenti. Exemplum *secundi*: *domus* est *res intenta* a domificante, et est *finis gratia cuius* agit domificator.

De quo fine notandum est, quod *res intenta* ad agente, seu finis, quandoque intenditur appetitu *animali*, qui est cognitio *determinans agens*, ut quando domificator *intendit* domum; quandoque intenditur appetitu *naturali*, ut locus *deorsum intenditur* a gravi existente *sursum* appetitu *naturali*, qui est inclinatio seu impetus formae substantialis gravis seu gravitatis.

Secundo est notandum de fine qui est *bonum intentum ab agente*, quod quidam est finis *primaria intentione*, et est ille quem agens *principaliter* intendit. Verbi gratia: *prius natura* corpora coelestia *primaria intentione* cum intelligentiis agunt propter Deum et Deus propter Seipsum; sed *secundaria intentione* propter ista inferiora. Exemplum *secundi*: quia agens naturale in agendo *primaria intentione* intendit *assimilationem passi*, sed *secundaria intentione* intendit *corruptionem sui contrarii*; et sic *finis secundaria intentione* est ille qui minus principaliter intenditur ab agente.

Differunt autem isti fines ab invicem: quia finis *primaria intentione* est aeque nobilis vel nobilior *ordinatis in finem*; sed hoc non est verum de fine *secundariae intentionis*; quia * ex. gr. * ista inferiora sunt minus nobilia Deo et intelligentiis, qui tamen

(1) « Sicut de facto oportet concedere in Beatis, qui per operationem intellectus et voluntatis tendunt in obiectum immobile, quod est Deus ». — *Expositio* etc. lib. XII. S. 2. c. 2. n. 39.

agunt *secundaria intentione* propter ista inferiora.

Tertio notandum, quod *quidam* est finis *gratia cuius*, et *alius* est finis *quo* (1). — Finis *gratia cuius* est finis principaliter intentus ab agente. — Finis *quo* est ille mediante quo intenditur finis principaliter intentus: ut quando aliquis *laborat propter sanitatem*, *labor* est finis *quo* acquiritur *sanitas*, quae est finis *gratia cuius* respectu prioris; et finis prior est finis *quo* respectu posterioris.

Quarto notandum, quod *quidam* est finis *generationis; alter* est finis *rei genitae*. — Finis *generationis* est forma substantialis *rei genitae*. — Sed finis *rei genitae* est ipsa res generata, vel operatio ipsius, ut *felicitas* est finis *hominis; esse felicem*, vel esse perfectum per operationem est finis * rei * *generatae*. — *Physic. II.* q. 9. nn. 2. seqq.

Finis * iterum * accipitur *multipliciter:* — quandoque accipitur pro *causa finali;* quandoque pro *perfectione ultima*, ad quam res ordinatur; quandoque pro *optimo;* quandoque pro *ultimo*. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 8. n. 7. — *Report.* ib. q. 7. n. 10.

Finis principalis — minus principalis — universalis — particularis. — Vid. *Intentio respectu actus — respectu finis.*

Finis proximus — remotus. — Alicuius potest esse duplex finis, scilicet: *remotus* et *propinquus*. Et remotior est regulariter principalior, quia ad illum ordinatur propinquior. — *Oxon.* IV. d. 31. n. 4. — d. 6. q. 5. n. 3. — Vid. *Bonum — Perfectum — Finis.*

Finis tripliciter consideratur. — * *Finis* consideratur * aut ut *elicitus* et habitus extra; aut ut *consideratus* * sive *cognitus* *, aut ut *intentus*. — *Oxon. Prol.* q. 4. n. 11.

Finis tripliciter nominatur. — *Finis* est oppositum *efficienti*, secundum oppositionem *principii* et *finis;* nam *motus* incipit ab *efficiente*, et terminatur *in finem*. Nominat autem * Aristoteles * *causam finalem* per *tria nomina:* — *primo*, quod ipsa est *oppositum efficienti*; et hoc competit sibi quia est *terminus* et *finis motus*. — *Secundo*, quod est *cuius causa;* et hoc competit sibi quia est *primum in intentione*. — *Tertio*, quod est *bonum;* et hoc sibi convenit quia est *per se appetibilis*, nam *bonum est quod omnia appetunt, ex I. Ethic.* — *Exposit. in Methaph. Aristot.* lib. I. S. 2. c. 1. n. 35.

Finis ultimus multiplex. — Vel *verus* finis, qui scilicet est finis ultimus *ex natura rei;* vel *apparens*, qui scilicet ostenditur a ratione errante tanquam finis ultimus; vel *praestitutus*, quem scilicet voluntas ex libertate sua vult tanquam finem ultimum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 5. — * Insuper * finis uno modo est finis *perficiens;* et sic beatitudo in intellectu et voluntate ponitur eius finis *intra*, et obiectum illius * beatitudinis * ponitur finis *extra*. — Alio modo finis dicitur ultimum *consequens* ex perfectione rei, licet non perficiens rem. — *Oxon.* IV. d. 48. q. 2. n. 3. — * At * est tantum *unus* ultimus finis *in se;* tamen ille habet in se distinctas rationes aliquas, quae non sunt formaliter rationes ultimi finis. — *Ib.* I. d. 1. q. 2. n. 14.

Firmamentum. — Scriptura accipit *firmamentum* pro toto caelo inter empyreum et elementa. — *Oxon.* II. d. 14. q. 2. n. 7.

Florere — Florificare. — *Florere* est verbum neutrum, et non significat formaliter productionem alicuius; * et ideo * *arborem florere* non significat formaliter arborem producere florem. Si enim ponatur verbum activum, quod sic significet, puta *florificare* si esset in usu, haec esset falsa: *arbor florificat floribus*, haec autem esset vera, *arbor floret floribus;* quia per istud verbum neutrum significatur aliquid denominans subiectum quasi per modum *habitus;* quia licet non sit proprie habitus in inanimatis, quia proprie habitus est tantum in animatis, possunt tamen denominari ab aliquo adiacente, quod, inquantum est aliquo modo ornamentum vel tegumentum eorum, potest reduci ad genus *habitus*. Et tunc sicut diceretur *arbor est florida floribus*, et ablativus construeretur in ratione illius, a quo subiectum denominatur secundum talem denominationem, ita etiam construitur ly *floribus* cum hoc verbo *florere*. — *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 5. — Vid. *Verbum neutrum*, etc.

Foecunditas in Divinis. — Primo in essentia divina est *duplex foecunditas:* in-

---

(1) Vid. supr.

quantum est *intellectus* infinitus, et *voluntas* infinita; et mediantibus istis statim pullulant relationes originis pertinentes ad communicabilitatem naturae, quae natura vel essentia divina communicatur secundum istam duplicem foecunditatem. — *Oxon.* I. d. 26. n. 9. — Quia sunt tantum duo principia productiva habentia formales rationes producendi distinctas: intellectus perfectus per *modum naturae*, et voluntas perfecta. — *Ib.* d. 2. q. 7. n. 18. * *ubi hoc late explicat* *.

Per *mentem* (1) possumus intelligere *actum primum* perfectum respectu utriusque actus *secundi,* scilicet *foecunditatem* ad *gignendum* et ad *spirandum.* Et hoc modo *mens* habet rationem perfecte parentis, quia includit perfecte utramque foecunditatem. — Et isto modo est in Divinis, quia in Patre non solum est foecunditas ad *generandum,* sed * etiam * ad *spirandum;* et hoc *a se;* quia si Pater non haberet foecunditatem *a se* ad spirandum, sed haberet eam derelictam sibi ex productione Filii, sicut quidam dicunt, sequitur, ut videtur, hoc impossibile, quod Pater nunquam haberet illam foecunditatem. — *Ib.* d. 3. q. 9. n. 4. — Cfr. d. 28. q. 2. n. 6. — In Patre autem intellectus et voluntas sunt perfecte principia activa, et habent ordinem quemdam, quia foecunditas intellectus constituit ipsum Patrem, non autem foecunditas voluntatis; ergo ista foecunditas intellectus aliquo modo *prius* habebit actum suum, quam foecunditas voluntatis actum suum. — *Ib.* d. 11. q. 1. n. 3.

In illo *priori* communicatur Filio foecunditas eadem quae est in Patre, quia in illo signo originis, in quo Filius producitur per foecunditatem intellectus, communicatur sibi a Patre quidquid ei non repugnat, et ita foecunditas voluntatis; igitur in alio signo originis, quando producitur Persona * tertia * per actum foecunditatis *secundae,* scilicet voluntatis, producitur a Patre et Filio omnino ut ab *uno* principio, propter unam foecunditatem principii productivi in eis. — *Ib.* d. 12. q. 1. n. 2. — d. 11. q. 1. n. 3. — * Igitur * Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum voluntate, inquantum omnino *una,* quia ad rationem principii, praecise ut principium, non requiritur nisi perfectio eius in se, et quod habeatur in persona antequam intelligatur habere terminum adaequatum: voluntas autem omnino una est in Patre et Filio, et ante, *ordine originis,* intelligitur in eis, quam intelligatur habere terminum adaequatum, quia ambo sunt spirativi; et ideo voluntas ut in eis est idem principium productivum respectu Spiritus Sancti.

Sed propter verba Richardi (1) intelligenda, distinguo, quod *multipliciter* potest intelligi *voluntas concors* aut *concordans* in aliquo actu secundo elicito, puta amando idem, et tunc vel *essentiam,* vel amando *se* et *redamando,* puta quod Pater diligat aeque Filium, et e converso; vel potest intelligi concors *quasi habitualiter,* inquantum actus *primus* natus est habere quasi actum *secundum.*

Duobus primis modis non videtur, quod Pater et Filius spirent Spiritum Sanctum voluntate concordi, ut probatum est in prima ratione per duas probationes (2); nec enim dilectione *essentiae,* ut probatum est in prima probatione (3); nec *sui invicem,* ut actum est in secunda probatione (4), formaliter spirant; ergo oportet, quod intelligatur *tertio* modo *voluntate concordi,* id est voluntate inquantum est actus *primus,* in quo nati sunt concordare in actu *secundo* concorditer producendo amorem; tali, inquam, voluntate spirant, et magis ut *una,* quam ut *concordi,* quia ut intelligitur actus primus intelligitur *una* voluntas in eis, et non habere concordiam nisi illo modo loquendo, quia istae Personae intelliguntur posse concordari in actu *quasi secundo* concorditer spirando. — *Ib.* d. 12. q. 1. n. 11.

Salvando tamen aliqualiter verba Richardi, dico, quod quando in aliquo eodem sunt duo principia ordinate activa, illud non est in potentia *proxima* ad agendum principio *secundo,* nisi praeintelligatur in actu *primi* principii; igitur Pater non est omnino

(1) In quadam auctoritate Augustini ex *IX. De Trinitate,* c. 4.

(1) A Doctore prius allata.

(2) n. 5.

(3) Ib.

(4) n. 6.

foecundus potentia *propinqua* ad spirandum, quod est actus voluntatis ut principii *quo*, nisi intelligatur in actu principii *prioris*, quod est intellectus; et per consequens voluntas non est principium proximum, nisi ut est in duobus.

Hoc sequitur, quia per illam productionem priorem, sine qua non est ista potentia propinqua, voluntas est in duobus, quia per actum primae foecunditatis communicatur Personae productae secunda foecunditas, scilicet foecunditas voluntatis respectu spirationis Spiritus Sancti. Non tamen est alia aut minor foecunditas in duobus quam in uno, sed eadem et in producente et in producto.

Exemplum istius est aliqualiter in nobis: anima enim non est foecunda potentia *propinqua* ad habendum actum *volendi*, nisi sit in *actuali intellectione*, licet actuali intellectione non formaliter producat actum amandi, sed voluntate, ut est actus primus, qui praeexistit in anima ante intellectionem, licet non in potentia *propinqua* omnino ad agendum. Si tunc anima producens intellectionem communicaret sibi foecunditatem voluntatis, non esset voluntas in potentia propinqua ad producendum amorem, nisi prius esset productum verbum, et ita communicata sibi voluntate foecunda; et ita numquam esset voluntas proxime foecunda, nisi in duobus; non tamen ita quod illa foecunditas requirat de ratione sua esse in duobus, quasi ipsa non posset esse in uno, imo ipsa eadem iam existeret in ipsa mente; sed propter ordinem foecunditatum in producendo, necessario oportet secundam foecunditatem, quando est in potentia proxima, esse in duobus.

Potest igitur concedi, quod Pater et Filius voluntate una quae est in eis spirant, quae est perfecte foecunda in duobus suppositis existens, quia prius intelligitur communicari Genito, et ita esse in duobus, quam quod Spiritus Sanctus ea producatur.

Sed quomodo dilectione *mutua* spiratur Spiritus Sanctus? Respondeo: *dilectione*, id est *voluntate* qua Pater et Filius, ut *actu primo* nati sunt se mutuo diligere, hac, inquam, voluntate, ut existente in eis, ut est nata talis esse, qua diligunt se mutuo, spiratur Spiritus Sanctus; non autem aliquo actu *secundo* quasi dilectionis *actualis* impensae et repensae.

Si istud non sufficiat ad intellectionem Richardi, exponat eum qui poterit; quia non videtur, quod eius determinatio possit stare cum dictis Augustini, qui attribuit Patri et Filio perfectam rationem *unius* principii respectu Spiritus Sancti, sicut Trinitati respectu creaturae, si contradicat praedictis. — *Ib.* n. 12.

Non est consimilis ordo inter Patrem *generantem* et *spirantem*, sicut est inter *Patrem spirantem* et *Filium spirantem*. Unde non est intelligendum, quod Pater spirat *antequam* Filius spiret, sicut *prius origine* Pater generat quam spiret, propter ordinem principiorum in producendo, quia tunc Filius non spiraret, quemadmodum Spiritus Sanctus non potest generare Filium iam praeintellectum generatum. Sed est iste ordo: quod in Patre est *primo* utraque foecunditas *a se*: secundo est in Patre *actus* primae foecunditatis, et tunc in Filio est *secunda* foecunditas: tertio est actus secundae foecunditatis *simul a Patre et Filio* habentibus tunc simul illam foecunditatem; adhuc tamen cum aliquo ordine, quia ille actus est Patris *a se*, Filii autem non a se, sed *a Patre*, sicut nec in secundo signo est illa foecunditas Filii *a se*, sed Patris est *a se*.

Non est ergo ordo originis inter *spirationem* Patris et Filii, quasi spiret Pater in aliquo signo originis in quo non spiret Filius, sed in *eodem signo originis* simul spirant. Est tamen ibi ordo *spirantium* in spirando, quia Pater in illo tertio signo originis spirit *a se*, Filius autem *non a se*. — *Ib.* d. 12. q. 2. n. 2.

Fomes peccati. — Dicitur * ab Henrico Gandavensi *, quod voluntas peccans in carne causavit quamdam qualitatem morbidam consequentem curvitatem voluntatis. Haec autem qualitas morbida dicitur *fomes*, lex membrorum, tyrannus, et est sicut quoddam pondus in carne excitans motus sensuales, et inclinans animam ad condelectandum carni, et ita retardans et reprimens a delectationibus superioribus sive supernaturalibus, iuxta illud Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, propter istam qualitatem mor-

bidam in ipsa carne sic aggravantem, id est inclinantem ad inferiora.

Et secundum *quemdam*, ista qualitas nunquam minuitur in *essentia* sua, licet in *effectu* suo minuatur, hoc est, quod licet gratia tanta possit esse, quod magis inclinet ad superiora, quam fomes ad inferiora, non tamen minuit fomitem quantum ad essentiam suam, quia non contrariatur fomiti, qui est in carne, et gratia est in anima. Et ponitur *exemplum* de lapide appenso et ligato ad alas avis; quantumcumque cresceret vis motiva in ala, nunquam decresceret pondus lapidis, licet quantum ad *effectum* minus posset deprimere, quia virtus contraria vinceret in effectum. — *Oxon.* II. d. 32. n. 2.

Contra, dubium est, quomodo voluntas habeat tantum dominium super corpus, ut possit immediate alterare totum corpus ad istam qualitatem morbidam, maxime cum non habeat pro obiecto primo corpus; potuit enim peccare primo peccato appetendo excellentiam Dei, vel alio peccato spirituali, et in isto non erat corpus obiectum voluntatis, quod tamen ponitur alterari a voluntate.

Secundum dubium est, ad quid ponitur ille fomes *in carne?* Si ponitur ut principium rebellionis, non oportet, non enim per se rebellat caro voluntati, sed appetitus sensitivus, quia, secundum Philosophum, *I. Politic.*, voluntas dominatur corpori principatu *despotico*, sed appetitui sensitivo principato *politico;* ergo fomes deberet principaliter poni in appetitu sensitivo; vel si in corpore, non nisi in illo quod est organum appetitus sensitivi; et si hoc, cum nulla talis caro transfundatur, ergo non transfunditur caro infecta fomite. — *Ib.* n. 4.

* *Ex his videtur, Doctorem Subtilem haud reiicere absolute descriptionem « fomitis » a Gandavensi per effectus traditam, sed solum modum explicandi ab eo adhibitum* *.

Fontalis plenitudo. — *Fontalis plenitudo* non intelligitur *ad extra*, quia talis foecunditas est communis tribus * Personis *: sed *ad intra* non est in Patre nisi duplex foecunditas, scilicet, ad *generandum* et *spirandum*. Haec autem foecunditas non est aliquid unum positivum in Patre, nisi essentia; essentiam autem non connotat, ut propter hoc dicatur esse proprietas Patris. — Quod autem ista *fontalis plenitudo* non sit aliqua positiva relatio una in Patre, patet, quia tunc in Patre essent tres relationes positivae, scilicet: generatio activa, spiratio activa, et illa relatio quam circumloquimur per hoc quod est *fontalis plenitudo foecunditatis*, licet sit innominata; et tunc essent quinque notiones, quod non conceditur communiter, saltem non concluduntur in Patre tres proprietates positivae relativae. — *Oxon.* I. d. 28. q. 2. n. 6. — *Quodlib.* q. 4. n. 7.

Forma. — *Forma* est unde primo sumitur definitio speciei. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. II. S. unic. c. 2. n. 17. — *Forma* est principium essendi et distinguendi. — *Forma* est essentia simplex, perfectior pars compositi, et propria sibi. — *Theor.* XXI.

Possumus loqui de *forma* alicuius *proprie*, vel *appropriate*. — Si *proprie*, sic dico quod uniuscuiusque forma est illud *a quo essentialiter et formaliter est id quod est*, ut aliquis est *albus* per *albedinem*. — *Report.* IV. d. 3. q. 2. n. 2. — Cf. *Oxon.* I. d. 7. n. 24. — d. 26. n. 42. — IV. d. 1. q. 5. n. 1.

Sed nulla forma potest habere conceptum perfectum quietativum, nisi cointelligatur illud cuius est forma: definitio autem exprimit conceptum perfectum definiti; et ideo quantumcumque essentialia formae exprimerentur sine illo cuius est forma, quamvis quidditas eius indicaretur, tamen non esset conceptus perfectus quietans intellectum, ideo nec definitivus. — *Oxon.* I. d. 12. q. 1. n. 18.

* Philosophus * *I. Physicorum, text. com.* 10, et *inde*, dicit quod *forma* est *natura*, quia determinat rem ad *esse;* et dicitur res *natura* quando *habet formam*, et res *completive* de se non est *nisi per formam;* ideo dicitur etiam, quod est *quod quid est rei;* * quod * verum est *completive;* non tamen est *totum quod quid est*, sed illud quod aggregat formam et materiam. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 16. n. 7.

Forma in creaturis habet aliquid *imperfectionis*, scilicet, quia est forma *infor-*

mans aliquid, et *pars* compositi; aliquid etiam habet quod *non est imperfectionis*, sed consequitur eam secundum suam *rationem essentialem* sive *formalem*, scilicet, quod ipsa sit *quo aliquid est tale*. Exemplum: *sapientia* in nobis est *accidens; hoc est imperfectionis;* sed quod ipsa sit *quo aliquis est sapiens*, hoc *non est imperfectionis*, sed *essentialis rationis sapientiae*.

In Divinis autem *nihil est forma* secundum illam duplicem rationem *imperfectionis*, quia nec *informans*, nec *pars;* est tamen ibi *sapientia* inquantum est *quo* illud in quo ipsa est *est sapiens;* et hoc *non per aliquam compositionem* sapientiae ad aliquid quasi subiectum, *nec* quod sapientia illa *sit pars* alicuius compositi; sed per *veram identitatem*, qua sapientia, propter sui *infinitatem* perfectam, *perfecte est idem* cuilibet cum quo nata est esse. — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 22. — Vid. *Causarum species* = *Tempus* — *Motus* — *Forma*.

Forma activa. — Quae sit ratio quare quaedam formae sunt *activae*, et quaedam non, difficile est assignare rationem communem; quia aliquae formae *substantiales* sunt *activae*, aliquae autem formae substantiales non sunt *activae;* et aliquae *qualitates* non sunt activae; et tamen plus conveniunt *qualitates* et *qualitates* in aliquo concepto communi, quam *qualitates* et *substantiae*. Similiter aliquae formae substantiales *imperfectiores* sunt *activae*, sicut *elementares*, et *perfectiores non activae*, sicut *mixtorum*, sicut forma *lapidis*, et aliorum inanimatorum. Aliquae etiam mixtorum perfectorum sunt communicativae, sicut animatorum, et aliquae tamen *perfectiores* non sunt communicativae sui, sicut formae corporum coelestium et formae angelicae. Non igitur videtur ratio, quare aliquae formae in communi sunt *activae* et aliquae non; sicut in speciali non videtur ali[illegible] ratio, quare calor est calef[illegible] *[illegible]lor est calor*. —

[illegible] **[illegible]liciter.** — Quae[illegible]i ut in *subiecto*, [illegible]abstrato *in se*, [illegible] - *Oxon.* I. d. 3.

Forma denominans. — Cum dicitur: *omnis forma potest denominare illud in quo est*, extendendo *denominationem* ad praedicationem denominativam essentialem in concreto, sicut *homo est animatus*, et ad denominationem proprie dictam, sicut *homo est visibilis*, vel *lignum est album*, vel *homo intelligit*, concedi potest, quod omnis forma aliquo istorum modorum denominat illud in quo est, quia ad minus de composito praedicatur in concreto, licet illud sit extendendo *denominationem*. Sed si tu accipias *de illo in quo est*, ut in *susceptivo*, *praedicatum praedicatur proprie denominative*, negandum est, nisi illud susceptivum sit limitatum, vel nisi praedicatio illa denominativa importet subiectum esse proprium et distinctum ab opposito. — *Quodlib.* q. 3. n. 14.

Forma in aliquo aliquando est *inhaerens*, ut qualitas; aliquando se habet per modum formae *ab extra* denominantis, sicut est de genere habitus, vel ad modum illius; et utroque modo potest fieri *denominatio*. Et sicut aliquid denominatur non tantum a forma, sed ab aliquo extrinseco quandoque, ita denominativum posset dici de eo cum illo extrinseco ablative sumpto; et hoc sive illud denominativum significetur notionaliter, sive verbaliter. Sicut enim potest dici *iste est ornatus vestimento*, prout *ornatus* significat aliquid de genere *habitus*, ita posset dici *iste nitet vestimento*, vel aliquo alio verbo neutro, quod significaret idem cum isto denominativo, scilicet *esse ornatum*. — *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 5.

Formae communicabilitas duplex. — *Duplex* potest intelligi *communicabilitas formae: una*, quae est *universalis*, quae est per identitatem ad multa inferiora, quorum *quodlibet est ipsum*, sicut *universale* communicatur singularibus. — *Alia*, quae est ad multa quorum *quodlibet est ipso*, sicut *forma* communicatur *materiae*, sed *non est ipsum*.

A forma *communi primo* modo est operatio *communis;* quia si formam aliquam *in universali* acceptam consequatur aliqua operatio *in universali*, quamlibet formam *singularem* sub illa consequitur operatio *singularis* eiusdem rationis, nisi aliqua forma singularis sit *imperfecta*.

Si autem loquamur de *secunda* communitate, quae est formae respectu participantium ipsam, non oportet, quod forma *communis* sit principium operationis *communis*, et maxime quando habetur a pluribus suppositis *secundum ordinem*, ita quod uni communicatur ab alio, et hoc communicatione *adaequata*. — *Oxon*. I. d. 7. n. 18.

Formae conditiones. — Formae naturalis *inhaerentis* sunt aliquae conditiones: *Prima* est, quod talis forma *est * naturaliter * inseparabilis a materia,* nisi per corruptionem. Patet in II. *De Anima;* quia compositum debet imaginari tamquam *unum ens* actu existens, et forma propria non est *ens*, sed *actus entis;* et ratio est * quia * si forma *per se staret* separata, iam non esset *forma*, sed *compositum* actu existens; et ideo dicitur quod *separatio formae a materia* est eius *corruptio.*

Secunda conditio, quod *a forma substantiali res sumunt nomen et definitionem,* sicut a forma humana dicitur *homo,* et semper *differentia essentialis* posita in definitione debet *connotare formam,* ut ista differentia *rationale* connotat *intellectum.*

Tertia conditio, quod *per formam res naturalis est in actu ens existens, et per ipsam ponitur in determinata specie;* igitur a forma sumitur nomen *specificum,* ut patuit prius.

Quarta conditio, quod *formae non multiplicantur in eodem supposito;* et ideo dicit Commentator in libro *De Substantia orbis,* quod impossibile est simul plures formas substantiales esse in eodem subiecto. Et hoc est verum, nisi secundum diversas portiones materiae, in quibus sunt diversae partes formae, et ex quibus constituitur una forma. Secundo, istud est verum de formis *eductis de potentia materiae,* quia si in aliquo subiecto sit aliqua forma inhaerens *non educta* de potentia materiae, ut intellectus noster, *oportet de necessitate materiam habere unam aliam formam eductam de eius potentia;* quia impossibile est materiam * naturaliter * esse sine forma, ut patet *I. huius;* et hoc intelligitur de forma educta de potentia materiae.

Quinta conditio, quod *forma materialis generatur de novo, ita ut nihil ipsius praefuit in materia.* Et ista conditio ponitur propter duo: *Primo,* ad removendum opinionem Anaxagorae, qui ponebat, quod formae ante generationem *praeexistebant in materia,* sed latebant; sed per alterationes et generationes removebatur impedimentum. Et apparet, quod hoc non est verum, quia iam non esset *generatio simpliciter;* imo omnis mutatio esset *alteratio. Secundo,* ad removendum opinionem Alberti et quorumdam aliorum, qui ponebant *formam praeexistere in materia ante generationem secundum unam partem sui, et secundum aliam de novo generari in materia;* ita ut ponerent formam habere duplex esse: quoddam esse *diminutum,* secundum quod praeexistebat in materia ante generationem; et aliud esse *perfectum,* et illud adquiritur per generationem.

Sexta conditio, quod *forma substantialis non est intensibilis, nec remissibilis.* Quod patet, quia unus non denominatur *magis* homo vel *minus* homo quam alter; et ideo cum nomina sumpta a formis substantialibus non praedicentur cum istis adverbiis *magis et minus,* signum est quod ipsae formae non recipiunt *magis* et *minus;* et hoc habet videri *I. de Generatione* et *I. Coeli.*

Septima conditio, quod *forma est magis natura quam materia;* et hoc videbitur *II. huius.* — *Physic.* I. q. 24. nn. 3, 4.

Formae contrariae multiplices. — Sunt *formae contrariae* quaedam *absolute* contrariae, ut *albedo* et *nigredo;* quaedam *relative,* quae videntur contraria, ut *magnum* et *parvum;* quaedam videntur simpliciter *absoluta,* sunt tamen *includentia respectus.* — Praeterea, quaedam *non sunt simul in eodem,* alia *simul stant,* sicut *ignorantia* dispositionis de una conclusione, et *scientia* de alia, sicut *amare summe* unum, et *odire summe* aliud non sunt contraria, imo unum oritur multoties ex alio. — *Report.* III. d. 15. n. 11.

Forma — Figura. — *Forma uno* modo est *transcendens,* secundum quod sumitur in principio *sex Principiorum; alio* modo

est *exterior dispositio* rei animatae vel *decens lineatio.* — Similiter *figura uno* modo significat *superficiem inclusam* vel *terminatam lineis; alio* modo *ipsam terminationem* vel *clausionem superficiei.*

Haec duo, secundum duo prima significata, non pertinent per se ad genus *qualitatis,* sed secundum alia duo; et secundum illa sunt *subalterna,* ita quod *omnis forma est figura,* et non e converso; vel praecise loquendo, sunt duo *disparata.*

Quod *forma* habeat secundam significationem, patet per Porph. *cap. de Specie,* qui dicit, quod *species uno modo dicitur forma uniuscuiusque;* ubi *forma* significat idem quod *decor,* sive *exteriorem dispositionem rei animatae,* secundum quod patet per exemplum eius, scilicet, *Species Priami prima digna est imperio,* et secundum quod dicitur in *IV. Ethic.,* quod *parvi* possunt esse *formosi* et commensurati, id est, *decenter lineati.*

Si *forma* est *decens lineatio,* et *figura clausio* vel *terminatio superficiei,* tunc *absolute* sumpta sunt *subalterna,* sed *cum praecisione* sumpta sunt *diversa.* Si autem *figura* sit *exterior dispositio rei animatae,* sunt *omnino diversa.* Convenienter tamen possunt poni *unus* modus *qualitatis,* quia superaddunt essentiae qualitatis hanc rationem *unam* generalem, quod est *exterius disponere,* vel *constare circa aliquid,* et non *intra;* quae ratio, si accidat essentiae qualitatis, non mirum est haec duo non constituere *speciem qualitatis,* sed *modum.* — *Super Praedicamenta,* q. 36. n. 11 et 12. — Vid. *Qualitatis Modi seu Species.*

Forma fixa — dependens. — *Quaedam* formae habent esse *fixum,* non dependens continue a sua causa quasi *in fieri,* sicut calor in ligno. — *Quaedam* habent quasi *continuam dependentiam* ad suam causam, sicut lumen in medio ad solem. Et hoc dicit Augustinus, *VIII. super Gen. ad litter.* dicens, quod *aër non est factus lucidus, sed fit lucidus.* — *Primae* formae, propter suam independentiam in esse, non habent rationem *actionis,* nec motus. *Secundae,* propter continuam suam dependentiam, magis videntur habere esse *in fieri* quam *in facto esse;* et ita habent esse, quia semper, dum sunt, aeque causantur, sicut in primo instanti quando incipiunt esse, et ideo causa cessante causare, istae formae cessant esse. Non tamen ex hoc sequitur, quod sunt actiones de genere *actionis,* sed oppositum, quia sunt termini talium actionum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 9. n. 10. — Potest enim forma substantialis esse principium actionis de genere *actionis,* et actionis de genere *qualitatis.* — *Ib.* d. 7. n. 21. — Cf. *Quodlib.* q. 13. n. 32.

Forma imperfecta. — Non dicitur forma *imperfecta* ex hoc solo quod non communicat suam perfectionem alteri, sicut nec ipsa perficitur in hoc quod communicat; sed dicitur imperfecta ex carentia perfectionis esse totius, quae carentia concomitatur illud *non communicare.* — *Quodlib.* q. 9. n. 18.

Forma inducta — fluens. — Forma *inducta* per productionem, cuiusmodi est essentia, non est eiusdem rationis cum forma quae est *fluens,* vel secundum quam est fluxus, cuiusmodi est productio. — Forma quae est *terminus fluxus* non habet distinctionem specificam, sicut illa forma quae est *fluens,* vel secundum quam est fluxus. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 30. — Cf. ib. d. 36. n. 15. — II. d. 2. q. 4. n. 9. — IV. d. 12. q. 4. n. 18.

Formaliter — Ex natura rei. — Expono duo vocabula, quod est *esse in Deo ex natura rei,* et esse ibi *formaliter.* — Dico autem aliquid esse in alio *ex natura rei,* quod non est in eo per *actum intellectus negotiantis,* nec per actum *voluntatis comparantis,* et universaliter, quod est in alio *non per actum alicuius potentiae comparantis.* — Expono etiam hoc vocabulum *formaliter.* Dico autem *esse formaliter tale,* sive *esse in alio formaliter,* quod non est in eo *potentialiter,* ut *album* in *nigro;* nec *virtualiter,* ut *effectus* in sua *causa* est. Nec hoc dico *formaliter* esse in aliquo quod est in eo *confuse* et cum quadam commixtione; sed dico esse *formaliter* in aliquo, in quo manet secundum suam *rationem formalem* et *quidditativam;* et esse *tale formaliter* est includere ipsum secundum

suam rationem formalem *praecisissime* acceptam. — *Report.* I. d. 45. q. 2. n. 5. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Formaliter tale. — Non dicitur aliquid *formaliter tale* quia illud efficiat, sicut sol non dicitur * *formaliter* * *calidus,* licet calorem efficiat, sed quia talem *formam recipit,* ab illa forma denominatur. — *De Anima,* q. 12. n. 9.

Forma materialis. — *Formam materialem* dico esse omnem illam quae *ex natura sua necessario inclinatur naturaliter, ut sit actus materiae,* sive sit *substantialis,* sive *accidentalis.* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. 28.

Forma *materialis* potest intelligi *dupliciter:* — *uno* modo dicitur quae *educitur de potentia materiae* vel quia *utitur organo corporeo* in operando; et isto modo forma *intellectiva non est forma materialis.* — *Alio* modo dicitur forma *materialis,* quia *perfectio materiae;* et isto modo *anima intellectiva est forma materialis;* ideo aliquam variationem potest accipere a materia quam perficit, quia *ex materia et forma* fit *vere unum.* — *Poster.* I. q. 2. n. 4. — Vid. *Forma substantialis — accidentalis.*

Forma materiaque duplex. — *Materia* et *forma* opponuntur relative, ex *II. Physic. text. com. 26,* et *quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum,* ex *I. Topic.* c. 12. — *Forma* autem accipitur *dupliciter,* scilicet: pro forma *partis,* quae est altera pars compositi, vel pro forma *totius,* quae est ipsa *quidditas.* — Similiter *materia* correspondenter dicitur *dupliciter:* quia *quaedam* est materia quae opponitur *formae partis,* et haec est materia quae est *principium essentiale* rei constituens cum forma *unum ens per se; quaedam* est materia quae opponitur *formae totius* et ipsi quidditati, et per consequens est *extra rationem quidditatis rei formaliter.* Haec congrue et proprie vocatur *materia,* quatenus constituit rem in esse ultimo *subiectibili* et *materiali,* non autem in esse formali, quia, ut dictum est, non pertinet formaliter ad formalem quidditatem rei. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 6. n. 61. — Vid. *Materia — Forma.*

Forma perficiens passum dupliciter consideratur. — Vid. *Paternitas — Generatio activa.*

Forma per se esse est tripliciter. — *Tripliciter* potest intelligi *formam per se esse: uno* modo quod per ly *per se* excludatur *inesse* formae ipsi materiae, sive formae *accidentalis,* sive *essentialis,* vel *substantialis.* — *Alio* modo * quod excludatur * *inesse quidditatis* sive *naturae* ipsi supposito, et hoc *actuali.* — *Tertio* modo * quod excludatur *inesse* * *aptitudinale* et *potentiale* et utrumque *inesse.* — *Oxon.* I. d. 7. n. 22.

Forma principium subsistendi — cognoscendi. — Rei *formam* * Aristot. * vocat rei *substantiam* et *quod quid est. Substantiam* quidem, inquantum ipsa est *principale* principium *cognoscendi;* nam *quod quid est* est obiectum intellectus, ex *VII. De Anima.* Vel aliter: *substantiam,* inquantum est *principalius* principium *essendi; quod quid est,* inquantum est *principalius* principium *definiendi,* nam *principalior* pars *definitionis* est *differentia,* quae a *forma* rei sumitur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 3. c. 1. n. 71.

Forma proprie — appropriate. — Vid. *Baptismi forma.*

Forma substantialis — accidentalis. — Forma *substantialis* dat esse *simpliciter* (1): non quidem esse primum, quod scilicet immediate sequitur *non esse* simpliciter, sed dat esse simpliciter, ut distinguitur contra esse *secundum quid.* — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 43-44-50. — *Accidentalis* autem *secundum quid.* — Ex hac sequitur *alia* differentia, quod forma *accidentalis* advenit enti *simpliciter, substantialis* autem enti tantum *in potentia.* — *Tertia* differentia est, quod *substantiae* est generatio *simpliciter,* quia de potentia simpliciter ad esse simpliciter; *accidentis* autem *secundum quid.* — *Ib.* n. 26.

Philosophi distinxerunt inter formam *substantialem* et *accidentalem a posteriori,* utpote per ista media: *habere contrarium* et *non habere; recipere magis* et *mi-*

---

(1) Vid. *Ens simpliciter duplex.*

nus, et *non recipere:* secundum eam *posse esse motum* et *non esse*, et huiusmodi. — Sed ad rem breviter dico, unum esse medium per quod manifestius distinguitur quantum ad cognitionem nostram quae forma adveniens enti *in actu* sit *substantialis*, et quae *accidentalis*. Quamdiu enim proceditur *in substantialibus* semper *posterior* est *perfectior prioribus*. Quando autem venitur ad *accidentales, sequens* est *imperfectior ultima praeexistente*. — Quae autem sit *perfectior*, hoc nobis innotescere non potest nisi *a posteriori*. — *Ib.* n. 44. — Cf. II. d. 12. q. 1. n. 9.

Substantialis est *duplex:* quaedam *materialis*, ut forma *asini*, quae est inhaerens materiae, informans ipsam, et educta de potentia eius (1): et quaedam est *immaterialis*. — Et talis quaedam est *inhaerens* materiae, ut intellectus noster, qui informat materiam, licet *non sit eductus* de potentia materiae. Ex quo sequitur, quod ista consequentia non valet: *ista forma est inhaerens materiae; igitur est materialis;* quia ex eo solo dicitur forma *materialis*, quia est *educta de potentia materiae*. — Sed alia est forma *immaterialis* non *inhaerens materiae*, nec informans materiam.

Ex quibus patet, quod hoc nomen *forma* est aequivocum, quia *aequivoce* dicitur de praedictis formis; nam de forma materiali inhaerenti dicitur *ab informando*, sed de aliis non; quia quodlibet aliorum est vel potest esse suppositum *per se existens*.

Forma *accidentalis* accipitur *dupliciter:* Uno modo pro *qualitate inhaerente* substantiae a qua substantia denominatur *accidentaliter*, ut *albedo, caliditas*, etc. — Alio modo pro *termino accidentali* connotante rem aliqualiter se habère, licet connotatum non sit res distincta a re significata per illum terminum; et sic isti termini *dextrum et sinistrum, figuratum*, et huiusmodi, possunt dici formae *accidentales*. — *Physic.* I. q. 24. n. 2.

Fortitudo. — Vid. *Beatitudines* = *Concupiscibile* — *Irascibile* = *Habituum divisio*. = *Spiritus Sancti Dona*.

(1) Vid. *Forma materialis*.

Fortuitum. — Vid. *infr. Fortuna*, etc. = *Effectus casualis* — *fortuitus*.

Fortuna bona. — *Bonam fortunam* distinguit Philosophus *dupliciter* penes ea in quibus est, hoc est, *penes effectus bonae fortunae*. Et est *prima distinctio* ista: *Fortuna bona* est in his quae non in nobis existunt, hoc est, *quorum non sumus domini*. Sicut exemplificat, *nobilem bene fortunatum* dicimus, et totaliter cui talia existunt quorum ipse non dominus est. — *Alio* modo *bona fortuna* est in his quae sunt *in nobis;* etenim, cui *praeter cognitionem suam* acciderit aliquod bonum operari, *bene fortunatum* dicimus; sine ratione enim habens impetum ad bonum, et hoc adipiscens, dicitur *bene fortunatus*. Vel planius: *intendens unum*, et in exequendo *adipiscens aliud non intentum*, et tamen *bonum*, dicitur in hoc habere *bonam fortunam*.

Ista distinctio *bonae fortunae penes effectus* videtur esse in illud quod est *proprie* tale, et in illud quod est *communiter*, vel *minus proprie* tale; nam *proprie bona fortuna* videtur esse illorum quae *sunt in potestate nostra*, sicut et absolute fortuna; et hoc sic intelligendo, quod licet *fortuitum* non sit *per se* sive *primo* in potestate voluntatis, quia non evenit ex intentione eius, tamen est in potestate eius *per accidens* et quasi *secundario*, ut annexum *per se intento*. Respectu autem illorum quae nec sic, nec sic sunt in nostra potestate, et per consequens accidunt nobis, non inquantum agentibus *a proposito*, non est proprie *fortuna*, sed *casus*, sicut patet *II. Phisyc.*

Alia est distinctio *bonae fortunae* secundum *effectus*, scilicet, *per se*, et *per accidens*. — Effectus *per se* est *bonum sumere;* effectus *per accidens* est *malum non sumere:* et haec distinctio saepe tangitur in illo libro.

Nullus dicitur *bene fortunatus* eo quod *semel* sibi *bene* accidit *fortuite*. — Nullus dicitur *bene fortunatus* ex hoc praecise quod sibi *semper fortuite bene* accidit... Aliquis dicitur *bene fortunatus* quia sibi, *ut in pluribus, bene fortunate* accidit. Unde secundum Aristotelem, *I. Ethic., una hirundo non facit ver;* sic unus actus, et

similiter unus eventus effectus *fortuiti* non facit hominem *bene fortunatum*, sed quando accidit ei *ut in pluribus*.

Sed estne aliquis universaliter *bene fortunatus?* Hoc potest dupliciter intelligi: uno modo, ut *cuilibet* intento ab eo *per se* sit *semper* annexum aliquid bonum *per accidens*. — Alio modo, sic ut sit talis, quod quandocumque est annexum sibi aliquid fortuitum, *illud sit bonum*. — Et credo quod neutro modo aliquis dicitur *universaliter bene fortunatus* sine miraculo speciali. — Sed *ut in pluribus* potest aliquis esse *bene fortunatus;* et hoc *aliquando* quantum ad bona *similia* coniuncta *similibus* propositis * seu intentis *, ut quando evenit *victoria* coniuncta voluntati *bellandi*. *Aliquando* quantum ad *dissimilia* bona *dissimilibus* propositis. *Aliquando* e converso, quantum ad bona *dissimilia similibus* propositis. — Et sic est possibile aliquem *ut in pluribus* esse *bene fortunatum*, ut patet per experientiam.

Sed in quibus consistit *bona fortuna?* Aristoteles dicit *primo Rethoricae suae*, quod in duobus, scilicet: in *assequendo* bonum praeter intentum, et *fugiendo* malum, ut si quis non incidit in latrones.

Alio modo distinguitur bona fortuna secundum Aristotelem, in lib. de *bona fortuna*, quod scilicet bona fortuna dicitur respectu eorum quae *in nobis sunt*, ut quando aliquis *intendit unum* per se, et *aliud evenit*. — Alio modo respectu eorum quae *non sunt in nostra potestate*, ut quod aliquis sit *nobilis*, et *pulcher*, *dives nascatur*, etc. — Et ista distinctio *fortunae* est in fortunam *proprie* dictam, et *minus proprie* dictam, quae magis dicitur *casus;* quia non est ab agente *a proposito*, quia non est talis eventus in potestate nostra.

Sed, quae est causa essendi *bene fortunatum*, et hoc de bona fortuna *improprie dicta*, quae non est inpotestate nostra? Non invenio aliquid intrinsecum in homine propter quod debeat dici *bene fortunatus* isto modo; sed hoc accidit sibi ex concursu causarum exstrinsecarum, Deo disponente, secundum Theologos. — *Quodlib.* q. 21. nn. 5-8.

Secundum Fidem et veritatem, dicendum est, quod Deus habens providentiam generalem de omnibus, regit res secundum quod natae sunt regi, secundum quod dicitur *VII. de Civ.* c. 30: *Sic Deus res quas condidit*, etc. Tamen praeter istam *generalem* providentiam habet providentiam *specialem*, ex quadam electione, secundum quam providet unicuique hominum. — *Ib.* n. 15. — Cf. *Physic.* II. qq. 10-12. — Vid. *infr. Fortuna bona mala.* = *Casus fortunaque tripliciter sumuntur.* = *Fortuna — Casus.*

Fortuna bona — mala. — Quaedam est *fortuna bona*, scilicet, *quando aliquod bonum evenit;* et quaedam *mala*, scilicet, *quando aliquod malum evenit.* — Sed *eufortunium* et *infortunium* dicuntur *secundum exellentiam*, ita ut quando aliquod *magnum* bonum evenit, tunc dicitur *eufortunium*, vel etiam quando *magnum* malum *evitatur*. Sed tunc dicitur *infortunium* quando aliquod *magnum* bonum *amittitur*, vel *evenit magnum* malum. Et sicut ille dicitur *fortunatus* qui *acquirit* unum magnum bonum, ita similiter ille qui *est prope acquirere* magnum bonum, dato quod non acquirat; quia *quod parum distat nihil distare videtur.*

Et subdit Aristoteles, quod *eufortunium* est valde *incertum;* quia fortuna est valde incerta: modo *eufortunium* est quaedam fortuna. Et hoc dicit pro tanto, secundum Commentatorem, ne homo in ista vita humana nimis confidat de eventu fortuitu alicuius magni boni. Et ideo concludit, quod fortuna non est causa in his quae fiunt *semper* vel *frequenter*. — *Physic. II. exposit. text.* 55-56.

Fortuna — Casus. — Cum *natura* et *propositum* sint duae causae agentes *propter finem*, et sint causae *per se*, eis correspondent aliae duae causae *per accidens*, scilicet *casus* et *fortuna*, ut patet ex *II. Physic. text. com. 50*, et inde (1); ita quod *fortuna* correspondet et reducitur ad *agens a proposito;* puta si aliquis a proposito et per electionem fodiat foveam pro plantanda planta, et inveniat thesaurum, ista inventio thesauri dicitur effectus *fortuitus*. — *Casus*

(1) Vid. *exposit. Doctoris.*

autem reducitur et correspondet ad *naturale agens*, puta si *tripes* cadens stet; ideo dicitur *II. Physic. text. com. 60* (1), quod tripes cecidit, et *a casu* stetit. — Bene ergo ait Philosophus, quod *fortuna* est causa per *accidens*, in his quae fiunt *propter finem* et *secundum electionem*, id est, *a proposito* (2). — *Exposit. Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 3. c. 2. n. 67. = Vid. *omn. loc. inf. cit.*

Fortuna est causa per accidens secundum propositum extra semper et frequenter eorum quae propter hoc fiunt. Et ponitur ibi *causa* tanquam genus, ad differentiam *effectus*. Et ponitur ibi *per accidens*, ad differentiam causae *per se*. Et ponitur *secundum propositum*, ad denotandum, quod licet *casus* et *fortuna* sint agentium secundum propositum, tamen non dicuntur *casus* et *fortuna*, nisi respectu effectus qui eveniunt praeter intentionem. Et ponitur *extra semper et frequenter* * (nempe *non semper nec frequenter*) *, quia si effectus esset natus consequi de necessitate vel frequenter ad illas causas, non diceretur *fortuitus* respectu illarum causarum. Et ponitur *eorum quae propter hoc fiunt;* quia propter effectus *inutiles*, qui non sunt notabilis bonitatis vel malitiae, non dicitur aliquis *fortunatus* vel *infortunatus*.

Et subdit Aristoteles, quod *intellectus* * (causa a proposito) * et *fortuna* sunt idem, sed dicitur *fortuna* respectu *non intenti*, et dicitur *intellectus* respectu effectus evenientis *secundum intentionem*. — *Phys. II. Exposit. text.* 52.

Fortuna * enim * non est aliqua causa per se distincta a *natura* et *intellectu* sive *proposito*, imo eadem voluntas, quae respectu effectus *intenti* est *per se* causa, respectu effectus *non intenti* dicitur esse *fortuna; intentum* quidem evenit *a proposito*, et ideo causatur *voluntarie; non intentum* evenit *praeter propositum*, et ideo causatur *fortuite*. — Falsa est ergo positio paganorum imaginantium *fortunam* esse quamdam deam, cui tanquam *causae per se* attribuunt effectus quos videmus *fortuite* evenire, et forte propter istum intellectum malum paganorum reprehendit Augustinus seipsum, *primo Retract.* c. 1: *non mihi*, inquit, *placet toties appellasse fortunam*, etc. Catholici autem potius debent talia attribuere Providentiae divinae — *Quodlib.* q. 21. n. 3. et 15. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 3. c. 2. n. 67. — *Ib.* lib. VI. n. 23. — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 2. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 29. — *Physic.* II. qq. 10, 11, 12, 13, 14.

* Quae ut perfectius intelligantur * notandum, quod ad quaestionem quaerentem *propter quid* de *effectu fortuito*, convenienter respondetur, quod *a fortuna;* et ideo in definitione *fortunae* convenienter ponitur hoc nomen *causa*, ad exprimendum habitudinem *fortunae* ad *effectum fortuitum*.

Secundo notandum est, quod quidam est effectus *intentus ab agente*, et respectu illius nullus dicitur *fortunatus* vel *infortunatus;* alter est effectus *non intentus*, et ideo in definitione *fortunae* ponitur haec dictio *per accidens*, ad denotandum quod effectus fortuitus *non sit intentus* ab agente, sed eveniat cum effectu intento aut loco intenti. Et ex hoc potest exponi illa auctoritas: *Ubi maximus intellectus, ibi minima fortuna;* quia *fortuna* non dicitur nisi respectu effectus *non intenti;* modo apud *maximum intellectum*, scilicet, apud *sapientem, paucissima* eveniunt *praeter intentionem*, vel saltem *pauciora* quam apud *minus prudentem*, cum * ille * plura praevideat. Ideo *paucissima* contingunt sibi a fortuna, eo quod *quasi omnia praemeditetur*.

Tertio notandum, quod effectuum non intentorum ab agente quidam nati sunt *necessario* vel *frequenter* evenire cum effectibus intentis, ut *mors* et *senectus* sunt effectus *non intenti* per naturam, et tamen *necessario* vel *frequenter* eveniunt cum effectibus *intentis*, scilicet, cum actione caloris in humidum. Ideo respectu istorum effectuum nullus dicitur *fortunatus* vel *infortunatus*. Sed alii sunt effectus *non intenti*, qui *raro* et in *paucioribus* nati sunt provenire cum effectibus *intentis*, ut *in-*

(1) Vid. *exposit. Doctoris*.
(2) Vid. *Natura*, etc.

ventio thesauri, fractio capitis, et huiusmodi; et ideo in definitione fortunae ponitur *extra semper et frequenter*, ad designandum quod effectus *non intentus*, respectu cuius agens dicitur *fortuna*, debet *raro* et *in paucioribus* evenire cum effectu *intento* illius agentis.

Quarto notandum, quod effectuum *non intentorum*, qui eveniunt *raro* vel *contingenter* cum effectibus *intentis*, quidam sunt *inanes* et *supervacui*, scilicet, quia nullius sunt bonitatis vel malitiae, vel saltem *non notabilis*, ut *casus pili* propter *fricationem barbae*, aut *disruptio festucae*; et respectu istorum effectuum nullus dicitur *fortunatus* vel *infortunatus*. Sed alii sunt effectus *notabilis* bonitatis vel malitiae, qui dicuntur *propter hoc*: non quia agens *ex intentione* agat *propter* illos effectus, sed quia *dignum fuisset egisse propter* ipsos si fuissent praesciti; et ideo in definitione *fortunae* ponitur haec particula *propter hoc*, ad designandum, quod effectus *fortuitus* sit *notabilis* bonitatis vel malitiae.

Quinto notandum, quod tunc aliquis *proprie* dicitur *fortunatus* vel *infortunatus*, quando *per actionem suam propriam voluntariam, praehabita deliberatione, agit aliquem effectum intentum, cum quo evenit aliquis effectus inopinatus notabilis bonitatis vel malitiae*; et ideo inanimata, et illa quae non habent usum rationis, ut ebrius, infans, bestiae, furiosus, et huiusmodi, non agunt aliquid a fortuna nisi *similitudinarie*; et ideo in definitione fortunae ponitur *secundum propositum*, ad designandum, quod effectus fortuitus eveniat cum effectu intento agentis voluntarie per deliberationem.

Ex his sequitur, quod * praedicta * definitio fortunae est bona. Probatur: illa definitio est bona, quae significat *explicite* et convenienter quidquid per definitum significatur * *implicite* *: sed ista est huiusmodi; ergo, etc. Quod ista sit huiusmodi, patet inducendo; quia ibi, * ut dictum est prius * ponitur nomen *causa* loco generis. — *Secundo* ponitur ibi hoc nomen *per accidens*, ad denotandum, quod effectus respectu cuius agens dicitur fortuna *non sit intentus*. — *Tertio* ponitur *extra semper et frequenter*, ad denotandum, quod effectus fortuitus *raro* eveniat cum effectu intento. — *Quarto* ponitur *eorum quae propter hoc sunt*, ad denotandum, quod effectus fortuitus sit *notabilis* bonitatis vel malitiae. — *Quinto* ponitur *secundum propositum*, ad denotandum, quod agens agat libere, et ex intentione per deliberationem effectum non fortuitum, scilicet illum cum quo evenit effectus fortuitus inopinatus.

Et notandum, quod si ista particula *secundum propositum* removeatur a definitione, tunc manet definitio *casus*; nam per illam particulam differt *fortuna* a *casu*; et tunc per hanc particulam, *eorum quae propter hoc sunt*, debet notari *notabile bonum*, ut apertio loci thesauri per grave descendens deorsum, aut *notabile malum*, ut fractio colli, aut aliquid aliud notabile admirationis, aut inconsuetudinis, ut casus tripedis super pedes deorsum.

Fortuna dicitur *uno* modo de causa *principali * secunda * remota*; et sic accipiendo fortunam, solet fortuna depingi per modum *rotae volubilis*. — *Secundo* modo dicitur fortuna de causa *principali immediata*, cuiusmodi est voluntas, vel intellectus, qui dicitur fortuna respectu effectus non intenti, et forma gravis dicitur *casus*. — *Tertio* modo dicitur fortuna de *dispositione*, mediante qua agens principale immediatum agit effectum intentum, mediante quo evenit effectus *fortuitus* inopinatus; et sic *volitio, cognitio, desiderium*, aut aliquid huiusmodi potest dici *fortuna*; sic etiam *gravitas* potest dici *casus*, quia gravitas est dispositio, mediante qua forma gravis movet deorsum. — *Quarto* modo fortuna dicitur de *effectu intento*, cum quo immediate evenit effectus *non intentus*.

Et sic patet, quod de quolibet agente *concurrente ad effectum fortuitum* potest dici *fortuna*, licet diversimode. Tamen in proposito definitur *fortuna* ut dicitur de agente principali immediate. — *Physic.* II. q. 11.

Fortuna nihil aliud est quam *intellectus* agens praeter intentionem operantis; et *casus* nihil aliud est quam *natura* ope-

rans sine intentione. — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 1. n. 3.

Prima differentia * inter *casum* et *fortunam* * est, quod *casus se habet in plus quam fortuna.* Nam quidquid evenit a fortuna evenit etiam a casu et non e contra, quia solum illis evenit a fortuna quibus potest bene contingere vel male.

Secunda differentia est, quod *fortuna* semper est *circa practica,* id est, circa operationem *voluntariam,* cuius signum est quod fortuna vel est felicitas, vel prope felicitatem: modo felicitas est quaedam praxis, id est, operatio voluntatis, immo est *eupraxia,* id est, *bona operatio voluntatis;* et ideo quibus non convenit aliquid agere voluntarie, non accidit aliquid a fortuna.

Et ex hoc infertur corollarium: quod *nullum inanimatum, nec infans, nec bestia* agit aliquid a *fortuna.* — *Phys. II. Exposit. text.* 57, 58.

Patet igitur quid sit *fortuna* et quid *casus,* et quomodo differunt ab invicem. — *Ib.* q. 11. — Vid. *Casus* = *Casus fortunaque tripliciter sumitur* = *Effectus casualis vel fortuitus.*

Forus duplex. — In Ecclesia est *duplex forus:* unus *secretissimus,* in quo idem est accusator et reus; et ad istum pertinent claves praedictae (1). — Est autem alius forus *publicus,* quia et Ecclesia habet auctoritatem corrigendi delicta publica; et ibi requiritur *duplex auctoritas,* sicut ad quodlibet iudicium rectum requiritur *cognitio* in causa illa et *sententiatio.* Istae auctoritates pertinentes ad forum publicum possunt dici *claves.*

De hac potestate data Ecclesiae habetur *Matth.* 18 (2), dicente Christo Petro: *Si peccaverit in te frater tuus,* et sequitur tandem: *dic Ecclesiae; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* et sequitur: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelis,* et *quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelis.* Ex quo patet, quod Deus approbat *solutionem* et *ligationem* Ecclesiae factam in *foro publico,* quam qui contemnit habendus est sicut ethnicus et publicanus. In hoc foro *clauditur* Ecclesia, scilicet communio fidelium, per *excommunicationem,* et *aperitur* per *absolutionem* ab excommunicatione seu reconciliationem.

(1) Vid. *Clavis spiritualis.*

(2) V. 15 et seqq.

Ex hoc patet, quod istae claves non sunt eaedem cum prioribus clavibus, quia istae separantur ab illis, utpote in habentibus iurisdictionem secundum ordinationem Ecclesiae sine Sacerdotio, ut in Archidiacono, et quibusdam aliis habentibus iurisdictionem secundum ordinationem Ecclesiae sine ordine Sacerdotali; et e converso, ut est in quibusdam, scilicet communibus Sacerdotibus, quibus non est data haec potestas excludendi ab Ecclesia vel reconciliandi. — *Oxon.* IV. d. 19. n. 15. = *Ib.* d. 14. q. 4. n. 4. = *Report.* IV. d. 12. n. 18.

Frequenter. — Vid. *Raro* — *Frequenter,* etc.

Frui — Fruitio. — Habemus igitur (1) ad propositum quatuor distincta: actum *imperfectum* volendi bonum *propter aliud,* qui vocatur *usus;* et actum *perfectum* volendi bonum *propter se,* qui vocatur *fruitio;* et actum *neutrum;* et *delectationem* sequentem actum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 3. n. 2.

Cui * autem * istorum conveniat istud nomen *frui,* sicut potest colligi ex auctoritatibus loquentium de isto vocabulo *frui,* planum est, quod *fruitio* non est actus *neuter,* nec actus *usus;* sed tantum est altercatio de actu *perfecto,* et de *delectatione* consequente actum *perfectum.* — Aliquae auctoritates videntur dicere, quod *frui* est actus *perfectus* tantum; aliquae, quod delectatio *tantum;* aliquae, quod *includit utrumque.* — *Ib.* n. 3. * *ubi auctoritatibus adductis Augustini, ita pergit:* *

Quod autem sit magis proprium significatum vocabuli difficile est probare; tamen aliquo modo potest coniici ex usu vocabuli. Istud enim vocabulum *frui* construitur cum ablativo significante obiectum *ex vi transitionis,* qualis constructio appropriatur verbis significantibus *actum:* non autem construitur cum obiecto in ablativo *ex vi cau-*

(1) Vid. *Voluntatis assensus duplex.*

sae, qualis constructio debetur *passionibus* significati per verba pure passiva. Non enim ita dicitur: *fruor in Deo,* sicut dicitur: *delector* in Deo; vel *Deus delectat me;* sed dicor *frui Deo* transitive, sicut dicor *amare Deum;* et istud videtur esse magis proprium significatum vocabuli.

Sed de vocabuli significato non est contendendum, quia secundum Aug. *I. Retract.* cap. 14., *Cum res constat, non est vis facienda in nominibus:* res autem constat, quia voluntas habet *triplicem actum,* et *quartum,* puta passionem consequentem; et patet quod duobus actibus nullo modo convenit hoc nomen *frui.* Sed pro *altero* aliorum duorum, et pro *ambobus* simul, videntur aliqui uti isto vocabulo, et tunc *erit nomen aequivocum;* vel si est univocum, oportet auctoritates quasdam exponere, quod loquuntur *causaliter* vel *concomitanter.* — *Ib.* n. 5.

* *Praedicta brevius sequentibus explicantur:* *

Utrum *fruitio* significat actum *elicitum* tantum, vel tantum *delectationem* consequentem, vel *utrumque simul,* est controversia de significato huius nominis; et hoc est propter magnam connexionem *delectionis* et *dilectionis* (1); inseparabiliter enim concomitantur delectatio et dilectio actum *fruitionis,* quia si illa bona, et e converso.

Quaedam tamen auctoritates videntur dicere quod *frui* sit *tantum* quid elicitum, scilicet *diligere;* aliquae autem quod sit *delectatio tantum;* et aliquae quod *utrumque.* — Quod significat actum elicitum, scilicet *dilectionis,* videtur Augustinus dicere, *lib. I. de doctrin. Christian.* cap. 1: *Frui est amori inhaerere propter se.* — Quod sit idem quod *delectatio,* videtur Augustinus dicere, lib. *X. de Trin.* cap. 10: *Fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit,* ubi exprimitur utrumque. — Si ergo volumus dicere quod significat *tantum unum* ut actum *elicitum,* auctoritates sunt glossandae, quia exprimunt utrumque, dicendo quod loquantur de fruitione quantum ad eius *totalitatem* vel *concomitantiam.* Si vero *utrumque,* oportet tunc dicere quod *frui* est aequivocum, cuius nomen est *unum,* et res *diversa* (1) et non una, sicut *Ilias* est nomen unum, et res diversas significat. — *Report.* I. d. 1. q. 3. n. 7.

(1) Vid. *Dilectio — Delectatio.*

Frui proprie — abusive — extensive. — *Frui* nihil dicit nisi actum inhaerendi obiecto propter se, quem concomitatur delectationis quietatio, sive qui est ipsa quietatio (2), hoc est, actus ultimate terminans potentiam, inquantum potentia seipsam terminat * (*alias* quietat) * actu suo. Ita quod de ratione *fruitionis,* si dicit *actum,* non videtur esse quod ipsa quietet potentiam quantum est ex parte *potentiae* obiecto propter se inhaerentis. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 3.

Appetitus *sensitivus,* licet aliqualiter alicui inhaereat propter se, id est non propter alterum *negative,* quia non est eius referre ad aliud, non tamen *contrarie,* quia non appretiatur obiectum ut non referibile ad aliud, ideo *abusive* dicitur *frui* propter non relationem, non tamen *proprie,* quia non *irreferibiliter* inhaeret; similiter nec *amore* inhaeret, quia eius proprie non est amare; similiter nec *proprie* inhaeret, quia non *se applicat* obiecto, sed ducitur, secundum Damascenum, lib. II. c. 24. — *Ib.* n. 5.

* Nec obstat quod ait * Augustinus, 83 QQ. q. 30., *frui qualibet corporali voluntate non absurde aestimantur et bestiae:* patet * enim * quod exponenda est auctoritas eius de fruitione *abusiva,* sive extendendo fruitionem, quia appetitus sensitivus non refert nisi intelligendo *negative,* non *contrarie,* quia non inhaeret obiecto tanquam *irreferibili.* — *Ib.* n. 6.

Si ab appetitu sensitivo negatur *frui proprie,* qui tamen magis convenit cum voluntate, cuius *proprie* est frui, quam appetitus naturalis, sequitur, quod habenti solum appetitum naturalem non convenit *frui proprie,* imo nec sic *abusive* sicut competit appetitui sensitivo. — *Ib.* n. 5. — Vid.

(1) Vid. *Aequivocatio* etc. — *Aquivocum* etc.

(2) « Ratio enim boni fruibilis non est ratio boni in communi, sed boni *perfecti,* quod est bonum non habens defectum, vel saltem secundum *apparentiam* est tale, vel secundum praefixionem voluntatis ». — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 12.

Appetitus animalis — rationalis — naturalis.

* In hac Augustini auctoritate * 83 QQ. q. 30, *fruendum est bonis invisibilibus, frui* accipitur *extensive* pro amore honesti, distincto contra amorem utilis et delectabilis. — *Ib.* n. 6.

Fruitio in communi — ordinata. — *Fruitio* potest accipi pro fruitione *in communi*, vel * pro * *ordinata.* — *Report.* I. d. 1. q. 1. n. 2. — Primo * ergo * distinguam de fruitione *ordinata* et *in communi* sumpta: *secundo* dicam de *obiecto* fruitionis *ordinatae: tertio* de obiecto fruitionis *in communi: quarto* quomodo sit intelligendum fruitionem esse circa *finem*, sive *vere* ultimum sive *non vere* ultimum.

De *primo* dico, quod fruitio *in communi* excedit fruitionem *ordinatam;* quia quandocumque potentia non determinatur ad actum ordinatum ex se, actus eius *in communi* universalior est actu eius *ordinato:* voluntas autem non determinatur ex se ad fruitionem ordinatam; quod patet, quia *summa perversitas est in fruendo utendis,* secundum Augustinum, *83 Quaestion.* q. 30; ergo, etc.

Est autem fruitio *ordinata* qualis nata est esse recta, *quando* scilicet *ordinatur secundum circumstantias debitas;* fruitio autem *in communi* est *sive habeat illas circumstantias sive non.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 2. — *Report.* ib.

Quantum ad *secundum*, videtur esse opinio Avicennae, quod *ordinata* fruitio potest esse circa aliud a fine ultimo. — *Contra* istud: potentia non quietatur nisi ubi est obiectum suum perfectissime et in summo: obiectum potentiae fruentis est ens in communi, secundum * ipsummet * Avicennam, *I. Metaph.* cap. 5; ergo non quietatur potentia fruens nisi ubi est perfectissimum ens, hoc est summum. — *Item,* potentia quae inclinatur ad multa obiecta per se non quietatur in aliquo uno perfecte, nisi illud includat omnia per se obiecta, quantum possunt includi in aliquo per se uno: sed potentia fruens inclinatur ad omne ens sicut ad per se obiecta; ergo non quietatur in aliquo uno ente, nisi illud includat omnia entia, quantum possunt includi in aliquo uno: possunt autem tantum perfectissime includi in uno ente infinito; ergo potentia potest tantum quietari ibi in summo. — *Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 2.

Teneo igitur quantum ad hunc articulum hanc conclusionem: quod *fruitio ordinata habet tantum ultimum finem pro obiecto;* quia sicut tantum assentiendum est per intellectum primo Vero *propter se,* ita tantum assentiendum est primo Bono per voluntatem propter se. — *Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 2-3.

De *tertio* dico, quod obiectum fruitionis *in communi* est finis ultimus, vel *verus* finis, quod scilicet est finis ultimus *ex natura rei;* vel *apparens,* qui scilicet ostenditur a ratione errante tanquam finis ultimus; vel finis *praestitutus,* quem scilicet voluntas ex libertate sua vult tanquam finem ultimum. — *Oxon.* ib. et q. 2. n. 12. — Obiectum * igitur * fruitionis *in communi* quodcumque bonum esse potest: sive bonum quod *est revera* ultimus finis, sive bonum quod *apparet* esse ultimus finis, sive sit bonum *praestitum* ut ultimus finis.

Quod *primum* potest esse obiectum fruitionis praeostensum est. — Quod *secundum* probatur: si ratio erronea ostendat voluntati aliquod apparens bonum tanquam summe bonum, convenit voluntatem illo frui. — *Report.* ib. n. 3. — *Tertium* probo: quia sicut in potestate voluntatis est velle et non velle, ita in potestate eius est *modus* volendi, scilicet referre et non referre, quia in potestate cuiuscumque agentis est agere et modus agendi; ergo in potestate sua est aliquod bonum velle propter se, non referendo ad aliud bonum, et ita sibi praestituendo *finem.* — *Oxon.* q. 1. ib.

Exponendum * nunc * est *quomodo* finis ultimus ponitur per se obiectum fruitionis; hoc enim non est intelligendum ita quod *ratio finalis* sit ratio *obiectiva* actus fruitionis; imo ratio finis est *concomitans* obiectum fruitionis; quia nulla *relatio rationis,* maxime ad creaturas, est per se ratio obiecti fruitionis, quia tunc esset ratio beatificandi; sed obiectum *ut in se existens* beatificat. — *Report.* ib. n. 4.

De *quarto* * ergo * dico, quod ratio finis non est propria ratio obiecti fruibilis, nec in fruitione *ordinata*, neque in fruitione *communiter* sumpta. — Quia non in *ordinata* patet: tum quia tunc *respectus* includeretur in obiecto beatifico inquantum beatificum: tum quia iste respectus est *ens rationis* tantum: tum quia si per impossibile esset aliud obiectum summum bonum, ad quod non ordinaretur ista voluntas sicut ad finem, adhuc illud obiectum quietaret, in quo tamen per positum non esset *ratio finis.* — Respectu ergo fruitionis *ordinatae* ratio finis secundum veritatem concomitatur obiectum fruibile, vel forte in apprehensione praecedit fruitionem. — In fruitione inordinata finis *apparentis* ratio finis concomitatur apparenter obiectum fruibile, et forte in apprehensione praevia praecedit fruitionem eliciendam, quasi ratio obiecti alliciens. — Sed in fruitione finis *praefixi* ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum obiecti, ut talis finis praefixus actu terminat ipsum actum, quia voluntas appetendo illud propter se tribuit sibi rationem finis. — *Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 4. — Non enim quia ostenditur sub ratione finis, ideo appetitur; sed quia appetitur propter se, consequitur ratio finis. — *Report.* ib.

De *facto* * et in *concreto* * dico, quod erit una fruitio et una visio essentiae * divinae * in tribus Personis. -- *Oxon.* ib. q. 2. n. 11. — Sed obiectum fruitionis oportet, quod sit aliqua bonitas *quidditativa*, et non perfectio *suppositi*, quia perfectio suppositi, ut distinguitur contra perfectionem quidditativam, nec est formalis ratio agendi, nec est formalis ratio termini alicuius actionis. Perfectio autem quidditativa non est nisi perfectio abstracta a supposito, quae de se respicit omne suppositum indifferenter, et ideo bonitas, ut terminat actum fruendi, oportet quod sit tantum perfectio quidditativa. — *Ib.* n. 12.

Fruitio summa. — Animam posse *summe frui*, potest intelligi *dupliciter:* vel *formaliter*, vel *effective:* hoc est, vel quod summa fruitio *informet* istam voluntatem, a quocumque causetur, vel quod ipsa voluntas *eliciat* summam fruitionem, vel sit causa effectiva respectu eius. — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 18.

Fulgor. — Vid. *Lumen* — *Lux*, etc.

Fulguratio — **Fulmen.** — Aliquando in nube includitur exhalatio calida et sicca, subtilis, dispersa per nubem, quae propter contrarietatem eius cum nube fortificatur et incenditur; et eadem fortificata petit exitum, et in parte superiori frangit nubem, ubi est debilior; quae fracta, ex impetu motus inflammatur exhalatio; et tunc quandoque contingit quod exhalatio dispergatur in altum et latum; et tunc vocatur *fulguratio:* sed quandoque per impetum et impulsum venit usque ad terram, uniendo se per viam strictam; et tunc vocatur *fulmen.*

Ex quo patet, quod *fulmen* et *fulguratio* dupliciter differunt: primo, quia *fulguratio* est ignis *late* expansus; sed *fulmen* est ignis *strictus* et violenter iactus deorsum: secundo, quia maior virtus requiritur ad causalitatem *fulminis*, quam ad causandam *fulgurationem;* nam fulguratio fit propter defectum impellentis materiam deorsum. — *Meteor.* III. q. 2. n. 2. — Vid. *Lumen* — *Lux*, etc.

Fulmen. — Vid. supr. *Fulguratio* — *Fulmen.*

Fundamentum dupliciter accipitur. — *Fundamentum proprie* dicitur illud *cui aliquid innititur ut principale eius;* et sic charitas et fides * ex gr. * sunt fundamenta totius vitae spiritualis. — *Alio* modo *fundamentum* sumitur *proprie* pro *primo inter alia*, et hoc primitate originis. — *Report.* IV. d. 3. q. 4. n. 15.

Furtum. — Licet *actus positivus* et *malitia* non sint unum per se, nec in re, nec in conceptu, potest tamen aliquod nomen imponi ad significandum nec actum solum, nec deformitatem illam, sed totum simul: sicut hoc nomen *furtum* impositum est ad significandum non solum *acceptionem alicuius rei alienae*, sed etiam *contra voluntatem eius cuius est, et cuiuscumque alterius superioris domini.* — *Oxon.* III. d. 38. n. 6.

Futurum tripliciter dicitur. — Aliquid dicitur *futurum* tripliciter: *uno* modo, quod

est et erit *sine successione temporis,* sicut dicimus, quod Deus est; et hoc est *improprie,* quia in aeternitate non est prius, nec posterius, cum *aeternitas* sit *interminabilis possesio vitae tota simul et perfecta,* ut patet I. *de Consolatione* (1); et ideo omnia praeterita et futura sunt aeque praesentia Deo; immo multo perfectiori modo quam aliquid sit praesens mihi, cum Deus sit indistans cuilibet morosae durationi. — *Alio* modo dicitur aliquid futurum quod est et erit *cum temporis successione,* ut creaturae praesentes circa Deum, ut coelum, homo, et huiusmodi. — *Alio* modo dicitur futurum quod nondum est, *sed erit.* — *Physic.* II. q. 13. n. 4.

G

Gaudium. — Vid. *Tristitia — Gaudium.*

Generalissimum duplex. — *Generalissimum* exponitur *dupliciter:* vel *positive,* quod, scilicet, est maxime tale per *excessum* respectu omnium; et est solum unum, scilicet, Deus. — Alio modo *negative,* per hoc quod *non exceditur ab aliquo tali,* sicut illud dicitur *albissimum* quod non exceditur ab aliquo albo; sic *generalissima* dicuntur prima genera, quia non habent supervenientia genera. — *QQ. Metaph.* lib. V. n. 12.

Generantis habitudo duplex. — Generans unam habet habitudinem ad *primum* terminum, qui dicitur *productus* sive *genitus,* et aliam habitudinem habet ad *formalem* terminum. Et in creaturis utraque habitudo est realis, quia utraque habitudo habet terminos realiter distinctos, et realis dependentia utriusque producti ad ipsum producens. — *Oxon.* I. d. 5. q. 1. n. 9.

Generare — Dicere. — Si vis flat in verbis, et habeatur pro inconvenienti, quod *generare* vel *dicere* sit praecise *referri,* dico, quod inferius non est praecise superius, quia est superius cum aliqua differentia addita, sicut homo non est tantum animal, sed simul *rationale.* Ita dico, quod *generare* dicit relationem, sed talem, scilicet productivam *per naturam,* et *dicere* relationem producendi *per intellectum.* Et ideo *generare* non est tantum referri, sed referri relatione originis fundata supra *naturam* foecundam; et *dicere* referri relatione originis fundata super intellectum foecundum. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 23.

Generari. — *Generari* dicit acquisitionem esse simpliciter, sed non necessario *primi* esse. — *Oxon.* III. d. 11 q. 1. n. 11. — *Generari* denominat *naturam,* et mediante natura natum est denominare *suppositum;* et per hoc patet quare Christus dicitur *genitus* temporaliter. — *Ib.* n. 12.

Generari subiective — obiective. — Quod *subiicitur* generationi potest dici *subiective generari,* per Philosophum, *V. Physicor.* — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 4. — Non * autem * distinguitur generatio in *subiectivam* et *obiectivam,* licet aliquid dicatur generari *subiective* vel *obiective.* — *Ib.* IV. d. 11. q. 1. n. 8.

Generatio. — In *generatione* in creaturis concurrunt duae rationes, scilicet: quod ipsa est *mutatio* et est *productio.* Ut est mutatio, est *forma subiecti* mutati; ut est productio, est *termini producti ut via.* — Istae rationes non includunt se essentialiter etiam in creaturis; diversa enim respiciunt primo; ergo sine contradictione potest intelligi ratio *productionis* sine ratione *mutationis.* — Ita *generatio* transfertur ad divina sub ratione *productionis,* licet non sub ratione *mutationis.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 11. — d. 5. q. 2. n. 11.

Generatio * qua mutatio * est mutàtio *totius* in *totum.* Sciendum est enim, quod in aliis mutationibus extra substantiam, sicut in *alteratione,* non est mutatio *totius* in *totum;* quia ibi non est *proprie* aliquod *totum.* Tamen eo modo quo est ibi totum quasi *per accidens* et quadam *aggregatione,* eo modo est ibi *mutatio totius in totum.* Unde in *VII. Methaph.* dicit Philosophus, quod non generatur *albedo,* sed *lignum album;* tamen

(1) Vid. *Aeternitas.*

lignum album non est *vere totum*, nisi *secundum quid*, sicut nec *acervus lapidum* est proprie *totum*, sed partes, vel lapides; sed *lignum* est quoddam *per se totum*, et generatur totum *per se*, quod est *per se* unum, quotcumque formae sint in tali *per se* uno. — *Oxon*. II. d. 12. q. 1. n. 7.

* *Generatio* extendi potest * ad omnem inductionem formae substantialis in materiam post privationem. — *Oxon*. IV. d. 44. q. 1. — Distinguendum est de *generatione*, inquantum comparatur *ad subiectum* in quo est, vel inquantum comparatur *ad terminum*; et sic *generari* dictum a *generatione* denominat *aequivoce*. — Si *primo* modo accipiatur, tunc generatio potest denominare subiectum, sicut *motus mobile;* nulla enim forma alicui subiecto inhaeret, quae non possit denominare illud, si significetur eo modo quo nata est comparari ad subiectum. Unde sic haec vera est: *materia generatur*. — *QQ. Metaph*. lib. VII. q. 10. n. 3. = Vid. *Alteratio — Augmentatio*, etc. = *Creatio — Generatio = Nasci — Nativitas = Non-ens multipliciter sumptum*. = *Transubstantiatio = Transmutatio multiplex*.

Generatio accipitur dupliciter. — *Generatio* sumitur *uno modo* pro generatione *substantiae:* vel *alio modo* specialiter pro productione *vivi ex vivo;* et hoc modo dicitur *animal generari*, et *non ignis;* et ibi communiter concurrit ex parte agentis inclinatio naturalis, sive forma naturalis, quae est principium generandi. — *Oxon*. I. d. 13. n. 20.

Generatio activa. — Vid. *Paternitas — Generatio activa*.

Generatio — Alteratio. — Dicit Aristoteles, I. *De Generatione*, quod *generatio* est *transmutatio totius in totum;* quia illud totum ex partibus quod fuit vere totum, scilicet *per se unum*, non manet, sed aliud totum succedit; non tamen quaelibet pars succedit, quia materia manet communis, secundum ipsum. — Et per oppositum in *alteratione* non transit totum in totum, quia quodlibet totum per se unum, quod praecessit alterationem, manet in termino alterationis; sed tantum transit totum unum *secundum quid*, sive *per accidens*, in totum aliud *per accidens*, ut lignum *calidum* in lignum *frigidum*, quorum neutrum est totum proprie loquendo, sed tantum per accidens totum, sicut per accidens unum. Quodcumque autem totum, quod scilicet est per se unum, et per consequens est de genere substantiae, manet idem sub utroque termino transmutationis, huius scilicet *alterationis*. — *Oxon*. IV. d. 11. q. 1. n. 2. — *Report*. II. d. 12. q. 1. n. 3. — Vid. *Transubstantiatio*.

Generatio — Corruptio. — *Generatio* est a non subiecto in subiectum; e converso *corruptio*, ut habetur *V. Physic. text*. 7(1). — *Report*. II. d. 12. q. 1. n. 7. — Generatio et corruptio sunt compositorum, non simplicium. — *Oxon*. II. d. 1. q. 3. n. 21. — Generatio et corruptio sunt duo motus distincti, et habent proprios terminos distinctos, licet frequenter concurrant; et tunc sunt quatuor termini, duo scilicet *a quibus*, una privatio et una forma; et duo termini *ad quos*, scilicet una privatio et una forma. — *Oxon*. II. d. 2. q. 7. n. 4.

Mutatio *ad substantiam*, ut *generatio* et *corruptio*, differunt ab *aliis motibus;* nam per generationem *mutari* respondetur ad interrogationem factam per *quid est;* sed per alios motus vel mutationes *mutari* respondetur non ad *quid est*, sed solum ad *quale*, vel ad *quantum*, aut ad *ubi*, vel ad aliquid huiusmodi. — *Secundo* per *generationem* mutatur *nomen* et *definitio;* sed per alios motus non, sed solum mutatur praedicatum *accidentale*, quod prius verificabatur. — *Tertio*, quod de ratione *generationis* est, quod sit ad terminum *ad quem*, nihil connotando de termino *a quo;* et e contra, de ratione *corruptionis* est, quod sit a termino *a quo*, nihil connotando de termino *ad quem;* sed de ratione aliorum motuum, ut *alterationis* et *augmentationis*, est, quod sint a terminis a *quibus* ad terminos *ad quos*. — *Quarto* differunt, quod in mutatione substantiali non est aliquod subiectum *in actu* manens idem ante mutationem et post, sed solum *in potentia*, ut materia prima; sed in aliis motibus manet idem subiectum in actu post et ante. — *Physic*. V. q. 1. n. 4.

---

(1) Vid. *Corruptio*.

Generatio — Corruptioque simpliciter — secundum quid. — *Generatio* est *duplex:* quaedam *simplex,* puta, cum est mutatio ex *non ente simpliciter* in *ens simpliciter,* sumendo *ens simpliciter* pro *substantia;* et haec est generatio in forma substantiali. — Quaedam autem est generatio *secundum quid,* ut quando est mutatio de non ente in ens *secundum quid,* sumendo ens *secundum quid,* pro *omni alio a substantia;* et ideo *mutatio* a *non albo* in *album* est generatio *secundum quid* (1).

Et subdit * Aristotel. *, quod illa mutatio *quae est ex subiecto in non subiectum est corruptio;* et haec est *duplex:* quaedam quidem *simpliciter simplex;* quaedam autem alicuius quaedam * (*secundum quid*),* exponendo *secundum quid* et *simpliciter* ut prius. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 3. n. 95. — *Ib.* lib. I. S. 1. c. 2. n. 38. — *Physic. V. exposit.* text. 7.

Generatio — Creatio — Productio in Divinis. — Aliquando est mutatio ad aliquid quod capit *esse* post aliud *esse,* et post *privationem;* aliquid capit *esse* post *nihil.* Prima est *generatio;* secunda *creatio.*

Et est alia productio quae non dicit mutationem aliquam, nec per quam capitur *esse* post *non esse* vel post *nihil,* sed tantum capitur *esse* de *esse.* Tunc videtur, quod sic est dare *signum originis,* in quo *est Pater, non Filius,* quod non est nisi *esse in priori* * signo * *originis* essentiam in Patre, quae in Filio non est in illo priori; non tamen essentiam non esse sub filiatione, quia semper actualissime est sub filiatione; sed *posterius origine* habere filiationem a se, quod stat cum hoc, quod actualissime habet filiationem. — *Collat.* XXVII. n. 2. — Cf. *Oxon.* II. d. 18. n. 4. — *Quodlib.* q. 10. n. 22.

Generatio in Divinis. — Generatio non transfertur ad Divina secundum illud quod praesupponit generatio (2), puta, *subiectum mutabile,* quod est imperfectionis; quia ut est mutatio non est in Divinis; sed transfertur ad Divina, inquantum generatio est *productio,* sub ratione qua est productio termini, quia terminus eius est perfectior terminis aliarum mutationum.

Et sic bene potest per generationem accipi essentia tanquam terminus perfectissimus in Divinis; licet non possit per aliquam aliam mutationem accipi aliquis alius terminus aliarum mutationum, quia hoc concluderet compositionem et imperfectionem, quia terminus cuiuslibet alterius mutationis esset accidens componibile cum subiecto. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 12. — Vid. *Naturae acceptiones=Paternitas — Generatio activa.*

Ista solutio etiam confirmatur accipiendo illud quod reperitur *perfectionis* sparsim in generationibus diversarum creaturarum, et relinquendo ea quae sunt *imperfectionis.* — In generationibus enim *successivorum* hoc est *perfectionis* in eis, quod dum fiunt sunt; *imperfectionis* est in eis, quod non manent, sed habent esse tantum in fluxu partis post partem. — In generatione *permanentium* hoc est *perfectionis,* quod manent; et *imperfectionis,* quod non sunt dum fiunt, quia hoc ponit imperfectionem in faciente, quia non est perfectum faciens. — Similiter in facto, quod necessario habet esse post non esse in *indivisibilibus successivorum,* hoc est *perfectionis,* quod dum fiunt sunt, et tota simul sunt; sed *imperfectionis,* quod raptim transeunt.

Aggregando igitur perfectiones habebitur genitum, quod simul generabitur et erit, et permanenter est, hoc est genitum generari, et perfecte esse in *nunc* perfecte stante, quod est nunc aeternitatis. — *Ib.* d. 9. n. 3.

Cum in Divinis nihil imperfectionis sit ponendum, sed totum perfectionis, et *mutatio* de ratione sui dicat imperfectionem, quia *potentialitatem,* et hoc in *mutabili,* et concomitanter etiam dicat imperfectionem potentiae activae in *mutante,* quia talis necessario requirit causam concausantem, ad hoc ut producat; cum igitur non sit ibi aliqua imperfectio, nec qualis est potentiae *passivae,* nec etiam aliqua imperfectio potentiae *activae,* sed summa perfectio, nullo modo ponetur ibi generatio sub ratione *mutationis,* nec *quasi mutationis,* sed tantum generatio ut

(1) « *Secundum substantiam* fieri est generatio *simpliciter;* sed *secundum accidens* fieri est generatio *secundum quid* ». — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un. c. 1. n. 5.

(2) Vid. supr. *Generatio.*

est *productio*. Et ideo generationi, ut est in Divinis, non assignabitur materia, nec quasi materia, sed tantum *terminus:* et hoc vel *totalis* sive primus, id est adaequatus, qui primo producitur in esse, vel terminus *formalis*, secundum quem terminus primus formaliter accipit esse. — *Ib.* d. 5. q. 2. n. 12. et 19. — Quia generatio non est ibi sub ratione mutationis, ideo non habet terminos correspondentes terminis generationis mutationis, scilicet *esse* post *non esse*, propter quos terminos repugnat generationi aeternitas; sed tantum est ibi generatio productio in esse *substantiae* per modum naturae. Ex hoc ostendo, quod sit aeterna. — *Ib.* d. 9. n. 2. * *ubi hoc demonstrat* *. — * Itaque * nego ibi esse generationem sub ratione *mutationis*, et omnino quodcumque passivum respectu actus, sed praecise pono ibi generationem sub ratione *productionis*, cuius termini sunt *producens* et *productum*. Praecise igitur dicetur illa generatio *naturalis*, quia illa habitudo inter producens et productum est naturalis, et naturalitas huius habitudinis est ex parte naturalitatis ipsius producentis, quia producit principio *naturaliter* inclinato ad agendum. — *Ib.* d. 13. n. 20.

Illa generatio est *simpliciter in actu* et *necessaria*, et ideo non est *in potentia* ut potentia repugnat actui. — *Ib.* d. 7. n. 21. — * At * si quaeratur de potentia *logica*, quae notat *non repugnantiam extremorum*, dico quod ipsa * generatio * est *possibilis*. — *Ib.* n. 7. * *ubi hoc pluribus explicat et probat* *.

Generatio * in Divinis est * *univoca*, quia in *aequivoca* generatione oportet principium productivum esse perfectius forma terminante: nihil autem in Deo est perfectius absoluto, et specialiter nulla relatio perfectior; absurdissimum enim videtur dicere, quod relatio contineat virtualiter essentiam divinam. — *Ib.* n. 12.

Generatio naturalis — supernaturalis. — Dicetur generatio *naturalis*, quia habitudo inter producens et productum est *naturalis;* et naturalitas huius habitudinis est ex parte naturalitatis ipsius producentis, quia producit principio naturaliter inclinato ad agendum. — *Oxon.* I. d. 13. n. 20.

In creaturis generatio est *naturalis* ex inclinatione principii *passivi*, non autem ex ratione principii activi. — *Ib.* — *II. Physic.* dicitur, quod generatio est *naturalis*, quia est via in naturam, scilicet in formam. — *Ib.* d. 5. q. 2. n. 5.

Quamvis totum *esse* hominis sit generabile et corruptibile, non tamen ita *proprie* et *perfecte* sicut rei *pure naturalis*, ut *equi* et *bovis*. Cuius ratio est, quia agentia naturalia sic *generant compositum*, quod quamvis generent *per se*, nihilominus sua actione *educunt de potentia materiae* illud quo compositum principale est *tale*, scilicet, *formam*.

Proprie ergo tale agens *generat compositum*, quia sua actione *adquirit esse composito;* unde licet non causet formam in se, quia neque in se habet *esse*, causat tamen eam in composito, per quam habet compositum et *esse* et *operari*. Sicut quando de *infigurato* fit *figuratum*, agens *non causat in se figuram*, quia nec in se potest * figura naturaliter * existere, nec ferrum vel aes * in quibus inducitur figura *, quia hoc *esse* habent a natura, sed causat *figuram mere*, ac per hoc acquirit sibi novum *esse*, non novam *essentiam*, ac per hoc dicitur *generare figuratum*, et *proprie*.

Homo autem *hominem generans* non acquirit *esse formae in se*, *nec ut est in composito*, sive in materia, nisi formando et disponendo corpus, quo disposito, agens *susupernaturale infundit animam ex creatione*. Nullum enim agens naturale habet potentiam super formam, nisi quatenus illa forma est in *potentia materiae*, de qua educitur.

Ex quo patet, quod homo non generat hominem *illo modo quo alia agentia generant*, sicut dixi. Unde quoad actionem qua homini acquiritur *esse humanum*, quod principaliter est ab anima sua, generatio hominis potest dici *supernaturalis* quodammodo, et magis quam *naturalis;* imo potius *creatio* quam *generatio*, et *divina* operatio quam *humana* generatio. — *De rer. princ.* q. 10. n. 10-11.

Generationis causa triplex. — *Causa generationis* vel est *per se* vel *per accidens*.

Si *per accidens*, sic est *casus* et *fortuna*. Si *per se*, vel agit *de necessitate*, vel *a proposito*. — Si primo modo, sic est *natura;* si secundo modo, sic est *ars*. Ad hos enim duos modos agendi reducitur omne agens *per se*, ex *II. Physic. text. c. 49. et inde. — Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 6. n. 46.

Dicit * Aristot. *, quod *generationes quidem naturales hae sunt quarum generatio ex natura est*, id est, quarum principium est *natura* et *non ars*, vel intellectus, ut cum generatur *aër* vel *aqua*, vel aliquid huiusmodi. — *Ib.* n. 47.

Generationes aliae a naturalibus, puta *artificiales*, dicuntur *factiones*, *omnes autem factiones vel sunt ab arte, aut a potestate, aut a mente,* scilicet intelligendo, quod *omnes* generationes *artificiales* sunt ab *arte dirigente* et *inclinante* ad opus, et a *mente operante*, et a *potestate*, id est, potentia *exequente*. Haec enim tria agentia concurrunt ad opus *artis*, quodlibet in suo ordine et modo agendi, et omnia tria simul constituunt *perfectum principium* in *artificialibus*.

Notandum, quod licet forte, secundum proprietatem graeci idiomatis, generationes aliae a naturalibus, ut sunt *artificiales*, dicuntur *appropriate factiones*, quae *factio* dicitur in graeco *praxis*, tamen apud nos bene utimur nomine *factionis* in generatione *naturali*, cum generatio naturalis sit operatio *transiens*, et non semper *immanens*, dicimus enim, quod ignis *facit* ignem et asinus asinum. — *Ib.* n. 50.

Generationis subiectum. — Id vocatur *subiectum generationis* in quo stat ultima resolutio quae potest fieri per agens naturale, nec in ipsum, inquantum tale, potest aliquod agens naturale, sed est fixum signum stabile vel immutabile per naturam, et est commune incorrupto et corrupto. — *De rer. princ.* q. 17. n. 27.

Generationis termini. — Generatio, ut est *productio*, tantum habet ipsum productum * *pro termino* *. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 19. — Generationis *terminus* est esse existentiae vel aliquid habens tale esse, *V. Physic.* — *Ib.* III. d. 6. q. 1. n. 3.

In creaturis *natura* est terminus *formalis* generationis, non autem proprietas individualis vel hypostatica, sicut patet *II. Physic*, ubi dicitur, quod generatio est *naturalis*, quia est via in naturam, scilicet in formam; natura igitur sive essentia est per se terminus generationis, et non nisi terminus formalis. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 5. — d. 26. n. 44. — Generatio enim est ad *substantiam;* ergo ipsa generatione substantia accipit esse, quae prius non fuit. — *Ib.* d. 8. q. 5. n. 7. — *Ibidem* d. 5. q. 2. n. 5. *probat* terminum formalem *generationis in Divinis esse essentiam.*

Generationis vero termini sunt privatio et forma, ut generatio est *mutatio*. — *Ib.* n. 19.

Non est idem esse *primum* terminum alicuius productionis, et esse *formalem terminum* productionis; quia *primus terminus* productionis est *hoc aliquid per se subsistens*; et hoc secundum Philosophum *I. Physic. c. 7, et VII. Metaph. c. 8. est compositum* quod primo generatur et ad quod primo terminatur generatio. Sed *formalis terminus* productionis est illud *in quo productum assimilatur producenti.* Unde *calor* * ex gr. * est *formalis* terminus calefactionis, sed *calidum* est *primus* eius terminus. — *Collat.* XXXVII. n. 2.

Generationis terminus duplex. — *Terminus generationis* duplex est: quidam *formalis quo;* quidam *principalis* et *primus quod.* Primus est *forma*; secundus autem *compositum;* nam compositum *per se* generatur, forma autem *per accidens.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 4. n. 34.

Generatio — Productio — Mutatio. — *Generatio* in creaturis duo dicit: *productionem* et *mutationem;* et istorum rationes formales aliae sunt, et sine contradictione, reparabiles ad invicem.

Productio autem formaliter est *ipsius producti*, quod est compositum, *VII. Metaph.*, et accidit sibi, quod fiat cum mutatione alicuius partis compositi. — *Mutatio* formaliter est *actus mutabilis;* quod quidem deprivatione transit ad formam. Concomitatur autem *mutatio productionem* in

creaturis, propter imperfectionem potentiae productivae, quae non potest dare *esse totale* termino productionis, sed aliquid eius praesuppositum transmutat ad aliam partem ipsius, et sic producit compositum. Si enim generans creatum esset perfectum agens et non exigeret materiam *de qua* vel *in quam* ageret, sed posset producere effectum *per se* et *ex se*, tunc esset *productio sine mutatione.* Igitur sine contradictione possunt separari, et realiter separantur, comparando ad potentiam productivam perfectam. Hoc apparet etiam in creatione, ubi propter perfectionem potentiae productivae ponentis primo totum in *esse, vere est ratio mutationis,* inquantum per eam *terminus productus accipit esse,* sed *non est ibi ratio mutationis* inquantum *mutatio* dicit aliquid substractum aliter nunc se habere quam prius, ex *VI. Physic.;* in creatione * enim * non est aliquid substractum. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 11.

Generatio simpliciter — secundum quid. — Generatio *simpliciter* est in substantia; *secundum quid* vero in accidentibus, *I. De Generatione.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 34. — In generatione *substantiae* * seu *simpliciter* *, secundum Philosophum, *I. De Gener.*, conversio est totius in totum, categorematice, quia tam corruptum quam generatum est per se unum, et ideo vere totum. In generatione vero *secundum quid,* qualis est in alteratione vel augmentatione, ibi generatum non est per se unum, secundum Philosophum, *VII. Metaph.* c. 6. *Non enim fit,* inquit, *quale, sed quale lignum; nec quantum, sed quantum lignum;* et ideo ibi genitum non est vere unum. — *Quodlib.* q. 10. n. 3.

Generatio — Spiratio. — *Generatio* activa et *spiratio* activa non sunt idem formaliter, nec primi termini formales ipsarum, scilicet notitia actualis et amor actualis, sunt idem formaliter. — *Oxon.* I. d. 13. n. 26.

* Istae * productiones *seipsis* formaliter distinguuntur; generatio enim formaliter seipsa est generatio, et spiratio seipsa formaliter spiratio. Et ex rationibus formalibus eorum impossibile est generationem esse spirationem, circumscripto per impossibile quocumque alio, ita quod non oportet quaerere *quibus* distinguuntur, quia tota ratio formalis unius est non eadem toti rationi formali alterius. — *Ib.* n. 18. * *ubi hoc confirmat auctoritate Augustini* *. — Non distinguuntur autem in Divinis productiones per modum *naturae* et *voluntatis*, nisi quia principium *quo* producens producit aliter et aliter se habet ad productionem et productum, quia haec *naturaliter*, haec *libere.* — *Ib.* d. 7. n. 9.

Generatio et spiratio habent *aliquem ordinem* inter se, ita quod aliquo modo generatio est prius spiratione. — *Ib.* d. 11. q. 1. n. 2.

Generatio terminativa — subiectiva. — Vid. *Materiae primae conditiones.*

Generatio univoca — aequivoca. — Forma generati aliquando est in generante secundum *eumdem modum essendi* et *in materia eiusdem rationis sibi:* ut cum *homo* generat *hominem* et *ignis ignem.* Talis generatio est *univoca* totaliter. — Quandoque vero forma geniti praeexistit in generante *non secundum eumdem modum essendi,* nec *in materia rationis eiusdem:* sicut forma *domus* praeexistit in *mente artificis,* quia domus extra habet *esse materiale,* sed in mente artificis habet esse *immateriale.* Et talis generatio est partim *univoca* et partim *aequivoca:* quantum ad formam est *univoca,* quantum ad materiam essendi est *aequivoca.* — *Tertio modo* forma generati praeexistit in generante, *non in actu,* sed solum *in virtute:* et sic *caliditas* hic causata inferius praeexistit in sole, et sic *calor* prius existit in *motu,* motus autem calorem *in virtute* habet. Et talis generatio penitus est *aequivoca.* — *QQ. Metaph.* lib. XII, q. 1. n. 2.

Generatio et est *distinctiva* et est *assimilativa;* perfectior autem ratio in ea est quod sit assimilativa quam distinctiva; ergo secundum hoc * (esse assimilativam) * generatio dicitur esse *univoca* vel *aequivoca;* si enim diceretur talis vel talis inquantum est distinctiva, quaelibet esset aequivoca, quia quaelibet distinguit, et haec est imperfectior ratio in generatione, quia convenit imperfectissime generationi; ergo per hanc non di-

stinguitur *univoca* ab *aequivoca*. — *Oxon.* I. d. 7. n. 12. et 24.

Non est *aequivoca* productio, si principium productivum non est eiusdem rationis cum termino formali producto, loquendo de termino formali primo producto et de principio primo productivo; sed requiritur, quod illud quod est principium productivum non communicetur eiusdem rationis genito, et quod illud quod est terminus formalis in producto non sit eiusdem rationis in producente. — *Oxon.* I. d. 13. n. 26.

Philosophus, hic in littera, videtur concedere omnem generationem esse aliquo modo *univocam*. Ad cuius evidentiam sciendum, quod omnis generatio est *aliquo modo univoca;* nam omnia fiunt aliqualiter ab univoco: quia agens vel habet formam quam producit *formaliter in se,* et tunc generatio est *simpliciter univoca;* aut habet formam illam *in virtute,* non *formaliter,* et tunc generatio non est simpliciter univoca, sed tantum *secundum quid.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. VII. S. 2. c. 8. n. 65.

Ad cuius evidentiam sciendum, quod aliqua generantur *univoce,* et aliqua *aequivoce.* Et eorum etiam quae generantur *univoce,* quaedam generantur *immediate,* quaedam *mediate.* Exemplum primi: *ignis* generat *ignem sine aliquo medio.* Exemplum secundi: *asinus* generat *asinum mediante semine.* — *Ib.* c. 9. n. 67.

Generatio univoca triplex. — Tangit Philosophus *tres gradus* generationis *univocae:* — *Primus* est quando *generans* et *genitum* assimilantur in *forma* et in *modo essendi formae,* quemadmodum se habent *naturalia;* nam *ignis generans* * ex. gr. * et *ignis genitus* habent *eamdem formam* in specie et *eumdem modum essendi* formae; nam uterque ignis habet *formaliter* et *realiter* formam ignis. — *Secundus* modus est quando *generans* et *genitum* habent similem formam, *non tamen secundum eumdem modum essendi* formae: quemadmodum *artifex* se habet ad *artificialia;* nam licet *domificator* habeat *formam* domus quam facit, tamen forma domus existit in domificatore modo quasi *intentionali,* non *reali;* domus autem extra habet *realiter* formam domus. — *Tertius gradus* est quando *generans* non habet similem formam in specie cum *genito,* sed habet formam geniti non *formaliter,* sed *virtualiter* solum; quae virtus vocatur hic *pars rei,* sive illa virtus vel pars sit in generante, sive sit in materia cui a tali agente est immissa aliqua vis activa, qua potest seipsam transmutare ad formam. — Primus modus est *propriissime* et *simpliciter univocus;* secundus *minus proprie;* tertius solum *secundum quid.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 4. n. 69.

Genitivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 88.

Genitum — Ingenitum. — Omnis dictio composita ex aliquo multiplici et particula privativa est *dupliciter* multiplex: tum ex multiplicitate *affirmationis oppositae,* tum ex multiplicitate *privationis,* sicut patet per Philosophum, *V. Metaph.* cap. *De Potentia,* ubi *impotentiam* distinguit secundum multiplicitatem *potentiae,* et praeter hoc secundum multiplicitatem *privationis,* quae ponitur cap. De *Privatione, eodem* V. (1). — Et ita hoc nomen *ingenitum* est multiplex ex multiplicitate eius quod est *genitum,* et multiplicitate particulae privativae * *in* *. — Quantum ad primum, *genitum* dicitur *proprie productum per generationem ut primus terminus.* — *Extendendo* autem *genitum,* dicitur genitum *communicatum per generationem,* quod est *terminus formalis generationis,* sicut dicit Hilarius, *quod nihil nisi natum habet filius.* — Tertio modo extenditur *genitum* ad *productum,* sive ad *praeexigens generationem,* licet ipsum in se non sit terminus generationis, nec *primus,* nec *formalis.*

Privatio etiam, licet multipliciter possit distingui (2), in privationem *proprie* dictam, puta quando aliquid caret eo quod *natum est habere,* et *quando,* et *ut oportet,* etc., et in privationem *communiter* dictam, scilicet, quando aliquid caret illo quod natum est habere, *non tamen secundum conditio-*

(1) Vid. relativ. exposit. Doctoris.

(2) Vid. *Privatio,* etc.

nes praedictas; et adhuc *communius*, quando caret illo quod ipsum natum est habere, *non secundum se*, sed *secundum genus*, sicut talpa dicitur * ab antiquis * *caeca*, quia visio qua *privatur* per caecitatem non repugnat animali *secundum genus*, licet repugnet talpae *secundum se;* et isto modo, tanto *generalius* aliquid diceretur *privatum*, quanto habitus cuius est privatio natus est competere *communiori* convenienti ipsi privato: puta *communius* diceretur *privatum* aliquid quod non haberet illud quod natum est sibi competere secundum rationem *corporis*, quam cui natum esset competere secundum rationem corporis *animati*, et adhuc *communius*, quod natum esset habere secundum rationem *substantiae*, quam quod natum esset habere secundum rationem *corporis;* et *communissime*, si natum esset habere illud secundum rationem *entis*. — Exemplum *primi:* si *lapis* dicitur esse *inanimatus* et *privari* anima, hoc est, quia convenit sibi secundum rationem *corporis*, cuius *animatum* est differentia. Exemplum *secundi:* sicut Angelus dicitur *incorporeus*. Exemplum *tertii:* sicut omnis *creatura* dicitur *imperfecta*, non quia nata sit habere omnem perfectionem in suo genere, sed quia habere omnem perfectionem non repugnat enti, quia uni soli enti convenit esse simplipliciter perfectum.

* Sed *privatio* signatur per ly *in* et includit negationem. — (*Report. hic*) * — *Negatio* etiam distinguitur per negationem *extra genus*, quae contradicit affirmationi *simpliciter;* et ista vera est de quolibet de quo falsa est affirmatio, sive de ente, sive de non ente. — Alia est negatio *in genere*, et ista potest intelligi multipliciter secundum multiplex genus *communius* et *minus commune*.

Ad propositum igitur, loquendo de multiplicitate importata per hanc particulam *in*, licet fiat altercatio utrum importet negationem *in genere*, vel *privationem*, tamen videtur quod idem sit in proposito accipiendo negationem *secundum genus communissime, si natum est habere* illud; et privationem secundum genus *communissime*, quia *negatio in apto nato* est *privatio*, secundum Philosophum, *V. Metaph.*, ita quod nihil addit *privatio* ultra *negationem*, nisi quod requirit naturam *aptam* in qua sit; igitur *negatio in genere*, quocumque modo accipiatur *genus*, cum sit in *apto nato* aliquo modo, licet non *secundum se apto*, ipsa erit *privatio* aliquo modo *secundum genus*, licet non *proprie* in *tali* secundum quod *tale*.

Et si obiicias contra hoc, quia nulla est privatio in Divinis, quia privatum est *imperfectum*, respondeo, quod hoc concludit de privatione secundum rationem *propriam subiecti privati;* si enim ipsum carens aliquo *natum* esset *secundum* se habere illud, imperfectum esset; sed si natum sit secundum rationem *generis*, non autem *secundum se*, habere illud, *non esset imperfectum*, licet careret ipso. — Quod autem hoc modo multae privationes accipiantur in creaturis patet, non solum per illud Philosophi de *talpa*, sed etiam per communem divisionem *communis* in *habitum* et *privationem*, sicut animal in *rationale* et in *irrationale: irrationale* quidem dicit *privationem* in *bove*, non eius quod natum est haberi in bove *secundum speciem*, sed eius quod natum est haberi in eo secundum quod est *animal*, * id est *secundum genus* *: genus quidem quasi *commune habitui et privationi*, est illud cui convenit *aptitudo* ad utrumque.

In proposito autem, *extendendo* illud quod est *genus*, sive intelligamus pro *privatione* sive *negatione* secundum genus, (per quae ambo idem intelligo) possumus accipere *quasi genus* hic quod est *commune* ad tres Personas, ut persona sive subsistens. Et tunc dicamus Patrem *privari* aliquo *secundum genus*, vel quod in Patre dicatur *negatio* aliqua *secundum genus*, alicuius quod natum est competere, non tantum *enti*, sed *supposito*, quod est *commune Patri* et *Filio*.

Et tunc hoc nomen *ingenitum* poterit ad propositum *quadrupliciter* accipi: — *Uno modo propriissime*, prout significat carentiam propriam eius quod importatur per hoc nomen *genitum*, ut, scilicet, *primi producti per generationem;* et hoc modo non est in Divinis, quia ibi nihil caret eo quod *sibi natum est inesse*. — *Secundo modo* prout significat *communiter* carentiam eius

quod significatur *proprie* per *genitum;* et tunc connotat *subsistens* sive *personam,* et significat carentiam *geniti proprie* sumpti; et hoc modo videtur competere de virtute sermonis Patri et Spiritui Sancto, quorum uterque est *subsistens,* et non est *genitus.* Non sic convenit *essentiae,* quia ipsa, licet sit *ens,* et *non genita,* non tamen est *per se subsistens* ut *persona* * seu suppositum *. — *Tertio modo* ut dicit carentiam *secundum genus,* et hoc *geniti secundo modo sumpti,* scilicet pro *communicato per generationem;* et hoc modo essentia non dicitur *ingenerabilis, removendo aptitudinem ad communicationem,* sed *ut in Patre* potest dici *non communicata,* et ita *ingenita,* si hoc modo sumatur *ingenitum.* — *Quarto modo* significat carentiam secundum genus geniti *communissime* sumpti; et tunc idem est *ingenitum* quod *subsistens non productum;* et hoc modo accipitur a Sanctis, ita quod idem est *ingenitum* in Divinis quod *improductum proprie* dictum. Quod patet per August. *XV. de Trinit.* cap. 26: *Pater enim solus non est ab alio, ideo solus appellatur ingenitus,* et idem vult *ad Orosium sedundo.*

Dico igitur, quod *ingenitum,* secundum usum Sanctorum, prout scilicet *significat negationem geniti communissime sumpti,* scilicet *producti, connotando subsistens in natura divina,* sic convenit soli Patri, sicut patet per auctoritatem Augustini praeallegatam. — *Oxon.* I. d. 28. q. 2. nn. 3-5. — *Report.* ib. q. 1. nn. 2-4.

Ingenitum sub propria ratione sua, ut significat *non habere genitorem,* est proprietas Patris, et sufficienter importat dignitatem, idest non indignitatem, sicut et personalia in Divinis non dicuntur esse *imperfectiones,* non tamen *perfectiones simpliciter,* idest, *universaliter in quolibet melius ipsum quam non ipsum* (1).

Et si omnino fiat altercatio, quod omnino oportet proprietatem dicere dignitatem non absolutam, sed *personalem,* potest dici, quod *ingenitum,* inquantum *negat* habere genitorem, dicit dignitatem personalem primae Personae in Divinis; quia sicut dignitas est in secunda Persona *habere* principium originans, ita est dignitas in prima Persona *non habere;* et tamen ista dignitas non oportet, quod sit dignitas formaliter alicuius positivi proprii connotati per hoc, quod est *ingenitum.* Unde negatio potest dici esse dignitatis in aliquo, pro quanto indignitatis esset, si opposita affirmatio poneretur in eo, sicut dignitatis est in rege *non esse ribaldum.* — *Oxon.* ib. n. 7.

* Cum dicitur, quod * Ambrosius, *IV. de Spiritu Sancto,* noluit uti hoc nomine *ingenito,* patet per Magistrum, quod illud vocabulum *ingenitus* non erat tempore suo ita notum vel ita necessarium ad expressionem fidei, quod oporteret omnem catholicum eo uti; et primam Personam illa proprietate exprimere erat occasio simplicibus fidelibus erroris, quia videtur dicere aliquid *ad se,* quia non ita manifeste importat *relationem,* sicut importat *genitum;* et securum et cautum erat simplicibus fidelibus non uti illo vocabulo propter haereticos malignantes, licet hoc vocabulum in se proprie et primo competat Patri. — *Ib.* n. 8.

Genus. — *Genus est quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid est praedicatur,* * *(Porph.* Cap. 2. *Univers.)* * — Dicendum, quod * haec * est vera definitio * *generis* *; quod sic ostenditur: — Ratio *universalis* est *praedicari de pluribus,* per Aristot. *I. Perihermenias;* cum ergo in definitione *generis* ponatur *praedicari de pluribus,* ponitur *genus* eius. — Postea ponitur *differentibus specie,* et *in quid,* quae sunt per se *differentiae generis.* Probatio: quia per se *dividunt superius,* scilicet *praedicari de pluribus;* ergo sunt per se *constitutivae inferioris,* ad quod superius per illa appropriatur. Dividitur enim per se *praedicari de pluribus* in *differentibus specie,* et *differentibus numero,* quia de *differentibus genere,* inquantum talia, nihil praedicatur *per se.* Dividitur etiam in *praedicari in quid* et *in quale,* ut primos modos praedicandi (1); et per has differen-

(1) Vid. *Perfectio simpliciter.*

(1) Vid. *Praedicari* = *Praedicari in quid* — *in quale,* etc.

tias divisivas manifestum est, quod contrahitur *universale* ad *genus;* fit enim ratio convertibilis; ergo etc. — *Super Univers. Porph.* q. 15. n. 4.

Convenienter * igitur * ponitur *differentibus specie* ut *differentia,* quia per illam particulam *universale* descendit in ipsum definitum, tanquam *genus* per *differentiam.* Est enim ratio *universalis praedicari de pluribus,* quae per se dividitur in *pluribus specie* et *numero;* et illud ponitur quia definitum est relativum per se. — *Ib.* q. 17. n. 2.

Convenienter * etiam * ponitur *in quid;* quia *praedicari* dividitur in *praedicari in quid* et in *quale,* tanquam per primos praedicandi modos; igitur per illa descendit *universale* in *species: genus* autem non praedicatur *in quale;* igitur *in quid.* — *Ib.* q. 19. n. 2.

Ad rationem *generis* requiritur, quod *multas habeat actu species,* non quae *existant actu* vel *potentia,* sed quod tantum *actu concipiantur* per speciem intelligibilem ab individuis acceptam quandoque existentibus, et quod *actu habeant aptitudinem* participandi genus; quia talis actualitas est illorum, inquantum dicuntur *species generis.* — *Ib.* q. 18. n. 5.

Nota, quod simpliciter teneri potest, quod genus non est aptum natum dici de multis, nisi quae concipiuntur ab intellectu, in quorum intellectu est *genus;* et huiusmodi sunt species *actu,* sive existant, sive possint existere, vel non * existant *; et sic sequitur, quod genus semper *multas habet species actu.* — *Ib.* n. 6. — Vid. *Praedicamenta decem.*

Genus — Differentia. — Conceptus *generis* et *differentiae* requirunt distinctiones *realitatum,* non tantum eiusdem realitatis *perfecte* et *imperfecte* conceptae. — Istud potest sic declarari: Si ponamus aliquem intellectum perfecte moveri a colore ad intelligendam realitatem *coloris* * *(genus)* * et realitatem *differentiae,* quantumcumque habeat perfectum conceptum adaequatum primae realitati, non tamen habet in hoc conceptum realitatis a qua accipitur differentia, nec e converso; sed habet ibi duo obiecta formalia, quae nata sunt terminare conceptus proprios distinctos. Si autem tantum esset distinctio in re sicut *realitatis* et sui *modi* intrinseci, non posset intellectus habere proprium conceptum illius realitatis, et non habere conceptum illis modi intrinseci rei, saltem ut modi sub quo conciperetur. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 27.

Differentiae autem non dicunt *modum intrinsecum* realitatis alicuius generis; quia in quocumque gradu intelligatur *animalitas* * ex. gr. *(genus)* *, non propter hoc invenitur *rationalitas* vel *irrationalitas* * *(differentia)* * esse modus intrinsecus animalitatis; sed adhuc intelligitur animalitas in tali gradu, ut perfectibilis a rationalitate vel irrationalitate. — *Ib.* n. 26.

Genus sumitur ab aliqua realitate, quae secundum se est potentialis ad realitatem a qua accipitur *differentia.* Hanc rationem aliqualiter pertractando, intelligo sic: quod in aliquibus creaturis genus et differentia accipiuntur *ab alia* et *alia re,* sicut ponendo plures formas in homine, *animal* accipitur a *sensitiva,* et *rationale* ab *intellectiva;* et tunc illa res, a qua accipitur *genus,* vere est *potentialis* et perfectibilis ab illa re, a qua accipitur *differentia.*

Aliquando ibi *non sunt res* et *res,* sicut in accidentibus, saltem in una re est aliqua prima realitas a qua sumitur *genus,* et alia realitas a qua sumitur *differentia.* Dicatur prima *A*, secunda *B*. *A* secundum se est potentiale ad *B*, ita quod praecise intelligendo *A*, et praecise intelligendo *B*, *A*, ut intelligitur in primo instanti naturae, in quo praecise est ipsum, est perfectibile per *B*, sicut si esset res alia; sed quod non perficitur realiter per *B*, hoc est propter identitatem *A* et *B* ad aliquod totum, cui realiter primo sunt eadem, quod quidem totum primo producitur, et in ipso toto ambae istae realitates producuntur. Si tamen altera istarum sine altera produceretur, vere esset *potentialis* ad eam et vere esset imperfecta sine alia. Ista autem compositio realitatum potentialis et actualis minima est, quae sufficit ad rationem *generis* et *differentiae.* — *Ib.* n. 16. — d. 3. q. 3. n. 15.

Genus enim determinate significat partem *materialem,* et *differentia* distincte

partem *formalem*, sicut *species* distincte significat *totum compositum*; tamen *genus* et *differentia* significant *per modum totius*; et ideo totum significant *confuso* modo, quod *species* modo *determinato* significant, et per hoc distinguitur a *partibus realibus*; partes enim reales accipiuntur per modum *partis*, et non per modum *totius*. — *Poster. I.* q. 17. n. 4. — *Super. Univers. Porph.* q. 16. n. 10.

Intelligendum tamen, quod *genus* et *differentia*, sub propria ratione propriorum conceptuum, non se habent ad invicem sicut *potentia* et *actus*; quia conceptus *generis* intelligi potest sine conceptu *differentiae*, et e contra: sed nihil intelligitur nisi actus, vel ut actus habens; igitur conceptus *generis*, quantum est de se, non est propria *potentia* respectu *differentiae*; propria enim potentia non potest intelligi nisi per comparationem ad proprium actum. Tamen *res materialis*, quae subest conceptui *generis*, est propria *potentia* respectu *rei* quae subest conceptui *differentiae*, et haec ratio ab illa dissolvi non potest, ita quod utrumque maneat. — *Poster*. I. q. 23. n. 17.

Genus dubium. — Vid. *Grammat. specul.* n. 74.

Genus epicoenum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 73.

Genus foemininum. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 70 et seqq.

Genus generalissimum. — De ratione *generis generalissimi* non est in se habere plures sub se species, sed *non habere aliud superveniens genus:* sicut hoc praedicamentum *quando*, quia non habet superveniens genus, est *generalissimum*, licet paucas habeat species aut nullas. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 19.

Genus intermedium. — *Genus intermedium* nihil aliud est quam primum genus, id est, *remotum*, et cum hoc includit differentiam aliquam unam vel plures. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 13. n. 102.

Genus masculinum. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 70 et seqq.

Genus multipliciter dicitur. — Dicit * Philosoph. *, quod *genus dicitur hoc quidem si sit generatio continua aliquorum habentium eamdem speciem*, ita quod talis *generatio continua* dicitur *genus*, *ut cum dicit, donec utique sit genus hominum*, id est, donec est *generatio continua* ipsorum. Et iste est primus modus prior, scilicet, multitudo hominum ad invicem, et ad unum primum principium habitudinem aliquam et relationem habens, ut omnes Romani ad Romulum.

Secundo modo *illud* a *quo ut a primo movente ad esse*, id est, a primo generante, sunt, id est, procedunt aliqua, dicitur *genus; sic enim dicuntur* aliqui *Ellines genere et Iones*, *quia* hi, scilicet, Ellines, sunt *ab Elline, et illi a Ione ut a primo generante.* Addit autem quod magis denominantur a patre quam a matre.

Tertio modo *genus* accipitur pro subiecto: *ut superficies dicitur genus figurarum superficialium, et solidum*, id est corpus, figurarum solidarum.

Quarto modo dicitur *genus* quod primum inest, id est, primo ponitur in definitionibus, *quod dicitur*, id est, praedicatur *in eo quod quid est; et hoc est genus, cuius differentiae dicuntur qualitates;* omnis enim definitio constituitur ex duobus conceptibus, quorum unus et primus est *quidditativus*, qui est conceptus *generis;* alius est *qualificativus*, qui est conceptus differentiae (1), et ideo differentiae dicuntur quaedam substantiales *qualitates*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un., c. 18. nn. 151, 152.

Non est duplex *divisio prima* generis (2) per differentias *formales* constituentes species; potest tamen una esse per differentias *formales*, alia per *materiales;* quae divisiones non sunt sub invicem: sicut *corpus* in genere substantiae, praeter divisionem eius *formalem* in *animatum* et in *inanimatum*, potest dividi in *corruptibile* et in *incorruptibile*, et utroque modo differentiae se habent ut *excedentia* et *excessa*. — *Super. Praedic.* q. 7. n. 8.

(1) Vid. *Definitio.*

(2) « *Unius* generis est tantum *una* divisio *prima* per duas differentias, quia tantum duae primae species ». — *Super. Praedic.* q. 17. n. 8.

Genus neutrum. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 69 et seqq.

Genus physicum — logicum. — *Duplex* est genus: quoddam *physicum*; quoddam *logicum*. — Genus *physicum* attenditur penes *subiecti primi identitatem*, scilicet, ut illa dicantur *idem* genere *physico* quae habent *idem subiectum* vel *eamdem materiam* secundum rationem; et quae non, non. — Genus autem *logicum* attenditur penes *identitatem alicuius realitatis unius de pluribus univoce praedicabilis*, ut illa dicantur *idem* genere *logico* quaecumque *conveniunt* in *una* aliqua tali realitate *praedicabili* de eis; et quae non, non.

Ex quo patet corollarie, quod aliqua possunt *differre* genere *physico*, quae tamen *idem erunt* genere *logico*: ut omnes substantiae *corporeae* et *incorporeae* sunt idem genere *logico*; quia omnes, praeter Deum (1), sunt in *genere substantiae*; et tamen differunt genere *physico*, quia *non habent unam materiam communem*. Similiter omnes *colores* et *sapores* sunt idem genere *logico*, quia omnes sunt de genere *qualitatis*; et tamen differunt in genere *physico*, quatenus *non habent idem subiectum primum*. — Nunquam tamen e converso, quod aliqua *sint idem* genere *physico*, et *differant* genere *logico*, etc. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib V. S. un. c. 18. n. 154.

Duplex est genus, scilicet, *physicum* et *logicum*; et utrumque *a materia* accipitur. — Illa autem dicuntur diversa genere *materiali* * sive physico * quorum materia *propinqua* sive *realis non est una*; unde et talia sunt quorum materiae *non reducuntur ad invicem, nec ambae ad tertiam*; et sic diceret Naturalis, quod *color* et *sapor differunt genere*.

Genus *logicum* a *materia* sive *materiali* sumitur, etsi *non significet materiam*; quia in *homine* * ex gr. * natura *sensitiva* comparatur ad *intellectivam* sicut *materia ad formam*; et ideo *quae participant sensitivam* dicuntur habere *materiam unam* in *genere uno*; *quae* autem *non habent sensitivam* dicuntur *diversa genere* ab his quae habent eam.

Unde quorum materia est *diversa genere, sunt diversa* secundum Naturalem; et quorum illud quod est *materiale* et *ratione* est *diversum, genere logico sunt diversa*, vel *propinquo*, vel *remoto*. Et dico *remoto*, quod licet quod est materiale *proximum* in *ratione* sit diversum, illud tamen potest esse *naturale remotum*. — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 9. n. 2. — Cf. *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 14. — I. d. 8. q. 3. n. 16.

Illa sunt in *eodem* genere *logico* quae sunt in *eodem praedicamento*: illa sunt in eodem genere *physico*, quorum *materia* est *una*. — *QQ. Metaph.* ib. q. 21. n. 2.

Genus proximum. — *Genus proximum* nihil aliud est quam primum genus et cum hoc comprehensae differentiae: ut *animal* nihil aliud est quam *substantia*, quod est primum, cum aliquibus differentiis; nam animal est substantia *animata sensibilis*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 2. c. 13. n. 102.

Genus — species. — *Genus* et *species* non tantum differunt per hoc, quod est *praedicari de pluribus numero* * (quod est speciei) *, et *specie* * (proprium *generis*) * *differentibus*; sed *in quid* convenit eis *aequivoce*, quia *genus* praedicat *partem* essentiae, *species* vero *totum*. — *Super. Univers. Porphir.* q. 27. n. 3. — Ideo dico, quod tota quidditas quae est in individuis est entitas speciei, et ita species dicit totum esse individuorum; non sic autem genus dicit totum esse speciei, quia species superaddit entitatem quidditativam. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 19.

Philosophus, *X. Metaph.*, concedit ordinem essentialem inter species eiusdem generis. — *Ib.* I. d. 3. q. 3. n. 16. — In omni * igitur * genere potest aliqua species esse prior alia *in essendo*, comparando illas inter se; sed nulla est prior alia in *participando* rationem generis. — *Super Praedic.* q. 17. n. 5.

Nulla species generis praedicatur de alia *in abstracto*, secundum quod includit differentias oppositas; tamen possibile est

---

(1) Quia Deus, licet sit substantia, nullo tamen continetur *genere*.

hoc *in concreto*, secundum quod species quae subiicitur sumitur ut est in materia, et non ut est species opposita. — *Ib.* 7.

Geometria. — Vid. *Scientiae Mathematicae quinque.*

Gradus eminens. — *Gradus* * in hierarchia quacumque humana * potest dici *eminens* vel propter *universalitatem* actuum quos respicit, vel propter *nobilitatem* actus quem respicit. — Ista distinctio patet in aliis politiis, ubi alicui competunt *plures* actus, et alicui *pauciores*, tamen *nobilior* potest sibi competere: ut *iudex* potest *sententiare,* qui est actus *nobilior,* quam *multi alii* qui conveniunt personae inferiori. — Sed cui competit *universalitas* ad actus, ei competit etiam actus *nobilior,* quia in *universalitate* actuum comprehenditur ille actus nobilior. — Et ex hoc videtur, quod gradus ille qui respicit *universalitatem* actuum sit *simpliciter superior,* quam ille qui respicit *praecise* actum *nobilissimum;* et sic diceretur *Episcopatus* * ex. gr. * *simpliciter superior Ordo,* quia habet Ordinem ad *omnes* actus ecclesiasticos; *Sacerdos* * autem * non ad omnes, licet ad *nobilissimum.* — *Oxon.* IV. d. 24. n. 5. — *Report.* hic. — Vid. *Ordo (Sacramentum).*

Gradus in Ecclesia triplex. — In politiis mundanis nullus habet determinatum gradum in familia regis quia *comedit* vel *bibit,* nec quia post offensam *dominus reconciliatur sibi,* nec quia *multiplicat personas* in ista politia; nam isti actus communes possunt esse omnibus in quocumque gradu. — Sed alium gradum habet aliquis quando *recipitur in familiam domini;* alium quando *ulterius proficit* et constituitur ut miles ad defendendam rempublicam; alium quando *constituitur* ut *supremus* sub domino ad constituendos alios in gradibus determinatis in sua familia, utpote aliquis Senescallus generalis, ut immediatus sub domino, cui commissa est auctoritas universalis ad recipiendum aliquos in familiam domini. Et ideo si esset nomen impositum quod significaret gradum in familia vel baliviam, non diceretur habere gradum vel dignitatem aliquis quia *accedens ad mensam,* vel quia *coniugatus,* vel quia *rediens ad gratiam* post offensam; sed diceretur tantum habere gradum qui de populo *esset assumptus in familiam domini,* et ulteriorem gradum qui in familia *constitueretur ad defendendum domum vel dominum,* et ulteriorem qui constitueretur tanquam *praepositus* ad recipiendum aliquos ad familiam et instruendum inferiores.

Sic in proposito, tria Sacramenta, scilicet: Eucharistia ad *nutritionem* spiritualem, Matrimonium ad *procreationem* corporalem, Poenitentia ad *reconciliationem* annualem, in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia, imo possunt esse communes omni membro Ecclesiae, in quocumque gradu. Sed primus gradus in Ecclesia, et quidem universalissimus, est *recipi in familiam Christi,* quod fit in Baptismo. Secundus specialis *in militiam* ad defensionem fidei christianae, quod fit in Confirmatione. Tertius *constitui in patrem et pastorem* ad introducendum alios in Ecclesiam, et ad dirigendum et instruendum eos, quod fit in Ordine.

Et sicut in politia illa non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet: receptionem in familiam, promotionem ad militiam, et praelationem ad doctrinam; bene tamen iterari possunt nutritio et procreatio et reconciliatio; ita in proposito, tria Sacramenta non decet iterari; alia autem iterantur; et in non iterandis gradus initerabilis acquiritur, et *character* dicitur; in iterandis vero non. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 12.

Gratia. — *Gratia* proprie dicitur *gratuita voluntas Dei, secundum quod est ex mera liberalitate,* ut distinguitur contra *operationes communes,* et ut datur absque dispositione acquisita per actus recipientis, quia Deus non dicitur *movere coelum* per *gratiam.* — *Report.* III. d. 2. q. 1. n. 10. — Cf. *Oxon.* ib. n. 11.

Si accipiatur *gratia* pro *gratuita* Dei voluntate, Deus dicitur *ex gratia* operari omne illud quod non includitur *in natura rei.* — *Oxon.* ib. q. 2. n. 15.

* Gratia seu * ratio acceptandi naturam videtur esse sicut quidam decor naturae complacens voluntati divinae; ita quod, sive ponatur habitus iste activus, sive non activus, ex hoc solo quod est talis forma deco-

rans et ornans animam, potest esse ratio acceptandi naturam. — *Ib.* I. d. 17. q. 3. n. 23.

Habitus gratiae est quaedam qualitas; et praeter relationem quam habet ad rationem rectam, inquantum est habitus bonus formaliter, habet specialem relationem ad voluntatem divinam acceptantem ipsum, vel subiectum habens ipsum. — *Ib.* n. 27. — Vid. *Actus bonus naturaliter — moraliter*, etc. = *Actus meritorius* = *Charitas — Gratia.*

Gratiae infusio. — In *eodem instanti temporis*, in quo *charitas* vel *gratia creatur*, *infunditur* animae; sed *in alio* et *alio instanti naturae*, quia *prius natura* gratia vel charitas *creatur* quam animae *infundatur*, licet totum sit in *eodem* instanti *temporis*. — Unde *duplex* est ibi *mutatio: Una* a *non esse* charitatis vel gratiae ad *esse* gratiae; et haec est *creatio*, et non *est mutatio proprie* dicta, quia *nihil praesupponit*, nec naturam, nec subiectum eius susceptivum. — *Alia* est *mutatio* a subiecto *non charo* ad esse *charum;* et sic mutatur anima a *non esse charo* ad *esse charum.* Et ista *mutatio* non est simpliciter *creatio*, quia *praesupponit susceptivum;* et ideo haec *mutatio secundum quid* potest dici *generatio*, et totum compositum *secundum quid generatur tale* et non *simpliciter*, quia *substantia*, quae est *terminus generationis*, praefuit vel *praesupponitur* in infusione *gratiae*, *generatur* secundum esse *gratum et accidentale.* — *Oxon.* t. I. d. 17. q. 6. n. 5. — *Report.* ib. q. 5. n. 5.

Gratia — Iustitia. — *Gratia* non includitur in ratione *iustitiae* vel rectitudinis naturalis. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 6. n. 5. — * At * in statu innocentiae erant dona * ista * ordinata, ita quod iustitia originalis potuit esse sine gratia, non e converso. — *Ib.* II. d. 32. n. 19.

Gratia *aequivalet* iustitiae originali quantum ad acceptationem divinam. — *Ib.* III. d. 3. q. 1. n. 9. — * Iustitia autem naturalis * se habet ad gratiam, quae est principium meriti, sicut *excedens* ad *excessum. Excedens* quidem, quia fini ultimo coniunxit firmius voluntatem quam gratia; ita enim coniunxit, secundum aliquos, quod non patiebatur secum aliquod peccatum veniale; charitas autem compatitur; vel saltem ita coniunxit, quod facilius et delectabilius erat ei pati ab aliqua tristitia inferiori, quam alicui delectationi inferiori acquiescere, recedente a delectatione finis. Istam facilitatem non facit gratia, cum qua stat pronitas ad malum et difficultas ad bonum. — Sed *excedit gratia* in hoc, quia ipsa coniungit fini *ut bono supernaturali*, et ut *supernaturaliter* per meritum *attingendo* tale bonum. Non sic istud donum, sed tantum coniugebat illi bono ut *convenienti* et *delectabili.* — *Ib.* II. d. 29. n. 7. — *Simpliciter* * ergo * perfectius et eminentius coniungit gratia fini *sub ratione finis* quam iustitia originalis. — *Ib.* d. 32. n. 13.

Gustus. — Vid. *Sensus quinque.*

H

Habere multipliciter dicitur. — *Habere dicitur multipliter: uno quidem* modo est *habere* aliquid *ducere illud secundum suam naturam* in rebus naturalibus, *aut secundum suum impetum*, quantum ad res voluntarias, *propter quod febris dicitur habere hominem*, ex eo, scilicet, quod febris distrahit hominem a sua naturali dispositione, et *ducit* eum et *trahit* ad naturam et dispositionem febris. Hoc etiam modo *tyranni habent civitates, et induti habent vestimentum*, pro quanto secundum impetum voluntatis tyrannorum *aguntur* res in civitate; vestimentum etiam assignatur ipsi induto et *trahitur* ad figuram eius. Ad hunc etiam modum pertinet *habere possessionem*, quatenus homo secundum voluntatem utitur re possessa.

Alio modo dicitur *habere* illud *in quo utique aliquid existit ut in susceptibili,*

ut aes habet speciem statuae, et corpus habet infirmitatem; nam aes est subiectum statuae, et corpus infirmitatis; et similiter de aliis.

Alio modo dicitur *habere* ut *continens habet contentum;* nam contentum dicitur *haberi* ab hoc in quo est, ut *lagenam* dicimus *habere* humidum, puta vinum vel aquam; et *civitatem* dicimus *habere* homines et *navem* nautas. Sic autem secundum hunc modum *totum habet partes.*

Amplius ipsum prohibens aliquid moveri aut operari secundum suum impetum dicitur habere hoc ipsum, scilicet, quod prohibet, ut *columnae* dicuntur *habere* ponderosa supposita, ex eo, scilicet, quod *prohibent illa moveri deorsum secundum suum impetum* vel appetitum naturalem. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 16. nn. 135 et 136.

* Aliquid * habetur vel eo modo quo dicitur Filius habere Divinitatem, vel quomodo dicitur habere Patrem. Unus modus est habendo *formaliter* vel *essentialiter;* alius modus est habendo *correlative* vel *originaliter.* — *Oxon.* I. d. 11. q. 2. n. 9.

Habitum. — Vid. *Simul* — *Seorsum.*

Habitus. — *Habitus* est quo quis *potest uti cum voluerit,* ex *I. Ethic*, uti est *agere.* — *Oxon.* II. d. 42. q. 4. n. 5. — I. d. 3. q. 7. n. 10. — d. 17. q. 2. n. 1. — *De Anima,* q. 12. n. 10.

Quatuor conditiones habitui tribuuntur, videlicet: quod est quo habens *faciliter* operatur, *delectabiliter, prompte* et *expedite.* — *Oxon.* I. d. 17. q. 2. n. 12. — Habitus enim *delectat* et *facilitat* operantem, ut sic habens habitum operetur non propter aliquid *extrinsecum,* ut homicida propter delectationem actus occidendi, nam si occidat propter aliquid extrinsecum, puta ut furetur, magis est *fur* quam *homicida.* — *Exposit. in Metaph.* etc. lib. V. S. un. c. 19. n. 159.

Habitus, *proprie* loquendo, ut Philosophus loquitur *II. Ethic.*, generatur ex aliquo actu *elicito,* et sicut ultimus gradus habitus generatur ex ultimo actu, ita primus ex primo, ita quod quicumque gradus habitus est posterior aliquo actu. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 35.

Licet non sit proprie habitus in *inanimatis,* quia proprie habitus est tantum in *animatis,* possunt tamen denominari ab aliquo adiacente, quod, inquantum est aliquo modo ornamentum vel tegumentum eorum, potest reduci ad genus *habitus.* — *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 5. — Habitus non generatur in *naturaliter inclinatis,* sive in *summe determinatis ad unum,* sicut non generatur in gravi per quotiescumque descendere ratio descensus, nec generatur in violenter motis per quotiescumque tale moveri aliqua ratio vel habitus facilitans vel habilitans ad talem motum violentum, sicut patet de lapide moto sursum; sed generatur in potentiis de se indeterminatis ad actum, per actum frequenter elicitum. — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 18. — Nam a puris *agentibus naturalibus* omnes removent habitus, quia ex se sunt summe inclinata. In intellectu tamen, qui magis naturaliter agit quam voluntas, non negatur habitus, quia non est ex se summe determinatus vel inclinatus. — *Oxon.* III. d. 37. n. 7.

Conceditur, quod in parte corporis potest esse virtus et habitus, sicut patet in manu scriptoris et pictoris; manus enim mea inexercitata inhabilis est in illa facultate quae est ad citharizandum; exercitata autem est habilis; quod non est nisi habilitate inhaerente manui; quae habilitas conceditur esse quaedam virtus, quia quaedam qualitas habilitans ad opus virtutis *moralis.* — Conceditur autem hoc ulterius de *irrationali,* ut de equo, ad actus quosdam, ad quos est assuefactus. — Sed in *mere inanimatis* non invenitur; non enim ex consuetudine proiicitur facilius lapis sursum. — *Ib.* n. 19. — Vid. *Actio* — *Passio* — *Habitus* = *Praedicamenta decem* = *Privatio* — *Habitus.*

Habitus acquisitus — infusus. — Loquendo de illo modo quem habitus attribuit actui, cuiusmodi est *delectabiliter* vel *faciliter* vel *prompte* operari vel *expedite,* istos quidem modos, vel etiam istum modum, si sint unus modus, videtur habitus *acquisitus* communiter tribui actui. — *Quodlib.* q. 17. n. 13. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 21. — Habitus * *infusus* * simpliciter dat *acceptabiliter*

operari, et etiam dat aliquam activitatem respectu actus; sed non dat *delectabiliter*, neque *faciliter*, quae conveniunt habitui *acquisito*, inquantum distinguitur ab *infuso* per hoc, quod acquiritur ex frequenter agere. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 33. — Habitus enim *infusus* non dat *facilitatem* ad actum, ut patet de noviter converso, cui non est facile post conversionem actus bonos elicere, sed difficile, quousque ex frequentia actuum bonorum acquirat aliquam virtutem *acquisitam* — *Ib.* IV. d. 6. q. 10. n. 16.

Habitus — Actus. — *Habitus* et *actus* distinguuntur specie; ergo non sunt sibi invicem causae aequivoce agentes, sed actus necessario est causa aequivoca in generatione habitus, acquisiti saltem. — *Oxon.* I. d. 17. q. 2. n. 10. — Et tunc * haec * est falsa: habitus et actus in hoc solo distinguitur, scilicet per permanentius vel *diuturnius*, et *minus diuturnum*. — *Ib.* IV. d. 49. q. 2. n. 31.

Habitus artis et scientiae moralis — prudentiae et experti. — Sicut circa factibilia *ars* se habet ad habitum *experti*, ita circa agibilia se habet *scientia moralis* ad habitum *prudentiae;* quia habitus *artis* et *scientiae moralis* quasi sunt *remoti* ad dirigendum, quia universales; sed habitus *prudentiae* et *experti*, quia generati sunt ex actibus, sunt particulares et propinqui ad dirigendum. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 41.

Habitus corporales — morales — intellectuales. — *Habitus*, de quibus loquitur Aristot., sunt in *multiplici* differentia: nam *quidam* sunt habitus *corporales*, ut *pulchritudo, sanitas, vivacitas* spirituum, et *robur* corporis. — *Alii* sunt habitus *morales*, ut *iustitia, fortitudo*, etc. — *Alii* sunt habitus *intellectuales*, ut *scientia, sapientia*, et huiusmodi. — *Physic.* VII. Exposit. tex. 17.

Habitus — Dispositio. — *Habitus* uno modo significat aliquid transcendens, secundum quod ab eo dicitur *habere* denominative. — *Secundo* modo significat *habitudinem mediam* inter habentem et rem habitam, quae est velut actio media inter agens et patiens, et sic est *decimum generalissimum* (1). — *Alio* modo significat idem quod *forma positiva*. — *Quarto* modo *habitus* significat *qualitatem radicatam in subiecto, et difficulter mobilem.*

Dispositio autem aut sumitur *absolute;* et tunc est superius ad *habitum*. — *Alio* modo sumitur cum *praecisione;* et tunc distinguitur contra *habitum*. — *Alio* modo dicitur, quod *dispositio* significat qualitatem quae de sua natura est *faciliter mobilis a subiecto;* et *habitus* illam quae secundum suam naturam est *difficulter mobilis;* sed istud est contra Aristotel., quia tunc nullus *habitus* esset *dispositio* (2). — *Super Praed.* q. 36. n. 4.

Dispositio secundum unum significatum forte est ita generale sicut *qualitas;* secundum aliud significatum sicut primus modus *qualitatis;* sed *praecise* sumptum *ipsum* cum *habitu* constituit *primum modum qualitatis* (3). Exemplum est in Porphyrio. Porphyrius enim dividit differentiam in facere *alteratum* et *aliud;* et tamen dicit *omnem* differentiam *facere alteratum;* igitur in divisione oportet intelligere *alteratum praecise*, et in secunda propositione *alteratum absolute*. — *Ib.* n. 5.

Dispositio est *aequivocum*, secundum quod significat idem quod *positio* (4), quod est generalissimum, et secundum quod significat *speciem qualitatis*. — *Ib.* n. 6. — Vid. *Dispositio*.

Habitus evidens — non evidens. — Quando habitus est in aliquo intellectu *habens evidentiam* ex obiecto, tunc primum obiectum illius habitus, *ut est illius*, non tantum continet virtualiter illum habitum, sed *ut notum illi intellectui* continet ipsum habitum, ita quod notitia obiecti in illo intellectu continet evidentiam habitus ut in illo intellectu, quia intellectus cognoscens tale obiectum potest elicere omnem conclusionem huius habitus. — In habitu vero *non habente evidentiam* ex obiecto, sed causatum

---

(1) Vid. *Praedicamenta decem.*

(2) « Eadem * autem * essentia absoluta in genere *qualitatis* potest esse *habitus* et *dispositio* ». *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 15. — Cf. III. d. 36. n. 10.

(3) Vid. *Qualitatis Modi seu Species.*

(4) Vid. *Positio* (*Praedicamentum*) *duplex.*

aliunde quam ab obiecto noto, non oportet dare primum obiectum eius habens duas dictas conditiones, imo neutram oportet dare, quia perinde est habitui ut in hoc ac si esset de contingentibus, quae neutro modo habent obiectum primum. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 12.

Habitus intellectuales quinque. — Aristoteles *VI. Ethic.* distinguit *habitus intellectuales*, qui sunt *sapientia, intellectus, scientia, prudentia* et *ars.* — Et differunt ab invicem *penes obiecta,* quia tria eorum, scilicet, *sapientia, intellectus, scientia,* pertinent ad intellectum *speculativum,* et distinguuntur *penes obiecta.* Nam *sapientia* versatur circa causas *altissimas,* quae sunt principia entis inquantum ens: sive primae causae sint principia *incomplexa,* ut substantiae immateriales, sive *complexa,* ut sunt *dignitates* et maxime propositiones, quae demonstrationem omnium ingrediuntur *virtualiter,* etsi non *substantialiter. Intellectus* autem versatur circa principia *propria demonstrationis,* quae demonstrationem ingrediuntur secundum substantiam. *Scientia* autem versatur circa *conclusiones,* nam *scientia* est *habitus conclusionum.*

Duo alii habitus, scilicet *prudentia* et *ars,* pertinent ad intellectum *practicum*; sed distinguuntur *penes obiectum:* quia *prudentia* versatur circa *agibilia:* unde dirigit in *praxim,* quae est actio *immanens,* non transiens in exteriorem materiam. *Ars* autem est *recta ratio rerum factibilium,* ut patet ex *VI. Ethic.,* ideo versatur circa *factibilia,* et dirigit in operationem, quae est actio *transiens.* Prima autem proprie dicitur *actio;* secunda autem *factio,* illa quae, scilicet, est *transiens.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 1. n. 17. — Vid. *Actio — Factio.*

Habitus intellectualis circa agibilia rectus duplex. — Posset poni *duplex habitus intectualis circa agibilia rectus,* et neuter esset *prudentia.* — *Unus* quidem qui *praecederet* rectam electionem finis in particulari; et ille non esset prudentia, quia prudentia est circa *ordinata* ad finem, quia est habitus *consiliativus*; *consilium* autem non est de *fine,* sed de *entibus ad finem.* Est etiam *discursivus,* quia consiliativus, et ita de his ad quae discurritur.

Electo autem fine bono, non tantum in communi, sed in particulari etiam, ut quod *caste vivendum est,* potest esse aliquis habitus *dictativus* recte de his quae sunt ad finem, sed *non habens secum electionem rectam* tanquam concomitantem; et ille, quantum est ex parte obiecti, esset *prudentia;* esset enim *recta ratio circa ea quae sunt ad finem;* sed deficeret sibi alia conditio, quia non esset concors appetitui recto circa eadem obiecta. — *Oxon.* III. d. 36. n. 15.

Habitus intellectus proprius — communis. — Cum *habitus intellectus* sit qualitas quaedam generata et firmata ex frequenti consideratione, vel unica perfecta, quandoque etiam ad consimilem inclinans intellectum respectu complexi speculandi, *duplex* potest poni *habitus:* — Unus *proprius,* qui *formaliter* inclinat ad speculationem eius, tanquam naturalis similitudo ex eius consideratione derelicta, — Alius *communis,* qui *virtualiter inclinat* ad speculationem eius, inclinando *formaliter* ad speculationem alterius, in quo tale complexum virtualiter continetur. — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 1. n. 8.

Habitus moralis — naturalis. — Habitus non tantum ponuntur in potentiis, ut per eos potentiae agant *recte,* sed ut *delectabiliter* et *prompte;* quia recte potest agere quis sine habitu proprie acquisito, sicut patet in vitioso noviter converso ad bonum, cui si ratio recta dictet aliquid oppositum vitio consueto esse eligendum, licet istud eligat, non tamen delectabiliter; non enim statim in primo actu corruptus est totus habitus vitiosus, imo vel nihil, vel parum remissus. Hoc patet per experientiam, quia talis difficulter eligit bonum honestum, et delectabile sibi esset eligere oppositum, secundum malam consuetudinem praecedentem. Igitur ad hoc quod voluntas *delectabiliter* agat dictatum a ratione, requiritur habitus ad eliciendum actum conformiter illi habitui. — *Oxon.* III. d. 33. n. 5. — IV. d. 6. q. 10. n. 16.

* Igitur * habitus *directivus* non ponitur propter *substantiam* actus, sed propter *circumstantiam,* sicut temperantia non po-

nitur propter substantiam actus comedendi vel alterius huiusmodi, sed propter circumstantias. — *Ib.* Prol. q. 4. n. 14.

Quantum igitur ad istam conditionem actus *accidentalem*, quae est bonitas *moralis*, non oportet aliquem habitum habere aliquam rationem proprii *principii activi*, nisi inquantum habet rationem principii activi respectu *substantiae* actus, qui actus natus est convenire completo dictamini prudentiae; et ad illum actum *in se* inclinat habitus aliquis ex natura habitus, et ex hoc ex consequenti inclinat ad actum qui sit conformis rectae rationi, si recta ratio insit operanti.

Sicut autem dictum est de bonitate morali actus, ita proportionabiliter dicendum est de *habitu:* quod virtus moralis non addit super substantiam habitus, ut est forma de genere *qualitatis*, nisi conformitatem *habitualem* ad rationem rectam (1). Idem enim habitus in natura, qui generaretur ex actibus *abstinentiae* elicientis cum ratione erronea, in eliciente manens, post cum ratione recta, esset post virtus abstinentiae, et prius non fuit habitus virtutis quamdiu non fuit ratio recta abstinendi; nec tamen aliquid mutatum est circa istum habitum in se, sed tantum nunc coniungitur prudentiae, prius non. Non dico coniungi in *eodem subiecto*, sed cum hoc coniungi sibi, *ut regulae* et causae priori, cui iste habitus subordinatur inquantum motivus. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 4.

Coniungi igitur *prudentiae* attribuit habitui, ut est forma de genere qualitatis, esse *virtutem*, quando iste habitus ex natura sua natus est esse conformis prudentiae. Et ita nihil aliud in entitate absoluta dicit *habitus*, qui est virtus *moralis*, ab illo qui est *talis in natura*, et non virtus si sit sine prudentia.

Et per consequens nullam aliam causalitatem potest habere ut est *virtus*, quam ut est *talis qualitas naturalis*, nisi quod ut *coniungitur prudentiae* natus est esse causa secunda quasi directa a prudentia respectu effectus communis amborum; ut autem est *sine prudentia* non potest esse causa secunda respectu eius. Sicut visus in *phrenetico* non potest esse potentia *libera per participationem*, quia ille non potest habere usum voluntatis, quae est libera *per essentiam;* in *sano* autem visus habet usum potentiae liberae per participationem, et est causa quasi secunda respectu voluntatis.

Sed adhuc quando est causa secunda respectu prudentiae causalitatem *propriam* convenientem sibi in suo ordine causandi habet praecise ex hoc quod est talis forma vel qualitas *in natura*, non autem *per respectum* conformitatis vel coniunctionis ad prudentiam. — Sed nec ut causa secunda potest aliquam causalitatem habere respectu actus, nisi ratione naturae *absolutae* in ipso, et non ex tali coniunctione prudentiae, quia licet causa secunda coniuncta primae aliter agat quam sine ea, non tamen habet virtutem propriam activam ex coniunctione tali, sed ex natura sua absoluta. — *Ib.* n. 5.

Tenendo * aliam * viam, quae videtur plus attribuere habitui, potest dici sic: habitus movet potentiam quasi quoddam pondus; qui tamen ex se non sufficit ad eliciendum active ipsam operationem; sufficit autem sola virtus potentiae activae sine tali pondere. Sed quando ambo concurrunt, ita tamen quod non maior sit conatus ex parte potentiae quam prius, perfectior operatio elicitur, quam posset elici ab ipsa potentia sola. — Et videtur pro ista via esse experientia communis, qua quis potest experiri se habituatum ex aequali conatu posse habere perfectiorem operationem, quam posset habere non habituatus, quae perfectio actus non posset attribui habitui, si esset tantum principium passivum inclinans. — *Ib.* n. 6. et 13.

Habitus autem est illius potentiae, cuius est per se talis operatio; igitur *habitus moralis* est per se voluntatis. — *Oxon.* III. d. 33. n. 2. — Licet * enim * voluntas sine habitu posset in actum rectum etiam *moraliter* bonum, tamen per rectum eligere consonum rectae rationi vel recto dictamini rationis, vel per multas tales electiones generatur in voluntate virtus recta inclinans ipsam ad recte eligendum. — *Ib.* n. 12. * *ubi*

---

(1) *Oxon.* III. d. 36. n. 5.

hoc demonstrat. — *Notandum autem Doctorem, licet propendat in sententiam negantem habitui,* qua virtus moralis est, *rationem principii activi, haud tamen contrariam absolute improbare, ut videre est locis citatis* *.

Habitus — Potentia. — Habitus est *quo utimur cum volumus,* et habitus habentem *perficit,* et opus eius *bonum reddit,* ex *II. Ethic.* Omnia ista attribuunt aliquam activitatem habitui. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 10. — Illud est *potentia,* quo *simpliciter* possumus in actum; *habitus* est quo *sic* vel *sic* possumus, scilicet *faciliter* et *expedite* vel *intensius.* — *Ib.* III. d. 23. n. 12. — IV. d. 49. q. 5. n. 6. — Habitus * igitur * non est quo *simpliciter* possumus, sed quo *aliqualiter* possumus; ergo in quo non est potentia simpliciter ad agere vel pati, in eo non est potentia ad *sic* agere vel pati. — *Ib.* d. 44. q. 2. n. 4. — Omnis autem habitus naturaliter praesupponit potentiam. — I. d. 3. q. 3. n. 2.

Habitus non ponitur in potentia nisi ad *facilitandam* et *habilitandam* potentiam ad eliciendum actum, vel, saltem in intellectualibus, ut obiectum sit praesens intellectui, ut intellectus possit *prompte* operari circa illud, quod non posset, si obiectum esset in quolibet actu de novo adipiscendum. — *Ib.* III. d. 31. n. 2. — *Ib.* d. 33. n. 5.

Habitus naturalis dicit quamdam *facilitationem* inductam super potentiam naturalem, quia potentia *naturalis* est qua *naturaliter* possumus in actus quos possumus. — *Ib.* IV. d. 6. q. 10. n. 16.

Habitus non ponitur praecise *ad patiendum,* et maxime in summe disposito ad formam; non enim oportet illud facilitari ad recipiendum quod in se est summe dispositum ad recipiendum. — *Ib.* I. d. 3. q. 7. n. 10.

Attribuendo habitui aliquo modo rationem principii *activi* respectu actus, potest dici, quod habitus est causa *partialis* activa, cum quo ipsa *potentia* etiam est causa partialis respectu actus *perfecti* procedentis a potentia et habitu, licet ipsa posset esse *totalis* causa respectu actus *imperfecti* praecedentis generationem habitus. — I. d. 17. q. 2. n. 8. — IV. d. 49. q. 2. n. 31.

Sed potentia utitur habitu, et non e converso: et *quod* utitur alio est *principalius* in agendo, et illud *quo* utitur est quasi instrumentum vel causa secunda. — Similiter *secundo,* potentia est *illimitatior* in agendo quam habitus, eo quod ad plura se extendit: sed superior causa videtur esse illimitatior extensive; ergo, etc. — I. *ib.* n. 8. — Concedo igitur propter istas rationes, quod tenendo *habitum* esse causam *partialem* respectu actus, erit causa *secunda,* et non prima; sed ipsa *potentia* erit causa *prima,* et absolute non indiget habitu ad operandum. *Minus* tamen *perfecte* operabitur sine habitu quam cum habitu, et hoc, posito aequali conatu ex parte potentiae, quia quando duae causae concurrunt ad aliquem effectum, una sola non potest ex se in ita perfecte effectum, sicut ambae simul. — Et hoc modo salvatur, quod actus est intensior a potentia et habitu quam a potentia sola: non quidem quod *potentia* sit causa *substantiae* actus, et *habitus* sit causa *intensionis,* quasi duobus causatis correspondeant duae causae; sed quia ambae causae concurrentes possunt producere effectum perfectiorem quam altera sola. Qui tamen effectus, secundum se totum et ut per se unus, est a duabus causis, sed in diverso ordine causantibus. — *Ib.* n. 9. — q. 3. n. 9.

* Attamen * in quantocumque gradu habitus non posset supplere *totam* vicem potentiae; quia etsi causalitas eius sit diminuta, et causalitas potentiae diminuta, tamen *alterius rationis* est causalitas habitus quam causalitas potentiae, quia ex ratione sui habitus est causa *secunda,* qua scilicet potentia potest uti, et ita si in infinitum augeretur, nunquam posset fieri principium *utens.* Non igitur eiusdem rationis est causalitas habitus cum causalitate potentiae, ut illa intensa possit ascendere ad istam; sed semper sunt alterius rationis; et tamen hic cum illa causans causat actum perfectiorem, quam si solum causaretur ab una illarum. — *Ib.* q. 3. n. 10. — *Ib.* n. 8. — Cf. IV. d. 49. q. 2. n. 30.

Habitus * itaque * non potest esse *prior* causa operationis quam potentia, sed semper secunda, quia illud est *potentia* quo *simpliciter* possumus. Unde habitus non utitur potentia, sed potentia habitu, sicut causa secunda et instrumento; causa autem prior non determinatur ad agendum, nec per consequens necessitatur, per causam secundam, sed e converso. — IV. ib. q. 6. n. 9.

Habitus *magis determinate* inclinat ad obiectum quam potentia, quia determinatius includit obiectum. Et secundum hoc posset dici, quod illa causalitas partialis, quae attribuitur habitui, convenit sibi ex ea parte qua obiectum dicitur activum respectu actionis, et non ex ea parte qua potentia dicitur activa, quia magis habitus vim suam habet ex obiecto, quod determinate includit, quam ex ipsa potentia. — I. ib. q. 3. n. 28.

* *Comparando igitur praedicta cum iis quae Doctor habet supra,* **habitus moralis-naturalis,** *liquet ipsum inclinari in sententiam concedentem habitui,* ut qualitas est naturalis, *rationem principii activi partialis, non vero* ut est virtus moralis *. — Vid. *Potentia — Habitus.*

Habitus practicus — speculativus. — Esse *practicum* dicit aliquid *intrinsecum* notitiae, sicut respectus aptitudinalis dicit aliquid intrinsecum fundamento; et quod notitia aliqua sic sit apta nata referri, hoc est per naturam intrinsecam notitiae, quam naturam habet ab obiecto ut a causa *extrinseca.* Dico ergo, quod habitus est *practicus* per *intrinsecum* ut per causam *formalem,* et per *obiectum* ut per causam *efficientem.* — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 45. — De habitibus dicitur *II. Metaph. Finis speculativae est veritas, praticae autem opus.* — *Ib.* n. 9.

Habitus ratiocinativus — scientificus. — Habitus partis *ratiocinativae* est circa actum inquantum *contingenter elicitur;* sed habitus *scientificus* vel scientia est circa idem inquantum de eo aliquid *necessario concluditur.* — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 41. — Vid. supra *Habitus intellectuales quinque.*

Habitus — Relatio. — Quamvis dicatur *habitum* non esse formam absolutam, propter verba Philosophi *VII. Phisic.* * text. 17 * (1), tamen tenendo omnem qualitatem esse formam absolutam, potest exponi Philosophus, qui dicit habitum esse *ad aliquid* * seu *relationem* *, quia per identitatem *includit* respectum, et tamen *non est tantum* respectus, sed est quoddam absolutum. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 7. — Vid. *Relatio.*

Habitus supernaturalis — naturalis. — Propter acceptationem naturae beatificabilis *habitualem,* etiam quando non operatur, et propter acceptationem *actualem* actus eliciti a tali natura, oportet ponere unum habitum *supernaturalem,* quo habens formaliter acceptetur a Deo, et quo actus elicitus eius acceptetur tanquam meritorius. Sic enim non videtur acceptari natura vel actus sine aliquo habitu informante. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 22. — III. d. 24. n. 18. — * Attamen * non est necessarium ponere habitum supernaturalem gratificantem, loquendo de necessitate respiciente potentiam Dei *absolutam,* licet sit necessarium, loquendo de necessitate quae respicit potentiam Dei *ordinatam;* quam ordinationem colligimus ex Scriptura, et ex dictis Sanctorum. — I. ib. n. 29. — Habitus *supernaturalis* ponitur pertinere ad idem genus intermedium cum habitu *naturali..* — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 15. — * At * habitus *supernaturalis* non est in habitu *naturali,* sed in potentia naturali, in qua est habitus naturalis; et hoc ideo quia potentia naturalis est prior utroque habitu. — *Ib.* q. 11. n. 2.

Habitus tripliciter accipitur. — *Habitus dicitur uno quidem modo tamquam actio quaedam habentis et habiti;* et loquitur * Philosoph. * similitudinarie. — *Alio modo habitus dicitur dispositio secundum quam ipsum dispositum disponitur vel bene,* puta sanitate et scientia, *vel male,* puta aegritudine et ignorantia. — *Amplius dicitur habitus si est pars talis dispositionis, qua propter et virtus partium est quaedam dispositio;* vult dicere, quod *habitus* etiam dicitur non solum dispositio *totius,* sed etiam dispositio *partis,* quae est pars dispositionis totalis, sive sit dispositio *corporalis,* sive

---

(1) Vid. exposit. Doctor.

animae. Primo modo bonae dispositiones *partium* animalis sunt partes bonae dispositionis *totius* animalis, puta, sanitas *capitis,* vel *hepatis.* Secundo modo virtutes *partium* animae, ut *temperantia,* quae est in virtute *concupiscibili, prudentia* in *rationali* parte animae; unde patet, quod iste *tertius* modus est quaedam *pars secundi* modi. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 16. nn. 128 et 129.

Habituum divisio. — Ratione naturali concluditur necessitas habitus intellectualis perficientis *intellectum* circa *speculabilia,* et habitus perficientis intellectum circa *operabilia;* et ita habetur habitus intellectualis *speculativus* et *praticus.* — Consimiliter ratione naturali concluditur necessitas habitus perficientis *appetitum* circa ea quae sunt appetibilia in ordine *ad se,* et ulterius circa appetibilia in ordine ad *alterum;* et ita habetur prima distinctio virtutis appetitivae ordinantis talem potentiam in actibus *ad se* et *ad alterum.* — *Oxon.* III. d. 34. n. 6.

Notandum, quod sicut *habitus* in genere *qualitatis* est quoddam genus *intermedium,* ita habet sub se multa *intermedia,* antequam veniat ad species *specialissimas.* Sive enim primo dividatur per *intellectualem* et *appetitivum,* quod videtur probabile; et ulterius utrumque horum per *acquisitum* et *infusum;* sive e converso, primo per *acquisitum* et *infusum,* et utrumque per *intellectualem* et *appetitivum,* saltem ulterius *intellectuale acquisitum* dividitur per *speculativum* et *practicum;* et *appetitivum acquisitum* in ordine *ad se* et *ad alterum. Acquisitum* autem *speculativum* dividitur per *realem* et *rationis,* vel quia est circa ens *reale* vel rationis. — Qui autem *circa ens reale* dividitur illa divisione quae ponitur *V. Methaph.* scilicet, in *mathematicam, naturalem,* et *divinam;* et quodlibet membrum illius dividitur forte multis divisionibus, antequam deveniatur ad species specialissimas. — Habitus etiam *practicus acquisitus* dividitur in eum qui est *circa factibile;* et qui est *circa factibile* plures habet divisiones, antequam deveniatur ad species specialissimas. — Qui autem est practicus *circa agibile* dividitur multiplici divisione; sive enim sit *scientia* practica, sive sit *prudentia* practica, non est unicus circa omnia agibilia.

Prima divisio habitus in appetitivum et intellectivum:

- Habituum alius
  - Intellectivus
    - Acquisitus
      - Speculativus
        - Realis
          - *Mathematicus*
          - *Metaphysicus*
          - *Physicus*
        - Rationalis
          - *Logicus*
          - *Rhetoricus*
          - *Grammaticus*
      - Practicus
        - Circa agibile: *Prudentia*
        - Circa factibile
          - *Lana*
          - *Nemus*
          - *Miles*
          - *Navigatio*
          - *Rus*
          - *Medicina*
          - *Ars fabrilis*
    - Infusus: *Fides*
  - Appetitivus
    - Acquisitus
      - In ordine ad se
        - *Fortitudo*
        - *Temperantia*
      - In ordine ad alterum: *Iustitia*
    - Infusus
      - In ordine ad se: *Spes.*
      - In ordine ad alterum: *Charitas*

Secundum aliam viam prima divisio habitus est in infusum et acquisitum ut sequitur:

- Habituum alius
  - Infusus
    - Intellectualis: *Fides*
    - Appetitivus
      - In ordine ad se: *Spes*
      - In ordine ad alium: *Charitas*
  - Acquisitus
    - Intellectualis
      - Speculativus
        - Realis
          - *Metaphysicus*
          - *Mathematicus*
          - *Physicus*
        - Rationalis
          - *Logicus*
          - *Rethoricus*
          - *Grammaticus*
      - Practicus
        - Circa agibile: *Prudentia*
        - Circa factibile
          - *Lana*
          - *Nemus*
          - *Miles*
          - *Navigatio*
          - *Rus*
          - *Medicina*
    - Appetitivus
      - In ordine ad alterum: *Iustitia*
      - In ordine ad se
        - *Fortitudo*
        - *Temperantia*

Ib. n. 8.

Haereticorum error multiplex. — Sunt haereses innumerae damnantes sacram Scripturam vel partem eius, sicut patet in libris Damasceni et Augustini *De Haeresibus.* — Quidam vero haeretici *nihil* de Scriptura recipiunt. Quidam *non vetus Testamentum,* ut Manichaei, sicut in libro Augustini *De Utilitate credendi* patet, dicentes, vetus Testamentum esse a malo principio. Quidam vero *tantum Testamentum vetus* accipiunt, ut Iudaei. Quidam vero *aliquid utriusque,* ut Saraceni, quibus Mahumetus immundus alias immunditias innumeras immiscuit. Quidam *aliquid dictum in novo Testamento,* puta haeretici diversi, qui diversas sententias Scripturarum male intellectas habentes pro fundamento, alias neglexerunt. — *Oxon.* Prol. q. 2. n. 2. — * *Quos omnes explodit Doctor ibid.* n. 8 *.

Haereticus. — Nullus *haereticus* proprie loquendo (excludendo simpliciter *infideles*) est qui non reputet se christianum, et omnis talis errat *male intelligendo aliquam auctoritatem Scripturae,* et ex illo falso intellectu concludit conclusionem falsam, *cui pertinaciter adhaeret.* — *Oxon.* III. d. 23. n. 18. — * Nam * secundum Augustinum, *lib.* 83 *quaestion. quaest.* 69., *non potest error oriri palliatus nomine christiano, nisi de Scripturis non intellectis;* et hoc ideo, quia praecedentia et sequentia non contulerunt. Unde ibidem infra: *Solet circumstantia Scripturarum illuminare sententiam; nec etiam alia loca Scripturarum contulerunt. Unde haereses ortae sunt per se legendo, quae conferendo repulsae sunt, quia conferentes diversas sententias adduxerunt, quae ex se invicem mutuo videri poterant, quomodo et qualiter essent intelligendae.* — *Prol.* q. 2. n. 8.

Halo. — *Halo* graece est idem quod *corona;* unde *halo* est ille circulus clarus quandoque apparens circa lunam, quandoque circa alias magnas stellas, et quando-

que circa candelam; qui circulus quandoque est completus, et quandoque interruptus, vel propter defectum materiae, vel propter indispositionem eius, quae indispositio provenit ex nimis intensa densitate. — *Meter.* III. q. 6. n. 2.

Harmonia. — Vid. *Colobon.*

Hiatus — Vorago. — Aliquando de nocte videmus in coelo quamdam apparentiam, quae si sit tota rubea vocatur *hiatus;* sed si in medio fuerit nigredo et in lateribus rubedo, tunc apparet *vorago.* — *Meter.* I. q. 16. n. 2.

Hoc. — Hoc pronomen *hoc* * in hac propositione, *hoc est corpus meum* *, demonstrabit pro ultimo instanti completae prolationis; et tunc dicetur, quod demonstraret illud quod pro illo instanti est sub illis speciebus, ut sit demonstratio partim ad sensum, partim ad intellectum. — *Hoc* in proposito demonstrat singulare *entis,* et non per se singulare alicuius *minus universalis* quam ens. Quod *probatur,* quia rationabilitèr quaeritur de multis, quid est *hoc?:* non autem idem supponitur et quaeritur; igitur non supponitur per ly *hoc* hoc *lignum* vel hic *lapis,* quia illud quaeritur; nam responso isto dato, scilicet *lignum vel lapis,* quietatur animus quaerentis de illo singulari; de illo ergo singulari supponitur *hoc* tantum ut est singulare *entis,* et quaeritur aliquid *speciale* sub ente; et quodcumque speciale conveniens est ad responsionem. Et haec probatio stat in unico verbo, quod ponitur *Exodi* 16 * v. 15. * de *Manhu,* id est, *quid est hoc.?* — *Oxon.* IV. d. 8. q. 2. n. 17.

Licet ly *hoc* ibi non supponat per se nisi *singulare entis,* tamen illud intelligitur pro singulari alicuius inferioris, et regulariter pro singulari quod est Corpus Christi, quia non est ibi in *instanti ultimo,* pro quo facit demonstrationem, ens in aliquo singulari, nisi in hoc quod est Corpus Christi. — *Ib.* n. 18.

Hoc aliquid. — Vid. *Fallacia figurae dictionis.*

Hominis potentiae multiplices. — Cum *homo* sit compositus ex *materia* et *forma, corpore* et *anima,* eius potest esse *duplex virtus activa* in genere: una *spiritualis,* quae convenit ei ex parte *animae:* alia *corporalis* ex parte *corporis.* — Et secundum hoc sunt in homine aliae et aliae potentiae: quaedam *spirituales,* et quaedam *corporales.* — Potentiae quae conveniunt homini ex parte *animae* sunt *spirituales* aliquo modo, quia licet quantum ad *esse* coniungantur corpori, sicut anima informat corpus, tamen separantur ad separationem animae omni modo, quia sunt eadem essentia cum anima.

Potentiae vero quae conveniunt homini ex parte *corporis,* ut *corporales,* in multiplici differentia sunt: — Quaedam enim conveniunt corpori non inquantum *animatum,* sed inquantum est *corpus mixtum,* compositum ex elementis. — Quaedam autem conveniunt ei, inquantum est *animatum,* et sunt *totius coniuncti* ex anima et corpore, vel organo et potentia, sicut patet ex *lib. De Sensu et Sensato.* — *Report.* IV. d. 10. q. 7. n. 2.

Sicut homo est compositus ex anima et corpore, ita habet potentias quasdam *mere spirituales,* quae conveniunt animae *primo,* tamen toti *per se* per animam, ut sunt intellectus et voluntas. Habet etiam quasdam potentias *corporeas,* quae scilicet non sunt animae per se, sed totius coniuncti ex anima et corpore. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 7. n. 2.

Homo. — *Animal rationale* potest esse definitio completa *hominis.* — *Super Univers. Porph.* q. 29. n. 7. — *Animal* est de ratione quidditativa hominis. — *Oxon.* II. d. 16. n. 21. — In definitione hominis necessario ponitur *anima,* non excludendo tamen *corpus.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. s. 2. c. 12. n. 97. — Quia homo ut *quo totali* humanitate est homo; sed per animam est homo ut *quo partiali.* Et hoc est quod aliquando consuevit dici de forma *totius* et forma *partis.*. Forma autem totius est quidditas rei includens utramque partem essentialem, et illa non est aliud realiter ab ipso: quod si sic forte sit aliud, tantum est aliud in modo intelligendi. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 36. — Sicut igitur homo includit materiam et formam tamquam causas intrinsecas sui, sic quidditas hominis includit materiam et formam. —

Ib. III. d. 22. n. 13. — *Forma* * autem * hominis in *communi* est illa ubi, sive per quam, videmus quid requiritur ad *esse hominis,* vel ad *esse hominem,* et propter quam formam iudicamus, illud quod occurrit esse vel non esse *hominem.* — *Ib.* I. d. 3. q. 3. n. 28.

Omnes philosophi communiter in definitione *hominis* ponunt *rationale,* tanquam eius differentiam *propriam,* per *rationale* intelligentes *animam intellectivam* esse partem *essentialem* eius. Nec breviter invenitur aliquis philosophus notabilis qui hoc neget, licet ille maledictus Averroes in fictione sua III. *de Anima,* quae tamen non est intelligibilis nec sibi, nec alii, ponat intellectum esse quamdam substantiam separatam, mediantibus phantasmatibus nobis coniungibilem; quam coniunctionem nec ipse, nec aliquis sequax eius adhuc potuit explicare, nec per illam coniunctionem salvare, *hominem intelligere.* Nam, secundum ipsum, homo *formaliter* non esset nisi quoddam animal *irrationale excellens,* per quamdam tamen animam irrationalem et sensitivam excellentiorem aliis animabus. — IV. d. 43. q. 2. n. 5.

Homo est *primo* rationalis, quia differentia specifica *rationale* primo dicitur de specie; primo etiam homo habet actum illum qui convenit animali rationali inquantum rationale, scilicet *intelligere* vel *ratiocinari.* Et tamen non aequaliter convenit istud praedicatum utrique parti hominis, scilicet animae et corpori; forte enim *formaliter* potest dici de anima, et nullo modo de corpore. Non tamen dicitur de homine *quia de anima,* quia tunc competeret homini secundum partem, sicut esse *longum* competit homini secundum partem, quia secundum corpus; et si etiam *intelligere* neutri parti competeret, ita quod non posset dici de ea, non tamen aequaliter se habet utraque pars ad inhaerentiam praedicati totius; non enim est ita corpus ratio inhaerentiae huius praedicati sicut anima; et hoc quia illae partes, scilicet corpus et anima, non sunt partes eiusdem rationis in integrando totum, sed altera materia, altera forma; materia enim non est ratio operandi, sicut forma ipsi toti primo operanti. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 8.

Aliqua denominativa vel concreta praedicantur de aliquibus *primo modo per se;* aliqua de aliquo *per se secundo modo,* sive *per accidens:* de composito quidem ex susceptivo et forma praedicatur denominativum sive concretum formae *per se primo modo,* specialiter si subiectum est per se unum quantum ad conceptum, sicut *homo* dicitur *rationalis* sive *animatus* per se primo, sed *corpus,* quod est altera pars compositi * humani *, dicitur denominative *animatum,* proprie tamen, sive per se secundo modo, sive per accidens, quia illud non est totum includens formam, sed susceptivum recipiens formam. — *Quodlib.* q. 3. n. 14. — Cf. *Oxon.* III. d. 7. q. 1. n. 9.

Augustin. *XIII De Civitat.* cap. ult. inquit: *Hoc verum est, quod non totus homo, sed pars melior anima est, nec totus homo corpus, sed inferior pars hominis* (1); *sed cum est utrumque coniunctum simul, habet* HOMINIS *nomen.* Haec Augustinus.

Nota etiam in ista auctoritate, quod *corpus* est *pars hominis,* contra dicentes *animam* esse *totam* quidditatem hominis; quod non est verum, quia *quidditas* * hominis * dicit totum quod dicit *homo:* et homo includit *corpus,* ut patet; igitur et quidditas eius. — *Ib.* III. d. 22. n. 4. — Esse animae intellectivae non est esse *totale* hominis; quia omne ens habet aliquod esse proprium: homo *ut homo* est aliquod ens, non tantum anima; ergo habet aliquod esse proprium, et non tantum esse animae. — *Ib.* IV. d. 43. q. 1. n. 6.

Natura enim *humana* non est *partes,* nec *partes unitae;* quia pono quod natura in se dicit *entitatem absolutam* ultra partes, ut probavi *dist. 2. huius;* unde *humanitas* non dicit solum respectum unionis partium ultra partes; non enim illud quo homo *formaliter* est homo est *relatio:* est autem homo *formaliter* homo *humanitate.* Si enim

---

(1) « Homo non est homo secundum animam sive per animam, nisi secundum quod anima informat materiam ». — *Quodlib.* q. 9. n. 8.

homo nihil esset nisi *partes unitae* sibi, homo non esset *unum* nisi *aggregatione*, sicut nec *quinarius* est unitates *quinque*, scilicet, sed est illud *totum*, quod resultat ex quinque unitatibus; aliter si esset illae unitates, esset *unum sicut acervus*. — Dico igitur, quod homo habet unitatem quamdam et *entitatem* aliam ab istis partibus * (anima et corpore) * etiam unitis, non tamen *partialem* entitatem quae cum istis faciat compositum; tunc enim procederetur in infinitum (1). — *Ib.* III. n. 18.

Homo componitur ex *corpore* et *anima*, ut partibus eius *intrinsecis* et *essentialibus*. Constat quod haec sunt de veritate humanae naturae.

Deinde componitur ex multis et diversis partibus * *integralibus* *: quibusdam *homogeneis*, et quibusdam *heterogeneis*, quae congruunt diversis operationibus ab homine exercendis, quarum nata sunt esse plura organa, quia unum organum non sufficit ad omnes illas operationes exercendas, quia *oculus* non *audit*, nec *auris videt;* sed cuilibet correspondet sua propria operatio, ut organo *visus videre*, organo *auditus audire*, et sic de aliis; nec unum organum tantum sufficit ad tantam diversitatem partium salvandam, propter determinatam complexionem eius. Hae autem partes *diversae* componuntur ex partibus homogeneis. Unde dicit Philosophus *I. De Generatione text. com. 34*, quod partes *heterogeneae* nutriuntur, cum *homogeneae* nutriuntur. — *Report.* IV. d. 44. q. 1. n. 2. — *Oxon.* ib. n. 3.

Homo intelligitur ut animal *rationale*, ut *substantia*, ut *mansuetum natura*, ut *nobilissimum animalium*. — In *primo* intellectu intelligitur secundum rationem *quidditativam propriam;* in *secundo* in *communi;* in *tertio per accidens, id est*, in *propria passione;* in *quarto* in *respectu ad aliud*. — Sed *perfectissima* notitia de homine non potest esse in *respectu ad aliud*, quia ista praesupponit notitiam *absoluti*; nec de homine sub ratione *passionis*, quia notitia *passionis* praesupponit notitiam *subiecti;* nec de homine in *universali*, quia illa est *confusa;* ergo nobilissima cognitio de homine est secundum *rationem quidditativam*. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 9. — Cf. I. d. 11. q. 2. n. 6. seqq.

(1) Vult dicere, quod in homine, ex unione substantiali animae et corporis *unum quid* resultat, nempe *humanitas*, quae nec corpus est, nec anima, nec cum his in compositionem venit.

Homogeneum. — Vid. *Colobon.*

Homo multipliciter accipitur. — * Hoc verbum * *homo* de se indifferens est ad multas acceptiones, scilicet pro *voce*, pro *intentione*, pro *suppositis*. — *Super Praedic.* q. 12. n. 4.

Honestas publica (Impedimentum Matrimonii). — Vid. *Consanguinitas — Affinitas, etc. = Matrimonii impedimenta multiplicia.*

Honor. — *Honor* est *exhibitio reverentiae* in testimonium virtutis moralis, qua dicitur homo *bonus*. — *De perfect. stat.* n. 20. — *Honor* exhibetur homini in testimonium virtutis, et per consequens *maior honor* in testimonium *maioris virtutis*. — *Ib.* n. 90.

Humanari — Humanum — *Humanari* non est proprium denominativum huius, quod est *esse* hominem, sed hominem *fieri*. Et universaliter denominativum quod significat formam in *fieri* dicitur de eo de quo dicitur ipsa forma, et simili denominatione; idem enim *est* album et *fit* album; ita idem *est* homo et *fit* homo. Sed proprium denominativum hominis est hoc, quod est *humanum*. — *Oxon.* III. d. 7. q. I. n. 9. — Opus * autem * factum ab homine dicitur *humanum*, non propter aliquid humanitatis quod sit *formaliter* in opere, sed propter humanitatem quae est formaliter in homine, ad quem opus habet habitudinem. — *Ib.* I. d. 30. q. 2. n. 12.

Humilitas. — Loquendo de virtutibus moralibus, *humilitas* est *quaedam temperantia*. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 2. — Species temperantiae quae *moderatur circa honores* dicitur *humilitas*. — *Ib.* III. d. 34. n. 15.

Enumerat Salvator inter beatitudines *humilitatem*, quae moderatur circa primum delectabile, scilicet honorem, *Matth.* 5 (1): *Beati pauperes spiritu*, ubi, secundum Au-

(1) V. 3.

gustinum, recte intelliguntur *pauperes spiritu* recti ac *timentes Deum*, non habentes *inflantem* spiritum. — *Ib.* n. 18. — Idem est omnino *timor* quod *humilitas*, licet alio nomine nominetur, sicut patere potest per Augustinum super illud: *Beati pauperes spiritu;* frequenter enim numerantur * virtutes * non nominibus propriis; et ideo Scriptura frequenter commendat timorem. Unde illud: *Initium sapientiae timor Domini* (1), nihil aliud est nisi *humilitas*, quae est principium virtutum. — *Ib.* n. 20. — Vid. *Concupiscibile — Irascibile.*

Hyperdulia. — *Hyperdulia* est *extrema* * (*summa*) * *reverentia exhibita creaturae.* — *Oxon.* III. d. 9. n. 9. (2). — Mariam adoramus *hyperdulia*, et omnes alios Sanctos *dulia.* — *Ib.* n. 12.

I

Idea in Deo. — Augustinus ponit istam descriptionem ideae: *Idea est ratio aeterna in mente divina, secundum quam aliquid est formabile extra, ut secundum propriam rationem eius.*

Probatio *primae* particulae: Deus omnia causat vel causare potest: non irrationabiliter; ergo *rationabiliter;* igitur habet *rationem, secundum quam format.* Non autem eamdem omnium; ergo singula *propriis rationibus* format. Non autem rationibus *extra se*, quia non eget in efficiendo aliquo alio a se; igitur rationibus *in mente sua.* Nihil autem in mente sua est nisi incommutabile; ergo omne formabile potest formare secundum *rationem propriam sibi aeternam in mente sua.*

Nihil autem in mente sua tale ponitur nisi *idea*, secundum istam descriptionem. Igitur videtur, quod *lapis intellectus* * ex. gr. * possit dici *idea;* ipse enim habet omnes istas conditiones; quia ipse est *ratio factibilis extra, propria sibi:* sicut *arca* in *mente* potest dici *ratio* respectu arcae in *materia*, et est *propria ratio*, secundum quam arca in materia formatur. Et ista ratio est *aeterna in mente divina*, ut cognitum in cognoscente per actum intellectus divini. *Quidquid* autem est in Deo secundum quodcumque *esse*, sive *rei*, sive *rationis* per actum intellectus divini, est *aeternum*, sicut declaratum fuit supra *dist.* 30, quod nulla relatio potest esse *nova* in Deo per actum intellectus sui.

Istud videtur consonare cum dicto Platonis, a quo accepit August. nomen *ideae.* Ipse enim ponit ideas quidditates rerum, *per se* quidem existentes, secundum Aristotelem, et male; secundum Augustinum *in mente divina*, et bene. — *Oxon.* I. d. 35. n. 12.

Idea in mente divina, quae est similitudo obiecti, est immaterialis. — *Ib.* d. 3. q. 3. n. 4. — Illa essentia * (divina) * quae perfectissime omnia repraesentat, ut sic repraesentans illa, habet rationem *ideae.* — *Ib.* IV. d. 50. q. 3. n. 4.

Ideae sunt communes cuilibet Personae, licet *approprientur* Verbo propter modum proprium emanationis eius, quia procedit ut notitia actualis declarativa omnis obiecti, quod quasi habitualiter continetur in memoria paterna. — *Quodlib.* q. 8. n. 25.

Idea practica — speculativa. — Distinguit * D. Thomas * ideam *practicam* a *speculativa* per *possibile fiendum*, et *non fiendum.* — Non videtur * autem * quod haec distinctio sit bona; quia illa quae uniformiter et eodem modo respiciuntur ab ideis non distinguunt ideam *practicam* et *speculativam:* sed *possibile fiendum* et *non fiendum* uniformiter respiciuntur ab ideis ante actum voluntatis; cum igitur ideae sint in intellectu ante quemcumque actum voluntatis, sequitur quod praedicta non distinguant ideas. — *Report.* I. d. 1. q. 4. n. 7.

Quod adducitur quod idea non est *practica* nisi respectu *fiendorum*, dico, quod aeque *practica* est respectu possibilium *non fiendorum* sicut respectu *fiendorum*;

---

(1) Ps. CX. v. 10. — Eccl. c. I. v. 16.
(2) Vid. *Latria — Hyperdulia.*

non enim dicitur *practica* quia secundum eam * aliquid * aliquando *producitur,* sed quia secundum eam *natum est* produci: sicut non dicitur *calor* quia *actu calefacit,* sed quia *natus est* calefacere. — *Ib.* n. 24.

Ideatum duplex. — Est aliquod *ideatum* quod sic fit ad ideam, quod est similitudo ideae, et *non est alicuius alterius similitudo.* — *Aliud* est *ideatum* quod sic fit ad ideam, quod non tantum est similitudo ideae, *sed alicuius alterius.* — *De Cognit. Dei.* q. 4. n. 5.

Idem, an et qualiter ad duo referatur? — *Idem primo,* id est, secundum *propriam suam rationem,* non refertur ad duo, quia tunc non esset *unum* essentialiter; *per se* tamen potest aliquod referri ad *duo non omnino diversa,* sed quorum unum includit alterum aliquo modo; quia aliquid secundum *propriam* formam potest dici ad *unum,* et secundum formam *sui generis* ad *aliud,* ad quod non dicitur *primo,* quia non secundum eius propriam rationem, secundum quam distinguitur ab aliis speciebus; licet * dicatur * *per se,* quia secundum *genus,* quod est *de eius per se intellectu.* — *Sup. Praedic.* q. 29. n. 2.

Idem — Diversum — Licet *idem* et *diversum* stricte loquendo solum sint in genere *substantiae,* nam *unum in substantia* est *idem,* tamen extendendo nomen *substantiae* ad essentiam cuiuslibet entis, sic omne ens omni enti comparatum, aut est *idem* aut *diversum.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 1. n. 33.

Idem et *diversum* sunt contraria: quia *idem* est quoddam *unum,* et *diversum* quoddam multum. Sed intelligendum, quod, quia substantia est radix omnium generum, et quia omnia quae habent rationem entis ad substantiam attribuuntur, sic *identitas* et *diversitas,* sive *idem* et *diversum,* principaliter insunt *substantiis,* et *per attributionem* aliis generibus. Et non solum extenduntur ad aliqua alia genera, sed etiam ad negationes et privationes, inquantum rationem *entis* participant; et ideo omne ens comparatum enti est *idem* vel *diversum* sibi. — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 7. n. 2.

Idem duplex — *Dupliciter* dicunt aliqua *eamdem naturam: uno modo* quia habent *identitatem realem* et *distinctionem rationum realium ex natura rei.* — *Alio modo* quia *sunt idem secundum rem et secundum rationem realem.*

Exemplum *primi:* ut *causa* et *principium;* nam *eadem res* est causa et principium, sed secundum *aliam* et *aliam rationem realem;* nam *principium* dicitur ratione *primitatis,* idem enim dico *primum* et *principium,* ex *I. Poster. text. 5;* sed dicitur *causa* ratione *dandi esse,* quia causa est *ad cuius esse sequitur aliud;* et istae rationes non sunt eaedem ex natura rei, et una est prior alia, sicut patet (1). — Exemplum *secundi:* ut *tunica* et *vestis,* et quaecumque sinonyma. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. S. 2. c. 2. n. 9.

Idem essentialiter alicui — de essentia alicuius. — Non idem est esse *de essentia* A, et esse *idem essentialiter* vel *realiter* ipsi A. Primum quidem infert secundum; sed non e converso, quia *de essentia* A *praecise* est illud quod *includitur per se in conceptu quidditativo* A, et ideo ponitur in ratione eius quidditativa, non ut additum. Potest autem esse *realiter ipsi* A *idem,* licet sit *extra conceptum eius:* puta *unitas, veritas,* etc. extra conceptum *entis,* quia prior est illis, secundum Avicennam V, non tamen illa dicunt *rem aliam* ab ente. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 1. n. 2. — Cf. *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 5. et 21.

Idem per accidens quintuplex. — Ponit * Aristot * *quinque* modos *eiusdem per accidens.* — *Primus* modus est cum *accidens* dicitur *idem accidenti:* puta, dicendo, quod *album* et *musicum* sunt *idem.* — *Secundus* est cum *accidens* dicitur esse *idem subiecto:* puta, *musicum* esse *idem homini.* — *Tertius* modus est conversivus *secundi,* cum *subiectum* dicitur *idem accidenti:* puta, *homo musico.* — *Quartus* modus est quando *accidens incomplexum idem* dicitur esse *complexo ex subiecto et accidente:* ut si *musicum* dicatur esse *idem homini musico.* — *Quintus* modus est cum

(1) Vid. *Principium — Causa.*

terminus complexus dicitur esse *idem subiecto simplici,* vel *accidenti simplici:* ut si dicatur, quod *homo musicus* est *idem homini* seorsum, vel ipsi *musico* seorsum. — *Exp. in Meth. Arist.* l. V. S. un. c. IX. n. 73.

Idem per se. — Eisdem modis quibus dicitur *unum per se,* dicitur et *idem per se* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 9. n. 75. — Vid. *Unum per se quintuplex.*

Idem quadruplex. — Ultra *idem aggregatione,* et *idem per accidens,* et *idem essentialiter,* potest dici *idem* ubi non est *nisi una essentia*; et haec *simpliciter,* vel *composita* ex principiis facientibus *per se unum.* — *Miscell.* q. 1. n. 25.

Idem secundum substantiam. — Vid. *Nunc.*

Idem — simile — aequale — diversum dissimile — inaequale. — *Idem* est *unum in substantia;* et *simile unum in qualitate; aequale* autem *unum* in *quantitate.* — *Diversum, dissimile* et *inaequale* sunt contraria praedictis. — *Exposit. in Metaph. tristot.* lib. X. S. 2. c. 1. n. 28.

Idem specie duplex. — Aliqua dicuntur *idem specie dupliciter:* — *uno modo* quod de eis *praedicatur idem conceptus quidditativus,* ut *Socrates* et *Plato* dicuntur *eiusdem speciei.* — *Secundo modo* quia de eis *verificatur terminus connotativus secundum eamdem rationem:* et sic *homo* et *asinus* dicuntur *eiusdem speciei,* eo quod uterque est *compositus.* — *Physic.* I. q. 19. n. 7.

Idem unumque multipliciter dicuntur. — *Idem* dicitur *multipliciter,* ut dicitur l. *Top.* com. 5: *genere, specie,* et *numero.* — Et *idem numero* tripliciter: *accidente, proprio* et *definitione.* — Et in *V. Metaph. text. non habente com.,* dicitur quod *idem secundum se* dicitur tot modis quot modis *unum secundum se,* scilicet *numero, specie, genere* et *proportione.*

Et *idem proportione* et *idem numero,* quo ad duos modos, scilicet *idem accidente* et *proprio,* potest esse in *diversis* generibus, quia *animal* et *color* * ex gr. * sunt *idem proportione,* quia huiusmodi identitas est in *similiter se habere;* sicut enim *color* se habet ad *albedinem,* ita *animal* se habet ad *hominem.* Similiter *Socrates* et *album idem* sunt *accidente; Socrates* et *disciplina, perceptibile* vel *risibile,* sunt *idem proprio.* Et sic *eadem* manifestum est, quod sunt in *diversis* generibus.

Idem specie vel *genere* nullo modo est in *diversis* generibus *generalissimis,* vel quibuscumque *non subalternis,* ut species vel differentia, nisi forte *idem genere superiore* in diversis generibus *inferioribus.* — Quod autem *idem specie* vel *genere inferiore* non sit in *diversis* generibus *superioribus non subalternis,* ut species vel differentia, videtur manifestum; quia ad *essentiam speciei* pertinet genus; ergo si *idem specie* vel *genere inferiore* esset in diversis generibus *superioribus,* illa ambo genera essent de eius essentia; igitur illud *non esset idem essentialiter,* quia duo genera *non subalterna diversam essentiam* praedicant. — Similiter differentia cum genere facit *unum essentialiter,* sed cum *diversis* generibus *non subalternis nihil idem* facit *essentialiter.* — *Super Praedic.* q. 10. n. 2.

Identitas. — Vid. *Aequalitas — Identitas,* etc. = *Unitas multiplex.*

Identitas adaequata — non adaequata. — *Eadem* identitate *adaequata* sunt illa quorum *neutrum excedit alterum,* sed est praecise illud, et nec maius, nec minus: ut *definitio* et *definitum.* — *Non adaequata* identitate dicuntur illa quorum *unum excedit alterum,* vel unitas unius excedit unitatem alterius: ut se habet *animal* ad *hominem.* — *Report.* I. d. 33. q. 2. n. 12. — *Quodlib.* q. 1. n. 10.

Identitas adaequationis triplex. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Identitas formalis. — Voco *identitatem formalem* ubi illud quod dicitur sic idem *includit illud cui sic est idem in ratione sua formali,* et per consequens *per se primo.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 44. — Aliquid est *idem* alicui *absoluta* identitate absque *formali* identitate. — *Ib.* d. q. 5. q. 1. n. 10. — Cf. ib q. 2. n. 15. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Identitas in Divinis. — De *identitate* dici potest, quod ipsa *dupliciter* accipitur

in Divinis: uno modo *eiusdem Personae ad se,* sicut *Pater est idem sibi: alio* modo *unius Personae ad aliam,* sicut *Pater est idem Filio,* et e converso. — De *secunda* identitate potest dici sicut de aliis, quod est *realis,* quia ibi est vera *unitas ex natura rei,* et sufficiens *distinctio* extremorum, nec videtur necessaria comparatio intellectus ad *esse* huius identitatis. — Etsi identitas *eiusdem suppositi ad se* in creaturis sit relatio *rationis* tantum quantum ad fundamentum, tamen nunquam est *vera* et *perfecta* identitas nisi in Deo tantum. Nam *Socrates* ad se non est *perfecta* identitas, quia *rationis* tantum, et ita omnis talis est *ens secundum quid;* nec *Socrates* ad *Platonem* est *perfecta* identitas, quia non fundatur in *perfecta unitate.* Hic autem *Patris* ad *Filium* identitas est *perfecta* quantum ad fundamentum, quia *Patris* ad *Filium* est *perfecta unitas;* et perfecta *realis* identitas, quia *realis distinctio* est et sufficiens extremorum. — *Oxon.* I. d. 31. n. 5

Identitas realis. — Universaliter, quod convenit alicui sic quod *omnimoda contradictio* sit illud esse sine hoc, hoc est *idem realiter* illi; et per oppositum, ubi non est omnimoda contradictio, non oportet esse omnino. -- *Quodlib.* q. 3. n. 15.

Identitas specifica — numerica. — *Identitas specifica* vel *generica* non dicitur *identitas simpliciter,* sed extrinseca denominatione, quia ipsorum est *idem genus,* vel *eadem species;* sed illa quae sunt *eadem* secundum *numerum* dicuntur *idem simpliciter.* — *Physic. V. exposit. text. 34.*

Identitas triplex. — Aliquod potest dici *manere * idem * tripliciter,* iuxta triplicem modum entium (1): — *Primo* quia *manet idem* secundum permanentiam *omnium* suarum partium *simul:* et sic *sol * ex gr. ** est *idem* hodie qui fuit heri. — *Secundo* modo dicitur *idem* cuius non omnes partes manent simul, sed *aliquae,* et *aliquae non:* ut patet cum *asino,* cuius aliquae partes resolvuntur, et aliquae manent; et si pars *maior* aut *principalior* maneat *eadem,* tunc *maxime proprie* dicitur *manere idem.* — *Tertio* modo dicitur * aliquid * *manere idem,* non quia aliquae partes eius maneant, sed quia partes *sibi invicem succedunt continue* per generationem vel per appositionem. Et licet iste modus *identitatis* sit *valde improprius* et *imperfectus,* attamen est valde *usitatus;* et per istum modum sunt imposita quaedam nomina propria, ut puta, *pluviorum, civitatum* et *villarum.* — *Physic.* I. q. 10. n. 6.

(1) Vid. *Res naturales triplicis generis.*

Ignorantia multiplex. — *Ignorantia* potest accipi vel pro simplici *nescientia* vel pro ignorantia *erronea.* — Item distinguitur, quod potest esse ipsius *facti in se,* vel quoad aliquas *circumstantias,* vel quoad aliquid *consequens.* — *Oxon.* II. d. 22. n. 2. — *Ignorantia* potest distingui ignorantia *iuris,* et ignorantia *facti.* — *Ib.* IV. d. 6. q. 8. n. 1. — * Item * est ignorantia duplex, scilicet: *praecedens* malitiam et *concomitans.* — *Collat.* 4. n. 1. — Vid. *Peccatum ex ignorantia triplex.*

Imago dupliciter accipitur. — *Imago* dicitur *dupliciter:* — *Uno* modo sicut *species* in oculo dicitur *imago visibilis.* — *Alio* modo sicut *imago Herculis;* et illo modo imago ducit in cognitionem illius cuius est, quia est primo cognita; et non ducit in cognitionem alterius, nisi ut est in eo prius cognita. Nunquam enim per *signum* cognoscitur *signatum,* nisi prius cognoscatur signum, et esse signum talis rei.

Imago *primo modo* est imago quae est *non cognita,* licet ipsa sit *ratio cognoscendi* istius cuius est, *distincte* et *prima ratio.* Tamen imago *secundo modo* nunquam ést *prima ratio* cognoscendi illud cuius est, sicut effectus ille, qui in se est primo cognoscibilis, nunquam est prima ratio cognoscendi causam, sed est alius effectus qui est tantum ratio cognoscendi, et numquam primum cognitum. — *Report.* II. d. 3. q. 4. n. 2.

Aequivocatur *imago:* quia *uno* modo accipitur ut imago in se est *cognoscibilis: alio* modo secundum quod est *exemplum alterius* et ducit in cognitionem alterius; et sic est *species* imago. — Primo modo imago *imperfecte* ducit in cognitionem illius cuius est. Secundo modo *ita perfecte quam potentia est capax.* — *Ib.* n. 11.

* Seu * *imago* uno modo accipitur pro *similitudine praecise imitante* sive *repraesentante,* quia non repraesentat quia cognita, sed praecise quia *ratio cognoscendi.* — Alio modo *imago* accipitur pro imitante aliquid quod est aliud a se, et repraesentat *quia cognitum.* — Primo modo species *albi* in oculo est *imago.* — Secundo modo statua Herculi est imago eius. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 15.

Imago SS. Trinitatis in anima humana. — Experimur in nobis esse actum *intellectionis* et actum *volitionis,* istos actus aliquo modo esse in potestate nostra, quando obiectum est praesens; ergo oportet in nobis ponere aliquo modo *principia activa* ad istos actus, et *potentias* quibus sumus potentes respectu istorum actuum. Non potest autem idem, *sub eadem ratione formali,* esse principium istorum duorum actuum secundorum; quia isti actus secundi requirunt oppositam rationem principiandi in suis principiis; ergo oportet habere aliquam distinctionem actuum *primorum,* et hoc proportionaliter correspondentem distinctioni actuum *secundorum.*

Nec in actibus *primis* solum, nec in *actibus* secundis solum est *imago.* Quod apparet dupliciter: *Primo,* quia hi sunt *duo tantum,* et illi *duo tantum;* ergo tantum esset imago *dualitatis,* non *Trinitatis. Secundo,* quia in *primis* actibus, licet sit ibi *consubstantialitas,* non tamen est ibi *distinctio realis,* nec *ordo originis;* in actibus *secundis* etiam, licet sit *distinctio* et *origo* aliquo modo, non *consubstantialitas.*

Ex his sequitur *tertium,* quod *imago* consistit in actibus *primis* et *secundis simul.* Et hoc intelligo sic: anima habet in se aliquam perfectionem secundum quam *formaliter* est *actus primus* respectu *notitiae genitae,* et habet in se aliam perfectionem secundum quam recipit *formaliter notitiam genitam,* et habet in se aliam perfectionem secundum quam recipit formaliter *volitionem.* Istae *tres perfectiones* dicuntur *memoria, intelligentia,* et *voluntas,* vel *anima* inquantum habet ipsas. Anima igitur inquantum habens actum *primum totalem* respectu *intellectionis,* et *obiectum sibi praesens* in ratione *intelligibilis,* dicitur *memoria,* et hoc memoria *perfecta,* includendo tam *intellectum* quam illud *quo* obiectum est sibi praesens. Ipsa etiam eadem anima, inquantum *recipit notitiam genitam,* dicitur *intelligentia,* et intelligentia *perfecta,* ut est sub illa notitia genita. *Voluntas* etiam dicitur *perfecta,* inquantum est sub illo actu perfecto volendi.

Accipiendo igitur ista tria *ex parte animae,* ut sunt sub tribus actibus suis, in istis, inquam, tribus, est *consubstantialitas,* ratione illarum trium realitatum quae *sunt ex parte animae;* sed est *distinctio* et *origo* ratione istarum actualitatum *receptarum in anima,* secundum istas realitates in anima.

Sed hic occurrunt *duo dubia: primum,* quia tunc videtur esse *quaternitas* in imagine. Nam *actus primus* respectu *volitionis* non concurrit cum *aliquo trium* in imagine: non cum *tertia* parte; patet, quia idem non est principium sui: nec cum *secunda;* manifestum est, quia *actualis notitia* non est *voluntas*: non etiam cum *prima;* quia *memoria* dicit proprie principium productivum *notitiae genitae,* non *volitionis;* ergo *voluntas* erit *quartum* cum istis.

Secundum dubium, quia non videtur hic salvari *ordo originis* sicut est in Divinis; ibi enim *prima* Persona originat *secundam,* et duae *tertiam.* Haec *prima* pars imaginis nostrae est causa *secundae;* sed nec prima, nec secunda est causa *tertiae;* ergo.

Ad primum dico, quod *imago* potest *dupliciter* assignari, secundum quod eam dupliciter assignat Augustinus: — *Uno* modo *IX. de Trin. cap. 4.* et deinceps: *mens, notitia, et amor.* — *Alio* modo sicut eam assignat *X. de Trinitate, cap. 10* et deinceps: *memoria, intelligentia, et voluntas.* Et de ista duplici assignatione imaginis loquens Augustinus *XV. de Trinitate, cap. 2.,* dicit quod illa quae posita est in *X* est *evidentior.*

Dico igitur primo pertractando *primam assignationem,* quod per *mentem* possumus intelligere *actum primum perfectum* respectu *utriusque actus secundi,* scilicet foe-

cunditatem ad *gignendum* et ad *spirandum*. Et hoc modo *mens* habet rationem *perfecte parentis*, quia includit *perfecte* utramque foecunditatem. Et tunc illa alia duo, scilicet, *amor* et *notitia*, sunt *duo producta* ab anima, licet ordine quodam. Et tunc non erit *quaternitas*, quia in *parente* habente perfectam rationem parentis concurrit *actus primus duplex*. Et isto modo est in Divinis; quia in *Patre* non solum est foecunditas ad *generandum*, sed ad *spirandum*, et hoc *a se;* quia si Pater non haberet foecunditatem *a se* ad spirandum, sed haberet eam *derelictam sibi ex productione Filii*, sicut quidam dicunt, sequitur, ut videtur, hoc impossibile, quod *Pater nunquam haberet illam foecunditatem:* nullam enim realitatem, sive *absolutam* sive *relativam*, habet Pater aliquo modo *per productionem*, quam ante non habuit; et ideo quamcumque realitatem non habet in *primo signo originis*, inquantum scilicet *praeintelligitur ordine originis Filio*, illam numquam habebit. Igitur si illam foecunditatem duplicem non habet *in se* in isto primo signo originis, numquam habebit illam.

Si autem *mens* accipitur *praecise* ut actus primus, habens *solummodo foecunditatem* respectu *notitiae genitae*, hoc modo *imperfecte* assignatur *imago*, quia hoc modo *mens* non habet rationem *parentis perfecte*.

Ita dico de *alia assignatione;* quod si *memoria* accipiatur *praecise* pro *parente* respectu *notitiae genitae*, est *imperfecte parens; parens* autem *perfecte* non tantum habet rationem unde *generet*, sed unde *spiret*, quia non potest illud habere ab alio, et oportet illud habere in toto, et ideo oportet ut habeatur in parente *a se*. — Si autem accipiatur *memoria* pro *tota anima*, ut habet *habitualiter* in actu *primo foecunditatem* istam *duplicem*, hoc modo habet *perfecte* rationem *parentis*. Sed licet *memoria* sit *evidentior parens*, sicut oportet concedere propter verba Augustini, *XV. de Trinitate, cap. 3*, quatenus, scilicet, *magis exprimit* habitudinem *gignentis* ad *genitum*, quam *mens;* tamen *mens nostra* videtur *perfectius* importare rationem *parentis*, si accipiatur *ut includit utramque foecunditatem*.

Breviter ergo, quomodocumque assignatur Trinitas in *imagine*, vel sic, vel sic, non est *quaternitas;* quia *duplex* concurrit habitudo *foecunditatis in parente*, si est *perfecte parens*.

Ad secundum dico, quod in nobis in hoc non potest esse similitudo *imaginis* ad *prototypum; notitia* enim *genita* in imagine creata *accidens* quoddam est, cui non communicatur foecunditas illa ad producendum *amorem*, qua *formaliter* est aliquid productivum *dilectionis; accidens* enim tale non est natum esse *formaliter intelligens* vel *volens;* et ideo memoria gignens notitiam actualem, accipiendo *memoriam*, ut est *perfecte gignens*, non potest communicare genito illam perfectam foecunditatem quam prius habuit, quia non communicat sibi *eamdem naturam*, sed producit eam *aequivoce* in *alia natura*. Pater autem generans Filium communicat *ei eamdem naturam*, et *eamdem foecunditatem spirandi amorem*, quae non intelligitur in generatione Filii habere terminum adaequatum; et ideo Filius *eamdem foecunditatem* habens potest producere sicut Pater.

Patet igitur ratio, quare non potest ista productio salvari in partibus *imaginis creatae* sicut in Personis Trinitatis; quia non potest esse *eadem foecunditas* in duabus *primis* partibus imaginis; potest esse autem, et est, in duabus Personis respectu *Tertiae*. Similiter si notitia genita esset alicuius productiva aliquo modo, hoc non esset nisi *per modum naturae*, et *non libere*. Est tamen hic aliquis *ordo* inter *secundam* partem *imaginis* et *tertiam:* quia tertia *praesupponit* secundam naturaliter, licet *non sit ab ea*. Etiam illud exprimit Augustin. *XV. de Trinitate, cap. 27: Velut parentem et prolem tertia voluntate sive dilectione iungente, quam quidem voluntatem de cognitione procedere nullus ambigit*. Et subdit statim, et exponit quomodo intelligat: *nemo enim vult quod omnino quid vel quale sit nesciat, non tamen esse cognitionis imaginem* etc. Patet igitur, quod istum ordinem *originis* praecise ponit propter na-

turalem ordinem volitionis ad intellectionem, non autem, quod intellectio sit causa respectu volitionis. Patet igitur secundum intentionem Augustini, quod *voluntatem*, secundum quod est *tertia pars imaginis*, accipit ibi pro *actu volendi*, sicut hic accipit, cum subdit, *quam voluntatem procedere*, etc.; quod non est verum de voluntate ut est *potentia;* sed si verum sit, hoc est de *actu volendi.*

Ulterius in speciali, cum omnia ista praedicta reperiantur in intellectu vel in mente respectu *cuiuscumque obiecti*, notandum est, quod *perfectissima* et *ultima ratio imaginis* est quando ista concurrunt in mente respectu *Dei* ut *obiecti;* quia tunc anima non habet tantum similitudinem expressivam, quantum ad praedicta ex ratione eorum *in se*, sed ea etiam ratione qua *actus ipsi conformantur obiecto.* Est etiam actus * intellectus * vere similitudo obiecti; et ideo quando isti actus sic sunt in mente, quod non tantum habent *substantialitatem* et *similitudinem*, *distinctionem* et *originem*, sed etiam habent *ulteriorem assimilationem ad Deum*, *ex ratione obiecti* circa quod sunt, est *perfectior similitudo; minus* autem *perfecta*, quando anima *habet se* pro obiecto; quia, licet tunc non habeatur similitudo ab ipso Deo *immediate* tamquam ab ipso obiecto proximo, habetur tamen *aliqualiter*, inquantum in mente, ut in imagine, *cognoscitur Deus.*

Et istam duplicem Trinitatem assignat Augustinus: illam quae est *respectu Dei*, *XII. de Trinit. cap. 4.* dicens: *In eo solo, quod ad contemplationem pertinet aeternorum, non solum est Trinitas, sed etiam imago Dei. In hoc autem quod derivatum est in actione temporalium, etiamsi Trinitas possit, non tamen imago Dei inveniri potest.* Hoc intelligendum est de *expressiva* imagine, quantum ad *summam* expressionem sive similitudinem. De eadem etiam *XV. De Trinit. c. 20: Unde potest sempiterna atque immutabilis natura recoli, conspici, concupisci, etc. Profecto reperit summae Trinitatis imaginem, ad quam reminiscendam, videndam, diligendam totum debet referri quod vivit.* — De alia imagine loquitur *XIV, de Trinit. cap. 8. Ecce*, inquit, *mens meminit sui, intelligit se, diligit se, hoc si cernimus, cernimus Trinitatem; nondum quidem Deum, sed iam imaginem Dei.* Ista autem secunda auctoritas videtur contradicere primae, nisi intelligatur modo praedicto. Et tunc patet quomodo respectu omnium obiectorum *inferiorum a mente* non ponit imaginem in mente; quia nullum aliud obiectum est imago Dei, respectu cuius potissime, et respectu imitationis eius secundario, est *imago in mente*, quantum ad illam similitudinem quae habetur ab obiecto. — *Oxon.* I. d. 3. q. 9. nn. 3-7. — *Report.* ib. q. 7.

Dico igitur, quod imago Trinitatis in anima rationali non consistit *in potentiis* animae *realiter distinctis;* anima repraesentat *per essentiam*, et Personas divinas quantum ad *unitatem essentiae*, et non similiter quantum ad *Trinitatem Personae*, nisi ut habet *respectus diversos*, secundum ponentes tales respectus. — Vel potest dici, quod anima secundum *tres potentias* repraesentat *Trinitatem* personarum quantum ad diversitatem *formalem*, absque diversitate *reali;* ideo minus est repraesentativa *Trinitatis* personarum, quam *unitatis* essentiae. Unde, ut *in potentiis* repraesentat *unitatem*, sed ut in *actibus* repraesentat *talem distinctionem.* — *Report.* II. d. 16. n. 22. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 5. n. 15. — II. d. 16. n. 2. et 20. — d. 24. n. 2. — III. d. 26. n. 26. — *Quodlib.* q. 15. n. 5. seqq.

Imago — Umbra — Vestigium — Similitudo. — Dicendum est de differentia inter *imaginem*, *umbram*, et *vestigium*, et *similitudinem.* — Ad cuius intellectum sciendum est, quod omnia ista important relationem et respectum; sed *similitudo* non importat causalitatem, sed *vestigium* importat causalitatem, secundum Augustinum, *lib. 83. quaestionum, quaest. 64.* — *Umbra* habet confusam conformitatem ad corpus interpositum. *Confusam* dico, quia videntes umbram, scimus corpus interpositum inter solem et umbram, sed nescimus *cuius figurae*, quia quandoque corpus rotundum facit aliam figuram in umbra. — *Imago* repraesentat rem non secundum genus, nec speciem tantum, sed secundum individuum,

et secundum lineamenta, quod scilicet longa sit, lata, etc. — *Vestigium* repraesentat rem medio modo: perfectius *umbra* et imperfectius *imagine*. *Vestigium* differt ab *imagine*, quia repraesentat *partem* quantitativam, *imago totum*; non autem quod *vestigium* repraesentet *universale*, *imago particulare*. Ideo, quod derelinquitur ex transitu partis, simile parti, est *imago partis*, et *totius vestigium*, quia repraesentat *totum* animal ratione *partis*. — *Collat.* XXXV. n. 23. = * *Haec omnia videntur dicta iuxta mentem D. Thomae, cui in quibusdam saltem consonat Subtilis, ut ex sequentibus apparet et videre est etiam infr.* Vestigium = Vestigium Imago *. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 5. n. 3. seqq.

Sicut dictum est in quaestione de *vestigio* (1), dico, quod *imago* est representativum *totius*; et in hoc differt a *vestigio*, quod est representativum *partis*. Si enim *totum* corpus esset impressum pulveri, sicut pes est impressus, illud derelictum esset *imago totius*, sicut illud est *imago partis*, et *vestigium totius*. Sed ista conformitas expressiva totius non sufficit * ad rationem *imaginis*, * sed requiritur *imitatio*, quia, secundum Augustinum, *83 quaest.* q. 74, *Quantumcumque duo ova sunt similia, unum non est imago alterius, quia non est natum imitare ipsum*; et ideo requiritur, quod *imago nata sit imitari* ipsum cuius est imago et exprimere illud. — *Oxon.* I. d. 3. q. 9. n. 2. — *Report.* I. d. 3. q. 7. n. 2.

Differt *imago* a *vestigio*, ut dictum est, quia imago repraesentat per modum *totius* primo; vestigium autem primo repraesentat *partem*, licet *arguitive* repraesentet *totum*, ut patet de *pede* in pulvere. — *Oxon.* II. d. 16. n. 20.

Quamvis *vestigium* et *imago* differant per hoc, quod imago *perfecte* repraesentat, et vestigium *imperfecte*, hoc tamen non est secundum rationem *speciei* et *individui*, sed penes hoc, scilicet, secundum rationem *totius* et *partis*, quia quod est *vestigium totius* est *imago partis*. Probatio: si enim *totum* imprimeretur in aliquo, super quo fit transitus, esset imago *totius*, et non tantum *partis*; et ideo quando solum remanet impressio *partis* est quaedam *imago partis* et similitudo, sed *vestigium totius*. — *Report.* I. d. 3. q. 3. n. 1.

Immediatio causae duplex. — *Immediatio causae* respectu effectus potest intelligi *dupliciter*: vel, scilicet, quod causat per *causam mediam*, vel quia causat *mediante aliquo effectu*; non enim omnis effectus medius ad alium effectum est semper causa illius effectus. Ita potest intelligi *immediatio causae activae*: vel excludendo *causam* activam mediam, vel excludendo *effectum* medium priorem illo effectu. — *Quodlib.* q. 7. n. 15.

Immediatius positive — negative. — Dicitur *immediatius* aliquid *dupliciter*: vel ita quod ipsum sit medium inter primum et ultimum, et tunc est immediatius *positive*; vel ita quod inter ipsum et primum non sit medium, aut pauciora sint media quam inter tertium et primum; et sic est immediatius *negative*. Exemplum: *superficies* est *immediatior substantiae* quam *color*, ita quod habet rationem medii *positive* inter illa; sed *risibile* est *immediatius homini* quam *color negative*; non enim mediat inter illa extrema *positive*, sed magis *excluditur* medium inter hominem et *risibile*, quam inter hominem et *colorem*. — Ut sic breviter dicatur illud esse *immediatius positive* quod tamquam medium inter extrema *includitur*; et illud immediatius dicatur *negative*, ubi aliquid tamquam medium magis *excluditur*. — *Quodlib.* q. 1. n. 15.

Immediatius re — ratione. — Posset autem alio modo distingui de *immediatiori* secundum *rem* et *rationem*; quia immediatius et minus immediatum vel mediatius non sunt sine ordine: ordo autem non videtur posse intelligi sine distinctione. — *Quodlib.* q. 1. n. 15.

Immediatum multipliciter dicitur. — *Immediatum* potest dici *dupliciter*: vel quod *immediate coniungit*, ita quod nihil mediat in ratione coniungentis, sive quod nullum est medium uniens: ut agens *principale* et *perfectum* attingit *passum immediatius*, quam

(1) Vid. *Vestigium*.

agens *per instrumentum* vel *imperfectum.* — *Alio* modo dicitur *immediatum* quia *nullum aliud immediatius coniungit in illa mediatione;* et isto modo immediatius non est aliud quam perfectio optime coniungens, excludens omnem aliam perfectionem unientem. Possunt enim esse duae immediationes duorum, quorum neutrum est medium coniungendi alterum, sicut duo agentia immediata circa aliquod passum; unum tamen *perfectius agit* quam aliud. — *Report.* IV. d. 49. q. 3. n. 6.

Immediatum potest * iterum * accipi *dupliciter: uno* modo inter quod, *secundum se totum,* et aliud *non est medium.* — *Alio* modo, quod *secundum se totum* est cum altero *statim,* vel post alterum. — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 35.

Aliquid esse *immediatius* potest * insuper * esse *dupliciter:* — *Uno* modo in ratione *causae.* — *Alio* modo dicitur causa *immediata* immediatione *subiecti.* — *Poster.* II. q. 8. n. 5.

Immobile triplex. — Ponit * Aristot. * tres modos * *immobilis* *. — *Uno* modo dicitur *immobile quod totaliter impossibile est moveri:* puta, primum movens, * (Deus) * et omnes Intelligentiae, secundum Philosophum; et hoc est immobile *negative.* — *Alio* modo *dicitur immobile quod vix in multo tempore est tarde incipiens,* scilicet, moveri: puta, aliquis *magnus mons,* qui tarde et difficulter movetur. — *Alio modo dicitur immobile illud quod est natum quidem moveri, non potens autem* moveri *quando est natum, et ubi est natum, et* sicut natum est moveri, et hoc est immobile *privative.* Ideo subdit, quod *hoc solum non quiescere de numero* immobilium; quia *quies est contrarium motui,* scilicet, *privative. Quare* quies erit utique *privatio motus susceptivi,* id est, in subiecto susceptivo utriusque, quia *habitus* et *privatio habent fieri circa idem.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 4. n. 106. — *Physic. V.* exposit. text. 19. — Vid. *Privatio* — *Quies multiplex.*

Immutatio naturalis — animalis. — Est *duplex immutatio* in genere: quaedam *naturalis,* quaedam *animalis.* — *Naturalis* est secundum quam vel per quam forma recipitur in patiente secundum illud esse reale, et secundum dispositionem materiae consimilem illi quae est in agente. — *Animalis* autem est secundum quam recipitur secundum esse *intentionale* species obiecti agentis in potentiam animalem. — *De Anima* q. 6. n. 2.

* Vel aliis verbis *: est *duplex immutatio sensibilis:* una est *naturalis,* scilicet, quando immutatur sensus a sensibili secundum illud tale esse, vel secundum eumdem modum essendi, quomodo est in re *extra:* ut cum sensus *tactus calefit,* vel alius sensus aliqualiter alteratur, vel movetur secundum locum. — Alia est *immutatio animalis,* secundum quam immutatur *intentionaliter* vel *spiritualiter* a sensibili, licet habeat modum essendi *extra* realem et materialem. Aliquis sensus immutatur *spiritualiter* tantum, ut *visus; tactus* autem utraque immutatione immutatur. — *Ib.* q. 4. n. 3.

Impassibilitas. — Dos *impassibilitatis* est qualitas per quam formaliter repugnat corpori glorioso passibilitas. — *Oxon.* III. d. 15. n. 34.

Causa *impassibilitatis* est voluntas divina non coagens causae secundae corruptivae; et per hoc est illud impassibile non potentia *remota,* sed *propinqua,* non a causa *intrinseca,* sed *extrinseca* impediente. *Exemplum* huius, de igne in camino, qui non egit ad consumptionem trium Puerorum: non quidem per aliquam impassibilitatem *intrinsecam Pueris,* nec ex carentia potentiae passivae, nec ex contrario *intrinseco* impediente, sed quia Deus voluntate sua non cooperabatur ad illam actionem. — *Ib.* IV. d. 49. q. 13. n. 9.

Bene potest dos *non inesse realiter* personae dotatae, sicut sponsae non inest illud quod sibi datum est a sponso, quod consuevit aliquando dici *dos,* sicut habetur *Gen.* 34 (1), ubi ait Sichen Iacob et filiis eius: *Augete dotem, et munera postulate;* etiamsi dos dicatur illud quod datur a patre sponsae sponso, quidem quantum ad usum,

(1) V. 12.

sed remanet penes sponsam proprietas, sicut nunc usitate dicitur *dos;* patet quod illud *non inest realiter*, nec sponsae, nec sponso, sed tantummodo aliquo modo habitum ratione nuptiarum. Et ita ratione nuptiarum *spiritualium* consummandarum in resurrectione dabitur cuicumque beato pro *dote* ista assistentia divina *praeservans ipsum ab omni corruptivo*, licet illa custodia *non insit realiter* ipsi custodito.

Aliter potest dici, quod sicut dotatus habet ius in illo quod assignatur sibi pro *dote*, ita hic beatus ex meritis habet ius in ista divina custodia sibi impendenda, et istud ius praeservationis corporis ab omni corruptivo per divinam custodiam est *dos* in beato, et secundum *corpus*, quia est ad *tutelam corporis*. — *Ib*. n. 10.

Impeccabile. — *Impeccabile* non est aliud quam *non posse peccare*. Hoc autem *dupliciter* potest intelligi: *primo*, quod possibilitas peccandi intelligatur excludi a causa secunda propter aliquid *intrinsecum:* * *secundo* * vel propter aliquid *extrinsecum*, scilicet ex parte causae primae. — *Report*. IV. d. 49. q. 5. n. 12.

Imperfectio privativa et negativa duplex. — Quaedam naturae sunt *imperfectae privative* dupliciter: vel perfectione *eiusdem* naturae, sicut *albedo remissa;* vel *alterius* naturae, ut *substantia* respectu *quantitatis*. — Quaedam * sunt *imperfectae* * *negative* similiter dupliciter: *primo modo*, ut *formae* omni *intensione* et *remissione* carentes, ut *numerus* et *figura*, et forte quaedam formae substantiales. *Secundo modo* ut *ultimum accidens;* illud enim si est aliquod, est *imperfectius* quolibet praecedenti, non *privative*, quia tunc non esset ultimum, sed *negative*. — *Theor*. VII, n. 5.

Imperfectio repugnans alicui. — *Imperfectio* aliqua potest *repugnare alicui*, vel quia * hoc * includit *perfectionem simpliciter*, vel quia includit perfectionem illi imperfectioni repugnantem; siquidem sunt multae imperfectiones repugnantes inter se. Verbi gratia: repugnat Deo esse *album*, et *nigro* repugnat esse *album*. Deo autem propter *perfectionem simpliciter*, quae repugnat toti generi coloris, imo toti generi qualitatis, imo toti generi entis *causati; nigro* autem repugnat *album* propter *perfectionem* suam *limitatam* sub genere coloris, quae perfectio limitata necessario habet *imperfectionem* annexam; aliam tamen et in alio gradu a perfectione *albi*. — *Quodlib*. q. 3. n. 20. — Cf. *Oxon*. II. d. 3. q. 2. n. 3.

Imperfectum duplex. — Aliquid est *imperfectum* secundum *perfectionem simpliciter*, quae non necessario habet imperfectionem concomitantem, quia non includit in se limitationem, ut *hoc bonum, hoc verum, hoc ens;* et huiusmodi *imperfectum* reducitur ad *perfectum* eiusdem rationis, scilicet, *bonum, ens, verum*, quae important *perfectiones simpliciter*. — Aliquid autem est *imperfectum* secundum *perfectionem non simpliciter*, sed secundum perfectionem quae de ratione sui includit limitationem; et ideo necessario habet imperfectionem annexam, ut *hic homo*, et *hic asinus*.

Quod imperfectum est *primo* modo reducitur ad *perfectum simpliciter* secundum perfectionem illius rationis, quia aliquid secundum illam rationem potest esse *simpliciter perfectum*. Quod autem est imperfectum *secundo* modo non reducitur ad aliquid *perfectum simpliciter* secundum perfectionem *eiusdem rationis*, scilicet, ad rationem specificam, quia ista imperfectionem includit, ideo secundum illam non potest esse aliquid *perfectum simpliciter* propter limitationem; sed reducitur ad aliquid *perfectum simpliciter aequivocum* eminenter includens illam perfectionem; et ideo *bonum imperfectum* reducitur ad *perfectum bonum*. Et sic *lapis*, qui est imperfectus, non reducitur ad *lapidem perfectum simpliciter*, sed ad *summum ens* et ad summum bonum, quae *includunt virtualiter* illam perfectionem. — *Oxon*. I. d. 2. q. 3. n. 7.

Impossibile. — Vid. *Potentia — Possibile* etc. = *Possibile*.

Impossibilitas aliquid recipiendi duplex. — *Impossibilitas* alicuius effectus *recipiendi in aliquo* potest esse ex parte *agentis*, vel ex parte *passi*. — Ex *parte* autem *passi* potest esse *dupliciter: uno* modo *secundum quid*, ut quia non est in proxima dispositione ad

formam recipiendam: *alio* vero modo *simpliciter*, quia susceptivo secundum se repugnat talem formam recipere. — *Prima* impossibilitas *secundum quid* convenit *dupliciter: uno* modo *negative*, quia susceptivum *caret forma*, quae est proxima dispositio ad aliam formam recipiendam: *alio* modo *contrarie*, quia in susceptivo *est forma contraria* repugnans formae suscipiendae, ut dum aliquid est *album*, repugnat sibi receptio *nigredinis*. — *Report.* IV. d. 49. q. 11. n. 3. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 12. n. 3.

Impotentia. — Vid. *Potentia — Impotentia = Potentia — possibile*, etc.

Impotentia — Impossibile. — *Impotentia potentiae* opponitur. *Impotentia et impossibile*, scilicet, dictum secundum *impotentiam*, *privatio est; impossibile* enim *privat potentiam;* ex quo infert * Aristot. *, quod *omnis potentia et impotentia sunt eiusdem et secundum idem.* Ratio huius est: quia *habitus et privatio habent fieri secundum idem, et circa idem;* ideo et quot modis dicitur *potentia* tot modis dicitur *impotentia*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 1. c. 1. n. 6.

Impulsus. — Vid. *Motus naturalis — violentus.*

Imputabile. — *Laudabile* et *vituperabile*, imo generalius, *praemiabile* et *punibile* continentur sub hoc communi, quod est *imputabile;* et illius communis est una ratio haec, scilicet: actum esse in *libera potestate* agentis. Et licet ad istam potestatem concurrant intellectus et voluntas, tamen illa indifferentia qua posset non fieri illud quod fit, et posset fieri illud quod non fit, intelligendo divisimus, non coniunctim, in sensu, scilicet, divisionis, non compositionis, ista, inquam, indifferentia vel indeterminatio ad alteram partem non potest complete reduci nisi in ipsam voluntatem; quia quaecumque alia potentia activa est *naturaliter* activa, et ita *determinate* unius, quantum est de se; *unius*, inquam, *partis contradictionis*, ita quod licet sit *indeterminate* activa respectu *multorum* disparatorum, sicut sol est causa multorum effectuum hic inferius, tamen loquendo de quacumque *una* contradictione, causa quaecumque talis est *determinata ad unam partem.* Voluntas autem sola habet indifferentiam ad contradictoria, et talem, quod ipsa est *sui determinativa* ad alterum eorum, ex *IX. Metaph. c. 4.*; aliter simul ageret contraria.

Propter hoc igitur, quod actus eius sic indifferenter est in eius potestate, licet non nisi supposita intellectione, ideo per se est *imputabilis* agenti. Unde *II. De libero arb.* dicit August.: *satis compertum est*, etc. *motus, si culpae deputatur, non est naturalis, sed voluntarius.* Et post verba discipuli: *motus quo voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, et in nostra potestate positus, neque laudandus esset homo neque culpandus.*

Imputabile igitur duos respectus importat: Unum ad *potestatem* vel *dominium agentis*, et alium ad *aliquid correspondens actui*, vel *agenti secundum iustitiam*, et hoc propter ipsum actum. Et secundum sequitur ad primum; quia enim iste est *dominus* sui actus, ideo actui et agenti *debetur aliquid* propter actum. *Primus* respectus manet *non variatus* per se in actu bono vel malo; *secundus* autem *variatur*, non quidem *formaliter* secundum bonum vel malum, sed praesupposita differentia boni mali, quae attenditur secundum convenientiam, vel disconvenientiam aliquam dictam in primo articulo (1), variatur penes aliqua correspondentia isti et illi. *Bonum* quippe sic est *imputabile*, quod ad *laudem* vel *praemium: malum* autem sic, quod ad *vituperium* vel *poenam*. Actus autem *neuter*, sive *indifferens*, dum tamen sit in potestate agentis, *imputatur* velut *quodammodo vituperabilis*, quia poterat ordinate agere; vel saltem ut *non laudabilis;* et hoc propter defectum eius qui potuit *laudabiliter* egisse.

Ex hoc patet, quod non ab eodem formaliter est actus *bonus* bonitate *morali*, et *imputabilis*, sed *primum* habet ex *convenientia ad regulam*, iuxta quam debet elici: *secundum* ex eo, quod est *in libera potestate agentis*. — *Laudabile* autem et *vitupe-*

---

(1) Vid. *Actus bonus naturalibus — moraliter*, etc. = *Bonitas et malitia triplex.*

rabile ambo ista important; quia licet *formaliter dicant* hoc *quod* est *imputabile*, cum determinatione illius *ad quod* est imputabile, tamen *materialiter connotant* illud *propter quod* ipsum est ad hoc imputabile, scilicet *bonitatem*, vel *malitiam*, propter quas ad *peanam* vel *praemium* imputandum est.

De *imputabili* autem distingui potest, quod uno modo, *propriissime* accipiendo, illud potest dici *imputabile* quod est *immediate* in potestate voluntatis; et sic *solum velle* est *imputabile*; quia ipsum solum est *immediate* in *potestate libera* voluntatis. — Alio modo *imputabile* potest dici quidquid est *simpliciter* in *potestate* voluntatis, licet *non immediate*. Et sic actus alterius potentiae, quam voluntas *mediante actu suo volendi* potest imperare, ut eliciatur, vel impedire ne eliciatur, est *imputabilis voluntati*, quia *tota coordinatio* usque ad illum actum, etiam includendo istum actum, est in *potestate* voluntatis.

Et est *differentia duplex* inter imputabile *primo* modo et *secundo* modo: *Una* quia ad imputabile *primo* modo non requiritur *nisi ipsa potentia* voluntatis, et illud quod requiritur propter actum eius, cuiusmodi est *intelligere*. Et ratio est, quia illud est *immediate* effectus voluntatis. Et de hoc potest accipi illud *I. Retract.* c. 9: *Nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas*; intellige *voluntas*, non quantum ad suum *esse*, sed quantum ad *actum* suum *proprium*. Ad actum autem *imputabilem secundo* modo requiritur *potentia alia* a voluntate exequens illum actum. — Ex hoc sequitur *alia* differentia: quod uno modo est *maior contingentia* sive *indifferentia* respectu actus *primo* modo *imputabilis*, quia, scilicet, non requiritur ad illum *nisi voluntas*, supposita ostensione sufficienti *intellectus*. Unde per alia posteriora quaecumque impediri non potest ne eliciatur. Sed ad actum *secundo* modo *imputabilem* requiritur *alia potentia*, per cuius impotentiam impeditur potentia ad actum illum. Non igitur *ex sola indifferentia* voluntatis est contingentia eius, sicut contingentia primi actus. Cum igitur contingentia *cuiuslibet alterius causae* vel potentiae in agendo *magis recedat* a ratione contingentiae *simpliciter*, quam *contingentia voluntatis* in causando, sequitur quod *simpliciter maior est contingentia* respectu actus voluntatis *primo* modo *imputabilis*, quam alterius. Pro quanto tamen actus *secundo* modo imputabilis dependet a *pluribus*, ex quorum quocumque vel defectu eius potest accidere, ne ille effectus eveniat, potest dici éffectus ille *magis contingens*: vel magis proprie, *multiplicius contingens*. — *Quodlib.* q. 18. nn. 9-11. — q. 17. n. 4. — Vid. *Dilectio naturalis* — *meritoria*.

Imputabilitas duplex. — Si *stricte* accipiendo, solum illud, dicatur *imputabile* quod est *immediate* in potestate voluntatis, patet, quod solum *velle* vel *nolle* est imputabile. — Si autem imputabile *generaliter* dicatur illud quod est *simpliciter* in potestate voluntatis, sic actus *imperatus* proprie est imputabilis, quia etsi non sit immediate in potestate voluntatis, est tamen mediante actum volendi, qui actus non solum *secundum se* est in potestate voluntatis, sed etiam ut *principium actus exterioris*, quia voluntas potest per interiorem ponere illum exteriorem.

* At * illius et istius est *alia* imputabilitas; idem enim non est medium, nec ratio mediandi respectu suiipsius. Et potest idem declarari, quia quamquam terminus sit idem, tamen in diversis fundamentis sunt diversi respectus ad eumdem terminum: actus ille * (*interior*) * et iste * (*exterior*) * sunt diversa fundamenta; igitur licet *imputabilitas* conveniat istis in ordine ad *eamdem voluntatem*, tamen illa erit *alia* sicut est alia causabilitas, vel aliud subiacere potestati causae, licet causa sit eadem. — *Quodlib.* q. 18. n. 20,

Inaequale. — Vid. *Idem* — *Simile*, etc.

Inaequalitas. — Vid. *Mensura* — *Proportio*, etc.

Incarnari. — Quaedam sunt verba *passiva* secundum modum significandi *grammaticum*, quae tamen veraciter significant *actionem*, sicut e converso, quale est hoc verbum *incarnari*; nam Filium *incarnari* idem est quod *unire* sibi *carnem*, et eam

assumere; et dicit in Filio tantum relationem *rationis* ad carnem assumptam, quia nulla relatio *realis* est in Deo, in comparatione ad creaturas. E converso autem, carnis *assumptae* ad Filium *assumentem* est relatio *realis;* et ideo in carne assumpta est *realis passio* de genere passionis, correspondens *actioni* totius Trinitatis.

Ideo improprie dicitur, quod Verbum est *terminus* passionis, quia non passionis *realis* et *verae,* sed tantum secundum modum significandi grammaticalem; et secundum hoc dictum est, quod ibi est *actio realis,* et hoc vel in uniente vel in unito. — *Report.* IV. d. 11. q. 2. n. 5. — *Oxon.* ib.

Incarnationis actioni correspondet aliqua *passio,* ex quo est *actio transiens;* sed ista passio non significatur per hoc quod est *incarnari* proprie loquendo, sed per hoc quod est *uniri* vel *assumi;* nam ista *actio,* ut transit in obiectum, *transit in naturam humanam,* non in Verbum; et ideo illud quod correspondet sibi *ex parte naturae humanae* est *passio.* Licet igitur vocaliter et grammatice *incarnari* videatur significare *passionem* huius actionis *incarnare,* tamen realiter significatur per hoc, quod est *uniri,* vel *assumi;* et natura assumpta *patitur* et est in *potentia.* — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 16.

Incarnatum esse est unitum esse carni in unitate personae; et hoc secundum quod *unitum esse* dicit relationem *non realem,* sed *rationis* tantum. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 2. n. 5.

Inceptio. — *Inceptio simpliciter* requirit non tantum quod sit acceptio esse simpliciter eius quod dicitur *incipere,* sed quod sit ad *primum* esse eius. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 4. n. 8. — Ipsa inceptio quando praedicat *tertium adiacens* non notat praecessionem subiecti ad praedicatum; nam verum est dicere de anima nunc creata, quod nunc *incipit animare* corpus; nec tamen prius fuit quam animaret corpus. Ita etiam quando praedicat *secundum adiacens* verum est dicere, quod *incipit esse,* et similiter *incipit esse dies,* hoc est, *tempus* incipit esse *dies;* nec tamen illud tempus prius fuit, et postea incepit esse dies. — *Ib.* III. d. 7. q. 2. n. 7.

Incipit et desinit dupliciter exponuntur. — «*Incipit*» *dupliciter* exponitur: *uno modo* cum *positione* praesentis et *negatione* praeteriti; sic, scilicet: *est, et non prius fuit.* — *Alio modo* per *negationem* praesentis et *positionem* futuri, sic: *non est, et erit.* — Similiter «*desinit*» *dupliciter* exponitur. — *Quodlib.* q. 12. n. 16.

Inclinatio naturalis quadruplex. — *Inclinatio naturalis duplex est: una* ad *commodum,* alia ad *iustum;* quarum utraque est perfectio voluntatis liberae. Tamen una inclinatio magis dicitur *naturalis* quam alia, quia *immediatius* consequitur *naturam* ut distinguitur contra *libertatem;* et illa est inclinatio ad *commodum;* et ideo non potest esse *inclinatio naturalis* ad *commodum,* quin sufficiat ad *nolle* oppositum, et ad tristitiam de opposito. — *Oxon.* III. d. 15. n. 15.

Inclinatio vel appetitus *naturalis* est *duplex: unus* consequens potentiam *passivam,* quae est ad *esse: alius* consequens potentiam *activam,* quae est ad *agere* vel ad actum secundum. — *Report.* IV. d. 43. q. 2. n. 23.

* Vel aliter: * *Inclinatio naturalis duplex* est: *una* ad actum *primum;* et est *imperfecti* ad *perfectum,* et concomitatur potentiam *essentialem.* — *Alia* ad actum *secundum;* et est *perfecti* ad *perfectionem* communicandam, et concomitatur potentiam *accidentalem.*

De *prima* verum est quod oppositum eius est *violentum,* et non *perpetuum.* Sed *secunda* inclinatio, etsi perpetuo suspendatur, nullum *violentum proprie* dicitur, quia nec imperfectio. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 25.

Inclinatio naturalis voluntatis. — Voluntas nostra omni finito aliquid maius potest appetere et amare, sicut intellectus intelligere; et quod plus est, videtur *inclinatio naturalis* ad summe amandum Bonum infinitum. Nam inde arguitur *inclinatio naturalis* ad aliquid in *voluntate,* quia *ex se, sine habitu, prompte et delectabiliter vult illud voluntas libera.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 31. — *De primo princ.* c. 4. n. 25.

Includere formaliter. — *Includere formaliter* est includere aliquid in ratione sua

essentiali; ita quod si definitio *includentis* assignaretur, *inclusum* esset definitio vel pars definitionis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 18.

Incogitabile. — In cuius cogitatione includitur contradictio illud dicitur *non cogitabile.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 22.

Incommunicabile. — Vid. *Persona.*

Incommunicabile dupliciter dicitur. — Prout *opponitur universali,* quod est *communicabile pluribus;* * et * prout excludit omnem communicabilitatem, tam *communis* quam *formae;* et hoc tam formae *partialis,* quae dicitur communicari *materiae informatae,* quam formae *totalis,* puta quidditatis vel naturae, quae dicitur communicari *supposito participanti.* — *Quodlib.* q. 19. n. 13. — Vid. *Communicabile per identitatem — per informationem.*

Incommunicabilitas triplex. — Vid. *Communicabilitatis negatio triplex.*

Incompossibilitas dimensionis — actualitatis. — Non est similis *incompossibilitas* dimensionum in *replendo locum,* et essentiarum in *simul essendo;* non enim una *entitas* sic replet totam naturam *entitatis,* quin cum ista *alia entitas* possit stare. Hoc autem non debet intelligi de repletione *locali,* sed quasi commensuratione *essentiali.* Sed una *dimensio* replet eumdem locum secundum *ultimum capacitatis suae,* et ideo aliud non potest * naturaliter * esse cum eo *replens* locum; sed bene posset esse cum eo aliud corpus *non replens* locum. Itaque una *entitas* simul potest esse cum alia, sicut posset, respectu *loci,* cum corpore *replente* locum aliud corpus esse *non replens* locum. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 35.

Incomprehensibilitas. — *Incomprehensibilitas* negat adaequationem actus ad obiectum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 2. n. 33.

Incontinens. — *Incontinens* significat *excessum rationis in gustu et tactu;* et significat excessum rationis *simpliciter,* et hoc *aequivoce.* Sed termino *aequivoco* uti possumus pro *altero* significato; ideo hoc nomine *incontinens* uti possumus et pro excessu rationis in *tactu* et *gustu,* et pro excessu rationis *in communi.* Et quia *commune* de se non accipitur pro aliquo *determinato,* nisi *per additum* determinetur, ideo *incontinens,* quod significat *excessum rationis in communi,* potest determinari ad *alterum* eorum, ita quod possit accipi pro excessu rationis in *ira,* vel in *lucro,* sic dicendo: *incontinens irae,* vel *lucri* etc. — *Elench.* q. 16. n. 5.

Indeterminatio contradictionis — illimitationis. — Est *duplex indeterminatio:* — Una *contradictionis,* quae est ad unam partem vel ad aliam *indeterminate,* quia neutram partem sibi *ex se* determinat, quin tunc posset esse sub altera. Et isto modo solum est *indeterminatio* ad contraria *accidentia* et eorum opposita. Et haec *indeterminatio* est *imperfectionis,* propter contingentiam. — *Alia* est indeterminatio *illimitationis,* quae non est ad opposita *contradictorie* producenda, hoc vel hoc, sed est ad opposita *disparata,* quae ita est *indeterminate* illimitata ad producendum hunc vel illum, ut vermem vel plantam, quae sunt disparate opposita, sicut si esset tantum *determinatae* virtutis ad producendum hunc effectum (1). Et haec *indeterminatio* est *perfectionis,* quia quanto *indeterminatior* tanto *superior* et *nobilior* est. Patet in agentibus *aequivoce* respectu plurium effectuum. Patet de Deo respectu creaturae.

Prima autem *indeterminatio* est cum *contingentia,* quia est ad unam partem contradictionis vel ad aliam; quia neutrum sibi ex necessitate determinat. — *Secunda* indeterminatio bene potest stare cum *necessitate,* sicut patet in Sole, qui necessario agit aequivoce, disposita materia, sicut agens univoce necessario ageret.

Isti *duplici indeterminationi* correspondet *duplex determinatio* per oppositum: — *Una determinatio* quae est *ad alteram* partem contradictionis determinate, et *non ad aliam.* — *Secunda determinatio* est *limitationis,* quae tantum est ad *unum* effectum producendum.

---

(1) « Una determinatio est ad opposita *contradictorie,* sicut materia est indeterminata ad formam et ad privationem; alia est ad *diversa positiva,* quae tamen stat cum determinatione ad alteram partem utriusque contradictionis ». — *Oxon.* I. d. 28. q. 3. n. 12.

Et sicut aliquid est *determinatum dupliciter*, sic contingit *determinari* ad aliud *dupliciter: — Uno* modo *determinatione* opposita *contigentiae*, et non determinatur ad contradictoria. — *Alio* modo *determinatione limitationis* ad unum tantum. — *Report.* I. n. 3 et 4.

Indeterminatio insufficientiae — illimitationis. — Est quaedam *indeterminatio insufficientiae*, sive ex *potentialitate* et *defectu actualitatis*, sicut *materia* non habens formam est *indeterminata* ad agendum actionem formae. — Est alia *superabundantis sufficientiae*, quae est ex *illimitatione actualitatis*, vel *simpliciter*, vel *quodammodo* (1).

Primo modo *indeterminatum* non reducitur ad actum, nisi prius determinetur ad formam *ab alio*. — *Secundo* modo *indeterminatum* potest *se* determinare. Si enim posset hoc, si haberet actum limitatum, quanto magis si illimitatum, cum nullo tunc careat, quod fuit simpliciter principium agendi? Alioquin Deus, qui est *summe indeterminatus* ad quamcumque actionem indeterminatione *illimitationis actualitatis*, non posset *ex se* aliquid agere, quod est falsum. Exemplum huius: *ignis* est *calefactivus;* nec quaeritur extrinsecum *a quo* determinetur ad agendum; si tunc, nulla diminutione facta in perfectione *caloris*, daretur sibi perfectio *frigoris*. quare non ita *ex se* determinari posset ad calefaciendum, ut prius? Exemplum tamen illud non est omnino simile.

Indeterminatio * etiam * quae ponitur in voluntate non est *materialis*, nec *imperfectionis*, inquantum ipsa est activa, sed est *excellentis perfectionis* et *potestatis* non alligatae ad determinatum actum. — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 15. n. 5. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 39. — *Ib.* d. 7. n. 5.

Indeterminatum descendens duplex. — Duplex est *indeterminatum descendens* in inferiora: — *Unum* quod descendit in inferiora per aliquid *additum;* et tale dicit totum quod inferius, tamen per modum *partis* determinantis, ut *differentia;* et tale non est ipsum ens. — *Aliud* autem est commune indeterminatum, quod dicit totum illud quod dicunt inferiora per modum *totius;* nec exspectat terminari per aliud: ut *species* respectu individuorum; duo enim individua sibi totis in *specie* conveniunt, et in *numero* differunt; et tale commune *non descendit* in inferiora per aliquid *additum.* Sic autem *ens* est commune ad Deum et ad decem Praedicamenta, et ad substantiam et accidens; nihil enim est in substantia et accidente quod non sit ens; et ideo statim sub ipso, *sine addito*, est substantia vel accidens; non ergo reducitur ad praedicabile generis, vel speciei subalternae, vel differentiae, sed speciei *specialissimae* (1). *De Anima*, q. 21. n. 13.

Indeterminatum — Determinatum. — Vid. *Abstractum — Concretum — Determinatum*, etc.

Individuatio. — Expono quid intelligo per *individuationem* sive *unitatem numeralem* sive per *singularitatem:* non quidem unitatem *indeterminatam*, secundum quam quodlibet in specie dicitur *unum numero*, sed unitatem *signatam ut hanc*, ut est haec determinate. — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 3.

---

(1) * Praefatae *indeterminationis* distinctiones aliter sequentibus explicantur *: « Alia est indeterminatio *materialis* propter defectum actus; alia est indeterminatio *agentis* propter illimitationem virtutis activae. — *Primo modo* indeterminatum non agit nisi determinetur per aliquem actum, quia alias non est in actu sufficienti, sed in potentia. *Secundo modo* indeterminatum nulla forma alia a se determinatur, sed ex se determinatur ad producendum quemcumque effectum, ad quem ex se est indeterminatum ». — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 39.

* Vel aliter *: « Indeterminatio est duplex: quaedam est potentiae *passivae*, ut indeterminatio materiae; et quaedam potentiae *activae illimitatae* ad plures effectus. Quod autem est indeterminatum indeterminatione *materiae* oportet, quod recipiat aliquam formam, ad hoc ut agat, quia non est in actu sufficienti ad agendum; sed quod est indeterminatum indeterminatione potentiae *activae* est ex se sufficienter determinatum ad producendum quemcumque istorum effectuum, et hoc si passum dispositum sit approximatum, ubi requiritur passum, vel ex seipso, ubi non requiritur passum. Essentia divina non est principium indeterminatum indeterminatione *materiae* ». — *Ib.* d. 7. n. 5. — d. 8. q. 5. n. 23.

(1) Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 5. seqq. — q. 3. n. 9 seqq. — d. 8. q. 3. n. 4 seqq.

Necesse est per aliquod *positivum intrinsecum* huic *lapidi*, tamquam per rationem propriam, *repugnare sibi dividi* in partes subiectivas; et illud *positivum* erit quod dicitur esse per se causa *individuationis;* et per *individuationem* intelligo istam *indivisibilitatem* sive *repugnantiam ad divisibilitatem.* — *Ib.* II. d. 3. q. 2. n. 5. (1).

Individuum. — *Individuum* sive *unum numero* dicitur illud quod *non est divisibile in multa, et distinguitur ab omni alio secundum numerum.* — Prima pars intelligitur quod sibi *repugnat divisio* in partes *subiectivas.* — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 13. n. 17.

Unitas *individui* est cui *repugnat divisio* in plures partes *subiectivas,* et cui repugnat non esse *hoc signatum,* si est in entibus. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 9.

Nomen *individui aequivoce* sumitur; nam et species *specialissimae,* et etiam *particularia* dicuntur *individua;* sed aliter et aliter; quia species *specialissimae* dicuntur *individua,* non obstante quod *dividantur per differentias individuales* et quasi materiales, per quas natura specifica dividitur et contrahitur ad *haecceitatem* sive *individuationem;* sed *particularia* dicuntur individua, quatenus *nullo modo sunt ulterius divisibilia* in aliqua *inferiora,* sicut patet. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 7. n. 81. — Vid. *Persona* — *Individuum* = *Simul totum* = *Unitas multiplex.*

Individuum dupliciter accipitur. — *Individuum* accipitur *uno* modo *absolute,* ut dicit *indivisionem rei in se, et divisionem eius ab omni alio;* et sic est *primae intentionis.* — *Alio* modo accipitur ut est correlativum *individui* primo modo in denotando; et sic dicitur in *respectu* ad speciem, et est *secundae intentionis.* — *Report.* I. d. 25. q. 2. n. 15. — Vid. *Gramma. speculat.* nn. 75. et seqq.

Individuum substantiae duplex. — *Individuum substantiae dupliciter* potest accipi: — *Uno* modo *large,* prout scilicet *individuum substantiae abstrahit* ab existentia et tempore; et per consequens individuum sic acceptum per se est in Praedicamento; et tale individuum nihil includit in sua ratione, quare sibi repugnat suscipere praedicationem naturae, et ipsius *quod quid est;* unde talia individua non generantur, nec corrumpuntur per se, sicut nec *universalia.* — *Alio* modo accipitur *individuum substantiae* et *simul totum stricte,* prout *includit* existentiam et tempus, ut hic homo *existens,* et *hic* lapis *existens;* et talia sunt quae per se generantur et corrumpuntur; et de talibus non est scientia, nec definitio proprie; quia cum abstrahuntur a sensu, ignotum est utrum sint vel non. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. VII. S. 2. c. 10 n. 76.

Individuum tripliciter sumitur. — Ly *individuum* (1) potest exponi *tripliciter:* — *Uno* modo, quod *individuum* accipiatur non pro individuo *singulari,* quia *singularium non est scientia,* sed individuum dicatur *ipsa species specialissima,* quae ulterius per differentias essentiales vel specificas non dividitur; ut sit sensus, quod non contingit *scire,* scilicet, *perfecte,* quousque perveniatur ad *speciem specialissimam;* quia *scire in genere* est scire aliquid *imperfecte.* — *Secundo* modo exponitur, ut per *individuum* intelligatur *supremum genus,* cuius ratio non est ulterius divisibilis in aliqua priora. Divisio enim formalis non solum est secundum quod *genus* dividitur per differentias essentiales, per cuius divisionis privationem *species specialissima* potest dici *individuum,* sed etiam secundum quod *definitio* dividitur in partes definitionis. — *Tertio* modo exponitur, ut per *individuum* intelligatur *propositio immediata.* — *Exposit.*

---

(1) Cfr. *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 20. — *Oxon.* II. d. I. q. 5. — d. 3. q. 1 usque ad 7. — Quibus in locis latissime agit Doctor de principio seu ratione formali individuationis, docens: *a)* substantiam materialem *ex se* sive *ex natura sua* non esse individuam, nec universalem, sed indifferentem ad utrumque (*Oxon.* II. d. 3. q. 1): *b)* non esse individuam *per negationem* (*Ib.* q. 2): *c)* neque *per actualem existentiam* (*Ib.* q. 3): *d)* neque *per quantitatem* (*Ib.* q. 4): *e)* neque per *materiam* (*Ib.* q. 5): *f)* sed per *entitatem positivam per se determinantem naturam ad singularitatem* (*Ib.* q. 6).

(1) In hac propositione: *Nihil contingit scire priusquam perveniatur ad individua.*

in Metaph. Aristot. lib. II. S. unic. c. 2. n. 19.

Indivisibile multiplex. — *Indivisibile* dicitur *dupliciter:* vel secundum *quantitatem,* ut *punctus:* vel secundum *speciem,* puta, quod non dividitur in plures species. *Indivisibile* autem *secundo* modo est *principalius* quam indivisibile *primo* modo, sicut *species* rei est *principalior* quam eius *quantitas.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 2. c. 2. n. 40.

Aliquid dicitur *indivisibile multipliciter:* — *Primo* modo per carentiam divisionis in partes *diversarum rationum;* et sic *materia prima* dicitur *indivisibilis,* et etiam *forma.* — *Secundo* modo per privationem divisionis, scilicet, *separationis partis a parte,* licet actu habeat partes, et sit extensum. — *Tertio* modo per privationem *extensionis.* Et hoc *dupliciter: uno* modo sicut *punctus* habens positionem in continuo: alio modo sicut *intellectus* vel intelligentia. — *Physic.* VI. q. 7. n. 2.

Indivisum. — Vid. *Unitas multiplex.*

Inductio. — *Inductio* est *processus a singularibus ad universalia.* — *De Anima* q. 22. n. 4.

Nisi ad *bonam inductionem* requireretur inductio in *omnibus* singularibus, sequeretur, quod in bona consequentia *antecedens* esset verum, et *consequens* falsum, quod est contra definitionem *consequentiae datae* (1). — *Inductio* * igitur * non valet ad concludendum *de necessitate, nisi inducatur in omnibus singularibus.*

Inductio non valet ad concludendum *evidenter,* supposito quod inducatur in omnibus singularibus, *nisi coassumatur propositio universalis,* mediante qua, ex singularibus fit syllogismus. V. gr. posito quod non essent nisi *tres* homines, scilicet *Socrates* et *Plato* et *Cicero,* tunc sequitur necessario: *Socrates currit,* et *Plato currit,* et *Cicero currit;* igitur *omnis homo currit;* tamen non sequitur evidenter, nisi addatur ista universalis, *omnis homo est Socrates* et *Plato* et *Cicero;* qua apposita, est consequentia *evidens.*

(1) Vid. *Consequentia.*

Ad habendum * autem * *opinionem probabilem, fidem* vel *persuasionem* de conclusione universali, sufficit inducere in *aliquibus* singularibus, licet non inducatur in omnibus; et ideo *multae inductiones sunt bonae,* arguendo absolute, *absque hoc, quod in omnibus singularibus inducatur.*

Et si quaeratur, in *quot* singularibus oportet inducere? Respondetur, quod de illis non potest assignari certus numerus, sed quandoque oportet inducere in pluribus, quandoque in paucioribus, secundum diversitatem *materiae,* et secundum diversitatem *intellectionis* intellectus, qui debet assentire universali. — In aliquibus, ut respectu praedicatorum *per accidens,* non sufficit inducere in aliquibus singularibus, sed *oportet inducere in omnibus.* — Ideo in aliquibus debet suppleri, quod *inductio est progressio ab aliquibus singularibus, vel ab omnibus sufficienter enumeratis ad conclusionem universalem.* — *Prior. II.* q. 8. per tot.

Experimentalis cognitio, quantumcumque frequens, non infert *necessario* ita esse in omnibus, sed tantum *probabiliter.* Et ex hoc sequitur, quod non sit sufficiens causa ad generandam artem vel scientiam, sed tantum * causa * *coadiuvans* et *occasio.* Ex experimento non sequitur notitia scientifica *propter quid,* sed *quia.* Ex experimento cognoscente *quia est* datur *occasio* sic inquirendi causam, et sic inveniendi *propter quid,* et per consequens sic esse in *omnibus* singularibus. Unde expertus per singularia arguit per *simile,* quod sicut est de *uno* singulari, et de *pluribus;* sicut est in *multis* singularibus, sic est in *omnibus.* — *QQ. Metaph.* lib. I. q. 4. n. 6.

Inductio dupliciter accipitur. — *Inductio* potest accipi *dupliciter:* — *Uno modo* prout est *species argumentationis,* secundum quod loquitur Boetius de *inductione.* — *Alio* modo prout *inductio* dicitur *omnis cognitio quae oritur ex sensu,* sicut *principia* cognoscimus, quia *terminos* apprehendimus *per sensum.*

Primo modo *inductio* non sufficit ad scientiam, nec ideo scitur universale *quia* ex particularibus deducitur. Unde magis sequitur scientifice: *omne totum est maius*

sua parte; igitur *hoc totum,* quam e converso, scilicet: *hoc, et illud totum;* igitur *omne.* Unde evidentia principiorum in scientia non dependet ex singularibus; sed si nullum singulare esset, cum scientia sit *necessariorum,* adhuc staret vera scientia; sed principia sunt nota *ex terminis apprehensis,* secundum quod termini ultro se offerunt intellectui; et resolutio certitudinis stat in hoc, quod ille est talis intellectus, et hi tales termini.

Secundo modo verum est, quod notitia principiorum dependet *ex sensu;* tamen non sufficit *quaecumque* notitia terminorum ad hoc, quod cognoscantur principia esse prima, seu talia ex quibus possit conclusio necessaria concludi, quae habet generare scientiam; sed requiritur cognitio terminorum sub *propriis* rationibus ex evidentia illorum; sed non semper *immediate* et *distincte,* sed in aliquibus scientiis sufficit notitia terminorum *confusa,* sicut in subalternatis; sed requiritur quod eorum cognitio *confusa* possit reduci in *distincta.* Similiter Scientia Naturalis, prout praecedit Metaphysicam, habet suos terminos *confuse* notos; sed Metaphysicus, mediante diffinitione, exprimit *distincte* notitiam illorum, et tunc * Naturalis * est perfectior quando est cum Metaphysica. — *Oxon.* III. d. 24. n. 19.

Indulgentia. — *Tria* requiruntur ad hoc ut Indulgentiae *valeant,* scilicet: *auctoritas* ex parte *conferentis, indigentia* ex parte *recipientis, pia causa,* ut honor Dei vel Ecclesiae utilitas, ex parte *finis moventis.* — *Miscell.* q. 4. n. 3.

Ex iis potest Indulgentiae descriptio colligi: *Indulgentia est remissio poenae debitae pro peccatis actualibus poenitentium, non remissae per absolutionem sacramentalem, * vel aliter *, facta, per Praelatos Ecclesiae, de thesauro Ecclesiae, id est, meritis Christi et Sanctorum, ex causa rationabili.*

Ibi *remissio* ponitur tamquam *genus,* quia est *in plus* quam *Indulgentia;* reliqua autem * ponuntur * ad modum *differentiarum,* quia *poenae* dicitur ad differentiam remissionis *culpae,* quae remissio fit a Deo *immediate,* vel a Praelatis, qui absolvunt *instrumentaliter,* mediantibus Sacramentis Ecclesiae, sine quibus Sacramentis Deus potest remittere poenam cum vult. — Dicitur *temporalis,* ad differentiam poenae *aeternae,* iam peccatoribus mortuis inflictae. — Dicitur *debitae,* ad differentiam poenae quae *indebite* Martyribus illata est. — Additur *pro peccatis,* ad differentiam poenae, quae aliter *iuste* infligitur quandoque pro *peccatis aliorum,* quando, scilicet, suscipitur pro eis. — Additur *actualibus,* ad differentiam poenae debitae *originali* peccato, quae non est poena *sensus,* sed *carentia visionis divinae,* ut in pueris sine Baptismo mortuis. — Additur *poenitentium,* ad differentiam obstinatorum in peccatis, qui quandoque hic incipiunt puniri *temporaliter,* postea vero *aeternaliter.* Tales non suscipiunt Indulgentias, nisi prius confiteantur de peccatis mortalibus. — Additur *non remissae per absolutionem sacramentalem, * vel aliter *,* ad differentiam etiam poenae temporalis, quae in absolutione sacramentali remittitur *virtute clavium,* et ex devotione et humilitate confitentis, quae tamen non est *Indulgentia.*

Additur *facta per Praelatos Ecclesiae,* ad differentiam eius qui satisfacit *particulariter* pro alio, si uterque sit in charitate, qui cum sit persona privata, non dispensator Ecclesiae, non dicitur tales *Indulgentias* dare. — Additur *de thesauro Ecclesiae,* in quo *est omnimoda sufficientia,* ad differentiam *unius* personae tantum, vel *congregationis particularis,* in qua *non est ista sufficiens abundantia meritorum.*

Ultimo additur *pro causa rationabili,* in quo notatur *causa finalis.* — *Ib.* n. 4.

Valor * Indulgentiarum * est pensandus ex earum *causa,* quia ex eodem *esse* habent *efficaciam* et *valorem.* Causa autem Indulgentiarum, ut dictum est, est *passio Christi* et *merita Sanctorum,* et applicata aliis per Praelatos Ecclesiae; quae merita vel thesaurus habent virtutem et efficaciam *infinitam* (1).

Sciendum etiam, quod huiusmodi *applicatio,* vel *largitio Indulgentiarum* non debet proprie dici *datio,* quia datio fit omnino

(1) Cf. *Oxon.* III. d. 19. n. 14.

secundum voluntatem *dantis* et liberalitatem: Praelati autem, qui huiusmodi applicationem faciunt, non possunt dare huiusmodi pro libito, quia non sunt *domini* talium. — Item, non debet dici *redditio*, quia Indulgentiae non dantur istis secundum debitum *iustitiae;* Praelati enim non obligantur dare istis huiusmodi Indulgentias, quoniam non secundum *quantitatem operis* conceduntur, quia quandoque *idem* opus facientibus dantur Indulgentiae *inaequales*. Similiter pro *diversis* et *inaequalibus* operibus *aequales* quoque Indulgentiae dantur, secundum dispositionem rationabilem Praelatorum.

Patet igitur, quod huiusmodi *collatio Indulgentiarum*, cum nec sit *datio*, nec *redditio*, debet appellari *dispensatio*, quae tenet medium inter duo dicta. Unde *I. Corinth.* (1), ait Apostolus: *sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, etc. Loquitur de Praelatis.

Patet etiam, quod *valor Indulgentiarum* non est attendendus secundum *quantitatem operis absolute;* nec secundum *voluntatem* Praelatorum *simpliciter*, sed secundum voluntatem eorum *rectam* et *ordinatam* secundum Dei beneplacitum, scilicet, ut conferantur ad eius honorem et Ecclesiae utilitatem; aliter non valent.

Valent etiam illis *quibus Praelati intendunt conferre*, concurrentibus dictis conditionibus. — Et tantum valent *quantum Praelati intendunt* eas valere rationabiliter. Praelatorum autem intentio non innotescit nobis, nisi per verba ipsorum in suis Litteris; unde *tantum valent quantum eorum Litterae dicunt*, si rationabiliter intelligantur; quia credendum est quod Praelatorum intentio fuerit recta in conferendo huiusmodi; aliter enim subverterent Ecclesiae fundamentum, si falsitas in praedicationibus et Litteris ipsorum vel deceptio connecteretur. — *Ib.* n. 5.

Solus Papa potest *auctoritative* et *principaliter* dare Indulgentias, nec habet auctoritatem ab alio nisi *a Christo*. — Sed utrum Episcopi? Dicendum, quod cum sint sponsi Ecclesiae suae, id est, Dioecesis, et Archiepiscopi sui Archiepiscopatus, et sint vocati in partem sollicitudinis, secundum Apostolum, *II. Cor. c. 11.* (1), ideo *ex commissione Papae* possunt indulgentias conferre; aliter non possunt. Similiter Legati, sicut per totam suam Provinciam vel Legationem possunt facere constitutiones perpetuas, ita etiam conferre Indulgentias, *quia eis hoc Papa concessit.* — *Ib.* n. 19. — Vid. *Meritorum applicatio multiplex.* — * *In citata quaestione optime pertractat materiam de Indulgentiis* *.

(1) c. IV. v. 1. — II. c. VI. v. 4.

In extremis. — Tunc dicitur aliquis esse *in extremis*, non quando habet tertianam, vel aliquam febrem lentam vel levem, de quibus est probabilis spes convalescentiae futurae, sed *quando imminet sibi mors* vel periculum mortis ex infirmitate vel timore, vel si vulneraretur ad mortem, vel si haberet aliquam infirmitatem, de qua similiter non posset evadere; similiter si statim subiiceretur, vel haberet gladium super caput suum ut interficeretur. — *Report.* IV. d. 20. n. 4. — *Oxon.* ib.

Infamia. — Vid. *Poena canonica.*

In fieri — in facto esse. — Philosophus, *III. Physic.*, dicit quod aliqua sunt *in fieri*, quae non habent *completum esse*, sicut *successiva;* et per oppositum aliquid dicitur *in facto esse* quando sic habet *esse completum*, quod non dependet in essendo ab aliquo extrinseco. — *Quodlib.* q. 12. n. 6.

Infinitas in Divinis multipliciter consideratur. — Considerando aliqua quae non sunt *formaliter* eadem, potest aliquid accipi tamquam infinitum *in se*, et *omnino a se*, sicut essentia divina, quae est radix et fundamentum, quae infinitatem a nullo habet. Unde Ioannes Damascenus, cap. 12: *esse Dei est velut pelagus substantiae infinitum et indeterminatum.* — Aliquid autem est infinitum in se et per se, sed *non omnino a se* tamquam prima radix et fundamentum omnis infinitatis, sicut attributa divina, quae, secundum eumdem Damascenum, cap. 5, *dicunt aliquid quasi circa essentiam;* et bene possunt esse talia formaliter infinita et in se et per se, sed radicaliter in essentia,

(1) v. 28.

sicut in fundamento, cui sunt eadem. — Ulterius, aliquid est quod nec in se formaliter est infinitum, nec idem formaliter infinito, sicut personales proprietates. — *Oxon.* I. d. 13. n. 16.

Dico ergo, quod in Divinis potest intelligi *quasi* infinitas *extensiva*, si intelligeretur quasi infinita multitudo perfectionum. — Alio modo infinitas *intensiva* alicuius perfectionis simpliciter, ita quod illa perfectio, secundum propriam rationem suam, sit sine limite et termino. — Et hoc secundo modo adhuc aliquid potest habere infinitatem, non tantum formalem, sed etiam *fundamentalem;* aliquid autem *formalem intensivam,* licet non fundamentalem.

Dico ergo, quod nihil *unius rationis formalis* est infinitum *primo modo,* imo forte nec absolute in Deo est talis infinitas; forte enim sicut Personae sunt finitae * (tres) *, loquendo de ista finitate et infinitate, ita et perfectiones simpliciter sunt finitae numero seu sua multitudine, et relationes et notiones, et haec et illa simul iuncta sunt finita. — Sed infinitas *intensiva formalis* et *fundamentalis* simul est in essentia divina, ut essentia est, et pro tanto a Damasceno vocatur *pelagus* (1); *formalis* autem tantum, *non fundamentalis,* est in qualibet alia perfectione simpliciter, quaelibet enim habet suam perfectionem formalem ab infinitate essentiae tamquam a radice et *fundamento;* infinitas autem neque formalis, neque fundamentalis est in relationibus quibuscumque in Divinis, ut ostensum est *1. lib. dist. 13.*, quia Patri melius est non habere filiationem, quam habere: *perfectio* autem *simpliciter* est illud quod melius est quodlibet habere, quam non habere (2). — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 31. seqq. — Cf. ib. I. d. 10. et 13. — *Quodlib.* q. 5.

Et statim ex hoc infertur, quod ipsa essentia ut essentia, habet ex natura rei propriam magnitudinem. Et hoc probatur auctoritate Damasceni, *cap. 9.*, ubi vult, quod essentia est pelagus quoddam substantiae infinitum et interminatum. Essentia, ut saepe dictum est, dicitur ab eo *pelagus* quoddam, quasi prioritatem et primam comprehensionem habens omnium, et ut sic, secundum ipsum, est infinita et interminata; sic ergo est infinitas essentiae ut essentia.

Ex his sic arguitur: essentia est infinita ex natura rei, ut accipitur ex auctoritate Damasceni, quia ut est pelagus est infinita, et ut est omnino prima ex natura rei dicitur pelagus: infinitas autem essentiae dicitur magnitudo eius propria; ergo habet propriam magnitudinem ex natura rei; quia sicut *quantitativa* infinitas proprie dicit magnitudinem, imo *extensive* illimitationem quantitatis propriae, ita infinitas *intensiva* et in perfectione *dicit summam perfectionem* vel magnitudinem perfectionis. — *Quodlibet.* q. 6. n. 6., * *ubi hoc ulterius demonstrandum ratione pergit* *.

Infinitas secundum quid — simpliciter. — *Infinitas* addita alicui *limitato* ex se est infinitas *secundum quid,* qualis scilicet potest competere rationi talis limitati, quia non dicit infinitatem vel illimitationem, nisi ratione illius cui additur, quia hoc non potest esse formaliter simpliciter infinitum. — Infinitas autem addita alicui perfectioni simpliciter, cui scilicet non repugnat infinitas simpliciter, est infinitas *simpliciter* in illa ratione, et ideo est simpliciter infinitas. — *Oxon.* I. d. 13. n. 28.

Infinitum. — *Infinitum * in quantitate *,* secundum Philosophum, *III. Physic., est cuius quantitatem accipientibus,* id est, quantumcumque accipientibus, *semper aliquid restat accipere.* Et ratio est, quia *infinitum in quantitate,* sicut loquitur Philosophus, non potest habere *esse nisi in potentia,* accipiendo semper alterum post alterum; et ideo quantumcumque accipiatur illud non est *nisi finitum* et quaedam *pars totius infiniti potentialis,* et ideo restat aliquid *alterum* ipsius *infiniti* accipiendum. Ex hoc concludit, quod sicut *infinitum in quantitate* habet *esse in fieri* et *in potentia,* ita non habet rationem *totius;* quia *totum* est *cuius nihil est extra* (1): sed extra illud infinitum, hoc est, extra illud quod habet *esse* de ipso, semper est aliquid extra; nec

(1) Vid. *Deus.*

(2) Vid. *Perfectio simpliciter.*

(1) Vid. *Totum.*

est *perfectum*, quia *perfectum* est *cui nihil perfectionis deest* (1); sic isti semper aliquid deest.

Ex hoc ad propositum, commutemus rationem *infiniti in potentia, in quantitate*, in rationem *infiniti in actu, in quantitate*, sic potest ibi esse *in actu*. Si enim nunc necessario semper cresceret quantitas *infiniti* per acceptionem partis post partem, sic et imaginaremur omnes partes acceptabiles esse *simul acceptas*, vel *simul remanere*, haberemus *infinitam quantitatem in actu*, quia *tanta* esset *in actu quanta* esset *in potentia*; et omnes illae partes, quae in infinita successione essent reductae *in actum* et haberent *esse* post alias, tunc *simul* essent *in actu* acceptae. Illud *infinitum in actu* vere esset *totum*, et vere *perfectum* totum, quia *nihil sui esset extra*; *perfectum* esset, quia *nihil sibi deesset*; imo nihil posset addi secundum rationem *quantitatis*, quia tunc posset excedi.

Ex hoc ultra, si in entibus intelligamus aliquid *infinitum in entitate in actu*, illud debet intelligi proportionabiliter quantitati *imaginatae* infinitae in actu, sic ut ens illud dicatur *infinitum* quod *non potest ab aliquo in entitate excedi*; et ipsum vere habebit rationem *totius* et *perfecti*.

Totius quidem, quia licet totum *infinitum actu in quantitate* nulla parte sui, nec etiam parte *quantitatis* talis, careret, tamen *quaelibet pars esset extra aliam*, et sic *totum* esset *ex imperfectis*; sed ens *infinitum in entitate sic nihil entitatis habet extra*; quia nec eius totalitas dependet *ex aliquibus imperfectis in entitate*; sic enim *totum* est quod *nullam habet partem extrinsecam*; quia tunc non esset *totaliter* totum. Ita etiam, quamvis *infinitum in actu* esset *perfectum in quantitate*, quia *sibi* secundum se totum nihil quantitatis talis deesset, tamen *cuilibet parti* eius deesset aliquid. quantitatis, quae scilicet esset *in altera*, nec ipsum esset sic perfectum, nisi quodlibet eius esset imperfectum. Sed ens *infinitum* * *in entitate* * sic est *perfectum*, quod *nec sibi, nec alicui eius deest aliquid*.

(1) Vid. *Perfectum*.

Sic ergo ex ratione *infiniti* posita in *III. Physic. I.*, applicando secundum *imaginationem* ad *infinitatem actualem in quantitate*, si esset possibilis; ulterius applicando ad *infinitatem actualem in entitate*, ubi est possibilis, habemus aliqualem intellectum, qualiter concedendum est *ens infinitum intensive* sive *in perfectione* vel *in virtute*. — Ex hoc possumus ens *infinitum in entitate* sic describere, quod ipsum est *cui nihil entitatis deest, eo modo quo possibile est illud haberi in aliquo uno*; et hoc pro tanto additur, quia non potest in se *realiter* et *formaliter* per identitatem *omnem* entitatem habere.

Potest etiam describi *per excessum* ad quodcumque aliud ens finitum sic: *Ens infinitum est quod excedit quodcumque ens finitum, non secundum aliquam determinatam proportionem, sed* ULTRA OMNEM DETERMINATAM PROPORTIONEM VEL DETERMINABILEM (1). Verbi gratia: accipiatur haec entitas, *albedo; exceditur* ab alia entitate quae est *scientia* in *triplo*. Iterum * scientia * *exceditur* ab *anima intellectiva* in *decuplo*. Iterum * anima exceditur * a supremo *Angelo*, esto quod in *centuplo*. Qualitercumque procedis in entibus, semper esset dare in qua proportione determinata supremum *excedit* infimum: non quod ibi sit proprie proportio talis quali utuntur Mathematici; quia non constat Angelus ex aliquo inferiori cum aliquo addito, cum sit simplicior; sed intelligendum est hoc secundum proportionem *virtutis* et *perfectionis*, sicut est excessus in speciebus. Hoc modo per oppositionem, *infinitum* excedit in entitate finitum *ultra omnem proportionem assignabilem*.

Ex hoc sequitur, quod *infinitas intensiva* non sic se habet ad ens quod dicitur *infinitum*, tamquam quaedam passio *extrinseca adveniens* illi enti; nec etiam eo modo quo *verum* et *bonum* intelliguntur *passiones* vel *proprietates entis*; imo *infinitas intensiva* dicit modum *intrinsecum* illius

(1) Habetur etiam haec descriptio in *Oxon*. I. d. 2. q. 2. n. 31. — *De primo princ.* c. 4. n. 23. — *Report*. I. d. 2. q. 3. n. 2; et alibi.

entitatis, cuius est sic intrinsecum, quod, circumscribendo quodlibet quod est proprietas vel quasi proprietas eius, adhuc *infinitas* eius *non excluditur*, sed *includitur in ipsa entitate*, quae est unica. Unde de ipsa entitate *praecisissime*, absque scilicet quacumque proprietate, verum est dicere, quod aliquam *magnitudinem* propriam *virtutis* habet sibi *intrinsecam:* et non magnitudinem *finitam*, quia ipsa repugnat sibi; ergo *infinitam* (1).

Ipsum etiam *infinitum praecisissime* acceptum, non sub aliqua ratione proprietatis *attributalis*, ut *bonitatis* vel *sapientiae*, potest comparari secundum ordinem essentialem ad aliqua *quae excedit*, et *non secundum aliquam proportionem determinatam*, quia tunc esset *finitum*.

Intrinsecus ergo *modus* cuiuslibet *infiniti intensive* est ipsa *infinitas*, quae intrinsece dicit ipsam esse *cui nihil deest*, et quod *excedit omne finitum ultra omnem proportionem determinabilem*.

Et istud corollarium confirmatur per Damascenum, *cap.* 7., ubi ipse vult, quod essentia dicit *pelagus substantiae infinitum* et *indeterminatum*. *Substantia* ergo, secundum quod habet rationem omnino primi in Divinis, et vocatur ab eo *pelagus*, sic ipsa est *infinita* et *interminata:* sic autem non *includitur* in ea nec *veritas*, nec *bonitas*, nec aliqua proprietas *attributalis;* ergo ipsa *infinitas* est *magis modus intrinsecus* essentiae, quam aliquod *attributum*. — *Quodlib.* q. 5. nn. 2-4.

Infinitum ens non tantum dicit perfectionem *summam*, sed etiam *non possibilem excedi*. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 21. = *Ib.* d. 2. q. 3. n. 5. — *Infinitum* habet in se *realiter* et *per identitatem* omnem perfectionem simpliciter. — *Quodlib.* q. 5. n. 7. — *Infinitas* in entitate dicit *totalitatem* in entitate, et per oppositum suo modo *finitas* dicit *partialitatem* entitatis. — *Ib.* n. 26.

Infinitum, ut dicitur de Deo, potest accipi *negative* et *positive*. — Quando accipitur *negative*, tunc est sensus: Deus est *infinitus*, id est, *nullo fine clauditur*, nec *extrinseco*, nec etiam *intrinseco*, cuiusmodi sunt *genus* et *differentia;* sed *omnis finis* terminans eius perfectionem *negatur* ab eo; et secundum hunc intellectum, *infinitum* dictum de Deo non dicit *quid est* Deus, sed *quid non est;* sicut *incorporale* et *ingenitum*, de quibus dicit Damascen. lib. I. cap. 12, quod *incorporale et ingenitum et interminatum et similia non* QUID *Deus, sed* QUID NON EST *significant*. Et hoc modo loquendo de *infinito*, conceptus *infiniti* erit conceptus *maxime negativus*.

Alio modo potest accipi *infinitum positive;* licet enim *infinitum* secundum nomen significandi dicatur *negative, cum negatione finiti*, tamen ut dicitur de Deo significatur primo et significari intenditur aliquid *realiter positivum*. Quicumque enim dicit *infinitum Deum*, intendit quod *dignitatis* et *perfectionis* est significare in Deo. Unde per *infinitum* intenditur significari illud poni in perfectione divina ad quod consequitur *exclusio* sive *negatio cuiuslibet termini* et *finis*, tam *intrinseci* quam *extrinseci*. Per *infinitum* enim dictum de Deo intelligitur illud significare quo Deus *omne finitum excedit;* quod non potest esse *negatio* tantum, sed necessario est aliquid *positivum maximae dignitatis* et *perfectionis*. — Quod autem talia *positiva* et tales *perfectiones* significentur per nomina *negativa*, hoc est, quia talia positiva et tales perfectiones sunt nobis *magis ignotae* quam eorum contraria, et ideo talia *positiva* significamus per nomina *negativa*, et contraria significamus per nomina *positiva*. — *Miscell.* q. 5. n. 20.

Infinitum non tantum dicit *gradum perfectionis intrinsecum* naturae divinae, ut prius concipitur omni ratione *attributali*, sed etiam dicit modum perfectionis intrinsecum *cuiuslibet perfectionis attributalis*. — *Infinitum* ergo, ut dicit modum perfectionis intrinsecum, bene dicit perfectionem quasi accidentalem, sicut illud cuius est gradus intrinsecus. Unde *infinitas*, ut dicit gradum intrinsecum sapientiae, dicit perfectionem quasi accidentalem, sicut sapientia, et ita de aliis. — Sed *infinitum*, ut dicit gradum perfectionis substantialis intrinsecum

(1) Vid. *Magnitudo in Divinis*.

essentiae, non dicit perfectionem quasi accidentalem essentiae divinae, imo convenit ei circumscribendo ab essentia divina omnem proprietatem vel quasi passionem. — *Ib.* n. 30. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 17.

Infinitum duplex. — Non est nisi *duplex infinitum*: vel in *virtute*, vel in *quantitate*. Et primo modo nihil potest esse infinitum nisi Deus; nec secundo modo aliqua creatura. — *Report.* II. d. 1. q. 4. n. 17.

Infinitum in potentia triplex. — Distinguit * Aristot. * modos *infiniti* ut sumitur *in potentia*, et ponit *tres* modos, dicens, quod *adhuc dicitur infinitum appositione uno* modo ut *numerus;* nam quolibet numero dato contingit apponere unitatem; et hoc est tantum secundum *potentiam*. — *Aut* dicitur *infinitum secundo* modo *ablatione*, id est, divisione, id est, quod sit aliquod continuum, quod de se est in potentia ut possit dividi *in infinitum*. — *Aut* dicitur *infinitum tertio* modo *utroque*, id est, utroque modo, sicut *tempus*, quod est infinitum *appositione*, quatenus habet rationem *numeri*, quia tempus est *numerus motus;* et est infinitum *divisione*, quatenus habet rationem *continui*, cum sit idem realiter quod motus. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VI. S. 4. c. 2. n. 79.

Infinitum multipliciter accipitur. — Est notandum in generali, quid dicitur per hoc nomen, *infinitum*. Potest enim *infinitum* accipi *tripliciter: negative, privative* et *contrarie*. — Primum patet *III. Phys. t. c. 34; punctus* * ex. gr. * est infinitus *negative;* sicut *sonus* invisibilis *privative*, quia privat *finem* in apto nato finiri; et vocabulum hoc sonat. — *Contrarie*, quod patet per Boetium, *super Praedicamenta*, cap. de *Qualitate;* ubi Philosophus dicit, quod *inest qualitati habere contrarium, sicut iustitia contrariatur iniustitiae. Iniustus contrarie* dicitur, quia habet *contrarium* habitum ex actibus generatum; sic *infinitum* negat finitatem cum *positione contrarii*.

Illud infinitum *contrarie* dictum *dupliciter* potest sumi: vel quod sit *in actu* existens, sine terminis, vel quod sit tale *in potentia;* quod definit Philosophus, *III. Physic.* text. com. 63: *Infinitum est cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere*, ita quod quantumcumque accipiatur, semper est aliquid extra; si esset tantum *negative* vel *privative*, non semper esset aliquid extra accipere.

Infinitum istis duobus modis ultimis, *secundo* principali, et *tertio*, semper est in quantitate *molis*, vel *virtutis;* quantitas omnis proprie vel metaphorice est magnitudo vel multitudo proprie vel metaphorice; ergo omnis infinitas talis est in magnitudine vel multitudine *propria* vel *metaphorica*. — *QQ. Metaph.* lib. II. q. 6. n. 2. — *Phisic.* III. *Exposit.* text. n. 33.

Ponit * Aristot. * *quatuor* modos quibus potest sumi *infinitum* in actu, dicens: quod *infinitum autem* dicitur *uno* modo aut *quod impossibile est pertransire, eo quod non sit natum pertransiri, quemadmodum vox dicitur invisibilis*, quia, scilicet, nec potest videri, nec est apta videri, cum non sit de genere visibilium. Tale autem est infinitum *negative*, ut punctus, vel unitas, quia, scilicet, sibi repugnat pertransiri et mensurari; similiter et vox invisibilis *negative* sibi repugnat *videri*.

Aut dicitur *infinitum secundo* modo *habens pertransitionem imperfectam*, quod, scilicet, nondum est *pertransitum*, licet sit *inceptum* pertransiri: puta, si aliqua *via*, quae incoepta est perambulari, dicatur *infinita* vel *non terminata*, pro eo quia nondum est pertransita perfecte.

Aut dicitur *infinitum tertio* modo *quod vix* pertransitur: puta si altitudo coeli, aut profunditas maris, vel aliqua via longa dicatur *impertransibilis* vel *infinita*, pro eo quod transcendit facultatem transeuntis vel mensurantis, licet sit transibilis quantum est *de se*.

Aut dicitur *infinitum quarto* modo *quod natum est habere pertransitionem* tantum quantum est ex suo genere, et talem *non habet*. Et tale est infinitum *privative*, quia licet aptum sit determinari et finiri, tamen, stante hypothesi, non habet *talem finem*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 2. n. 79.

* *Quae omnia dicta intelligantur non de infinito in re, sed de acceptione huius*

verbi infinitum *. — Haec dictio *infinitum* accipitur dupliciter: *uno* modo *categorematice;* et sic est terminus *privativus* oppositus huic termino *finitum.* Modo de ratione *privativi* est significare illud idem *negative,* quod suum *positivum* significat *affirmative, connotando* cum hoc *aptitudinem* ad suum positivum. Et sic illud, de quo dicitur iste terminus *infinitum,* est extensum *sine termino,* vel *carens terminis, aptum* natum tamen esse *terminatum.* — Verum est tamen, quod licet de ratione *privativi* sit taliter significare, tamen non utimur isto termino *infinitum categorematice* sumpto, nisi quod significet idem quod ista oratio: *carens termino.*

Alio modo sumitur *syncategorematice;* et tunc quidam sic exponunt: non tantum *quin maius;* igitur *infinitum.* Sed ista expositio non valet; quia tunc sequeretur quod *chimaera* esset *infinita;* quia chimaera non est tanta, *quin maior;* igitur est *infinita.* Et ideo exponitur sic: *infinitum,* id est, quodlibet quanto maius, et *infinita,* id est *quotlibet plura,* et *quibuslibet plura.* — *Physic.* VI. q. 2. n. 5.

Infortunium — Vid. *Fortuna bona* — *mala.*

Ingenitum. — *Ingenitum,* ut distinguitur formaliter ab essentia et relatione positiva ad productum, non dicit nisi negationem formaliter; quia, secundum August. *V. de Trinit.* c. 6: *Cum* Ingenitum *dicitur, non quid sit, sed quid non sit ostenditur;* et multae auctoritates ad hoc patent. — *Quodlib.*, q. 4. n. 7. — Vid. *Genitum* — *Ingenitum.*

Inhaerentia duplex. — *Inhaerentia* est *duplex:* — *Una* est *actualis unio* accidentis existentis cum subiecto existente, ut actus aliqualis cum potentiali. — *Alia* est *dependentia* sive essentialis ordo accidentis secundum quidditatem suam ad substantiam secundum quidditatem suam. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 1. n. 2.

Inhaerentia multiplex. — Vid. *Accidens.*

Inhaerere ut forma — ut accidens. — Differunt aliquid esse in aliquo *ut forma in materia,* et ut *accidens in subiecto.* Quoniam, secundum Commentatorem, super principium *II. de Anima text. com. 4, aequivoce* dicitur esse *forma* in subiecto et *accidens.* Subiectum enim *accidentis* est aliquid existens in actu, et non indiget, inquantum tale, in suo esse ipso accidenti. Subiectum autem *formae* non habet * naturaliter * esse in actu nisi per formam. — *De rer. princ.* q. 10. n. 27.

Inimicus — Iniustus. — *Inimicus* potest considerari *per se,* id est, inquantum inimicus, et *per accidens,* inquantum homo. — *Primo modo* inimicus non est tantum malus *privatione* boni, sed habitu *positivo* vitii: sicut *iniustus* dicitur non tantum *carens* habitu iustitiae, sed etiam habens habitum iniustitiae contrarium, causatum ex actibus iniustis, sicut habetur a Boetio, *super Praedicamentis,* cap. *de Qualitate.* Hoc modo cum amicitia respiciat bonum virtutis in amato, et hoc conveniens actui virtutis in amante, inimicitia respicit malum disconveniens bono, quod est in eo qui est inimicus. Inimicus ergo, inquantum talis, est malus et vitiosus. — *Oxon.* III. d. 30. n. 2. — Vid. *Amicitia* = *Peccatum* = *Iustitia* = *Iustitia actualis* — *habitualis.*

Iniustitia. — Vid. *Peccatum* — *Iustitia* etc. = *Iustitia actualis* — *habitualis.*

Innascibilitas. — *Innascibilitas uno modo* opponitur omni processioni ab alio; et sic est *notio* Patris ad dignitatem eius pertinens; et suum oppositum non est notio, nec dignitas, scilicet *esse ab alio* in communi. — *Alio modo* opponitur non omni processioni, sed processioni *tali,* ut processioni *per generationem,* solum habendo aliam processionem; et sic convenit Spiritui Sancto; et ideo sic non est *notio,* nec aliquid dignitatis, quia suum oppositum est *notio,* et dignitatis in Filio. — *Report.* I. d. 28. q. 4. n. 6. — Ratio *innascibilis* non dicit aliquam perfectionem *simpliciter.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 35.

Inquantum. — Ly *inquantum* potest dicere *praecisam rationem* subiecti, vel declarare *compositionem.* — *Report.* I. d. 5. q. 1. n. 3. — *Proprie* accipiendo *inquantum* notat illud, quod sequitur esse *rationem inhaerentiae* praedicati. — * Accipitur etiam * *specificando,* prout dicit rationem

illam secundum quam subiectum accipitur *in se.* — *Oxon.* III. d. 6. q. 2. nn. 3. et 4. — Haec reduplicatio *inquantum* dicit *causam essentialem,* per quam subiectum non potest intelligi sine praedicato: ut homo, *inquantum* homo, est *animal.* Propter quod dicitur in fine lib. *I Priorum,* cap. 40, quod reduplicatio debet fieri *ad subiectum,* non ad praedicatum, ut Grammatica, *inquantum* Grammatica, est *disciplina;* nam si feratur *ad praedicatum,* est falsa, ut: Grammatica est disciplina, *inquantum disciplina,* quia sensus est: *omnis* disciplina est *Grammatica.* — *De rer. princ.* q. 7. n. 16.

Ly *inquantum,* et quaelibet dictio reduplicativa, potest teneri *dupliciter:* scilicet, vel *reduplicative* vel *specificative.* — *Primo* modo sumitur, quando illud quod sequitur immediate reduplicationem notatur esse causa formalis et *praecisa* inhaerentiae praedicati ad subiectum. — *Secundo* modo sumitur quando illud quod sequitur reduplicationem immediate accipitur tantum secundum suam rationem formalem, *sine praecisione* causalitatis inhaerentiae praedicati ad subiectum.

Exemplum *primi: triangulus,* INQUANTUM *triangulus, habet tres;* nam hic ly *triangulus,* qui sequitur ly *inquantum,* est formalis ratio et *praecisa* inhaerentiae praedicati ad subiectum; nam forma specifica trianguli est formalis et praecisa ratio quod *habere tres* insit triangulo, quae est eius passio adaequata inhaerens sibi *per se primo.* — Exemplum *secundi: homo,* INQUANTUM *homo, est albus;* hic enim ly *homo,* qui sequitur ly *inquantum,* non est causa formalis inhaerentiae praedicati ad subiectum, alioquin omnis homo necessario esset *albus;* sed accipitur tantum secundum suam rationem formalem, *sine* illa *praecisione causalitatis,* ut sit sensus: *homo, inquantum homo,* id est, ILLUD QUOD EST HOMO, *est albus;* isto enim modo ly *inquantum* solum *specificat,* et non *reduplicat* subiectum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. IV S. 1. c. 1. n. 2. — Ista *inquantum:* vel *secundum quod,* vel *ut, dupliciter* accipiuntur: aliquando enim hae dictiones notant *rationem accipiendi* illud quod determinatur per ipsam; aliquando etiam non solum hoc, sed proprie important *causalitatem* respectu inhaerentiae praedicati. Exemplum: *motus est actus entis in potentia* SECUNDUM QUOD *in potentia;* ly *secundum quod* importat *rationem* secundum quam motus est actus *mobilis,* quia cum sint in mobili *duae* rationes, est enim in *actu,* et est in *potentia* ad aliud, *motus* est *actus* eius ut considerati *in potentia.* Nec tamen ibi hoc quod est *secundum quod est in potentia* notat *causam* inhaerentiae praedicati, quia quando sic accipitur, infert universalem, secundum Philos. *I. Priorum,* ut *iustitia* est bonum *secundum quod* bonum, sequitur, secundum ipsum, ergo iustitia est *omne bonum;* et planius a parte subiecti; ut si homo *secundum quod* rationale *intelligit,* sequitur, quod *omne rationale* intelligit. Hoc modo etiam quando idem ponitur determinatio suipsius mediante hac dictione *inquantum.*

In primo ergo sensu consideratur *praecisa ratio ipsius quod* determinatur; in alio sensu notatur, quod relatio reduplicati sit *ratio inhaerentiae* praedicati cum subiecto. — Primo modo dicimus, quod homo, consideratus *inquantum* homo, est *praecisissime* consideratus; secundo modo, homo, *secundum quod* homo, est *rationalis;* quia quod consequitur reduplicationem est *ratio inhaerentiae* praedicati; et etiam concedi potest, quod homo *secundum quod* homo est *risibilis;* et est ibi causa inhaerentiae in *secundo modo dicendi per se.* — *Quodlib.* q. 3. nn. 7-8.

Ly *inquantum* potest solummodo denotare illud quod sequitur *accipi* secundum suam rationem formalem; vel ultra hoc, etiam denotare potest illud *esse* formalem rationem inhaerentiae praedicati ad subiectum. — *Secundo* modo sumitur reduplicatio *propriissime,* quia reduplicatum, sive sumatur pro *toto seipso* primo, sive pro aliquo quod *includitur in intellectu eius,* accipiendo reduplicationem *formaliter,* semper illud pro quo accipitur notatur *esse formalis ratio* inhaerentiae praedicati ad subiectum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 13. — Vid. *Solus* — *Inquantum* = *Reduplicatio.*

Instans. — *Instans*, secundum nominis rationem, potest dici quasi *non stans*, vel quasi *instans*, id est, *appropinquans*. Has autem duas rationes, scilicet instans, id est, *non stantis*, sed transeuntis; et instans, id est, *appropinquantis*, invenimus in aliquo quod est in motu. — *De rer. princ.* q. 23. n. 1.

Instans, quocumque modo accipiatur, non est aliquid positive aliud a tempore; quia * vel * accipitur pro *privatione anterioris*, vel *ulterioris continuationis;* et sic non dicit positivum: vel accipitur pro *minima parte temporis;* et sic non dicit aliud a tempore. — *Ib.* q. 21. n. 10.

Instans quadrupliciter sumitur. — Ex his quae videmus in motu, dicunt aliqui quod *quatuor* modis accipitur *instans*. — *Uno* modo ut est *actu* initium temporis, vel actu finis eius, secundum quod mensurat motum habentem initium et finem.

Est etiam aliud *instans* in *potentia*, non actu; quod quidem signabile est per imaginationem vel intellectum in quacumque parte temporis. Tale autem instans non potest poni in tempore realiter, aut in esse continuo.

Est aliud *instans* non reale, sed *imaginatum* vel intellectum; quod non imaginatur vel intelligitur solum in potentia, imo imaginatio accipit ipsum *actu*.

Est quartum genus *instantis*, de quo dicitur, quod est *idem in essentia* in toto tempore, *diversum* tamen *secundum esse*. — *De rer. princip.* q. 23. nn. 2-4.

Instrumentum. — *Instrumentum* non potest sumi nisi *dupliciter:* vel pro eo quod tantum movet *quia movetur a principali agente*, et est tantum *movens motum*. Instrumentum autem aliquando potest attingere ad principalem effectum principalis agentis, quia potest *immediate disponere* ad ipsum; sicut enim artifex, ut *faberlignarius*, potest per *securim*, ut per instrumentum, quandoque disponere ad formam principalem quam intendit, ut formam *arcae* vel *domus*, ita etiam per instrumentum potest immediate inducere formam principalem quam intendit. Patet de illo qui immediate per instrumentum *sigilli* inducit formam et impressionem eius in cera, quam principaliter intendit. Similiter instrumentum *monetarii* est per quod *primo* et *immediate* inducitur et imprimitur *imago regis* in moneta, quod principaliter intendit tale agens. Tale ergo instrumentum, ut praecise motum a principali agente, attingit immediate effectum principalis agentis.

Alio modo dicitur *instrumentum* vel agens *instrumentale* improprie, quod est agens *praevium actioni alterius agentis superioris;* non quia aliquo modo dependeat ab eo in agendo, sicut ab instrumento, sed sicut ab aliquo *necessario praevio* ad ipsum. Et isto modo forma *accidentalis* * ex. gr. * *instrumentaliter* dicitur agere ad inductionem formae *substantialis:* non quia sit instrumentum substantiae respectu talis formae, sed quia tale accidens, ut qualitas, est principium actionis cuiusdam praeviae actioni formae substantialis. Actio tamen illa praevia actioni substantiae posset pro tanto dici actio *instrumentalis*, quia praevia, et nullo modo, quia attingit formam substantialem.

Ex quo patet, quod quando cum actione principalis agentis concurrit actio alterius agentis ad eumdem effectum, quod non agit praecise inquantum movetur, et est agens *instrumentale*, sed ut agens secundarium; sicut *causa secunda* agens ad eumdem effectum, ad quem agit agens principale, sicut ignis cum Deo requiritur ad productionem ignis; et in tali agente requiritur *forma propria*, per quam attingit effectum immediate, si sit agens *naturale;* vel *intentio*, si sit agens *a proposito*. — *Report.* IV. d. 6. q. 6. n. 6. — *Ib.* d. 19. n. 25. — *Ib.* d. 13. q. 1. n. 25. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. nn. 19 et 26. — d. 6. q. 5. n. 6.

Sciendum, quod *instrumentum* communissime acceptum extenditur quandoque ad *causam secundam;* proprie autem * accipitur * ut distinguitur contra *causam secundam;* quandoque vero accipitur pro eo quod est *pars per quam totum agit;* et sic loquitur Philosophus vocans, *II. de Anima*, organa sensuum et aliarum potentiarum *instrumenta* sive *partes* per quas totum operatur tales operationes. — *Alio* modo *in-*

strumentum dicitur causa activa ad *dispositionem praeviam*. — *Tertio* modo dicitur *instrumentum* sicut *instrumentum in arte*, et ab isto primo tractum est hoc vocabulum. — *Oxon*. IV. d. 1. q. 5. n. 14. — Vid. *Causa secunda — Instrumentum = Agere principaliter est dupliciter*, etc.

Intellectio. — Vid. *Elicere*.

Intellectio abstractiva — intuitiva. — *Duplex* est *intellectio*: — *Una* scientifica, quae est *abstractiva*. — *Alia* est cognitio *intuitiva* seu *visiva*, quae est *rei in se*.

Nam quod est perfectionis in inferiori, amota imperfectione, potest competere superiori perfectius, vel modo eminentiori: sed *in sensu* percipimus *duplicem* cognitionem: unam *intuitivam*, ut *visionem exteriorem*; aliam *abstractivam*, quae est in imagine *suo modo*. Sic *in intellectu* cognitionem *abstractivam* experimur in nobis: et alia est *intuitiva*, secundum quam videbimus *facie ad faciem*, *I Corinth*. 13. (1) sicut *nunc videmus in aenigmate*. — *Report*. II. d. 3. q. 3. n. 10.

* Vel aliis verbis *: *Intellectio* est *duplex*: *una* quidditativa, quae *abstrahit* ab existentia: *alia* quae dicitur *visio*, quae est existentis *ut existens*. — Prima, licet sit *communiter* respectu *universalis*, potest *primo* respectu *singularis*, et quando est esse singularis, est eius primo: non enim *singulare ex se* determinatur ad existentiam, quia *abstrahit*, sicut et *universale*. — Intellectio secunda est simul *totius*, id est, *singularis inquantum existens*. — *QQ. Metaph*. lib. VII. q. 15. n. 4.

Et quidem, intellectio *intuitiva* est cognitio rei ut in se est praesens: *abstractiva* potest esse eius secundum quod relucet in aliqua similitudine, quae potest esse existentis, et etiam non existentis, sive praesentis, sive non. — *Oxon*. IV. d. 10. q. 8. n. 5. — Vid. *Cognitio abstractiva — intuitiva*.

Intellectio duplex. — Aliqua potest esse intellectio *non existentis*; aliqua etiam potest esse obiecti *existentis* ut existentis, quia talem habebit Beatus de obiecto beatifico, de quo dicitur habere claram visionem sive *facialem*, propter hoc, quod actus eius cognoscendi tendit in illud ut in se praesens in propria existentia actuali. — *Quodlib*. q. 13. n. 8. — Vid. *Cognitio abstractiva — intuitiva*.

Intellectio realis. — Illa dicitur esse *realis intellectio* quae causatur immediate a *re*, vel a specie repraesentante *rem in se*. — *Oxon*. I. d. 3. q. 7. n. 11.

Intellectionis distinctio formalis — causalis. — Intellectio ab *alia intellectione* distinguitur per obiectum; ab *obiecto* vero et *potentia* distinguitur per seipsam *formaliter*; quod autem ab eis distinguitur *causaliter* habet a causis extrinsecis, ut a potentia et ab obiecto. — *Oxon*. II. d. 3. q. 8. n. 17.

Intellectio tripliciter immaterialis. — Quod *intellectio* est operatio *immaterialis*, potest intelligi *tripliciter*: *Uno* modo per oppositum ad operationes *sensitivas*, quae dicuntur *organicae*, quia exercentur per organa determinata; et sic * dicuntur * *materiales*, quia requirunt determinatam corporis partem determinate complexionatam; et per oppositum intellectio est operatio *non organica*, non enim per aliquam partem corporis determinatam exercetur; et hoc modo intellectus dicitur esse nullius partis corporis actus, intelligendo sic ut in nulla parte vel per nullam partem proprie exerceat *operationem* suam, sicut potentiae sensitivae. — *Alio* modo potest intelligi, quod intellectio est immaterialis *terminative*, hoc est, tendit in obiectum *abstractum a materia*. — *Tertius* intellectus est iste: intellectio non est primi alicuius *materialis* tamquam proximi receptivi; sed eius receptivum proximum et proprium est forma, non illa totius, quae est quidditas, sicut est humanitas, sed illa quae est simplex, et altera pars compositi, * scilic. *anima*. * — *Quodlib*. q. 9. nn. 8-10.

Intellectio volitioque absoluta — comparativa. — Est duplex *intellectio*, scilicet, *absoluta*, et *comparativa*. Et *absoluta* quidem non est nisi alicuius obiecti simplicis contenti sub obiecto intellectus; et *comparativa* sive collativa potest esse ad quodcumque; et hoc sive ista comparatio sit possibilis, sive impossibilis; non enim intellectus tan-

---

(1) Vers. 12.

tum componit propositiones possibiles, sed impossibiles. — Ita etiam aliqua *volitio* est *absoluta*, et illa non est nisi alicuius obiecti simplicis contenti sub primo obiecto volibili. Aliqua est *comparativa*, et ista potest comparare quodcumque volibile simplex ad quodcumque, licet in illa comparatione includatur contradictio. — *Oxon.* II. d. 6. q. 1. n. 5.

Intellectualitas humana — angelica. — Intellectualitas *Angeli, inquantum intellectualitas*, non differt ab intellectualitate *animae* * humanae * *inquantum intellectualitas*, hoc est, quod licet iste actus *primus* et ille differant specie, ut considerantur absolute in se, non tamen secundum illam perfectionem quam virtualiter continent, secundum quam sunt principia actuum *secundorum*. Quod videtur per hoc, quod sunt circa obiecta eiusdem rationis, et ad obiecta eiusdem rationis. — *Oxon.* II. d. 1. q. 5. n. 5.

Intellectus. — Vid. *Elicere* = *Habitus intellectuales quinque* = *Imago SS. Trinitatis in anima humana* = *Natura* — *Principium* — *Causa* = *Potentia irrationalis* — *rationalis* = *Potentia naturalis* — *libera*.

Intellectus actus duplex. — *Duplex* est *actus intellectus* respectu obiectorum quae non sunt praesentia in se, qualia sunt illa quae modo naturaliter intelligimus. — *Primus* actus est species qua obiectum est praesens ut obiectum *actu* intelligibile. — *Secundus* actus est ipsa intellectio actualis. — Et ad utrumque agit intellectus, non motus ab eo quod est causa partialis, secum concurrens ad illam actionem, licet unum actum intellectus praecedat motio eius ad alium actum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 8. n. 3.

Intellectus ad intelligere triplex habitudo. — *Intellectus* comparatus ad suum actum, quod est *intelligere*, potest *tripliciter* se habere: — *Uno* modo, quod non habeat ipsum intelligere in *actu*, sed solum in *potentia* et in *habitu*, ut *dormiens*. — *Alio* modo, quod habeat ipsum intelligere, et sit intelligens *actu*, sic tamen quod *non sit suum intelligere*, sed aliud realiter. — *Alio* modo, quod intellectus sic intelligat in actu, quod tamen *sit idem realiter quod suum intelligere*.

Philosophus probat, quod intellectus Primi * (Dei) * non potest se habere ad intelligere *primo* modo; quia si sic, haberet se ut *dormiens*, et non esset quid *insigne* et *venerabile*. Nec *secundo* modo; quia si sic, esset substantia *perfectibilis* ab alio a se, et per consequens non esset *optima* substantia. Ideo oportet dare *tertium*, scilicet quod intellectus Primi *sit realiter et essentialiter suum intelligere*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 2. c. 6. n. 70. — Cf. *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 23. seqq. — *De Primo Princ.* c. 4. n. 12.

Intellectus ad tria comparatur. — Intellectus comparatur ad suam *naturam*, et ad suam propriam *operationem*, cuius est principium elicitivum et productivum aliquo modo, et comparatur ad operationes *aliarum potentiarum*, respectu quarum est potentia directiva et regulativa. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 33.

Intellectus agens — possibilis. — Est in parte intellectiva *duplex* differentia intellectus: *agens* et *possibilis*. — *Agens* intellectus speciem, quae *determinata* erat in phantasia vel in imaginatione, habet *denudare*, et *abstrahere* a conditionibus materialibus et individuantibus; quae species, dum sic est accepta et denudata, habet rationem *universalis in repraesentando*.

Tali autem specie sic abstracta, repraesentata intellectui *possibili*, apprehendit primo et per se et directe universale. Et sic cognitio *universalis* fit secundum modum cuiusdam lineae rectae, cuius principium *a quo* est ipsum *singulare* ut cognitum in phantasmate: *punctus finalis* est *universale* ut cognitum in ratione universali abstracta. Sicut autem linea recta si reflectatur a puncto ad punctum, et finis principio coniungatur, finis et principium sunt *idem re*, *differentia* solum *ratione*, in ratione scilicet *finis* et *principii*, sic intellectus *possibilis* universale reflectens, quod aspiciebat in ratione *abstracta*, ad singulare, quod repraesentatur in specie *determinata*, seu in phantasmate, dicit et cognoscit, quod *idem re* est universale et particulare, *diffe-*

rens sola ratione, ut, scilicet, secundum quod concipitur sub determinatis conditionibus habet rationem *singularis*, vel ut concipitur absque illis habet rationem *universalis*. Nec talis consideratio est falsa, quia non est abstractio vel determinatio realis, sed secundum considerationem solum (1). — *De rer. princ.* q. 13. n. 29.

Intellectus *agens* est nobilissimus in animo. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 17. — * Et * est potentia mere *activa*, secundum Philosophos, quia est illud quo est omnia *facere*, sicut *possibilis* est quo est omnia *fieri*; quia intellectus agentis est facere de non universali universale, vel de intellecto in potentia intellectum in actu. — *Ib.* q. 6. n. 8. — *Quodlib.* q. 15. n. 13. — Secundum Commentatorem, intellectus agens ponitur, ut per ipsum transferatur obiectum de ordine in ordinem; quod sic intelligi potest: de ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium, et per consequens de ordine corporalium ad ordinem spiritualium. — *Quodlib.* ib. n. 14.

Non videtur mihi, quod *agens* et *possibilis* distinguantur ut *duae potentiae*, cum *unus* sit actus intelligendi, *una* * sit * ratio formalis obiecti; sed *una* et *eadem potentia*, quae necessario differt ab *actu* intelligendi. Dicitur *possibilis* et *passiva*, non passione *obiectiva*, sed *subiectiva*, inquantum est passibilis ad determinationem et conservationem actus, receptionem speciei, vel habitus informationem; illa eadem inquantum habet vim per quam iudicat, comparat, et inquirit, considerat, et similia exercet opera, dicitur *agens*. Et si vis in his facere distinctionem, potius debent dici *duae vires* vel virtutes *unius potentiae*. — *De rer. princ.* q. 14. n. 17.

* Ideo * alii dicunt, et probabiliter, quod intellectus *agens* et *possibilis* non differunt *re*, sed *ratione* vel *officiis*; quia intellectus ut *eliciens* actum intelligendi dicitur *agens*; ut *recipiens* autem dicitur *possibilis*. Dicuntur autem *duae potentiae* a Philosopho, sicut *scientificum* et *ratiocinativum* dicuntur duae potentiae *diversae genere*, quae tamen sunt *idem re*, ut dicunt, sed *differunt ratione*, secundum quod eadem potentia considerat *necessaria* et *contingentia*. — *De Anima* q. 13. n. 4.

Cum dicitur * quod * intellectus *agens* et *possibilis* non distinguuntur nisi per comparationem ad phantasmata, falsum est, immo distinguuntur inter se *formaliter*, vel etiam *extrinsece* per comparationem ad obiecta, vel ad illa in quibus obiecta relucent. — *Oxon.* II. d. 3. q. 11. n. 5.

Hoc tenendum videtur, quod illam distinctionem Augustini, *X. de. Trinit. c. 11*, *memoria*, *intelligentia* et *voluntas*, comparando ad illam Aristotelis, in intellectum *agentem* et *possibilem*, sic sibi invicem correspondent, quod solus *possibilis* est *intelligentia*, quia solus recipit actum intelligendi; et sic etiam communiter Aristoteles loquitur de intellectu, ut est quo *intelligimus*, sive quo recipimus intellectionem. Etiam *possibilis* pertinet ad *memoriam*, inquantum memoriae est recipere notitiam habitualem, secundum illud *XV. de Trin. 10: Scientia, quam memoria tenemus;* et sic loquitur Aristoteles de intellectu *possibili*, ut est quo *scimus*, sive ut est quo habemus scientiam. — *Quodlib.* q. 15. n. 20. — Vid. plura de intellectu *agente* et *possibili* in *Quodlib* q. 15. — *Oxon.* I. d. 3. qq. 6, 7, 8. — *Ib.* d. 27. q. 1. — *Ib.* IV. d. 45. per tot. — *Report.* iisdem in loc. — *De Anima* qq. 12. et seqq. — *De rer. princ.* qq. 13, 14, 15. — *Collat.* 7. et seqq. Alibi passim.

Intellectus assensus duplex. — Vid. *Voluntatis assensus duplex.*

Intellectus conversio ad phantasmata duplex. — *Duplex* est *conversio intellectus ad phantasmata:* nam *uno* modo conversio ista intellectus ad phantasmata est *conformis operatio istarum potentiarum*, scilicet, intellectus et phantasticae virtutis, circa idem obiectum: *alio* modo conversio ista est *passivi ad activum.*

Prima igitur conversio est *earum conformis operatio;* quomodocumque enim universale intelligimus per intellectum, simul *phantasïamur* singulare illius universalis; unde nihil intelligitur, nisi dum eius singulare a nobis phantasiatur. Propter quod

(1) Vid. Effata — *Abstrahentium non est mendacium.*

aliqui, non distinguentes, credunt se *intelligere* cum *phantasiantur*. Et propter istam conformitatem in operando, impedita una potentia in operatione sua, impeditur et alia. Propter ordinem enim istarum potentiarum, facta laesione in organo imaginativo, impeditur intellectus ab operatione intelligendi, sicut est de sensu *communi* et de sensibus *inferioribus*.

Et non solum est ista conversio intellectus ad phantasmata, sed aliter * etiam fit conversio *, quia non fit abstractio speciei intelligibilis a specie in phantasmate, nisi phantasia phantasiante, quia intellectus agens non abstrahit speciem a phantasmate, nisi phantasia existente in actu suo. Ideo intellectus convertitur ad phantasma, non sicut ad obiectum, nec sicut ad aliquid repraesentativum sui obiecti, sed convertitur ad illud sicut *passivum* ad *activum*, a quo recipit suam perfectionem. Si enim intellectus de novo recipit speciem per abstractionem a phantasmate, tunc convertitur ad phantasma, sicut *passivum* ad *activum*; si vero intellectus habet speciem, tunc phantasma *coagit* ad intensionem eius; et tunc intellectus convertit se in intelligendo ad phantasma, non sicut ad activum suae speciei de novo, sed sicut ad *intendens* suam speciem.

Hoc autem possumus experiri in nobis; nam voluntate essentialiter copulante intellectum suum cum specie, aut sensum cum obiecto, quanto magis phantasiamur singulare alicuius universalis, dummodo virtus phantastica non fatigetur, tanto clarius speculamur quidditatem illius universalis. Et quanto virtus phantastica, eo quod organica, magis fatigatur in phantasiando, tanto intellectus imperfectius intelligit.

Sic igitur *duobus* modis intellectus convertitur ad phantasmata: — *Uno* modo sicut ad illud *cui conformiter operatur; — alio* modo sicut *passivum convertitur ad activum*; et hoc quando non habet speciem, vel si habet speciem, tunc convertitur ad ipsum sicut ad illud a quo recipit intensionem suae speciei. Non solum enim frigidum, quod patitur a calido, convertitur ad calidum, sed etiam minus calidum convertitur ad magis calidum a quo intenditur. — *Report.* I. d. 3. q. 5. nn. 12-13. — *Oxon.* ib. q. 6. n. 28; * *ubi expresse asserit, non intellectum* simpliciter *se haberi ut passivum relate ad phantasmata, sed intellectum* possibilem *antequam habeat speciem, necessario oportere converti ad phantasmata, sicut proprium passivum convertitur ad suum proprium activum, a quo simul et ab intellectu agente recipit speciem intelligibilem* *.

Intellectus excaecatio a malitia fit dupliciter. — Si quaeritur: quomodo *malitia excaecat intellectum?* Potest dici, quod excaecat *dupliciter:* uno modo *privative;* alio modo *positive.*

Privative, quia *avertit* a consideratione recta; voluntas enim eligens oppositum alicuius recte dictati, non permittit intellectum diu stare in illo recto dictamine, sed avertit ipsum ab illo, et convertit ad considerandum rationes pro opposito, si quae possint esse sophisticae vel probabiles; saltem avertit ad considerandum aliud, ne stet illa actualis displicentia, quae stat in remorsu illo, qui habetur in eligendo oppositum dictati.

Positive autem excaecat sic: nam sicut voluntas recte eligens finem, praecipit intellectui considerare illa quae sunt necessaria ad illum finem, et intellectus, sic inquirendo media ordinata ad illum finem rectum, generat in se habitum prudentiae; ita voluntas eligens sibi malum finem (potest enim sic sibi praestituere malum finem, sicut dictum est. *dist. 1. primi*) praecipit intellectui considerare media necessaria ad consequendum illum finem. De quo bene dicit Augustinus, *De Civit. Dei: quod voluntas habet suas virtutes,* sicut ibi pertractat; hoc est, voluntas praestituens sibi malum finem, praecipit intellectui invenire media necessaria ad delectabilia prosequenda, et tristia opposita fugienda.

Et sicut ex imperio voluntatis bene eligentis generatur in intellectu bene dictante, circa media ad illum finem bene electum perquirendum, habitus qui est *prudentia,* ita in voluntate male eligente, habitus acquisitus ex dictamine circa ea quae ordinantur

ad malum finem electum, est *error*, et habitus directe oppositus habitui prudentiae; et potest vocari *imprudentia* vel *stultitia:* non tantum *privative*, sed *positive* et *contrarie;* quia sicut *prudens* habet habitum quo recte eligit ordinata ad finem debitum, ita *imprudens* vel stultus habet habitum quo prompte eligit ordinata ad finem praestitutum a voluntate mala; et talis habitus generatur ex imperio voluntatis male eligentis.

Pro tanto igitur verum est, quod voluntas mala *excaecat*, non quidem faciendo errare circa aliqua complexa, sed faciendo intellectum habere habitum considerandi aliqua media ordinata ad malum finem; et totus ille habitus est error in agibilibus, licet non sit error deceptivus quantum ad considerationem sive *speculationem*. — *Oxon.* III. d. 36. n. 14.

Intellectus indeterminatio. — Indeterminatio intellectus non est indeterminatio *potentialitatis* passivae in ordine causalitatis, sed est indeterminatio *actualitatis* quasi illimitatae (1); et ideo non determinatur per formam, quae sibi sit ratio determinate agendi, sed tantummodo per praesentiam obiecti, circa quod determinatum nata est esse determinata intellectio. — Vel aliter posset dici, quod sicut causa superior determinatur ad agendum concurrente aliqua particulari causa inferiori, non autem per aliquam formam in se receptam, ita intellectus, qui est causa superior et causa illimitata (2), determinatur ad *hoc* obiectum concurrente causa particulari determinata, puta ad agendum circa *hoc* obiectum concurrente *hac* specie. Non enim istud determinans determinat *effective* causam indeterminatam superiorem, neque *formaliter* sicut ratio agendi, sed sic determinat, hoc est virtus activa superior determinata potest in determinatum effectum, tali virtute inferiori determinata concurrente. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 39.

(1) Vid. *Indeterminatio insufficientiae — illimitationis.*

(2) « Intellectus habet virtutem quasi illimitatam et indeterminatam respectu omnium intellectionum ». — *Oxon.* I. d. 3. q. 8. n. 2.

Intellectus multipliciter consideratur. — Distinguo de *intellectu;* et potest *dupliciter* considerari: vel *secundum se*, vel *ut est coniunctus corpori pro statu isto*, in quo nihil intelligit nisi per species sensibiles et sensus corporales, qui multum aggravant ipsum ad cognoscendum ista quae sunt pura et separata ab istis sensibilibus. — *Report.* IV. d. 10. q. 9. n. 4. — *Oxon.* ib. q. 8. n. 5.

Intellectus potest accipi secundum quod *est quaedam potentia operativa*, vel secundum quod *intellectus et voluntas sunt principium concurrentia* respectu practicabilium, quae extrinsecus producuntur per intellectum et voluntatem. — *Primo* modo parum loquitur Philosophus de intellectu; sed *secundo* modo multum frequenter, fere *per totum librum Ethicorum et IX. Metaph. et III. de Anima, et II. Physic., De potentia rationali;* et isto modo agens *per intellectum* distinguitur contra agens *per naturam* (1). — *Report.* II. d. 25. n. 20.

Intellectus aliquando nominat *substantiam animae intellectivae;* et isto modo non excludit vegetativum et sensitivum, quae secum faciunt unam substantiam. — *Alio* modo nominat *solum potentiam intellectivam*, vel ipsam intellectivam, excludendo vegetativam et sensitivam. — *De rer. prin.* q. 10. n. 26.

Intellectus mutabilitas duplex. — In anima * quoad potentiam intellectivam * potest intelligi *duplex mutabilitas:* — Una *ab affirmatione in negationem, et e converso:* puta, ab ignorantia ad scientiam, vel a non intellectione ad intellectionem. — Alia *quasi a contrario in contrarium:* puta, a rectitudine ad deceptionem, et e converso.

Anima autem quoad quaecumque obiecta est mutabilis *prima* mutabilitate, et per nihil formaliter in ea existens tollitur ab ea talis mutabilitas; sed non est mutabilis *se-*

(1) « Intellectus potest accipi: vel *per se*, secundum quod est quaedam *potentia operativa* tali operatione *distincta contra operationem voluntatis;* et sic quantum est de se naturaliter agit; vel secundum quod est potentia *practica* respectu agibilis extra; et sic pro eodem Philosophus habet *artem, intellectum, propositum, electionem* et *appetitum* ». — *Oxon.* ib. n. 22.

cunda mutabilitate, nisi circa illa complexa quae non habent evidentiam ex terminis. Circa illa vero quae sunt ex terminis evidentia mutari non potest *secunda* mutabilitate; quia ipsi termini apprehensi sunt causa necessaria conformitatis compositionis ad ipsos terminos.

Igitur si anima est mutabilis a rectitudine in errorem absolute, non sequitur, quod per nihil aliud a se potest rectificari, quia saltem rectificari potest circa illa obiecta, circa quae non potest intellectus errare, apprehensis terminis. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 14.

Intellectus obiectum adaequatum. — * Ad hoc quod aliquid sit obiectum *adaequatum* intellectus nostri, praeter alia * requiritur quod actus intellectivae potentiae feratur *immediate* in illud obiectum, et quod in illo obiecto resplendeant omnia quae secundo * (secundarie) * possunt terminare illam intellectionem. — *Collat.* XIX. n. 5. — Illud est primum * *(adaequatum)* * obiectum intellectus, in cuius ratione et *virtute omnia alia movent.* — *Ib.* n. 8. — Nihil est obiectum adaequatum intellectus, nisi in quo salvatur ratio omnis illius ad quod potest se extendere. — *Oxon.* II. d. 3. q. 11. n. 4. — Vid. *Obiectum primum — adaequatum.*

Intellectus operatio triplex. — Sicut dicit Philosophus, *III. de Anima, text. com. 21, duplex* est *operatio intellectus:* — *Una* quae dicitur *indivisibilium intelligentia,* secundum quam dicitur intellectus formare conceptus simplices. — *Alia* est operatio intellectus secundum quam *componit* et *dividit,* et dicitur *compositio* vel *divisio.* — Istis duobus operationibus additur *tertia,* quae est *discurrere ab uno in aliud,* ut a notis ad ignota. — *Opus II. super. libros Periherm.* in Prologo. — *Poster.* I. q. 46. n. 3. — *Quodlib.* q. 14. n. 3. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VI. S. 2. c. 2. n. 32.

Sicut *secunda* operatio intellectus, quae est *compositio* et *divisio,* supponit *primam,* quae est *indivisibilium intelligentia,* ita *tertia* operatio praesupponit secundam. — *Super praedic.* q. 38. n. 11. — Primo enim movetur sensus ab aliquo simplici, non complexo; et a sensu moto movetur intellectus, et *intelligit simplicia,* quod est primus actus intellectus. Deinde post apprehensionem simplicium, sequitur alius actus, qui est *componere* simplicia ad invicem. Post illam autem compositionem, habet intellectus ex lumine naturali, quod assentiat illi veritati complexorum, si illud complexum sit principium primum. — *QQ. Metaph.* lib II. q. 1. n. 2.

In intellectu *simplici* sunt *gradus* secundum *maiorem* simplicitatem, et *minorem;* magis enim simpliciter intelligitur *animal* quam *rationale,* et hoc simplicius quam *animal album;* et tamen omnia illa intellectu simplici intelligi possunt, licet secundum maiorem et minorem simplicitatem. — *Poster.* I. q. 20. n. 5.

Intellectus potentia activa — passiva. — Intellectus noster respectu genitae notitiae habet potentiam *receptivam;* et ista potentialitas est imperfectionis, quia est potentialitas *passiva.* — Habet etiam intellectus noster rationem principii *productivi* respectu notitiae genitae; et hoc est ex perfectione eius, quatenus actus primus virtualiter continet illum actum secundum.

Primum istorum, scilicet *recipere* intellectionem, patet, quia convenit intellectui *possibili.* De secundo non est ita certum, an conveniat possibili vel *agenti.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 4.

Intellectus potentia naturalis — voluntas libera. — *Intellectus* et *voluntas* possunt comparari ad actus *proprios* quos eliciunt, vel ad actus *aliarum potentiarum* inferiorum, in quibus quamdam causalitatem habent, intellectus *ostendendo* et *dirigendo,* voluntas *inclinando* et *imperando.*

Prima comparatio est *essentialior,* ut patet; et sic intellectus cadit sub *natura;* est enim ex se determinatus ad intelligendum, et non habet in potestate sua intelligere et non intelligere. — *Secunda* comparatio videtur quasi *accidentalis:* tum quia ad actus aliarum potentiarum non comparantur istae potentiae, nisi mediantibus actibus propriis, ut videtur, quia proprii priores sunt illis aliis: tum quia specialiter intellectus hoc modo non habet rationem potentiae activae proprie dictae. Et hoc modo videtur Aristoteles loqui, et ponere talem ordinem,

quod primo requiritur notitia aliqualis oppositorum. Sed ista ex se est insufficiens ad aliquid causandum extra; quia, ut arguit in 4. c., tunc faceret opposita; hoc non videtur sequi, nisi quia intellectus etiam cognoscens opposita, quantum ad illud causalitatis quod habet respectu eorum fiendorum extra, ex se determinatus est ad illud cuius est, et ita non solum non est rationalis respectu actus proprii, sed nec completive rationalis respectu actus extrinseci in quo dirigit, imo praecise sumptus etiam respectu extrinseci est irrationalis, solummodo autem secundum quid rationalis, inquantum praeexigitur ad actum potentiae rationalis. Sequitur voluntas determinans: non sic, quod ipsa potentia voluntatis ex se determinata sit ad unum, et per hoc aggregatum, et ex intellectu oppositorum et voluntate sit unius; sed quod voluntas, quae indeterminata est ad actum proprium, illum elicit, et per illum determinat intellectum quantum ad illam causalitatem quam habet respectu fiendi extra. Unde Aristoteles dicit: *hoc autem dico appetitum, aut prohaeresim,* id est, electionem; non dicit autem voluntatem, scilicet potentiam. — Itaque si *potentia rationalis* dicatur ab Aristotele *intellectus,* differentia dicta sic intelligenda est, secundum supra posita, sibi non convenit respectu actus proprii; nec inquantum per actum suum concurrit ad actum potentiae inferioris, praecise sumendo actum suum; sed utroque modo cadit sub *natura:* cadit autem sub alio membro, inquantum subest per actum suum actibus voluntatis. — Si autem intelligitur *rationalis,* id est, *cum ratione,* tunc voluntas est proprie rationalis, et ipsa est oppositorum, tam quoad actum proprium, quam quoad actus inferiorum, et non oppositorum *modo naturae,* sicut intellectus non potens se determinare ad alterum, sed *modo libero,* potens se determinare; et ideo est potentia, quia ipsa aliquid potest, nam potest se determinare. Intellectus autem non est potentia proprie respectu extrinsecorum, quia ipse, si est oppositorum, non potest se determinare, et nisi determinetur nihil, extra poterit. — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 15. n. 6. et 7.

Intellectus potest ostendere aliquod obiectum *primum voluntati,* et in isto primo obiecto ostendere potest aliquod *per se* obiectum, sed non *primum.* Et vocatur hic *obiectum primum* totum illud ad quod terminatur actus; et *obiectum per se* quod includitur per se unitive in obiecto terminante primo. — *Oxon.* d. 1. q. 2. n. 7.

Intellectus — sensus. — Magis ponitur a Philosophis, quod intellectus est potentia distincta a potentia *sensitiva* propter intellectionem *universalis,* et propter *compositionem* et *divisionem,* et propter *syllogizationem,* quam propter cognitionem singularis, si posset intelligere singulare (1). — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 5.

Intelligendi actus simpliciter simplex — simplex — multiplex. — Vid. *Conceptus simpliciter simplex,* etc.

Intelligere. — Per *intelligere* proprie acceptum intelligo actum cognoscendi transcendentem totum genus cognitionis sensitivae; quia *intellectio* proprie est cognitio transcendens omne genus sensationis. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 7.

Notandum est, quod ad intellectionem alicuius *tria* videntur concurrere, videlicet: *obiectum* cognoscibile, *intellectus* ipse, et *ratio* cognoscendi. — *Ib.* I. d. 35. n. 2. — Certum est * enim *, quod ad actualem intellectionem causandam concurrunt aliquid ipsius *animae* intellectivae, et obiectum aliquo modo praesens, scilicet vel in se, vel in aliquo repraesentante.

Sed quod istorum debet poni per se *activum* respectu intellectionis? Potest dici, quod utrumque concurrit in ratione principii activi respectu intellectionis, aliquid scilicet ipsius animae, et ipsum obiectum, vel aliquid ex parte obiecti. — *Quodlib.* q. 12. nn. 7-8. * *ubi hoc exponit et probat* *.

Dico * igitur *, quod intellectio *actualis* est aliquid in nobis non perpetuum, sed habens esse post non esse, sicut experimur.

(1) Uti pluribi tenet Doctor, maxime — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 16. — q. 8. n. 15. — q. 11. n. 9. — d. 9. q. 2. n. 35. — III. d. 14. q. 3. n. 9. — IV. d. 45. q. 3. n. 21. — *Quodlib.* q. 13. n. 8. seqq. — *Quaest. Metaph.* l. VII. q. 15. — *De Anima,* q. 22.

Istius autem oportet ponere aliquam causam activam, et aliquo modo in nobis. Apparet etiam, quod oportet concurrere *animam* et *obiectum* praesens, et hoc in specie intelligibili, quia alio modo non est praesens ut actu intelligibile, loquendo de sensibili obiecto et materiali. — Dico ergo tunc, quod istius intellectionis non est *totalis* causa activa obiectum, nec in se, nec in sua specie; nec tota causa intellectionis est anima intellectiva vel aliquid eius formaliter. — Si ergo nec *anima sola*, nec *obiectum solum* sit causa *totalis* intellectionis actualis, et ista sola videntur requiri ad intellectionem, sequitur, quod ista duo sunt una causa integra respectu notitiae genitae. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 20. seqq. * *ubi praedicta explicat et demonstrat.* * — Cf. *Quodlib.* q. 9. n. 12. — q. 13. n. 28.

* In actu intellectus * *tria* se habent secundum ordinem: — *primum* est *species intelligibilis*, secundum quam est in actu, sicut actus primus in sua propria natura; nam, sicut Commentator ait, *III. de Anima, text. cap. 2., sic se habet intellectus ad species intelligibiles, sicut omnis materia prima ad formas individuales quas recipit.* — *Secundum* est, quod *ratio rei* est *quod quid* erat esse rei quod obiicitur virtuti intellectivae, inquantum est actus, qui est species intelligibilis, secundum quem actum fertur virtus cognoscens in ipsum *quod quid est esse rei.* — *Tertium* est res *particulariter existens* sub conditionibus individuantibus. — *Op. II. super. libr. Periherm.* q. 1. n. 4. — Vid. — *Vivere et intelligere dupliciter accipiuntur.*

Intelligere — Velle — Dicere — Spirare. — *Intelligere* est propria operatio hominis. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 6. — Omne *intelligere* in nobis exprimitur per actum *dicendi*, et per omne *dicere* exprimitur aliquod *intelligere*, et per aliud *dicere* aliud *intelligere.* — *Quodlib.* q. 2. n. 8. — *Intelligere* et *velle* in nobis non sunt actiones vel passiones; *dicere* autem sive *intellectionem producere*, et *spirare* seu *amorem elicere* sunt actiones in nobis, et de genere *actionis*, vel quasi de genere *actionis.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 34.

Intelligi aliquid potest esse dupliciter. — Aliquid *dupliciter* potest *intelligi:* — *Uno* modo per modum *simplicis* et *incomplexi*, cum intelligitur *quod quid est rei.* — *Alio* modo per modum *compositi* et *complexi*, ut cum intelligitur aliqua enuntiatio. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 2. c. 6. n. 78. — Cf. *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 8.

Intelligibile primo — per se. — *Primo intellectum* est quod *adaequat actum intelligendi:* puta, quando videtur *quantum bipedale*, ut adaequat visionem, pars eius licet *per se* videatur, non tamen adaequat visionem. Sic quando species intelligitur ut adaequans intellectionem, illud est *primo intellectum:* non genus, nec differentia *primo* intelligitur, licet utrumque *per se* intelligatur. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 15. n. 4.

Intelligibilis ad intellectum duplex habitudo. — Obiectum intellectus ad intellectum *duplicem* habet *habitudinem:* — Unam *moti* ad *mobile, ex III. de Anima et XI. Metaph.*, ubi dicitur quod *intellectus movetur ab intelligibili.* — *Aliam* habet habitudinem ad ipsum generalem *ut terminat actum potentiae;* unde obiectum intelligibile terminat actum intelligendi, et hoc est commune huic obiecto et obiecto primo intellectus, et etiam aliarum potentiarum. — *Report.* I. d. 36. q. 2. n. 5.

Intelligibilium triplex ordo. — *Triplex* est *ordo intelligibilium:* — *Unus* est ordo *originis* vel secundum generationem. — *Alius* est ordo *perfectionis.* — *Tertius* est ordo *adaequationis*, vel causalitatis praecise. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 21.

Intelligi in se — in alio. — Intelligendum est, quod aliquid potest aliud intelligere *dupliciter:* aut *in ipso*, aut *in alio.* — Res dicitur intelligi in *se ipsa*, quando intelligitur per similitudinem vel speciem *propriam* sibi adaequatam: sic intelligimus *hominem* et *asinum.* — Res autem dicitur intelligi *in alio*, quando intelligitur per speciem *alterius*, sicut *pars* intelligi dicitur per speciem *totius.* — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 24. n. 2.

Intelligi per accidens — per se in universali — per se in particulari — distincte. — Aliquid intelligitur *per accidens*, sicut

intelligitur *homo* intelligendo *album* vel *visibile.* — Ulterius, aliquid intelligitur *per se,* sed *in universali,* ut intelligitur *homo* intelligendo *animal.* — Tertio, intelligitur aliquid *per se,* etiam *in particulari,* sed adhuc quodammodo *confuse,* sicut intelligo *hominem* antequam intelligam definitionem. — Et quotcumque gradus ponantur, licet *primus* gradus possit distingui per *absolutum* et *respectivum,* ultimus tamen gradus cognoscendi aliquod incomplexum cognitione scientifica est cognitio *definitiva,* quia ipsa est cognitio per se in particulari *distinctissima.* Saltem in hac cognitione *definitiva* habetur conceptus evidenter et virtualiter includens omnes veritates necessarias de tali obiecto. — *Quodlib.* q. 7. n. 7.

Intendere. — *Intendere* dicit *in aliud tendere.* Hoc potest accipi *generaliter,* sive ab alio habeat quod in illud tendat, sive a se movente se in illud. — Potest etiam tendere in aliquid sicut in *obiectum praesens,* vel ut in *terminum distantem* vel absentem.

Primo modo convenit omni potentiae respectu sui obiecti. — *Secundo* modo magis proprie sumitur pro illo quod *tendit* in aliud, et *non ducitur* in illud, sed *ducit se* in illud. Et hoc modo non potest esse alicuius potentiae *naturalis,* sed tantum *liberae;* quia, secundum Damasc. *cap. 23.*, *Appetitus non liber ducitur, et non ducit.* Et ita est de omni potentia naturali. Hoc ergo modo proprie accipiendo *intendere,* prout scilicet dicit *in aliud tendere ex se,* est principaliter potentiae *liberae.*

Sed cum *libere velle* sit totius liberi arbitrii, quod includit intellectum et voluntatem, secundum illam opinionem *III. dist. 25.*, huius totius potentiae erit *intendere,* et hoc si *propriissime* sumatur; et non erit alicuius potentiae respectu sui obiecti, sed respectu *finis.*

Et cum in omni volitione, secundum Anselmum, sit accipere *quid* et *cur, intendere* non respicit *quid,* sed *cur,* prout, scilicet, dicit tendentiam *in aliquid* ut distans, *per aliquid* tamquam per aliquod medium.

Erit igitur *intentio* actus liberi arbitrii ratione voluntatis, et erit actus eius respectu eius quod vult. Quod si et voliti et eius propter quod est volitum sit idem actus volendi, idem actus erit *usus* et *intentio;* si autem alius, *intentio* dicet *formaliter* actum istum, quo tendit voluntas in finem; et *materialiter* actum utendi, quo refert aliud in istum finem. — *Oxon.* II. d. 38. n. 2. — *Report.* ib.

Intendi a natura est dupliciter. — Aliquid *intenditur a natura dupliciter:* — Uno modo *primaria intentione;* et sic natura producens monstrum * ex. gr. * intendit ipsum producere rectum. — *Alio* modo *secundaria intentione,* ut quando impeditur natura a fine primario intento, agit meliori modo quo potest, et ideo natura agit de possibilibus quod melius est. — *Phys.* II. q. 14. n. 4.

Intentio actualis — habitualis — virtualis. — *Intentio* communiter dividitur per intentionem *actualem* et *habitualem,* tamquam per *sufficientia* dividentia (1).

Dico tamen, quod praeter intentionem *actualem* stricte sumptam, qua aliquid *actualiter intenditur,* et praeter *habitualem* proprie sumptam, qua *habens habitum potest intendere secundum illum,* ut *habens fidem* dicitur *habitualiter credere* quando dormit, est intentio media, quae dicitur intentio *virtualis,* quia *ex illa,* et *virtute eius,* sunt omnes actus alii, quos exercet agens ex intentione. Unde tunc dicitur aliquis habere intentionem *virtualem,* quando omnes actus eius quos exercet fuerint in eo *virtute alicuius intentionis actualis* prius habitae: ut sic agens a proposito dicatur habere intentionem *virtualem* respectu alicuius *finis,* quando *secundum eum agit* et *exercet omnes actus debitos illi fini:* ut si celebraturus Missam intendat a principio actualiter celebrare secundum ritum

(1) « Sed videtur, quod rationabiliter posset apponi tertium membrum, et potest dici *intentio virtualis.* Ille enim dicitur *actualiter intendere* qui habet *actum elicitum* respectu eius quod intendit; ille autem dicitur *habitualiter* intendere qui habet *habitum* inclinantem ipsum ad talem actum: sed aliquis est minus perfecte intendens quam *primo modo,* et perfectius quam *secundo modo;* ergo est medium inter ista duo membra ». — *Oxon.* IV. d. 6. q. 6. n. 2.

Ecclesiae Romanae, licet sit postea distractus aliqualiter, omnes tamen actus eius circa Missam celebrandam ordinantur ex prima intentione, quia *virtute eius* omnes alii actus circa Missam ordinantur et ab illa virtute processerunt.

Haec autem intentio est alia ab intentione *habituali*, et *actuali*. — Ab *habituali*, quia hoc sufficit ad peccatum mortale committendum, et opus meritorium faciendum; non sic intentio *habitualis*, quia cum intentione *habituali* respectu alicuius actus stat quod talis actus sit *fortuitus*, et *non humanus*: sicut aliquis habens intentionem *habitualem* de *sanitate procuranda*, potest sibi propter aliquam causam omnino sibi contingentem, ut propter *ludum*, currere; quem cursum, etsi a casu, sequitur sanitas, * quae * est fortuita, licet intentionem *habitualem* sanitatis procurandae habuit; quia cursor non propter sanitatem currebat, sed propter ludum, qui non fuit medium ad sanitatem. Similiter aliquis habens intentionem *habitualem* tantum ad dandam eleemosynam non meretur, quia tunc *dormiens* mereretur. Sed habens intentionem *virtualem* ad aliquid faciendum meritorie, *continue meretur virtute primae intentionis actualis habitae*, licet non semper *actualiter* intendat: ut si aliquis primo actualiter intendat ire ad sanctum Iacobum * de Compostella * propter devotionem quam habet ad sanctum Iacobum et propter peccata sua remittenda, et *actualiter* ponat se in via, et de eo *actualiter* cogitans in *principio viae*, non oportet eum in toto itinere semper actualiter cogitare de sancto Iacobo. Similiter habens *actualem* intentionem ad celebrandam Missam in principio, quo dicit: *Introibo*, etc., etsi circa Evangelium, vel verba consecrationis sit distractus, et non intendat actualiter de his quae dicit, dummodo perfecte dicat verba, non minus rite dicit Missam, nec * minus * meretur, sed forte quandoque magis propter phantasmata aliqua a quibus posset moveri. Deus enim non obligat hominem ad impossibile, nec ad illud quod non est in potestate eius: secundum * autem * Aug. *III. De lib. arbitr.*, *Non est in potestate nostra quin visis tangamur.*

Intentio autem *virtualis* habitualiter sufficit ad peccatum mortale committendum, licet non semper habeatur intentio actualis. Nam proponens vel intendens ire ad bellum aliquod * iniustum * ad aliquem * iniuste * occidendum, vel ad aliud huiusmodi facinus procurandum, si in medio viae incipiat furere, et occidat, nulla interpositione facta motus contrarii in voluntate eius, peccat mortaliter, nec excusatur propter non intentionem actualem, vel non usum rationis tempore quando occidit; et hoc peccatum est propter vehementem motum voluntatis primae intentionis actualiter habitae, ex cuius virtute omnes alii actus postea descendunt.

Isto modo forte fuit de Martyribus, qui ex intentione praevia *actualiter* elegerunt fortiter se ipsos pro amore Dei immolare et poenis impendere, licet * aliqui * in ipsis poenis, dum actu patiebantur, non habuerunt usum rationis actu via naturae, quia secundum naturam tales poenae et dolores sunt immutativae usus rationis et absortivae eius. Non minus tamen merebantur ex praevia intentione eius ex qua omnes alii actus descendunt. — *Report.* IV. d. 6. q. 6. n. 8. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 6. n. 2.

Intentio dupliciter significatur. — *Intentio* potest *significari in concreto* vel in *abstracto*. — *Primo* modo significatur per hoc nomen, *genus*, et proprie secundum quod intentio, quia secundum hoc est applicabilis rei. — *Super Univers. Porph.* q. 14. n. 3. — Intentio non est *quid* rei; praedicatur tamen *in quid* de re, ita quod *in quid* sit terminatio inhaerentis, non inhaerentiae; quia *praedicari in quid* est accidens, quia intentio, sicut et definitum. — *Ib.* n. 6.

Intentio logicalis. — *Intentiones logicales* non signant quidditates *extra* animam, sed tantummodo *conceptus in anima*. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. n. 7.

Intentio quadrupliciter dicitur. — Hoc nomen *intentio* aequivocum *uno* modo dicitur *actus voluntatis: secundo ratio formalis* in re, sicut intentio rei a qua accipitur *genus* differt ab intentione a qua accipitur *differentia: tertio* modo dicitur *conceptus; quarto* ratio *tendendi* in obiectum,

sicut *similitudo* dicitur ratio *tendendi* in illud cuius est. — *Report.* II. d. 13. n. 4.

Intentio respectu actus — respectu finis. — Distinguo de *intentione* ministri, vel alterius, quod potest esse respectu *actus* quem exercet, vel respectu *finis* ad quem ordinatur ille actus. Et isto secundo modo proprie accipitur *intentio*, quia intentio est proprie respectu finis, licet etiam respectu actus quandoque accipiatur (1).

Si autem quaeratur de intentione quae est respectu *finis*, ad quem ordinatus est actus, est *duplex: principalis* et *communis* vel minus principalis, *specialis* et propinquus. — De utroque distinguendum est, quod potest accipi in *universali* vel in *particulari*.

Exemplum omnium istorum: *finis principalis in universali* Baptismi est quod baptizatus sit filius summi Regis; *principalis in particulari* est gratia; *finis minus principalis in universali* est ut baptizatus sit christianus; finis autem *minus principalis in particulari* est non solum ablutio exterior, sed character, quo specialiter adscribitur familiae Christi. — *Report.* IV. d 6. q. 6. n. 3 et 4. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 5. n. 2.

Intentio secunda. — Res non est tota causa *intentionis*, sed tantum occasio, inquantum scilicet movet intellectum, ut actu consideret; et intellectus est principalis causa. Ideo minor unitas sufficit *in re* quam sit unitas *intentionis;* quia sufficit intellectum ab aliquo extrinseco moveri ad causandum multa per considerationem, quibus non correspondent aliqua in re simpliciter; sicut in existendo albedo *secundum quid* est *per se stans*, motus *secundum quid* habet *modum habitus*, utrique attribuit intellectus modum, scilicet *habitus*, et *per se stantis simpliciter*, sicut homini, et utrumque est simpliciter nomen; sed tamen utrobique est aliquid correspondens illi modo, sed non ita vere, sicut causatae intentioni ab intellectu, moto ab illo extrinseco. Similiter intellectus considerans rem, per illam unam speciem, potest millies reflectere se supra suam operationem, considerando, et quaelibet consideratio est aliquid, nihil habens extrinsecum sibi correspondens, nisi tantum primum obiectum pro occasione, quantum illud movet primo intellectum ad considerandum. — *Super Praedic.* q. 3. n. 4.

Omnis intentio *secunda* est relatio rationis, non quaecumque, sed pertinens ad extremum vel actum intellectus componentis vel dividentis, vel saltem conferentis unum ad alterum; quia intentio *secunda*, secundum omnes, causatur per actum intellectus negotiantis circa rem primae intentionis, qui non potest causare circa obiectum nisi tantum relationem rationis, et praecipue non dicit relationem pertinentem ad actum intellectus comparantis. — *Oxon.* I. d. 23. n. 2. — Cf. *Oxon.* III. d. 7. q. 1. n. 6.

Intentio secunda dupliciter accipitur. — Quaelibet istarum intentionum * (*genus* et *species* quae sunt *intentiones secundae*) * potest accipi ut *quid*, vel ut *modus;* quando enim est *illud quod* intelligitur, tunc est *quid;* quando autem est *ratio sub qua* aliquid intelligitur, tunc accipitur ut *modus*, ut *genus et species*. *Secundae* igitur *intentiones* non opponuntur, nisi ut utraque accipitur ut *quid*, vel utraque ut *modus*. — *Super Univers. Porph.* q. 8. n. 5.

Intentio sensibilis. — Notandum est, quod *intentio* non dicitur hic illud *in quod* tendit sensus, quia hoc modo ipsum obiectum esset intentio; sed *intentio* hic dicitur illud *per quod*, tamquam per *principium formale*, in obiectum tendit sensus. Et sicut quidquid est *signum* est *res*, secundum Augustinum, *De Doctrina christiana*, licet non e converso, et ideo in distinctione *rei* et *signi res* accipitur pro illa re quae non est signum, licet illa quae est signum sit etiam res, ita in distinctione *rei* et *intentionis*, licet intentio sit res, et forte sensibilis res, in qua possit sensus tendere, tamen illa dicitur *intentio* quae non est tantum res, in quam tendit sensus, sed est *ratio tendendi* in alterum, cuius est propria similitudo. — *Oxon.* II. d. 13. n. 3.

Interdictum. — Vid. *Poena canonica.*

Interiecto. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 182 et seq.

---

(1) Vid. *Intendere*.

Interpretatio. — *Interpretatio*, secundum Boetium, *est vox articulata aliquid significans esse*, vel *non esse*. Si tamen in definitione *interpretationis* ponatur vox articulata aliquid per se significans, sic est interpretatio quid commune voci complexae et incomplexae; sed quia interpretans vult aliquid *exponere*, et nihil exponi potest per simplicem dictionem, igitur nomina et verba sunt magis *partes* interpretationis, quam *interpretationes*. — *Opus II. super libr. Periherm.* in Prolog.

Invidia. — Quantum ad obiectum, *invidia* est vel respectu *maioris*, vel eius qui *creditur* vel *speratur esse maior*. — *Invidia* est *tristitia de prosperitate alicuius, quatenus bonum alterius putatur diminutio boni proprii*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 2. n. 32.

Invidia non solum est in *substrahendo* illa bona quae possunt communicari actu voluntatis immediate, sed quaecumque volens potest communicare et non communicat. — *Oxon.* I. d. 6. n. 10.

Involuntarium — Voluntarium. — *Involuntarium simpliciter* est illud contra quod voluntas *simpliciter* remurmurat. — Et per consequens per oppositum, *voluntarium* potest intelligi tripliciter: *Uno* modo, contra quod *non omnino* voluntas *remurmurat*, sed patienter sustinet. *Secundo* modo, quod *voluntarie* acceptat. *Tertio* modo, quod *voluntarie causat;* et hoc *dupliciter*, scilicet: vel ut causa proxima partialis, et *non intendens istum effectum:* vel ut causa remota principalis et *intendens effectum*. — Et sic habentur quatuor membra. — *Secundum* addit super *primum*, quantum ad rationem *voluntarii*, et *tertium* super *secundum*, et *quartum* super *tertium*. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 11. — Vid. *Voluntarium*, etc.

Ira. — Vid. *Concupiscibile — Irascibile.*

Irascibile. — Vid. *Concupiscibile — Irascibile.*

Irregularitas. — Vid. *Poena canonica.*

J

Jeiunium ecclesiasticum — naturale. — Distinguo de ieiunio *naturae* et *Ecclesiae*. — *Ieiunium Ecclesiae* non solvitur nisi per aliquam refectionem extraordinariam, *praeter morem Ecclesiae;* unde per sumptionem medicinalium vel per potum non solvitur *ieiunium Ecclesiae*. — Sed *ieiunium naturae* est carentia cibi suscepti in stomacho, vel in via ad stomachum, ita quod nihil intret stomachum in illa die a principio diei, a quo dicitur aliquis *ieiunus*. — *Oxon.* IV. d. 8. q. 3. n. 3.

Regulariter percipiens corpus Christi tertio modo * *(sacramentaliter, spiritualiter)* (1) * debet esse ieiunus *ieiunio naturae*, et non tantum *ieiunio Ecclesiae*; licet quandoque in casibus specialibus sit licitum, imo necessarium oppositum. — *Report.* IV. d. 8. q. 3. n. 3.

(1) Vid. *Eucharistiae triplex perceptio.*

Judicare. — *Iudicare* est *ius* vel *iustum dictare*. — *Oxon.* IV. d. 19. n. 4.

Judicium. — Vid. *Intellectus operatio triplex.*

Judicium multipliciter accipitur. — *Iudicium* generaliter accipitur pro *quacumque certa notitia*; et illo modo sensus etiam distincte apprehendens obiectum, vel distinguens obiectum ab obiecto (ubi requiritur forte magis distincta apprehensio), dicitur *iudicium*. Unde II. *de Anima* dicitur sensus communis *iudicare* de sensibilibus diversorum sensuum.

Alio modo *iudicium* dicitur certa *apprehensio intellectualis* etiam *quaecumque;* et hoc modo definitiva cognitio de aliquo potest dici iudicium de veritate illius, iuxta illud *I. Ethic.: Unusquisque bene iudicat quae cognoscit, et hic* est *bonus iudex*.

Adhuc *magis proprie* dicitur de *vero aliquo complexo*, quia, secundum Augusti-

num, *III. De lib. arbit.*, *Nullus iudicat de regulis aeternis,* sed *secundum eas de aliis;* ergo iudicium est certa apprehensio de aliquo *per aliud;* omne verum complexum apprehenditur esse verum *per aliud,* quia si est *immediatum,* adhuc iudicatur verum per *rationes terminorum,* secundum Philosophum, I. *Posteriorum: principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus.*

Adhuc *magis proprie* dicitur de vero complexo, quod est *conclusio,* quia de conclusione *iudicatur* nedum per terminos, sed per *principia.*

Adhuc *magis specialiter* dicitur de conclusione *practica* quam de *speculativa,* quia *iudicium est dictamen intellectus practici consonum iustitiae:* iustitia autem non respicit speculabilia, sed operabilia.

Adhuc *specialius,* cum lex non tantum determinet *agenda* et *fugienda,* sed determinet *reddenda praemia* bene meritis, et *supplicia* male meritis, ut ex amore praemiorum alliciantur ad bene agendum, et ex timore poenarum vel suppliciorum retrahantur a male agendo, *magis proprie iudicium* accipitur *determinatio certa de praemiis et suppliciis reddendis,* quam de aliis veritatibus practicis.

Illas autem veritates licet quilibet possit ex principiis practicis elicere, et sic quasi ratiocinando *iudicare,* tamen adhuc *strictius iudicium* accipitur, prout pertinet ad *habentem auctoritatem determinandi,* iuxta illud, *Extra, de Sententiis: Sententia a non suo iudice lata nulla est.*

Ergo *completissima ratio iudicii* stat in hoc, quod est *completa determinatio et authentica reddendi alicui secundum merita sua.* — *Completa,* inquam, quia includit determinationem *firmam intellectus,* et determinationem *voluntatis efficacem,* hoc est, voluntatis *potentis* et *intendentis* secundum determinationem intellectus retribuere. — Et hoc est quod specificatur per illud *authentica;* quia per hoc intelligitur quod sit illius qui secundum voluntatem suam efficacem potest determinationem intellectus et determinationem voluntatis perducere ad effectum.

Ex hoc apparet divisio iudicii in genere in *approbativum* et *condemnativum.* Nam iudici possunt esse manifesta aliqua ex quibus sequitur in particulari illum esse *praemiandum,* puta quia *bene* meruit; vel *puniendum,* quia *male* meruit: et prima sententia est *approbativa,* secunda *condemnativa.*

Iuxta ista quandoque in nobis feruntur duae aliae sententiae: puta, si pro aliquo proponantur digna merito, et iudex inveniat proposita non esse vera, sequitur sententia *repulsiva* a praemio. Similiter si contra aliquem proponantur aliqua digna supplicio, et inveniantur non esse vera, sequitur sententia *absolutiva* seu *absolvens,* puta: talem coram nobis accusatum pronuntiamus *innocentem.* — *Oxon.* IV. d. 47. q. 1. nn. 3-4. — *Report.* loc. infr. cit.

Unde * breviter * dicitur, quod *iudicium* proprie sumptum *est efficax determinatio poenae vel praemii, correspondens merito, a iudice habente auctoritatem determinandi vel imperandi.* — Ista autem determinatio non solum debet esse ab *intellectu practico dictante,* sed per *actum voluntatis complacentis* debet poena infligi vel praemium reddi. — Sed *velle imperando* non competit nisi *habenti auctoritatem;* et ideo addendum est in descriptione *iudicii,* quod sit *determinatio efficax ratione voluntatis imperantis.* — Similiter loco *determinandi* ponatur *imperandi,* quia *determinare per intellectum* est praeambulum ad actum *imperandi.*

Et sic patet, quod *iudicium est imperium efficax voluntatis alicuius habentis auctoritatem ad reddendum praemia pro meritis et infligendum poenas pro malis.* — *Report.* IV. d. 47. q. 1. n. 3.

Supponendo ex * dictis * quod *iudicium* est *completa determinatio eius quod reddendum est alicui pro meritis,* et illa completa determinatio includit *perfectum dictamen intellectus* de hoc, et *perfectum velle voluntatis,* non qualecumque, sed *efficax,* sequitur, quod *principaliter iudicare* includit *principaliter dictare* et *principaliter habere velle efficax.* Nihil autem dicitur *principaliter agere aliquid,* quod in agendo est causa *subordinata* alicui alteri principali: ergo *principaliter iudicare* non

competit nisi *naturae intellectuali, cuius intellectus non subordinatur alicui alteri in iudicando, nec eius voluntas subordinatur alicui in volendo;* et hoc efficaciter, quod potest dici in imperando ipsum volitum, sic quod ad illud imperium sequatur effectus. — *Oxon.* IV. d. 48. q. 1. n. 7.

Alio modo potest accipi *iudicare* non sic omnino principaliter, sed *commissarie* vel *subauthentice,* excellenter excellentia singulari, quasi scilicet non posset esse alia auctoritas *commissaria superior.* — *Ib.* d. 4. n. 8.

Juramentum — Periurium. — *Iuramentum* est assertio dicti humani, quod ipsum sit verum, et hoc ultimate, iuxta illud ad *Hebr. 6* (1). *Omnis controversiae finis ad confirmationem est iuramentum.* Homo enim sciens hominem esse *mendacem* et *ignorantem,* et per consequens posse fallere et falli, non potest certam fidem adhibere * omnibus * dictis suis; et ideo inventus est modus asserendi dicta, adducendo alium in testem, qui est *verax* et *sciens,* qui *nec fallere, nec falli potest;* quod fit dum in iurando adducitur in testem assertionis iurantis ipse Deus, qui scit veritatem et mentiri non potest.

Et ex hoc sequitur de *periurio;* quia adducere Deum tamquam *testem falsi* est facere irreverentiam Deo, vel adducere eum tamquam ignorantem veritatem, et ita non omniscientem, vel adducere eum tamquam volentem testificari quod falsum est. Utroque autem modo fit irreverentia Deo immediate contra illud praeceptum primae Tabulae: *Non accipies nomen Dei tui in vanum* (2); et ideo utroque modo, si ex deliberatione fiat, est peccatum mortale. — *Oxon.* III. d. 39. n. 2.

Dictum humanum vel est de *praeteritis* et *praesentibus,* quorum est *determinata* veritas; vel de *futuris,* quorum veritas est *incerta.* — De primis quidem dicitur dictum *assertorium,* et hoc extendendo *assertionem* ad affirmationem et negationem. — In *futuris* autem, cum sit in potestate iurantis, dicitur esse *promissorium.* — Et secundum hoc cum *iuramentum* sit utriusque dicti assertio, duplex est *iuramentum,* scilicet, *assertorium* et *promissorium.* Utrumque tamen est obligatorium: *assertorium* quidem, quia obligatur iurans ad *dicendum verum,* ex quo *talem* testem inducit ad assertionem dicti sui: *promissorium,* quia obligatur, ut illud *verum esse faciat.* — Et quia *assertorium* non obligat nisi pro tempore pro quo iuratur, ideo *appropriate iuramentum* dicitur: *obligatio* vero, quia respicit futurum, ideo appropriate iuramentum *promissorium* dicitur *obligatorium,* quia obligat ad factum iuramentum implendum.

Et assimilantur illae duae species iuramenti duabus speciebus *obligationis* in sophismatibus, scilicet, *positioni,* et *petitioni. Positio* obligat ad sustinendum positum tamquam verum; *petitio* ad exequendum petitum in facto. — *Ib.* n. 9.

Quantum ad *periurium promissorium* vel *obligatorium,* dico, quod potest esse *quadruplex,* scilicet: *dolosum, incautum, coactum,* et *carens istis tribus conditionibus indebitis.*

Dolosum est quando iurans aliquid esse facturum in ipso actu iurandi intendit oppositum, et non intendit se obligare ad illud quod iuratur; et talis in ipso actu iurandi peccat mortaliter, quia adducit Deum tamquam testem sui propositi de aliquo implendo, cum tamen intendat oppositum. Tamen post illud iuramentum non remanet obligatus, quia in obligationibus privatis nullus obligatur non intendens se obligare. Nec sequitur, quod talis ex peccato suo reportet commodum, quia si non iurasset dolose, esset obligatus; quia *nullum commodum est reportare peccatum mortale,* quod non reportaret, si non iurasset dolose, licet teneretur implere iuramentum; quae tamen intentio non est ita damnosa sicut peccatum mortale quod incurritur in iurando dolose.

Iuramentum *incautum* potest esse *duplex:* vel quia transit super materiam *omnino illicitam:* ut cum quis iurat se occisurum, vel adulteraturum. Et tale iuramentum non obligat iurantem ad impletio-

(1) V. 16.
(2) *Exod.* c. XX. c. 7.

nem sui iuramenti, ita quod post iuramentum debeat illum actum implere. Tamen quando iuravit, si non habuit intentionem, peccavit mortaliter, quia adduxit Deum in testimonium falsi. Si etiam habuit talem intentionem, peccavit mortaliter, quia velle peccare mortaliter est peccare mortaliter. Talis igitur in ipso actu iurandi omni modo peccat mortaliter. Post iuramentum tamen debet illum actum non implere, quia non debet addere peccatum peccato; non enim quia iuravit illicite, fit sibi licitum quod prius fuit illicitum. — *Alio* modo est iuramentum *incautum* quod transit super aliquam materiam quae *de se* esset *licita*, sed non est *materia iuramenti licita*: ut cum aliquis abiurat opera perfectionis; in hoc enim ponit obicem motioni Spiritus Sancti; unde tale iuramentum servare vergit in peiorem exitum; et ideo post actum non est servandum quod iuratur; licet enim *absolute* liceat non facere opera perfectionis, non tamen licet habere *fixum velle* nunquam faciendi opera perfectionis; quia hoc est habere *velle fixum* contra motionem Spiritus Sancti.

In his igitur duobus iuramentis, scilicet *doloso* et *incauto*, duobus modis praedictis, patet quod iurans non manet obligatus ad implendum quod iuratur post iuramentum; sed in actu iurandi peccat mortaliter.

Posset poni aliud iuramentum *incautum:* ut quando aliquis iurat se facturum quod *non potest facere*, licet cum iurat putet se posse illud facere. Et de hoc iudicandum est, sicut dictum est de iuramento in communi; quia si possit in futurum, tenetur; si non possit, excusatur in favorem.

De iuramento *coacto*, coactione quae potest cadere in *constantem* virum, sunt opiniones; quaere.

Iuramentum *promissorium* carens istis tribus conditionibus, *dolo*, *incautela*, et *coactione*, obligat iurantem ad nunquam habendum oppositam voluntatem ei quod iuravit; et licet differat implere illud propter circumstantias, propter quas videtur rationabiliter differendum, non peccat; sed tunc est primo *periurus* quando habet voluntatem non implendi illud quod iuravit, quia tunc vult Deum primo testem falsi. — *Ib.* nn. 10-11.

In *periurio* est quandoque duplex peccatum, scilicet, *mendacium* tamquam *materiale*, et *assumptio nominis Dei in vanum;* hoc est, non solum includit *mentiri*, sed etiam *irreverentiam;* et primum pertinet ad secundam Tabulam; sed secundum formaliter ad primam, quia irreverentia prohibetur ibi. — Potest etiam esse *periurium* absque *mentiri*, puta, si simpliciter *dubitans* iurat partem de qua dubitat, quam *forte* dicendo non mentiretur, quia non habet oppositum in mente; aut saltem in aliquo casu ubi iurans tenetur esse certus, periuratur, si non est ita certus; et tamen si illud assereret sine iuramento, credens illud plus quam oppositum, non mentiretur.

Periculum igitur est habere frequenter iuramentum in ore, quia in multis sermonibus sine iuramento non peccaret, ubi addito iuramento peccat, et graviter si flet ex deliberatione. Propter quod utile est documentum illud *Matth.* 5. (1): *Sit sermo vester: est, est, non, non.* — *Ib.* n. 8.

Caeteris paribus, maximum iuramentum est iurare *per Deum;* quia per nihil aliud licite iuratur, nisi inquantum in eo speciale modo habitat Deus, vel est: puta, *per Evangelium*, quia in eo specialiter relucet Deus; *per Coelum*, quia ibi speciali modo habitat Deus; *per Ecclesiam*, quia ibi speciali modo colitur Deus.

Consuetudo tamen rationabilis hoc exigit, ut quaedam iuramenta fiant cum maiori solemnitate, quam alia; et de factis cum solemnitate praesumitur, quod nunquam fiant sine deliberatione. — Statuit igitur Ecclesia ad terrorem, ut per huiusmodi non iuretur nisi solemniter tantum, et per consequens deliberate, et ubi veritas simpliciter est communiter asserenda. Per Deum autem iuratur communiter, et leviter, et frequenter, sine deliberatione. Dico tamen, quod, caeteris paribus, gravissimum est iurare *per Deum;* sed posita indeliberatione ex illa parte, et plena deliberatione ex alia parte,

(1) V. 37.

qualis habetur quando iuratur super Evangelium, ponitur hoc esse peccatum mortale; non solum propter irreverentiam illius per quod iuratur, sed propter deliberationem quae ponitur hic, et non ibi.

Et si quaeratur, quare igitur periurans per Evangelia est *infamis*, iurans per Deum non est infamis? Respondeo, *infamatio* non sequitur semper *qualitatem* culpae, sed *crimen publicum*. Statutum est autem, quod iuramentum *publicum* et cum deliberatione est quando iuratur super Evangelia; et ideo transgressor talis iuramenti praesumitur tamquam *violator fidei*, et ideo rationabiliter habetur *infamis*. Non sic autem potest praesumi de aliquo leviter periurante per Deum. — *Ib.* n. 13.

Jurisdictio. — Quid aliud est *iurisdictio*, quam *auctoritas dictandi ius?* Et hoc, quid aliud est, quam *auctoritas iudicandi* et *sententiandi?* — *Oxon.* IV. d. 19. n. 20.

Justificatio. — Potest dici, quod in iustificatione peccatoris est una mutatio *privativa*, qua de *inimico* fit *non inimicus*. — Est etiam alia *positiva*, qua de *indigno* vita aeterna fit *dignus* vita aeterna; de *non potente* meritorie agere fit *potens* agere meritorie. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 6. n. 8. — *Report.* ib. q. 5. n. 7.

Peccator ante poenitentiam est *iniustus;* post poenitentiam est *iustus*, sicut Scriptura communiter vocat peccatorem *iniustum*, et liberatum a peccato *iustum*. Ex hoc arguitur: *iniustitia*, cum sit formaliter privatio, non potest auferri ab aliquo, nisi ei detur habitus oppositus, quia privare privationem est habitum ponere, quia sunt immediate opposita circa aptum natum, *X. Metaph.:* anima est apta nata recipere iustitiam; ergo ille iustificatus, qui factus est de iniusto iustus, recipit habitum oppositum illi privationi; si enim nihil inesset sibi formaliter nunc quam prius, non magis caret privatione nunc quam prius caruit. — *Ib.* I. d. 17. q. 3. n. 18.

Justificatio impii quadruplex. — *Quadrupliciter* posset salvari impius: — *Primo*, quod Deus infundat charitatem *sine aliquo motu* eius bono voliti in Deum, sicut in parvulum vel in dormientem. — *Secundo*, si Deus infundat charitatem *cum aliquo motu* eius in Deum, *simul duratione* cum infusione charitatis, ita quod ille motus sit immediate a Deo, sicut charitas. — *Tertio, si praecedat bonus motus* liberi arbitrii charitatem infusam duratione; et hoc potest dupliciter intelligi: vel quod ille motus sit a *Deo immediate effective*, vel quod ille bonus motus sit *effective a libero arbitrio*, licet non sit bonus, hoc est, *gratuitus*, ita quod Deus solum coagat libero arbitrio in causando hunc motum tantum secundum generalem * supernaturalem * (1) influentiam, et ille est *quartus* modus.

Si *primo* modo iustificetur, ipse non dicitur *poenitere*, quia nullum motum habuit in Deum priorem natura, nec duratione. — *Secundo* modo potest dici aliquo modo *poenitere*, quia si iste bonus motus, qui est simul duratione cum charitate, sit *prius natura* charitate, tunc posset dici *poenitere*. Sed non debet dici talis salvatus per poenitentiam, quia ex quo sunt simul duratione, simul poenitet et Deus infundit et immediate causat istum motum, et ideo non meruit de congruo habere gratiam. — *Tertio* modo, praecedit bonus motus duratione charitatem infusam vel gratiam. — *Report.* II. d. 7. q. 3. n. 13.

Justitia. — *Iustitia* proprie est rectitudo voluntatis quasi habituatae, et per consequens quasi naturaliter inclinans *ad alterum* vel ad *se quasi ad alterum*. — *Oxon.* IV. d. 46. q. 1. n. 7. — *Iustitia* est *reddere unicuique quod suum est.* — *De rer. princ.* q. 15. n. 12.

Rationem generalissimam *iustitiae* ponit Anselmus, *De veritate, cap. 12,* quod *iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata*. Haec ratio specificatur per iustitiam, secundum quod de ea tractat Aristoteles *V. Ethic.*, qui addit ultra hanc rationem hoc, quod est *esse ad alterum*.

Ista *secunda* subdividitur: quia vel est quasi *universalis* ad alterum, puta, ad *legislatorem*, et ad *legem*, inquantum est regula quaedam determinata a legislatore; et haec dicitur a quibusdam iustitia *legalis:*

---

(1) Uti ex aliis Doctoris locis eruitur.

vel est *particularis*, puta, in aliquo particulari determinato pertinente ad legem, rectitudo ad alterum. — Et haec secunda subdividitur: quia vel potest esse *simpliciter ad alterum*, vel *ad se quasi ad alterum*. Et secundum membrum patet ex eo, quod dictum est in materia de *Poenitentia*, quod ipsa est iustitia punitiva, non tantum respectu *alterius* simpliciter, sed *sui quasi alterius*, quia sibi ut *iudicis ministro* concessa est punitio sui ut *rei* (1).

Si autem loquamur de reliqua iustitia, quae *simpliciter* est *ad alterum*, illa dividitur in *commutativam* et *distributivam;* et ita distinguitur iustitia in nobis, ut patet per Philosophum *V. Ethic.*

In *distributiva* requiritur aequalitas *proportionis*, non *quantitatis*; in *commutativa*, secundum aliquos, aequalitas *quantitatis*, non tantum proportionis. — *Oxon.* IV. d. 46. q. 1. nn. 2-4. — *Report.* ib. q. 4. nn. 5-6. * *Quibus in locis habet perpulchra de divina iustitia* *.

In omni *commutatione*, quantum est ex parte commutantium et commutatorum, stricta iustitia requirit aequalitatem commutatorum, quantum possibile est, et hoc ad illum finem propter quem commutatur. — *Oxon.* IV. d. 33. q. 1. n. 2. — d. 16. q. 1. n. 5. — d. 19. n. 26. — Vid. *Beatitudines* — *Concupiscibile* — *Irascibile* = *Spiritus Sancti Dona* = *Habituum divisio* = *Peccatum* — *Iustitia*, etc.

Justitia debita duplex. — *Dupliciter* potest esse *iustitia debita:* — *Uno* modo, quia in se accepta, et actione accipientis amissa. — *Alio* modo, quia accepta in alio, et actione alterius amissa.

Primo modo peccatum *actuale* est iniustitia et carentia *iustitiae * debitae* * — *Secundo* modo *originale*. — *Oxon.* II. d. 32. n. 11.

Justitia Dei duplex. — Distinguendum est de *iustitia*, et dicendum, quod iustitia potest comparari ad actum *ad quem inclinat;* et iste tantum *unus* est, et non potest in oppositum illius actus, quia est prima rectitudo voluntatis divinae, sicut voluntas Dei est prima regula omnis actus, et ideo nullus actus a Deo potest non esse rectus sive non regulatus, sed semper rectus et iustus. Secundo, ista iustitia Dei potest comparari ad actum *quem modificat;* et sic distinguitur in Deo a *misericordia* et a perfectionibus aliis.

Alia vero est *iustitia Dei* in rebus correspondens creaturae ad creaturam; et secundum hanc iustitiam dicitur, quod iustum est quod *terra* sit *deorsum*, et *ignis sursum*. Ista autem *iustitia* non est; Deus autem ita facit secundum iustitiam suam, licet *ex se* non inclinetur ad hoc magis quam ad suum oppositum; potest enim Deus secundum iustitiam suam iuste agere quod *terra* sit *sursum* et *ignis deorsum;* et potest facere secundum oppositum actum, faciendo *ignem frigidum*, etc.

Unde sic potest dici, quod iustitia quantum ad unum actum est *limitata*, scilicet quantum ad primum actum, qui est rectitudo a prima regula; sed quantum ad omnes alios actus posteriores est *illimitata*. — *Report.* IV. d. 46. q. 4. n. 10. — *Oxon.* hic, q. 1. *per tot.* * *ubi fusius qualiter in Deo sit iustitia explicat* *.

Justitiae species. — Vid. *Beatitudines.*

Justitia habitualis — actualis. — *Iustitia* potest accipi *uno* modo prout est rectitudo *habitualis* sive habitus voluntatis; et ab illa dicitur voluntas recta *habitualiter*, etiam quando nihil vult actu; et sic dicitur dormiens *iustus*, qui habet habitum, et alius *iniustus*, qui caret isto habitu, vel habet iniustitiam contrariam. — *Alio* modo potest accipi rectitudo pro rectitudine *actuali* sive in actu, quae est *conformitas actus eliciti ad suam regulam.*

Primum membrum distinctionis conceditur satis communiter. Secundum probatur: quia actus non dicitur *formaliter rectus* vel *iustus* ab illa iustitia *habituali* in voluntate; quia stante illa, potest haberi actus peccati venialis, vel actus indifferens, quorum neuter est actus iustus, nec rectus; sed oportet, quod rectitudo, qua *formaliter* actus dicitur *rectus*, praecise insit dum actus inest, imo forte non inest immediate voluntati, sed ipsi actui, et mediante illo,

---

(1) Vid. *Poenitentia* — *Poenitere.*

voluntati; quia voluntas nata est immediate recipere habitum et operationem; iustitia autem actualis neutrum horum est, sed tantum est conditio quaedam ipsius actus; puta, conformitas eius propria ad suam regulam. — *Quodlibet.* q. 18. n. 15.

Sicut est *duplex iustitia habitualis*, scilicet, *gratia* et *charitas*, et *actualis*, scilicet, *rectitudo nata inesse actui elicito*, ita, cum *opposita aeque multipliciter dicantur*, erit *duplex iniustitia: habitualis*, *privatio gratiae* in eo cui debet inesse; et *actualis*, scilicet, *privatio istius rectitudinis in actu, cui deberet inesse.* — Post autem actum intrinsecum et extrinsecum transeuntem manet quaedam iniustitia *habitualis.* — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 3. — Vid. *Peccatum* — *Iustitia*, etc.

Justitia infusa — acquisita — innata. — *Iustitia* potest intelligi vel *infusa*, quae dicitur *gratuita;* vel *acquisita*, quae dicitur *moralis;* vel *innata*, quae est ipsa *libertas voluntatis.* — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 8; * *ubi harum rationem intimius perscrutatur* *. — Vid. *Affectio iustitiae — commodi.*

L

Latio. — Vid. *Alteratio — Augmentatio*, etc. — *Transmutatio multiplex.*

Lapis — Petra. — *Lapidis* est haec descriptio: *laedens pedes;* ut *petra pede trita.* — *Oxon.* I. d. 22. q. 2. n. 9.

Latitudo. — Vid. *Longitudo — Latitudo*, etc.

Latria — Hyperdulia. — Hoc nomen *latria* potest aequivoce accipi. — *Uno* modo pro cultu sive reverentia exhibita Deo in actu *interiori* ratione summi dominii vel summi boni. — *Vel* pro reverentia exhibita Deo actu *exteriori.* — *Vel* pro *habitu* inclinante ad talem actum. — *Oxon.* III. d. 9. n. 3. — Ista tria debent concurrere ad actum *latriae: oblatio, oratio,* et *signum* corporale; et specialissime exhibetur iste actus in Sacramento Altaris, ad quem cultum tenetur quilibet semel in septimana die Dominica, *De consecr. dist. 2. Missas*, ubi habetur expresse, quod quilibet tenetur ad hunc cultum semel in septimana. — *Report.* III. d. 9. n. 3.

Reverentiam exhibere est actus laudabilis inferioris respectu summi Domini, quia consonans est rectae rationi. Sicut enim in politiis superior debet *providere* inferiori, ita inferior tenetur superiori *reverentiam exhibere.* Cum igitur Deus sit supremus Dominus, et creatura sit serva, quantum ad quodlibet quod in ea est, sequitur quod laudabile est sibi reverentiam exhibere.

Secundo dico, quod ex frequentibus actibus potest *habitus* laudabilis generari, quia non determinatur natura ad reverentiam superiori, sicut grave ad esse deorsum, quia sic non esset laudabile, neque determinatur ad oppositum, sicut lapis ad non ferre sursum, sic enim non posset per assuetudinem inclinari ad illud; igitur cum medio modo se habeat, potest in homine talis habitus generari.

Tertio dico, quod huic cultui potest nomen imponi, scilicet *latria*, et actui elicito potest idem nomen imponi; actus igitur qui debet procedere de hoc habitu potest dici *cultus latriae.* — *Ib.* n. 2. — *Oxon.* ib.

Sicut *latriae* exhibendae potest poni ratio bonitas *intrinseca* adorati absolute, vel bonitas illa *ut communicans se adoranti*, et hoc primo et principaliter secundum maximum bonum adorantis, ita etiam potest ratio poni adorationis *hyperduliae*, vel bonitas *intrinseca* adorati absolute, vel ut per ipsum, tamquam per causam secundam, *communicatur* adoranti magnum bonum. — *Oxon.* III d. 9. nn. 11. — Vid. *Reverentia — Latria.*

Laudabile — Vituperabile. — Vid. *Imputabile.*

Lector. — Vid. *Ordo (Sacramentum).*

Legis institutio — promulgatio. — Non *promulgatur* lex, nisi primo sit determinata a legislatore, a quo habeat firmitatem;

et ista determinatio potest dici *institutio;* nisi etiam ab ipso sit revelata alicui tamquam praeconi solemni, et hoc si per praeconem illam voluerit promulgari. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 4. n. 2. — *Universaliter* dico illam * (legem) * promulgari, in cuius promulgatione non est aliqua acceptio personae, sive cuiuscumque exceptio personae, vel circumscriptio circumstantiae. — *Ib.* d. 4. q. 6. n. 2.

Lex. — Dicitur *lex* a *ligando.* — *Oxon.* IV. d. 15. q. 2. n. 6.

Lex divina. — Quaecumque continentur in Scriptura, et tamen non sunt nota ex terminis, nec demonstrabilia ex talibus notis, nec statim consona talibus veris evidenter, sunt mere de *iure positivo divino:* cuiusmodi sunt omnes caeremoniae Iudaeorum pro tempore illius Legis, et Christianorum pro tempore Legis nostrae. Nec enim est notum ex terminis, nec demonstratum, nec evidenter consonum talibus, quod Deus sit colendus in immolationibus bestiarum veteris Legis, et hoc quocumque tempore; nec quod sit colendus in caeremoniis nostris, puta in oblatione Eucharistiae vel cantu Psalmorum, licet ista sic sint consona Legi naturae, quod non repugnent. Hoc etiam patet, quia illa quae sunt de Lege naturae, sive *proprie* sive *extensive,* semper sunt *uniformia;* non sic huiusmodi caeremoniae, quae erant aliae pro tempore alterius Legis. — *Oxon.* IV. d. 17. n. 4. — *Report.* ib. — Cf. *Oxon. Prol.* q. 2. n. 7. — Lex divina est propter bonum commune hominum quibus data est. — *Ib.* d. 14. q. 2 n. 7.

Lex ecclesiastica. — Ultra *ius positivum divinum,* quod continetur in Scriptura divina, *Ecclesia* statuit multa: et propter observantiam honestiorem in moribus, et propter reverentiam maiorem in suscipiendis et dispensandis Sacramentis. — *Oxon.* IV. d. 17. n. 4.

Lex iusta. — *Lex iusta* est veritas practica indicta ab aliquo habente auctoritatem; unde dicitur *lex,* quia *ligat* illos ad quos est missa. Requiritur igitur ad hoc quod lex sit *iusta* et *iuste* indicta, quod in legislatore sint ista duo: *sapientia* vel prudentia, et *auctoritas.* — *Report.* IV. d. 15. q. 4. n. 9. — Sit ergo conclusio: quod lex positiva *iusta* requirit in legislatore *prudentiam* et *auctoritatem.* — *Prudentiam,* ut secundum rectam rationem practicam dictet quid faciendum pro communitate. *Auctoritatem,* quia dicitur *lex* a *ligando:* sed non quaecumque sententia prudentis ligat communitatem, nec aliquem, si nulli praesideat. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 2. n. 6. — Quae autem sit lex *iusta,* Augustinus determinat, *De libero arbitrio, lib. 1.,* breviter: *Nulla nisi quae descendit a lege divina, sicut conclusiones practicae a principiis practicis, vel quae concordat legi divinae, ad minus quae non discordat.* — *Ib.* q. 3. n. 7. — Unde *iniusta* esset lex humana, vel eius lator, qui vel quae scriberet aliquid quod esset contra illam legem. — *Ib.* d. 33. q. 3. n. 7.

Lex naturalis dupliciter accipitur. — Illud est verum de *iure naturali,* cuius veritas est nota ex terminis; et tale est principium in lege naturae; sicut et in speculabilibus principium notum est ex terminis, sive quod sequitur evidenter ex tali vero sic noto, cuiusmodi est conclusio practica demonstrata. — Et *stricte* loquendo, nihil aliud est de *lege naturae,* nisi principium vel conclusio demonstrata. Sic tamen *extendendo* quandoque dicitur illud esse de *lege naturae,* quod est verum practicum *consonum* principiis et conclusionibus legis naturae, in tantum quod statim notum est omnibus illud convenire tali legi. — *Oxon.* IV. d. 17. n. 3. — *Report.* ib.

Dico igitur, quod aliqua possunt dici esse de *lege naturae* dupliciter: — *uno modo* tamquam prima principia practica, nota ex terminis, vel conclusiones necessario sequentes ex eis; et haec dicuntur esse *strictissime* de *lege naturae.* — *Oxon.* III. d. 37. n. 5. — *Alio modo* dicuntur aliqua esse de *lege naturae,* quia sunt multum consona illi legi, licet non sequantur necessario ex principiis practicis, quae nota sunt ex terminis, et omni intellectui apprehendenti sunt necessario nota. — *Ib.* n. 8. — * *Ubi Doctor expendit quaestionem,* an omnia praecepta Decalogi sint de lege naturae? * — *Report.* VI. d. 33. q. 2. n. 7.

* Aliter praedicta explicantur *: aliquid est de *lege naturae* dupliciter: scilicet *primo* quod est verum practicum simpliciter notum lumine rationis naturalis. Et ita *potissimum* gradum tenet principium practicum notum ex terminis; *secundum* gradum tenet conclusio demonstrata ex talibus principiis. *Secundario* autem est de lege naturae quod regulariter consonum est legi naturae primo modo dictae. — Circa *primum* nulla cadit dispensatio; et ideo eius oppositum semper videtur esse peccatum. Circa *secundum* in * aliquo * casu cadit dispensatio. — *Oxon.* IV. d. 33. q. 1. n. 7.

Et ex hoc patet, quod non recte loquitur Gratianus de *iure legis naturae,* volens illa quae sunt in Scripturis veteris vel novi Testamenti, de *lege naturae* esse; quia nec illa omnia sunt *principia practica* nota ex terminis, nec *conclusiones practicae* demonstratae, nec vera *evidenter consona* talibus principiis et conclusionibus. Exponendus ergo est, quod extendit ius *naturale* ad ius positivum ab *Auctore naturae,* ut distinguitur contra ius positum ab aliquo qui non est auctor naturae. — *Ib.* d. 17. n. 3. — Vid. *Praeceptum naturale — positivum.*

Lex nova — vetus. — *Matth. 11.* (1), * dicitur *: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.*

Ex *duobus* pendet *gravitas* legis alicuius in comparatione ad aliam, scilicet: ex *onere* imposito, et ex *defectu remedii* ad supportandum onus impositum.

Onera imposita in veteri Lege erant praecepta *moralia, caeremonialia* et *iudicialia,* ad quae omnes tenebantur. — De *moralibus* patet. — De *caeremonialibus* etiam patet; nam licet possent tangere morticinum, et huiusmodi, incurrebant tamen ex hoc multas immunditias, ad quarum purgationem, si non faciebant quae in Lege mandabantur, peccabant mortaliter, sicut explicatur ibi: *Anima* quae fecerit, vel non fecerit sic et sic, *morte morietur, et peribit de populo suo;* quae est comminatio damnationis aeternae. — Ad omnia etiam *iudicialia* tenebantur, vel per se vel quando decernebantur per iudices eorum, et maxime per Sacerdotem Levitici generis, si quando erat casus dubius apud iudices inferiores, iuxta illud Deut (1): *Omnis anima, quae contempserit iudicium Sacerdotis, morte moriatur.*

In Lege autem nova *moralia* sunt eadem quae tunc, sed magis explicata. — *Caeremonialia* sunt multo *pauciora* et *leviora,* quae imposita sunt per Christum. — *Iudicialia* nulla sunt posita per Christum; sed magis est lex *mititatis* et *humanitatis,* in qua non oportet habere *iudicialia,* iuxta illud, *I. Cor. 6.* (2): *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accepistis, quare non fraudem patimini?* Hoc enim docuit Christus, *Matth.* 5. (3): *Si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram, et ei qui vult tecum iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.*

Comparando vero *moralia* ad *moralia,* dubium est, utrum fuerit aequalitas, quia dubium est, utrum illi tenerentur ad omnia illa praecepta, et eodem modo explicata, sicut nos tenemur; quia si illi non tenebantur ad praecepta illa, nisi sicut Iudaei interpretabantur, tunc licuisset amare amicum, et odio habere inimicum; ita enim docuerunt Pharisaei simplices de populo: hoc autem non licet hodie Christianis; et ita forte de quibusdam aliis explicantibus quaedam praecepta moralia, sicut patet *Matth.* 5. Quod si non, tunc Lex nostra esset *gravior* quantum ad moralia; sed haec gravitas non aequiparatur gravitati *caeremonialium* Legis veteris.

Quantum enim ad *caeremonialia,* dico, quod illa fuit *multo gravior:* et quantum ad *multitudinem,* et quantum ad *difficultatem* observandi. Augustinus enim ita significat in *epist. ad inquisitiones Ianuarii,* et tangitur in *Can. dis. 12. Omnia talia,*

(1) v. 28-29.

(1)
(2) v. 7.
(3) c. V. v. 39-40.

et Rabbi Moyses enumeravit plus quam *sexcenta* praecepta, ad quae omnia tenebantur illi, quorum quaedam erant valde difficilia, puta: quod omne masculinum ter in anno praesentaretur in Ierusalem, quantumcumque distarent; et multa alia, sicut de non tangendo morticinum, vel de non comedendo, vel bibendo post tactum mortui, sine baptismo. Unde dicit Petrus in *Actibus Apostolorum: Quid tentatis imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* (1). — Lex autem nova, secundum Augustinum, *ibidem*, paucis et manifestis Sacramentorum ritibus contenta est; non enim habet nisi septem Sacramenta. Quae etiam omnia non sunt omnibus Christianis necessaria; non enim omnes recipiunt Ordines, nec omnes Matrimonium contrahunt; sed necessarius est Baptismus, et post Baptismum in peccatum mortale recidivando Poenitentia; ita quod difficilius quod est in Ecclesia videtur esse Confessio, difficile enim videtur alicui peccata sua privata, soli Deo et sibi nota, revelare alicui homini: sed ibi apposita sunt remedia, ita quod propter revelationem talem non oportet timere confusionem; obligatur enim audiens ad maximum sigillum secreti. Alia Sacramenta a Baptismo et Poenitentia forte non sunt necessaria; aut si sunt, sunt satis facilia, puta Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio.

Quantum igitur ad *caeremonialia* Lex nova est *longe facilior* quam Lex vetus, inquantum a Christo data est. Et haec est simpliciter levitas, quae longe praeponderat illi gravitati, si qua sit in *moralibus* maior.

Quantum autem ad *iudicialia* de Lege nova, patet, quod est levissima, quia nulla *iudicialia* Christus imposuit.

Quantum ad * *remedium* ad ferendum onus impositum * dico, quod Passio Christi exhibita plus meretur de gratia credentibus eam iam exhibitam, quam ipsa ut exhibenda meruerit illis qui crediderunt illam ut exhibendam; et ideo Sacramenta nostra, quae habent *efficaciam* in virtute Passionis Christi exhibitae, plus conferunt de gratia, quam Sacramenta veteris Legis. — Praeter haec, habemus plura adiutoria gratiae, quia *plura Sacramenta.* Nam illi, praeter Matrimonium (si tamen fuit illis Sacramentum, de quo tangetur *in IV.*), nullum habuerunt Sacramentum, nisi Circumcisionem, et hoc ut remedium contra originale. Post recidivationem vero, si mereri potuerunt gratiam aliquam motu proprio, bene quidem; sed ad gratiam tunc acquirendam nullum fuit Sacramentum tunc institutum apud eos; non enim habuerunt Sacramentum Poenitentiae, nec alia plura adiutoria ad gratiam impetrandam, quae habemus nos. — Tertio, praeter maiorem efficaciam Sacramentorum, et pluralitatem eorum, habemus *doctrinam magis explicatam* et declarativam veritatis, quam ipsi habuerunt, et exempla Sanctorum plura et efficaciora ad imitandum. — Et quarto *plura merita Sanctorum*, qui non tantum sibi, sed etiam nobis meruerunt, et nos etiam meremur invocando auxilium eorum et intercessionem apud Deum.

Simpliciter ergo plura adiutoria et efficaciora sunt in lege Christiana, quam in Veteri, et ideo ex ea parte Lex nova est *levior*. Est etiam unum adiutorium valde notabile: quia nobis pro observatione legis Christianae promittitur *explicite* vita aeterna; illis autem, vel raro, vel nunquam, nisi bona temporalia promittebantur: nunquam autem tantum alliciunt animam ad servandum legem bona temporalia sicut bona aeterna. — Nec mirum * igitur quod * illa dicatur lex *timoris*, haec autem *amoris;* amor autem, et praecipue finis, si ille quaeratur in omnibus, facit omnia onera levia, ut verum sit quod dixit Salvator, *Matth. 11. Venite ad me ....*, et sequitur: *Iugum enim meum suave est et onus meum leve* (1). Cui sit laus, honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen. — *Oxon.* III. d. 40. *per tot.* — Cf. IV. d. 1. q. 3. n. 8. — d. 2. q. 1. n. 2. — d. 3. q. 4. n. 5.

Lex positiva duplex. — Habemus *duplicem legem positivam*, quarum *una* continet praecepta *evangelica*, quae ut in pluribus sunt consona legi naturae; *alia* continet

(1) c. XV. v. 10.

(1) v. 28-30.

praecepta *ecclesiastica*. — *Report.* IV. d. 17. n. 5. — *Oxon.* ib. n. 4.

Liber aeternus. — Intellectus divinus continet veritates infallibiles quasi *liber*, sicut dicit Augustinus, *De Trinit. XIV, cap. 15*, quod *istae regulae scriptae sunt in libro lucis aeternae*, id est in *intellectu divino*, inquantum continet veritates istas. Et licet ille *liber* non videatur, videntur tamen illae quidditates vel veritates quae sunt scriptae in illo libro, et eatenus dici posset intellectus noster videre veritates in luce aeterna, hoc est in illo libro, sicut in continente obiectum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 18. * *ubi qualiter id fiat explicat* *.

Liberalis. — In actibus humanis *liberalis* est ille qui agit *non expectans redditionem*. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 4. — Esse *libere liberalem* est melius quam esse *necessario liberalem*, sive communicatum: sicut sol dicitur liberalis in communicando, quo modo loquitur Avicenna de liberalitate *VIII. Metaph. c. ult.* Illud enim, secundum ipsum, dicitur *liberum*, quod communicat non expectando perfici, quasi per retributionem. Ex hoc autem ostenditur Deus *libere liberalis*, quod uni dat, et non alteri, licet sint aequales. — *Report.* I. d. 41. n. 9. — Vid. *Agens liberale*.

Liberalitas. — Vid. *Beatitudines*.

Libertas. — Vid. *Natura — Principium — Causa*.

Liberum arbitrium. — *Liberum arbitrium* est *potestas servandi rectitudinem propter se* (1). — *Oxon.* II. d. 7. n. 1. — d. 28. n. 1. — Et Anselmus, *De libero arbitrio, cap. 1*, reprehendit illam definitionem de *libero arbitrio* quod *est potestas peccandi*, quia secundum eum, tunc secundum hoc non esset in Deo liberum arbitrium; quod est falsum. — I. d. 8. q. 3. n. 9.

* At * cum * dicitur *, quod posse peccare non est pars libertatis, secundum Anselmum, dico, quod aliud est loqui de *posse peccare*, aliud de *potentia ad peccatum*. *Primum* dicit *ordinem ad actum difformem; secundum* dicit *rationem principii*, quo potest elici actus difformis. — *Primus* ordo non est *liberi arbitrii*, nec aliquid eius, nec absolute aliquis *ordo ad actum* est aliquod principium activum, vel pars eius. — *Secundo modo* dico, quod illud quo potest peccare includit *duo*, quorum alterum est *posse aliud deficere*, et illud quo potest in illud est eius *posse*; quod *posse* est per se libertatis arbitrii et potentia; reliquum vero non est eius *unde liberum arbitrium*, sed unde *tale*, scilicet *defectivum*; ita quod sicut *in communi liberum arbitrium* est *quo quis potest velle*, et hoc accipiendo ita in communi sicut Anselmus accipit, scilicet, ut convenit Deo et Beatis, ita liberum arbitrium hoc, scilicet *viatoris*, est *quo quis potest velle defectibiliter*. Tamen quantum ad aliquid potest poni dissimile; quia ad *absolute velle tota entitas positiva* liberi arbitrii et *sola* est principium; ad illam autem *difformitatem* in actu *nihil positivum* in libero arbitrio est principium. — *Oxon.* II. d. 7. n. 25. — *Report.* ib. q. 3. n. 25.

(1) Ex Anselmo, *De Libero arbitrio*, c. 3.

Linea. — In principio Geometriae, definitione 2: *linea est longitudo, cuius extremitates sunt duo puncta*. — *QQ. Metaph.* lib. II. q. 6. n. 7. — *Linea* est *longitudo sine latitudine*, et est species quantitatis continuae distinctae contra superficiem et corpus. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 3. — d. 8. q. 3. n. 20. — Vid. *Numerus — Linea — Superficies*.

Linea incidentiae — Refractio — Angulus incidentiae. — *Linea incidentiae* dicitur linea secundum quam forma directe diffunditur per medium *unius diaphani*. — Sed *refractio* dicitur *incurvatio lineae ad angulum*. — Sed *punctus refractionis* est punctus medii diaphani, a quo linea incidentiae incurvatur ad visum. — Sed *linea refracta* dicitur linea a puncto refractionis usque ad visum directe extensa. — Sed *angulus incidentiae* dicitur minor angulus, quem continet linea incidentiae cum linea perpendiculari educta a puncto *refractionis* super superficiem duo media dividentem, vel etiam cum ipsa superficie. — *Meteor. III.* q. 3. n. 2.

Linea recta. — *Linea recta* est *longitudo sine latitudine, cuius extrema sunt*

duo puncta aeque protensa. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 20.

Locatio. — Vid. *Dominii translatio.*

Locatio corporis — Angeli. — Dico primo quomodo *corpus* est *in loco:* secundo, quomodo *Angelus.* — Et *primo* dico, quod corpus habet necessario aptitudinem ad esse in loco *proprio. Secundo* habet aptitudinem ad esse in loco *aequali. Tertio* habet aptitudinem ad esse in loco *commensurative.* * *Quarto* habet aptitudinem essendi in loco determinate hoc vel illo * (1). *Quinto* habet aptitudinem essendi in loco *mobiliter* vel *naturaliter.*

Primum competit corpori quatenus est *quantum,* quia inquantum tale habet necessario aptitudinem essendi in loco praeciso in actu, immobili *per se* et *per accidens motu locali;* et sic dicitur * *locus* * *ultimum corporis continentis* (2). — *Report.* II. d. 2. q. 2. n. 5. — *Oxon.* ib. q. 6. n. 6. seqq.

Dicitur, quod Angelus est in loco per *operationem praecise* . . . . Contra hoc est, quia istud videtur esse damnatum ab Episcopo Parisiensi. — *Oxon.* II. d. 2. q. 6. n. 1. — Alii autem nolentes verbo suspecto uti, Angelum videlicet esse in loco per operationem, dicunt ipsum esse in loco per *applicationem* eius ad locum. — Sed videntur idem dicendo sub alio vocabulo occultare. — *Ib.* n. 2*;* * *ubi efficacissime hanc sententiam impugnat* *.

Declaro, qualiter competit *Angelo* esse in loco; non enim competit ei locus *primo modo,* quia non facit latera continentis distare, sed potest stare in quacumque parte continui, non soluto continuo. Neque competit ei locus *secundo modo,* quia non habet superficiem *aequalem* superficiei loci. Neque competit ei locus *tertio modo* commensurative, quia non est *circumscriptive* in loco. *Quarto modo* est in loco in actu, quia *coexistet* corporali locanti, et hoc est ab agente, *minus tamen proprie* quam corpus, quia tantum *definitive. Quinto modo* non est in loco, quia nullum corpus est natum ipsum *conservare* neque *corrumpere.*

Solum igitur *quarto modo* est in loco in actu a Creante ponente ipsum actu in loco, et postea potest ponere se in alio. — *Report.* ib. n. 9. — *Oxon.* ib. n. 18. seqq.

De isto igitur articulo videtur concludendum, quod * Angelus * habet locum *determinatum; indeterminate* tamen hoc modo, quia aliquis locus est *quo maiorem* non posset habere; et aliquis *quo* non posset habere *minorem,* loquendo de loco continuo, licet forte posset esse in puncto. Utrum autem *determinatum* locum requirat, et *determinate,* ita quod habens *tantam* virtutem, si est praesens loco, de necessitate est praesens *tanto* loco, nec in potestate sua est, quod praesens sit *maiori* et *minori* loco, sicut est de corporibus, quia quodlibet est necessario in loco sibi *aequali;* anima etiam intellectiva necessario est in loco totius corporis animati, ita quod non est in potestate eius esse in loco maiori et minori; hoc dubium est, quia nec videtur posse faciliter probari una pars, nec alia. — *Oxon.* II. d. 2. q. 6. n. 14.

* Itaque * continentia * Angeli in loco * nihil aliud est, nisi contentum esse intra hanc superficiem continentem, et nihil eius esse extra; et hoc verum est in quocumque contento *definitive,* quia nihil eius est extra locum ambientem. — *Ib.* n. 17.

Locatio corporis multiplex. — Cuilibet corpori, praeter ultimum, cuius non est aliud extra continens, *sex* conveniunt: — *Primo* esse in *loco: secundo* esse in loco *actuali: tertio* esse in loco *determinato,* quia aequali; *quarto* esse in loco *commensurative: quinto* esse in loco *determinate* hoc vel illo: *sexto* esse in loco *naturaliter* vel *violenter.*

Quatuor prima conveniunt corpori, inquantum *quantum,* vel inquantum *corpus. Quintum* convenit sibi *ab agente. Ultimum* convenit sibi inquantum est corpus *naturale.* Licet enim nullum *quantum* existat, nisi ipsum sit *quale,* tamen existens *prius naturaliter* est *quantum* quam *quale.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 6. n. 6.

Exponendo autem ista per ordinem, dico quod omne corpus tale aliud a primo, *primo* est in *loco,* hoc est, in *continente praecise,* etiam immobili*;* hoc enim intelligitur per

---

(1) Ex *Oxon.* II. d. 2. q. 6. n. 6.

(2) Vid. *Locus.*

illam definitionem Philosophi, quam ponit *IV. Physicorum*, de *loco*, scilicet: *locus* est *ultimum corporis continentis immobile, primum*, etc. (1). — *Ib.* n. 7.

De *secundo* dico, quod, supposito primo, corpus *quantum* est in loco *in actu*, quia in praeciso continente actualiter; non enim potest esse in loco, quin istud ultimum, quod est proximum continens, faciat illud esse *actu*, quia facit latera continentis distare; secus est de parte in toto, quae non facit superficiem in potentia continentem ipsam esse in actu; et ideo non est pars in toto, sicut locatum in loco. *IV. Physicorum.*

De *tertio* dico, quod propter eamdem *quantitatem* necessario exigit corpus locum sibi *coaequalem*.

De *quarto* dico, quod propter hoc idem est in loco *commensurative*, ita quod pars superficiei contenti correspondet parti superficiei continentis, et totum toti.

Quintum competit corpori ex determinato loco locante.

Sextum competit sibi inquantum est corpus *naturale*, ex hoc, scilicet, quod inquantum habet formam substantialem determinatam, et *qualitates* determinatas, natum est ab aliquo locante *conservari* et *salvari*, et ab aliquo *corrumpi;* et quando continetur ab ultimo illius quod natum est ipsum salvare, dicitur esse in loco *naturali*, licet *naturalitas* multum accidat rationi *loci;* pro tanto igitur est in loco *naturali*, quia est in locante naturaliter, id est, est in ultimo alicuius continentis, quod natum est salvare contentum. — *Ib.* n. 10.

Locus. — Definitio * loci ab Aristot. assignata * est ista: *Locus est terminus continentis, immobilis, primus.* — Et ponitur *terminus* per modum *generis*, quia locus est terminus quae est *superficies.* — Ponitur *continentis*, ad differentiam ultimae superficiei corporis contenti, quae non est locus, eo quod non est separata a locato. — Et ponitur *immobilis* ad differentiam *vasis*, quod movetur cum locato. — Et ponitur *primus*, id est, *immediatus*, ad denotandum, quod locus est superficies, et superficies continentis immediata locato, ad differentiam superficiei *convexae* corporis locantis. — *Physic. IV. exposit. text. 41.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 6. n. 6. — *Report.* ib. q. 2. n. 5.

Altero duorum modorum locus potest dici *immobilis:* — *Primus* modus est, quod locus est immobilis, id est, non est *de necessitate mobilis* ad *motum locati;* et in hoc differt immobilitas loci ab immobilitate materiae; quia ad motum locati necesse est materia, et omnia quae sunt in locato, moveri.

Alius modus est, pro quo notandum, quod iste terminus *locus* supponit pro superficie, connotando continentiam locati et cum hoc connotat situm et ordinem locati respectu universi.

Ex quo patet, quod aliquis locus potest dici *idem* dupliciter: *uno* modo *simpliciter: alio* modo *secundum aequivalentiam.* Ille locus dicitur *idem simpliciter* qui prius fuit quae est *eadem superficies*, et cum hoc in *eodem situ* respectu universi, in quo prius fuit, ita ut tantum distet a lateribus coeli, et a corporibus quiescentibus mundi, quantum prius. — Sed ille locus dicitur *idem secundum aequivalentiam*, quia prius fuit qui est in eodem situ respectu *universi*, licet *superficies varietur*. Verbi gratia: arbor fixa in campis est in *eodem* loco *secundum aequivalentiam* in quo prius fuit, licet sit in alia superficie.

Et quod huiusmodi ordo vel situs locati respectu aliorum corporum mundi connotetur per hoc nomen *locus*, patet ex hoc, quod huiusmodi ordo vel situs locati vel loci significatur et denotatur per adverbia et syncategoremata designantia locum, ut *hic* vel *ibi:* quemadmodum dicimus, quod *Ioannes* est in *eodem loco* in quo prius fuit, vel Ioannes est *ubi* prius fuit; dato quod non sit in eadem superficie, sed propter hoc solum, quod eodem modo se habet ad quiescentia quae circumstant, sicut prius.

Istis praemissis, dico, quod *locus* est *mobilis simpliciter;* quia movetur ad motum continentis, cuius est superficies; sed tamen est *immobilis secundum aequivalentiam*, quia, dato quod in eodem situ succedant su-

(1) Vid. *Locus.*

perficies diversorum corporum circa aliquod corpus, propter hoc non movetur *locus* eius, sed semper manet *idem locus aequivalenter.*

Patet igitur, qualiter *locus* dicitur *immobilis:* quia vel *aequivalenter* semper est in eodem situ idem locus, non obstante motu corporum quae succedunt in illo situ: vel dicitur *immobilis* ex eo quod non est de necessitate mobilis ad motum locati. — *Physic.* IV. q. 3. nn. 8-9

Ille terminus *locus* significat idem quod illi termini, per quos convenienter respondetur ad quaestionem quaerentem, *ubi est hoc?* Et ideo significatum huius termini *locus* circumloquitur et declaratur per adverbia localia.

Nunc enumerandae sunt *conditiones* generales *loci.* — *Prima* proprietas est, quod locus *continet aliquod locatum,* quia quilibet concedit, quod locatum est in *loco* tamquam *in continente.* — *Secunda* proprietas est, quod locus *non est inseparabilis a locato;* quia per motum localem locatum movetur de *uno* loco ad *alium.* — *Tertia* proprietas, quod locus *non est aliquid locati,* scilicet, nec *pars,* nec *accidens.* Quod patet; quia motum localiter dimittit locum in quo prius fuit, et tamen non dimittit *partem* aut *accidens* quod prius habuit. — *Quarta,* quod locus *proprius* alicuius locati est praecise *aequalis* illi locato, quia continet locatum, et nihil plus. — *Quinta,* quod *omne corpus habet locum naturalem,* a quo nunquam movetur naturaliter, immo in eo naturaliter quiescit, et si fuerit extra illum locum, ad ipsum naturaliter redibit, si non fuerit impeditum. — *Sexta,* quod *sursum* et *deorsum, dextrum* et *sinistrum, ante* et *retro* sunt differentiae loci. — *Septima,* quod sicut transmutatio substantialis facit scire materiam, ita *motus localis facit scire locum;* quia sicut ex transmutatione substantiali concludimus materiam esse, ita *ex motu locali* concludimus locum esse. — *Octava,* quod *in eodem loco succedunt sibi invicem diversa corpora,* et hoc est notum. — *Nona,* quod *maius corpus maiorem locum occupat,* et *minus minorem.* — *Decima,* quod *omne motum localiter est alicubi, et mutat locum;* quia *motus localis* est *loci mutatio.* — *Undecima,* quod *nullum quiescens localiter mutat locum,* quia si sic, iam moveretur localiter. — *Duodecima,* quod *impossibile est* * naturaliter * *plura corpora esse simul in eodem loco,* quorum unum non est natum informare reliquum, nec ambo tertium. — *Decima tertia,* quod *idem locatum* * naturaliter * *non potest esse in diversis locis.* — *Decima quarta* et ultima, quod *locus est immobilis per se localiter;* quia quod per se movetur localiter per se est in loco; et tamen locus non est in loco, quia iam esset processus in infinitum in locis.

Patet igitur de *quid nominis* huius termini *locus* et de *proprietatibus* quae secundum communem opinionem conveniunt *loco.*

Notandum, quod hoc nomen *locus* aliquando accipitur *aequivoce,* quia aliquando accipitur pro illo *respectu cuius fit motus localis,* sive respectu cuius cognoscitur velocitas motus; et sic *centrum terrae* seu tota terra dicitur esse *locus coeli;* cuius signum est, quod ad quaestionem factam, *ubi* movetur coelum, respondetur, quod circa terram. — *Alio modo* accipitur *locus* pro *patria* seu magno corpore continente aliquod intra se; et sic solemus dicere, quod secundum *diversitates locorum* proveniunt diversitates proprietatum in rebus naturalibus; et sic dicit Aristoteles in isto *IV. text. 4.,* quod *locus* est *conservativus locati.* — *Tertio modo* accipitur locus pro *continente locatum immediate.*

Et tunc *quae* res sit locus, sunt diversae opiniones. — *Prima* est, quod locus *nihil* est. — *Secunda* opinio fuit, quod locus est *materia;* et movebantur pro tanto, quia sicut in eadem materia succedunt sibi invicem diversae formae, ita in eodem loco succedunt sibi invicem diversa corpora, unum post aliud. — *Tertia* opinio, quod locus est forma; et hoc pro tanto, quia sicut forma est terminus et finis illius cuius est forma, ita locus est terminus et finis corporis locati. — *Quarta* opinio, quod locus est *corpus;* et hoc pro tanto, quia locus est superficies corporis continentis: modo superficies

non est aliqua res indivisibilis existens in continuo, immo superficies est corpus consideratum ut est mensurabile per duas divisiones tantum. — *Quinta,* quod locus est *spatium separatum interceptum inter latera continentis.* — *Sexta,* quod locus est *ultima superficies indivisibilis corporis continentis, quae est versus locatum* (1). — *Physic.* IV. q. 1. nn. 3-4.

Locus proprius — communis. — *Quidam* est locus *proprius,* qui continet locatum, et *nihil plus:* ut superficies aëris immediata *columnae* continet columnam, et nihil plus; igitur est locus *proprius columnae.* — *Alius* est locus *communis* alicuius locati, scilicet, qui continet locatum et *aliquid ultra.* — *Physic.* IV. q. 4. n. 3.

Locus sacer remotus — propinquus. — Possumus distinguere *locum* in locum *proprie* dictum, et in *vas* quod est locus mobilis, secundum Aristotelem *IV. Physic.* (2). — *Oxon.* IV. d. 13. q. 2. n. 13. — De loco autem *mobili* sive vase distinguo, quod vas *remotum* est altare, quod debet esse lapideum, *De consecr. 1.* Altaria, si non sunt lapidea, chrismatis unctione non consecrantur. — Vasa *propinqua* sunt calix et patena, quae debent esse de auro, vel argento, vel ubi paupertas cogit, ad minus de stanno. — *Ib.* n. 14.

Locus — Superficies. — Isti duo termini *superficies* et *locus* se habent sicut *subiectum* et *passio;* quia ultra significationem huius termini *superficies* iste terminus *locus* connotat *continentiam locati.*

Notandum est, quod in definitione propriae *passionis* debet poni suum subiectum loco *generis* una cum differentiis subiecti explicantibus connotationes et significationes, quas propria passio addit ultra significationem sui subiecti (3). — Iste terminus *locus* connotat, ultra significationem huius termini *superficies,* primo, *continentiam locati.* Secundo connotat *separationem a locato,* quia locus debet esse superficies continentis divisa a locato et immediata locato. Tertio connotat *immobilitatem;* et propter hoc additur ista particula *immobilis primum,* id est, non de necessitate mobilis ad motum locati. Ex quibus sequitur, quod ista est definitio completa loci: *Locus est superficies corporis continentis, divisi a locato, et immediata sibi, immobilis a locato;* et forte debet removeri hanc particulam *primum,* quia per eam denotatur idem quod per hanc particulam *immediata.* — *Physic.* IV. q. 3. n. 10.

Praedicta definitio loci est bona definitio *quid nominis.* Quia illa est bona definitio *quid nominis,* per quam significatur *explicite* quidquid per definitum significatur *implicite:* sed sic est in praedicta definitione. Nam ibi ponitur *superficies* loco *generis;* quia in definitione *passionis* loco generis debet poni *subiectum.* Secundo, ponitur *continentis,* ad designandum continentiam locati. Tertio, ponitur *divisi a locato,* ad differentiam superficiei continuae locato, per quam terminatur. Quarto, ponitur *immediata,* sine hac dictione *primum,* ad differentiam superficiei convexae locantis, quae non est locus proprius illius quod locatur. Et ultimo ponitur *immobilis,* ad designandum, quod locus non de necessitate movetur ad motum locati. — *Ib.* n. 11. — Vid. *Super Praedic.* q. 21 et 22. — Vid. *supr. Locus.*

Logica. — Vid. *Scientiarum divisio.*

Logica, an practica? — Licet posset dici, quod *Logica est practica,* quia non est tantum propter *scire proprium,* sed propter *scire directivum* in aliquo actu; quia enim intellectus in actu proprio discursivo potest errare, indiget habitu directivo, priusquam dirigat in aliis, secundum Boetium *super Porphyrium;* ideo Logica potest dici *prima practica* inventa, *extendendo nomen.* Quia tamen iste actus in quo dirigit non est nisi *speculatio,* ideo *Logica proprie non est practica;* non est enim *finis* eius veritas confesse se habens *appetitui recto,* quae veritas est *finis* * scientiae * *practicae,* ex *VI. Ethic.* cap. 3. — *QQ. Metaph.* l. VI. q. 1. n. 14. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 3. — Cf. *Super Univers. Porphirii* qq. 1. 2. 3.

Logica docens — utens. — *Logica* est scientia; quae enim in ea docentur *demon-*

---

(1) Quam sequitur Doctor ib. q. 3.
(2) Cf. exposition. Doctoris ad text. 41. n. 33.
(3) Vid. *Definitio.*

strative concluduntur, sicut in aliis scientiis; ergo *sciuntur*, quia *demonstratio est syllogismus faciens scire, I. Posterior.* text. 5. (1). Sunt etiam in Logica omnia requisita ad demonstrationem, ut *subiectum* et *passio demonstrabilis* de subiecto, per *medium*, quod est definitio.

Intelligendum est tamen, quod Logica *dupliciter* consideratur: — *Uno* modo inquantum est *docens;* et sic ex necessariis et propriis principiis procedit ad necessarias conclusiones, et sic *est scientia*. — *Alio* modo inquantum *utimur* ea, applicando eam ad illa in quibus est usus; et sic non est ex propriis, sed ex communibus, *nec sic est scientia*. — *Super Univers. Porph.* q. 1. n. 2.

Logica scientia rationalis. — *Logica* non est scientia *realis*, nec *sermocinalis;* quia nec *sermonem*, nec *sermonis passiones* considerat, nec suum subiectum *sub ratione sermonis.* Imo quod ista divisio sit insufficiens, sic ostenditur: medium inter rem et sermonem vel vocem est *conceptus;* ergo sicut est aliqua scientia per se de *rebus*, aliqua per se de *vocibus* significativis, ut *Grammatica, Rethorica*, quae considerant passiones vocis, scilicet, *inquantum vocis*, scilicet, *congruum*, et *ornatum*, ita potest aliqua scientia esse per se de *conceptu*, et haec est *Logica.* Unde per se habet dici scientia *rationalis;* non tantum quia traditur per rationem, sicut quaelibet alia scientia, sed cum hoc, quod est de conceptibus formatis *ab actu rationis.*

Si ab aliquo dicatur, *Logicam* esse scientiam *sermocinalem*, ut videtur ex interpretatione nominis, intelligendum est, quod multum convenit cum sermone propter duo: *primo*, quia *conceptus* est immediatum significatum per *vocem*, de quo *conceptu* est Logica: *secundo* quia passiones *conceptus* insunt voci significativae, sicut *incomplexum* et *complexum, significare verum vel falsum*, ut signo per naturam significati. — *Super Praedic.* q. 1. n. 4. — Cf. *Super Univers. Porph.* q. 1. n. 5.

Longitudo — Latitudo — Magnitudo — Multitudo — etc. — *Longitudo, latitudo, magnitudo, multitudo*, etc. sunt aequivoca, ut notant *quantitatem*, et *excessum in quantitate.* — *Primo* modo sunt *species* quantitatis; secundo modo *passiones.* — *Primo* modo sunt idem quod *linea, superficies*, etc., nec habent opposita *breve* vel *strictum*, quia linea, quantumcumque brevis, est *longitudo* illo modo. — *Secundo* modo non sunt in genere *quantitatis* secundum se, sed ut passiones; quod manifestum est de *multitudine*, cui ut est *species* opponitur *unitas* et *paucitas* ut est *passio;* et eidem *univoco* non sunt duo opposita, per Aristotelem, *I. Topic.* cap. 13. — *Super Praedic.* q. 17. n. 8.

Loqui in persona alterius — auctoritate alterius. — Non est idem loqui *in persona alicuius*, et loqui *auctoritate illius*, sive ut minister illius. Communiter enim loquens *in persona alicuius* praetendit simpliciter personam eius, ut est communiter in istis iocose simulantibus aliquos. Iste enim simulat istum balbutientem, vel talem in tali actu, et iste proprie dicendo, sicut ille diceret, *in persona illius* loquitur, vel facit tale factum; et ideo quam cito deficit a faciendo, sicut ille faceret, aut dicendo, sicut diceret, dicitur sibi, *tu mentiris*, vel *tu deficis*, quamvis tunc faciat vel loquatur more suo proprio. Hoc modo est de locutionibus Angelorum *in persona Dei.* Non sic Sacerdos * ex gr. * audit confessiones, vel absolvit in persona Dei; sed tantum est *minister* Dei in illo actu, et ut minister agit, et si ut minister, ergo in persona *propria.* — *Oxon.* IV. d. 21. q. 2. n. 7.

Lumen essentiale — accidentale. — *Lumen* est *duplex: essentiale* et *accidentale*, sive *primarium* et *secundarium.* — *Essentiale* et *primarium* dicitur illa species per quam visus potest devenire in visionem corporis luminosi: et illud est *triplex* secundum triplicem radium, *rectum, fractum* et *reflexum.*

Rectus est qui venit a luminoso ad terminum per medium *eiusdem diaphaneitatis*, sine aliquo angulo, quia natura ibi agit quantum potest, et ideo *breviori* modo quo potest, et linea *recta* est alia sibi conterminali *brevior;* ideo radius solis semper tenet incessum rectum, si potest. —

(1) Vid. *Demonstratio.*

Sed dum occurrit medium *alterius diaphaneitatis*, ut cum *radius* transit per *aërem*, veniens ad *aquam*, quae non est corpus omnino densum, permittit transire radium, sed non per incessum *rectum*, nisi veniat perpendiculariter; ideo declinat *radius* ab incessu *recto*, cum diffunditur per superficiem aquae, quae est medium *alterius* diaphaneitatis, ut patet in perspectivorum lineis; haec autem declinatio *radii* ab incessu *recto* vocatur *fractio radii*, sive *radius fractus*. — *Reflexus* est cum *rectus* radius *inveniens obstaculum* corporis densi transit per medium; sed quia natura corporis luminosi non potest multiplicare speciem lucis suae per medium illius corporis, facit quod potest, multiplicando eam in medio contiguato corpori obstanti. Naturale namque agens, cuius virtus activa non est totaliter exhausta, in *directum* agit quantum potest, et quod non potest in *directum*, agit in *obliquum*; et talis multiplicatio luminis vocatur *reflexio*, quae fit secundum aequalitatem angulorum *incidentiae* et *reflexionum*. De hoc Alacen, Euclides, et alii. — *Report.* II. d. 13. n. 5. — *Oxon.* ib. n. 4.

Praeter haec lumina est aliud quod vocatur *accidentale* sive *secundarium*; ibi est *umbra*, et *non tenebra*, quia in tali lumine videmus nullo radio illorum trium praesente, et illud lumen non multiplicatur immediate nisi a luminari, sed est per se species sensibilis luminis primarii. — *Report.* ib. n. 6.

Lumen — Lux — Splendor — Fulgor. — Notanda est differentia inter *lumen*, *lucem*, *splendorem* et *fulgorem*. Unde *lux* est *qualitas incorporea luminosi in medio diaphano*. — Et *lumen* est quodammodo *species* vel *similitudo lucis*. — Sed *splendor* est *claritas refracta ad aliquod corpus densum*. — Et *fulgor* est *qualitas* vel *dispositio secunda*, *mediante qua relucet corpus tersum et politum*. — *Meteor. I.* q. 11. n. 2.

Lux dicitur ut est in *fonte*; *lumen* ut in *medio*. — *Report.* II. d. 13. n. 4.

Luxuria. — Licet proprie *luxuria* sit in actibus *carnis*, tamen omne *delectabile immoderate* appetitum, inquantum delectabile, potest dici *luxuria*. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 16.

M

Macula — Reatus — Offensa. — Nihil aliud est post actum peccati, cessante offensa, *macula* et *reatus* nisi ista relatio rationis, scilicet: ordinatio ad poenam. Ut est disconveniens ipsi animae dicitur eius *macula*, sicut per oppositum pulchritudo: ut autem est obligatio formaliter ad illam poenam dicitur *reatus*: et ut est actus voluntatis divinae, in qua est tota ista realitas per quem actum ordinatur ad talem poenam, dicitur *offensa*. Nihil enim aliud est offendi vel irasci in Deo, quam velle vindicare ista poena; et licet Deus dicatur figurative iratus vel offensus, tamen accipiendo istam rationem *irasci* pro *velle vindicare*, exclusa passione concomitante istud velle, Deus formaliter est iratus vel offensus, quia formaliter est volens vindicare peccatum commissum contra legem suam. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 7. — d. 16. q. 2. n. 7. — *Report.* IV. d. 14. q. 1. n. 6.

Magis — Minus. — Vid. *Mensura — Proportio*, etc.

Magnitudinis quadruplex acceptio. — *Magnitudo* est *aequivocum*, secumdum quod est species *quantitatis* distincta contra *multitudinem*, *V. Metaph.*, et secundum quod opponitur *parvitati*, et eius concretum, quod est *magnum*, opponitur *parvo*. — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 7. — *Super: Praedic.* q. 24. n. 10.

Iste terminus *magnitudo* accipitur *dupliciter*: — *Uno modo* secundum conceptum *absolutum*; et sic quaelibet *pars* magnitudinis dicitur *magnitudo*, immo etiam quaelibet *extensio*; et sic *magnitudo* est quoddam genus. — *Alio modo* accipitur secundum respectum ad *parvitatem*; et sic est

quaedam species de genere *ad aliquid.* — *Physic.* VII. q. 5. n. 8.

Magnitudo. — Vid. *Longitudo* — *Latitudo* etc. — *Aequalitas in Divinis* — *Multitudo* — *Magnitudo.*

Magnitudo duplex. — Quaedam est magnitudo *recta:* quaedam *curva* vel *circularis,* sive composita ex pluribus *rectis.* Et licet aliquando *improprie* sumantur dimensiones, penes lineam *curvam* verbi gratia, dicimus, quod arcus est longior chorda, tamen *proprie* cuiuslibet magnitudinis dimensio sumenda est penes lineam *rectam,* ita ut quodlibet est ita longum, sicut linea recta protensa de termino eius ad terminum illius. — *Phys.* III. q. 9. n. 8.

Magnitudo in Divinis. — Philosophus, *V. Metaphysic.* c. de *Quantitate* (1) dicit: *Sunt autem magnum et parvum, et maius et minus, et secundum se et ad invicem dicta, quanti passiones secundum se; transferuntur etiam et ad alia haec nomina.* Vult dicere, quod *magnum* et *parvum,* sive accipiantur *absolute,* sive *respective, secundum se* conveniunt *quantitati propriae dictae; translative* autem aliis; et per consequens licet *magnum* et *parvum* sint passiones propriae *quantitatis,* tamen *translative* accepta sunt *transcendentia* et passiones *totius entis.*

Augustinus autem, *VI. de Trinit. cap. 8,* istam *magnitudinem,* quam Philosophus dicit *translative* dictam, dicit esse magnitudinem non *molis,* sed *bonitatis* et *perfectionis. In his,* inquit, *quae non mole magna sunt, idem est maius esse quod melius esse.*

Magnum primo modo, secundum Aristotelem *proprie* dictum, et secundum Augustinum *magnum mole,* non est in Deo, nec in aliquo spirituali; sed magnum *translative,* secundum Philosophum, et magnum *bonitate* et *virtute* vel *perfectione,* secundum Augustinum, potest poni * in Deo *, quia illud est *transcendens* conveniens, suo modo, *omni enti* (2). — *Quodlib.* q. 6. n. 5. et 9. et 34. — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. *per tot.*

In creaturis est *duplex quantitas: continua* scilicet et *discreta.* — Et de quantitate *discreta,* quomodo ponenda sit in Divinis, nihil ad praesens. — Quantitas vero *continua* est duplex: *permanens,* et *successiva.* — *Quantitati* vero *successivae* in creaturis correspondet *aeternitas* in Divinis; omnibus vero quantitatibus *continuis* in terminis *permanentibus* correspondet *magnitudo * virtutis ** in Divinis, quia omnes quantitates *continuae permanentes* important *magnitudinem.* — *Report.* I. d. 19. q. 3. n. 8. — Vid. *etiam* — *Oxon.* I. d. 19. et 31. — *Quodlib.* q. 6.

Magnitudo *virtualis* in Divinis non tantum habet intelligi ut comparatur ad *intrinseca,* sed ut comparatur ad *obiecta extrinseca,* respectu quorum debet habere *vigorem;* et unum sequitur ex alio; quia enim virtus *in se* magna est, ideo comparata ad obiecta producibilia dicitur esse *potens* et *vigorosa;* et ideo *potentia* non importat fundamentum alterius aequalitatis quam magnitudo. Unde *potentia* apponitur ad exprimendum *quantitatem magnitudinis* in Divinis, et non aliam quantitatem a *magnitudine,* sed eamdem alio modo comparatam. — *Report.* ib. n. 9.

Magnitudo in Divinis non dicit *attributum* distinctum ab aliis, sed *gradum intrinsecum,* sive modum intrinsecum *cuiuslibet;* si enim non esset in Divinis nisi unum attributum, ut *sapientia,* adhuc contingeret quaerere de *gradu perfectionis* eius. Unde si quaelibet esset sine alia, adhuc haberet *certam magnitudinem intrinsecam formaliter infinitam.*

Ideo *magnitudo* in Divinis non est *unum fundamentum tantum,* sed est unum fundamentum *indifferens,* quod salvatur in *quolibet* fundamento similitudinis, quia in

---

(1) Vid. *exposit. Doctor.*

(2) « Magnitudo *virtutis* non est perfecta, nisi sit infinita, quia non repugnat sibi infinitas; et nihil est perfectum, cui non repugnat infinitas, nisi sit infinitum: omnis autem alia magnitudo virtutis finita est; sola ista * (divina) * est infinita. In omnibus aliis aequalibus est diminuta unitas magnitudinis secundum quam *aequales* dicuntur, quia illa magnitudo numeratur in ipsis aequalibus: hic autem est perfecta unitas magnitudinis ». — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 5. — « Ergo est ibi magnitudo virtutis, imo infinitas magnitudinis ex natura rei ». — *Ib.* d. 31. n. 2. — *Quodlib.* q. 6. n. 6.

qualibet perfectione simpliciter includitur. Et ideo quot sunt perfectiones, tot sunt magnitudines sua magnitudine correspondente. Et ideo tot sunt qualitates, quot perfectiones *simpliciter.*

Patet igitur, quod *aequalitas* sufficienter in Divinis consistit in duobus: *magnitudine,* et *aeternitate,* cointelligendo tertium, scilicet *potentiam,* modo quo dictum est. — *Ib.* n. 10. et d. 31. — Vid. *Aequalitas in Divinis.* — *Oxon.* I. d. 31. n. 7.

Magnitudo molis. — Vid. *Magnitudo in Divinis.*

Magnitudo perfectionis. — Vid. *Magnitudo in Divinis.*

Magnum. — Vid. *Multum — Magnum.*

Magnum — Parvum. — De *magno* et *parvo, multo* et *pauco,* dicendum, secundum quod patet *V. Met. cap.* 13, quod illa praedicta possunt accipi *dupliciter*: — *Uno* modo, secundum quod *magnitudo* et *multitudo* sunt species *quantitatis.* — Et *alio* modo secundum quod sunt *passiones.* — *Report.* I. d. 24. n. 22. — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 7. — *Quodlib.* q. 6. n. 5.

Magnum et *parvum* possunt accipi aut secundum quod *magnum* importat quantitatem *excedentem,* et *parvum* quantitatem *excessam;* et sic pertinere possunt ad genus *relationis;* et sic *aequale* est medium inter *magnum* et *parvum,* inquantum hoc est *maius,* illud *minus.* — Vel considerari possunt inquantum important magnitudinem et parvitatem *absolute;* et sic pertinent ad genus *quantitatis;* et sic *aequale* non est medium inter *magnum* et *parvum.* — Vel possunt *tertio* modo considerari secundum quod conveniunt alicui *speciei naturali;* et sic *magnum* et *parvum* sunt *contraria,* quia cuiuslibet rei *determinata* est ratio magnitudinis et parvitatis; et sic *aequale* est medium inter ipsa. — Duobus *primis* modis non sunt proprie *contraria,* nec per consequens medium habent. — *QQ. Metaph.* lib X. q. 15. n. 4.

Malitia Ministri Sacramentorum duplex. — Malitia potest esse ministri *inquantum minister,* scilicet in male ministrando: vel quia *non bene credit,* vel quia *non intendit* conferre Sacramentum. Et haec malitia, maxime, non intendendi, impedit Sacramentum conferri, magis quam malitia moris in suscipiente. — *Alia* autem potest esse malitia ministri, non inquantum minister, sed *concomitans,* puta, quod est in peccato mortali. Et hoc non impedit Sacramentum conferre. — *Oxon.* IV. d. 4. q. 4. n. 6. — *Ib.* d. 5. q. 1. n. 4. — *Report.* IV. d. 4. q. 4. n. 9. — d. 5. q. 3. n. 3. seqq.

Malitia triplex. — Vid. *Bonitas et malitia triplex.*

Malum. — Vid. — *Bonum perfectumque duplex.*

Malum duplex. — *Uno modo* potest *malum* intelligi per privationem partium *eiusdem naturae.* — *Alio* modo per privationem perfectionum *convenientium* tali naturae. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 19.

Malum naturae — moris. — In natura est malum *naturae,* et malum *moris.* — *Malum naturae,* cum quis caret perfectione secundaria nata *naturaliter* inhaerere. — *Malum moris,* cum quis caret perfectione *morali* nata inhaerere. — *Report.* II. d. 34. n. 3. — *Malum naturae* est carentia alicuius perfectionis naturae *debitae* vel natae inesse. — *Malum moris* est primo in actu. — Ib. n. 8.

Malum poenae — culpae. — Est *duplex* miseria * seu *malum* *, scilicet, *poenae* et *culpae.* — *Oxon.* IV. d. 50. q. 2. n. 1. — *Triplex* autem malum invenitur in *culpa,* quod non in *poena: unum,* quia pro culpa infligitur poena: *secundum,* quia Deus potest poenam efficere, non culpam: *tertium,* quia culpa facit habentem formaliter malum. — *Ib.* n. 2.

Mansuetus. — *Mansuetus* est qui *exequitur iniuncta sine murmure.* — *Oxon.* III. d. 34. n. 21.

Materia. — Apud Philosophum *materia* vocatur quodlibet habens *quidditatem contractam* — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 13.

Materia duplex. — Vid. *Forma materiaque duplex.*

Materiae acceptio multiplex. — Cum dicitur, quod *materia* est qua *res potest esse et non esse,* dico, quod Philosophus in *VII.* * *Metaph.* * cap. *De partibus Definitionis,* loquitur vario modo de *materia;* et aequi-

vocatio nominum multoties decipit. — *Oxon.* III. d. 22. n. 14.

Materiam * enim * aliquando accipit ibi ut *non contractam* per aliquid adveniens sibi, sed *solam*, ut est *principium potentiale* eius cuius est; et sic accipiendo *materiam*, materia est pars quidditatis in compositis materialibus. — *Aliquando* accipit *materiam contractam* per individualitatem; et sic est de esse *simul totius*, ut distinguitur contra *formam*, ut *forma* accipitur pro universali abstracto; et hoc est accipere *materiam* ut est pars individui substantiae, non autem ut est pars ipsius *quod quid est* * (essentiae) *. — *Aliquando* accipit *materiam* magis contracte, ut *contrahitur per accidens*, sicut *materia syllabarum* diceretur *cera;* sed hoc *accidit*, quia cera potest esse sine syllabis, et syllabae sine ea. — Sumitur etiam *aliter per accidens*, et tamen *necessario*, sicut semicirculus est pars *materialis* circuli, quia non cadit in definitione circuli, nec est pars *essentialis*, sed *integralis*: tamen circulus semper habet semicirculum, et est materia propinquius se habens circulo, quam aes, cum in aere fit rotunditas illa. — *Ib.* n. 15. — *Exposit. in Metaph.* l. VII. n. 76.

Oportet distinguere de *materia* considerata *in universali*, et *in particulari;* et de *materia per se*, quae nullam conditionem includit extra rationem *materiae*, ut est pars substantiae, quae vere est substantia; et de *materia per accidens*, quae aliquam conditionem accidentalem includit: et dico quomodocumque *accidentalem*, sive *large*, ut existentiam, sicut materia *simul totius* (1), sive *proprie;* et hoc vel ut *necessarium*, hoc est, sine qua non, ut semicirculi sunt materia circuli, sive *praeter necessarium*, ut litterae in cera sunt materia accidentalis syllabae, sicut habetur in littera, *text. com. 34.* — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 16. n. 5.

Materiae definitio triplex. — I*. *Materia est ex qua fit aliquid inexistente* (*V. Metaphysic.* c. 2.) — *Theor.* XX. — Id est *intus existente*, ut aes statuae, et argentum phialae, et horum genera; nam aes manet et inexistit ipsi statuae factae ex aere, et similiter argentum phialae. — *Exposit. in Metaph.* l. V. n. 6. — Additur *cum insit* * seu *inexistente* * ad differentiam *oppositi*, ex quo transmutato et corrupto *fit* res, non tamen *inest* rei factae. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 29. — II. d. 12. q. 1. n. 2. — *Physic.* I. *exposit. text.* 82. n. 35. — II. *exposit. text.* 28. n. 23.

II*. Dicit Philosophus in *VII. Metaph.*, quod *materia est qua res potest esse et non esse*, quia est capax alicuius formae quam non habet, quae opponitur illi sub qua est. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 6. — III d. 16. q. 1. n. 2. — *Theor.* XX. — Nam materia est in potentia ad *formam*, qua res habet esse, et ad *privationem*, qua non habet esse, et omnino in omni generatione requiritur materia, ex qua res fit et generatur. — *Exposit. in Metaph.* l. VII. n. 48. — Vera est illa descriptio *materiae;* non tamen intelligenda est ita, quod materia est qua res *tantum cuius ipsa est pars* potest esse et non esse; sed res, sive cuius ipsa est pars, sive quae *recipitur* in ipsa; alioquin forma ignis non posset non esse, quia materia non est pars formae ignis. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 21. — * At praedicta descriptio * intelligitur tantum de materiis *individualibus*, quae non pertinent ad speciei essentiam. — *Super. Univ. Porphyr.* q. 29. n. 2. — * Notandum autem *, quod illa non est definitio materiae *secundum se*, sed ut est *annexa formae* et *contrarietati naturali*, quia nihil corrumpitur naturaliter, nisi quod alteratur. — *De Anima*, q. 15. n. 7.

III*. Ratio autem materiae *secundum se* nec est *quid, nec quale, nec quantum*, etc., sed est *potentia unumquodque.* — *De Anima*, q. 15. n. 7. — *Theor.* XX. * *ex Philosopho VII. Metaph. text. 8., quem sic exponit Doctor* *:

Subiungit * Philosophus * iuxta praedictam opinionem *materiae* descriptionem, dicens: *dico autem materiam quae secundum se*, id est secundum suam quidditatem, *neque est quid*, id est substantia, *neque quantitas, neque aliquid aliud dicitur alio-*

(1) Vid. *Simul totum.*

rum generum, *quibus ens est determinatum*, id est per se divisum. Unde subdit, quod ipsa materia *est quoddam de quo quodlibet horum* praedictorum praedicatur, scilicet denominative; *cui*, scilicet materiae, *est esse alterum, et unicuique categoriarum* praedictarum; ita quod materia, quae subiicitur aliis, habet diversum esse ab his quae de ipsa denominative praedicantur. — Ad cuius declarationem subdit: *alia namque*, scilicet genera, de *substantia praedicantur* praedicatione denominativa; *haec vero*, id est substantia, *de materia* praedicatur denominative. Sicut enim accidentia praedicantur denominative de substantia, ut dicendo *lapis* est *albus*, sic substantia praedicatur denominative de materia, ut dicendo ista *materia est lapidea*. — Ex quo sequitur, quod illud *quod est ultimum* subiectum, scilicet materia, de qua omnia alia praedicantur secundum se, id est secundum suam quidditatem, nec est *quid*, id est substantia, *nec quantitas, nec aliquid aliud*, quod per se sit in genere. — Et non solum materia non est aliquid tale, *sed neque negationes*, ita quod materia sit formaliter negatio, ut negationes formaliter de materia praedicantur. — *Exposit. in Metaph.* l. VII. n. 16.

Quando ait Philosophus, quod de materia horum praedicatur praedicamentorum unumquodque, non intendit de praedicatione *essentiali*, sed *donominativa* (1); alioquin magis concluderetur, quod materia esset substantia vel quantitas, etc., quam quod nullum eorum esset. Loquitur ergo de praedicatione denominativa. — Attendendum tamen, quod aliter alia praedicamenta praedicantur denominative de substantia vel de materia, et aliter substantia de materia; quia accidentia praedicantur de substantia et de materia denominative praedicatione *extrinseca;* substantia vero praedicatur de materia denominative praedicatione *intrinseca*. — *Ib*. n. 17. — *QQ. Metaph.* l. VII q. 5. * *ubi* et *Physic.* I. q. 19, 20, 24. — II. q. 7, *necnon* et *Oxon.* II. d. 12. q. 1. *probat, ex praefata materiae descriptione non sequi* eam carere *omni positiva entitate* *, quia Aristoteles non dicit eam ex intentione, sed arguendo ad partem falsam pro opinione antiquorum ..... Esto tamen quod sit verum, ponit illa quibus ens determinatur et distinguitur: distinctio autem vel determinatio fit ab actu actuante et distinguente, qualis est forma, et nihil huiusmodi est materia. — *Oxon.* ib. n. 18.

Augustinus, *lib. Confes.* * l. XII. c. 32, ait *: *Duo fecisti, Domine*: *unum prope te, et aliud prope nihil;* quod vocat *materiam:* forma autem non potest esse *prope nihil.* Similiter *VII. Super. Gen. ad litteram* dicit idem. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 9. — Loquitur * autem * de ordine entium in genere *substantiae;* et ibi est Angelus ens supremum, et materia ens infimum. — *Ib.* q. 2. n. 6. — Ergo *de facto* nihil est inferius materia prima, licet forte *possibile* sit aliquid inferius creari a Deo. — *Ib.* IV. d. 12. q. 6. n. 10.

* Itaque * si vis habere inter *quodcumque aliquid* et *nihil* unum medium, * materia * erit illud aliquid vel nihil infimum, quod est in substantia. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 5. n. 5.

Materiae primae appetitus. — Non quaecumque forma satiat appetitum materiae totaliter extensive; tot enim sunt appetitus materiae ad formas, quot sunt formae receptibiles in materia. Materia autem prima ad nullam formam *determinate* inclinatur; et ideo sub quacumque quiescit non violenter, sed naturaliter quiescit, propter indeterminatam inclinationem ad quamcumque. — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 6. — Unde respectu nullius formae potest esse generatio violenta in materia, quia materia inclinatur naturaliter ad quamlibet formam inducendam in ea; quamvis per comparationem ad qualitates, quae expellunt et corrumpuntur, et ad formam etiam substantialem, quae corrumpitur per accidens, posset dici violenta. — *Ib.* II. d. 18. n. 6.

Materiae primae conditiones. — *Prima* conditio est quod *materia* est ens *in pura potentia* (1). — Propter quod notandum, quod

(1) Vid. *Praedicatio essentialis — denominativa.*

(1) Vid. infr. *Materiae primae potentia.*

aliquid dicitur esse *in potentia* tripliciter: — *Uno modo* quia non est *praesentialiter*, sed tamen *potest esse;* et sic dicimus, quod *Antichristus* est ens *in pura potentia;* et ad hoc quod aliquod tale ens sit possibile, oportet, quod agens potens ipsum producere sit de facto, et cum hoc materia, ex qua potest produci, secundum Commentarem; sed secundum rei veritatem sufficit, quod sit agens potens eum producere, quia aliquid potest fieri *ex nihilo* (1). — *Secundo modo* dicitur *esse in potentia* illud quod non est actu *separatum*, potest tamen esse separatum; et sic dicimus, quod *pars* est *in potentia* in suo *toto*. — *Tertio modo* dicitur *ens in pura potentia*, non quod non sit *in actu*, sed quia *non est actus*, scilicet, *forma*, vel *habens formam*, quam sibi determinat a natura; et isto modo *materia prima* dicitur ens *in pura potentia*. — *Physic*. I. q. 20. n. 3. — *Oxon*. I. d. 27. q. 3. n. 10.

Secunda conditio est, quod *materia prima* est *cognoscibilis per analogiam ad formam*. — Unde notandum, quod aliquid potest *cognosci* tripliciter: — *Uno modo* sicut sensibile *proprium* quod agit speciem suam in sensum. — *Alio modo* sicut sensibile *per accidens*, sicut substantia, quando concipitur conceptu *quantitativo*. — *Tertio modo* sicut illa quae *non sunt sensibilia per se, nec per accidens:* sicut Deus, Intelligentiae, intellectus, et actus intelligendi, quae cognoscuntur per argumentationem. — *Physic*. ib. n. 6.

Nunc est *prima conclusio:* Materia prima non cognoscitur sine argumentatione et discursu. — *Secunda conclusio:* Per nullam unicam speciem alicuius rei possumus devenire in notitiam materiae primae. — *Tertia conclusio:* Nullus processus quo devenimus in cognitionem materiae primae est demonstrativus. — *Ib*. nn. 6-7; * *ubi, praedictis conclusionibus probatis, concludit* *:

(1) Possibilitatem et factum creationis *ex nihilo* pluribus evincit Doctor *Physic*. I. q. 17. — VIII. q. 1. — *De rerum principio*, q. 5. — *De Primo principio*, cap. II. et III. — *QQ. Metaph*. I. V. q. 2. — I. VII. q. 8. — I. XII. q. 1. et 28. — *Oxon*. I. d. 2. q. 1. — II. d. 1. qq. 2. et 3. — *Quodlib*. qq. 7. 12. et 21.

Patet igitur qualiter materia prima cognoscitur per *analogiam ad formam*, per discursum et rationem, qui, licet non sint demonstrativi, verissimiliores sunt aliis viis salvandi generationem et corruptionem.

Unde notandum, quod materia prima non potest cognosci per speciem propriam, eo quod non potest movere intellectum, cum sit ens in pura potentia (1); ideo cognoscitur per species aliarum rerum, et per istum modum: quia sicut per *operationem* intellectus arguitive cognoscit formam, ita per *transmutationem* materiam (2). Et ideo quia videmus in *artificialibus* esse aliud subiectum, scilicet aes, quando fit statua, et quando fit lectulus subiicitur aliud, scilicet lignum, et ita in aliis, ita per *inductionem*, et *a simili* concludimus, quod in transmutatione *substantiali* subiicitur aliquid, scilicet materia prima, quae se habet ad compositum naturale quemadmodum in artificialibus informe, scilicet materia, se habet ad illud quod fit ex ipsa materia. Et ideo dicit Aristoteles, quod materia est cognoscibilis *per analogiam*, id est, per argumentum *a simili* et per inductionem in aliis. — *Ib*. exposit. text. 69. n. 33.

Philosophus * autem * loquitur de materia *ut est subiectum* non solum in generatione, sed etiam in alteratione, et *ut habet ordinem ad transmutationem*. Sic nec subiectum motus, nec mutationis est scibile *per se*, nec scitur per se, sed *in comparatione* ad aliud.

Sed non sequitur, quod non sit alio modo scibile *per se* et *secundum se*. Sicut *ignis, ut transmutatur localiter*, non potest cognosci nisi per comparationem ad locum; potest tamen cognosci alio modo perfectiori, quam per comparationem ad locum. Intentio autem Philosophi est ibi, quod quantumcumque materia vel subiectum cognoscatur et sit cognoscibile *in se* et *per se*,

(1) Sensu infra *(Materiae primae potentia)* explicando.

(2) « Augustinus probat, materiam esse notam per mutationem; quia oportet aliquid moveri, sicut dicit Philosophus. Propter quod dicit Commentator quod transmutatio fecit scire materiam ». — *Oxon*. II. d. 12. q. 1. n. 2.

est tamen cognoscibilis *in comparatione* ad formam.

Dico igitur, quod materia *secundum se in sua essentiä* est cognoscibilis, sed *non a nobis*. — *Primum* patet, quia omnis entitas absoluta in se est cognoscibilis: materia est huiusmodi; ergo, etc. Habet enim ideam in Deo, vel ex parte obiecti, vel secundum rationem ex parte essentiae, secundum aliam opinionem. — *Secundum* patet, nam forma est magis cognoscibilis a nobis quam materia: sed forma non cognoscitur nisi ex operationibus; igitur nec materia; quanto enim est aliquid magis remotum a sensibus, tanto minus est a nobis cognoscibile. Cognoscimus igitur materiam, ut dicit Commentator, *per transmutationem*. Videmus enim unam formam novam post aliam, quia videmus novam operationem, quae arguit novam formam; igitur subiectum transmutationis commune manet: hoc est materia. Non igitur sequitur: est cognoscibilis in analogia ad formam; igitur alio modo, vel *in se* vel *secundo se*, non est cognoscibilis (1). — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 19. — Cf. ib. q. 2. n. 7.

* Itaque * cum dicitur * ex Philosopho, *VII. Metaph.* cap. *de partib. defin.* *: *materia est secundum se ignota*, dico, quod quia materia non habet esse *perfectum* in effectu, nisi per formam dantem esse tale ultimate in effectu, ita forma facit cognoscere etiam materiam: utraque tamen sunt una causa integra cognoscendi perfecte compositum. Est igitur materia *ignota*, quia non est *perfecta ratio cognoscendi* illud cuius est, nec potissima. Et hoc pro tanto dicitur, quia forma est aliquo modo ratio cognoscendi materiam. — *Vel aliter* * dico * quod * Philosophus * loquitur de cognitione *scientifica*, et de materia *contracta* per esse existentiae; et ita materia est ignota *scientifice*, et est causa contingentiae, et ideo non facit cognitionem scientificam eorum quorum est materia, sed causat contingentiam in eis; et non possunt sciri, sed eorum est tantum *opinio*. — *Ib.* III. d. 22. n. 16.

(1) « Non est * vero * scibilis per formam *sub qua* est, sed per illam *ad quam* tendit, et per illam *quam* amittit ». — *De rer. princ.* q. 8. n. 19.

Tertia conditio est, quod *materia prima* est perpetua, * seu *ingenerabilis* *. — Notandum, quod aliquid dicitur generari dupliciter: — *Uno* modo *terminative*, et sic attribuiter formae vel composito, quemadmodum dicimus *asinus generatur*. — *Alio* modo *subiective*, et sic dicitur illud quod *subiicitur generationi*. — Et tunc Aristoteles intellexit primo modo, quod materia sit perpetua, quia *ingenerabilis* et incorruptibilis *terminative*. Quod probatur, quia si materia posset generari, sequeretur, quod aliquid esset antequam fieret: consequens est impossibile. — Et consequentia probatur, quia materia prima vel generatur *ex nihilo;* et hoc non, sicut omnes antiqui concesserunt, * et hoc *non* esset *generari*, sed *creari* *: vel *ex aliquo;* et hoc non, quia illud *ex aliquo* non esset nisi *materia prima*, et per consequens materia prima *esset antequam fieret*.

Per idem probatur, quod materia prima est *incorruptibilis*, quia tunc aliquid esset postquam corrumpitur, quod est falsum. — *Physic.* ib. q. 20. n. 10.

Concedo * ergo *, quod materia est *ingenita* et *incorruptibilis;* non tamen ex hoc sequitur, quod sit sempiterna, quia non habet materiam unde fiat. Est tamen producta tota; quae productio non est generatio, quia generatio et corruptio sunt compositorum, non simplicium. — *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 21. — Sed materia est terminus *creationis*, et sic immediate creatur a Deo; quia ex quo materia est aliquid primum in entibus, non potest subesse causalitati alicuius creaturae. — *Ib.* d. 12. q. 2. n. 4. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. qq. 8. et 10, * *ubi ex professo de hoc agit* *.

Quarta conditio est, quod materia prima est *informis*. — Et hoc intelligitur dupliciter: — *Uno modo*, quod non habeat formam, sed quod sit separata, vel separabilis a forma; et hoc est impossibile * naturaliter * (1). — *Physic.* ib. n. 12. — *Secundo modo* intelligitur conditio, quod *materia prima* sit *informis*, id est, quod non ha-

(1) *Divinitus* enim posse materiam existere sine forma, pluribi docet Doctor, maxime *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 9. — *De rer. princ.* q. 8. art. 6.

beat aliquam formam tamquam *partem essentiae suae.* — Quod probatur: quia si haberet aliquam, tunc *materia prima* non esset *primum* principium, sed potius *partes* ex quibus componeretur. Intelligitur * autem * quod *materia prima* sit *informis consecutive,* sic scilicet, ut nullam habeat formam actualem *consequentem* naturam suam; et hoc est verum. Quod probatur: quia si haberet aliquam, tunc non esset ens in *pura potentia,* imo esset *in actu* saltem per illam formam. — *Ib.* nn. 13 et 14. — Forma * igitur * non est de essentia materiae, quia aliter adveniente alia et alia forma, esset alia et alia essentia materiae. — *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 3.

Quinta conditio, quod *materia prima* est *una specie* in omnibus generabilibus et corruptibilibus. Probatur: quia si essent materiae *diversarum rationum,* tunc sequeretur, quod non omnia generabilia et corruptibilia essent invicem transmutabilia, quod est falsum. Et istud sic intelligitur, quod si per imaginationem circumscriberentur omnes formae, tam substantiales, quam accidentales, tunc tota materia prima et quaelibet pars eius essent *eiusdem* rationis; et ideo non intelligitur, quod una portio materiae primae sit *alia,* sed ambae sunt *eiusdem* speciei (1). — *Physic.* ib. n. 16.

Sexta conditio est, quod cuiuslibet transmutationis naturalis materia prima est principium. — Ib. n. 18. — * *Quibus in locis praedictas sex conditiones convenire materiae primae late demonstrat* *.

Materiae primae esse triplex. — *Materia* habet *triplex esse,* scilicet: esse *essentiae* quod est *in determinato genere,* inquantum est capacibilitas quaedam formarum, secundum quod a Deo per ideam est factibilis. Unde secundum illud esse non est producta, sed respicit Deum ut causam *exemplarem.* — *Aliud* esse habet inquantum est *actu vere* pars *compositi,* effectus Dei, aliquid extra, et prope nihil. — *Aliud* esse habet secundum quod per formam ad *certum gradum* vel *speciem determinatur* et contrahitur suum esse indeterminatum. — *De rer. princ.* q. 9. n. 3.

Ex praedictis apparet, quod in *materia* possumus considerare *triplex esse,* scilicet: *simpliciter* et esse *aliquid* in *duplici differentia. Esse simpliciter,* seu *actualiter,* habet *materia* inquantum est effectus Dei, ut, scilicet, est res quae producitur in gegere substantiae. — *Ib.* q. 8. n. 3.

Habet etiam esse *hoc* vel esse *tale,* et hoc sub *duplici differentia:* habet enim unum esse inquantum est *omnium formarum quaedam capacitas,* secundum quod dicit Augustinus, *De vera Religione, cap. 18: Bonum* (inquit) *est enim esse formatum, non nullum ergo bonum est et capacitas formae.* Et *De natura boni, cap. 18: Habet* (inquit) *enim et ipsa capacitatem formarum, nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies utique diceretur.* Istud autem tale esse non habet materia ut est effectus quidam, sicut dixi de alio *primo esse simpliciter* et *actuali,* sed a sua natura, quae est differens per essentiam a forma et ab omni alia re; et habet tale esse, et respicit Deum in ratione formalis esse, ut habet *ideam* secundum rationem in Deo distinctam, iuxta et secundum quam talis capacitas *formabilis* est. Et de tali esse est verum dicere, quod illorum *esse* sunt diversa, quia tale esse est esse *essentiae.*

Esse autem *tertium* habet materia per illud quod recipit per formam. Omne enim, quod essentialiter unitur alicui, *actum* suum ei communicat, ut anima corpori *vitam, sensum* et *motum* et similia. Et quia *forma* de ratione sua est *perfectio* quaedam *determinata,* sicut *materia* res quaedam seu *capacitas indeterminata,* ideo materia recipit a forma esse *determinatum,* sicut ipsa *forma* est *gradus determinati.* Unde uterque actus * (seu *esse*) * praedictus *materiae* est *in potentia* respectu istius *tertii actus,* quem habet *a forma* sicut a suo formali. *Esse* autem *actuale* non habet ab ipsa *formaliter;* nec enim materia *formaliter* per formam est actu; sed per formam est *talis,* puta *lignea* vel *terrea,* sicut *cera* non est

---

(1) *Idem docet in libro* « De rerum principio », q. 8. art. 4. — *Oxon.* II. d. 14. q. 1. n. 2. seqq. — *At Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 18, *tenet materiam esse diversam* numero *in quibusvis entibus numero diversis.*

cera per *impressionem talem* vel *talem*, sed est *talis*, puta, *imago istius* vel *illius*.

Sic ergo patet de esse *materiae*, et *in se* et *respectu ad formam*. — *Ib.* n. 5. — Cf. *Oxon.* I. d. 36. n. 15. — II. d. 12. qq. 1. et 2.

Materiae primae potentia. — Distinguit Philosophus (1) duplicem potentiam passivam materiae, *propinquam*, scilicet, et *remotam*. — *Propinqua* dicitur ea quae est ad susceptionem formae ordinata *unica transmutatione;* et vocatur *potentia simpliciter*, quia debetur materiae alicuius per formae corruptionem. — *Remota* dicitur quae indiget *multis transmutationibus*, ut forma introducatur; et ista correspondet materiae quae dicitur materia alicuius secundum formam intermediam, quam potest recipere. — *De rer. princ.* q. 8. n. 21.

Est falsa imaginatio tollenda, quae dicit, quod *materia* est potentia *nullam habens entitatem actualem;* quia, inquiunt, quod est *pura potentia* nullam actualitatem habet: talis, ut dicunt, est materia, quia si caret forma, statim recidit in nihil. Non solum propter hoc dicunt aliqui, quod sine forma non potest existere, sed quod *nullam actualitatem habet nisi a forma*, ut nec etiam aliquo modo effectus alicuius causae possit dici. — *Ib.* q. 7. n. 1. (2).

Sive materia sit *potentia*, seu *in potentia*, non excluditur, quin sic sit *actu vere existens* in composito; sed quod *nullius secundum se est actus*. Quia etiam esse actu non sibi convenit *ut formae*, propter hoc dicitur *potentia* et *in potentia*. — *Ib.* q. 8. n. 3. — Nam materia, etsi aliquod ens sit, tamen ita infimum est, quod non est principium alicuius actionis productivae. — *Oxom.* IV. d. 1. q. 1. n. 29.

Qualiter ergo materia est *ens in potentia?* Dico, quod materia est per se *principium*, ex *I. Physic. text.* 52 (3). Est etiam per se *causa*, ex *II. Physic. text.* 7 (1) et *V. Metaph. text.* 28 (2). Est etiam per se *pars compositi*, ex *VII. Metaph. text.* 7 (3). Et est per se *subiectum generationis*, ex *V. Physic. text.* 17, manens idem in tota mutatione, ex *I. Physic. text.* 7. *et* 8. Et est etiam *terminus creationis*, per Augustinum *XII Confes.* et etiam per Aristotelem *I. Physicor. text.* 60 (4). Est *ingenita* et *incorruptibilis*. Ergo (5) est aliquod ens *positivum extra suam causam*, non solum ens *in potentia*, ut est Antichristus, vel aliquod aliud, quod solum habet *esse*, quia datur agens sufficiens productionis suae; quia tale ens non est per se *causa*, nec est *principium* per se, nec *pars compositi*, nec etiam tale *manet idem sub utroque extremo*, quia est *terminus mutationis*.

Nec potest *materia* esse ens *in potentia*, ut *potentia* dicit *respectum ad terminum mutationis;* quia talis respectus mutatur ad mutationem terminorum, ex *III. Physic.* de *posse sanari*, *et posse laborare: materia* autem *manet eadem* sub terminis oppositis; erit ergo *in potentia* ut *principium potentiale*.

Item, creatio non terminatur ad illud quod tantum habet *esse intra virtutem suae causae: materia* autem est terminus verae et realis creationis, ut patet per Augustinum, *ubi supra;* ideo est *ens verum distinctum ab entitate formae*.

Dicitur etiam esse ens *in potentia*, quia ens *receptivum* actus substantialis *primo*, et accidentalis *mediante forma substan-*

---

(1) Vid. *Exposit. in Metaph.* lib. VIII. text. 14. n. 32. seqq.

(2) Ubi late demonstrat materiam primam habere aliquam entitatem actualem non acceptam a forma. Cf. etiam *Physic.* I. q. 20. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 5. et 16. — *Oxon.* II. d. 12. qq. 1. et 2.

(3) Cf. Doct. *Physic.* I. q. 19.

(1) Cf. Doct. *Physic.* II. exposit. text. 7. n. 21. et q. 5; exposit. text. 28. n. 23. et q. 7.

(2) Cf. exposit. Doctor. n. 6. seqq. et lib. II. exposit. text. 5. n. 9.

(3) Cf. exposit. Doct. n. 11. seqq.

(4) Vid exposit. Doct. n. 23.

(5) « Igitur sequitur, quod est aliquid, non in potentia *obiectiva* tantum; sed oportet tunc, quod sit in potentia *subiectiva* existens *in actu*, vel *actus* (non curo quodcumque dicatur), secundum quod omne illud dicitur esse *in actu* vel *actus*, quod est *extra causam suam*. Cum enim sit principium et causa entis, oportet necessario, quod sit *aliquod ens;* quia, cum principiatum et causatum dependeat a causa sua et a principio suo, si esset nihil, vel non ens, dependeret ens a nihilo, vel non ente, quod est impossibile ». — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 11.

tiali; et ideo, licet aliquo modo dicatur *ens in actu*, prout *ens in actu* distinguitur contra *esse in potentia suae causae*, quia est aliquid extra causàm suam, tamen distinguitur contra *actum distinguentem* et *completum speciei;* et ideo describitur per *ens in potentia*, quia est *maxime receptivum* actus, non quod omnino non sit ens nisi in potentia, ut anima Antichristi. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 12, 13. — *Oxon.* ib. n. 11.

Potentia prout distinguitur contra *actum*, et ut sunt *differentiae entis*, est aliquid quod solum habet *esse* in *virtute suae causae*, quod potest exire in effectum; et hoc modo in omni re creata est *actus* et *potentia*. Isto modo non est ens *in potentia*, quia habet *verum* esse *extra suam causam*; sed materia vere est *actus*, ut distinguitur contra *potentiam*.

Alio modo accipitur *actus* et *potentia*, prout *actus* dicitur illud quod *actuat* et *informat aliud; potentia* vero illud quod *actuatur* et *perficitur*. Et sic accipitur *actus* et *potentia VII. Metaph. text.* 4. et lib. *VIII. text.* 15., ubi dicitur, quod *actus separat* et *distinguit*, et *potentia* est illud quod est *distinguibile* et *actuabile*. Et materia isto modo non est *actus*, sed *potentia*. — *Report.* ib. n. 17. — *Oxon.* ib. n. 15. — Si accipis actum pro actu *informante*, materia non est actus. Si autem accipias actum pro omni eo quod est *extra causam suam*, sic materia potest dici ens *actu* vel *actus* (1). Sed secundum communem modum loquendi *esse actu* attribuitur et appropriatur formae. — *Oxon.* ib. n. 20.

Potest etiam materia dici *in potentia*, propter negationem *triplicis actus*, scilicet: propter negationem *actus* qui est actualiter *per se subsistere;* et actus qui est *nostrum intellectum directe movere;* et actus qui est *operationem elicere* perfective per se. — *Materia* enim, saltem per naturam, non potest *per se subsistere;* et sic privatur actu qui debetur *supposito*. — Nec movet sensum, nec intellectum directe, ut dicit Augustinus, *lib. De natura boni*, c. 18. *Sed hyle* (inquit) *dico quamdam penitus informem, et sine qualitate materiam, unde istae, quas sentimus, qualitates formantur, quae non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei privationem cogitari vix potest.* — Hoc idem *patet ratione:* quia cum intellectus noster sit finitus et carne obscuratus, sicut nec *actualissima* intelligit perfecte, ut Deum, per suum excessum, sic nec illa quae modicum habent de entitate, propter eorum defectum, cuiusmodi sunt *materia*, *tempus* et similia. Et sic privatur ab eis actus *perfectae essentiae* proportionaliter ad movendum intellectum nostrum directe. — *Nec* etiam *movebit* aliquem *sensum*, quia qualitates sensibiles non fundantur nisi in corporibus: ratio autem *corporis* est extra rationem *materiae* de se. Et isto modo privatur a *materia* actus qui debetur *accidentibus*. — Privatur etiam tertio ab ea actus qui est *operatio;* non enim est principium *agendi*, sed *patiendi*. — *De rer. princ.* q. 8. n. 4.

Ad videndum igitur naturam huius *potentiae*, est sciendum, quod materia et sua *potentia*, per quam est formarum substantialium susceptiva, *sunt omnino idêm re, differentia solum ratione*. Materia enim *de ratione sua* nominat substantiam quamdam actu in composito existentem; cuius actua-

(1) « Aequivocatio est de *actu*, quia *uno modo* actus est *differentia entis* opposita *potentiae*, prout dividitur omne ens. quod est scilicet in *actu* vel in *potentia*. — *Alio* modo *actus* dicit habitudinem illam quam dicit *forma* ad *informabile*, et ad totum cuius est. — Et eodem modo aequivocatur de *potentia;* quia ut opponitur actui *primo modo* dicit *ens diminutum*, cui scilicet non repugnat esse extra causam suam; ens autem in *actu* oppositum isti potentiae est ens completum in suo esse extra causam suam, quodcumque sit illud. — *Alio* modo *potentia* dicit *principium receptivum* actus secundo modo dicti, sicut *materia* dicitur *potentia* et *forma actus*.

Ad propositum ergo: materia sine forma est in actu *primo modo*, et non in potentia. Quod probatur per Augustinum, *Confessionum*. Ecce verba sua: *Materia ipsa accepit a Deo hoc imperfectum esse, quod habet, scilicet in potentia*. Et necesse est, ipsum hoc ponere, quia materiam concedit a Deo creari; sed antequam crearetur erat in potentia *primo modo*, quia aliter crearetur quod impossibile est creari; ergo post creationem fuit in potentia isto modo, quia tunc per creationem non esset aliqua entitas materiae productae; tantum igitur post creationem fuit in potentia secundo modo, quia fuit receptivum actus secundo modo dicti ». — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 12.

litas est *imperfecta*, et actualitate omnis formae opposita. Unde nominat illam substantiam modo absoluto, *absque respectu positivo ad aliud* (1).

Potentia vero *passiva* materiae nominat ipsam eamdem substantiam *sub respectu ad formam*, sub indifferentia tamen ad omnes; et hoc inquantum nec est in motu, nec inquantum est in transmutatione ad aliquam istarum, nec inquantum est in actu sub aliquo illorum, nec ut determinata seu disposita ad receptionem alicuius illarum, nec ad unam potius quam ad aliam; et sic *potentia passiva* nominat materiam sub respectu ad formas. Unde non est aliud quam respectus fundatus in materia; et hoc ex essentia materiae, non ex aliquo superaddito materiae. Sicut *similitudo* habet esse in homine albo ex respectu ad alium *album* per albedinem quam *habet in se*. Et hoc est *potentia pure passiva*, ad quam habet reduci omnis ratio potentiae passivae, ut determinat Philosophus *II. Metaph.* text. 2. — Ib. n. 6; * *ubi praedicta fussiori prosequitur calamo* *.

Materia dicit entitatem aliquam positivam extra intellectum et causam suam, secundum quam entitatem est capax formarum substantialium, quae sunt *actus* simpliciter. Unde oportet, vel quod res generabilis et corruptibilis sit omnino simplex, ut *forma*, vel componatur *ex aliquo* et *nihilo*, vel sit compositum *ex aliquo* et *aliquo*. — *Primum* est absurdum, scilicet, quod generabile sit *simplex*. — *Secundum* etiam est impossibile, scilicet, quod aliquid componatur *ex nihilo* et *aliquo*. — Igitur sequitur necessario *tertium*, scilicet, quod aliquid componitur *ex aliquo* et *aliquo*, sicut ex *materia* et *forma*. Non est autem inconveniens, quod in composito sit aliquid et aliquid; sicut non est inconveniens, quod aliquid sit compositum. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 13.

Et si fiat altercatio, quod ex *actu* et *actu* non fit *unum per se*, nec ex *esse* et *esse;* dico, quod si accipias *esse actu* ut distinguitur contra *potentiam*, secundum quod *actus* et *potentia dividunt totum ens*, sic dico, quod *materia* potest dici *in actu*, licet non dicatur *actus*, quia *actus* habet eam distinguere et denominare. Si autem *actus* dividatur contra illud quod *recipit actum*, sic *materia* non est *actus*, quia est primum receptivum *actus:* tale autem oportet esse denudatum ab omni actu, quia est distinguibile per omnem actum, ut sic possit esse pars omnis entis. — Cum igitur dicis, quod ex *duobus entibus* non fit *unum;* dico, quod falsum est, quando unum est in potentia ad aliud, et similiter dicendum est de *esse* et *esse*. — *Ib.* n. 15.

Dico igitur, quod mihi est contradictio, quod *materia* sit terminus creationis, et pars compositi, et quod non habeat aliquod *esse*, cum tamen sit aliqua *essentia*. Quod enim aliqua essentia sit extra causam suam, et quod non habeat aliquod *esse*, quod sit essentia, est mihi contradictio. — *Ib.* n. 16.

Ideo tenendum est, *materiam* esse aliquid *positivum potentiale* habens naturalem inclinationem ad aliam formam naturalem, quae includit *non esse* formae quam habet; et sic ex illo est generatio naturalis per se et primo, inquantum habet inclinationem naturalem ad aliam formam. Unde ex inclinatione illius principii est *generatio* naturalis; *corruptio* vero est ex consequenti naturali inclinatione eiusdem principii. — Dico ergo, quod *materia est alia entitas a forma*. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 10.

Materia — **Forma**. — Philosophus, *II. Physic.* et *V. Metaph.* * ait *: *Materia est ex qua fit res cum insit.* Et ponitur *cum insit* ad differentiam termini oppositi, ex quo fit res, non tamen *inest*. — *Forma* autem est *terminus* factionis. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 2. — I. d. 2. q. 7. n. 29. — Cf. *Physic.* I. exposit. text. 82. n. 35. — *II. Exposit. text.* 28. n. 23. — *Exposit. in Metaph.* l. V. n. 6.

(1) « Tamen dicitur ens *in potentia*, quia quanto aliquid habet *minus de actu*, tanto *magis est in potentia;* et quia *materia* est *receptiva omnium* formarum substantialium et accidentalium, ideo maxime est *in potentia respectu earum;* et ideo definitur per *esse in potentia*, secundum Aristotelem. Non enim habet actum *distinguentem*, vel *dividentem*, vel *receptum*, vel *informantem* et *dantem* sibi esse *specificum*. Ex quo tamen est *receptivum* istius actus per suppositum, et est causa compositi, non potest esse nihil; quia nihil non est alicuius receptivum ». — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 11.

Sed considerando intentionem Aristotelis in diversis locis, diversimode *materiam* accipit. — *Materiam* enim quandoque vocat *principium receptivum* faciens compositionem cum *actu* sive cum *forma*, quomodo dicit *materiam* et *formam* esse *duo principia, I. Physic.*, et multis aliis locis. — Et per oppositum *forma* dicitur illud aliud *principium*, quod habet rationem *actus*, quod cum *materia* constituit compositum.

Alio modo *forma* dicitur *quidditas*, secundum ipsum in multis locis. — Et per oppositum *materia* dicitur quidquid habet rationem *contrahentis* vel *determinantis* ipsam quidditatem. Et hoc modo *differentia individualis*, quaecumque sit ipsa, dicitur *materia* respectu *quidditatis specificae.*

Dicitur ergo *materia* quandoque illud quod *recipit* formam informantem; quandoque illud quod *contrahit* vel *determinat* quidditatem indifferentem.

Sed tale *contrahens* vel *determinans* potest intelligi *dupliciter: uno* modo quasi *intrinsecum* inferiori vel determinato sub tali communi: *alio* modo quasi *praesuppositum* determinato. *Exemplum:* differentia individualis Socratis *contrahit* hominem *primo* modo, quae est *intrinseca* Socrati; sed *secundo* modo *hoc corpus contrahit* albedinem vel colorem, quia in alio corpore est *alia albedo;* et secundum hoc, si non possent esse nisi *tria corpora*, non possent esse nisi *tres albedines. Contrahens* tamen *secundo* modo potest reduci ad *materiam primo* modo, vel saltem includens quasi materiam. — *Quodlib.* q. 2. n. 20.

Forma substantialis licet *insit* materiae informando, non tamen *inhaeret*, quia *inhaerere* dicit non per se informare; quia inhaerens nec est actus *simpliciter*, sed actus *secundum quid*, nec cum illo cui inhaeret facit per se unum: opposita conveniunt ei quod per se informat. — *Ib.* q. 9. n. 3.

Notandum, quod *forma* comparata ad *materiam* dicitur *totum*, et *compositio* et *species*, aliter et aliter, secundum quod *materia* sumitur *tripliciter* in diversis: *quaedam* enim est *materia secundum compositionem*, ut *lapides* sunt *materia domus;* et isti correspondet forma quae dicitur *compositio. Alio* modo est *materia secundum alterationem* quamdam, ut *cibus alteratus* dicitur esse *materia corporis* vel *sanguinis;* et isti materiae correspondet *forma* quae dicitur *species;* nam *alimentum corruptum* et conversum suscipit *speciem* et *formam aliti. Alio* modo accipitur *materia* secundum *alterationem simul* et *compositionem;* ut *quatuor elementa* sunt *materia mixti*, eo modo quo manent in mixto; et isti *materiae* correspondet *forma* quae potest dici *totum*, sicut ex *aqua* et *melle* fit quoddam *totum* quod dicitur hydromeli. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. unic. c. 2. n. 13.

Sequitur secundo videre, quomodo *materia realiter distinguitur a forma.* — Dico, quod *sunt omnino alterius rationis et primo diversa* (1). Quod probo sic: *Actus* et *potentia*, quae sunt principia entis, sunt *primo diversa: materia* et *forma* sunt huiusmodi; ergo. Si enim *forma* esset eiusdem rationis cum *materia*, non competeret sibi *dare* esse; et si materia esset eiusdem rationis cum forma, non competeret sibi *recipere* esse. Si etiam *aliquid formae* includeretur in *materia, forma* quantum ad hoc non esset apta nata *recipi*, sed magis *recipere*, et sic *forma* non esset primum *receptum*, sed aliquid eius esset non receptum, sed *receptivum*. Eodem modo si *aliquid materiae* esset inclusum in *forma*, ipsa non esset primo *receptiva*, sed *recepta*, quantum ad aliquid sui.

Sic igitur *sunt omnino alterius rationis et primo diversa inter se.*

Quomodo igitur ex quo sunt *duo* principia distincta et primo diversa, possunt constituere aliquid *unum simpliciter?* Dico,

---

(1) « Materia est ens absolutum, distinctum, et prius forma quacumque, substantiali scilicet et accidentali. Quod enim materia sit quid *absolutum*, satis patet, quia facit compositionem realem et absolutam. Quod autem sit *prior* forma, saltem *natura* et *origine*, patet, quia est receptivum formae et fundamentum eius: sed receptivum et fundamentum formae est prius forma ». — *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 3. — « Materiae enim est praecedere secundum originem et determinari; formae autem sequi et determinare ». — *Ib.* IV. d. 3. q. 2. n. 3.

quod quanto aliqua sunt magis distincta et diversa formaliter, tanto sunt magis disposita ad faciendum per se unum, quia in illa constitutione non requiritur similitudo in natura, sed *proportio* conveniens, quae potest esse inter *primo diversa* (1). — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 16; ** ubi fusiorem praedictorum videas explicationem **. — Cf. etiam ib. d. 1. q. 4. n. 5.

Deinde videndus *actus materiae*, et *actus* qui dicitur *formarum distinctio*. — Circa quod sciendum, quod *materia est in actu*, sed *nullius est actus*. Est quoddam *in actu*, ut est res quaedam extra nihil, et effectus Dei, et terminus creationis. *Nullius* vero *est actus:* tum quia ipsa est fundamentum omnium actuum: tum quia sua actualitas nullius est generis, ac per hoc nec actum aliquem dare potest: tum quia si alicuius esset actus, illud haberet minus de entitate, tamen ex quo actum reciperet, necessario aliquem actum haberet, et ens actu esset; illud autem diceremus *materiam*, et illud quod dicis *actum eius* diceremus *formam*. Est ergo ens *actu*, ut terminus creationis, saltem in composito; sed *nullius est actus*.

Forma etiam est quoddam *in actu*, et *est alterius actus*, scilicet, *materiae*, et *totius compositi*, quamvis *aliter* et *aliter*. *Forma* etiam est *in actu*, inquantum est terminus creationis vel factionis, quamvis non nisi in composito, quia solum *compositum* per se generatur, ut habetur *VII. Metaph.* text. 23, 26, et 27. — *De rer. princ.* q. 7. n. 5; ** ubi diffuse hanc prosequitur materiam, necnon et in* q. 8; et *Oxon.* II. d. 12; *Quaest. Metaph.* l. IX. q. 1. et alibi *.

Si accipiatur *actus* prout distinguitur contra *potentiam*, secundum quae, scilicet actum et potentiam, totum ens dividitur, sic *actus* non convertitur cum *forma*. Secundum hoc enim omne quod est extra causam suam est in actu; et secundum hoc etiam privationes dicuntur esse actu; unde *caecitas* dicitur esse *actualiter* in oculo carente visu, sicut dicitur in *IV.* et *VII. Metaph.* Si autem loquaris de *actu*, secundum quod loquitur Philosophus *VII. Metaph.*, scilicet secundum quod est actus receptus et actuans et distinguens, sic distinguitur contra receptivum; et materia est receptivum illo modo, et non est actus. — *Oxon.* II. d. 12. q. 2 n. 7.

Materia metaphysica — extensa. — In genere materiarum materia metaphysica est materia primo prima. — Vocatur *materia metaphysica* illud quod praestat fulcimentum cuicumque formae, qualem ponimus in Angelis et anima rationali, secundum Augustinum et Boetium, *De Unit. et Uno* c. 1. et 2. — Vocatur autem *materia extensa* materia mathematica *secundo prima;* quia, ut communiter tenetur, sub quantitate et sub forma corporea est subiectum generationis.

Sic igitur *materia metaphysica* est *primo* prima in genere *materiarum: materia mathematica* est *secundo* prima in genere materiarum, quae subsunt diversis generationibus et corruptionibus. — *De rer. princ.* q. 1. nn. 3, 4, 5., — Vid. *Materia primo — secundo — tertio prima.*

Materia prima. — Ponit Aristoteles definitionem *materiae primae*, dicens, quod *materia prima est principium, subiectum, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens, et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.* — Et dicit Aristoteles, *primum subiectum uniuscuiusque*, ad differentiam materiae *secundae*, quae nec est *prima*, nec *communis* omnibus, sicut *elementa, caro, sanguis*, et huiusmodi. — *Ex quo fit aliquid cum insit* ponitur ad differentiam *privationis*, quae non est pars inexistens toti. — Et ponitur, *si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum*, ad differentiam *formae*, in quam compositum non corrumpitur, quia forma corrumpitur. — *Physic.* I. exposit. 82. n. 35. — Vid. *Theor.* XX.

Materia prima duplex. — *Prima materia*, quae dicitur *natura*, potest *dupliciter* accipi: quia vel prima *simpliciter*, vel prima *ad aliquid*, quia, scilicet *immediata* et *proxima* huic. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 4. n. 33.

(1) Ideoque « materia dicitur adaequari formae secundum *proportionem*, licet non secundum *entitatem*, pro eo quod eorum entitates sunt inaequales ». — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 12.

Materia primo — secundo — tertio prima. — Est *materia primo, secundo* et *tertio,* et sic deinceps *prima.* — Voco autem materiam *primo primam subiectam quamdam partem compositi, habentem actum de se omnino indeterminatum respectu determinationis cuiuslibet formae, cuius actualitas est immediate prope nihil,* ac per hoc minima, nullum actum *formae,* vel substantialis vel accidentalis, habens in sua essentia, nec in sua actuali existentia, per quem actum formaliter actu sit ens quoddam extra nihil, sed illum actum habet a Deo efficiente; actum vero *talem* vel *talem,* puta *coelicum* vel *terrenum,* habet a forma, per quam et cum qua subsistit in composito. Ista *potentia* dicitur *prima,* quia nulla est ratio vel entitas creaturae, cui minus communicatum sit de entitate; sed eius entitas determinatur et perficitur per omnem aliam actualitatem: ista autem, saltem ordine naturae, praecedit primum determinans, ut cera ante suas figuras. — *De rer. princ.* q. 8. n. 19.

Dicitur autem *primo prima,* quia quamvis sint multae *materiae primae* in genere suo, omnes tamen praesupponunt istam, et aliquam actualitatem formae, per quam simul naturaliter istae sunt determinatae materiae respectu aliquorum agentium. Secundo, etsi sunt primae in uno genere, non tamen simpliciter, vel *primo primae.* Dicitur autem ista *materia primo prima,* quia ut talis nuda accepta, non potest esse subiectum alicuius *creati* agentis, sed solum agentis *simpliciter primi,* scilicet, Dei.

Dicitur autem *materia secundo prima* * illa * quae est subiectum *generationis* et *corruptionis,* quam mutant et transmutant agentia *creata;* quae addit ad materiam *primo primam;* quia esse subiectum generationis non potest esse sine aliqua forma substantiali, aut sine quantitate, quae sunt extra rationem materiae *primo primae;* eo quod proportionaliter respondet tamquam subiectum eorum secundis agentibus, scilicet *creatis,* quae dicuntur *secundaria* respectu Dei; et nihil possunt producere, nisi de ista *secunda materia.* Dicitur tamen *prima,* quia omnia, quae per agentia naturalia producuntur, eam supponunt, ut fundamentum et ut indeterminatum; quia per formas ab eis productus determinatur.

Dicitur autem *materia tertio prima* materia *cuiuscumque artis,* et materia cuiuslibet agentis naturalis *particularis,* quia omne tale agit veluti de aliquo semine, quod quamvis *materia prima* sit respectu omnium quae per artem producuntur, supponit tamen materiam quae est subiectum generationis, et ulterius aliquam formam per naturam productam; aliter nulla ars quidquam operatur. In agentibus autem et naturalibus et artificialibus sunt gradus *prioris* et *posterioris* in materia; sicut ars *sarciendi* vestitum supponit pro materia *pannum,* et hoc *filum,* sive opus artis *filandi:* sic etiam est in naturalibus. — *Ib.* n. 20. * *ubi probat ita sensisse Philosophum in VII. Metaph. text. 35* *.

Iam igitur patet quae sit *materia primo prima,* cuius consideratio spectat ad *Metaphysicum; materia secundo prima,* cuius consideratio spectat ad *Naturalem; materia tertio prima,* cuius consideratio spectat ad *Mechanicum* seu *artificem.* — *Ib.* n. 21.

Materia — Privatio. — Differunt ab invicem *materia* et *privatio;* quia privato est per se *non ens,* id est, *materia privata* est per se *non ens* actu *specifico* illo, respectu cuius dicitur *privata.* Unde in definitione *privationis* ponitur, quod actus ille non sit, respectu cuius materia dicitur privatio; modo pars definitionis per se praedicatur de definito; sed *materia* est *non ens secundum accidens,* id est, *non ens* actu per actum illum, quo est privata. Et quod hoc sit *secundum accidens* patet, quia *materia* potest actum illum habere vel non habere.

Secunda differentia est, quod *materia* est *valde proprie* substantia rei, eo quod ex ipsa et forma componitur compositum; sed *privatio* non est *proprie* substantia rei, scilicet, secundum illam rationem, qua dicitur privatio. — *Physic. I.* expos. text. 79. — Cf. *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 19.

Materia propria — appropriata. — Vid. *Baptismi materia.*

Materia secundum formam — secundum corruptionem formae. — In *VIII* * *Metaph.* *

text. 14. distinguitur, quod quaedam est materia *secundum formam*, quaedam *secundum corruptionem formae*. — Secundum *formam*, quemadmodum aqua est materia aceti, mediante forma vini, cuius scilicet formae vini materia aquae est susceptibilis. — Materia secundum *corruptionem formae* dicitur, quemadmodum vinum est in materia aceti per suae formae corruptionem. — *De rer. princ.* q. 8. n. 21.

Materia sensibilis — intelligibilis. — *Materia* alia * est * *sensibilis*, ut quaelibet mobilis; alia *intellectualis*, ut mathematica. — *Theor. XX.* — *Elench.* q. 15. n. 3.

Materia sensibilis est materia naturalis, quae scilicet est subiecta qualitatibus sensibilibus, puta, *calido* et *frigido*, et huiusmodi. — Sed *materia intellectualis* est mathematica, puta, *linea*, *superficies*, et generaliter ipsum *continuum*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. cap. 6. n. 39.

Materia — Subiectum. — *Materia* appropriate est tantum illud quod est *in potentia ad suscipiendam formam, non habens ex se actum aliquem completum*, cui forma tribuit *esse simpliciter*, ut est in substantiis. — *Subiectum* dicitur * illud * quod, licet sit in potentia ad formam, tamen est *in actu completo*, et ideo forma adveniens tribuit ei tantum esse *secundum quid*. *Forma* igitur substantiae, licet sit *in materia*, non tamen est *in subiecto*. — *Super Praedic.* q. 15. n. 5.

Mathematica. — Scientia * aliqua * dicitur *Mathematica*, non quia est de rebus abstractis aut insensibilibus, sed *quia est de rebus secundum rationem mensurae* et *mensurabilis*; et quia ratio mensurae et mensurabilis est impertinens rationi motus, ideo dicitur, quod Mathematica est de separatis a motu ad istum sensum: quia propositiones, quas demonstrat Mathematicus, non essent minus verae si omnino essent immobilia, quam sint de facto. Verbi gratia, ista conclusio, *proportio sphaerarum est proportio diametrorum*, explicata non esset minus vera, posito quod omnia essent immobilia, sicut est de facto, dum omnia aut quaedam moventur. — Ex quo sequitur, quod in definitione termini *mathematici* debet poni aliquod exprimens rationem *mensurae* vel *mensurabilis*, vel saltem *consequentis mensuram*, ut *proportio* consequitur mensuram. — *Physic. II.* q. 6. n. 5. — Vid. *Metaphysica — Mathematica — Physica = Scientiarum divisio = Scientia naturalis — mathematica — media.*

Matrimonium (1). — Matrimonium est *contractus rectus et honestus mutui consensus coniugum, mutuo se donantium, et vinculo perpetuo se obligantium ad mutuum ius et potestatem habendum in suis corporibus, quoad procreationem prolis religiose educandae, expressus per aliquod signum sensibile extra, institutus immediate a Deo sub aliquo signo sensibili significante efficaciter gratiam conferri contrahentibus.* — *Report.* IV. d. 28. n. 19.

Notandum tamen est, quod hoc vocabulum, *Matrimonium*, potest *aequivocari:* quia quandoque sumitur pro *ipso contractu:* quandoque pro *obligatione* quae innascitur ex contractu: tertio modo praecise pro *signo sensibili* significante gratiam contrahentibus conferri. Et secundum haec tria aequivoca, si quis vellet ea recte definire, assignaretur ei triplex definitio.

Primo modo esset *mutua datio potestatis corporum maris et foeminae in specie humana, ad procreandum prolem religiose educandam, et ad cultum Dei augmentandum*, etc. — *Secundo modo* Matrimonium esset *quaedam obligatio coniugum innascens ex contractu mutuae donationis potestatis corporum, ex mutuo consensu, perseverans ad habendum ius mutuum in suis corporibus ad procreandum prolem.* — *Tertio modo* est *aliquod signum sensibile talis obligationis propriae inter coniuges ad procreandum prolem, religiose educandam*, etc., *ex institutione divina significans efficaciter gratiam conferri contrahentibus ad coniunctionem eorum in contractu perpetuo observandam.* — *Ib.* n. 20.

Sed ego dico, quod *Matrimonium, proprie* loquendo, *non est aequivocum;* quia

---

(1) Rei natura postulat ut, ordine alphabetico praetermisso, *Matrimonium impedimentis* ipsius praeponamus.

primum non debet vocari *Matrimonium*, nec contractus *Matrimonii*, ita quod sit constructio intransitiva, sicut haec *creatura salis*, id est, creatura *quae est sal;* quia *contractus* ille consensus mutui cum aliquibus signis exterioribus consistit in *fieri*, et non est permanens, neque perpetuus, quia desinentibus verbis, et mutua volitione tradendi se invicem quantum ad corpora, desinit et contractus. *Matrimonium* autem de se est vinculum permanens inter coniuges indissolubiliter, et ideo non est *contractus matrimonii* intransitive, ita quod *sit Matrimonium*, sed tantum est contractus *ad Matrimonium*, et obligationem perpetuam inter coniuges, quantum ad potestatem corporum, quae essentialiter est *Matrimonium*. Quomodo dicimus, quod professio alicuius Religionis non est intransitive ipsa Religio, sed quaedam promissio et sponsio ad ipsam Religionem. — *Tertio modo* etiam non est *proprie Matrimonium* istud signum audibile prolatum sub certis verbis ad significandum coniuctionem animorum, vel gratiam roborantem; sed est *sacramentum Matrimonii*, id est, signum sensibile significans gratiam conferri illis qui contrahunt; et est constructio transitiva, et non intransitiva, quia id signum statim labitur, quia est in *fieri*, et non perpetuum, nec permanens, sicut Sacramentum Poenitentiae non est *poenitentia*, sed *poenitentiae* transitive, et non intransitive.

Ergo relinquitur, quod Matrimonium *tertio modo* dictum vere et proprie est Sacramentum, ut dictum est, et cui competit definitio supradicta (1).

(1) Prima omnium quatuor, quae et matrimonio *christiano* congruit, quia est Sacramentum, ut sequentibus explicat Subtilis:

« Contractui praedicto congruum est annecti collationem gratiae; quia contractus praedictus est difficilis, cum ex eo nascatur obligatio valde difficilis, cuius difficultas coniuncta est honestati: ad honestum autem et difficile congruum est gratiam conferri. — Congruum est, in aliquo signo sensibili ad hoc a Deo instituto regulariter gratiam conferri. — Expedit Sacramentum proprie dictum coniungi contractui praedicto ». — *Oxon.* IV. d. 26. n 11. Ubi has tres conclusiones probat, et *a quo* ac *ubi* institutum sit hoc Sacramentum explicat, nec non et quae *forma*, qualiter *una*, quis *minister*, qualiter *unus*, et quis *effectus* Sacramenti.

Est *forma* huius Sacramenti *determinata verba* maris ad foeminam * et viceversa *, ut: *Ego accipio te in meam, et ego te in meum* (1).

Ministri autem huius Sacramenti sunt *ipsimet coniuges contrahentes*, quia ipsi sibimet ministrant hic per verba illa mutuo sibi dicta, quae sunt una forma *integra* et *totalis* huius Sacramenti, licet sit duplex *partialis*, sicut in aliis Sacramentis. Unde et ab eisdem suscipitur et ministratur; licet quantum ad solemnitatem huius Sacramenti coram Ecclesia congruat Sacerdotem ipsum ministrare; hoc tamen non est ex necessitate Sacramenti, quia illi idem, qui faciunt actus sacramentales, ministrant Sacramentum: coniuges matrimonialiter coniuncti hoc faciunt; ergo (2).

Effectus vero et res huius Sacramenti est *duplex:* scilicet, *gratiosa coniunctio* contrahentium, et *bonum prolis: una* tamen est *totalis res* huius Sacramenti, scilicet, *unio coniugum inter se, et in prole*, quam procreant. Quia *erunt*, inquit Deus, *duo in carne una*. — *Ib.* n. 24.

* Omnia praedicta sic exprimit in Scripto Oxoniensi *: — Aliud est *Matrimonium*, et aliud *contractus Matrimonii*, et aliud *Sacramentum Matrimonii*. — *Matrimonium* est illa *obligatio mutua*, vel *vinculum illud * quo mas et foemina ad procreandum prolem obligatorie et stabiliter copulantur* (3) *. — *Contractus* autem est ille *actus mutuus voluntatum * quo mas et foemina mutuo sibi corpora pro usu perpetuo ad procreandam prolem tradunt* *. — *Sacramentum* est *signum efficax gratiae concomitans actum illum*.

Et patet distinctio istorum per se. — *Primum* enim est *permanens* in animabus

(1) « De natura contractus talis est, quod requirat aliqua signa sensibilia exteriora mutuum consensum voluntatum coniugum exprimentia, non quod necessario fiat cum *certis verbis*, quia aliqui muti et ignorantes illa verba possunt vere contrahere ». — *Report.* ib. n. 22.

(2) Advertas oportet, haec scripta fuisse longe ante S. Concil. Tridentinum a quo sancitum est, matrimonia christianorum invalida fore nisi Parochus vel eius delegatus Sacerdos praesens adfuerit, quod quidem illis in locis tenet ubi haec tridentina constitutio publicata fuit.

(3) Vid. Scot. init. hui. quaest.

coniugum, et est relatio tantum realis extrinsecus adveniens, vel quod verius videtur, relatio rationis, quia nihil est ibi, nisi dominium novum, et nova servitus per novam commutationem: sed dominium tale vel servitus nihil reale ponit in domino vel servo. — *Secundum* etiam tantum est in *fieri*, et est actio vel passio interior vel exterior, vel magis constans ex actibus interioribus et exterioribus duorum personarum; et habet se istud ad *Matrimonium primo* modo dictum, sicut causa in *fieri*, quemadmodum generatio ad paternitatem; vel magis, sicut baptizari vel ordinari ad characterem. — *Tertium* autem similiter est in *fieri*, et simul est et non est cum *primo*, et ideo non semper manet cum secundo.

Nec oportet dicere, quod hoc nomen *Matrimonium* sit aequivocum ad ista tria; immo quod tantum significet *primum*, et pro aliis duobus accipiatur tantum *in obliquo* specificans illa, ut pro secundo dicatur *contractus Matrimonii*, et pro tertio *Sacramentum Matrimonii*, ubi non est constructio intransitiva, sed transitiva. Si autem omnino concedas, quod hoc nomen *Matrimonium* significet illa tria, non erit contentio de nomine, quia hoc erit *aequivoce*.

Possunt autem haec tria sic describi: *Matrimonium est vinculum indissolubile inter marem et faeminam, ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad procreandam prolem debite educandam.* — *Secundum* sic: *Contractus Matrimonii* est *maris et faeminae mutua translatio potestatis corporum suorum pro usu perpetuo ad procreandam prolem debite educandam.* — *Sacramentum Matrimonii* est *expressio certorum verborum maris et faeminae ad se invicem significantium traditionem mutuae potestatis corporum ad prolem debite procreandam, ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad coniunctionem mutuam animorum gratiosam.* Vel si *verba certa* non sint praecise *forma* huius Sacramenti, nec etiam *contrahentes* sint praecise *ministri*, ponatur in principio loco illius, *expressio certorum verborum, exhibitio certorum signorum maris et faemine*, vel aliquid generalius significans traditionem mutuam potestatis corporum maris et faeminae ad prolem debite procreandam. — *Oxon.* IV. d. 26. nn. 16-17.

Definitio Matrimonii quam ponit Magister cum dicit: *Matrimonium est viri mulierisque coniunctio maritalis inter legitimas personas vitam indissolubilem retinens*, debet intelligi sicut explicata est per definitionem vel descriptionem positam * supra *; quia, si *Matrimonium* accipiatur proprie pro *illa coniunctione*, tunc debet intelligi *coniunctio habitualis* idem quod *obligatio*. Si autem accipiatur ibi pro *contractu proprie*, tunc *coniunctio* potest accipi pro *actu coniungendi*, vel passione, quae includit utrumque actum, scilicet intrinsecum et extrinsecum, personarum in actu suo coniunctarum. — *Ib.* d. 27, q. 1. n. 2.

Matrimonii impedimenta multiplicia. — Breviter colligo *impedimenta* Matrimonii quae impediunt *simpliciter*. Dico autem *impedimentum simpliciter*, post quod, si fuerit attentatum, *nihil fit*. — *Non simpliciter* autem dico prohibitionem quamcumque propter quam *illegitime* fit; si tamen fit, non est irritum.

Impedimenta autem *simpliciter* aut accipiuntur ex *natura* talis contractus, aut ex *statuto Ecclesiae* superaddito. — Si primo modo, igitur vel ex conditionibus necessariis ad *contractum*, vel ex necessariis ex parte *contrahentium*.

Ex parte contractus, quia ex natura eius est, quod sit datio *voluntaria* potestatis corporis pro potestate corporis, et perpetuo commutantium, ideo, quod impedit *voluntariam* dationem talem impedit naturam contractus huius.

Tale autem est ex parte *voluntatis* involuntarium *ex metu*, qui potest cadere in constantem virum; qui metus est ex certitudine sufficiente mali imminentis, quod magis debet quis vitare secundum rectam rationem, quam cum ista non contrahere; et huiusmodi mala sunt * ex. gr. * malum *mortis, mutilationis enormis, carceris*, propriae *servitutis, stupri*, et huiusmodi; et de isto impedimento dictum est *dist. 29.* * ubi quae-

ritur: *utrum consensus coactus sufficiat ad contrahendum verum Matrimonium?* *

Involuntarium autem ex *defectu notitiae* praecedentis (siquidem ad voluntarium requiritur notitia voliti, *III. Ethic.*) aut est ex carentia *totali* notitiae intellectualis, aut est cum *aliquali*, licet defectiva, quia erronea. Si primo modo, sic furia impedit Matrimonium dum durat, et ita contractum istum. Si tamen furiosus habet lucida intervalla, pro tempore intervalli potest contrahere, et eodem modo post contractum tunc petere, et est sibi debitum tunc reddendum; non autem tempore furiae, quia tunc nescit ex iure suo petere, sicut brutum; tunc etiam reddere esset alteri periculum in persona. — *Oxon.* IV. d. 42. n. 4.

Si autem sit aliqua cognitio, sed cum errore vel deceptione, *triplex deceptio* simpliciter impedit, quia quaelibet est contra illud quod necessario requiritur ad contractum. Quarum prima est error *personae*. Secunda error *conditionis* peioris, puta, servitutis. Tertia error *dationis mutuae*, puta, ista dat credens istum posse redonare, sive secum posse permutare: ille autem non redonat, licet proferat verba doloso animo tantum, scilicet, ut extorqueat libidinem. Et de isto *triplici errore* dictum est *dist. 30* (1).

Quia etiam iste contractus est obligatorius ad aliqua bona, puta, ad *fidem servandam*, et *indissolubilitatem*, et *prolem suscipiendam*, et *educandam*, si evenit; quae tria bona sunt Matrimonii: et generaliter in omni contractu, contrahens sub conditione opposita illi contractui, nihil facit, ideo contra rationem istius contractus est *conditio* opposita *repugnans* alicui bono Matrimonii. Et ita sunt *tria impedimenta* ex *triplici conditione* opposita contractui, contra *tria bona* Matrimonii. Et de istis dictum est *dist. 31.* — *Ib.* n. 5.

Ex parte autem *personarum contrahentium* requiritur, ut *possint dare* illam potestatem corporum. Simpliciter autem *impotens* ad copulam carnalem non potest dare hanc potestatem, quia non habet. Nec *alligatus* alteri matrimonialiter, quia iam corpus suum non est suum, sed coniugis. Sic igitur *impotentia* simpliciter, et *alligatio* matrimonialis alteri, impediunt ex parte contrahentium. De ista autem impotentia dictum est *dist. 34.*, qualiter est quaedam *naturalis*, et quaedam *casualis*, et utraque *nisi sit perpetua*, non impedit simpliciter. — *Naturalis* autem in *viro* est, vel per *frigiditatem*, vel per *carentiam* partis necessariae. In *muliere* per *arctationem* simpliciter, quod dico contra arctationem *alicui*. — *Casualis* autem est per *maleficium*, et hoc sive respectu *cuiuslibet*, sive respectu *determinatae* personae (1). Ad istam autem *impotentiam* reducitur impedimentum *aetatis puerilis*, quia etsi ibi non sit impotentia perpetua, tamen pro *tali* aetate nulla est potentia, et ideo nulla potest dari. Et de isto impedimento *aetatis* dictum est *dist. 36.*

Sic igitur habemus ex parte *contractus* tria impedimenta *in genere*, scilicet per *metum*, per *defectum notitiae*, et per *appositionem conditionis repugnantis*. — Et ex parte *contrahentium* duo in genere, scilicet, *impotentiam simpliciter*, et *impotentiam secundum iustitiam*, quia alligatus est alteri. — *Ib.* n. 6.

In *speciali* autem *primum* impedimentum potest esse ita *multiplex*, quotuplex est malum quod iuste timetur. — *Secundum* impedimentum est *triplex* secundum triplicem errorem, et *quartum* per defectum usus rationis. — *Tertium* impedimentum continet sub se *tria* repugnantia tribus bonis Matrimonii. — *Quartum* impedimentum continet *duplicem* impotentiam naturalem *viri*, scilicet, frigiditatem et mutilationem; et *unicam* impotentiam *mulieris*, scilicet arctationem sim-

(1) Vid. *Error in Matrimonio multiplex.*

(1) « Per quod redditur homo impotens ad reddendum debitum coniugale cum petitur; sicut contingit in aliquibus qui per *sortilegium* vel *incantantionem* non possunt in usum membrorum ». — *Report.* IV. d. 35. n. 5. — « Fit per malignos spiritus, qui habentes pactionem cum hominibus, servant promissa, non quia veraces, sed ut alii eis adhaereant et ut illi, quibus servant promissum, eos colant, nam ex superbia sua praecipue appetunt honores divinos ». — *Oxon.* IV. d. 34. n. 4.

« *Frigidus* vel *naturalis impotens simpliciter* est inhabilis ad contrahendum cum *quacumque*; *maleficiatus* autem *secundum quid*, quia tantum respectu personae *unius* respectu cuius maleficiatur ». — *Report.* ib. n. 8.

pliciter; frigiditas enim in muliere non impedit simpliciter, sicut nec sterilitas: et *unum* generale utrique sexui, scilicet, *aetatem puerilem;* et continet sub se impotentiam *casualem* in utroque sexu, non tamen perpetuam. — *Ultimum* impedimentum manet indivisum; et ratio illius impedimenti patet ex *dist. 33*, ubi dictum est, quod pro lege Evangelica non habet locum bigamia, nec licet dimittere uxorem; ergo nullo modo ipsa vivente, sive dimissa de facto, sive non dimissa, licet cum alia contrahere. — *Ib.* n. 7.

Ex *statuto Ecclesiae* sunt tantummodo impedimenta *ex parte personarum;* quia Ecclesia nihil determinavit circa formam vel materiam istius contractus, sed solum personas aliquas illegitimavit, faciendo eas non capaces huius contractus. — Et hoc vel propter *nimiam* eorum *propinquitatem* inter se, vel propter earum *ad cultum divinum specialem applicationem,* vel propter *alicuius horrendi criminis enormitatem.*

Primo modo illegitimavit *consanguineos* in quarto gradu et infra, et ita in simili gradu *affines;* et hoc vel *proprie* dictos, quorum, scilicet, vinculum contractum est ex coniunctione *carnali,* vel *extensive,* quorum, scilicet, vinculum contractum est non ex commixtione carnali, sed tantum per Matrimonium, vel sponsalia, quod vocatur *publicae honestatis iustitia.* Et de tribus istis impedimentis dictum est: de primo *dist. 40*; de secundo et tertio *dist. 41.* et de isto etiam ultimo impedimento habetur *Extra de sponsalibus* et est *in 6 lib.* — *Ib.* n. 8.

Iuxta hoc est etiam quaedam propinquitas quasi *mixta carnalis* et *spiritualis,* cuiusmodi est cognatio spiritualis et legalis, de quibus dictum *dist. 41 et 42,* et de ista habetur *Extra eod. tit. Nedum inter baptizatum et eum qui illum suscipit de baptismo, ac inter eumdem baptizatum et suscipientis filios, et uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem, imo etiam inter suscipientem patremque baptizati et matrem, cognationem spiritualem in Baptismo iure contrahi, constat; quae cognatio impedit ad contrahendum Matrimonium, et dirimit iam contractum. Et eadem quae sunt de suscipiente dicta, sunt etiam de baptizante censenda.*

Ex Confirmatione quoque spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, Matrimonium simpliciter impediens contrahendum, et dirimens iam contractum. Alias vero personas a supradictis ex Baptismo, vel Confirmatione, non impediri ad Matrimonium contrahendum, aut dirimi post contractum decrevimus. Ib. c. 2.

Ex datione vero aliorum Sacramentorum spiritualis cognatio nequaquam oritur, quae Matrimonium impediat vel dissolvat.

Et est ordo istarum propinquitatum, quia *consanguinitas* est *mere carnalis propinquitas. Affinitas* proprie surget ex copula *carnali mere. Publicae honestatis iustitia* ex propinquitate *carnali* et *susceptione* vel *datione* Sacramenti Baptismi vel Confirmationis (1). *Legalis* ex carnali et alio vinculo secundum legem, per *adoptionem,* scilicet. — *Ib.* n. 9.

Propter *applicationem* autem *specialem ad cultum divinum* Ecclesia illegitimavit eum qui solemniter vovit continentiam, et eum qui suscepit Ordinem sacrum. De primo dictum est *dist. 38:* de secundo *dist. 37.*

Illud autem de voto solemni, si tamen ibi fiat traditio potestatis corporis ad castitatem servandam ipsi Ecclesiae vel Prelato, in cuius manu vovet, et per hoc non habet potestatem sui corporis ad actum coniugalem, tunc potest reduci istud impedimentum ad *naturam* contractus, sicut illud de alligato ad alium Matrimonium. Si autem tale votum non tollit isti, quin habet potestatem sui corporis, tunc ex *statuto* et *potestate* Ecclesiae est illegitimatio et irritatio, non tantum quia se tradit Ecclesiae ad talem actum, sed quia Christus vocando Ioannem a nuptiis praetulit votum continentiae vinculo coniugali; et ideo Ecclesia illum qui est in gradu superiori iuste illegitimavit ad accipiendum gradum inferiorem, sive ad apostatandum.

(1) Pro quibus omnibus Vid. *Consanguinitas — Affinitas — Honestas publica — Cognatio spiritualis.*

Tandem propter *enormitatem criminis* tantummodo *duplicis* illegitimavit iuste: propter scilicet enormitatem *infidelitatis* illegitimavit fidelem non simpliciter, sed respectu infidelis, et e converso, ad Matrimonium contrahendum; et de hoc dictum est *dist. 39*. — Aliud crimen enorme est *adulterium* cum *machinatione* in mortem legitimi coniugis; et de isto impedimento dictum est *dist. 35;* vel etiam cum *fidei datione* de contrahendo post mortem legitimi coniugis (1).

Sic ergo *in genere* ex *statuto Ecclesiae* sunt personae illegitimae ex *duplici* crimine, ex *applicatione ad cultum Dei*, et ex *propinquitate consanguinitatis*, ex vinculo *affinitatis*, et *publicae honestatis*, et ex cognatione *spirituali* et *legali*. Et haec impedimenta tanguntur in his versibus: — *Ib.* n. 10.

Error. conditio. votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sit affinis, si forte coire nequibis.

Sed in istis versibus continentur impedimenta absque omni ordine naturali. Possunt igitur ordine debito et magis in particulari istis versibus explicari:

Vis, fraus personae, servi, dationis, et amens,
Addita conditio tria coniugii bona tollens,
Frigidus, arcta, puer, truncatus, praestigiatus,
Alterius coniux obstant mutuae dationi.
Ordo sacer, votum, duo cultus, sponsio maechi,
Carnalis, legis, cognatio spiritualis
Haec vi precepti, sit huic affinis honestas.

Hi quatuor primi versus continent impedimenta quae *repugnant naturae contractus* Matrimonii. Primus *quinque* in speciali, secundus *tria*, tertius *quinque*, quartus *unum;* et sic sunt *quatuordecim* impedimenta. Post quae subditur in fine quarti versus, *obstant mutuae dationi*, intellige, quae est in contractu Matrimonii, obstant, scilicet, haec omnia praedicta.

Tres alii versus continent impedimenta *ex statuto Ecclesiae*. Primus *quatuor*, secundus *tria*, tertius *duo;* et sic sunt *novem*. Et hoc est quod dicitur in principio tertii versus: *Haec vi praecepti*, scilicet Ecclesiae, impediunt Matrimonium.

Et sic in speciali sunt *viginti tria* impedimenta simpliciter. Illi autem versus omnes non continent nisi *duodecim;* sed sub *errore* debet intelligi *quadruplex* impedimentum in *speciali*, et sub *conditione triplex* impedimentum, de conditionibus appositis contra tria bona Matrimonii. Unde qui refert *error* ad errorem personae, et *conditio* ad errorem conditionis, satis ostendit ignorantiam in Iure Canonico. *Votum* sicut stat. *Cognatio* intelligitur pro *carnali, spirituali* et *legali*. *Crimen* pro *adulterio cum fidei datione*, etc; et illud posset quandoque distingui, secundum quod dictum est *dist. 39*, quod istorum trium aliquando coniunguntur duo, et aliquando unum illorum impedit. Sed istud impedimentum non est distinctum in istis versibus distinctius exprimentibus caetera impedimenta spiritualia.

Secundum alios * (primos) * versus non distinguitur illud ultimum de *impotentia*, quod continet *quinque* impedimenta specialia secundum alios versus. — *Ib.* n. 11.

Non est admirandum si sollicitudinem tantam ponit Ecclesia in ordinando Matrimonia, quia communitas Christianorum utitur Matrimonio, per cuius usum multiplicatur populus Christianus; et ideo sic ordinari debet, ut in eius contractu et usu vitentur ea quae obviant charitati, sive in Deum, sive in proximum; et servanda sunt quae congruunt honestati, ut sic honestum Matrimonium Christianum congrue significet illam benedictam coniunctionem Christi et Ecclesiae, de qua dicit Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia:* quae coniunctio nunc est per fidem et aliqualem dilectionem; sed in patria erit per visionem et perfectam fruitionem Sponsae non habentis maculam, neque rugam, ad Sponsum speciosum prae filiis hominum, cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. — *Ib.* n. 12.

* *Fussiorem praedictorum explicationem videas in locis a Doctore citatis, in utroque scripto Oxoniensi et Parisiensi. Notes oportet hanc impedimentorum Matrimonii enumerationem factam fuisse ex*

---

(1) Vid. *Crimen Matrimonium dirimens.*

Iure antiquo tempore Scoti vigente, et per sacrosanctam Tridentinam Synodum in aliquibus postea mutato vel aucto *.

Maximum — Perfectum. — *Maximum* dicitur quia *non exceditur.* — *Perfectum* dicitur *extra quod non potest aliud sumi;* nam omnia dicuntur *perfecta* ex hoc, quod *perveniunt ad finem: extra* autem *finem rei nihil est.* — Ex quo patet, quod eadem videtur definitio *maximi* et *perfecti.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 2. n. 38.

Mediato duplex. — *Duplex* est *mediatio:* — Una *in operando,* quoniam idem faber operatur *cultellum* per *martellum.* — *Alia* est mediatio, quae est quasi quidam *ordo inter effectus.* — *De rer. princ.* q. 2. n. 6.

Medium. — *Medium est in quod continue permutans prius pervenit quam in extremum* * (Ex Aristot.) * — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 15. n. 2. — q. 16. n. 2. — *Exposit. in Metaph.* lib. X. S. 2 c. 6. n. 69. — Vid. *Simul — Seorsum.*

Medium cognoscendi quadruplex. — Aliquid esse *medium cognoscendi* vel *in cognoscendo* potest intelligi *dupliciter:* — *Uno* modo, quod sit medium *cognitum,* sic quod per ipsum cognitum cognoscatur aliud: sicut cognoscitur conclusio per principium. — *Alio* modo, quod non sit medium cognitum, sed *ratio cognoscendi solum:* sicut species sensibilis in sensu est *ratio sentiendi.*

Primo modo nihil potest esse medium cognoscendi obiectum aliud nisi contineat in se cognoscibilitatem illius obiecti, secundum quam illud cognoscitur per illud; quia si istud excedat illud in cognoscibilitate, tunc illud, qualitercumque perfecte cognitum, deficiet ab isto cognito in cognoscibilitate. — *Secundo* modo bene potest aliquid esse medium cognoscendi aliud, licet cognoscibilitas sua propria deficiat a cognoscibilitate illius, dum tamen sit natum *ducere* in illud ut cognoscibile. — *Quodlib.* q. 14. n. 26.

Duplex * iterum * potest intelligi *medium:* — *Unum* quod est *essentialiter ordinatum inter extrema,* ut *quod quid est* alterius extremi vel *passio prior* respectu *passionis posterioris;* et de hoc *medio* est verum, quod qui cognoscit extrema complexionis alicuius potest cognoscere *medium* inter illa, quia ratio eius includitur in uno extremo, et aliud per se sibi inest et primo. — *Aliud* potest esse *medium sub extremo,* ut aliquid inferius ad concludendum passionem de superiori: ut si concluderem aliquod *animal* esse *rationale* per *hominem* tamquam *per medium;* et de tali medio non oportet quod qui cognoscit extrema possit cognoscere medium. — *Report.* Prol. q. 2. n. 19.

Medium essentialiter ordinatum — Particulare contentum. — Medium inter extrema quandoque est *essentialiter ordinatum;* puta *quod quid* est alterius extremi, vel passio prior respectu posterioris passionis; et tale est medium ad concludendum universaliter extremum de extremo; * et * quicumque potest intelligere extrema potest intelligere tale medium inter talia extrema; quia intellectus eius includitur in altero extremo, si est passio, vel est idem alteri, si est *quod quid* est alterius extremi. — Si autem medium sit *particulare contentum* sub altero extremo, et non essentialiter ordinatum inter extrema, tunc non oportet quod potens concipere extrema generalia possit concipere medium particulare ad illa extrema generalia. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 16.

Medium multiplex. — Quoddam est medium per *participationem* utriusque extremi: sicut *fuscum,* quod est medium inter *album* et *nigrum,* quod est medium ex natura rei; et de tali verum est, quod est in eodem genere cum extremis, sicut probat Philosophus *X. Methaph.* — Aliud est medium aliquo alio modo accidentaliter sumptum: sicut *operatio* inter *operans* et *terminum;* istud non oportet esse eiusdem generis cum extremis; quia quando anima * ex gr. * intelligit se intellectio eius est qualitas; et tamen operans et obiectum sunt substantiae. — *Oxon.* I. d. 7. n. 20.

Medium inter aliqua *dupliciter* contingit esse: — *Uno modo* quando medium *participat aliqualiter utrumque extremorum;* et est eiusdem generis cum extremis. — *Alio* modo accipitur medium per *abnegationem extremorum;* et est alterius generis ab extremis. — Exemplum *primi:* ut

rubeum est *medium* inter *album* et *nigrum*. Exemplum *secundi*: ut *asinus* potest dici *medium* inter *equum* et *hominem*, quia nec est homo nec equus. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 2. c. 5. n. 86. — Cf. *Oxon.* II. d. 15. n. 6.

Medium tripliciter accipi potest, et secundum hoc operatio *mediata* vel *immediata* tripliciter potest etiam sumi. Est enim medium *totaliter operans*, qualiter dicit Avicenna, quod Deus producit omnia mediante Intelligentia, etiam illa totam productionem facit. Est medium *cooperans*, qualiter dicitur, quod Deus producit plantam mediante natura, quia actio illa est tota a Deo, et tota a natura. — Est medium *coadiuvans*, sine quo non fieret, quamvis ab uno sit principaliter actio, qualiter dicimus, quod corpus est medium in actionibus sensibilibus animae, quia anima non videt nisi per oculum. Et isto etiam modo dicitur *II. Phys.* text. comm. 22, quod ars operatur mediante natura; unde Medicus minister est naturae. Propter quod dicit Philosophus, *VII. Metaph.* text. comm. 23, quod calor est pars sanitatis.

Et sic patet, quomodo *actio* potest dici *mediata*, vel *immediata*. — *De rer. princ.* q. 2. n. 9.

Medium potest intelligi vel *positivum* et *actuale*, vel *privativum* et *potentiale;* et utroque modo nullum est medium eorum quae tangunt se et quae sunt simul. — *Quodlib.* q. 11. n. 9.

Medium quod — quo. — Sicut inter *agens* et *actum* vel effectum aliquid potest poni *medium* vel ut *quod*, sicut agens proximum inter agens remotum et effectum, vel ut *quo*, sicut forma agentis, ita inter *recipiens* et *receptum* potest poni *duplex medium*, scilicet, *quod*, et *quo*. — *Oxon.* III. d. 2. q. 2. n. 5.

Memoria. — Vid. *Experientia = Recordatio — Memoria = Imago SS. Trinitatis in anima = Recordari — Reminisci.*

Memoriae triplex acceptio. — Sciendum, quod *memoria* vel *intellectus sub ratione memoriae* potest accipi *tripliciter*: — *Uno* modo ut est conservativa specierum *praeteritorum ut praeterita sunt.* — *Alio* modo ut est conservativa specierum *repraesentantium obiecta in se,* sive sint realiter, sive non. Et hoc modo loquendo de *memoria*, oportet ponere speciem in intellectu, ut habet *rationem memoriae*, tum propter *universalitatem*, tum propter *dignitatem* potentiae. — *Tertio* modo accipitur prout habet aliquod principium *eliciendi aliquam notitiam actualem.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 14. — Cf. *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. — *Report.* ib.

Memoria in Divinis. — Hoc totum, *intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi praesens* (1), habet rationem *memoriae* perfectae in actu primo, quae scilicet est immediatum principium actus secundi et notitiae genitae. In hoc autem principio quod est *memoria* concurrunt duo, quae constituunt unum principium totale, videlicet: *essentia* in ratione *obiecti* et *intellectus* ut *potentia,* quorum utrumque per se est quasi partiale respectu productionis adaequatae huic totali principio. Totale principium, includens naturam ut obiectum et intellectum ut potentiam habentem obiectum sibi praesens, est principium productivum quod est natura, et principium completum producendi per modum naturae. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 21.

Memoria in Patre est principium *operativum* Patris, quo scilicet ut in actu *primo* Pater formaliter intelligit ut in actu *secundo;* est etiam eadem memoria Patri principium *productivum,* quo Pater existens in actu *primo* producit ut in actu *secundo* notitiam genitam; et actus primus prior est prioritate *originis* actu secundo.

Non fundatur igitur actus productivus super actum essentialem, qui consistit in actu secundo, videlicet, qui est operatio, quasi super rationem formalem eliciendi illum actum secundum, sed quodammodo praeexigit illum actum; quia actus primus, qui est operativus et productivus, est ratio perficiendi suppositum in actu secundo, qui

(1) Vid. ib. n. 3 et 15. « Haec est ratio *memoriae* perfectae: *intellectus habens obiectum intelligibile proportionatum actu sibi praesens* ». — *Quodlib.* q. 1. n. 17. — Cfr. *Oxon.* I. d. 10. n. 9. — II. d. 3. q. 10. n. 9.

est operatio suppositi, in quo est quodam ordine prius, antequam intelligatur produci illud quod producitur; operans enim et producens per idem principium prius est operans quam producens. *Exemplum:* si *lucere* poneretur aliqua operatio in luminoso, et *illuminare* poneretur productio luminis a luminoso, lux in luminoso esset principium *quo*, et respectu operationis quae est *lucere*, et respectu productionis quae est *illuminare*. Nec tamen *lucere*, quod est operatio, esset ratio formalis illuminationis, quae est productio; sed esset ibi ordo quasi effectuum ordinatorum ad eamdem causam communem amborum, a qua immediatius procedit unus effectus quam alius. Ita in proposito, ad eumdem actum primum, qui est *memoria* Patris, ordinem quemdam intelliguntur habere *intelligere*, quod est operatio Patris, et *dicere*, quod est producere Patris respectu notitiae genitae; non talem tamen ordinem, quod *intelligere* Patris sit causa vel principium elicitivum *dicere* Verbi, sed quod immediatius *intelligere* sit quasi productum a memoria Patris quam *dicere*, vel quam verbum sit productum ab eodem. — *Ib.* n. 22.

Verbum non gignitur ab intelligentia, sed a *memoria*, secundum Augustinum, *XV. de Trinit. c. 7;* ergo licet in Patre concurrant *memoria*, *intellectus* et *voluntas*, Pater non gignet Verbum formaliter intelligentia ut *quo*, sed memoria, id est, ut habet obiectum intelligibile praesens intellectui suo. — *Ib.* n. 15. et 24. — Et licet non differant realiter *memoria* et *intelligentia* Patris, est tamen tanta differentia inter illa, quod alterum posset poni principium elicitivum alicuius productionis, cuius reliquum non ponatur principium elicitivum formale. Talis differentia patet per Augustinum, *XV. De Trinit. c. 8.*, et ubi prius. Talis est enim, quod si Pater esset *memorialiter* noscens, non autem *intelligens*, non esset perfectus, secundum Philosophum, *XII. Metaph.*, non obstantie illa identitate memoriae ad intelligentiam, sive recordationis ad intellectionem. — *Ib.* n. 25. — Cf. d. 3. q. 9. n. 9. — *Report.* ib. qq. 6-7. — *Quodlib.* q. 1. n. 19. — q. 2. n. 27 seqq. — q. 15. n. 6. — q. 16. n. 12. — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 10. — d. 16. n. 2.

Memoria intellectiva. — In parte intellectiva proprie sumpta est *memoria* proprie, id est, *intellectus habens speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. * *quae tota est in enucleanda memoriae natura* * — Cf. *Report.* ib. qq. 4 et 5. — *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 6.

Supposito tamquam certo (1), quod possit nobis inesse *actus cognoscendi praeteritum inquantum praeteritum* ut obiectum, addo, quod ille actus, qui dicitur *recordari*, non est cuiuscumque praeteriti immediate, sed tantum alicuius actus praeteriti *qui infuit ipsi supposito recordanti* et qui fuit in ipso *actus humanus*: ad excludendum actus *vegetativae* et *casuales* sive generaliter *inperceptibiles;* non enim recordor eius quod est *te sedere*, nisi quia recordor *me vidisse* vel *nosse* te sedere. Unde licet cognoscam *me natum* sub ratione *praeteriti* vel *mundum creatum*, non tamen recordor istius vel illius, quia non novi aliquem actum meum in praeterito transeuntem super hoc vel illud. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 4. — *Report.* ib. n. 2.

Ex iam dictis sequuntur quatuor conclusiones: *Prima* est quae sequitur ex hoc, quod quia obiectum recordationis est actus praeteritus ut praeteritus est, ideo potentia recordans sive recordativa habet actum *post tempus*, ita quod actus recordationis succedit obiecto recordato, et ita recordatio fit necessario in tempore, et in quodam discursu et successione ab uno in aliud.

Secunda conclusio est, quod potentia recordans *percipit tempus*, quia alias non novisset praeteritum ut praeteritum est, sed tantum praeteritum ipsum. Unde experimur, quod non recordamur distincte de praeterito, nisi inquantum recordamur fluxum temporis medii.

Tertia conclusio est, quod necesse est ut obiectum recordatum, quando est recordatum, *non sit in se praesens*, quia si es-

(1) Quod Doctor probat n. 3. — *Report.* IV. d. 45. q. 3. n. 2.

set in se praesens, tunc recordatio non esset praeteriti ut est praeteritum, sed esset alicuius praesentis.

Quarta conclusio est, quod oportet obiectum ipsum recordatum esse *aliquo modo praesens* potentiae recordanti: non autem in se, ut dictum est; igitur oportet quod sit praesens in sua specie. Sic igitur patet quod potentia recordativa est ipsius speciei primo, deinde ipsius actus, tertio ipsius obiecti ad quod terminatur ille actus. Potentiam autem recordativam voco integratam ex pluribus potentiis, quae sufficit ad actum recordandi, sive sit una simplex potentia, sive integrata ex pluribus, pro quanto ad actum recordandi non tantum sufficit actus memoriae, sed actus intelligentiae et phantasiae, ex quibus dependet perfectus actus recordandi, qui indiget tempore et discursu, ut dictum est.

Ex hoc igitur quod *recordari* est *praeteriti* ut praeteritum est sequuntur quatuor conclusiones: *Prima* est, quod actus recordandi habet unum *immediatum* obiectum; similiter habet aliud obiectum *mediatum*, scilicet id quod est obiectum actus recordati, qui transiit in obiectum, quia secundum hoc est recordatum alicuius, secundum quod est actus terminati ad aliquod obiectum recordatum.

Secunda conclusio sequitur ex *quarta praecedente;* ex quo enim in actu recordationis oportet habere speciem recordati, ut dictum est, necesse est obiectum speciem imprimere in intellectu, dum manet actus, qui est proprium obiectum recordationis immediatum.

Sequitur *tertium*, quod est mirabile, quod illud potest esse obiectum recordationis in uno, quod non est in alio obiectum proximum; nullus enim potest recordari ut obiectum proximum et immediatum nisi actum proprium; alienum actum nullus potest recordari, nisi sit actus remotus, et quasi extrinsecus recordationis; per alium enim actum non recordor te fuisse locutum, nisi quod recordor me te audivisse loquentem, sive quando tu loquebaris. Sed iste qui loquebatur recordatur se fuisse locutum per aliquem alium actum suum.

Quarta conclusio sequitur ex praedictis, quia potentia recordativa actus praeteriti potest recipere actum eumdem, dum est praesens illi potentiae. Ista propositio est probabilis. Sed forte negaretur hoc de ipsa potentia recordativa in homine, sicut et de alia potentia negatur in bruto, in quo non percipit actum. — *Report.* IV. d. 45. q. 3. nn. 3-4. — *Oxon.* ib. *per tot.*, * *ubi pluribus demonstrat Doctor, dari in homine memoriam intellectivam* *. — Vid. *Recordari.*

Mendacium perniciosum — officiosum — iocosum. — Licet distinguatur multiplex *mendacium*, ad propositum tamen sufficit distinctio *trimembris*, scilicet, *perniciosum, officiosum* et *iocosum*.

Perniciosum est quod est nocivum *ex se*, vel nocet *cui* mentior, vel *de quo* mentior.

Et universaliter omne tale mendacium ex deliberatione dictum est peccatum; prohibetur enim simpliciter illo praecepto: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* (1). Non enim * *falsum* * *testimonium* est *praecise in iudicio*, sed * etiam * quando aliquis ex certa deliberatione asserit quod ignorat, vel cuius oppositum scit. Quicumque igitur cum intentione decipiendi illum cui profert oppositum eius quod scit vel credit esse verum, et sic dicendo intendit nocere illi cui loquitur, vel de quo loquitur, dicit *falsum testimonium* contra proximum.

Officiosum est quod nulli nocet, et alicui utile est.

Iocosum autem non est narrare fabulam, de qua omnes audientes sciunt, quod non est verum, nec narratur tamquam verum, ubi nec audiens decipitur, nec loquens intendit decipere, nec sermo est de se deceptivus, quia non est talis qui sit natus credi ab audientibus, sed magis, ut sciatur esse dictum sine opinione facienda alicui de veritate; sed *mendacium iocosum* est quando aliquis *iocando intendit decipere*, ita quod deceptus *vere decipitur;* non tamen in aliquo

(1) *Exod.* c. XX. v. 16. — *Deuter.* c. V. v. 20. — *Matth.* c. XIX. v. 18. — *Luc.* c. XVIII. v. 20. — *Marc.* c. X. v. 19. — *Ad Rom.* c. XIII. v. 9.

in quo sibi nocumentum magnum inferatur; in quo etiam *iocantur* illi qui sciunt ipsum decipi. Et similiter potest ipse iocari, quemadmodum dicit Augustinus fuisse de mendacio Ioseph, qui veraciter voluit decipere fratres suos in verbis suis, dicens: *Exploratores estis*, etc.; tamen ipse qui scivit veritatem *iocari* potuit de ipsorum deceptione et timore quem incurrerunt decepti, et si qui alii hoc scivissent, percepissent tandem ipsum non *seriose*, sed *iocose* fuisse locutum.

De istis duobus, *officioso* et *iocoso*, conceditur communiter quod neutrum est peccatum mortale in viris *imperfectis*, quia neutrum ex se est contra charitatem, nec contra aliquid de se requisitum ad statum talium personarum. — *Oxon.* III. d. 38. nn. 7, 8; * *ubi idipsum asserit tenendum de viris perfectis, contra alios* *.

Mensura. — Per *mensuram* non intelligitur aliud nisi *illud mediante quo cognoscimus alterum quantum est:* ut *ulna* est mensura, quia per ipsam cognoscimus *quantus* est *pannus*, aut alia longitudo. — *Physic.* IV. q. 16. n. 3. — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 10.

Secundum Aristotelem, *X. Metaph.* * text. com. 2 *, *mensura* proprie est *id per quod cognoscitur proprietas rei, seu quantitas*; et, ut idem dixit, debet esse *unigenea* mensurato; et ideo secundum diversam rationem quantitatis mensurandae in rebus, diversae mensurae rebus correspondent. — *De rer. princ.* q. 22. n. 1.

Dicit * Aristot. * quod illud quod est primum uniuscuiusque generis est *maxime in eo quod est metrum esse;* quia illud quod *est primum in unoquoque genere est maxime mensura* aliorum in illo genere. Et subdit quod hoc est *maxime proprium quantitatis; hinc enim ad alia venit;* id est. quod *ratio mensurae* primo convenit quantitati, et exinde *ad alia* genera derivatur; cuius causam subdit: quia *metrum*, id est *mensura, est quo cognoscitur quantitas*, quaecumque sit, sive quantitas *dimensionis*, sive *perfectionis*.

Cognoscitur vero quantitas inquantum quantitas, aut uno aut numero: puta *uno*, ut cum dicimus *unum* palmum; *numero* vero, ut cum dicimus *duos* palmos vel *tres*. Et subdit: *omnis autem numerus cognoscitur uno;* quilibet enim numerus mensuratur unitate aliquoties sumpta. Ex quo infert: *quare omnis quantitas, inquantum quantitas, cognoscitur uno.* Dixit autem *inquantum quantitas*, ut hoc intelligatur de mensura *quantitatis;* nam res alio modo sunt cognoscibiles quam numero. puta, si considerentur secundum alias suas proprietates a quantitate, ut quod homo est risibilis, et quod triangulus habet tres, et huiusmodi. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 1. c. 2. n. 8.

Ex *uno* quod est principium numeri *dicitur et in aliis* generibus *mensura* uniuscuiusque illud *quo unumquodque primo cognoscitur; et mensura* in unoquoque genere est *unum*, id est, habet *rationem unius* in isto genere: puta, *in longitudine, in profunditate*, quae pertinent ad genus *dimensionis; et similiter in gravitate*, quantum ad genus *ponderum; et velocitate*, quantum ad genus *motuum*; in quolibet enim horum generum illud quod est *mensura* habet rationem *unius* in illo genere; et similiter est in aliis. — *Ib.* n. 9.

Ex quo patet, quod ratio mensurae *per se primo* convenit quantitati *discretae*, et principaliter *uni*, quod est principium numeri et discretae quantitatis; *per se* autem *non primo* competit *omni alii* quantitati, sive sit quantitas *dimensionis*, sive sit quantitas *perfectionis*, in quocumque genere assignetur (1). — *Ib.* n. 10. et 18.

Ratio * igitur * *mensurae* per prius in *numeris* reperitur, et exinde ad alia genera transfertur; nam *unitas*, quae est principium numeri, maxime mensura est et certissima, quia minima et *indivisibilis simpliciter*. Unitas autem comparata ad numerum quem mensurat habet rationem principii quo numerum cognoscimus et quo numerum per replicationem mensuramus; nam unitas et *facit cognoscere numerum* et per replicationem sui aliquoties sumpta *reddit omnem numerum datum.*

---

(1) Vid. *Quantitas dimensiva — perfectiva.*

Ex his autem duabus conditionibus unitatis translata est per quamdam similitudinem ratio *mensurae* ad alia genera; quandoque enim dicitur *mensura* in aliquo genere illud *quod per sui replicationem aliquoties sumptum reddit quodlibet in illo genere;* puta, in ponderibus *uncia,* et in magnitudinibus *cubitus,* vel aliquid huiusmodi. Quandoque autem dicitur *mensura* in aliquo genere, non quod mensuret alia per replicationem, sed quia *tamquam notius in illo genere facit cognoscere alia in illo genere.* Exemplum: *albedo* ponitur mensura isto modo in genere *colorum,* quatenus plus participans de lumine est quid notius et perfectius colorum, et *mensurat* isto modo omnes alios colores, quia color tanto perfectior, quanto magis ad albedinem appropinquat.

Mensura primo modo nominatur mensura *quantitativa:* sed mensura secundo modo dicitur mensura *cognitionis* et *perfectionis.* — *Ib.* n. 18. — *Ib.* l. V. S. unic. c. 6. n. 58. — Cf. *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 24. — II. d. 2. q. 2. n. 10. — *Super Praedic.* q. 17. n. 3.

Mensura continua multiplex. — *Mensura continua* quaedam est *intrinseca* mensurato, quaedam *extrinseca.* — *Intrinseca* mensurat secundum *unam* dimensionem tantum; et sic est *linea;* vel *duas,* et sic est *superficies;* vel *tres,* et sic est *corpus.*

Extrinseca duplex: *propria,* et sic *locus;* vel *communis,* et sic *tempus.* Et dicitur locus mensura *propria,* quia *unus* tantum est *unius* mensurati; tempus *communis,* quia est *idem multorum* mensuratorum, non autem cuiuslibet temporalis suum tempus est propria mensura. — *Super Praedic.* q. 17. n. 2.

Mensura durationis. — *Mensura durationis* distinguitur ab aliis mensuris, ut a mensura *perfectionis,* cum aliquid est eminens, sicut vult Philosophus *X. Metaph.* t. 4., quod *mensura* est *primum in genere.* — *Mensura durationis* quaedam dicitur secundum quantitatem *dimensivam,* vel secundum quantitatem *discretam,* quia *mensurare* sic est *per quantitatem notam ignotam cognoscere.*

Haec autem *triple* est: quaedam *excedens;* quaedam *excessa* mensurans per replicationem: quaedam *aequaliter* mensurans per applicationem aequalis ad aequale.

Et illae aliae mensurae abstrahunt ab existentia actuali, quia licet sint rerum existentium, non tamen secundum earum existentiam. Sed *mensura durationis* est *rei existentis* ut existens est, prout concernit existentiam; unde est mensura rei in permanentia actuali, et inquantum durat. — Et est *triplex:* una increata, quae est *aeternitas,* qua mensuratur Deus; et duae *creatae,* videlicet, *aevum* et *tempus.* — Unde mensura *durativa* accipitur a verbo *duro,* inquantum est *non cedens* corruptioni; et *durare* convenit per excessionem formalem et virtualem. — *Report.* II. d. 2. q. 1. n. 2.

Mensurae proprietates. — *Proprietates* mensurae sunt tres: quarum prima attenditur penes eius *indivisibilitatem:* secunda penes eius *unitatem* vel *diversitatem:* tertia penes eius *uniformitatem* vel *homogeneitatem.*

Prima: Dicit * enim Aristot. *, quod *in omnibus his,* ad quae derivatur ratio *mensurae,* illud quod est *metrum et principium est aliquid unum et indivisibile: hoc autem est aliquod simplex aut quali aut quanto,* id est, vel secundum *qualitatem* vel secundum *quantitatem:* puta si diceretur secundum *qualitatem: albedo* est illud simplex quod est mensura colorum; secundum *quantitatem* vero *unitas* in numero et *linea pedalis* in lineis. — *Exposit. in Metaph.* l. X. S. 1. c. 2. n. 11.

Notandum, quod licet omnis mensura habeat rationem *indivisibilis,* tamen differenter est hoc verum in *numeris* et in aliis ad quae transfertur ex numeris ratio *mensurae;* nam in numeris unitas quae est mensura est *simpliciter* et *omnino indivisibilis;* in aliis vero generibus illud quod est mensura non est simpliciter *indivisibile,* sed solum *ad placitum,* ut patet de *linea pedali,* et de *uncia* in ponderibus, et sic de aliis, quorum quodlibet cum sit quoddam *continuum,* aliqualiter erit divisibile in infinitum; homines tamen accipiunt pro mensura aliquod indivisibile et minimum, prout

possunt, ad salvandum certitudinem mensurae; et propter hoc, ut dicit Philosophus, *numerus* est *certissimum mensuratum*, quatenus habet *certissimam* mensuram. — *Ib.* n. 12.

Secunda: Dicit ergo * Aristot. *, quod licet mensura habeat rationem *unius*, *non tamen semper est unum numero metrum*, quia quandoque unius rei sunt plures mensurae; *verum aliquando sunt plura* mensurantia, *ut duae dieses*, id est, sicut in musicis sunt duo semitonia, quae mensurant tonum vel aliquod huiusmodi; *quae non secundum auditum* discernuntur, quatenus sensus non percipiat differentiam in numeris parvorum; *sed in rationibus*, id est, secundum diversas rationes proportionum discernitur eorum differentia, quae causantur ex diversis proportionibus numerorum. — *Ib.* n. 13.

* *Tertia* *: Deinde ponit * Aristot. * tertiam proprietatem mensurae, quae attenditur penes eius uniformitatem et unigeneitatem, dicens, quod *super metrum est cognatum*, id est, unius generis cum mensurato, sicut mensura *magnitudinis est quaedam magnitudo, et secundum unumquodque* mensuratum, ut quod *latitudinis* sit mensura *latitudo, et longitudinis longitudo, et vox vocis, et gravitas gravitatis, et unitas unitatis; sic enim oportet accipere*, si proprie loquamur; sed *non quod numerorum* sit mensura *numerus;* nam numerus non habet rationem mensurae proprie, sed *unitas*. — *Ib.* n. 15. — Cfr. *De rer. princ.* q. 22. n. 1. — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 10.

De ratione *mensurae* est, quod sit *eiusdem generis* cum mensurato, ut patet *X. Metaph. text. 4;* et hoc quantum possibile est: vel quod *simpliciter* sint eiusdem generis mensura vel mensuratum, vel quod saltem habeant *conditiones* eiusdem generis, secundum quas unum est mensura alterius, ut quod utrumque habeat *longitudinem* vel *successionem* vel *intensionem* taliter, quod secundum longitudinem, successionem, vel intensionem unius poterit mensurari longitudo, successio et intensio alterius. — *Secundo* requiritur, quod mensura sit *nota;* quia aliter per ipsam non possemus cognoscere de aliquo quantum esset. — *Tertio* requiritur, quod sit *famosa;* aliter unus non posset certificare alteri quanta esset aliqua res per eius mensuram, nisi, scilicet, utrique mensura esset famosa et nota. — *Quarto* requiritur, quod sit *invariabilis*, quantum possibile est; quia si esset variabilis, statim esset deceptio iudicando de quantitate alterius rei per talem mensuram. — *Quinto* requiritur, quod talis mensura sit *minima*, non *simpliciter*, sed *secundum sensum*, ut *granum*, vel secundum *consuetudinem*, ut *uncia* in ponderibus, vel *metreta* in liquoribus.

Ex quo patet, quod aliquid esse *mensuratum* non est aliud quam *cognoscere proportionem ipsius ad mensuram qua mensuratur.*

Et sic patet, quid sit de ratione *mensurae.* — *Physic.* IV. q. 16. n. 4. — Cf. *De rer. princ.* q. 22. n. 2.

Ista est ratio *perfectae mensurae*, quod, scilicet, *virtute contineat totum mensuratum*, sicut entitas divina respectu entitatis creaturae. Propter quod in solo Deo salvatur *perfectissimae mensurae* ratio respectu omnis creaturae, ut sua entitas omnem entitatem, sua potentia omnem potentiam, sua sapientia omnem sapientiam includit. — *De rer. princ.* q. 19. n. 11. — Vid. *Unum duplex.*

Mensura intrinseca — extrinseca. — *Mensura* est *duplex*, scilicet, *intrinseca* et *extrinseca.* — *Intrinseca* est *pars rei, per quam cognoscitur primo;* talis est *forma.* — Mensura vero *extrinseca* est v. g., *finis* et *effectus.*

Sed utraque mensura potest esse *dupliciter:* aut enim potest esse in *eodem genere*, vel *extra genus;* et sic est Prima Causa, eo quod ista substantia simplicissima est et perfectissima per comparationem, ad quam omnes substantiae habent additionem. Unde Prima Causa non est mensura *intrinseca*, sicut unitas numeri, vel forma compositi; sed pro eo dicitur *mensura*, quia entitas et gradus cuiuslibet substantiae cognoscitur per comparationem ad ipsam; per hoc enim est aliqua substantia *perfectior*, quod est sibi *propinquior*, et *imperfectior*, quia est sibi *remotior.* — *QQ. Metaph.*

lib. X. q. 3. n. 3. — *Ib.* q. 2. n. 2. — Vid. *Principia intrinseca — extrinseca.*

Mensura — Proportio — Comparatio — Aequalitas — Inaequalitas — Magis — Minus (1). — Dicit Aristoteles *X. Metaph. 2.*, quod *mensura, proportio, comparatio, aequalitas, inaequalitas, magis* et *minus,* primo et principaliter reperiuntur in quantitate, et secundario et similitudinarie ad quantitatem reperiuntur in aliis. Ideo primo et principaliter dictae comparationes reperiuntur in quantitatibus *continuis* vel *discretis:* secundo in *proprietatibus quantitatum,* ut in angulis, obtusionibus, et acutiebus: tertio in *intensionibus qualitatis* vel *virtutis:* quarto in *perfectione:* quinto in *nobilitate:* sexto in *ordine:* et ita consequenter in aliis. — *Physic.* VII. q. 5. n. 11.

Mensura quantitatis perfectionis essentialis triplex. — Cum hic loquamur de mensura *extrinseca quantitatis perfectionis essentialis rei,* non *quantitatis simpliciter,* nec *durationis,* talis *mensurae* est *triplex genus;* et secundum hoc *triplex ratio* mensurandi per talem *mensuram.*

Est enim *quaedam mensura,* quae *semper exceditur a mensurato;* ideo ipsum non mensurat nisi sui *replicatione:* verbi gratia, *unitas,* quae est principium et simplicissimum in numeris, et ex se nota in sua quantitate, non mensurat numeros nisi sua replicatione.

Est etiam *mensura* quae *quandoque excedit, quandoque exceditur a mensurato, quandoque ei aequatur;* et ideo quandoque mensurat sua *replicatione,* quandoquo *explicatione,* quandoque *adaequatione:* verbi gratia, motus diurnus coeli est primus et simplicissimus in motibus, quia uniformis est et in termino quodam consistit sine additione et diminutione ab eodem in idem, et ideo est notissimus in sua quantitate.

Qui motus inquantum includit mensuram sibi intrinsecam, quae est *tempus,* alios motus quos *excedit* mensurat *explicatione* et *applicatione* alicuius partis suae, vel *replicatione* sui ipsius supra se semel vel pluries. Motus vero *aequalis* sibi mensurat seipsum simpliciter, *suis* scilicet *adaequatione* et *applicatione,* absque *replicatione* aut *explicatione.* Si enim videre voluerimus quantum *motor* vel *viator* ambulaverit, cognoscendo quantitatem motus eius (quantitatem dico qua mensuratur secundum durationem, secundum quam motus coeli diurnus est mensura aliorum motuum, aliam enim rationem mensurae habet motus secundum *spatium,* de qua nihil ad praesens); et tunc nos aspicimus ad motum coeli diurnum applicando illum per intellectum motui, mensurando motum per *tertiam partem,* vel *medietatem* diei. Quemadmodum si quis velit mensurare *pannum,* applicat ei *ulnam,* et si invenitur mensura *excedens,* mensurat *explicando* et applicando ei aliquam *partem* mensurae, quae illi mensurato *aequatur,* et secundum ulnam illam cognoscitur quantum sit mensuratum. Si vero mensura *exceditur,* tunc mensurat per se, et partes, et sui ipsius *replicationem,* ut dicendo: iste tardavit venire *duobus,* vel *tribus* diebus, et *tertiata* unius diei. Si vero *aequatur* mensura mensurato mensurat sui *adaequatione,* et dicitur motus diurnus. — *De rer. princ.* q. 19. n. 17.

Est autem *tertia mensura* quae mensuratum *semper excedit,* et ideo mensurat sola *explicatione.* Isto modo Deus est mensura omnium entium; quia est primum et simplicissimum, et inquantum est ex se notissimum in actualitate sua. Cum igitur quantitas naturae suae perfectionis sit infinita et illimitata, quantitas autem perfectionis naturae creatae cuiuslibet sit limitata et finita, ideo est mensura *excedens* quantitatem perfectionis omnium aliorum entium; ergo, si per Deum quasi per mensuram debeat cognosci quantitas et gradus determinatae perfectionis alicuius entis, hoc non potest esse seipso simpliciter, sed solummodo *explicatione* alicuius quantitatis virtualiter contentae in Deo ut in mensura excedente, sicut una hora continetur in die toto. Et illa quantitas perfectionis contenta virtualiter in Deo proprie respondet quantitati perfectionis rei mensurandae, et sic *aequatur* illi secundum quamdam correspondentiam, etsi non simpliciter.

---

(1) Vid. *sub his diversis titulis.*

— *Ib.* n. 18 et seqq. * *ubi late, qualiter Deus rerum creatarum sit mensura, explicat.* — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 10. seqq. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 9. n. 2. seqq *.

Mensurare — Mensurari. — *Mensurare* est *quantitatem ignotam certificare per quantitatem magis notam.* — *Certificatio* autem aliquando potest fieri per quantitatem existentem in *re* vel *in imaginatione;* sicut artifex expertus per aliquam quantitatem, quam habet *in sua imaginatione,* mensurat quantitatem quamcumque sibi occurrentem.

Aliquando autem potest fieri per quantitatem aliquam *existentem in re;* et hoc *tripliciter*: vel *excedentem,* et tunc certificatur intellectus de *quantitate minori per accessum eius ad quantitatem maiorem vel recessum ab ea;* et hoc modo *mensura* ponitur in quidditatibus rerum; et *mensura* est *perfectior* ipso mensurato, quae dicitur esse notior naturaliter ipso mensurato: sicut *albedo* ponitur prima mensura in genere *colorum,* et Deus dicitur prima mensura omnium quae sunt in quocumque genere. — *Alio modo* mensuratur per quantitatem *excessam,* quia quantitas nota minor est et pars quantitatis maioris, quae magis ignota est; et tunc illa quantitas minor per sui replicationem mensurat ipsum totum quantum maius; et hoc modo *minor motus* potest esse mensura *maioris motus* ex natura rei. — *Tertio modo* mensuratur quantitas ignota per aliam quantitatem notam et distinctam et *aequalem* sibi; et hoc fit per *applicationem* sive *superpositionem.* Et quia illud quod est mensura ex natura rei debet esse notius naturaliter ipso mensurato, ideo in isto *modo tertio* unum aequalium non est mensura aliorum, nisi illa aequalitas nota fuerit ex natura rei; et hoc modo *tempus,* si est alia quantitas a *motu,* et notior eo, potest esse mensura *motus* ex natura rei. Alicui tamen intellectui potest illud esse mensura, quod ex natura rei non est mensura, puta, si alicui sit nota quantitas *ulnae,* et quantitas panni ignota; potest tunc quantitas ulnae esse mensura quantitatis *panni,* licet ex natura rei neutra quantitas habeat maiorem certitudinem alia. — *Oxon.* II. d. 2 q. 2. n. 10.

Aliquid *mensurari* est *intellectum de eius quantitate determinata per aliud certificari,* ita quod *mensurari* importat respectum ad *intellectum cui* fit certitudo, et ad *mensuram per quam* fit certitudo. Prima * relatio * non est *realis,* sicut nec *scibilis* ad *scientiam.* Secunda est *causati,* non in *esse,* sed in *cognosci,* ad *causam* in *cognosci;* et haec est relatio *realis,* quantum est ex parte dependentiae *causati* ad *causam;* quae dependentia est ratione extremorum, et non tantum per actum intellectus comparantis hoc ad illud. Tamen quia ista habitudo dependentiae, non quidem ipsius *cognitionis* ad *causam cognitionis,* quae bene est *realis,* sed dependentiae obiecti ut *cogniti* ad obiectum ut *per quod cognoscitur* est inter extrema, non ut habentia *esse reale,* sed tantum ut habentia *esse cognitum,* ideo ista habitudo non est *simpliciter realis;* nec tamen est ita *pure relatio rationis,* sicut est illa quae est *universalis* ad *singulare,* vel illa quae est *contradictorii* ad *contradictorium;* quia Aristoteles non dicit relationem in tertio modo esse *mensurati* ad *mensuram,* sed esse *mensurabilis,* hoc est, *apti nati mensurari,* ad *mensuram,* hoc est, *aptam natam mensurare.* Quod sic potest intelligi: sicut enim ex dictis patet, *mensurari actualiter* est *actualiter pendere* in *cognosci,* ita *mensurabile* dicit *aptitudinalem* vel *potentialem dependentiam* in *cognosci,* vel dicit *dependentiam* in *cognoscibilitate. Unumquodque* autem *se habet ad cognoscibilitatem sicut se habet ad entitatem;* igitur per *mensurabile* intelligitur illud *substractum,* ratione cuius *hoc* est *mensurabile,* et illud est entitas causata, vel participata, ut sic in tertio modo relativorum, per hoc quod est aliquid dici, ut *mensurabile* ad *mensuram,* intelligitur dici tamquam *dependens in entitate* ad *illud a quo participat entitatem,* ut sic sit relatio *simpliciter realis* ex parte mensurabilis in tertio hoc modo; quia illud intelligitur ens per participationem vel imitationem respectu alterius. — *Quodlib.* q. 13. n. 12.

Mensura rerum. — In essentia creaturae est *duplex mensura: Una* secundum quod est *essentia simplex: alia* secundum quod

est *extensa* vel *multiplicata* secundum partes.

Primo modo quaelibet creatura *duplicem* habet *mensuram*: unam *intra*, quae est *limitatio in gradu naturae* et *essentiae:* aliam *extra*, et illa mensura est id quod est principium dignissimum, verissimum ens, cui non inest *esse* per participationem, sed est ens *per se;* haec enim est mensura universaliter omnium entium ut sunt essentiae quaedam; et istud est divina essentia. — *De rer. princ.* q. 19. n. 1.

Et est advertendum, quod cum *mensura* sit id *per quod cognoscitur quantitas rei*, seu dignitatis essentia, sive *molis*, seu *durationis*, ideo nomen *mensurae*, quod tali rei uni attribuitur, translatum est ab *uno numerali*, quod est mensura numerorum; et non solum transumptum est ad id *unum*, imo ad omnia quae aliquo modo dicuntur *mensurae*, sicut est transumptum hoc nomen *quantitas* a quantitate *numerali* ad omnia alia quae aliquo modo dicuntur *quanta*. — *Ib.* n. 2.

Secunda mensura quae debetur essentiae est secundum quod est *extensa;* et sic *mensura* eius est *quantitas corporalis* sive *dimensionalis*, quae est quantitas continua, sub cuius partibus partes substantiae materiales sunt extensae; et per istam quantitatem accidentalem *intrinsecam* convenit substantiae quantitas dimensionalis *extrinseca*, quae est *locus*.

Tertia mensura quae debetur essentiae debetur ei ut est *multiplicitas* vel multiplicata per individua; et ista quantitas vocatur *numerus*. — *Ib.* n. 20.

Secundum vero *actum existentiae* debetur rei aliud genus mensurae, quae vocatur *duratio*. — *Ib.* n. 21. — Vid. *Mensura intrinseca — extrinseca*.

Mensuratur aliquid aliquo dupliciter. — *Aliquid mensuratur alio dupliciter:* — *Uno modo* sicut *totum* mensuratur per *partem* suam: verbi gratia, per *ulnam* panni *replicatam* saepius mensuramus *totum pannum;* et sic tempus mensuratur tempore, ut dies mensuratur per horam, mensis per diem, annus per mensem, licet hoc non sit per replicationem eiusdem mensurae, sicut est in magnitudinibus. — *Secundo modo* mensuramus aliquid alio *correspondenter:* verbi gratia, per *gradus coeli* mensuramus *spatium in terra*, scilicet inquirendo quantum spatium in terra *correspondet* uni gradui coeli; et isto modo mensuramus motum per tempus: verbi gratia, si aliqua operatio duret per *quatuor* dies, et volumus scire quantum duret, consideramus quantum illius operationis correspondet uni parti temporis, ut *uni diei;* deinde quantum alteri parti correspondet, et sic consequenter de omnibus partibus temporis, quibus durat illa operatio; et tunc, nota quantitate *partium temporis*, iudicamus de quantitate durationis illius *operationis*. — *Physic.* IV. q. 17. n. 5.

Meritorium. — Omnis actus acceptatus a Deo tamquam actus bonus et laudabilis, pro quo Deus velit aliquid retribuere illi cuius actum acceptat, vel alteri pro quo fit, est *meritorius*. — *Oxon.* III. d. 18. n. 9. — In *actu meritorio* duo considerare oportet, videlicet: illud quod *praecedit* rationem meritorii; et in hoc gradu includitur et *intensio* actus et *substantia* actus et *rectitudo* moralis. Ultra hoc considero et ipsam *rationem meritorii*, quod est sic *esse acceptum a divina voluntate in ordine ad praemium, vel acceptabile esse, sive dignum acceptari*. — *Ib.* I. d. 17. q. 3. n. 24. — Ratio igitur *meritorii* est ratio specifica *completiva* bonitatis praecedentis, non autem specifica *disparata*. — *Aliter* dicitur, quod ratio *meritorii* non est aliqua ratio specifica et completiva in *genere moris*, quia non dicit aliquam bonitatem vel rectitudinem intrinsecam activi, sed tantum illam *praesupponit*, et dicit ulterius respectum ad voluntatem acceptantem. Sed si *meritorium* non praesupponat praecise bonitatem actus moralem, sed bonitatem quam tribuit charitas, cum illa sit completior bonitate morali in actu, sequitur, quod actus qui est meritorius habet aliquam bonitatem specificam, ulteriorem quam bonitatem moralem; licet enim *meritorium* non importet talem bonitatem ulteriorem, tamen praeexigit; et hoc videtur probabile, quia alias posset actus esse meritorius, qui tamen nullam haberet

bonitatem ultra bonitatem moralem. — *Quodlib.* q. 17. nn. 8-9.

Ad *actum meritorium* sufficit *potentia* quae potest mereri, et dispositio *gratuita* in potentia, cuiusmodi est *gratia*, et *praesentia obiecti* per intellectum, et *usus* potentiae circa illud. — *Report.* III. d. 18. q. 1. n. 3. — Vid. *Actus meritorius* = *Dilectio naturalis* — *meritoria.*

Meritorum applicatio multiplex. — Inter opera meritoria *oratio* habet magis rationem *meriti applicabilis alteri,* quia ipsa de ratione sui est placativa Dei, et reconciliativa rei Deo, et hoc illius pro quo per ipsum orantem specialiter offertur.

Potest autem *meritum,* vel specialiter *oratio,* in *triplici gradu* intelligi valere alicui sive pro aliquo.

Uno modo *specialissime;* et sic semper valet *oranti,* quando est in gratia; ipsa enim habet motum animi bonum, et elicit opus bonum. Iste motus et illud opus non sic sunt alterius pro quo orat sicut orantis, nec potest iste ordinata voluntate sic illud alteri dare, quod non sit suum meritum; quia magis tenetur ex charitate diligere seipsum, quam alium; imo forte non posset dare alteri sic, quin istud esset peccatum.

Alio modo *generalissime;* et sic valet *toti Ecclesiae,* nec enim debet orans aliquem de Ecclesia excludere; sed ex intentione habituali omnes includere.

Tertio modo, scilicet *modo medio,* valet illi *cui per orantem specialiter applicatur.* Non enim valet *specialissime.* Patet ex primo membro. Sed nec praecise valet sibi *generalissime,* sicut cuicumque; tunc enim frustra in Ecclesia essent *speciales* orationes assignatae, aliae pro *vivis,* aliae autem pro *mortuis;* et iterum pro vivis aliis, et aliis, puta, *benefactoribus, amicis* et aliis, ut patet in orationibus in Missali Romano pro diversis assignatis personis et statibus vel congregationibus. Frustra, inquam, essent istae specialiter assignatae, quia non plus valerent illis, quam generaliter cuicumque in Ecclesia. — *Quodlib.* q. 20. n. 3.

Applicatio * meritorum Christi et Sanctorum * potest fieri *tripliciter: primo* in *singulari, secundo* in *speciali, tertio* in *generali.* — Applicare in *singulari* potest quicumque existens in charitate alii existenti in charitate sua opera. — Applicatio autem in *speciali* dicitur, quando aliquis vel aliqui de una congregatione orant pro illis de eadem congregatione, vel pro suis familiaribus. Tunc ille qui praeest tali communitati potest merita huius communitatis alteri communicare, et eos associare ad beneficia huiusmodi. Sed persona privata talis communitatis hoc non potest concedere, quia eius non interest de communitate ordinare.

His duobus modis meritorum applicatio non dicitur *Indulgentia* proprie: primo quia talis communicatio non satisfacit *Ecclesiae* universaliter, sed *Deo* pro iis quibus fit applicatio. *Indulgentiae* autem non solum Deo, sed *Ecclesiae* dicuntur *satisfacere* de poena pro peccatis iniuncta, a quibus dictae communitates nec absolvere possunt, nec eas relaxare, cum super Ecclesiam non habeant potestatem. Secundo quia bona per se privatae personae et communitatis specialis sunt *finita,* ideo non sufficiunt ad easdem Indulgentias, sicut thesaurus Ecclesiae, qui est omnino *indeficiens* et abundans meritis *infinitis.*

Applicatio *tertia,* scilicet, in *generali,* est, quando de thesauro universalis Ecclesiae, merita, scilicet Christi et Sanctorum, aliquibus applicantur, quod potest fieri *de iure* ab eo qui toti praeest Ecclesiae, quia est Christi Vicarius, aliis autem *ex commissione* (1). — *Miscell.* q. 4. n. 18.

Meritum. — *Meritum* est *aliquid acceptatum vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum illi, in quo est quasi debitum illi pro illo merito,* vel *alteri pro quo meruit* (2). Non enim *meritum* dicit semper actum qui sit in potestate eius cui *fit retributio;* sed hoc solum est quando aliquis meretur sibi ipsi; quando autem unus meretur alteri per orationes vel alias afflictio-

(1) Vid. *Indulgentia.*

(2) « *Meritum est actus potentiae liberae et secundum inclinationem gratiae elicitus, acceptus Deo ut praemiabilis beatitudine* ». — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 25.

nes acceptas Deo, quamvis illa sint in potestate merentis (1), non tamen sunt in potestate eius pro quo facit. Et tunc *meritum* formaliter dicit *ordinem alicuius actus laudabilis* (2) *in merente ad acceptantem*, quem acceptans acceptat, ut retribuat ei pro quo acceptatur.

Et ex hoc sequitur, quod unus potest mereri pro alio.

Quia tamen in Deo nihil est acceptandum non acceptatum, ideo in descriptione meriti non oportet addere *acceptandum* in ordine ad Deum. Deus igitur, acceptans bonum factum vel bonum *velle* alicuius, tribuit sibi si indigeat; si tamen sit ita perfectus, quod non indigeat perfectione, sicut Christus, retribuit aliis pro quibus meretur. — *Oxon.* III. d. 18. n. 4. — *Report.* III. d. 18. q. 1. n. 4.

Sicut *meritum* non respicit, nec consistit tantum in ipso actu elicito (3), sed in *conditionibus* aliquo modo personae sive suppositi elicientis, sic *acceptatio divina* non solum respicit *actum*, sed *conditiones* accidentales suppositi elicientis. *Exemplum:* aliquis offendit me; veniunt duo, et rogant pro offensa veniam tertii offendentis. Pono, quod uterque aeque gratiose et efficaciter roget; *rogatio* est causa, quare dimitto offensam, *formaliter* loquendo; tamen aliqua *accidentalis conditio* potest esse in alterius illorum supposito, propter quam citius et magis dimittam offensam propter rogationem unius, quam alterius, puta, quod sit *amicus*, vel aliquid tale; et tamen *supplicatio* est causa praecipua, quare offensam dimitto. — *Oxon.* et *Report.* ib. n. 10.

Metaphysica. — *Metaphysica* dicitur a *meta*, quod est *trans*, et *physis*, *scientia*, quasi *transcendens scientia*, quia est de transcendentalibus. — *QQ. Metaph.* Proem. n. 5. — Quia Metaphysica, quae est *nominata sapientia, videtur esse circa primas causas et principia.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 1. n. 18. — Propter hoc haec scientia meretur nomen *sapientiae*, quia versatur circa primas causas et circa principia. — *Ib.* n. 16. — Nam *sapientia* versatur circa causas altissimas, quae sunt principia *entis* inquantum ens: sive primae causae sint principia *incomplexa*, ut substantiae immateriales, sive *complexa*, ut sunt dignitates et maxime propositiones (1). — *Ib.* n. 17. — Cf. *QQ. Metaph.* l. 1. q. 1. *per tot.* — q. 7 et 9. — l. VI. *per tot.*

Metaphysicae excellentia et proprietates. — *Gyrum coeli circuivi sola.* Ecclesiastici, 24 (2). Secundum doctrinam Aristotelis et eum communiter sequentium, scientia *Metaphysicae*, quae *Theorica Philosophorum* et *sapientia* nominatur, versatur circa *totum ens*, et signanter circa substantias separatas, ut circa *nobiliores* partes sui primi subiecti; et ideo, quia circa nobilissima entia, *nobilissima scientia* est inter omnes alias scientias *naturaliter* adinventas. *Nobilitas* enim scientiarum ex *nobilitate* oritur *subiectorum*, *ex I. de Anima.*

Idcirco quasi in persona huius scientiae congrue potest dici: *Gyrum coeli etc.*, ubi describitur eius dignitas admiranda quantum ad *quatuor*, scilicet: quantum ad amplexum *ambitionis magnificae*, influxum *correctionis authenticae*, actum *inquisitionis amplificae*, gradum *praelationis mirificae*.

Primum probat ipsius *gyri* continentia *generalis*, cum praemittitur, *Gyrum*. Ad instar enim cuiusdam *gyri* sive *circuli*, quae est figura *capacissima*, secundum Geometras, scientia *Metaphysicae omnia entia* ambit. Nam, ut dicitur *I. Metaph.* in prologo, *Sapientis*, id est Metaphysici, *est omnia scire, ut contingit.* Consideratio enim metaphysica *gyrat* omnia entia, sive immobilia et incorruptibilia, sive mobilia et corruptibilia, inquantum in eis *entis* ratio reperitur, pro quo potest intelligi illud *Eccl.* 43 (3): *Vide arcum, et benedic qui fecit*

(1) « Meritum formaliter requirit ut actus *libere* et *active* eliciatur a voluntate, et ita habeat eum in potestate sua ». — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 21.

(2) « Ratio *meriti* non habetur complete, nisi habeatur ratio *digni* vel *digne ordinabilis* ad praemium, quod est beatitudo ». — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 25.

(3) « In *interiori* actu consistit principalior ratio meriti ». — *Oxon.* IV. d. 2. q. 1. n. 10.

(1) Vid. *Sapientia.*

(2) Vers. 8.

(3) Vv. 12-13.

illum; valde speciosus est in splendore suo et gyrabit coelum in circuitu gloriae suae. Habitus quidem metaphysicus est quidam *arcus* mysticus iaciens sagittas veritatis contra hostes falsitatis, ideo est quasi *Arcus refulgens inter nebulas gloriae: Eccl.* 50 (1). Vide ergo ipsum, et benedic Deum qui fecit illum; nam *gyravit coelum* id est, totam *universitatem* entium, et specialiter entium quorum habitatio est in coelo.

Secundum probat coeli *influentia virtualis,* cum additur *coeli;* sicut enim coelum influit in haec *omnia inferiora,* sic scientia *Metaphysicae* in *omnes alias scientias humanas,* utpote qui habent istam scientiam possunt omnes alias et earum principia corrigere *virga veritatis,* defendere *hasta probitatis,* approbare et reprobare *norma aequitatis,* sicut innuit Aristoteles *I. Poster.*, parum ante illud Capitulum, *Difficile autem est nosse.* Idcirco de hac scientia potest intelligi illud *Eccl.* 43 (2). *Altitudinis firmamentum, pulchritudo eius est species coeli in visione Dei.*

Tertium probat *efficacia regularis,* cum subiungitur *Circuivi.* Circuivit quidem inquirendo de omnibus *veraciter* sine *deceptione,* et *plurimum efficaciter* sine *defectione,* et *generaliter* sine *exceptione;* et ideo in figura ipsa est sicut fluvius *Phison,* de quo dicitur Genesis II. (3): *ipse circuivit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum,* scilicet sapientiae, *et aurum terrae illius optimum est. Evilath* interpretatur *stolidus,* cuiusmodi sunt omnes scientiae humanae de se, *Methaphysica* excepta.

Quartum probat *eminentia solitaris,* cum concluditur *sola;* inter omnes enim humanas scientias ista *sola praecellit* et *omnibus principatur. Sola* enim est cui nulla alia *assimilatur. Sola* est cui omnis alia *famulatur. Sola* est, quam omnis alia *admiratur,* ut admirative dicere possimus illud *Thren. I. Quomodo sedet sola civitas plena populo, princeps provinciarum, etc.* Certe sedet ut *Regina* respectu omnium caeterarum, etc. — *Exposit. in Metaph. Arist.* Prooem. — Vid. *Scientiarum divisio.*

(1) Vers. 8.
(2) Vers. 1.
(3) Vers. 11-12.

Primo probat * Aristot. * huius scientiae dignitatem ex eius naturali *appetibilitate:* secundo ex eius essentiali *speculabilitate:* tertio ex eius *libertate* ingenua: quarto ex eius *honorabilitate* praecipua. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. 1. c. 1. n. 1.

In tota *prima* parte intendit talem rationem: Omnes homines natura scire desiderant; ergo maximam scientiam maxime desiderabunt: sed scientia Metaphysicae est maxima scientia; ergo ipsam maxime desiderabunt omnes homines, quia maxime est desiderabilis, et per consequens est dignissima. — *Ib.*

Declarata prima propositione, *omnes homines,* etc., in qua *maior* rationis virtualiter continetur, nunc inquirit *minorem,* scilicet quod scientia Metaphysicae sit maxime scientia. — Ad cuius evidentiam sciendum, quod *scientia maxima* dicitur quae est de *maxime scibilibus: maxime* autem *scibilia* dicuntur dupliciter: vel quia *primo* omnium sciuntur, sine quibus non possunt alia sciri; vel quia sunt *certissima* cognoscibilia: utroque autem modo considerat haec scientia maxime scibilia. — Nam maxime scibilia *primo modo* sunt *communissima,* ut *ens* inquantum ens (1), et quaecumque sequuntur ens inquantum ens. — Maxime autem scibilia *secundo modo* sunt *principia* et *causae,* quae tanto sunt secundum se certiora quanto sunt priora. —

(1) « Nulla scientia alia a Metaphysica considerat ens inquantum ens communiter, quia sic consideraret de omni ente, sed considerat de aliqua parte subiectiva entis, et ratione huius nominantur scientiae particulares respectu scientiae Metaphysicae, quae considerat de toto ente ». — *Exposit.* etc. l. IV. S. 1. c. 1. n. 3.

« Cum Metaphysica intendat de *ente* inquantum ens, et per consequens de *omni* ente, principaliter tamen intendit de *substantia* ». — *Exposit.* etc. l. VII. S. 1. c. 1. n. 1. — « Quia scientia considerans aliqua plura habentia ordinem attributionis principalius considerat illud ad quod omnia alia attribuuntur, cuiusmodi est *substantia* inter omnia entia. — *Ib.* l. IV. S. 1. c. 1. n. 7. — *Ib.* l. XI. S. 1. c. 1. n. 2.

« Ad hanc scientiam pertinet speculari non solum de ente communi inquantum ens, sed etiam de ente separato a materia, etiam secundum se, ut sunt Intelligentiae ». — *Exposit.* etc. l. XI. S. 3. c. 1. n. 57.

Haec autem scientia considerat de utrisque. — *Ib.* c. 2. n. 19. — *QQ. Metaph.* Prol. n. 1. seqq. — l. I. q. 2.

Quia hucusque Aristoteles probat dignitatem huius scientiae ex eius naturali *appetibilitate*, nunc ostendit idem ex eius essentiali *speculabilitate*: — omnis illa scientia, in qua quaeritur ipsum scire propter seipsum, est speculativa, non practica: Metaphysica est huiusmodi; ergo etc. — *Exposit.* etc. ib. n. 27. * *ubi hoc probatur* *. — Notandum, quod, secundum intentionem Philosophi, scientia speculativa est dignior practica; ex hoc ergo quod probat istam scientiam esse speculativam, eius dignitatem putat sufficienter se probasse. — *Ib.* n. 28.

Postquam Philosophus probavit dignitatem huius scientiae ex eius naturali *appetibilitate* et ex eius essentiali *speculabilitate*, nunc ostendit idem ex eius *libertate* ingenua: — Illa scientia est libera quae est gratia suiipsius, et non gratia alterius: sed Metaphysica est huiusmodi; ergo, etc. Quae cum sit circa altissimas causas et circa causam finalem omnium, nam considerat ultimum finem omnium, propter quod omnes aliae scientiae ad eam ordinantur, tamquam in finem, et ideo ista scientia inter omnes maxime est gratia suiipsius. — *Ib.* n. 29. — Non autem ordinatur haec scientia ad aliquam tamquam ad finem, sed aliae ad ipsam. — *QQ. Metaph.* — Prol. n. 8.

Concludit ex dictis * Aristoteles * quoddam *corrollarium*, pertinens ad huius scientiae dignitatem, quod ista scientia non sit *humana possessio*: — Scientia maxime libera non potest esse possessio naturae illius quae multipliciter est ministra: sed natura humana multipliciter est ministra; ergo ista scientia, quae est maxime libera, non est possessio humana.

Notandum, quod natura humana dicitur *ministra*, eo quod multis necessitatibus subditur pro statu viae: illa autem scientia, quae propter se tantum quaeritur, non potest homo libere uti, cum ab ea frequenter impediatur propter necessitatem vitae. Recte ergo Metaphysica non est possessio humana, quia non subest homini *ad nutum*, cum ad eam *perfecte* non valeat pervenire. Illud tamen modicum, quod de ea habet praevalet omnibus quae per alias scientias cognoscuntur. — *Exposit.* ib. n. 30.

Quartum medium ad probandum dignitatem huius scientiae sumitur ex eius *honorabilitate* (1) praecipua: — Ista scientia est maxime divina; ergo maxime honorabilis et per consequens dignissima. — Nam scientia *divina* dicitur vel ratione *subiecti* habentis, quia scilicet Deus eam habet; vel ratione *obiecti* quia est de divinis: utroque modo ista scientia est divina. — Quod autem *sit de divinis*, probatur: inter omnes causas Deus est prima causa; cum ergo ista scientia consideret de primis causis, sequitur quod maxime consideret de Deo (2). — Cum * autem * Deus sit incomprehensibilis a quacumque creatura, prout scilicet incomprehensibilitas dicit vel negat adaequationem actus ad obiectum, ideo scientiam Metaphysicam, prout est de Deo, aut *solus* Deus habet, aut *maxime*. *Solus* quidem habet secundum *perfectam comprehensionem;* sed *maxime* habet, eo quod etsi ab hominibus habetur, non tamen ut *possessio*, sed sicut aliquid a Deo commodatum. — *Ib.* n. 33. — *QQ. Metaph.* Prol. n. 7.

Postquam Philosophus induxit auditorem ad amorem huius scientiae ex eius *dignitate*, nunc inducit ipsum ad idem ex eius *utilitate*. — Utilitas autem huius scientiae est, quod ista ordinatur ad notitiam causarum ex rebus, quae summa utilitas est; nam ex notitia causarum dependet notitia omnium aliorum. — Hoc autem declarat, ostendendo ad quem finem illa scientia ordinatur, quia, scilicet, ad contrarium eius quod fuit in principio philosophantibus: illud autem fuit admi-

---

(1) « Metaphysica est honorabilior aliis scientiis theoreticis, et per consequens ipsa est simpliciter honorabilissima et nobilissima ». — *Exposit.* etc. l. VI. S. 1. c. 2. n. 13.

(2) « Nobilissima scientia est circa nobilissimum subiectum: sed Metaphysica est nobilissima; ergo est circa nobilissimum subiectum: nobilissimum subiectum sunt res divinae; ergo Metaphysica est de rebus divinis, et per consequens potest dici *Theologia* et *divina* ». — *Exposit.* etc. l. VI. S. 1. c. 2. n. 12.

« Deus vero, etsi non est subiectum *primum* in Metaphysica, est tamen consideratum in illa scientia nobilissimo modo quo potest in aliqua scientia considerari naturaliter acquisita ». — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 20.

ratio et ignorantia; et ideo finis huius scientiae est certitudo cognitionis, quod est oppositum ignorantiae et admirationis.

Ultimo *epilogat* quod dictum est: quae sit *natura* Methaphysicae, quia scilicet est universalis, desiderabilis, speculativa, libera, honoranda, non humana proprie, sed divina; et quae sit *intentio finalis* scientiae; nam finis huius scientiae est cognoscere causas, ne de effectibus amplius admiremur. Spectat etiam ad ipsam cognoscere primas causas et prima principia rerum. — *Ib.* n. 34. — *Finis* huius scientiae *proprius* est speculatio essentiarum rerum, et praecipue altissimarum causarum et substantiarum separatarum. — *Finis* autem *extrinsecus* sunt principia, causae et substantiae separatae, quibus coniungitur intellectus noster, mediante habitu huius scientiae. — *QQ. Metaph.* — Prol. n. 8.

Metaphysica — Mathematica — Physica. — *Metaphysicus* definiendo *omnino abstrahit a materia,* quia sicut ens, quod primo considerat, ita et quodlibet inquantum sub eius considerationem cadit, non includit materiam. — *Mathematica* vero, quia considerat substantiam corpoream sub tali conceptu, secundum quem includit principia propria quantitatis, et ideo necessario requirit materiam, licet non ut principium potentiale, sive mobile, ideo Mathematicus semper definit *cum materia,* non inquantum est principium motus. — *Physica* vero, quia considerat substantiam corpoream, inquantum in conceptu quem de corpore habet includuntur principia motus et operationis, ideo per materiam sic definit: non quod motum ponat in definitione, quia ille est passio apud eum, sed materiam secundum considerationem contractam, secundum quam est *principium motus.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VI. S. 1. c. 2. n. 12.

Per hoc patet differentia inter *Mathematicam* et *Physicam* scientiam; nam *Physica* considerat et definit concepta *cum materia* sensibili. *Mathematica* autem abstrahit a tali materia, ut sicut definitiones physicae sunt sicut *simum,* ita definitiones mathematicae erunt sicut *concavum.* Unde sicut physica *sunt in materia sensibili* secundum *esse* et secundum *considerationem,* sic mathematica *abstrahunt a materia sensibili* secundum *considerationem,* licet non secundum *esse.* — *Ib.* n. 10. — Cf. *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 36. — d. 49 q. 16. n. 7. — Vid. *Mathematica* = *Scientiarum divisio.*

Meteoros. — Sciendum, quod *Meteoros* dicitur quasi *elevatio,* eo quod istae impressiones, quae dicuntur *meteoricae,* pro maiori parte fiunt per elevationem vaporum et fumorum, quamvis tamen aliquae fiunt sub terra, sicut fontes et terraemotus. — *Meteor.* I. q. 1. n. 7.

Methodus analytica — synthetica. — *Duplex* est *via* procedendi ad cognitionem veritatis: una quidem per modum *resolutionis,* *seu analysis*, secundum quam procedimus *a compositis ad simplicia,* et *a toto ad partem,* sicut dicitur *I Physic. text. com.* 3. (1), quod confusa sunt nobis prius nota; et secundum hanc viam tunc est perfecta notitia veritatis, cum perventum est ad cognoscendum *distincte* singulas partes rei. — *Alia* via est per modum *compositionis,* * seu synthesis *, per quam proceditur e converso, scilicet, *a simplicibus* ad *composita* et *a partibus* ad *totum;* et secundum hanc viam tunc est perfecta et imperfecta eo modo quo *imperfectum* large dicitur *pars perfecti.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. II. S. unic. c. 1. n. 3. — Vid. *Compositio — Divisio* = *Compositio* et *resolutio duplex.*

Metus duplex. — *Duplex* est *metus:* — Unus qui *cadit in constantem virum,* ut timor mortis. — Alius ut metus *de aliquo levi* et *truffatico.* — *Report.* IV. d. 29. n. ib. n. 3.

Miraculum. — Miraculum est signum Dei ut testis. — *Oxon.* Prol. q. 2. n. 11. — Non est respectu contradictoriorum, ad quae nulla est potentia — *Ib.* II. d. 3. q. 4. n. 4. — IV. 19. — *Oxon.* d. 10. q. 9. n. 5.

Miser. — Vid. *Beatus — Miser.*

Miseria. — Vid. *Beatitudo.*

Miseria duplex. — Distinguitur de *miseria;* est enim *duplex,* scilicet, *poenae* et *culpae.* — *Oxon.* II. d. 5. q. 2. n. 3. — *Report.* ib. d. 4. n. 2.

———

(1) Vid. *exposit. Doct.* n. 22.

Misericordia. — Secundum Damascenum, lib. II. c. 13, *Misericordia est compassio de malo alieno.* * Haec autem * descriptio *misericordiae* est quantum ad effectum eius *remotum* vel *ultimum*, scilicet, passionem ordinatam compatiendi, sequentem ex actione ordinata nolendi malum proximo. — *Oxon.* IV. d. 46. q. 2. n. 4.

Misericordia non est proprie nisi ad sublevandum vel supplendum defectum pertinentem ad miseriam. — *Ib.* q. 4. n. 3.

Misericordia in nobis est habitus, vel qualitercumque dicatur, forma, qua *nolumus miseriam alterius*, ita quod primo inclinat ad actum nolendi miseriam in alio; et hoc vel futuram, et tunc *praeservat* ab illa, si potest; vel praesentem, et tunc *relevat* a miseria, si potest. Et ex consequenti post *operationem* disponit ad *passionem*, scilicet, *displicentiam* de miseria imminente vel praesente. — Quantum ad *secundum*, prout scilicet misericordia inclinat ad passionem, illa non est in Deo. Et ab illo * secundo * videtur imponi principaliter nomen *misericordiae*, exponendo *misericors* etymologice, id est, *miserum cor* habens; quia compatiens miseriae alienae in hoc habet cor miserum, hoc est, *communicans in miseria.* — *Ib.* q. 2. n. 2.

Misericordia * enim, ut ex praecedentibus apparet *, potest accipi *dupliciter:* misericordia enim dicitur *quae est nolle miseriam miseri.* — *Alio* modo potest accipi *misericordia* pro quadam *passione* consequente nolitionem, quia ex nolitione sequitur tristitia quaedam, quae potest dici *compassio*, inquantum miseriam alterius facit *suam.* Unde inquantum eam nollet inesse isti, sequitur tristitia, et sic *miseria* facit *miserum cor.* Sic autem forte posset dici, quod misericordia est virtus contenta sub *amicitia.* — *Report.* IV. d. 46. q. 4. n. 14. — Vid. *Beatitudines.*

Misericordia in Deo. — *Misericordia* ratione passionis et *tristitiae* non est in Deo, sed tantum ratione *nolitionis* praecise et proprie est in Deo; Deus enim habet *velle* respectu cuiuscumque quod evenit positive, et habet similiter *nolle* respectu eorum quae prohibentur evenire. Sed *non velle* sive *nolle* Dei non explicatur in creaturis sicut *velle.* Distinguo igitur, quoniam misericordia Dei diversimode est in Deo, quia misericordia in Deo, ut dictum est, est *nolle miseriam miseri.* Et hoc est *dupliciter:* vel nolle *antecedenter*, vel nolle *consequenter.* Primum *nolle* est in *antecedentibus* rem ipsam; secundum est rei *in se.*

Similiter *nolle consequenter* est *dupliciter:* quia Deus potest habere *nolle* respectu ipsius miseriae, vel *simpliciter*, id est, totam miseriam; et istud est misericordia *liberans totaliter* a miseria; et haec misericordia est in Deo respectu *aliquorum*, scilicet electorum. — *Alio modo* Deus habet *nolle* respectu nostrae miseriae *secundum quid.* Et dico *secundum quid*, id est, aliquam partem; et haec dicitur misericordia *parcens*, non liberans nisi a parte, et est similiter in Deo respectu *aliquorum* in hac vita misera. — Loquendo autem de misericordia primo modo, quae est *nolle miseriam*, est in Deo, prout est nolle *antecedenter*, et est ibi sufficienter misericordia quantum in se est; non tamen est ibi misericordia quae est nolle miseriam *consequenter*, pro quanto est in re ipsa quam consequitur *miseria talis.* — *Report.* IV. d. 46. q. 4. n. 14. — * Vel aliis verbis *:

De hac *misericordia* * nolendi miseriam alienam * posset distingui, sicut de nolle miseriam inesse; quia sicut distinguit Augustinus in Deo *velle antecedens* et *consequens*, ita posset distingui in eo duplex *nolle* respectu miseriae; et sicut semper habet *velle antecedens* respectu boni creaturae, ita semper habet *nolle* antecedens respectu mali creaturae prohibendi vel tollendi, iuxta illud Apost. *I ad Tim.* *2* (1). *Vult omnes homines salvos fieri.* — Sed sicut non habet semper *velle consequens* respectu boni, ita nec *nolle consequens* respectu mali amovendi. — Primum autem *nolle* non est *misericordia*, sed secundum. — Et illud potest distingui in hoc, quod vel habet *nolle* respectu mali imminentis *totaliter*, vel *partialiter.* Si *primo* modo, dicitur misericordia *liberans*, quae scilicet, excludit omne malum, vel imminens,

(1) Vers. 4.

vel iam praesens. *Secundo* modo dicitur misericordia *parcens*, vel *mitigans*, quae, scilicet, non totum malum excludit, sed aliquam partem mali debiti isti secundum merita sua. — Utroque autem modo misericordia est in Deo, quia vel subvenit quibusdam omnem miseriam imminentem prohibendo, vel praesentem relevando; aliis autem partem miseriae debitam dimittendo. — *Oxon.* IV. d. 46. q. 2. n. 3. * *ubi inspiciendus Scholiastes ad rectam praedictorum intelligentiam* *.

Missio visibilis — Cum personam *mitti* sit *manifestare eam procedere, missio passiva visibilis* est cum signo *sensibili* cognosci personam procedere; quod quidem signum oportet conveniens esse ad manifestandum suam processionem. * Sic * cum Spiritus Sanctus potest manifestari procedere signo sensibili conveniente suae processioni, sequitur quod Spiritus Sanctus poterit *vissibiliter mitti.* — *Report.* I. d. 16. n. 2. — *Oxon.* ib.

Mititas. — Vid. *Beatitudines.*

Mittere — mitti. — Quia auctoritates Augustini videntur sonare non tantum de Christo homine misso, sed de Verbo eo misso, quia incarnando, sicut ipse dicit, intelligitur *missio* ipsa Incarnatio, ideo potest teneri opinio Magistri, hoc modo, secundum Augustinum, IV *de Trinitate*, c. 20: *Cum ex tempore cuiusque profectus mente concipitur, mitti quidem dicitur;* et planius hoc idem paulo post: *Mitti est de Filio cognosci, quod a Patre sit;* ita Spiritum Sanctum mitti est cognosci, quod ab illo procedat.

Mitti igitur est *manifestari* Personam procedere; nec convenit omnibus Personis, quia non omnes procedunt. Et *mittere* est *manifestare* Personam procedere; hoc *manifestare* est mere commune, quia tota Trinitas manifestat Personam procedentem procedere; sed *manifestari* Personam procedere connotat Personam *procedentem.*

Et si ista sunt significata istorum vocabulorum, quia significata accipienda sunt ex usu Auctorum, sequitur, quod *mittere* sit mere *essentiale*, nec connotat respectum realem aeternum in mittente. Sed *mitti* connotat respectum in Persona missa, quatenus manifestatur eius processio aeterna.

Et posset quidem aliud verbum imponi, quod significaret *manifestare* Personam procedere, et eius passivum, quod significaret *manifestari* Personam procedere; et illud *activum* esset commune tribus Personis; *passivum* tantum competeret duabus Personis quae producuntur. — *Oxon.* I. d. 15. n. 5. * *ubi plura sunt videnda* *.

Mixtio. — Non quodlibet est aptum permisceri cuilibet, sed quorum est alteratio mutua, quia mixtio est mixtibilium *alteratorum* vicissim. — *Exposit. in Metaph. Arist.* ib. I. S. 3. c. 1. n. 76. — * Seu * *Mixtio est miscibilium alteratorum unio.*

Alteratorum est praeteritum passivum; et verum est quod mixtio est eorum quae fuerunt alterata. — Sed quod dicitur, quod est *unio*, debet sic intelligi, quia omnis mixtio est quaedam generatio, et per consequens corruptio alterius. In generatione autem illius formae mixtae dicuntur elementa *uniri* secundum *virtutem*, non secundum *substantiam*, ita quod aliqua forma producatur ex illis, quae contineat unitive qualitates illorum in virtute, et non substantias in actu. — *Oxon.* II. d. 15. n. 8. — Vid. *Baptismi materia.*

Mixtum homogeneum — heterogeneum. — Aliud est mixtum *homogeneum* et aliud *heterogeneum.* — *Homogeneum* est cuius omnes partes sunt *consimiles* in qualitate et in gradu qualitatis. — *Heterogeneum* est cuius partes sunt *dissimiles* in qualitate aut in gradu qualitatis. — *Physic.* II. q. 2. n. 10.

Mobile et movens triplex. — Illorum quae transmutantur, id est, *mobilium*, quoddam est mobile *secundum accidens*, scilicet, quod non inhaeret mobili *per se*, ut *albedo*, vel *Musica*, inhaerens mobili. — Aliud est mobile *secundum partem*, scilicet, quod dicitur moveri ex eo quod *pars* sua movetur, ut dicimus *hominem sanari*, eo quod *digitus* suus sanatur. — Aliud est mobile *per se* et *primo*, quod secundum se et quodlibet sui movetur. — Et differunt ab invicem mobile *per se* et mobile *per accidens*, quia mobile *secundum partem* potest esse

mobile *per se* et *primum;* sed mobile *secundum accidens* nunquam.

Eodem modo distinguitur de *movente;* nam quoddam est movens *secundum accidens*, ut si diceremus: *Musicus sanat.* — Aliud est movens *secundum partem*, ut *homo percutit*, quia *manus* sua percutit. — Et aliud est movens *per se* et *primo*, ut dicendo, *medicus sanat.* — *Physic.* V. *Exposit. text.* 1.

Mobile localiter multiplex. — Philosophus distinguit de eo quod *movetur localiter:* quia quoddam movetur *per se ipsum*, scilicet, non ad motum alterius: — Aliud movetur *per accidens*, scilicet, ad motum alterius. — Et hoc *dupliciter: Uno* modo movetur *per accidens*, quia *natum est esse mobile per se*, ut *pars* existens in toto. — *Alio* modo quod *non est natum esse mobile per se*, ut *qualitas* inhaerens mobili, ut *albedo* et *scientia.* — *Physic.* IV. *exposit. text.* 32. n. 25.

Mobilium ad moventia habitudo quintuplex. — *Quinque modis* potest fieri *comparatio mobilium* ad *moventia:* — *Primo* modo, comparando *diversa mobilia* respectu *eiusdem motoris.* — *Secundo* modo, comparando *diversa moventia* respectu *eiusdem mobilis.* — *Tertio* modo, comparando *diversa moventia diversis mobilibus.* — *Quarto* modo, *dividendo* utrumque, scilicet, comparando *motorem* ad *mobile*, et postea comparando *partes motoris* ad *partes mobilis.* — *Quinto* modo, *congregando* utrumque, scilicet, primo comparando *diversa moventia* ad *diversa mobilia singillatim*, et postea *aggregatum* ex istis ad *aggregatum* ex illis. — *Physic.* VII. q. 7. n. 3.

Modus entis — modus esse. — Vid. *Gramat. specul.* n. 24.

Modus essendi duplex. — *Modi essendi* possunt intelligi, vel quod *variant ipsum esse*, vel quod ponant aliquam diversitatem *posteriorem ipso esse.* — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 24.

Modus essendi — intelligendi — significandi. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 12-17.

Modus intelligendi activus — passivus. — Vid. *Grammat. speculat.* nn. 10, 12-14.

Modus significandi activus accidentalis. — Vid. *Grammat. speculat.* nn. 20-22.

Modus significandi activus essentialis. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 20-22.

Modus significandi activus — passivus — Vid. *Grammat. specul.* nn. 3-5. 10, 12-16.

Modus significandi — intelligendi. — Quidam sunt *modi*, qui proprie dicuntur *modi significandi*, qui conveniunt dictioni ex impositione; et illi sunt a significato inseparabiles, quia significatum, ut significatur tali dictione, non potest intelligi sub opposito talis modi significandi, sine repugnantia: sicut *homo*, secundum quod *singulare*, non potest intelligi sub modo *plurali*, sine repugnantia. — Alii vero sunt *modi* magis proprie dicti *modi intelligendi*, quia tantum insunt significato secundum quod sub aliquo certo modo concipitur, qui quidem sunt separabiles; quia significatum, ut significatur sub tali dictione, potest intelligi sub opposito talis modi sine repugnantia, sicut se habent istae intentiones ad illas quibus applicantur; potest enim *homo* intelligi sub opposito huius intentionis *species*, sine repugnantia, ut *iste homo.* — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 14.

Molynis. — Vid. *Ortesis* — *Molynis.*

Monas. — Vid. *Numerus multiplex.*

Monstrum. — *Monstrum* est *effectus eveniens praeter communem et consuetum cursum naturae, deficiens aut superabundans in aliquo quod necessario requiritur ad perfectum esse in sua specie.*

Notandum, quod *quadruplici* de causa proveniunt *monstra:* — Primo ex *superabundantia* materiae. — Secundo ex *defectu* materiae. — Tertio ex *indispositione primarum qualitatum.* — Et quarto ex *indispositione continentis.*

Prima causa est *superabundantia materiae.* Et tunc vel materia superabundat *proportionabiliter* in omnibus membris; et tunc fit aliquis nimis magnus, ultra consuetum cursum naturae, ut *gigas.* Quandoque superabundat materia in uno membro, et non in aliis; et tunc contingit aliquem nasci cum uno membro excedente aliud *improportionabiliter;* et quandoque contingit per abundantiam materiae aliquod foramen corporis obstrui, aut fieri nimis strictum, ut introitus aurium, et huiusmodi.

Secundo proveniunt *monstra* propter *defectum materiae.* Et tunc materia deficit *proportionabiliter*, et accidit effectus nimis parvus, ut *nanus.* Quandoque *improportionabiliter;* et tunc accidit unum membrum esse nimis parvum in respectu aliorum membrorum.

Item quandoque accidit *superabundantia* materiae in quantitate discreta, et tunc contingit effectum fieri cum duobus membris: puta, cum duobus *policibus* in eadem manu, aut huiusmodi. Et quandoque accidit *defectus* in quantitate discreta; et tunc contingit effectum nasci cum una tibia solum, aut dimidio naso.

Tertio provenit *monstrum* ex *indispositione primarum qualitatum;* quia quandoque contingit materiam esse nimis *calidam;* et propter hoc quaedam mulieres apparent viriliores et barbatae propter abundantem calorem materiae. — *Secundo* accidit materiam esse nimis *frigidam;* propter hoc accidit aliquos esse frigidos, et impotentes ad coeundum. — *Tertio* contingit materiam esse nimis *siccam;* et propter hoc homo est *directae* staturae in iuventute, qui tamen statim post efficitur *curvus;* et hoc pro tanto, quia humiditas, qua abundat in iuventute, erat sufficiens ut dilataretur materia. — *Quarto* contingit materiam esse nimis *humidam;* et propter hoc aliqui fiunt impotentes ad eundum propter defectum consolidationis membrorum; et ista est causa, quare aliqua animalia vadunt statim post partum, et alia non.

Quarta causa est *indispositio continentis;* unde continens propinquum ipsius foetus est quaedam subtilis pellicula, quam Albertus vocat *secundinam;* et tunc quando contingit istam pellem esse adeo *strictam*, quod propter violentam compressionem quandoque contingit duo membra foetus coniungi in unum membrum, ut brachium capiti, et tibiae insimul; et quandoque contingit illam secundinam *frangi*, ita ut per fracturam exeat aliquid ipsius foetus, et efficitur *gibbus;* et propter hoc aliqui fiunt *gibbosi.*

Item notandum, quod non solum accidunt *monstra* in corporibus animalium; immo etiam in *plantis;* ut quando aliqua planta portat fructum inconsuetum. — Similiter in corporibus *inanimatis;* ut quandoque contingit pluere sanguineum humorem, et quandoque ignem, quorum causa debent videri in libris *Meteororum.* — *Phys.* II. q. 14. n. 2. seqq. — Cfr. *Oxon.* IV. d. 6. q. 6. n. 7. — *Report.* ib. q. 4. n. 7.

Mors. — *Mors* est privatio verae vitae. — *Oxon.* III. d. 6. q. 1. n. 3. — Causae *mortis* post lapsum sunt duae in genere, scilicet, vel *ab intrinseco*, vel ab aliquo *extrinseco.*

Prima est *duplex:* quia vel corrumpitur ab intrinseco per actionem mutuam *contrariorum inter se* et infra corpus, vel propter actionem intensam *unius intrinseci in aliud:* vel corrumpitur propter *defectum alterius* contingentem, scilicet, ex subtractione nutrimenti vel huiusmodi. *Primo modo* accidit corruptio naturalis in animatis. — *Ib.* II. d. 19. n. 3.

Causa *extrinseca* corruptiva est *duplex:* vel, scilicet, propter *dispositionem contrariam continentis*, vel propter *violentiam* illatam ab aliquo extrinseco. — Primo modo contingit *dupliciter:* quia uno modo continens *directe* corrumpit contentum, ut *ignis* corpus quod continet. — Aliud est continens quod non directe corrumpit, sed *prohibet* illud quod est *necessarium* ad vitam; cuiusmodi est *aqua*, quae prohibet inspirationem et respirationem, et similiter *terra;* et ista sunt duo *cito* corrumpentia. — Est etiam continens corrumpens, sed non ita subito, ut *aër regionis intemperatae.* De corruptione per *violentiam* dico, quod illa potest fieri vel ab homine, vel ab Angelo malo, vel a bestia sive animali quocumque. — *Ib.* n. 6.

Motum esse in tempore est dupliciter. — *Motus* potest dici *esse in tempore dupliciter:* — *Uno* modo, quia est *proportionaliter divisibilis tempori;* et isto modo omnis motus est in tempore; et sic intelligitur Aristoteles in isto IV, quod omne quod movetur est in tempore. — *Alio* modo dicitur *esse in tempore*, ex eo quod est *mensurabile tempore*, sic quod per quantitatem temporis nobis notam devenimus in notitiam quantitatis motus, quoniam prius erat nobis ignota.

Et tunc de isto modo sciendum, quod *motus* potest *mensurari tempore tripliciter:* — *Uno* modo *intrinsece,* sicut *totum* mensuratur per *partem.* — *Alio* modo *extrinsece* per mensuram extrinsecam adaequatam, seu per adaequationem mensurae extrinsecae, ut *pannus* mensuratur per adaequationem et replicationem *ulnae.* — *Tertio* modo per mensuram extrinsecam, non per adaequationem, sed *per correspondentiam,* sicut declaratum fuit (1) quod spatium terrae mensuratur per gradus coeli. — *Physic.* IV. q. 18. n. 4.

Motus. — Motus est *entelechia,* id est, *actus existentis in potentia, secundum quod huiusmodi,* id est, secundum quod in potentia (2), ut *alteratio* actus est *alterabilis,* secundum quod *alterabile,* et ita inducendo in aliis motibus et mutationibus.

In definitione *motus* ponitur *actus* tamquam *genus,* ad differentiam illius quod solum est in potentia ad aliquam *dispositionem.* — Et ponitur *existentis in potentia,* ad differentiam illius quod habet aliquam dispositionem complete *in actu,* quia illud quod aliquo istorum modorum se habet ad aliquam mutationem *non movetur ad illam.* — Sed ponitur ibi, *secundum quod huiusmodi,* ad designandum continuationem *motus;* et ideo si aliquid moveatur ad *caliditatem,* et desinat moveri cum fuerit *tepidum,* tunc illud est *in actu* per aliquid caloris, et non est *in potentia* ad ulterius acquirendum; igitur illud *non movetur.* — *Phys.* III. *Exposit.* text. 6. n. 10.

Ponit * Philosophus * aliam definitionem, quod *motus* est *actus mobilis secundum quod mobile.* Et probatur ex prima definitione: quia illud quod est *actus entis in potentia secundum quod in potentia* est *actus mobilis secundum quod mobile:* sed motus est huiusmodi; ergo, etc. *Maior* patet; quia *mobile* est ens *in potentia;* et *minor* est nota per primam definitionem. Et subdit Aristoteles, quod in omni *motu* est aliqua *species movens,* id est, aliquod *principium effectivum motus:* ut in generatione hominis, *homo* est *principium effectivum.* — *Ib.* text. 16. n. 14.

Motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia. Ly *secundum quod* importat rationem secundum quam motus est actus mobilis; quia cum sint in mobili duae rationes, est enim in *actu,* et est in *potentia* ad aliud, motus est actus eius ut considerati *in potentia.* — Nec tamen ibi hoc quod est *secundum quod est in potentia* notat *causam inhaerentiae* praedicati. — *Quodlib.* q. 3. n. 7.

Notandum, quod nihil movetur *prius* quam incipiat moveri, quia tunc adhuc est in termino *a quo;* nec movetur *posterius,* vel post quam est in termino *ad quem,* quia tunc iam *quiescit;* movetur ergo dum se habet medio modo, scilicet, cum reducitur ad actum non perfecte: puta *aedificabile* est *in potentia* ad *aedificari,* ita quod dum movetur partim est *in actu,* licet imperfecto, et partim *in potentia,* quatenus tendit ad perfectionem actus, secundum quem movetur. *Motus* igitur est *actus ipsius mobilis, non secundum quod est in actu,* id quod est secundum seipsum, quia sic est *in actu* priusquam etiam incipiat moveri; et sicut est *in actu* antequam incipiat moveri, ita etiam est *in potentia ad ulteriorem perfectionem;* sed secundum quod est *in moveri* tendit ad perfectionem quam nondum habet. *Mobile* enim dicitur reduci *ad actum* per *motum* non inquantum est in potentia ad terminum *motus,* quia dum movetur adhuc remanet in potentia ad terminum *motus;* sed reducitur per *motum* ad actum qui respondet huic potentiae, quae est *posse moveri,* quia per motum *actu movetur.* Patet igitur qualiter *motus* est *actus entis in potentia.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 1. n. 71.

Notandum * praeterea *, quod nihil movetur ad illud quod est vel iam actu habet, quia tunc *frustra moveretur.* Quia igitur *aes* est *actu aes,* est tamen *in potentia ad formam statuae,* ideo *motus* non est actus aeris *inquantum aes,* sed inquantum est *in potentia ad formam statuae;* quia licet *aes* et *statua* idem sint *subiecto,*

---

(1) Vid. ***Mensura quantitatis perfectionis essentialis triplex.***

(2) ***De rer. princ.*** q. 6. n. 12. — ***Ib.*** n. 22. — ***Exposit. in Metaph. Aristot.*** lib. XI. S. 4. c. 1. n. 70. — ***Oxon.*** II. d. 2. q. 9. n. 1; et alibi passim.

sunt tamen distincta *secundum rationem*, sicut posse *sanari*, et posse *laborare* distinguuntur *ratione*, ut patet ex distinctione actus quos respiciunt, licet sint *idem subiecto*, quatenus *idem* subiectum est potens sanari, et potens laborare. Ex quo patet, quod *motus* est *actus entis in potentia*, non quocumque modo, sed *inquantum est in potentia*. — *Ib.* n. 73.

Notandum * denique *, quod quia *motus* est quaedam forma mobilis *ut subiecti*, ideo habet definiri *per subiectum* ut *per additum*, sicut et omnis forma, sive substantialis, sive accidentalis; et ideo quaedam eorum quae ponuntur in definitione *motus* se tenent ex parte *subiecti*, quaedam ex parte *quidditatis* ipsius *motus*. Nam prima particula, quae est *actus*, ponitur in eius definitione quasi *genus*, et pertinet ad *essentiam motus*, nam *motus* intrinsece et essentialiter est *actus*. Aliae duae particulae quae sequuntur sunt quasi differentiae *extrinsecae*, et tenent se ex parte subiecti *mobilis*, quod est *ens in potentia*, sicut patet. — *Ib.* n. 74.

Alii dixerunt *motum* esse *alteritatem*, alii *inaequalitatem*, et alii *non-ens*.

Praedictae definitiones *motus* non sunt convenienter assignatae, quia non conveniunt *motui*, neque ex parte *subiecti mobilis*; quia si *motus* esset *alteritas*, vel *inaequalitas*, vel *non-ens*, sequeretur, quod omne alterum vel inaequale vel non-ens moveretur, quod falsum est, *quia nullum horum necesse est moveri*; potest enim aliquid esse *alterum* quod non movetur, et sic de aliis; * neque * ex parte *terminorum* motus *a quo* et *ad quem*, quia non est magis motus *ad non-ens*, vel *inaequalitatem*, vel *alteritatem*, quam ad opposita horum; nec e converso magis est motus ex his quam ex eorum oppositis, quia potest esse motus ex *non-ente* ad *ens*, et e converso, et ex *alteritate* ad *similitudinem*, et e converso, et ab *inaequalitate* ad *aequalitatem*, et e converso similiter.

Et sic patet, tam ex parte *subiecti* quam ex parte *terminorum* motus, definitiones istas non esse proprie assignatas, cum non sint convertibiles cum definito. — *Ib.* n. 75.

Notandum, quod *motus* est vere actus *imperfectus*; quia si esset actus *perfectus*, auferret *totam* potentiam a *mobili* respectu illius formae ad quam est *motus*, quia *actus perfectus* non est *actus entis in potentia ad albedinem*; et ideo tunc *motus* non esset actus entis *in potentia*, sed entis *in actu*. *Motus* autem sic est *actus mobilis*, quod non aufert potentiam ab eo, quia quamdiu mobile est in motu tamdiu est *in potentia* ad terminum *motus*. Per *motum* tamen aufertur a *mobili* sola potentia quae erat *ad moveri*, non tamen omnino, quia *mobile* semper est in potentia ad *amplius moveri*, quia omne quod movetur adhuc movebitur. Ex quibus patet, quod *motus* sic est actus mobilis, quod est actus *imperfectus*, et actus *imperfecti*, quia, scilicet, *entis in potentia*, ut patet ex praedictis. — *Ib.* n. 77.

Notandum * etiam *, quod *motus* formaliter habet aliam quantitatem et divisibilitatem a quantitate vel divisibilitate *magnitudinis*; quia *motus* non est quantus *formaliter magnitudine*; bene tamen quasi *effective* et *consecutive* divisibilitas *motus* est a magnitudine, quia secundum divisionem *magnitudinis* dividitur et motus, ut probatur *VI. Physic. text. com. 33,* (1) sive sit magnitudo *spatii* quantum ad motum *localem*, sive magnitudo *formae* ad quam est *motus*; et hoc, vel magnitudo *divisionis*, quantum ad motum *quantitatis*; vel magnitudo *perfectionis* et intensionis, quantum ad motum *alterationis*. — *Ib.* n. 92.

Motus nihil aliud est quam *continua successio transmutationis ipsius mobilis a priori in posterius eius secundum quod movetur*; cuius quidem *motus* nihil est *actu*, nisi *simplex mutatio*, et per eam *totus motus* est *in actu*.

In hac igitur transmutatione continue successiva, quae *motus* appellatur, *tria* est considerare: — *Primum* est ipsa *continuatio*, qua fluxus ipse, qui motus est, non cessat, nec sistit, nec deficit, absque omni ratione alia. — *Secundum* est, quod de ea *acceptum* est, ut distinctum per rationem

(1) Cf. expos. Doctor.

prioris ab eo quod de eo *accipiendum* est et ab illo distinguitur per rationem *posterioris*, et utrumque, secundum se distinctum ab eo quod de ipsa translatione *instat*, a praedictis duobus distinguitur secundum rationem *praesentis*. — *Tertio* est considerare in tali translatione utrumque dictorum, scilicet, *prius* et *posterius*, sive *acceptum* et *accipiendum*, ut continuantur secundum rem ad id quod *instat* de ea, sive ad *praesens*, et simul cum hoc ut distincta secundum rationem *prioris* et *posterioris*. — *De rer. princ.* q. 18. n. 24.

Motus determinatur a termino *ad quem*, et non a termino *a quo*. — *Physic. V. expos. text.* 4. n. 2.

Ad motum requiruntur seu concurrunt multa: — *Primo* terminus *ad quem* et *mobile;* et ista dicit Commentator esse *intrinseca* motui. — *Secundo* requiritur *motor* et *tempus;* et ista dicit esse *extrinseca* motui. — *Tertio* concurrit *resistentia*, licet non ad omnem motum. — *Quarto* concurrunt *regularitas*, et *irregularitas* motus, quantum ad *tempus*. — Et *quinto* concurrunt *uniformitas* vel *difformitas* motus, quantum ad *partem subiecti*. — *Physic.* V. q. 6. n. 4. — *Ib.* exposit. text. 3. n. 2.

Ad *motum proprie* dictum requiruntur aliquae *conditiones:*

Prima est, quod acquisibile per *motum* per se et de natura sua sit acquisibile *successive*, et non subito, ita *quod non possit totum simul acquiri.*

Secunda conditio, quod illud cui fit acquisitio, vel deperditio, maneat idem ante et post, ita quod *acquisitio vel deperditio fiat alicui manenti idem.*

Tertia conditio, ut illud sit acquisibile *sibi per motum sui ipsius*, et non ad motum alterius; et propter hoc ponit Aristoteles, quod in *ad aliquid* * (relationem) * non est *motus*, quia praedicata de *ad aliquid* mutantur de aliquo, non propter mutationem *sui ipsius*, sed propter mutationem factam in aliquo alio.

Quarta conditio, quod motus sit *de termino positivo ad terminum positivum*, inter quos terminos est distantia media. Et ista sequitur ex praecedenti conditione; quia nisi sit distantia secundum quam potest fieri successio, tunc non repugnaret motui, quod posset fieri subito et in instanti. Et talis distantia terminorum vocatur *contrarietas*, quae in qualitatibus non est distantia secundum situm, sed secundum *gradus qualitatis*. — *Ib.* q. 3. n. 3. — Vid. *Actio — Passio — Motus = Secundum quod multipliciter accipitur = Tempus — Motus — Forma.*

Motus, secundum illam rationem quae assignatur in *III. Physic.* cont. 6. quod *est actus entis in potentia inquantum in potentia*, convenit omnibus istis sex * *(de quibus Philosoph. in Praedic.)* * aequivoce, sicut et definitio, et ipsa definientia, quae sunt *actus* et *potentia*, aequivoce eis conveniunt. Sed magis proprie sumitur *motus* in *V. Physic. context. 6. 7. et 9. et inde*, quod *motus est a contrario in contrarium, et in tempore;* et isto modo distinguitur contra mutationem subitam, quae est in instanti; nec potest sic sumptum convenienter dividi in istos sex modos, sed tantum quatuor eorum. — *Super Praedic.* q. 44. n. 2.

Motus continuus — discretus. — *Motus duplex* est: vel *continuus* secundum partes connexas, sibi continue succedentes: vel *discretus* secundum partes non connexas. — *De rer. princ.* q. 21. n. 21.

Motus in animantibus duplex. — In *homine* et in quolibet composito *sensitivo* est *duplex motus:* — *Unus* secundum exigentiam elementi praedominantis secundum *quantitatem*, sicut motus deorsum propter praedominantiam terrae in corpore humano secundum quantitatem. — *Alius* est motus non ratione talis elementi praedominantis, sed ratione qua *animatum* est; et est motus *progressivus*.

Differunt autem isti motus secundum *tria:* — *Uno* modo ex parte *principiorum;* quia principium unius motus est *mixtum* per naturam elementi praedominantis, et ideo post mortem, quando maxime illud elementum praedominatur, redditur corpus *gravius*. Principium autem alterius motus est in *anima*.

Secundo differunt, quia motus qui consequitur animatum ratione corporis non se-

quitur cognitionem, sed *appetitum naturalem* illius corporis; et ideo est ad unum, sicut appetitus naturalis ad unum determinatur. — Alius autem motus, qui est ratione animae, sequitur *apprehensionem*, quae non est semper respectu unius loci et situs, sed nunc respectu unius, nunc respectu alterius; ideo appetitus animalis sequens cognitionem non est respectu unius situs; propter quod ille motus non est semper secundum eumdem situm, nec semper ad eumdem locum.

Tertio differunt, quia animalia in illo motu, cuius anima est principium, *possunt se sistere* per intrinsecum; brutum enim quamvis non moveatur libere, potest tamen cum alio occurrente apprehenso se sistere; sed in alio motu *non potest se sistere*, sicut nec elementum praedominans in ipso potest se sistere in motu suo. — *Oxon*. IV. d. 49. q. 14. n. 2.

Motus infinitus duplex. — *Motus* potest esse *infinitus* (1) *uno* modo quia est *mobilis infiniti*. — *Alio* modo quia, licet sit mobilis finiti, et cum hoc fiat tempore finito, attamen ipso pertransitur *spatium infinitum*. — *Physic*. VI. q. 10. n. 2.

Motus localis. — *Motus localis* non videtur esse aliud quam *continua successio mobilis per loca sibi secundum ordinem successiva*. — *De rer. princ*. q. 18. n. 21. — Cf. *Quodlib*. q. 12. n. 11. — q. 20. n. 10. — *Moveri localiter* nihil aliud est quam habere aliud et aliud *ubi*. — *Oxon*. IV. d. 10. q. 2. n. 26.

Motus multiplex. — *Duplex* est *motus*, scilicet: actus entis *imperfectus*, quia in potentia. — *Alio* modo motus potest dicere quamcumque *operationem*; et sic dicit Aristoteles III. *de Anima* t. 2., quod *intelligere* et *sentire* sunt *motus*. — *QQ. Metaph*. lib. XII. q. 7. n. 3.

Dicit * Philosophus *, quod *omne quod permutatur permutatur* tripliciter, id est: — *Uno* modo *secundum accidens*, *ut* cum dicitur *musicum ambulare*; nam *musicum* non ambulat, nisi quia *subiectum* cui inest ambulat, puta *Socrates* ambulat. Ad hunc modum reducitur, quod forma quaecumque, sive substantialis, sive accidentalis, movetur ad motum *compositi*: ut anima movetur *per accidens* moto *corpore*. Iterum hoc modo quaecumque *pars* movetur *per accidens* ad motum *totius*; et etiam *contentum* ad motum *continentis*: ut *nauta* ad motum *navis* movetur *per accidens*.

Alio modo *aliquid permutatur*, et ex hoc *dicitur simpliciter permutari*: *puta*, *quaecumque* permutantur *secundum partes*; *corpus enim sanatur*, *quia oculus* sanatur, qui est *pars corporis*; hoc enim est moveri *per se*, sed non *primo*, secundum quod *primo* dividitur contra *partem*.

Tertio modo movetur *ipsum primum*, id est, *primo*, ut *primo* dividitur contra *partem*, ut cum aliquod totum movetur secundum totum; et *hoc est mobile proprie*: puta, cum *animal* movetur secundum se totum, et omnes partes suas. — *Exposit. in Metaph. Aristot*. lib. XI. S. 4. c. 3. n. 93.

Aliqui motus sunt tales, quibus necessario *totum simul secundum omnes sui partes movetur*, hoc est, non prius una pars quam alia, sicut est motus *localis* — *Alius* est motus, quo non est necessarium totum secundum omnes partes moveri, ut est *alteratio*. – *Quodlib*. q. 20. n. 10.

Motus multipliciter accipitur. — *Motus* accipitur *tripliciter*: — *Uno* modo pro omni mutatione, sive sit subita, sive successiva, sive sit in subiecto in actu, sive sit in subiecto in potentia; et isto modo isti termini *motus* et *mutatio* convertuntur. — *Alio* modo accipitur motus pro omni mutatione successiva, sive sit in subiecto in actu, sive in potentia. — *Tertio* modo sumitur motus *propriissime*, pro mutatione successiva facta in subiecto in actu de termino *a quo* positivo ad terminum *ad quem* positivum; et sic capit Aristoteles motum in *isto V. text*. 18. quando probat, quod solum in tribus generibus invenitur motus, scilicet in *quantitate*, *qualitate* et *ubi*. — Et sic isti termini *motus* et *mutatio* se habent sicut *superius* et *inferius*; nam omnis *motus* est *mutatio*, et non econtra. — *Physic*. *V*. q. 1. n. 3. — *Ib*. q. 4. n. 2.

---

(1) Scil. *lato sensu*.

* *Motus* * potest intelligi *stricte*, non dico distinguendo motum contra *mutationem*, sicut *divisibile* contra *indivisibile*, sed accipiendo *motum indifferenter ad mutationem divisibilem* et *indivisibilem*. *Stricte* tamen accipitur secundum quod est ad illos terminos ad quos ponit Philosophus proprie fieri mutationem, quae sunt *substantia, quantitas, qualitas*, et *ubi*. Patet *V. Physic.* — Potest etiam alio modo magis *extensive* accipi, prout dicit quamcumque acceptionem cuiuscumque novae formae, sive absolutae sive respectivae, et sive respectus pertinentis ad *ubi* proprie, vel per quamdam similitudinem vel reductionem. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 6. n. 2.

Motus dupliciter * iterum * potest sumi: *uno* modo absolute et in se; *alio* modo in comparatione ad aliquod determinatum signum quod signatur in spatio. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. unic. c. 6. n. 47.

Motus naturalis triplex. — Omnis motus potest dici *naturalis* tripliciter: — *Uno modo* ut *naturale* distinguitur contra *casuale*, quemadmodum dicimus plantas *naturaliter* crescere. — *Secundo modo* capitur *naturale* ut distinguitur contra *violentum*. — *Tertio modo* capitur naturale ut distinguitur contra *voluntarium*. — *Physic.* II. q. 4. n. 8.

Motus naturalis — violentus. — Triplex est *motus*, scilicet, *violentus, naturalis, voluntarius*. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 8. n. 2.

Violentum et *naturale* dicuntur aequivoce de *motu;* nam quandoque ex eo *motus* dicitur *naturalis*, quia fit *secundum consuetum concursum naturae*, et *violentus*, cum fit *praeter communem cursum naturae*. Et isto modo sumendo *naturale* et *violentum*, est minus proprie loqui.

Alio modo sumitur *naturale* quod fit *secundum inclinationem passi* (1), et *violentum* quod fit *contra inclinationem*. — Et talis *motus violentus*, qui fit contra inclinationem passi, quandoque est a principio *extrinseco*, ut patet in proiectis; et quandoque a principio *intrinseco*, facto tamen ab extrinseco, ut quando ferrum movetur ad magnetem, hoc est per inclinationem receptam ab extrinseco a magnete.

Ex quibus infero primo, quod *violentia* et *naturalitas* motus nullo modo attenditur ex parte *motoris*, sed ex parte *passi;* et ideo dicitur *III. Ethic.*, quod *naturale* est quod *fit a principio intrinseco, passo conferente vim agenti*, ita ut ex hoc dicatur motus naturalis, quia fit *secundum inclinationem passi;* et ex hoc *violentus*, quia fit *contra eius inclinationem*. Et istae differentiae, scilicet, *naturale* et *violentum*, possunt inveniri in quolibet genere motuum; nam quidam est *motus naturalis*, quidam *violentus*. Item, quaedam *alteratio naturalis*, quaedam *violenta*. — *Physic.* V. q. 7. n. 5.

* *Motus violenti* * sunt *quatuor species*, scilicet: *pulsus, tractus, vectio*, et *vertigo*. — *Pulsus* dividitur in *impulsum*, et *expulsum*. *Impulsus* est quando pellens continue insequitur impulsum: sed *expulsus* est quando non insequitur: sicut est in motu proiecti. — *Tractus* dividitur in tractum *ad se*, et tractum *ad aliud;* et dicit Commentator quod semper agens *naturale* trahit *ad se;* sed agens *voluntarium* trahit quandoque *ad se*, quandoque *ad aliud*. — *Vectio* est quando vehitur in alio, seu supra aliud: ut in *navi* vel *quadriga*. — Sed *vertigo* est motus compositus ex *tractu* et *pulsu*. — *Physic.* VII. q. 3. n. 3.

Motus physice — logice. — *Motus*, inquantum eius principium est materia vel forma, sive *inquantum egreditur a principio corporis naturalis*, sicut passio a principiis sui subiecti, pertinet ad considerationem *Naturalis;* sed *inquantum est quid transcendens*, repertum in diversis generibus per reductionem, secundum quam est ad res di-

---

(1) « Ad hoc igitur quod motus sit *naturalis* sufficit, quod potentia passiva rei sit ad talem formam inclinata. Nec requiritur ibi principium activum intrinsecum, sed a quocumque agente agatur, erit quod acquiritur simpliciter *naturale* solum propter illam inclinationem ex parte principii passibili. Unde grave, posito quod non habeat in se principium activum descensus deorsum, a quocumque tamen active descendat, movetur *naturaliter* ». — *Oxon.* II. d. 18. n. 5. — « Illud dicitur *moveri naturaliter* quod inclinatur naturaliter ad motum ». Ib. d. 2. q. 6. n. 16.

versorum generum, sic pertinet ad considerationem *logici* considerantis generalissima. — *Super Praedic.* q. 44. n. 5.

Motus quantitativus duplex. — *Dupliciter* potest esse motus *secundum partes quantitativas:* — *Uno* modo, quod *totum mobile simul moveatur;* et sic successio secundum partes quantitativas sufficit ad motum, quia quod augmentatur totum simul movetur de minori quantitate ad maiorem. — *Alio* modo est successio secundum partes quantitativas, ita ut *nunquam simul totum mobile moveatur*, sed primo una pars, postea alia, et sic consequenter; et tunc successio talis non sufficit ad motum. — *Physic.* V. q. 3. n. 8.

Motus — Quies. — Sicut *moveri* est *aliter se habere nunc quam prius,* ita *quiescere* est *nunc se habere sicut prius.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 7. n. 3.

Notandum, quod quot sunt species *motus*, tot et *quietis;* et sumendo ambo ut differunt in eodem genere, opponuntur *privative. Speciali* autem motui privative opponitur quies *specialis:* non illa, quae est in termino *ad quem*, quia illa est salus et perfectio motus; sed quae est in termino *a quo*, ut *dealbationi* privative opponitur *quies* in *nigredine. Motui* autem ad unum terminum contrariatur motus e contrario, qui est ad terminum contrarium; et *quieti* in contrario uno contrariatur *quies* in alio contrario; ita quod motus *specialis* habet pro *contrario* alium *motum*, et pro *privative opposito quietem.* Similiter *quies* habet pro *contrario* aliam *quietem*, et pro *privative opposito motum.* — *Super. Praedic.* q. 44. n. 6

Motus unitas. — Ad *unitatem motus* requiritur quod motus sit *continuus*, identitas *specifica* dispositionis secundum quam est *motus*, identitas *mobilis*, continuitas *temporis* in quo fit *motus*, et unitas *termini ad quem.* — *Physic. V. exposit. text.* 39, 40, 41. n. 24 seqq.

Motus velocitas. — Comparatio motuum in *velocitate* ad invicem potest fieri tripliciter: — *Uno* modo *proprie*, quod illi motus sint *aeque veloces*, aut unus velocior alio. — *Secundo* modo *improprie*, non secundum aequalitatem vel inaequalitatem, sed secundum quamdam correspondentiam, ita ut illi motus dicerentur *aeque veloces* qui provenirent ab aequalibus proportionibus, sive essent unius generis, sive diversorum generum: quemadmodum dicimus, quod *sapor est aequalis colori;* et hoc est *correspondenter:* similiter dicimus, quod *sonus est aequalis* chordae; dicimus etiam quod *pondus mallei et rigor chordae sunt ad invicem aequales, vel inaequales*, eo quod ipsis *correspondent* soni aeque acuti; et ita diceretur in proposito, comparando motus ad invicem. — *Tertio* modo fit comparatio motuum ad invicem *improprie proportionaliter*, scilicet, secundum augmentum *proportionale.* Verbi gratia, posito quod motus *localis* proveniret ab aliqua certa proportione, et motus *alterationis* ab aequali, et uterque in eadem hora augmentaretur *ad duplum*, tunc isti motus in hoc dicerentur *aequales*, quia *aeque proportionaliter* sunt augmentati; et eodem modo diceretur de *diminutione.*

Et sic patet, quod *tripliciter* possunt motus comparari, scilicet, aut secundum *aequalitatem*, aut secundum *correspondentiam*, aut secundum *proportionalem* augmentationem vel diminutionem. — *Physic.* VII. q. 6. n. 3.

Movens mediatum triplex. — Aliquod *movens* potest dici mediatum moto *tripliciter:* — *Uno* modo quando actio moventis *non attingit passum* respectu cuius movens dicitur mediatum, sed tantum attingit aliquid aliud quod movet ipsum; et tale *proprie* non debet dici *movens.* — *Alio* modo dicitur *movens mediatum* id quod est movens seu agens universale, eo quod *agit mediante agente particulari.* — *Tertio* modo dicitur movens mediatum inter quod et motum est *distantia media;* et sic dicitur movens *immediatum* quod est *indistans* passo. — *Physic.* VII. q. 3. n. 2.

Movens motum duplex. — *Movens motum* potest intelligi *duobus modis:* vel quod recipiat a movente *non moto* formam aliquam qua moveat, sicut *actum primum;* vel quod ipsa forma habita sicut actus primus recipiat ab eo aliam formam ulteriorem sicut *actum secundum*, qua agat.

Primo modo est in quibusdam causis ordinatis, quod prima dat virtutem secundae. — *Secundo* modo videtur esse in quibusdam moventibus localiter, sicut *manus* movet *baculum*, et *baculus* movet *pilam;* non autem manus dat baculo *duritiem*, per quam expellit corpus extra locum; sed dat praecise baculo *motionem localem*, qua scilicet applicatur ad istam expulsionem propter incompossibilitatem corporis duri ad aliud corpus quod non cedit. — *Oxon.* II. d. 3. q. 8. n. 11.

Movens quadruplex. — Quaedam sunt moventia *essentialiter* ordinata, et quaedam *accidentaliter* solum. — Illa dicuntur *essentialiter ordinata* quorum posterius non moveret nisi priori movente. — Sed illa dicuntur *accidentaliter ordinata* quorum posterius non movet nisi prius alias movit; sed non oportet, quod simul moveant: et sic *tu, pater tuus* et *pater illius* dicuntur *accidentaliter ordinati.* — Quaedam sunt moventia *corporea*, et quaedam *incorporea.* — *Physic.* VII. q. 2. n. 2. — Vid. *Causae essentialiter et accidentaliter ordinatae.*

Movere — Motio — Motus. — Secundum aliquos *movere, motio* et *motus* sunt idem secundum essentiam. Sed secundum veritatem hoc est falsum; quia *movere* non dicit respectum motus ad moventem, ut dicunt, sed *moventis* ad *motum* ut *passum;* nec *motio* dicit respectum moventis ad passum, sed *passi* ad *movens.* — *De Anima*, q. 7. n. 5.

Movere se primo dupliciter accipitur. — Hoc quod dicit *primo* dupliciter potest accipi: — *Uno* modo potest dici idem quod est *secundum totum*, et opponitur ei quod est *secundum partem.* — *Alio* modo hoc quod est *primo* dicit *causalitatem* praecisam. — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 13.

Moveri a se est multipliciter. — Aliquid dicitur *moveri a se* multipliciter: — *Uno* modo, quia *secundum se totum et quamlibet partem sui* est movens et motum, ita ut non sit aliqua pars sui quantitativa, vel etiam essentialis, quam moveat, quin moveatur, nec aliqua mota, quin moveat. — *Secundo* modo dicitur moveri *ex se*, quia *componitur ex movente et moto.* — *Tertio* modo dicitur moveri *ex se*, ex eo quod componitur ex movente et moto, et cum hoc in suo motu *non indiget motore extrinseco.* Et sic illud dicitur moveri *ab alio*, quod praeter formam, a qua movetur, *indiget* vel indiguit ad huiusmodi motum *motore extrinseco.* — *Quarto* modo dicitur moveri *ex se*, quia componitur ex movente et moto, et cum hoc *sufficit per se incipere motum* et *perficere*, et cum hoc quiescere sine praesentia motoris extrinseci. Et secundum istum motum ponit Aristoteles, quod animalia moventur ex se, sed gravia et levia inanimata non. — *Physic.* VIII. q. 6. n. 2.

Moveri est tripliciter. — *Tripliciter* dicitur aliquid *moveri:* — *Uno* modo secundum *partem.* — *Secundo* modo secundum *accidens.* — *Tertio* modo *per se* et *primo.* — *Physic.* V. *exposit. text.* 17.

Moveri localiter. — *Moveri secundum locum*, ex *Philosopho* VIII. *Physic.* text. com. 2., est *aliter se habere nunc quam prius.* — *Report.* IV. d. 10 q. 4. n. 16. — Ex hoc *igitur* aliquid dicitur *moveri localiter*, quia *aliter se habet* quam prius respectu alicuius quiescentis; et hoc secundum se totum, vel secundum partem; vel saltem quod aliter se haberet respectu alicuius quiescentis, si aliquod quiescens esset. — *Physic.* IV. q. 3. n. 6.

Moveri propter finem est dupliciter. — Aliquid *movetur propter finem dupliciter:* vel propter ipsum *habendum*, vel propter habitum *conservandum.* — Illud quod movetur gratia alicuius *habendi*, ipso acquisito, desistit moveri, sicut aedificator cessat ab aedificando, facta domo. Sed illud quod movetur propter habitum *conservandum* non desistit a moveri habito acquisito. — *QQ. Metaph.* lib. XII. n. 5.

Multiplicare. — *Multiplicare* est *multa facere:* sicut Christus vere *multiplicavit* panes evangelicos, et Deus creans *multiplicat* animas. — *Oxon.* I. d. 26. n. 32.

Multiplicitas duplex. — *Duplex* est *multiplicitas:* quaedam *significatorum*, et quaedam *suppositorum.* — *Prima* multiplicitas est *aequivocorum*, quando, scilicet, aliquod unum est commune pluribus, sine aliqua communitate quae sit ex parte rei. — *Secunda* multiplicitas est *univocorum;* species enim * ex gr. * habet multa individua *supposita*

sibi, non obstante univocatione ad sua supposita. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 1. c. 1. n. 5.

Multitudo. — *Multitudo* est quaedam *aggregatio unitatum.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. IV. S. 1. c. 2. n. 15. — Vid. *Grammat. specul.* n. 75. = *Longitudo — Latitudo* etc.

Multitudo dupliciter considerata. — *Multitudo dupliciter* potest accipi: vel potest denominare pluralitatem *excedentem;* et sic opponitur pluralitati excessae, *paucum* enim est *pluralitas excessa.* — *Aliter* potest *multitudo* importare pluralitatem *simpliciter;* et sic opponitur *uni;* et quia *unum* non est multitudo excessa, ideo *unum* non potest dici *paucum.* — *QQ. Metaph.* L. X. q. 13. n. 2.

Multitudo — Numerus. — *Multitudo absoluta* est in plus quam *numerus.* Sicut enim *unum* absolute acceptum est in plus quam *unum* quod est principium numeri, sic *multitudo* absolute accepta est in plus quam multitudo quae est *numerus.* Unde sicut unum *secundum numerum* addit super unum *absolute acceptum* rationem *mensurae,* vel aliquid tale determinans ipsum ad genus quantitatis, sic *multum* quod est *numerus* addit super *multum absolutum* rationem *mensurati,* vel aliquid tale determinans ipsum ad genus quantitatis. Unde multitudo absoluta non requirit nisi entia divisa et mensurata. Et ideo *multitudo* est in plus quam *numerus.* — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 14. n. 2.

Multitudo — Magnitudo. — *Multitudo dicitur* quod est *divisibile potestate,* id est, in potentia, *in non continua.* — *Magnitudo autem est* quod est divisibile *in continua.* — *Magnitudinem* esse *divisibilem in continua* potest esse *tripliciter,* secundum *tres* species *magnitudinis: quae quidem* * si * *est continua* et divisibilis *ad unum,* id est, secundum unam dimensionem, *est longitudo,* id est, *linea; quae autem ad duas,* id est, ad duas dimensiones, est *superficies; quae autem ad tria, est profunditas,* id est, *corpus.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. unic. c. XII. n. 101. — Vid. *infr. Multum — Magnum.*

Multitudo — Multiplicitas. — Differentia est inter *multitudinem* et *multiplicitatem;* nam *multitudo* importat absolute *pluralitatem: multiplicitas* autem supra pluralitatem addit *unitatem.* Unde *multiplicitas* est *plica multorum* sub uno. — *Elenchor.* q. 36. n. 3.

Multum — Vid. *Unum per se quintupliciter consideratum.*

Multum dupliciter consideratum. — *Multum* potest considerari *dupliciter:* — *Uno* modo ut significat *multitudinem absolute et simpliciter:* puta, ut est in se quidam numerus; et hoc modo opponitur *uni,* et non *pauco;* hoc etiam modo *dualitas* est quaedam *multitudo,* et *duo* sunt *multa.* — *Alio* modo potest considerari *multum* ut significat multitudinem in respectu, scilicet, *secundum quamdam excedentiam ad aliud,* vel *simpliciter, per respectum ad aliquid;* et hoc modo *multum* opponitur *pauco,* non *uni;* hoc etiam modo *duo* non sunt *multa,* sed *pauca.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 5. n. 61. — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 13. n. 2.

— *Multum,* ut est pluralitas *habens excedentiam,* potest intelligi *dupliciter,* scilicet: ut dicit pluralitatem excedentem *simpliciter,* vel *per respectum ad aliquid.* — *Simpliciter* quidem quando aliquid dicitur esse *multum,* quatenus excedit pluralitatem, quae solet inveniri in rebus aliis sui generis: puta si dicatur *multum frigus,* quando est frigus *ultra communem cursum.* — Sed dicitur *per respectum ad aliquid:* puta si *decem* equi dicantur multi per respectum ad *quinque* equos. — *Exposit. ib.* n. 62.

Multum — Magnum. — Huiusmodi humida quae dicuntur a Philosopho *bene terminabilia termino alieno,* ut *vinum, aqua, aër* et huiusmodi humida, quae sic se habent quod in ipsis est aliquod *continuum,* * dicuntur * *multum,* puta, *multa aqua, multum vinum;* et hoc, quia propter facilitatem divisionis sunt *propinqua multitudini.* Verumtamen quando aliquid eorum est continuum, sic dicitur esse *multum* singulariter, quod non dicitur *multa* pluraliter: puta, una aqua continua dicitur *multa aqua,* et non *multae aquae.* Sed in aliis non est sic, quia non dicuntur *multa* si actu sint divisa. *Lapis* enim *continuus* non dicitur

multus, sed *magnus*. Facta autem eorum divisione, non solum dicitur quod sit *multum*, sed etiam quod sit *multa;* et ideo in aliis continuis, exceptis humidis, quae sunt bene terminabilia termino alieno, non refert dicere *multum* aut *multa*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 5. n. 60. — Vid. supr. *Multitudo — Magnitudo.*

Multum — Paucum. — Vid. *Magnum — Parvum.*

Multum — Unum. — Vid. *Unum — Multum.*

Munditia cordis. — Aliam speciem moderantem voluptates in communi exprimit illud: *Beati mundo corde*, etc. *Munditia* enim *cordis* est immunitas voluntatis ab omni inordinata affectione vel delectatione, tam ratione sui, quam ratione appetituum sensitivorum, quibus coniungitur. — *Oxon.* III. d. 34. n. 18.

Mutatio. — Nomen *mutationis* attribuitur diversimode diversis: nam alicui attribuitur ut *termino primo*, ut cum dicitur quod *compositum* generatur et *mutatur:* alicui ut *subiecto*, ut cum dicitur *materia generatur*. — *Oxon.* I. d. 17. q. 6. n. 4.

Mutatio est aliter se habere nunc quam prius (1). — Hoc autem potest esse dupliciter: vel *ad se*, vel *ad alterum*. — *Primo* modo *mutari* est in formis *absolutis*. — *Secundo* modo in *relativis*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. XI. S. 4. c. 3. n. 100. — *Mutari* duo dicit, scilicet: *se habere*, et *aliter se habere*. — *Report.* II. d. 1. q. 6. n. 21.

Cum dicitur *mutari est aliter se habere nunc quam prius, aliter se habere nunc* accipitur pro *indivisibili*, sed *quam prius* accipitur pro *divisibili*. — *Oxon.* II. d. 2. q. 4. n. 12.

Et videtur, quod in definitione *mutationis* illud, *aliter se habere nunc quam prius*, non oporteat, quod accipiatur *positive:* quia planum est, quod non refertur ad subiectum, sed ad terminum *a quo:* terminus autem *a quo* mutationis proprie non est aliquid positivum, sed *privatio*, secundum Philosophum, V. *Physic.* — *Ib.* d. 1. q. 4. n. 30.

(1) Ex Philos. VI. Physic. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 33. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 7. — *Physic.* V. esposit. text. 7; et alibi passim.

Ex VI, *Physic.*, *Mutatio* est *qua aliquid potest aliter se habere nunc quam prius*. Haec ratio non convenit nisi *subiecto* tantum, non *termino*, quia terminus non se habet nunc aliter quam prius; quia si est terminus *ad quem*, nunc *primo* est, et ita non se habuit *prius* aliter quam nunc; si est terminus *a quo*, nunc *non est*, et per consequens non se aliter habet nunc quam prius; ergo nihil mutatur nisi subiective. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 1. n. 5.

Se habere aliter includit entitatem se habentis aliter. — *Ib.* n. 7.

Secundum Gregorium, V. *Moral.*, *mutare est ex aliquo in aliud ire*. — *Ib.* n. 6.

Mutatio, etsi det intelligere *subiectum quod* mutatur, et *formam secundum quam* mutatur, et *habitudinem subiecti ad formam*, tamen ultra istam habitudinem formaliter importat *successionem* immediatam informationis ad non informationem, et e converso. — *Ib.* n. 10.

Uniuscuiusque *mutationis* sunt duo per se termini: terminus *a quo*, et terminus *ad quem*, *forma* et *privatio*. — *Report.* IV. d. 16. q. 2. n. 6.

Mutatio accepta *proprie* non est eadem *formae;* quia mutatio tunc maneret manente *forma*. Nec est eadem respectu *materiae ad formam*, nec e contrario; *quia* tunc semper maneret dum manet *compositum*. Sed est *ordo materiae* ad *formam*, ut novus, id est, immediatus ad talem ordinem; et neuter istorum ordinum est dependentia essentialis ad aliquid, ad quod dependeat habens illum ordinem, et ideo neuter est idem absoluto. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 30.

Ut patet ex *V. Physic. text. com. 4. et inde*, mutatio denominatur *a termino*, et denominat *subiectum*. Unde *motus ad sanitatem* dicitur *sanatio*, et *subiectum* quod sic sanatur dicitur *sanari;* similiter *motus ad aegritudinem* dicitur *aegrotatio*, et *subiectum* quod sic movetur dicitur *aegrotari*.

Per se loquendo una mutatio non terminatur ad aliam, licet hoc contingat *per accidens:* puta si terminata *sanatione*, in-

cipiat subiectum *dealbari;* sed hoc *accidit* sanationi, quia posito quod non succederet dealbatio, nihilominus sanatio esset in se perfecte terminata. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 3. n. 102. — Vid. *Alteratio — Mutatio, = Dominii translatio* etc. = *Generatio — Productio — Mutatio.*

Mutatio ad substantiam triplex. — Omnis *mutatio ad substantiam* vel est *generatio,* vel *corruptio,* et istae sunt naturales; vel *creatio,* et ista est supernaturalis et miraculosa. Unde creatio si sit rei indivisibilis, tunc est subita; si sit rei divisibilis, tunc est *subita* vel *successiva,* secundum quod placet Creatori. — *Physic.* V. q. 2. n. 2.

Mutatio in gratiae infusione duplex. — *Duplex* est * in gratiae infusione * *mutatio:* — *Una* a *non esse charitatis* vel gratiae ad *esse gratiae;* et haec est *creatio,* et non est mutatio *proprie* dicta, quia nihil praesupponit, nec *naturam,* nec *subiectum* eius *susceptivum.* — *Alia* est mutatio a *subiecto* non *charo* ad *esse charum;* et ista mutatio non est simpliciter *creatio,* quia praesupponit *susceptivum;* et ideo haec mutatio *secundum quid* potest dici *generatio,* et totum compositum *secundum quid* generatur *tale,* et non *simpliciter,* quia substantia, quae est terminus generationis, praefuit vel praesupponitur in infusione gratiae, et generatur secundum *esse gratum* et accidentale. — *Report.* I. d. 17. q. 5. n. 5. — *Oxon.* ib. q. 6. n. 5.

Mutatio localis. — Quando corpus movetur *de loco ad locum,* et expellitur aliud corpus, communiter sunt ibi *quatuor motus,* vel *mutationes,* et *octo termini, duae,* scilicet, in corpore *expellente,* et *duae* in *expellendo.* Nam corpus *expellens* movetur ab *ubi* suo ad *privationem* eius, et illa mutatio, quae est inter terminum *a quo* positivum et terminum *ad quem* privativum, potest dici *deperditio* prioris *ubi.* — Idem etiam corpus a *carentia* secundi *ubi* movetur ad illud *ubi* secundum; et ita a *privatione,* ut a termino *a quo,* ad *ubi,* ut ad terminum ad *quem;* et illa potest dici *acquisitiva ubi.*

Consimiliter sunt *duae mutationes,* et *quatuor termini* circa corpus *quod expellitur,* cum primum corpus intrat locum eius.

Si autem moveretur aliquod corpus, et *non expelleret* aliud corpus de loco suo, iam non essent ibi nisi *duae mutationes,* et ambae in ipso corpore moto: una, scilicet, *deperditiva* prioris *ubi,* et alia *acquisitiva novi ubi.*

Si vero corpus, non recedens a priori *ubi,* fieret in novo *ubi,* ibi esset tantum *una* mutatio, scilicet, a *privatione* novi *ubi* ad illud novum *ubi,* et haec *acquisitiva;* et nulla ibi esset *deperditiva,* quia non esset a priori *ubi* ad eius *carentiam,* quia prius *ubi* non deperditur ex hypothesi, licet illud corpus ponatur in *ubi* novo.

Sed si nulla istarum mutationum ponatur, omnino non est intelligibile quod corpus sit ubi non fuit prius. Nam impossibile est qualitercumque aliquid esse hic realiter, quod prius non fuit hic realiter, quin sit aliqua mutatio realis, vel in isto, vel in illo cui est praesens realiter. Nam nullo modo est transitus a contradictorio in contradictorium quantum ad aliquod praedicatum reale, quin sit aliqua mutatio realis; quia si nihil mutatur realiter, non est ratio quare haec pars contradictionis est magis vera nunc quam prius, nec quare prius illa magis vera quam ista, et sic tam nunc, quam prius, vel ambo sunt simul vera, vel ambo simul falsa. — *Oxon.* IV. d. 10, q. 1. n. 9. — *Report.* ib.

Mutatio multiplex. — *Dupliciter* potest intelligi *mutatio* et potest dici *duplex mutatio:* — *Una* includens *totam realitatem motus; alia praecise* includens *realitatem termini motus. Exemplum* huius est, quod istud mutatur ab A *ubi* usque ad B *ubi* * *(a loco A usque ad locum B)* * potest intelligi *dupliciter:* vel quod simul habeat omnia *ubi* intermedia, sicut haberet si praecise moveretur *successive,* vel quod illa mutatione praecise habeat *ultimum ubi,* sicut haberet, si illa mutatio esset *ultimus* terminus motus. — *Oxon.* II. d. 2. q. 11. n. 6.

Secundum Philosophum, *V. Physic., triplex* est *mutatio,* scilicet: a *non subiecto* in *subiectum,* a *subiecto* in *subiectum,* et a *subiecto* in *non subiectum.* — Et accipitur ibi *subiectum* pro ente *positivo,* et *non subiectum* pro *privatione* eius. Sic potest

* *mutatio* *, extendendo ad mutationem *supernaturalem*, distingui, ut illa quae est a *subiecto in non subiectum* dicatur *annihilatio*, quae autem a *non subiecto in subiectum creatio*, quae vero a *subiecto in subiectum transubstantiatio*. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 1. n. 10. — *Ib.* II. d. 12. q. 1. n. 6.

Secundum * etiam * Philosophum, *V. Physic.*, *quadruplex* est *mutatio*, scilicet: secundum *substantiam*, *qualitatem*, *quantitatem* et *ubi* * (*locum*) *. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 2. n. 7. — Vid. *Baptismi forma.*

Mutationis naturalis respectus multiplex. — In *mutatione naturali*, ubi est *materia* et *forma* et *agens*, et *compositum* ex materia et forma, sunt *respectus multi:* puta respectus *agentis* ad *compositum productum*, et e contrario respectus *compositi producti* ad *agens;* respectus *materiae* ad *formam*, et e contrario; et *utriusque* respectus ad *totum*, et e contrario; et respectus *compositi* et *formae praesentis* ad *oppositum praecedens*.

Et non solum ista absoluta, scilicet, *compositum* et *formam*, praecesserunt *sua opposita*, sed etiam illos respectus *materiae* ad *formam*, et e contrario, et *formae* ad *compositum*, et e contrario, praecesserunt *opposita sua*. Et ideo potest esse respectus *omnium istorum respectuum* ad *opposita sua*. Nec hoc tantum, sed etiam omnes isti respectus sunt *ab agente*, et ideo potest esse respectus istorum *respectuum* ad *agens*.

Ita quod de istis multis *respectibus*, accipiendo illos qui sunt ad propositum, *materia* habet respectum ad *formam*, sicut *perfectibile* et illud quod *perficitur* ad perfectionem, et ista coeva sunt existentiae *compositi*. Iste etiam respectus est ab agente effective *inducente* formam, et *perficiente* materiam hac perfectione formali; ita quod in respectu isto, qui est *materiae* ad *formam*, ut receptivi ad perfectionem, sive ut perfectibilis ad perfectionem, fundatur respectus *passivi* ad *agens*. Iste etiam respectus succedit *suo opposito*, quia materia non prius fuit formata.

Istos *tres respectus* videtur dicere *mutatio passiva*, scilicet: respectum *materiae* ad *formam*, ut receptivi ad perfectionem, sive ut perfectibilis ad perfectionem, et respectum *passivi* sive producti ad *agens* sive producens, et respectum *posterioris* ad oppositum *praecedens*. — *Duo* autem istorum respectuum, scilicet *primus* et *tertius*, videntur universaliter concurrere ad *mutationem absolute*, non comparando eam ad *agens;* et isti exprimuntur per illam rationem *mutationis*, qua dicitur aliquid mutari, quia aliquid *aliter se habet nunc quam prius*, si *habere* exprimat respectum *materiae* ad *formam*, sive perfectibilis ad perfectionem, secundum quam sic *se habet*, hoc est, quod *actuatur* illa perfectione, sed *aliter quam prius*. — Ecce alius *respectus*, fundatus in alio respectu *materiae* ad *formam*, sive perfectibilis ad perfectionem. — Et si addatur, quod *mutari* est aliquid aliter se habere nunc quam prius ab *aliquo mutante*, ecce *tertius respectus*. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 29.

Mutationis terminus duplex. — Intelligo, quod *primi* termini cuiuslibet mutationis sunt *privatio* et *forma*, et e converso; *concomitanter* autem qui iunguntur terminis praedictis. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 2. n. 19.

Mutatio substantialis — accidentalis. — *Duplex* est *mutatio*, scilicet, *substantialis* et *accidentalis*. — *Accidentalis* est in *qualitate*, vel in *quantitate*, vel *in loco*; talis mutatio *non interimit* subiectum. — Sed *transmutatio substantialis interimit* subiectum, nec fit nisi per destructionem subiecti; unde in *transmutatione substantiali* subiectum desinit esse seipsum. — *Op. prim. super I. Periherm.* q. 12. n. 4. — In *transmutatione substantiali* substantia rei, quae corrumpitur, *non manet*. — *Ib.* op. II. q. 2. n. 4. — Cf. *Oxon.* IV. d. 10. q. 2. n. 19.

Mutatio supernaturalis — naturalis. — *Quaedam* est *mutatio supernaturalis*, ut *creatio*. — *Alia* est *mutatio naturalis*, in qua, scilicet, praesupponitur subiectum. Et talis est *duplex:* quaedam *instantanea* et *indivisibilis*. — Sed alia est mutatio *divisibilis*. — *Physic.* I. q. 21. n. 9.

Mutilatio duplex. — Quia vel est *enormis*, quae impedit ex toto actum humanum aliquem, qui competeret homini secundum illam partem amputatam: ut in *manus dex-*

trae amputatione, ubi aufertur omnino actus humanus natus competere secundum illam manum: vel *non enormis*, idest non impediens actum humanum: ut amputatio *digiti*, vel alicuius *partis digiti*. — *Oxon*. IV. d. 15. q. 3. n. 4. — *Report*. IV. d. 15. q. 4. n. 44. — Vid. *Vulneratio* — *Mutilatio*.

Mutuatio. — Vid. *Dominii translatio*.

Musica. — Vid. *Scientiae Mathematicae quinque*.

N

Nasci — Nativitas — Generatio. — Exponit * Aristot. * quid sit proprie *nasci*, et ponit *tres* conditiones: — *Prima* est, quod *nasci dicuntur proprie quaecumque habent augmentum; differt enim generatio viventium* a generatione *non viventium*, quia non vivens non augmentatur, nec coniunctum unitur generato, sed divisum, ut cum *ignis* generatur ab *igne;* generatio autem viventium, quae proprie dicuntur *nasci*, fit per quamdam unionem ad principium generationis, sicut cum in *arbore* nascitur *fructus*, vel *ramusculus*; et quia additio *quanti* ad *quantum* facit *augmentum*, ideo in generatione viventium videtur esse augmentum quoddam.

Secunda conditio est, quod illa dicuntur *nasci* quae habent dictum augmentum *per alterum*, id est, per appositionem alicuius alterius diversi. Et per hoc distinguitur istud augmentum ab augmento proprie sumpto, quod est distincta species *motus*, nam in augmento dicto proprie augetur aliquid in *se ipso*, per hoc quod illud quod additur transit in substantiam eius quod augetur, sicut *alimentum* transit in *substantiam aliti* et *nutriti;* sed illud quod *nascitur* non transit in substantiam illius a quo nascitur, sed magis ei apponitur tamquam alterum et diversum, ut patet in exemplo dicto.

Tertia conditio est, quod tale augmentum fit in *tangendo* et in *connasci et annasci, ut embryo*. Omne enim faciens augmentum potest fieri *dupliciter:* vel per solum *contactum*, vel per solam *connascentiam* et coaptationem unius alteri in extremis. Exemplum *primi, paries* additur *parieti*. Exemplum *secundi, capilli* nati *ex capite*. In generatione autem viventium utraque fit appositio, ut patet in *embryonibus*, qui non solum tangunt matricem, sed etiam alligantur et connascuntur. *Differt autem* illa *connascentia a tactu; hic enim*, scilicet in tactu, *nihil alterum est necesse esse praeter tactum*, id est, nihil est necessarium, praeter tangentia, quod faciat ipsa esse unum, sed *in simul natis* connatio vel annatio *est aliquid idem unum in ambobus quod facit* loco tactus *simul illa nasci*, id est, coniuncta et ligata, *et unum esse secundum continuum et quantum, sed non secundum quale;* quod dicit propter hoc, quia illud *unum*, quod est ligamentum adnatorum, non oportet quod alteret ligata a suis dispositionibus, et ideo licet faciat ipsa esse unum secundum *continuitatem* quamdam quantitatis, non tamen oportet, quod faciat ea unum secundum *qualitatem*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 4. n. 30.

Natura. — *Natura* est *principium et causa movendi et quiescendi eius in quo est per se primo, et non secundum accidens*. — * *(Arist. II. Physic.)* *.

Exponitur sic definitio: *Natura* est *principium et causa*, et capitur ibi ly *et expositive* pro *id est*, et ly secundum *et* capitur *disiunctive* pro *vel*, ita quod sensus *est: natura* est *principium*, id est, *causa movendi vel quiescendi eius in quo est;* ad differentiam quarumdam *artium*, quae sunt principium agendi in *extrinsecam* materiam. — Et ponitur ibi *per se et primo*, tamquam *determinatio* et *determinabile:* quia *per se* se habent in plus quam *primo*, ut patet *I. Poster. text. 29. et inde* (1); et hoc ponitur ad differentiam *qualitatis*, quae est principium movendi, ut *gravitas*, quae non est *natura*, eo quod non *primo* movet, sed * hoc * potius * facit * forma substan-

(1) Vid. *Per se* — *Primo*.

tialis. — Et ponitur ibi *non per accidens*, ad differentiam *medicinae*, quae quandoque per accidens movet medicum ut sanet seipsum. — *Physic. II. Exposit. text.* 3. n. 14.

* Vel aliter *:

Notandum, secundum ordinem particularum definitionis, *primo*, quod hoc nomen *natura* est nomen *relativum* et significat substantiam *in relatione ad motum* et *operationes naturales*, et ista non est praedicatio quidditativa, *substantia est natura*, plus quam ista, *substantia est pater*. Ex quo sequitur, quod iste terminus *natura* potest definiri convenienter per istum terminum *principium*, tamquam per *genus*, cum uterque sit de genere *relationis*; et iste terminus *principium* est terminus communior, quia dicitur tam de principio *intrinseco* quam *extrinseco*; sed *natura* dicitur de principio *intrinseco* tantum.

Secundo notandum, quod isti termini *principium* et *causa* convertuntur; et ideo ponuntur ambo in definitione *naturae*, ut unum *exponat* reliquum; et tunc ista copula *et* capitur *expositive*; et tunc est sensus: natura est principium *et*, pro *id est*, causa; quia unus illorum terminorum potest esse magis notus uni, et alius magis notus alteri. — *Aliter* exponitur, quod per istum terminum *principium* Aristoteles intelligit principium *activum*; et tunc illa copula *et* debet intelligi *disiunctive*; et quantum ad primam partem * *(principium)* * debet intelligi de *causa efficiente*, et quantum ad secundam * *(causa)* * verificatur pro *principio passivo* seu *materiali*. — *Physic.* q. 3. n. 3.

Tertio notandum, quod quando dicitur *movendi et quiescendi*, aliqui intelligunt quod natura est principium movendi in iis quae moventur, et quiescendi in iis quae quiescunt. — *Aliter* exponitur, quod ibi accipitur ista copula *et disiunctive*, sicut in prima particula definitionis; et tunc est sensus: natura est principium *vel* causa movendi *vel* quiescendi.

Quarto notandum, quod haec dictio *primo* debet referri ad hanc dictionem *principium*, ita ut sensus sit, quod natura est *primum* principium et causa movendi; et accipitur *primum*, id est, *principale*, ad differentiam *accidentium* et *dispositionum*, mediantibus quibus fit *motus* et *quies*; nam forma substantialis est *principale* activum respectu operationis; sed accidens vel dispositio, mediante qua agit, est activum *secundarium* et instrumentale. — *Ib.* n. 4.

Quinto notandum, quod ibi ponitur haec dictio *per se* (1) ad denotandum, quod forma substantialis non dicitur *natura* respectu cuiuslibet operationis, ad quam ipsa, *mediantibus dispositionibus consequentibus eam*, naturaliter inclinatur, ex eo quod forma mediantibus suis dispositionibus naturalibus non potest in illum motum vel operationem, nisi fiat alteratio aliunde ab *extrinseco*: et tunc ista dictio *per se* debet determinare hoc nomen *principium*, ita ut sit sensus: *natura* est primum principium *per se*, hoc est *solitarie*.

Sexto notandum, quod ista dictio *non per accidens* ponitur ad differentiam quarumdam *artium*, quae sunt principia movendi subiecta in quibus sunt, ut ars *medicinalis*, qua aliquis *sanat seipsum*, et ars *saltativa*, qua aliquis *movet seipsum*, quia accidit tali homini vel tali quod habeat artem medicativam vel saltativam; et tunc haec dictio *non per accidens* debet determinare hoc verbum *est*, secundo loco positum, scilicet, *eius in quo est non per accidens*. — *Ib.* n. 5.

Septimo notandum, quod ibi ponitur *eius in quo est*, id est, *compositi naturalis* cuius *natura* est pars *intrinseca* et *essentialis*; et hoc ponitur ad differentiam quarumdam *artium* quae sunt principia transmutandi *alienam* materiam a subiectis propriis: ut ars *aedificativa*, quae est principium transmutandi *lapides* et *ligna*, intelligendo, quod homo per talem artem transmutat; et universaliter illa particula ponitur

---

(1) « Nihil enim est principium *naturaliter* movendi alicui, nisi inquantum est *per se* et *primo* in eo quod movetur: non est autem per se et primo in aliquo quod movetur, nisi inquantum est passivum; ergo non est aliquid *natura* vel principium naturale alicuius, nisi quia est principium passivum in motu ». — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 9.

ad differentiam particularium motuum qui sunt *ab extrinseco.*

Patet igitur sic intelligendo definitionem, quod natura est *primum principium per se, vel causa movendi vel quiescendi eius in quo est non secundum accidens.*

* Haec * definitio *naturae* est bona, quia competit *cuilibet* contento sub definito, et *nulli alteri* a definito, ut patet per praecedentem expositionem. — *Ib.* n. 6. — Vid. *Ars — Natura.*

Naturae acceptiones. — *Natura dicitur uno modo generatio nascentium,* id est, *nativitas viventium; nasci* enim proprie est viventium, quae dicitur *natura; generatio* autem *non viventium* non dicitur proprie *natura,* quod ipsum nomen sonare videtur, ut si quis extendens ly *y* dicat *physim.*

Notandum, quod *physis* significat *naturam* apud Graecos; et quando accipitur pro generatione viventium habet primum *y* productum; si vero pro *principio* accipiatur, sicut communiter utimur isto nomine, habet primum *y* breve.

Alio modo dicitur *natura id ex quo ut inexistente generatur primum quod nascitur.* Iste *secundus* modus non videtur distingui *a quarto.* Tamen potest dici quod distinguuntur sicut *speciale* et *commune;* nam *secundus* * iste * modus accipit *naturam* pro principio intrinseco *ex quo,* quod est in rebus nascentibus, qualia sunt *sola* viventia, ut dictum est; sed *quartus* modus accipit illud principium *generaliter* in *omnibus* quomodolibet generatis. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. un. c. 4. n. 27.

Amplius dicitur natura entium illud *unde est primus motus in quolibet, et existit in ipso inquantum ipsum est.* Dicit autem * Aristot. * *in ipso inquantum ipsum est,* quia *natura,* quae est principium motus et quietis, inexistit mobili *per se,* et non *secundum accidens.* — Iste *tertius* modus est idem cum natura definita * supra *. — *Ib.* n. 28.

Alio modo *dicitur natura id ex quo primo aut est, aut fit aliquod entium,* et haec est *prima materia,* quae est principium rei, et quantum ad *esse,* et quantum ad *fieri.* — *Ib.* n. 31.

Alio modo dicitur natura existentium natura substantia, id est, *forma.* — *Ib.* n. 32.

Natura accipitur uno modo communiter pro *essentia;* et sic unumquodque sicut habet *entitatem,* sic et habet *naturam.* Unde sic dicimus, quod *natura negationis* est *talis* vel *talis;* et similiter *natura quantitatis* est *talis,* licet *quantitas* secundum se considerata non sit res *naturalis.*

Alio modo sumitur *natura* pro *principio naturali, ut est vis quaedam productiva similis ex simili ex vi productionis.* Et isto modo ponitur Filius in Divinis produci *naturaliter,* quia *ex vi productionis suae* procedit ut *similis a simili in natura;* nam *generatio* quae est in Divinis est *productio similis a simili in substantia.* — *Report.* I. d. 10. q. 3. n. 5.

Natura dicitur *dupliciter:* — *Uno* modo ut distinguitur contra *intellectum* et *voluntatem* et *artem,* et agens *a proposito;* et isto modo *natura* est principium *determinatum ex se* ad agendum; et sic nullum agens agit violenter, quia agit *secundum suam formam; passum* tamen potest *violenter* pati, quando *naturaliter contrafertur.*

Alio modo accipitur *natura* pro *subiecto naturalitatis,* in quo est *naturalis inclinatio* ad aliquid; et sic animalia habent potentiam *naturalem* in motum *augmentationis, nutritionis,* etc., in hoc, scilicet, quod *naturaliter* possunt *augmentari,* a quocumque agente hoc flat.

Sic igitur dicitur, quod *natura* potest accipi pro *agente,* vel pro *passo naturali.* — *Ib.* II. d. 18. q. 1. n. 6.

Natura quandoque accipitur pro principio *intrinseco motus,* vel *quietis,* prout describitur II. *Physicorum:* quandoque pro principio *activo naturaliter,* prout *natura* distinguitur contra *artem,* sive *propositum,* propter oppositum modum principiandi. — *Oxon. Prol.* q. 1. n. 25.

Naturae processus duplex. — *Duplex* est *processus naturae: unus,* quo *ab imperfecto tendit et proficit in perfectum;* et haec est via *generationis: alius,* quo *a perfecto deficit et tendit in imperfectum;* et haec est via *corruptionis.* — *Oxon.* III. d. 21. n. 4. * Seu aliis verbis *:

Duplex est *processus naturae: unus compositivus* et *alius resolutorius.* Secundum *primum* processum fit aliquid ex illo quod est *primum naturaliter* in via *generationis;* et hoc modo fiunt *principiata ex principiis* et *composita* ex *simplicibus.* Secundum autem processum *alium* fit aliquid ex illo quod est *ultimum* in via *generationis;* et hoc modo sunt *principia* ex *principiatis*, et *simplicia* ex *compositis. Unumquodque enim resolvitur in ea ex quibus componitur.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un. c. 5. n. 27. — Sicut in *primo* processu *totum* dicitur fieri ex *partibus*, ita in *secundo* e converso *partes* dicuntur fieri ex *toto resoluto.* — *Ib.* lib V. S. un. c. 17. n. 139.

Naturale — Artificiale. — *Dico * de *artificialibus* et *naturalibus*, distinguendo de *natura*, quod uno modo *natura* distinguitur contra *agens a proposito*; et sic distinguuntur *artificialia* a *naturalibus* ex parte *principii activi;* quia *natura* est principium *intrinsecum* sic determinatum, quo agens naturale agit *sic*, et *non aliter.* Sed *ars*, vel *voluntas*, vel *propositum*, est principium, quo habens illud potest *sic* et *aliter agere*, sicut placet sibi.

Alio modo distinguitur *artificiale* contra *naturale* ex parte *principii passivi*, quia *naturalia* habent in se principium passivum *inclinans* et *tendens in hoc*, ad hoc ut sic agantur. *Artificialia* autem non habent huiusmodi principium sic inclinativum vel *inclinans ad talem incisionem*, vel *erectionem*, ut patet in *aedificiis:* immo inclinatur ad contrarium. Unde *artificialia* vel moventur ad formam talem *contra inclinationem naturalem*, et per consequens *violenter;* vel diceretur, quod sunt in potentia *neutra*, si talis forma artificialis non insit eis contra inclinationem principii receptivi. — *Oxon.* II. d. 18. n. 5. — *Eposit. in Metaph. Arist.* lib. VI. S. 1. c. 1. n. 7. -- Vid. *Ars — Natura = Artificialia = Motus naturalis — violentus.*

Naturale multipliciter dicitur. — *Naturale* est *aequivocum*, et non uno modo dictum. Hoc apparet ex *pluralitate* illorum *quibus opponitur.* — Nam *naturale* uno modo opponitur *libero;* et sic *naturale* et *liberum* dividunt potentiam vel principium *activum.* Patet per Philos. II. *Phys. text.* 49., ubi dividit principium *activum* in principium activum *naturale* et principium activum *a proposito*, vel per *artem*, vel activum per *cognitionem*, quae pro eodem habet. Illud principium *liberum* aliquando vocat *artem*, aliquando vocat *propositum*, quandoque *speciem.*

Et ista duo principia sic distincta habent *oppositum* modum principiandi; quia principium activum *naturale determinatur necessario ad unum*, ita quod non potest in oppositum pro tunc, cum agat secundum ultimum potentiae suae respectu illius unius. Principium activum *liberum*, etiam pro tunc quando agit, *potest in oppositum* illius quod agit; aliter non ageret *libere*, sed necessario respectu illius.

Itaque principium activum *naturale* et *liberum* primo dividunt *principium activum*, et non *principium activum* et *passivum*, quia omne *passivum*, inquantum tale, *naturaliter* patitur, et *non libere;* et ideo principium *passivum* cadit sub principio *naturali*, quia principium *naturale* per se dividitur in principium tale *activum* et *passivum.* — *Report.* IV. d. 43. q. 4. n. 2.

Secundo modo *naturale* opponitur *supernaturali;* et sic dividunt *agens;* quia quoddam *agens* est *supernaturale*, quoddam *naturale.* — *Naturale* dicitur quod est *habens principium activum naturale finitum*, sive sit *necessario* agens, sive *libere* agens. -- *Supernaturale* dicitur quod *habet principium activum naturale infinitum*, sive illud principium fuerit determinatum ad *unum*, sive ad *opposita* (1).

Ex quo patet, quod non eodem modo sumitur *naturale* in prima divisione, et in secunda. In prima enim sumitur *stricte*, et dividitur contra *liberum;* non sic in secunda, quia quaelibet pars secundae divisionis continet *utramque* partem primae divi-

---

(1) « *Naturale* et *supernaturale* non distinguunt naturam alicuius *in se*, sed tantum *in comparatione ad agens;* ideo enim dicitur aliquid *supernaturale* quia a *supernaturali agente; naturale* vero quia a *naturali agente* ». — *Oxon.* IV. d. 10. q. 8. n. 9.

sionis; quia agens creatum, quod est agens *naturale*, ut distinguitur contra agens *supernaturale*, et agit *necessario* determinatum ad unum, et agit *contingenter* et *libere* ad utrumlibet, ad *hoc* et eius *oppositum*. Agens etiam *supernaturale* agit *sic* et *sic*, quia Pater in Divinis *naturaliter* et modo *naturali* producit Filium; *libere* et modo *libero* producit Spiritum Sanctum, et creaturam; et tamen est agens supra naturam et *supernaturale*. — *Ib.* n. 3.

Tertio modo *naturale* opponitur *violento;* et sic non respicit principium *activum* vel *agens*, sed tantum *passivum* et *passum;* quia nullum agens *violenter agit*, cum quodlibet agat secundum formam suam naturalem et *inclinationem* eius. *Violentia* enim in illo in quo est semper est *contra inclinationem* formae violentati, ablativa perfectionis eius naturalis; quae * violentia * si non potest esse respectu principii *activi*, relinquitur quod sit respectu principii *passivi*. — *Passum* autem tunc dicitur *violenter* aliquid pati quando ad *oppositum* illius, respectu cuius confertur violentia, *naturaliter inclinatur;* sicut per oppositum *naturaliter* patitur quando ad illud *naturaliter inclinatur*.

Patet igitur qualiter *violentia* non est conditio *agentis*, sed *passi;* licet enim aliquis violenter accipiat manum meam, et percutiat alium quem nolo percutere, non propter hoc dicor ego *violenter agere*, sed tantum *patior*, quia respectu *percussionis* non plus ago quam *lapis;* quia respectu cuiuslibet actionis principium *agendi* est *intra agens;* sed non sic est in manu quando movetur ab alio ad percutiendum, sed est *extra ipsam*. Est igitur conditio *passi* vel principii *passivi*.

Principium autem *passivum* non *tantum* patitur aliquid *violenter*, quia *contra inclinationem* eius, vel *tantum naturaliter*, quia *secundum inclinationem;* sed sic et sic; sed adhuc tertio modo, quod *nec violenter*, *nec naturaliter*, sed medio modo; quia inter potentiam passivam *naturalem* et potentiam passivam *violentam* est potentia passiva *neutra*, quae nec naturaliter inclinatur ad formam aliquam, nec ad oppositum eius: sicut se habet passiva potentia *superficiei* respectu *albedinis* et *nigredinis*, quia ad neutrum colorem se determinat naturaliter, sed ad utrumque *indifferenter*. — *Ib.* n. 4. — *Oxon.* ib. — *Meteor.* I. q. 2. n. 2. — *Ib.* IV. q. 1. n. 41. — *Collat.* XIV. n. 3.

Naturaliter — Expono illud vocabulum *naturaliter*: non enim illud dicitur solum *naturaliter* fieri quod ab *aliqua* natura potest geri, sed quod *ab omnibus causis naturalibus activis et passivis simul concurrentibus potest fieri*. — *Report.* IV. d. 10. q. 9. n. 4. — *Oxon.* ib. q. 8. n. 5.

Naturaliter fieri est dupliciter. — Aliquid potest fieri *naturaliter* respectu *agentis* et respectu *passi*. Unde illud dicitur *naturaliter fieri* respectu *agentis*, quod agens *natura* intendit; sed id dicitur fieri secundum *naturam* respectu *passi*, quod fit *cum inclinatione passi*. — *Meteor.* I. q. 2. n. 2.

Naturam sustentare est dupliciter. — *Sustentare naturam* potest accipi dupliciter: *effective*, et *formaliter* sive *terminative*. — *Primo* * modo * Trinitas sustentat naturam humanam in Christo, id est, facit eam sustentificatam. — *Secundo* modo solum Verbum sustentificat unionem naturae creatae ad ipsum. — *Oxon.* III. d. 1. q. 4. n. 2. — *Report.* ib. q. 5. n. 12.

Natura — Principium — Causa. — * Licet accipere * *naturam extensive*, prout extendit se ad *omne ens*, sic enim dicimus *naturam voluntatis*, imo extendendo ad *non ens*, dicimus *naturam negationis*. — Sic *extensive* loquendo, *necessitas* in ente quocumque posset dici *necessitas naturalis;* et tunc cum *voluntas*, saltem divina, ex sua perfecta libertate habeat necessario aliquid *velle*, ista necessitas *perfectae libertatis* posset dici isto modo *necessitas naturalis*.

* Etiam contingit accipere * *naturam magis stricte*, prout, scilicet, *natura* et *libertas* sunt primae differentiae *agentis* vel principii *agendi;* quomodo loquitur Philosophus *II. Physicorum;* ubi dividit causam *activam* in *naturam* et *propositum*. *Eorum*, inquit, *quae fiunt propter hoc*, id est propter finem, cuiusmodi sunt omnia quae fiunt a per se causa, *alia quidem secundum propositum*, *alia vero non secun-*

dum propositum. Et paulo post: *Sunt autem propter hoc quaecumque ab intellectu utique aguntur, et quaecumque a natura.* Et reducit ad istas duas causas *per se* duas causas *per accidens*, scilicet, *casum* et *fortunam.*

De hac distinctione loquitur *IX. Metaph.* distinguens modum quo potentiae activae *rationales* et *irrationales* diversimode exeunt in actus suos: *huiusmodi quidem,* inquit, scilicet, irrationales *potentias necesse est, quando activum et passivum appropinquantur, hoc quidem facere, illud autem pati*: *illas vero,* scilicet, rationales, *non necesse est,* supple hoc *facere,* et *pati.* — De hac distinctione loquitur Augustinus, *V. de Civit.* cap. 9. *Est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria.* Et declarat ibi membra.

Ista divisio principii *activi* diversis nominibus exprimitur, non solum apud diversos, sed etiam apud Aristot., ut patet ex *II. Physic.*, ubi praemisit *secundum propositum, et non secundum propositum,* et subdit, ab *intellectu et natura;* et in *IX. Metaph. rationales* et *irrationales* potentias; per ista tria, *non secundum propositum,* et *a natura,* et *potentiae irrationalis,* intelligit principium activum quod communiter dicimus *naturam;* per alia vero tria intelligit illud aliud principium activum, in quo concurrunt respectu actus extrinseci et *intellectus* et *voluntas.*

Sed utrumque istorum per se acceptum habet suum *proprium modum* principiandi: *intellectus* quidem per *modum naturae;* unde ad suum proprium actum comparatus *natura* est: sicut Filius in Divinis producitur per modum *naturae,* licet eius principium productivum sit *memoria; voluntas* autem semper habet suum modum causandi proprium, scilicet, *libere;* et ideo quando concurrit cum intellectu, ut in productione *artificialium,* totum dicitur produci *libere* et *a proposito;* quia *propositum* est principale et immediatum principium illius productionis *extrinsece.* Si autem quandoque concurrat potentia *naturaliter* activa cum ipsa voluntate, sicut est de potentiis *inferioribus,* quibus utimur ad agendum, licet actio proprie, ut est huius principii, sit *per modum naturae,* tamen quia *totum* subiacet *voluntati,* ideo *libere* utimur, et dicimur *libere agere,* a principali agente. — *Quodlib.* q. 16. n. 13.

Hoc nomen *natura* est nomen connotativum de genere *ad aliquid* * (seu *relationis*) *, cuius *genus* est hoc nomen *principium;* et ideo multum refert ponere istos terminos *natura, principium* et huiusmodi terminos connotativos a parte *subiecti* vel *praedicati* respectu verbi de *praeterito* vel de *futuro,* vel respectu verbi de *praesenti* includentis praeteritum vel futurum; quia semper a parte *praedicati* huiusmodi termini appellant suam formam, ita ut restringantur ad tempus verbi, tam pro significato, quam pro connotato; sed non est ita quando ponuntur a parte *subiecti.* — *Physic.* III. q. 1. n. 3.

Natura — Suppositum. — Videnda est ratio *naturae* et *suppositi.* Ubi notandum, quod *natura* non se habet ad *suppositum* sicut *universale* ad *singulare;* quia in *accidentibus* invenitur *singularitas* sine ratione *suppositi;* in *substantia* etiam; nostra enim *natura atoma* * (singularis) * assumpta est a Verbo, secundum Damascenum, non tamen *suppositum* nostrae naturae. — Neque se habet *natura* ad *suppositum* sicut *quo* ad *quod.* Nam cuicumque *quo* correspondet proprium *quod* vel *quis;* et ita sicut *natura* est *quo*, ita habet *proprium quod* vel *quis,* quod non contrahitur ad *suppositum;* et sicut *suppositum* est *quod* vel *quis,* ita habet suum *quo proprium* quo *subsistit;* et tamen suppositum concomitanter de necessitate est singulare, et etiam non potest esse *quo* respectu alterius, quia est *subsistens,* non potens esse actus alicuius subsistentis.

Consistit ergo ratio *suppositi* in *duplici incommunicabilitate.* Ubi sciendum, quod *communicabile* dicitur aliquid, vel per *identitatem,* ita quod illud cui communicatur sit *ipsum;* vel per *informationem,* ita quod illud cui communicatur sit *ipso,* non *ipsum.* — *Primo* modo *universale* communicatur *singulari;* et *secundo* modo *forma materiae.*

Natura igitur quaecumque, et quantum est ex se et de ratione naturae, est *communicabilis* utroque modo, videlicet, *pluribus suppositis,* quorum quodlibet sit *ipsum,* et etiam ut quo tamquam *forma,* qua *singulare* vel *suppositum* sit ens *quidditative* vel *habens naturam.* — *Suppositum* autem est *incommunicabile* duplici incommunicabilitate sibi opposita. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 38. — Vid. *Communicabile per identitatem — per informationem = Communicabilitatis negatio triplex = Persona.*

Necessario — de necessitate requiri. — Vid. *Baptismi forma.*

Necessarium. — Hoc est *necessarium* quod *impossibile est aliter se habere:* puta, *triangulum* habere *tres * angulos *.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 3. c. 2. n. 62.

Necessarium effective — formaliter. — Aliquid dicitur *necessarium* per se *effective,* ita quod *per se* excludat aliam causam efficientem priorem; et sic solus Deus est *per se necessarium* in genere causae efficientis. — Vel potest aliquid esse *necessarium formaliter* et per se; et tale potest ab alio esse, quia sicut ipsum necessarium formaliter in se effective est ab alio, ita et necessitas. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 3. n. 2.

Necessarium multipliciter sumptum. — *Necessarium dicitur uno* modo illud *sine quo non contingit* aliquid *venire aut esse quasi concausali;* id est, quod licet non sit causa rei *principalis,* est tamen quaedam *concausa: ut respirare et cibus est necessarium animali; nam sine his impossibile est esse* ipsum animal; respirare enim et cibus, licet non sint *causae principales* vitae, sunt tamen quaedam *concausae,* quatenus sine respiratione, quae est ad contemperamentum caloris naturalis, et sine cibo, per quem restauratur aliquid deperditum, et impeditur totalis consumptio humidi radicalis, animal vivere non potest. — * *Alio* modo * *necessaria* dicuntur illa *sine quibus non contingit aut esse aut fieri aliquod bonum, aut expellere, aut privari aliquod malum, ut bibere pharmacum,* id est, medicinam laxativam, *est necessarium, ut non laboret,* id est, ut non febricitet aliquis; est enim hoc necessarium, non quia sine hoc non possit animal vivere, sed quia sine hoc non posset bene vivere, quia hoc confert ad expellendum vel vitandum malum. — *Alio* modo dicitur necessarium *vis,* id est, violentia, *et vim faciens,* id est, violentiam faciens; unde violentia dicitur quaedam necessitas. *Hoc autem,* scilicet, violentia, *est aliquid impediens et prohibens praeter impetum et praeter voluntatem,* id est, contra appetitum naturalem et rationalem, *violentum enim necessarium dicitur.* — Notandum, quod violentia dicit * Arist. * impedire voluntatem: illa vero quae sunt contraria voluntati contristant, nam tristitia est de his quae accidunt nobis nolentibus; et ideo omne necessarium isto modo, quod est violentum, est contristativum. — *Alio* modo dicitur necessarium *quod non contingit aliter se habere.* — *Quartus* modus est absolutus; alii vero *duo primi* modi ad aliquod bonum intrinsecum vel extrinsecum acquirendum, vel malum possibile evitandum: *tertius* per comparationem ad agens extrinsecum violentum; sed *quartus* modus accipitur absolute et in se, sicut patet. — *Necessariorum* quaedam sunt *complexa,* et quaedam *incomplexa.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 5.

Alio modo est *necessarium* illud quod necessario *requiritur,* et hoc sive *praeexigatur,* sive *coexigatur* ad esse necessarii; alio modo est necessarium illud quod ad esse necessarii necessario *consequitur.* — *Quodlib.* q. 8. n. 24.

Necessarium simpliciter — ex conditione. — Quoddam est necessarium *simpliciter,* et aliud est necessarium *ex conditione,* ut patet *tractatu ultimo huius II. text.* 87. — Modo *necessarium ex conditione* est *contingens simpliciter,* et tamen est *necessarium* respectu *alicuius:* verbi gratia, Socratem habere oculum est *contingens simpliciter,* et tamen est necessarium *ex conditione,* videlicet, *si Socrates debeat videre.* — *Physic.* II. q. 12. n. 10.

Rebus naturalibus potest attribui necessitas *dupliciter,* scilicet, *simpliciter* vel *conditionaliter.* — Unde illae dispositiones dicuntur *simpliciter* necessariae, ad quas res

naturales determinantur per *materiam*, ut equus de necessitate morietur. Et hoc est quia materia de necessitate est et de necessitate praesupponitur transmutationibus naturalibus. — Sed illae dispositiones sunt necessariae *conditionaliter*, ad quas res naturales determinantur per *formam;* et hoc est quando forma non est necessaria in essendo. Et ideo tales dispositiones sunt necessariae conditionaliter: ut si *talis* finis debeat evenire, necesse est *hoc* sic esse dispositum. — *Ib. exposit. text.* 87. n. 20.

Voco *simpliciter necessarium* cuius oppositum includit contradictionem. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 9. — Non est autem aliquid non necessarium simpliciter ratio simpliciter necessarii. — *Ib.* II. d. 1. q. 4. n. 21.

Necessarium * adhuc * *dicitur tripliciter:* — *Uno* modo *vi,* id est, secundum *violentiam*, quod accidit praeter impetum rei: puta, cum *lapis fertur sursum.* — *Alio* modo dicitur *necessarium sine quo non bene* potest aliquid esse, vel habere finem: sicut *cibus* est *necessarius* ad vitam animalis, et *currus* et *equus* ad pertingendum finem sive terminum *itineris.* — *Alio* modo dicitur *necessarium* quod est *non contingens aliter* se habere, *sed simpliciter:* est, scilicet, *necessarium,* et secundum se. — *Exposit. in Metaph. ib.* lib. XII. S. 2. c. 2. n. 42.

Necessitas consequentis — consequentiae. — Quaedam est necessitas *consequentis,* ut quando *consequens* alicuius consequentiae est *necessarium:* et quaedam est necessitas *consequentiae,* ut quando nec *antecedens* in se, nec *consequens* in se est *necessarium;* tamen posito *antecedente* esse vero, *necessario* sequitur *consequens* esse verum: ut *si homo currit, homo movetur.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 2. c. 2. n. 36. — Cfr. *Oxon.* I. d. 39. n. 19.

Necessitas multiplex. — Exclusa *necessitate coactionis,* de qua non est sermo, potest intelligi una necessitas *immutabilitatis,* quae excludit posse oppositum succedere ei quod inest. — *Alia* est necessitas *omnimodae inevitabilitatis,* sive determinationis, quae non solum excludit oppositum posse succedere isti, sed omnino excludit ipsum posse inesse. — *Quodlib.* q. 16. n. 7.

Necessitas potest intelligi * adhuc * *dupliciter:* — *Uno* modo *simpliciter* et *absolute.* — *Alio* modo potest intelligi *necessitas secundum quid,* vel *concomitanter* aliquorum. — *Report.* IV. d. 10. q. 4. n. 6. — *Collat.* 17. n. 4. — Vid. *Contingentia et necessitas duplex.*

Necessitas praesentis — praeteriti — futuri. — Diversimode attribuitur necessitas *praesentibus, futuris,* et *praeteritis.* — Unde *praesens de necessitate* est pro illa mensura pro qua est praesens, licet possit non esse pro alia mensura. — Sed *praeteritum de necessitate* est praeteritum pro omni mensura. — Sed *futurum* nullo modo *de necessitate* est futurum; unde pro eadem mensura pro qua Antichristus est futurus, pro illa eadem potest non esse futurus. — *Physic.* II. q. 13. n. 12.

Negatio duplex. — Vid. *Affirmatio et negatio duplex.*

Negatio extra genus — in genere. — *Negatio* distinguitur per negationem *extra genus,* quae contradicit affirmationi simpliciter; et ista vera est de quolibet de quo falsa est affirmatio. — *Alia* est negatio *in genere;* et ista praesupponit naturam generis de qua dicitur; et ista potest intelligi multipliciter secundum multiplex genus, communius et minus commune. — *Oxon.* I. d. 28. q. 2. n. 4.

Duplex est *negatio:* quaedam est *simpliciter* et *extra genus,* per quam absolute dicitur quod *hoc non est illud.* — *Alia* est negatio *in genere* sive *infinitans,* per quam aliquid negatur non absolute, sed *intra metas alicuius generis,* sicut *caecum* dicitur quod non habet *visum;* non tamen *omne* non habens visum est *caecum,* sed in genere *animalium,* quod natum est habere visum.

Unde negatio *extra genus* potest verificari tam de *non-ente,* quod *non est natum* habere affirmationem, quam de *ente,* quod *natum est* habere et non habet. Unde tam *chimera,* quam *lapis,* quam etiam *homo,* potest dici *non videns.* — Non sic autem de *privatione,* quae est negatio *intra genus,* quia non omne *non-videns* potest dici *caecum,* sed solum quod est *aptum*

natum habere visum. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. S. 1. c. 2. n. 14.

Diceretur autem hic, quod negatio *extra genus* et negatio *in genere*, absoluta tamen, et negatio quae dicitur *privatio*, non differunt formaliter secundum *rationem negationis;* et tamen sic distinguuntur, quod alicuius mutationis unum est per se terminus, et non aliud. — *Quodlib.* q. 10. n. 23. — Posset * item * dici, quod negatio *in genere* differt a negatione *extra genus* et a *privatione.* — *Privatio* quippe requirit subiectum *aptum:* vel *secundum se,* si est privatio secundum se, vel *secundum genus,* si est privatio secundum genus. — *Negatio extra genus* absolute *nihil requirit,* quia aequaliter dicitur de *ente* et de *non ente.* — *Negatio* autem *in genere* quasi mediat, quia *requirit subiectum* de quo dicatur, *non* tamen *aptitudinem* ad formam. Talem forte negationem importat *diversitas,* quia negat identitatem, vel notat *non identitatem* talem in ente. — *Oxon.* I. d. 23. n. 7. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 4. n. 55. — Vid. *Genitum — Ingenitum.*

Negatio infinitans — negans. — Negatio *infinitans* et *negans* terminum non differunt quoad significatum, quia utrobique negatur significatum termini finiti. — *Super Praedic.* q. 10. n. 7.

Negatio propria duplex. — Negatio potest dici *propria,* quia non est communicabilis multis ut *quod,* et ita negatio in creaturis est propria per istam entitatem positivam, qua natura est *haec,* cui repugnat communicare multis ut *quod.* — Vel potest intelligi *propria,* idest, non communicabilis alii ut *quo,* et sic non est in creaturis. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 11.

Negatio triplex. — Videamus differentiam inter negationem nudam *actus,* et negationem *aptitudinis,* et negationem quae requirit *repugnantiam.* — *Prima* est in *gravi* exsistente *sursum* respectu *ubi in centro: secunda* est in superficie *nigra* respectu albedinis, si est in potentia neutra ad ipsam: *tertia* est in homine respectu *irrationalis.* — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 11. — Vid. *Communicabilitatis negatio triplex.*

Negatio tripliciter potest alicui inesse. — *Tripliciter inest negatio alicui:* quandoque non propter repugnantiam alicuius positivi ad affirmationem illius negationis, sed propter *solam negationem causae* non ponentis illum effectum: sicut si aliqua *superficies* esset *neutra,* esset quidem *non alba,* non propter repugnantiam superficiei ad affirmationem oppositam huic negationi, sed propter *negationem causae non ponentis albedinem inesse superficiei.* — Quandoque autem inest *negatio positivi* propter *repugnantiam* eius ad affirmationem oppositam illi negationi; et hoc *dupliciter:* quandoque enim praecise est talis repugnantia propter *aliquid unum de intellectu utriusque:* sicut in *speciebus ultimis* eiusdem generis proximi *negationes earum mutuae* dicuntur de se propter repugnantiam earum, quae est propter solum unum inclusum in intellectu utriusque, scilicet, propter *differentiam ultimam completam:* quandoque autem propter *plura* inclusa in intellectu *utriusque* vel *alterius:* sicut si accipiantur species *specialissimae* duorum generum *generalissimorum, repugnant* quidem sibi invicem affirmationes propter *multa* inclusa in eis, tot, scilicet, quot praedicata dicta in *quid* de utroque in suo genere, nihil enim dicitur in *quid* de *albedine* quod non sit medium ostendendi hanc, *homo non est albedo;* nihil etiam dicitur de *homine* in *quid* quod non est medium ostendendi eamdem; et ideo ista, *homo non est albedo,* vera est propter repugnantiam extremorum simpliciter, sive propter *multa* inclusa in intellectu repugnantium, quorum quodlibet ex utraque parte esset sufficiens ratio talis repugnantiae; et tamen in omnibus istis inhaerentiis negationum, licet ex diversis causis insint, non dicitur aliquid *magis* vel *minus negatum,* sed quodlibet simpliciter *non tale.* Ita enim est simpliciter *sapor nihil albedinis,* sicut *homo;* et similiter *superficies nihil* habet *albedinis,* posito isto casu. Et ratio est quare *non magis* est haec negatio quam ista, quia quaelibet negatio *negat totam* affirmationem sibi oppositam, ex quacumque ratione sit talis, sive propter unam rationem, sive propter plures. — *Oxon.* I. d. 36. n. 13. * *Vel aliter* *:

Aliquando negatio inest alicui propter *privationem* esse, sed non propter *repugnantiam* illius secundum se: sicut superficies dicitur *non alba*, non quia informatur nigredine, nec quia repugnantiam habet ad nigredinem, sed solum sibi inest negatio albedinis propter privationem causae ponentis sibi albedinem. — Aliquando vero negatio inest alicui non quia solum careat causa ponente effectum, sed *ex repugnantia;* et multipliciter: aliquando propter *unam* repugnantiam, aliquando propter *multas*, sicut negatio *hominis* inest *asino* propter repugnantiam ex parte *differentiae*, non propter repugnantiam in genere propinquo; sed *albedini* inest negatio *hominis*, non solum propter repugnantiam in differentia specifica, sed propter omnia intermedia inter genus supremum et speciem atomam; non tamen propter hoc dicitur ista superficies nigra *non alba*, quae est actu nigra, quasi careret omni colore; neque illa dicitur magis *non homo* quam asinus, quia quaelibet negatio est aequalis quantum ad hoc, quod simpliciter removet habitum. — Aliquando tamen ex *pluribus* causis removetur, aliquando ex *paucioribus*. Sic dico, quod homo ante creationem solum est *non ens*, quia causa non dat sibi esse; sed *chimaera* est *non ens*, quia sibi *repugnat esse*. — *Report.* II. d. 1. q. 2. n. 18.

Nihil. — Vid. *Ens-Res*.

Nolitio efficax — remissa. — Nolitio *efficax* est qua non tantum nolens impedit aliquid, sed si possit omnino destruit illud. — Nolitio *remissa* est qua ita displicet nolitum, quod non prohibeat illud esse, licet possit. — *Oxon.* I. d. 47. n. 2.

Nolle. — Vid. *Voluntatis actus multiplex*.

Nomen. — Per Aristotelem, *I. Physic.*, *nomina sustinent ad definitionem quod totum ad partes*, id est, quod nomen est prius notum definitione. Nomen autem confuse importat quod definitio distincte. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 2. — Nomen imponitur ad significandum essentiam rei. — *Ib.* IV. d. 1. q. 2. n. 9. — Et licet quandoque imponens non habuit conceptum de re, nisi in quadam descriptione quam significat etymologia nominis, non tamen impositum est nomen ad significandum illam descriptionem, sed illam substantiam cuius est illa descriptio: sicut hoc nomen *lapis* non est impositum ad significandum actionem istam, *laedere pedem*, quia tunc lapis per se esset in genere *actionis*, sed imponitur illi substantiae sub propria ratione cuius est haec descriptio, *laedens pedes*. — Hoc patet etiam, quia eidem quandoque imponuntur multa nomina secundum multas proprietates, non ab eadem proprietate, sed alia, ut *lapis*, *petra*. Nec imponuntur illis proprietatibus, quia tunc non essent eiusdem per se in numero, imo nomen unum alicuius esset de genere *actionis*, aliud alicuius de genere *passionis*, ut *petra* = *pede trita*. — Patet igitur, quod alia est ratio *a qua* nomen imponitur, et hoc significat etymologia; alia *cui* imponitur. — Et ita, licet imponens non habuit distinctum conceptum nisi rationis *a qua* imposuit, non tamen illi nomen imposuit, sed illi substantiae cuius est haec descriptio; et hoc sub propria ratione, quam tamen non sic intelligit, et per consequens iste nominat ut imponens imperfecte secundum tertium gradum (1). — *Oxon.* I. d. 22. q. 2. n. 9. — Vid. *Res-Nomen* = *Grammat. specul.* nn. 23-26.

Nomen adiectivum. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 32; 35-58.

Nomen adiectivum ad aliquid. — Vid. *Grammat. specul.* n. 53.

Nomen adiectivum collectivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 40.

Nomen adiectivum comparativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 51.

Nomen adiectivum demonstrativum. — Vid. *Gramm. specul.* n. 48.

Nomen adiectivum denominativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 35.

Nomen adiectivum diminutivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 39.

Nomen adiectivum divisivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 41.

Nomen adiectivum generale. — Vid. *Grammat. specul.* n. 36.

Nomen adiectivum gentile. — Vid. *Grammat. specul.* n. 42.

---

(1) Vid. *Deus qualiter nominabilis.*

Nomen adiectivum infinitum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 46.

Nomen adiectivum interrogativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 44.

Nomen adiectivum locale. — Vid. *Grammat. specul.* n. 56.

Nomen adiectivum negativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 47.

Nomen adiectivum numerale. — Vid. *Grammat. specul.* n. 57-58.

Nomen adiectivum patrium. — Vid. *Grammat. specul.* n. 43.

Nomen adiectivum positivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 50.

Nomen adiectivum possessivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 38.

Nomen adiectivum relativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 49.

Nomen adiectivum responsivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 45.

Nomen adiectivum speciale. — Vid. *Grammat. specul.* n. 37.

Nomen adiectivum superlativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 52.

Nomen adiectivum temporale. — Vid. *Grammat. specul.* n. 55.

Nomen adiectivum verbale. — Vid. *Grammat. specul.* n. 54.

Nomen aequivocum. — *Nomen aequivocum* nec debet dici simpliciter *unum* nomen, nec *plura* nomina, sed nomen *multiplex*, quasi ab uno *multiplicans*. Hoc est manifestum; nam *nomen* dicitur *tale* eo quod sic per intellectum imponitur; unde intellectus est *principium* nominum, cum sit imponens ad placitum. *Nomen* ergo est quoddam *artificiale*. Sed in artificialibus tota substantia est ipsa *materia*. Unde artifex operatur *ex materia*, quam sibi ministrat natura. Sed ipsa *vox* est *materia* et *substantia nominis*. Manente ergo *unitate vocis*, non dicetur illud nomen *plura* nomina: sed in termino aequivoco vox est *una;* ergo, etc. — Nec simpliciter debet dici *unum* nomen, nam ibi sunt *plures* rationes significandi. — Relinquitur ergo dicendum, quod sit nomen *multiplex*. Et hoc vult Boetius in *Divisionibus*. Dicit enim, quod si res non sit subiecta voci, vox non dicitur significativa. — Si autem *plures* voces imponantur *pluribus* rebus, illae voces dicentur *plura* nomina. Si autem *una* vox imponatur *uni* rei, illa vox dicetur *unum* nomen, vel nomen *simplex*. Si autem *pluribus* rebus imponatur *una* vox, illa dicetur nomen *multiplex*. — *Elench.* q. 8. n. 3.

De ratione *aequivoci* est significare *plura*, sicut de ratione *univoci* significare *unum*. — *Ib.* q. 10. n. 6. — Vid. *Aequivocum* — *Aequivocatio*, etc.

Nomen appellativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 28.

Nomen collectivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 34.

Nomen commune. — Vid. *Grammat. specul.* n. 28.

Nomen diminutivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 34.

Nomen patronymium. — Vid. *Grammat. specul.* n. 34.

Nomen positivum — privativum. — Est sciendum quod, ut patuit ex *VIII. Metaphysic.*, nullus potest imponere nomen rei, nisi qui novit rem (1). Et hoc dicitur *I. Perihermenias*, cap. 1, quia *voces sunt earum quae sunt in anima passionum notae*. Nunc autem, aliquando contingit, quod *nominaliter* aliquid multis *positivum* est, quod secundum veritatem est *privatio*, quamvis significetur nomine positivo; quia habitus sibi contrarius dicit naturam positivam. *Corporeum* enim dicit secundum rem privationem, *incorporeum* positivum; et cum notiora sint corporea naturaliter quam incorporea in compositis ex materia et forma, *unum* secundum veritatem habitus quidam est a forma rei partes continente causatus; et ille habitus significatur nomine *unius*. Divisio autem eorum secundum veritatem est privatio illius habitus, et significatur nomine *multitudinis*. Unde *multum* est ens aliquo modo in se divisum; *unum* autem est ens in se indivisum. Et ideo dicit Boetius, *De unitat. et Uno*, c. 1: *Cum autem forma materiae unitur necessario ex coniunctione utriusque aliquid unum constituitur, in qua constitutione illud unum non*

---

(1) Qualiter hoc intelligendum explicat *Oxon.* I. d. 22. q. 1. n. 2.

permanet, nisi quamdiu unitas formam cum materia tenet. Ergo secundum hoc destructio rei omnino est illud quod separatio a forma et materia, quae est ei causa non contraria. — *De rer. princ.* q. 16. n. 5.

Ex quo patet, quod cum multitudo surgat ex diversitate unitatis et compositionis, *multitudo* dicit privationem habitus importatam per unitatem et compositionem. Et quia, ut dixi, secundum quod res novimus, eis nomina imponimus, ideo cum compositiones, causae et partes sint nomina magis nota, ideo etiam illud quod importatur nomine *multitudinis,* etiamsi dicat privationem respectu illius quod importatur nomine *unitatis,* quia nomina positiva magis sunt nobis nota, ideo illud significamus nomine positivo, quod est *divisio;* et illud quod significatur nomine *compositi* seu *unius,* quia est nobis minus notum, significamus nomine privativo per indivisionem; quia *multitudo* est quaedam indivisio, sicut iam dixi; quia substantia incorporea dicit habitum positivum respectu substantiae corporeae, et haec respectu eius dicit privationem. Etenim quia substantia corporea est nobis magis nota quam incorporea, illam nominamus per modum positivum, aliam per modum privativum. Sic etiam quamvis entitas creaturae, quae est finita et limitata, dicat privationem respectu entitatis divinae, quae est infinita, tamen quia nobis est magis nota entitas creaturae quam entitas divina, ideo nominamus eam nomine positivo, cum dicimus, quod est *finita* et *limitata;* et entitatem Dei nominamus secundum modum significandi privative, cum dicimus, quod est *infinitus, illimitatus* et *incircumscriptus;* quamvis ista nomina dicant realem positionem, tamen quantum ad modum significandi dicunt privationem. — *Ib.* n. 6.

Nomen proprium. — Nomen quodcumque aliquid significans quod *huic soli* potest inesse potest dici *proprium* nomen huic. Sed simpliciter *nomen proprium* huius non est nisi quod primo significat *hoc* sub ratione *propria,* quia solum illud est *proprium* signum vocale huius. — *Oxon.* I. d. 22. q. 2. n. 7. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 29 et 59.

Nomen substantivum. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 31 et seqq.

Nomen substantivum quintuplex. — Vid. *Grammat. specul.* n. 34.

Nominari est multipliciter. — Vid. *Deus qualiter nominabilis.*

Nominativus. — Vid. *Grammatica speculativa,* n. 87.

Nominis species. — Vid. *Grammatica specul.* nn. 67-68.

Non consentiens contrarie — negative. — Vid. *Dissentire — Non consentire,* etc.

Non dependere tripliciter dicitur. — *Non dependere* est *tripliciter:* vel quod *non dependere* dicat negationem *actus* dependendi, vel negationem actus et *aptitudinis,* vel tertio negationem *possibilitatis* simpliciter respectu *dependentiae.* — *Exemplum* illius*: non esse in centro localiter* dicitur de *gravi* solum quantum ad negationem *actus,* ut quia non est in centro; sed id dicitur de *igne,* qui levis est, quantum ad negationem actus et negationem *aptitudinis,* quia ignis, etsi possibilis sit esse in centro, tamen non est *aptus natus* esse in eo. Item tertio, *non esse localiter* et *dimensive in centro* dicitur de *Angelo* quantum ad *negationem,* non solum aptitudinis essendi in centro, sed quantum ad negationem *possibilitatis* repugnat ei esse in centro localiter. — *Report.* III. d. 1. q. 1. n. 6.

Non-Ens. — Vid. *Ens simpliciter duplex.*

Non ens multipliciter sumptum. — *Non ens* dicitur *multipliciter:* — *Uno* modo accipitur *non-ens* pro *falso,* ut patet *VI. Metaph. text.* 4. — *Alio* modo pro illo quod est *pura potentia,* sic quod non est in actu; et sic dicimus, quod *materia prima* est *non ens,* scilicet *actu* (1). — *Tertio* modo accipitur *non-ens* non simpliciter, sed *cum additione;* sicut dicendo *non album, non bonum.* * Et * contingit aliquid esse *ens* simpliciter, et tamen esse *non ens* isto modo; quia homo est *ens,* et tamen est *non albus.* — *Physic.* V., *exposit. text.* 7. n. 8.

Tripliciter dicitur *non ens*: Dicitur enim *uno* modo *non-ens* quod *omnino non*

(1) Vid. *Materiae primae potentia.*

est; et ex tali non fit generatio, cum *ex nihilo nihil fiat* per naturam. — *Alio* modo dicitur *non-ens* ipsa *privatio,* quae formaliter est *pura negatio in subiecto;* et ex tali fit utique generatio, sed *per accidens,* quatenus fit *per se* ex *materia,* cui annexa est *privatio* ad generationem necessario requisita. — *Alio* modo dicitur *non-ens* ipsa *materia,* quatenus de se est ens *in potentia,* non in *actu*; et ex tali fit generatio *per se.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 1. c. 2. n. 6.

Significabile per nomen esse *nihil* potest intelligi *dupliciter:* vel quod significabile quod est *A* determinet sibi *non esse* et *nihil,* et sic *chimaera* est *non-ens* et significabile per nomen quod determinat sibi semper *non esse.* — *Alio* modo *A* est *non-ens,* quia non determinat sibi *esse,* non tamen determinat sibi *non esse,* sed *possibile* esse indifferens ad *esse* et *non esse.* Tale potest recipere *esse* et respectum; aliter creatio erit impossibilis, quod est contra articulum fidei. Unde quod ante creationem fuit possibile obiective, sive vere *nihil,* tamen non determinavit sibi *non esse,* ita semper in intentione sua intelligitur esse tale quod potest fieri et esse. — *Collat.* XXXV. n. 12.

Non-identitas multiplex. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Notio. — *Notio* dicit quidquid est *ratio innotescendi Personam quantum ad originem.* — *Report.* I. d. 28. q. 2. n. 9.

Notio ex ratione sua significat per modum *innotescendi aliud,* secundum quod diversimode *notio* solet accipi. — Accipitur enim *uno* modo pro *actuali notitia* obiecti intelligibilis, ut pro conceptu formato quem habemus de Deo in intellectu nostro. — *Alio* modo accipitur pro *ratione innotescendi aliud,* quod proprie significat illud quo aliqua Persona est cognoscibilis ex parte sua. — Et sic est Persona *noscibilis dupliciter:* — *Uno* modo quantum ad ea quae sibi conveniunt ex parte *essentiae;* et sic omnes proprietates essentiales, ut perfectiones *simpliciter,* possunt dici *notiones,* sicut patet per Damascenum, *c. quarto,* ubi inquirit notitiam Dei per huiusmodi proprietates. — *Alio* modo Persona est *noscibilis* secundum illa quae sibi conveniunt ex parte *proprietatis personalis.* — Et hoc adhuc contingit *dupliciter: uno* modo *formaliter* et *intrinsice,* sicut suppositum in creaturis cognoscitur per quidditatem specificam; et *alio* modo *accidentaliter* et *quasi extrinsice,* sicut cognoscitur per accidentia quae consequuntur quidditatem specificam.

Primo modo si accipiatur *notio* pro *ratione formali* et *intrinseca* innotescendi Personam in Divinis, sunt tantum *tres notiones,* sicut sunt *tres proprietates personales,* quia quaelibet Persona tantum *una* proprietate formali constituitur *intrinsece* et *formaliter* in *esse* formali. — Si autem accipitur *notio secundo* modo, pro eo quod est ratio innotescendi aliquid *quasi accidentaliter* et *quasi extrinsece,* hoc erit *dupliciter: uno* modo quasi ratio innotescendi *prima* constitutionis Personae; *alio* modo quasi ratio innotescendi sicut *sequens* constitutionem Personae. — Si *primo* modo, sic essentia, ut ex cuius foecunditate oriuntur proprietates constitutivae Personarum, potest dici *notio,* quia essentia divina quasi in *ratione causae* est intellectui divino *ratio* innotescendi Personam, et etiam aliquo modo intellectui nostro; quia ex *duplici* foecunditate essentiae ad communicandum se, scilicet, per modum *intellectus* et *voluntatis,* cognoscimus Filium et Spiritum Sanctum. — Si autem accipiatur *notio* pro ratione innotescendi Personam per modum proprietatis *consequentis* constitutionem eius, sic non ponuntur nisi *duae notiones* communiter: una *sequens* constitutionem Patris, quia Patrem consequitur *non esse ab alio,* ut *innascibilitas;* et alia *communis* Patri et Filio, quasi eis adventitia, ut *spiratio activa.*

Patet igitur, quod distinguendo *notiones* tamquam proprietates personales ab essentialibus et essentia, quod tantum sunt *quinque,* videlicet, tres *constitutivae,* et duae *adventitiae* (1). — *Report.* I. d. 28. q. 4. n. 1 et 2. — Vid. *Essentiale — Notionale in Divinis.*

Notiora nobis duplicia. — Nostra cognitio est a *notioribus* ad *minus nota.* Sed *notiora nobis* possunt intelligi *dupliciter:* —

(1) Cf. *Oxon.* I. d. 28. q. 2.

Uno modo dicuntur *nobis notiora* quae sunt nobis notiora *secundum intellectum*, comparando unam cognitionem intellectualem ad aliam: sic *principia prima* sunt nobis *notiora*, ut dignitates; et isto modo nostra cognitio simpliciter est a *nobis notioribus*. — *Alio* modo dicuntur *nobis notiora* quae sunt notiora *sensui;* et isto modo scientia nostra non est simpliciter a nobis notioribus; scientia enim quae est per effectus non est simpliciter scientia et *propter quid*, sed tantum *quia est*. — *Poster*. I. q. 10. n. 3.

Notitia habitualis — virtualis. — *Habitualem notitiam* voco quando obiectum sic est praesens intellectui in ratione intelligibilis actu, ut intellectus *statim possit habere actum elicitum circa illud obiectum*. — Voco *virtualem* quando aliquid *intelligitur in aliquo ut pars intellecti primi*, non autem ut primum intellectum, sive ut totale terminans intellectionem: sicut cum intelligitur *homo*, intelligitur *animal* in homine ut *pars* intellecti, non ut intellectum *primum* sive *totale* terminans intellectionem. Hoc satis proprie vocatur *intellectum virtualiter*, quia est satis proximum intellecto in actu, non enim posset esse actualius intellectum, nisi esset propria intellectione intellectum, quae esset ipsius primi ut termini totalis. — *Oxon*. I. d. 3. q. 2. n. 28.

Notius multiplex. — Aliquid potest dici *notius dupliciter:* — *Uno* modo *intensive*, sicut illud quod habet plures gradus cognitionis. — *Alio* modo dicitur *notius* quia *prius notum*. — Et hoc intelligitur *dupliciter: uno* modo quia prius *tempore*, et sic *maior* prius tempore cognoscitur *conclusione: alio* modo prius *natura*, et sic *minor* prius cognoscitur quam *conclusio*. — *Physic*. I. q. 4. n. 3.

Notius potest esse *duplex:* vel tamquam *causa*, vel tamquam *notius quoad nos*, ut per se *effectus*. — *Poster*. II. q. 8. n. 5.

Nullus. — In hoc signo *nullus* includuntur *duo*, scilicet, *negatio* et *distributio*. — *Oxon*. I. d. 4. q. 2. n. 4.

Numeratum. — Non est de ratione existentis in *numero*, quod excedatur a *numero;* imo si accipiatur primum numeratum, hoc est, *adaequatum numeratum*, illud adaequatur ipsi numero; sed de ratione *numerati* est, quod pars eius excedatur a numero, quia ipsum maius est sua parte, et ipsum totum est adaequatum numero; igitur pars eius exceditur a numero. — *Oxon*. II. d. 2. q. 3. n. 4.

Numeri unitas duplex. — In numeris est considerare *unitatem* in *duplici* genere: quia *quaedam* sunt unitates *materiales*, ex quibus materialiter *integratur*. — Et est unitas a qua numerus, puta, *quinarius*, est unus numerus *specie*. Haec autem unitas est sua forma specifica, vel passio consequens formam, sicut *homo* est *unus sua forma*, vel unitate consequente, ut passio, suam formam; et haec unitas est *totalis*, a qua dicitur *totum* denominative *unum*, et in secundo modo dicendi per se; haec autem unitas propria quinarii est *innominata*, similiter est in aliis speciebus numerorum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un. c. 4. n. 24.

Numerus. — Secundum Philosophum, *X. Met. tex. com. 21* (1), *numerus est multitudo mensurata per unum*. Sicut autem nos distinguimus numerum a numero per unitatem aliam et aliam, ita et numerum mensuramus per unitatem, et sui replicationem: illud autem *unum* non est unum *continuitatis* primum, quod simili replicatione constituit numerum, et mensuras; sed unum quod est pars *numeri*. — *Report*. I. d. 24. n. 16.

Circa * quod * sciendum est, quod in hoc omnes concordant, quod *numerus* est species *quantitatis*, et alia a quantitate *continua*, ut habetur ab Aristotele, *lib. Praed.* c. 3, et sequentibus ipsum. — Ex hoc sequitur, quod *numerus* sit *ens absolutum*, quia *quantitas* est praedicamentum *absolutum*, quia *tria* saltem sunt Praedicamenta *absoluta*. — Et ulterius sequitur, quod sit

---

(1) Vid. *Exposit. Doctoris, qui haec habet:*

« Omnis ergo multitudo, quocumque modo sumpta, est quidam numerus et unum principium numeri, et per consequens mensura. Dicitur autem *pluralitas* esse genus numeri non proprie, et ideo dicitur *quasi genus;* sed forsan pro tanto, quia ratio pluralitatis videtur absolutior ratione *numeri*, quia numerus videtur addere rationem *mensurabilis* super pluralitatem, licet omnis numerus sit pluralitas, et omnis pluralitas sit numerus aliquis saltem transcendens ». — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. s. 3. c. 6. n. 66.

ens *reale*, quia * est * ens absolutum *aliud a continuo;* intellectus enim, licet in se causet actum suum, circa tamen obiectum non causat realitatem absolutam, sed tantum ens rationis; et per consequens **numerus** dicat *speciem alicuius generis*, et *praedicati realis*.

Sed difficultas, in qua discordant diversi, est de unitate et forma *specifica* numeri; nam omnis species habet aliquam formam, per quam specifice est *una*. Hoc autem difficile est invenire in *numero*, quia secundum Avicennam, *III Met.* cap. 5., *Multitudo inquantum multitudo non est una: numerus* autem essentialiter est *multitudo* ex *X Met. text. com.* 4 (1); ideo difficile est videre, a quo *numerus* habeat *unitatem specificam;* et ideo circa hoc sunt opiniones diversae. — *Report.* I. d. 24. n. 3: * *ubi opiniones refert et ponderat* — Vid. *etiam Oxon. hic* *.

Tenendo communem viam, dico, quod de ratione *numeri* sunt *tria:* — *Primum* est, quod unitates, quae sunt partes numeri, sunt *unius rationis*, et non tantum conceptus unus, sed singularia eius hinc et inde sunt *unius rationis*.

Secundum, quod *una* sunt distincta, ita quod sic unum non includat sic unum; ideo unitas *naturae* non facit *numerum* cum unitate *suppositi*, nec cum unitate *formalitatis;* quia natura in uno includitur, et *aliud* includit.

Tertio requiritur, quod in utraque unitate vel utroque numero sit *potentialitas partis ad totum*. — *Oxon.* I. d. 24. n. 3. — Vid. *De rer. princ.* q. 16. *per tot.* — *Grammat. specul.* nn. 75 et seqq. — *Multitudo — Numerus.* = *Proportio numeralis multiplex* = *Unitas simplicitatis* etc.

Numerus duplex. — *Duplex* est *numerus:* quidam est numerus *numeratus*, et alius numerus *quo numeramus*. — Et ille *quo numeramus* accipitur aliquando solum pro *actu animae;* et aliquando pro *re numerata*, mediante qua mensuramus aliam rem, *connotando* cum hoc *actum animae*. — *Physic.* IV. *exposit. text.* 102. n. 17. — *Ib.* q. 17. n. 6. — Vid. *Numerus multiplex* = *Grammat. specul.* nn. 75 et seqq.

Numerus in Divinis. — Utrum in Divinis sit proprie *numerus?* — Respondeo: aut ponitur quod numerus habeat *unitatem formalem*, respectu cuius formalitatis unitates sunt *materiales* et sicut materia illius formae; aut ponitur quod numerus est tantum *unus aggregatione unitatum*, sicut acervus lapidum dicitur unus aggregatione lapidum. Quod horum verum sit, alias videbitur, quando tractabitur de numeris (1).

Primo modo dico, quod in Divinis non est numerus, quia quaelibet persona divina est infinita, et quaelibet proprietas personalis est eadem infinito: sed nihil quod est ex se formaliter infinitum vel idem infinito est *potentiale* vel *pars* alicuius, quia tunc esset aliquid maius infinito, quia totum esset maius infinito, si tamen pars eius esset infinita; et ideo illam positionem tenendo, non erit numerus in Divinis.

Si *secunda* positio vera est, scilicet, quod numerus est tantum *unus aggregatione unitatum*, cum aggregata sint simpliciter *diversa*, ita non faciunt nec sunt aliquid per se unum, imo sunt minus unum quam illa quae sunt unum per accidens: et quae sunt in Divinis sunt idem alicui vere uni, quod est essentia; sequitur quod nulla est aggregatio ibi rei ad rem, et ita nullus est numerus secundum istam secundam positionem.

Si tamen numerus habeat esse in *intellectu tantum* simul concipiente plura una vel plures unitates, cum intellectus aliquis possit concipere tres personas simul, vel unam solam non concipiendo tres personas, et non sit conceptus ita perfectus concipiendo unam personam, sicut concipiendo tres personas (unde aliqui distincti articuli fidei respiciunt distinctas personas), posset poni quod ibi est unus numerus, quasi unus conceptus totalis Trinitatis in intellectu.

Sed omittendo de numero, an sit in *intellectu*, et loquendo de numero in *re*, dico quod numerus *simpliciter* non est in Divinis, tenendo alterutram illarum duarum

(1) « Cum *numerus* non sit aliud quam plures unitates ». Ib. — Cf. exposit. Doct. n. 15.

(1) Cf. *Report.* I. d. 24. — *De rer. princ.* q. 16. n. 35 seqq. — *QQ. Metaph.* I. V. q. 9. n. 6.

opinionum primarum. — Conceditur tamen ibi numerus *secundum quid*, scilicet cum hac determinatione, *personarum;* quia ibi fit abstractio illius a numero, quod non dicit imperfectionem, scilicet distinctionem, ab eo quod notat imperfectionem, aut in utroque numerorum, aut saltem in altero, scilicet a *potentialitate*, si numerus est unus secundum formam, vel a *diversitate*, si numerus est unus per aggregationem unitatum plurium. Bene tamen ibi conceditur distinctio sine diversitate vel potentialitate vel etiam aggregatione, quia dicunt imperfectionem aliquam in unitate. — *Oxon.* I. d. 24. nn. 1-2.

Ad *quaestionem* vero, secundum ultimam opinionem (1), est dicendum, sicut Magister dicit, quod *numero* in Divinis magis utimur ad *removendum*, quam ad *ponendum* aliquid; nam numerus non dicit in rebus nisi privationem maioritatis et minoritatis; intellectus nempe concipiens aliqua multa et diversa, mensurat aliquo modo, et imponens illis unum nomen numerale, illud praedicatur de rebus exterioribus denominative, quae non faciunt aliquod totum extra animam, et quod nomen sic impositum significat praecisionem maioritatis et minoritatis, et praedicat hoc de rebus exterioribus: ut cum dico, *tres lapides*, non dico aliquam unam formam in istis, sed tantum *hunc* lapidem, et *illum*, cum praecisione maioris et minoris aggregationis. Sic in Divinis, terminus numeralis connotat praecisionem alterius ab illis ad quos additur: ut cum dicitur *tres personae*, non significat aliquid nisi Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, connotando praecisionem maioris pluralitatis aut minoris, denotando quod in Divinis sunt praecise Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et non alia persona, nec plures, nec pauciores. Et quia conceditur sic in Divinis secundum illam praecisionem, ideo magis terminis numeralibus utimur in Divinis ad *removendum* ea quae non insunt, quam ad aliquid *ponendum*. Magis tamen utimur in Divinis nomine *Trinitatis*, et *dualitatis*, quam nominibus *triplicitatis* et *duplicitatis;* et magis nomine *Trini*, quam nomine *triplici* aut *duplici;* quia nomen *Trinitatis* magis abstrahit a diversitate quam *triplicitatis*, vel quam nomen *ternarii;* denotat enim *Trinitas* pluralitatem in unitate formae; et quia in Divinis est pluralitas suppositorum, et distinctio in unitate essentiae, ideo utimur in Divinis illis nominibus numeralibus, quia minorem diversitatem numero important; magis enim abstrahit a diversitate in numero *Trinitas* sive *Trinus*, quam *triplicitas* et *ternarius*. — *Report.* I. d. 24. n. 27.

Abstrahendo a *numero* proprie accepto, qui scilicet est quantitas *discreta*, rationem propriae *discretionis*, haberi potest conceptus eius quod est *Trinitas*. — *Quodlib.* q. 14. n. 3.

Numerus grammaticaliter. — *Numerus* non est talis modus significandi *grammaticaliter* quales alii modi grammaticales, qui praecise dicunt modum concipiendi rem *absque aliquo reali* correspondenti tali modo concipiendi, nec dicunt aliquid *in re*, a quo moveri possit intellectus ad talem modum concipiendum; sed *numerus* vere includit *rem substractam;* unde sequitur: *homines currunt; ergo plures homines currunt;* sed non est sic de aliis consignificativis *Nominis* vel *Verbi*, quia non sequitur: *Deus est generis masculini; ergo Deus est masculus;* quia ad *masculinitatem* sufficit aliquid in re, a quo iste modus concipiendi possit accipi, puta *activitas*. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 7. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 75 et seqq.

Numerus — Linea — Superficies — Corpus. — *Multitudo finita* dicitur *numerus*, *longitudo finita* dicitur *linea*, *latitudo finita superficies*, *et profundum finitum corpus*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 12. n. 102.

Numerus multiplex. — Alia est natura *unius*, quo dicitur res *una*, quod convertitur cum ente; et alia ratio *unius* quod est *principium quantitatis* et *numeri proprie* dicti. — *De rer. princ.* q. 16. nn. 1-2.

Natura enim *unius* quo est esse quod est, ideo est quia *unum numero* est, vel illud quod dicitur, quod *ens* et *unum* con-

(1) Quod scil. « solum numerus habet suam unitatem ab anima ». — *Report.* ib. n. 23.

vertuntur, non dicit rem vel distinctionem aliquam absolutam supra naturam *entis* sive *rei* quae dicitur *una,* sed essentiam entis et rei sub *alia* et *alia ratione* et consideratione. Propter quod dicit Aristoteles et eius Commentator *X. Metaph. c. 4. in fine comm. 6.,* quod idem est modus consecutionis *entis* et *unius* ad Praedicamenta, et aequaliter dividuntur Praedicamenta secundum ea. Sicut enim dicimus, quod *ens* dividitur per *substantiam, quantitatem,* etc., ita dicimus, quod *unum* est *substantia, quantitas, qualitas,* et sic de aliis. Et ratio huius est, quia, ut dicit Aristoteles, *eodem loco Metaphys.,* in praedicatione *unus homo* non addit aliquid aliud quam *homo;* sicut nec *ipsum esse* praeter *quid est,* aut *quale,* aut *quantum.*

Et ideo tale *unum,* quo res dicitur *una,* et *convertitur cum ente,* non dicit rem aliquam super substantiam rei, ut *albedo* supra *subiectum.* Et ita substantia cuiuslibet rei est *una per se,* non per aliquam rem additam super ipsam; ut sic sit verum dicere, quod omnino eadem est ratio *realis rei* et *unius* rei, sicut *hominis* et *unius* hominis, sicut dicitur in *Elenchis,* quod eadem est ratio *propositionis* et *unius* propositionis. — *Ib.* n. 2; * *late prosequens expositionem et demonstrationem,* n. 3., *concludens* *:

Ex praedictis patet, quod *eadem est realiter ratio entis et unius quod convertitur cum ente;* nec tale *unum* dicit aliquid *absolutum* supra *substantiam rei,* sicut *album* dicit quid absolutum supra *substantiam.* — *Ib.* n. 3.

Est tamen sciendum, quod licet unum non dicat rem absolutam super ens sive super substantiam rei, tamen *unum* istud dicit *aliam rationem* et *alium modum* significandi *ab ente,* ut dicit Commentator, supra *IV. Metaph. comm.* 3. Modus enim significationis *enti* imponitur a ratione *simpliciori* quam modus significationis *unius;* ita quod quamvis *ens* et *unum* idem significent, tamen significatio *unius* praesupponit significationem *entis. Ens* enim imponitur ab actu *essendi absoluto* et *positivo; unum* autem in significato suo includit rationem *entis cum determinatione:* non dico cum determinatione *addente rem* supra rationem *entis,* sed addit quemdam *modum se habendi.* Ille autem modus quem addit non est *positivus,* sed *privativus* solum: non privando aliquod *positivum,* alioquin *unum* non diceretur de Deo, sed privat aliquid *negative* tantum. Cuius privatio, quamvis significet illam privationem modo positivo, sicut e contrario hoc nomen *incorporeum* significat positivum modo privativo, et hoc nomen *corporeum* significat privationem modo positivo. — *Ib.* n. 4.

Ex quo igitur vidimus naturam *unius* quod *convertitur cum ente,* quaerenda est natura *unius* quod est *principium numeri.* — Est igitur sciendum, quod cum omne *unum* ab *unitate* oriatur, necesse est quod *unitas,* a qua oritur *numerus, virtute* et *primo* et *per se* contineat *omnes numeri unitates.* Et hoc est quod dicit Dionysius c. 5 *De Divin. nominib.: In monade enim,* inquit, *omnis numerus uno modo ante constat, continetque omnem numerum monas in se uno modo, et numerus omnis coniunctus est quidem in monade: sed quatenus a monade proficiscitur, eatenus distinguitur et crescit.*

Est igitur sciendum, quod *monas,* sicut *unitas quae est principium numeri,* a qua numerus et eius unitates oriuntur, dicitur *potentia* continere *numerum* et eius *unitates: uno* modo secundum *formam* vel *entitatem: alio* modo secundum *substantiam* et *materiam.* — *Primo* modo adhuc *monas virtualiter* et *in potentia* continet in se numerum et eius unitates *dupliciter: uno* modo *virtute* et *potentiae actione: alio* modo *quasi passive monas* continet numerum et eius unitates.

Virtute et *potentiae actione* est unitas potentiae divinae essentiae, a qua omnis multitudo creaturarum procedit; quia sicut centrum circulorum, sol radiorum, fons rivulorum, sic Deus est causa et principium omnium praedictorum, quia *sine ipso factum est nihil* (1). Et hoc est quod dicit Dionysius, *De Divinis Nominibus,* c. 2.

---

(1) *Ioann.* c. I. v. 3.

Deus est essentia, quae omnem essentiam superat: iis autem quae sunt statum dat omnemque essentiam profert in lucem. — *Ib.* n. 8.

* *Ubi mirifice qualiter « multiplices » unitates creaturarum ab « unica » procedant unitate divina explicat, et naturam « numeri »* et *« unius » intimius perscrutatur,* sic *concludens* *:

Et sic patet, quod universalitas rerum est numerus quidam constans ex unitatibus particularitatis in essentiis, eaeque omnes ortum habent ab unitate prima Dei, quae non est participata, sed quam omnis creata unitas participat, per quam dat imitationem, quae totum rerum numerum et eius unitates virtute continet et potentia activa; quae unitates oriuntur ab ipsa, non per sui divisionem, sicut accidit in numero, qui procedit ex divisione *quanti,* sed per sui communicabilitatem. — *Ib.* n. 10.

Alia est *unitas,* a qua oritur numerus et omnes unitates, quas ipsa continet *potentia* et *virtute,* quasi modo *specificato;* et ex ista oritur tota multitudo, *non per sui communicabilitatem,* ut dixi de unitate divina, sed *per sui divisionem,* non quidem in partes *quantitativas,* sed in partes *subiectivas.* Et ista unitas est unitas generis *metaphysici.* — *Ib.* n. 11.

Alia est unitas continens numerum qui ab ea oritur et eius unitates secundum *substantiam* et *naturam,* ita quod per divisionem illius unitatis, non in partes subiectivas, sed *integrales,* oritur numerus ab illa unitate. Et isto modo *unum magnitudine* habet in se omnem *numerum* qui per divisionem *magnitudinis* potest inde procedere. Et quia talis unitas, quae est *quantitas, accidit* rebus quae sunt de genere substantiae per ipsam quantitatem, quae est *accidens* substantiae, ideo etiam talis divisio et talis numerus ex divisione talis unitatis continuitatis procedens *accidit* rebus quae sunt de genere substantiae, et etiam rebus aliorum Praedicamentorum, quibus *accidit* quantitas, ut *albedini.* Sicut autem quantitati non accidit continuitas, sed *continuitas* est idem re quod quantitas continuati, ut linea et sua continuitas, ita talis divisio et numerus ex ipsa procedens non est accidens rei quae de se est in genere *quantitatis.*

Talis autem unitas, quae est continuitas, quae rebus aliorum Praedicamentorum accidit, sed *quantitati est essentialis,* potest accipi vel *actu* vel *potentia:* — *Actu* si dividamus aliquod continuum, utpote *lignum* existens sub continuitate; tunc talis numerus procedit ex divisione illius unitatis. — In *potentia,* ut si dicamus quod omnia corpora sumantur ex divisione unius *quanti* in *potentia.* — *Ib.* n. 15.

Sic ergo *numerus* qui est ex genere *quantitatis* oritur ex unitate continuitatis acceptae in *potentia,* non sic intelligendo: numerum oriri ex ista unitate, quasi in constitutione numeri illa unitas, a qua numerus habet ortum, primo accipiatur, et deinde illi toti unitati alia diversa unitas addatur, ut fiat *binarius,* et sic deinceps per novarum unitatum, quae non fuerunt in prima unitate, additionem; sed quia prima unitas continuitatis, quae erat una in se *actu,* vel materia, prima divisione fit *duo,* secunda divisione fit *plura.* Et sic accipitur talis numerus in infinitum, per divisionem primae unitatis seu continuitatis. — *Ib.* n. 16.

Entitas numeri est ipsa entitas *continuitatis* primae unitatis divisae; et *varia* elongatio ab illa unitate, quae fit per maiorem et minorem divisionem, facit in numeris *diversitatem* in *specie.* Unde, cum in prima divisione fiat *prima* elongatio, ideo prima divisio causat *primum* numerum; quia per secundam divisionem accipitur *tertia* unitas, quae secundo respectu distat a prima ipsa unitate, ideo tertia unitas causat *aliam speciem* numeri. Et quia semper unitas ultimo accepta per divisionem primi continui in determinato gradu distat a prima unitate, et amplius quam unitatis primo acceptae, ideo *unitas ultimo accepta* semper constituit *certam speciem* numeri et maiorem numerum quam praecedentes; et quanto maior numerus, tanto maiorem includit *privationem primae unitatis.*

Ex quo patet, quod ordo distantiae unitatis ultimo acceptae est a prima unitate, a qua oritur numerus, quia est definita et

certa, et unam certam speciem facit numeri, et facit unitatem in numero, *inquantum numerus*. Et quia omnes unitates acceptae a prima distant secundum magis et minus, nec possunt accipi duae aequaliter distantes, ideo quaelibet constituit certam speciem, et unam speciem ab alia distinctam. — *Ib.* n. 17.

Ex praedictis patet, quod *numerus* uno modo *prior* est *unitate* a qua oritur; alio modo *posterior* est ea; multitudo enim, seu numerus, secundum *imaginationem*, *prior* est unitate continuitatis, a qua descendit, quia *partes priores sunt toto; continuum* autem integratur ex illis partibus, in quas dividitur; sed secundum *intellectum*, cuius est apprehendere unitatem aliquorum in toto, *unitas continuitatis* est *prior*, etiam secundum veritatem. Quia etsi *imaginata* dissolvantur, vel divisione partes habeant totum integrale, secundum *rem* tamen et *veritatem* multitudo partium ex divisione unius continui procedit. — *Ib.* n. 19.

Ex dictis patet, quod in rebus invenitur *multiplex numerus*. Etenim quidam numerus *essentialis*, qui surgit ex participatione primae *unitatis divinae*, secundum *varios gradus* essentiarum; qui dicitur *essentialis*, quia sicut quaelibet res essentialiter per suam substantiam, ut essentiam, est *una*, et non per aliquod absolutum super essentiam, sic earum *numerus* non dicit rem aliam absolutam super res ut sunt essentialiter distinctae, sive distinctio accipiatur secundum regulam generalem, ut cum dicimus, quod *decem sunt genera Praedicamentorum*, sive accipiatur illa distinctio in eodem genere praedicabili secundum numerum generum subalternorum, et specierum specialissimarum; ut cum dicimus, quod *homo, asinus* et *leo* sunt *tres* species; vel *albedo*, et *rubedo*, et *nigredo* sunt *tres* species; vel cum dicimus, *linea, superficies*, et *corpus* sunt *tres* species. Et eodem modo in quolibet genere omnes species numerantur numero *essentiali*, qui non addit aliquid absolutum super res numeratas, sicut nec unitas, qua quodlibet in suo genere est *unum*, addit aliquid super illam rem. — *Ib.* n. 20.

Iam ergo patet, quod *numerus* qui oritur ex unitate quae *virtute* et *potentia continet omnes unitates numeri*, qualis est unitas *divinae* essentiae, et *numerus* qui oritur ex unitate *quae continet virtute* et *potentia quasi passiva unitates numeri*, ex cuius divisione in partes *subiectivas* causatur numerus, qualis est unitas generis *metaphysici*, vel *logici*, seu *praedicabilis*, est numerus *essentialis*. — *Numerus* vero qui oritur ex divisione unitatis quae secundum substantiam et naturam et *materialiter continet unitates numeri*, ex cuius divisione in partes *integrales* et *quantitativas* causatur *numerus*, qualis est unitas *continuitatis*, talis, inquam, numerus est *accidentalis* rebus aliorum Praedicamentorum, quae habent continuam quantitatem, vel sunt in continua quantitate; et est *essentialis* rebus quae de se sunt in genere *quantitatis*. Sed talis numerus qui causatur ex divisione continui, et est accidentalis rebus aliorum Praedicamentorum, non convenit rebus quae non habent quantitatem continuam, vel sunt in continuo; talia enim solo numero *essentiali* numerantur, ut *tres* Angeli, vel *tres* animae. — *Ib.* n. 23.

Est alius numerus qui dicitur *formalis*, secundum quem aliqua numerantur *sub aliqua unitate formali*, quam participant, sicut individua eiusdem speciei. Talis enim numerus oritur ex *divisione unius formae specificae* in partes *subiectivas*, qui formam aliquam non addit super naturam speciei; ideo differt a numero *essentiali*, quia numerata illa, quae sunt genera, vel species subalternae, *addunt formam aliquam*, quae importatur per *differentiam*, super unitatem importatam per *genus*.

Numerus autem *accidentalis*, qui causatur ex divisione *continui*, qui (ut dixi) *accidentalis* dicitur respectu cuiuslibet aliorum Praedicamentorum a *quantitate*, quae tamen habent quantitatem, vel sunt in quantitate, adhuc dividitur in numerum *mathematicum*, et numerum *naturalem;* nam in in rebus numeratis tali numero est considerare et *rationem unitatis*, et *substantiam uniti*, quae est una: sicut in *ligno* est considerare et rationem *continuitatis*, et id

quod est continuum, cuiusmodi est *substantia ligni. Numerus* igitur *mathematicus* dicitur *multitudo aggregata ex rationibus unitatis, ut participant quantitatem:* ut *ternarius* numerat *tria quanta*, sive sint *ferra*, sive *lapides*, sive *ligna*, vel *albedines*, vel quaecumque quantitatem participant; et hic est numerus *quo numeramus*. — *Numerus naturalis* dicitur *multitudo aggregata ex ipsis rebus quibus convenit ratio unitatis;* quae sunt ipsae res numeratae: ut *tres lapides*, vel *tres albedines;* et iste est numerus qui *numeratur* per numerum *mathematicum*. — *Ib.* n. 24.

Accipiendo istos duos numeros, scilicet, numerum *mathematicum abstractum*, et numerum *realem*, qui convenit rebus aliorum Praedicamentorum ut habent quantitatem, vel ut sunt in quantitate, seu numerum *numeratum*, et numerum *quo numeramus*, sic connumerando cum istis numerum *essentialem*, sunt *tres species numerorum*. De quibus loquitur Commentator. *super. III. Metaph. text. Comm.* 38. *Tres sunt* (ait) *species numerorum: est enim numerus mathematicus, qui non multiplicatur per multiplicationem numeratorum; et est numerus formalis, qui diversificatur per numerationem entium; et est numerus, cuius iste numerus est forma, et sunt sensibilia*. Ex quibus verbis patet differentia numeri *mathematici* ad numerum *realem*, sive numeri *quo numeramus* ad numerum *connumeratum;* quia numerus *mathematicus* non multiplicatur ad multitudinem numeratorum, quantumcumque sint diversae naturae, dummodo habeant quantitatem continuam, vel sint in quantitate; numerus autem *realis*, sive numerus *numeratus*, multiplicatur et diversificatur secundum diversificationem rerum numeratarum. — *Ib.* n. 25.

Sed advertendum, quod inquantum forma numeri *mathematici* est in numeris sensibilibus et naturalibus, ibi necessario multiplicatur secundum numerum sensibilium et multitudinem naturarum. Unde quod numerus *mathematicus* non multiplicetur secundum multitudinem numerorum realium, hoc contingit propter maiorem abstractionem et simplicitatem, quam habent numeri super magnitudines. Ratio autem huius maioris et minoris abstractionis est differentia inter *unitatem*, quae est principium *numeri*, et *punctum*, quod est principium *magnitudinis. Unitas* autem de ratione sua est maioris abstractionis quam *punctum*, quia punctum est substantia *positiva*, unitas autem de ratione sua non dicit *positionem* seu *situm*. Et ideo sicut *unitas* per additionem situs induit rationem *puncti*, ita *numerus* per additionem situs cadit in *continuum;* et quia abstracta habent maiorem unitatem, ideo numerus *mathematicus* est *unus*, quanvis numeri *reales* multiplicentur.

Ex praedictis patet, quod cum, secundum praedicta, omnis numerus ab unitate oriatur, omnium numerorum est quodammodo *idem principium* et *radix*. Et haec * in creatis * est ipsa *materia*, quae cum dividitur secundum diversas formas *specificas*, est radix numeri *essentialis;* et dum dividitur secundum diversas *actualitates* in diversis *individuis* eiusdem speciei, est principium numeri *formalis;* et dum dividitur in diversas partes *integrales* secundum divisionem continui, est principium numeri *accidentalis*. Et ut comparatur ad res aliorum Praedicamentorum a *quantitate*, est numerus *essentialis;* ut comparatur ad res quae *per se* sunt in genere *quantitatis*, est numerus *naturalis;* dum autem una pars eius quantitatis, vel una substantia sub quantitate intelligitur replicari sine ratione unitatis, est principium numeri *mathematici*.

Et haec sufficiant, sicut sufficere debent, si praedicta intelligantur. — *Ib.* n. 26. * *Cit. locis et numeris interiectis eadem longiori prosequitur calamo, et plura utilia affert.* — Vid. etiam *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 6. n. 58 *.

Numerus numeratus triplex. — *Duplex* est *numerus numeratus:* — *Quidam* est rerum *indivisibilium*, ut Intelligentiarum. — *Alter* est numerus rerum *divisibilium separatarum* ab invicem *loco*, ut numerus *lapidum*. — Sed *tertius* est rerum divisibilium *continuatarum* ad invicem, ut verbi gratia, sicut numerus *graduum coeli*. — *Physic.* IV. q. 17. n. 7.

Numerus par — impar. — *Par numerus* dicitur qui *potest dividi in aequales partes; impar* vero qui *sic non potest dividi.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. IV. S. 2. c. 5. n. 88. — *Numerus impar* dicitur qui non habet *paritatem simpliciter.* — *Ib.* lib. X. S. 2. c. 3. n. 48 (1).

Numerus primus — compositus. — Secundum Geometras uno modo dicuntur *numeri primi* quos *nullus alius enumerat.* Exemplum: *ternarius, quinarius, septenarius,* et sic de aliis; isti enim sola unitate numerantur. — Numeri vero *quos alius numerus numerare potest* non dicuntur *primi,* sed *compositi.* Exemplum: *quaternarius,* quem numerat *binarius,* et generaliter omnis numerus *par* a *binario* sive a *dualitate* numeratur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 2. c. 4. n. 64. — Dicitur *numerus primus* quem sola unitas mensurat; et hoc modo inter numeros *pares solus binarius* est *primus* et nullus aliorum. — *Ib.* lib. IX. S. 2. c. 6. n. 60.

Numerus incompositus dicitur quem *non mensurat aliquis alius numerus,* sed *sola unitas,* ut *ternarius.* — Sed *numerus compositus* dicitur *quem mensurat aliquis alius numerus,* sicut *senarius* et *octonarius,* qui non mensurantur sola unitate. — *Ib.* lib. V. S. un. c. 13. n. 106.

Numerus singularis — pluralis. — Vid. *Grammat. Specul.* n. 78.

Numerus — Tempus. — Iste terminus, *numerus, supponit* pro *multitudine, connotando* ipsam esse numerabilem ab anima * (intellectu) *. — Similiter iste terminus, *tempus, supponit* pro *motu, connotando* motum esse mensuram durationis successivae, scilicet, connotando animam numerare motum secundum *prius* et *posterius;* et per motum sic numeratum mensurare aliquam durationem successivam.

Unde isti termini, *numerus* et *tempus,* non connotant actum animae; quia iste terminus, * *numerus* *, non connotat, quod multitudo pro qua supponit sit *actu numerata,* sed quod sit *numerabilis.* Similiter iste terminus *tempus* non connotat motum esse *actu mensuratum,* sed quod sit *mensurabilis* ab anima; et ideo dicit Aristoteles IV. *huius, text. 131,* quod si nulla esset anima, adhuc bene esset *tempus;* sed si nulla *potest* esse anima, nullum potest esse *tempus,* innuens quod *numerus* notat *mensurabilitatem,* et non *actum mensuratum.* — *Physic.* IV. q. 17. n. 2.

(1) Cf. *Oxon.* IV. d. 10. q. 1. n. 15.

Numerus triplex. — *Triplex* dicitur esse *numerus:* — *Quidam* est *actus animae* quo numeramus. — *Alter* qui est numerus quo numeramus tamquam *instrumento:* ut numero *fabarum* numeramus *homines.* — Et *tertius* est numerus numeratus: ut homines numerati per animam. — *Physic.* IV. q. 17. n. 6.

Numerus — Unitas. — *Numerus* non est aliud quam *unitates* ex quibus componitur. — *Unitas* autem non est aliud quam *ipsum unum.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 2. c. 3. n. 70.

Nunc. — Quodcumque unum *nunc* consideratum secundum se est idem; et hoc dicitur esse *idem secundum substantiam;* consideratum autem in ordine ad tempus *praeteritum* et *futurum,* cum sit *terminus* praeteriti et *principium* futuri, dicitur *distinctum secundum esse.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 6.

Nunc — Tempus. — *Nunc* est *notius* quam sit *motus.* — *Nunc* manet *idem* secundum *essentiam* per totum tempus, licet sit *aliud* et *aliud* secundum *extrinsecam denominationem.* — Si *tempus* non sit, *nunc* non est; et e contra si *nunc* non sit, *tempus* non erit. — Simile est de *nunc* ad *tempus* sicut de *puncto* ad *lineam;* quia sicut *linea* continuatur per *puncta,* ita etiam *tempus* continuatur per *nunc,* scilicet, per *instantia,* et divisio temporis fit per *instans.* Ne credatur quod sit omnino simile, dicit Aristoteles quod *punctus* et *nunc* differunt in hoc, quod propter sui *permanentiam* potest *bis* sumi *idem numero* punctus, et *pluries* numerari; sed *idem nunc* non potest *bis* sumi, quia mobile continue motum non est pluries in eodem loco praecise, scilicet, aequali: modo iste terminus *nunc* supponit pro mobili continue moto, connotando ipsum esse in loco sibi aequali praecise. — *Nunc* non est pars temporis. Ipsi *nunc* non convenit ratio tem-

poris, scilicet, *mensurare*, secundum quod est *terminus* temporis.

Tempus est *continuum;* quia *tempus* est *mensura motuum secundum prius* et *posterius.* — *Tempus* non est *velox* neque *tardum,* quia *velox* et *tardum* non attribuuntur *motui* nisi ea ratione qua motus est *mensurabilis tempore:* modo, ea ratione qua motus est tempus, motus non est mensurabilis, sed *mensura.* — Eorum quae *simul* sunt est *idem* tempus; et eorum quae non sunt simul non est idem tempus. — Sicut contingit motum iterari, ita etiam contingit idem tempus iterari, ut *autumnum, ver, hyemem,* et *aestatem.*

Aliquid potest dici esse in tempore *tripliciter: uno* modo, quia est *quando tempus est: alio* modo, quia dicimus ipsum esse *in tempore* quemadmodum dicimus aliquis esse *in numero;* et hoc *dupliciter: uno* modo, quia est in numero tamquam *pars* numeri, vel *passio* attributa numero; et *secundo* modo dicitur aliquid esse in numero, quia *mensuratur numero.* — Nihil est in tempore *primo modo.* — *Physic.* IV. *exposit. text.* 105-119, * *ubi* horum probationes et alia *plura videri possunt de tempore.* — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 4. *

Nutritio. — *Nutritio* est *aggeneratio unius ad aliud per identitatem et unitatem cum eo.* — *Oxon.* III. d. 16. q. 2. n. 8. — *Nutritio* est *aggeneratio partis toti nutriendo.* — *Ib.* IV. d. 10. q. 6. n. 7 et 12.

In nutritione est aliqua *generatio,* extendendo *generationem* ad omnem inductionem formae substantialis in materiam post privationem, quia materia alimenti non manet sub forma alimenti, nec sub aliqua alia quam sub forma nutriti, et illam recipit post nutritionem. Non enim dicitur *generatio simpliciter,* quia non est generatio *per se entis,* prout illud dicitur *per se esse* quod non est pars alicuius; sed potest dici *aggeneratio,* quia generatio alicuius quod per generationem fit idem alicui praeexistenti cui aggeneratur; vel potest dici *ingeneratio,* quia generatio partis in toto cuius non fuit pars. — *Oxon.* IV. d. 44. q. 1. n. 7.

O

Obedientia. — In ordine ad alterum potest aliquis recte se habere communicando ei subiectionem iustam, et haec denominatur a *subiici,* et potest vocari *obedientia.* — *Oxon.* III. d. 34. n. 17. — *Obedientia* enim proprie significat subiectionem respectu agentis potentis de obediente facere quod vult. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 12. n. 3. — Vid. *Beatitudines* = *Virtutes praecipuae.*

Obiecti praesentia duplex. — *Duplex* est *praesentia obiecti:* — Una *actualis existentiae* in re extra, sub determinata distantia; et hanc requirit omnis *sensus;* nec ad positionem talis speciei in sensu requiritur praesentia huiusmodi extra, sicut patet, si Deus supernaturalem speciem imprimeret in oculo. — *Alia* est praesentia * obiecti * sub ratione *cogniti* vel speculati; et haec praesentia compatitur absentiam praedictae praesentiae, ut patet in actu *imaginativae,* et maxime *intellectus,* qui non requirit praesentiam rei. — *De rer. princip.* q. 14. n. 27. — * *Seu aliis verbis* *:

Obiectum respectu potentiae habet *primo* praesentiam *realem,* scilicet approximationem talem, ut possit gignere speciem talem in intellectu, quae est forma intellectus. — *Secundo* per istam speciem genitam, quae est imago gignentis, est obiectum praesens sub ratione *cognoscibilis,* sive repraesentati. — Prima praesentia praecedit naturaliter secundam, quia praecedit naturaliter impressionem speciei, per quam est formaliter secunda praesentia. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 16.

Obiectum naturalis attingentiae — inclinationis. — Distinguo de obiecto *naturali,* quod potest accipi vel pro eo ad quod *naturaliter* sive ex actione causarum naturaliter activarum potest potentia *attingere,* vel pro illo ad quod potentia *naturaliter inclinatur,* sive possit illud naturaliter attin-

gere, sive non. — *Oxon. Prol.* q. 1. n. 32. — *Quodlib.* q. 14. n. 11.

Obiectum primum — adaequatum. — Ratio *primi subiecti* * seu *obiecti* * est *continere in se primo virtualiter omnes veritates illius habitus,* cuius * *primum obiectum* * est. Quod probo sic: *primitas* hic accipitur secundum quod dicit *adaequationem:* obiectum autem se habet ad habitum sicut causa ad effectum: non est autem causa adaequata, nisi contineat *primo virtualiter* totum effectum; ergo etc.

Expono quod dixi *virtualiter:* quia sicut illud est *primum ens* quod *non dependet* ab alio, sed alia ab illo, ita *primo continere* est *ab aliis non dependere in continendo,* sed alia ab ipso, hoc est, quod per impossibile circumscripto omni alio, manente intellectu eius, adhuc contineret, et nihil aliud continet, nisi per rationem eius. — *Oxon. Prol.* q. 3. n. 4. — Proportio *obiecti* ad *potentiam* est proportio *motivi* ad *mobile,* vel *activi* ad *passum.* — *Ib.* n. 5. — Quia *rationem obiecti* dico esse illam formam, secundum quam *obiectum* est *motivum potentiae,* sicut ratio *activi* vel *agendi* dicitur esse illa forma secundum quam agens agit. — *Ib.* I. d. 3. q. 3. n. 23.

Obiectum primum potentiae assignatur illud quod *adaequatur potentiae in ratione potentiae,* non autem quod adaequatur potentiae ut *in aliquo statu:* quemadmodum primum obiectum *visus* non ponitur illud quod adaequatur visui *existenti in medio illuminato lumine candelae* praecise, sed quod natum est adaequari *ex se,* quantum est ex natura sui. — *Ib.* n. 24.

Primum enim *obiectum* est *adaequatum* potentiae, hoc est, quod nihil respicit potentia pro obiecto nisi in quo est ratio illius *primi,* et in quocumque est ratio illius *primi* illud respicit potentia pro obiecto: * ideo * impossibile est aliquid esse obiectum primum naturaliter, quin quodlibet contentum sub illo sit per se obiectum naturaliter. Da enim oppositum, et tunc non est adaequatum naturaliter, sed *excedens,* et aliquid eo inferius est *adaequatum,* et ita *primum.* — *Ib. Prol.* q. 1. n. 32. — Vid. *Primitas adaequationis — immediationis = Primitas naturae — adaequationis = Primitas obiecti triplex.*

Obiectum primum multiplex. — *Primum obiectum* intellectus potest dici primum prioritate *adaequationis,* vel *communitatis.* — *Alio modo* prioritate *generationis* vel *adversionis* quo primo *adverto;* vel prioritate *virtutis,* in cuius, scilicet, virtute intelligo omnia; sic essentia divina est *primum obiectum* sui intellectus. — *Primo modo* est *ens* communissimum obiectum; *secundo* est nunc *unum,* nunc *aliud,* quod, scilicet, vehementius immutat intellectum *primo.* — *Collat.* XIII. n. 8. — Vid. *Adaequatio obiecti secundum virtutem — secundum praedicationem = Primitas obiecti triplex.*

Obiectum primum per se. — Primum obiectum, hoc est *adaequatum,* vel adaequatur secundum *communitatem,* vel secundum *virtutem,* vel secundum istam *duplicem primitatem* concurrentem. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 20. — *Uno* modo dicitur *obiectum primum* illud quod habet *per se* rationem movendi potentiam; et *per se* illud quod non habet quod moveat, sed tantum *cum alio* movet. Et hoc modo loquitur Philosophus, *II. de Anima,* de *sensibili primo,* quale est sensibile *proprium,* et de sensibili *per se,* quale est sensibile *commune.* — *Alio* modo dicitur quandoque *obiectum primum adaequatum:* et hoc *potentiae,* vel *actui;* et contentum sub primo adaequato *potentiae* dicitur *per se* obiectum; inclusum autem in primo adaequato *actui* dicitur *per se* obiectum *actus.* — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 35.

Est aequivocatio de *primo,* et *per se:* quia *uno* modo dicitur *per se obiectum,* quod tamen in sua formali ratione non includit rationem *formalem primi obiecti,* per quam movet potentiam: sicut patet de *sensibili communi,* quod est *per se obiectum* visus; sicut *magnitudo* et *figura,* licet sint *per se obiectum* potentiae visivae, non tamen includunt rationem *formalem primam* motivam visus, sine qua non est *videre,* sicut est *color* et *lux.*

Alio modo sumitur obiectum solum *primum adaequatione;* et hoc includit in se vel sub se multa *per se* obiecta; quae tamen essentialiter includunt rationem *primi*

obiecti, et addunt respectu *primi obiecti* aliquas differentias perficientes: secundum quem modum *albedo* et *nigredo* se habent ad *colorem*. Et isto modo quodlibet moveret potentiam sub ratione *primi obiecti communis*, inquantum includitur in eo, et etiam sub ratione propria, quoad hoc, quod addit perfectionem pertinentem ad illud genus. Et hoc modo *ens* est obiectum *commune adaequatum*, et hoc potentiae intellectivae: *ens*, dico, *in communi*, et quodlibet ens speciale, quacumque differentia entis contractum, sub eadem ratione movet, sive hoc sit ratio *individui*, sive ratio *speciei*. — *Ib.* d. 3. q. 11. n. 10.

Occisio. — *Occisio* accipitur pro *separatione animae a corpore facta per violentiam*. — *Report.* IV. d. 10. q. 3. n. 20.

Odium. — *Odium* est *quoddam nolle*, quia *odisse* aliquid est *nolle illud*. — *Report.* I. d. 1. q. 3. n. 3. — Vid. *Voluntas in Deo multipliciter accipitur*.

Odoratus. — Vid. *Sensus quinque*.

Offensa. — Vid. *Macula — Reatus, etc.*

Omne. — Vid. *Totum multipliciter accipitur*.

Omnipotens dupliciter dictum. — *Omnipotens* aut potest dici agens quod potest in omne possibile *mediate* vel *immediate*. — *Alio* modo accipitur *omnipotens proprie theologice*, prout *omnipotens* dicitur qui potest *in omnem effectum immediate, et in quodcumque possibile*, hoc est, in quodcumque quod non est *ex se necessarium*, nec *includit in se contradictionem* (1), ita, inquam *immediate*, quod sine omni cooperatione cuiuscumque alterius causae agentis. — *Oxon.* I. d. 42. n. 2. — *Habere potentiam ad omnia*, quae significatur per *omnipotentiam*, potest intelligi dupliciter: vel ad quaedam *immediate* et ad quaedam *mediate*, vel ad *omnia* possibilia *immediate*. — *Report.* ib. q. 2. n. 3.

Omnipotens — Omnisciens — Omnivolens. — In omnibus istis nominibus, *omnipotens*, *omnisciens*, *omnivolens*, est distributio, non actus, sed *obiecti* ipsius actus; ergo formaliter inferri potest de obiecto *hoc*, et *illo*, et ita de quibuscumque obiectis *actus talis*. — *Quodlib.* q. 7. n. 36.

Omnipotentia. — *Omnipotentia* est *potentia omnium possibilium*. Unde *omnipotentia* est *una potentia singularis*, quae est respectu omnium possibilium habere esse. — *Report.* I. d. 20. q. 2. n. 7. — *Omnipotentia* est ad omne quod *non includit contradictionem*. — *Oxon.* I. d. 20. n. 5. — Omnipotentia dicit potentiam ad omnia possibilia. — *Ib.* n. 10.

Omnipotentia non est *passiva*, sed *activa*: non quaecumque, sed *causativa*. — Per hoc habetur, quod ipsa est respectu *alterius* in essentia causabilis; quia non est causalitas nisi respectu *diversi* simpliciter; ergo est potentia respectu *possibilis*: non generaliter ut opponitur *impossibili*, nec etiam ut opponitur *necessario* omni modo a se, prout convertitur cum producibili; sed respectu possibilis, prout *possibile* idem est quod *causabile*, quia terminus potentiae causativae. Includit etiam *omnipotentia* quamdam *universalitatem*: non quidem *ipsius potentiae in se*, non enim *omnipotentia* est *quaecumque potentia formaliter*, quia non est potentia aliqua creaturae; sed ista *universalitas* est ipsius potentiae, non simpliciter, sed *respectu huius causabilis*, quod est *possibile*, sive creabile, ut sit sensus: *omnipotentia est ipsa potentia activa respectu cuiuscumque creabilis*.

Et hoc potest intelligi *dupliciter: uno modo*, quod sit cuiuscumque creabilis *immediate* vel *mediate*. — *Alio modo* quod sit cuiuscumque creabilis et *immediate*, saltem *immediatione causae*, hoc est, nulla alia causa activa mediante. — *Quodlib.* q. 7. n. 4. — Cf. *Oxon.* et *Report.* d. 42.

Potentia Dei, quam dicimus *omnipotentiam*, non est potentia *passiva*, sed est *activa perfecta*, et ideo est respectu *omnis possibilis*, secundum se producibilis. Entia autem *privativa* et *negativa*, ut *non entia*, non sunt producibilia secundum se, non enim negatio potest esse per se terminus productionis, sed concomitatur per se terminum; et ideo ad

---

(1) « *Possibile*, secundum quod est terminus vel obiectum *omnipotentiae*, est illud *cui non repugnat esse*, et * illud * quod non potest ex se *esse necessario* ». — *Oxon.* I. d. 43. n. 3. — « *Omnipotens* potest in omne illud quod est terminus potentiae simpliciter ». — *Ib.* d. 20. n. 6.

talia non habet per se * Deus * potentiam activam.

De numero autem entium *positivorum* quaedam sunt entia *absoluta*, quaedam *respectiva*. Non est autem potentia aliqua in Deo ad producendum ens praecise respectivum *sine alio*, quia cum *respectus* sit necessario *alicuius*, et *ad aliquid*, non est possibile fieri *sine quocumque alio*, puta, fundamento et termino. — *Report.* I. d. 42. q. 2. n. 7. — *Ib.* d. 20. q. 2. n. 3.

Potentia divina est maxima, *quia maior cogitari non potest.* — *Ib.* d. 42. q. 2. n. 8. — Breviter dico, quod ad illum actum, sive ad illum terminum, est potentia per se pertinens ad *omnipotentiam*, qui secundum se est *possibilis;* quod autem in hoc, et non illo, hoc *accidit*, sicut ad actum *currendi* causandum requiritur potentia, et ideo illa potentia, quae non posset causare actum currendi, non esset *omnipotentia;* non tamen si non posset causare actum currendi in eo quod *non est natum currere*, est *impotens*. Ideo Deus non est *impotens*, etsi non posset causare in se *cursum*; similiter non dicitur *impotens*, si non potest causare *intelligere* in *lapide;* sed esset *impotens* si non posset causare *intelligere* in *intellectu*, et *cursum* in quolibet *animali.*

Omnipotentia igitur est respectu *cuiuslibet actus* sive termini *possibilis* produci. — *Report.* I. d. 20. q. 2. n. 6.

Omnipotentia duplex. — Potentia activa potest intelligi *proprie*, quia pro potentia *causativa* cui correspondet possibile, id est *causabile* — *Alio* modo potest intelligi *magis extensive*, pro potentia *productiva*, cui respondet possibile, id est obiectum *producibile.*

Et ita *omnipotentia* potest intelligi *dupliciter:* — Primo modo potentia *causativa* omnis causabilis. — Secundo modo potentia *productiva* omnis productibilis. — *Quodlib.* q. 7. n. 33. — Vid. *Potentia infinita.*

Omnisciens. — *Omnipotens*, etc.

« Omnis » dupliciter sumptum. — Istud signum *omnis* sumptum in numero plurali quandoque sumitur *distributive*, ut dicendo: *omnes homines currunt*, id est, *isti* homines currunt, *et illi*, et sic de singulis. — Quandoque sumitur *collective*, ut dicendo: *omnes Apostoli sunt duodecim;* et tunc est dictum, quod omnes Apostoli *simul sumpti* sunt duodecim; et isto modo accipitur cum dicitur, quod *totum* est *omnes* suae partes. — *Physic.* I. q. 9. n. 3. — Et tunc denotat terminum communem, cui additur, accipi pro *maiori* numero suppositorum contentorum sub illo numero, designando cum hoc, quod nullum sit suppositum contentum sub illo termino, nisi sit aliquid multitudinis. — *Exemplum:* si in ista propositione, *omnes Apostoli sunt duodecim*, ly *omnes* accipiatur *collective;* et tunc sensus est, quod *maior* numerus suppositorum istius termini *Apostoli* est *duodecim*, et cum hoc quod *nullus* sit Apostolus qui non sit de numero illorum duodecim. — *Ib.* VI. q. 2. n. 4. — Vid. *Quodcumque — omnis*, etc. = *Totum multipliciter accipitur.*

Omnis — Unusquisque — Aliquis. — Duplici isti *abstractioni* (1) correspondet *duplex signum distributivum;* quia termino communi abstracto *a suppositis* et *a materia* correspondet hoc signum *omnis;* quia hoc signum, *omnis*, distribuit terminum in supposita, quae sunt *hoc aliquid*, et *hoc est*, ut includunt naturam speciei. — Sed hoc signum, *unusquisque*, correspondet termino communi abstracto *a suppositis*, sed non *a materia*, quia distribuit pro ipsis, ut sunt *synolon* (2), et non *hoc aliquid.*

Ideo intelligendum, quod licet hoc signum, *unusquisque*, distribuat *pro suppositis* ut *materiata* sunt per conditiones materiales, verumtamen *sub aliqua communitate*, sub qua distribuit *omnis*, quia *omnis* distribuit pro suppositis ut *conveniunt in natura speciei;* sed *unusquisque* ut naturae speciei *extraneantur:* sed tamen ut *conveniunt* in *aliquo alio communi* materiali abstracto solum a *suppositis*, et non *a materia;* et sic ponitur, quod quaelibet propositio universalis est una ubi ponitur hoc signum *omnis*, et ubi hoc signum *unusquisque.*

Ex istis sequens est, quod hoc signum, *omnis*, solum addendum est subiecto propo-

---

(1) Vid. *Abstractio a materia et suppositis, etc.*
(2) Vid. *Synolon.*

sitionum in quibus *praedicata essentialiter insunt subiecto*, ut *omnis homo est animal;* sed hoc signum, *unusquisque*, addendum est in praedicationibus *accidentalibus*, ut *unusquisque homo est albus*. Et ratio huius est, quia praedicata *essentialia primo* insunt naturae *speciei*, et non individuis, et praedicata *accidentalia primo* insunt *individuis*, et non inquantum includunt naturam speciei, et hoc loquendo de *accidentalibus communibus*. — *Poster*. I. q. 37. n. 2.

Operans — Producens. — Vid. *Actus primus — secundus.*

Operatio — Actio. — *Operatio* habet duas conditiones, in quibus convenit cum *actione:* — *Prima* est quod *semper est in fieri*, non dico successivo, quia operatio est indivisibilis, sed sic in *fieri*, quod in continua dependentia ad causam eamdem, et secundum idem, sicut dependentia rei conservatae ad causam conservantem. — *Secunda* conditio est quod operatio *transit in obiectum* sicut in terminum, licet non accipiat esse per ipsam, quia praesuppositum in suo esse. Et propter istas duas conditiones potest *operatio* dici *actio*, sicut propter istas significatur grammatice per verbum activum; et propter easdem dicitur operatio *actus secundus*. Et ista distinctio actionis sic intellecta in *transeuntem* et *immanentem* non est generis in species, sed vocis in significationes; nam actio transiens est vera actio de genere *actionis*, actio immanens est qualitas, sed aequivoce dicitur *actio* propter conditiones praedictas. — *Quodlib*. q. 13. n. 27.

Quod autem non omnis *operatio* sit *actio* proprie dicta, probatur per illud ibidem ** (V. Physic.) ** cap. 5. *Appetere*, inquit, *delectationem existimabit quis, utique omnes;* quod probat subdens: *Quoniam et vivere omnes appetunt: vita autem operatio quaedam est*. Haec ibi, quomodo vita vel *vivere* posset dici actio de genere *actionis*. — *Ib*. n. 30. — Vid. *Actio — Operatio.*

Operatio immanens. — Cuiusmodi entitas sit intellectio et volitio, et huiusmodi operationes *immanentes?* — Intelligendum est, quod, ut ex divisione *entis* patet (1), non sunt *substantiae*, quia intellectio adest et abest praeter subiecti corruptionem; nec *quantitas*, quia non est nisi in corporibus vel in pluribus realiter distinctis, ut *numerus;* nec sunt *habitus*, nec *positio*, nec *quando*, nec *ubi*, quia haec dicunt habitudinem ad corpora vel sunt passiones corporalium; nec aliquid aliorum, ut *actio* vel *passio*, aut *relatio;* ergo *qualitas*. Quod autem dico de *intellectione*, hoc idem dico de *volitione*, *visione*, *auditione*, et sic de aliis *operationibus immanentibus*. — *Oxon*. I. d. 3. q. 6. n. 31.

Cum ergo huiusmodi operationes aliquid sint, et probatum est quod non sunt substantia, nec relatio, nec actio aut passio, neque quantitas vel aliquid extrinsecus advenientium, relinquitur quod sint in genere *qualitatis*; et constat quod non sunt in *tertia* vel *quarta* specie, quia talia solum sunt corporalia, nec in *secunda*, in qua, credo, est omnis perfectio substantiae spiritualis, quae non est Deus, vel quae non est de eius substantia; ergo *qualitates*. — *Ib*. n. 32. — *Quodlib*. q. 13. n. 25.

Operatio immanens — transiens. — *Duplex* est *operatio:* quaedam *immanens* agenti, ut *intelligere* respectu *intellectus*, *sentire* respectu *sensus*. — *Alia* est operatio *transiens* in materiam extrinsecam, cuiusmodi est *combustio* ignis, combustio enim est in illo quod comburitur. — *Operatio primo* modo est in *agente*, *secundo* modo est in *passo*. — *Poster*. I. q. 4. n. 3. — Vid. *Actio immanens — transiens.*

Operatio mediata — immediata. — Vid. *Medium multiplex.*

Operatio motiva multiplex. — *Operatio motiva* quaedam est *simpliciter immanens*, ut *saltare*, *aequitare:* quaedam autem *transiens*, nihil tamen relinquens, ut *cantare:* quaedam autem *relinquens;* haec propriissime vocatur *factio*. — *QQ. Metaph*. l. I. q. 7. n. 3. — Vid. *Actio — Factio.*

Operatio — Passio. — Licet in anima sit distinguere *operationem* proprie dictam a *passione*, cuiusmodi est *delectatio* vel

(1) Vid. *Entis divisio.*

tristitia in voluntate, quia *operatio* tendit quasi *in terminum* operationis, *passio* autem quasi *a termino in subiecto,* sicut *tristitia* a *tristabili* in *voluntate,* tamen in hoc conveniunt *spiritualis* operatio et passio, quia utraque est *in fieri* in subiecto, et pro tanto utraque posset dici *passio* pertinens ad *tertiam speciem.* — *Quodlib.* q. 13. n. 25. * *ubi late agit de differentia « operationis »* a *passione* *. — Vid. *Actio* — *Passio.*

Opinio — Scientia. — *Opinio* adhaeret uni parti contradictionis cum formidine alterius. — *Oxon* III. d. 23. n. 5. — *Opinio,* quae non habet certitudinem, et *scientia,* quae habet certitudinem, sunt incompossibilia. — *Ib.* d. 24. n. 9. — Vid. *Veritates multiplices.*

Oppositio. — *Oppositio* non est *univoca contradictioni* et *contrarietati.* — *Super. Praedic.* q. 25. n. 8. — *Oppositio* aequivoca est: quia in uno sensu sumpta dicitur *aequivoce* de *contrarietate* et oppositione *relativa;* in alio sensu dicitur *univoce* de *contradictione* et *privativa* oppositione. — *Primo modo* est ens *reale,* et species in genere *relationis;* si autem inveniatur in aliis generibus, hoc non est ut species, sed ut *passio. Secundo modo* est *intentio,* quia et alterum extremum eius est tantum ens secundum *considerationem rationis.* — *Ib.* q. 38. n. 3. — *Ib.* q. 25. n. 8. — *Oppositio* in uno sensu, prout scilicet dicitur de *contrarietate* et oppositione *relativa,* est species *differentiae:* non autem prout dicitur de *contradictione* et *privativa* oppositione; quia *ens* et *non ens* contradicunt, et tamen non differunt, nec sunt diversa, quia *diversitas* est differentia *entis,* et *differentia* similiter.

Contrarietas et *relativa* oppositio essent, *intellectu non existente;* non autem *privativa* oppositio, nec *contradictio;* quia alterum extremum in illis oppositionibus, puta *negatio* et *privatio,* secundum quod est extremum *relationis,* est tantum *ens secundum rationem.* — Quod de *negatione* patet, quia licet illa dicatur de aliquo *ente,* ut *non-homo* dicitur de *asino,* tamen secundum rationem *qua contradicit homini,* non est *ens, nisi rationis.*

Per hoc patet, quod licet *contraria* maneant, non existente intellectu, non oportet *contradictoria* manere, secundum quod sunt *contradictoria,* quia negatio *albi,* prout *contradicit albo,* non est in *nigro,* quia ut contradicit est dicibilis de *ente* et de *nonente.* Similiter *privatio,* licet sit *negatio habitus in subiecto,* tamen tantummodo opponitur habitui *ratione negationis,* et illa non est *ens* nisi tantum *secundum rationem.* — *Ib.* q. 38. n. 4. — *Contradictio* et *privativa oppositio* possunt *univoce* inveniri in omni genere; et similiter *contrarietas* et *relativa oppositio* forte ut *passiones,* non ut species. — *Ib.* n. 5.

Divisio *oppositionis* in illa *quatuor* * *(relativam, contrariam, contradictoriam, privativam)* * est conveniens, quia *oppositio realis* est eorum quae sunt in eodem genere. Aut igitur unum illorum *dependet* ad aliud, et sic est *oppositio relativa;* aut non, et sic est *oppositio contraria.* — *Oppositio* habens alterum extremum *non-ens,* quod dicitur de oppositione *privativa* et *contradictoria,* aut habet extremum *non ens,* quod *nullum subiectum sibi determinat,* et sic est *contradictio;* aut quod *determinat sibi aliquod subiectum,* et sic est *privativa oppositio;* et sic patet sufficientia. — *Ib.* n. 6. — Cf. q. 25. n. 8.

Intelligendum tamen, quod divisio *oppositionis* in haec absolute est divisio *vocis in significationes.* Sed *oppositio* sumpta in uno sensu dividitur in *contrarietatem* et *relativam* oppositionem, ut *genus in species.* In alio sensu sumpta similiter est *generale.* Propterea dividentia ipsam in utroque sensu sunt opposita, ut *contrarietas* et *relativa* oppositio sunt forte *contraria,* loquendo de *contrarietate transumptive* sumpta, quae est *differentia secundum speciem;* sed non oportet dividentia in uno sensu opponi dividentibus oppositionem in alio sensu. — *Ib.* q. 38. n. 8.

Oppositio — Contradictio. — Omnes oppositiones includunt *contradictionem* tamquam oppositionem simplicissimam, sicut patet inductive: — Oppositio *privationis* ad habitum includit *contradictionem* circa subiectum *habile.* Licet enim non omne ens

sit *caecum* vel *videns*, tamen omne ens *natum videre*, et quando natum est videre, est *caecum* vel *videns*. — Similiter oppositio *contraria* includit * *contradictionem* *, quia in oppositione *contraria* unum extremorum est *privativum* et *destructivum* alterius. Verumtamen *superaddit contradictioni* et *oppositioni secundum privationem et habitum* aliquam naturam in utroque extremo: licet enim *nigrum* sit *privatio albi*, tamen in se est alia natura *positiva;* est enim species per se in genere et univoce: sed univocatio generis in diversis speciebus non est figmentum; oportet igitur, quod accipiatur ab aliqua natura *positiva* in qualibet specie; *nigrum* igitur habet aliquam naturam *positivam*, licet non terminatam sive ita perfectam sicut *album*. — Similiter *relative* opposita includunt *contradictionem*, quia *pater* accipitur a potentia *activa*, *filius* a potentia *passiva;* sicut igitur in eodem non est possibile simul esse potentiam activam et passivam respectu eiusdem, ita impossibile est *patrem* et *filium* esse in eodem secundum quod ad invicem referuntur; includunt igitur *contradictionem*, quia *pater* non est *filius*, nec e contra, secundum quod referuntur ad invicem; distinguitur enim *relatio* per suum fundamentum. — *Poster*. I. q. 29. n. 3.

Oppositio formalis — virtualis. — Non omnis oppositio est *formalis*, sed quaedam *virtualis*: ut si aliqua forma nata est facere aliquem effectum, effectus oppositus illi effectui opponitur causae effectus virtualiter. — *Oxon*. IV. d. 49. q. 12. n. 4.

Oppositio maxima. — Cum sint multa genera *oppositionum*, illa est *maior*, in qua extrema *minus* conveniunt; ergo illa est *summa* oppositio, in qua extrema *in nullo* conveniunt; talia sunt *ens* et *omnino nihil*. — *De rer. princ*. q. 6. n. 18.

Oppositorum quatuor species. — Distinguit * Aristot. * *quatuor* modos sive *species oppositionis*, dicens quod *opposita dicuntur contradictiones*, id est, contradictoria, *et contraria, et ad aliquid*, id est, *relativa*, *et privatio, et habitus*.

Sufficientia ista *quatuor* specierum *oppositionis* potest sic haberi: *Opposita* vel *ponunt* se, vel *excludunt* se. — Si primo modo, sic sunt *relativa*, quae ratione mutuae dependentiae simul sunt, et non sunt. — Si secundo modo, vel utrumque extremum *ponit aliquid*, vel *nihil:* si utrumque ponit aliquid, sic sunt *contraria*, quia *sub eodem genere* dicunt duas naturas *positivas* maxime distantes: si vero utrumque non est aliquid positivum, sed alterum *negativum*, vel est *negatio simpliciter*, et sic sunt *contradictoria;* vel est *negatio in subiecto apto nato* et *determinato*, et sic sunt *opposita privatione*. — *Exposit. in Metaph. Aristot*. lib. V. S. un. c. 9. n. 78.

Ponit autem duos modos *contrarietatis:* unum *improprium*, alium *magis proprium;* dicens quod *contraria dicuntur uno* modo *quaecumque non possunt adesse eidem differentium secundum genus*, id est, licet differant genere, ut si diceretur, quod *albedo* et *scientia* sunt *contraria*, nec possunt esse in eodem subiecto; iste enim modus est *improprius*, nam *contraria proprie* accepta oportet esse in *eodem* genere. — *Secundum* modum subiungit dicens, quod *contraria* dicuntur *quae plurimum differunt eorum quae sunt in eodem genere, et quae plurimum differunt eo quod in eodem susceptibili* habent esse; *et quae plurimum differunt eorum quae sunt sub eadem potestate*, id est, *scientia*, quae dicitur *potentia rationalis, IX. huius text. com. 3. et 10, et inde;* una enim scientia est contrariorum.

Subdit etiam quamdam rationem generalem *contrariorum*, quod contraria sunt *quorum differentia est maxima, aut simpliciter, aut secundum genus, aut speciem;* quod exponitur sic: *simpliciter* quidem, ut in motu locali *duo puncta terminantia* motum coeli, puta, punctus *Orientis*, et punctus *Occidentis: secundum genus* vero, id est, in eodem genere, id est, *duo species* per *duas differentias divisivas* generis constitutae: *secundum speciem* autem, ut *duo individua* per duas *accidentales* et *contrarias differentias* diversa. — Aliter exponitur, et magis ad mentem Philosophi videtur, quod differentia maxima *secundum speciem* intelligatur in duabus *speciebus*

sive *differentiis contrariis:* sed *secundum genus* in duobus *generibus subalternis: simpliciter* autem in *duobus generalissimis,* et in quibuscumque quomodocumque maxime distantibus.

Ex descriptione *secundi* modi accipiendi *contraria,* qui est *proprius* modus, colligitur quod *tria* sunt de ratione *contrariorum,* scilicet: esse in *eodem genere,* et habere *idem subiectum,* et comprehendi sub *eiusdem scientiae* consideratione. — Dicit autem * Aristot. * *contraria differre plurimum,* ut excludat genera *contrariorum,* quibus etsi conveniant tres dictae conditiones, non tamen distant plurimum, et ideo non sunt *vere contraria. Sanum* ergo et *aegrum* sunt vere contraria, quia cadunt sub *eodem genere,* et habent fieri circa *idem subiectum,* scilicet, *animal,* et pertinent ad *eamdem scientiam,* scilicet, *medicinam; plurimum* etiam *distant.* — *Ib.* n. 80.

Distinguit * Aristoteles * modos *contrarietatis* in *secundo contrariis,* dicens, *quod alia vero dicuntur contraria, haec quidem in habere talia,* scilicet, *vere contraria* supradicta, * sicut * *aqua* et *terra* dicuntur *contraria,* quia altera est *humida,* et altera est *sicca.* — Alia dicuntur esse *contraria pro eo quod sunt susceptiva talium,* scilicet, *contrariorum* primorum, sicut *sanativum* et *aegrotativum,* quorum unum est susceptibile in potentia *sanitatis,* alterum *aegritudinis.* — *Alia* sunt *contraria in esse activa, alia in esse passiva talium,* et hoc in potentia; aut esse *agentia aut patientia* in actu. Exemplum *primi: calefactivum,* et *frigefactivum, calefactibile* et *frigefactibile.* Exemplum *secundi: calefaciens* et *frigefaciens* actu; *calefactum* et *frigidatum* actu.

Aut abiectiones, aut acceptiones, aut habitus, aut privationes esse talium, in quo tangit quod generationes contrariorum, et habitus et privationes contrariorum, quae sunt termini generationis et corruptionis, omnia ista dicantur *contraria,* quia per comparationem ad ipsa *primo contraria,*. ut non tantum *album* et *nigrum* dicantur contraria, sed etiam *generatio albi* et *generatio nigri,* et similiter *corruptio,* et iterum *privatio nigri,* et *privatio albi,* etc.; omnia enim praedicta dicuntur *contraria* secundum aliquam habitudinem, istam, vel illam, ad *primo contraria.* — *Ib.* n. 81.

Notandum pro differentia secunda quam assignat Aristoteles * in *Praedic. cap. de Oppositis* * inter *privative opposita* et *relative,* quod non omnia *relative opposita* dicuntur reciproce secundum eumdem modum referendi, sed solum ea quae per se mutuo referuntur; unde illa differentia est forte quorumdam *relativorum* ad *privative opposita;* sed prior differentia est *universalior.* Hoc valet pro intellectu *tertiae proprietatis relativorum,* quae est *omnia relativa dici ad convertentiam,* hoc est, *mutuo ad invicem;* quae proprietas in aliquibus relativis vera est secundum eamdem rationem referendi, ubi utrumque extremum est *per se* relativum ad aliud; in aliis non sic, ubi unum extremum *per se* refertur ad aliud, et illud non ad ipsum, nisi *per accidens.* — *Super. Praedic.* q. 39. n. 5.

Notandum, quod duplicem assignat Aristot. differentiam inter *contraria* et *privative* opposita: *unam* sumptam a *divisione* contrariorum, talem: *Contrariorum mediatorum* numquam necesse est alterum inesse susceptibili; sed *privative oppositorum* semper necesse est alterum inesse, postquam subiectum natum est ea suscipere; ergo *privative opposita* non sunt *contraria mediata.* — *Immediatorum* necesse est semper alterum inesse susceptibili, quia semper susceptibile eorum est natum eo suscipere; *privative oppositorum* non est necesse alterum inesse, quia non semper subiectum natum est ea suscipere; ergo *privative opposita* non sunt *contraria immediata.* — Praeter haec adiungit unum membrum, quod in utrisque contrariis accidit aliquando unum extremum inesse a natura, quod non accidit in *privativis.* — *Ib.* n. 6.

Secundam differentiam ponit Aristoteles inter *contraria* et *privative opposita:* inter *contraria* est *mutua transmutatio;* inter *privative opposita* non; quia ab habitu potest fieri transmutatio in privationem, e converso non. — *Ib.* q. 40. n. 3.

Optesis — Molynsis — Stateusis. — *Optesis*, proprie loquendo, est *digestio artificialis*, et est idem quod *elixatio*, et definitur sic: *Optesis est digestio a caliditate humida et aliena.* — Et *molynsis*, quae est *indigestio sibi opposita*, definitur sic: *Molynsis est indigestio propter defectum caliditatis humidae alienae.*

Nota quod *optesis* est digestio utilis, et illud quod assatio, et definitur * etiam * sic: *Optesis est digestio a caliditate sicca et aliena.* — Est *stateusis*, quae est indigestio sibi opposita; definitur sic: *Stateusis est indigestio propter defectum caliditatis siccae et alienae.* — *Meteor.* IV. q. 3. n. 7.

Opus humanum. — Opus factum ab homine dicitur *humanum:* non propter aliquid humanitatis quod sit formaliter in opere, sed propter humanitatem quae est formaliter in homine ad quem opus habet habitudinem. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 12.

Oratio conversiva. — Illa oratio dicitur esse *conversiva*, quae significative agit pro illo instanti pro quo convertens agit realiter. — *Oxon.* IV. d. 8. q. 2. n. 18.

Oratio falsa duplex. — *Definitio* et generaliter *oratio* dicitur *falsa dupliciter:* vel *simpliciter*, vel *ad aliquid.* — Dicitur autem *falsa simpliciter* illa quae *includit repugnantiam in partibus*, et ideo *oratio* nulli competit, sed est penitus *non entis. Exemplum:* si dicatur *animal insensibile, incorporeum*, haec oratio est omnino *falsa simpliciter*, quia in se claudit repugnantiam terminorum. — Dicitur autem falsa *ad aliquid* quae quidem in se vera est, nullam repugnantiam includens, et ideo est alicuius entis; *quia* tamen *attribuitur alicui enti cuius non est*, idcirco *falsa* dicitur. *Exemplum:* si definitio hominis attribueretur *equo.* Et talis oratio est *non entis* inquantum *falsa.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 19. n. 157.

Oratio grammaticalis. — Vid. *Grammat. specul.* n. 18.

Oratio mentalis. — *Oratio mentalis* est *desiderium oblatum Deo ex intentione ut ab ipso habeatur optatum.* — *Oxon.* IV. d. 45. q. 4. n. 5.

Orationis effectus duplex. — *Oratio* nostra nunc *duplicem* habet *effectum:* unum, quia meritoria *oranti*, imo opus valde meritorium: alium, quia ex hoc quod specialiter dirigitur pro alio, meritoria est *illi pro quo offertur.* — *Oxon.* IV. d. 45. q. 4. n. 8. — Inter opera meritoria *oratio* habet magis rationem meriti applicabilis alteri, quia ipsa de ratione sui est placativa Dei et reconciliativa rei Deo, et hoc illius pro quo per ipsum orantem specialiter offertur. — *Quodlib.* q. 20. n. 3.

Ordinate fieri est dupliciter. — Aliquid *esse ordinatum*, et *ordinate fieri* est *dupliciter:* — *Uno* modo ordine *universali*, quod pertinet ad legem communem; sicut ordinatum est secundum legem communem *omnem finaliter peccatorem esse damnandum;* ut si rex statuat quod omnis homicida moriatur. — *Secundo* modo ordine *particulari* circa hoc iudicium; ad quod non pertinet lex, quia *lex* est de *universalibus* casibus, de casu autem particulari non est lex, sed *iudicium* secundum legem, quod *iste* homicida moriatur. — *Oxon.* I. d. 44. n. 3.

Ordo. — Secundum Augustinum, *de Civit.* lib. XIX. c. 13., *Ordo est parium impariumque rerum unicuique loca sua distribuens congrua dispositio.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 10. = *Ib.* I. d. 30. q. 2. n. 19.

Haec enim duo videntur esse de ratione *ordinis*, scilicet: *distinctio* ordinatorum et *communicantia* eorum ad ipsum totum. — Quantum ad *primum* est *ordo* in *omnibus* indeficienter. Quantum ad *secundum* est quidem *ordo* indeficienter in *quibusdam*, quae, scilicet, sunt superiora et proxima primo Principio; in quibusdam vero deficit. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 3. c. 1. n. 83.

Ordo consistit in *quatuor*, scilicet: in *situ, tempore, causalitate* et *perfectione.*

Ordo in situ non est aliud quam regula certa secundum quam res se habent ad invicem secundum *differentias positionum:* vel est istae res sic se habentes secundum istas differentias: sicut *quatuor elementa* et *corpus coeleste* ordinantur in situ secundum *sursum* et *deorsum*, et partes hominis, scilicet, *manus* et *costae*, secundum *dextram* et *sinistram*, et sic de aliis.

Sed *ordo* qui consistit *in tempore* est certa lex vel regula secundum quam res

se habent ad invicem in tempore secundum *prius* et *posterius:* sicut *revolutiones coeli, ortus* et *occasus stellarum, oppositiones* et *coniunctiones,* et *eclipses* se habent ordinate in coelo secundum *prius* et *posterius in tempore.*

Ordo consistens *in causalitate* est certa lex vel regula rerum se habentium ad invicem ordinate; sicut in genere causae efficientis est talis ordo: primo est Deus; postea Intelligentiae; demum corpora coelestia; postea haec forma particularis, vel ista; demum caliditas, vel aliqua qualitas, mediate qua fit operatio tamquam instrumento.

Ordo consistens *in perfectione* est certa lex vel regula rerum sic se habentium ad invicem secundum *maius* et *minus in perfectione.* Et sic ordinantur substantiae, vel species universi, ita quod primo est una *perfectissima,* deinde subsequitur alia perfectio, et sic subordinate.

Ex quo patet, quod ordo non est aliud quam *res debite et ordinate se habentes, secundum prius et posterius, tempore, situ, causalitate et perfectione.* — *Meteor.* I. q. 2. n. 4. — Vid. *infr. Ordo (Sacramentum).*

Ordo causandi duplex. — *Ordo in causando* potest intelligi, vel ut actio respicit *producens,* vel ut respicit *productum.* Si *primo* modo est ordo auctoritatis et subauctoritatis. — *Quodlib.* q. 8. n. 19.

Ordo naturae duplex. — *Ordo naturae* potest *dupliciter* intelligi: Vel ordo naturae *actualiter* et *positive:* vel tantum *in potentia* et *circumscriptive* vel *privative.* — *Exemplum primi:* sicut *materia* est *prius forma,* et *causa effectu* ordine naturae *actualiter* et *positive. Exemplum secundi:* quando aliquid non habet aliquid nisi *ab alio,* ut *materia* non habet *formam* nisi ab *aliquo introducente;* et tunc circumscripto isto introducente vel agente, manet sub *negatione formae,* et tunc illius *non esse* est *prius natura forma negative* et *privative,* hoc est, *remotione* vel *negatione formae.* — *Report.* II. d. 1. q. 3. n. 3.

Ordo naturae — Originis. — *Duo ordines* possunt intelligi in Divinis, scilicet, *ordo naturae,* et *ordo originis,* qui sunt alterius rationis; et in quocumque *gradu* unius ordinis potest totus alius ordo assignari. — *Exemplum* in creatura, ubi est ordo *naturae,* ordo *originis,* et ordo *durationis,* qui sunt alterius et alterius rationis; et totus unus ordo potest assignari in *uno gradu* alterius ordinis. Accipiatur enim unum *instans durationis:* in illo instanti possunt assignari omnia ordinata secundum *originem* et *naturam.* Accipiatur etiam unum *instans naturae:* in eo possunt assignari omnia ordinata secundum *originem.*

Simpliciter tamen in Divinis *ordo naturae* primus est, ita quod simpliciter procedendo in *primo instanti naturae,* debet assignari *totus primus ordo originis;* et si in *secundo instanti naturae* assignetur *ordo originis,* non est *primus* ordo originis, sed *secundus.* Quod intelligo sic: *ordo naturae* accipitur comparando obiecta ad intellectum et voluntatem divinam; quia comparando essentiam suam ad intellectum et voluntatem eius, quae est *primum* obiectum intellectus sui et voluntatis suae, est *primum instans naturae;* et comparando alia obiecta, quae sunt *secundaria* ad intellectum et voluntatem divinam, quae non sunt ex se obiecta, sed producta per intellectum et voluntatem in esse obiecti, est *secundum instans naturae.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 1. n. 13. — Intellige, quod *prius origine* non tantum dicit *a se* vel *non ab alio,* sed *a quo alterum.* — *Ib.* n. 17. — * Ordo originis est * quo quis est *ab alio.* — *Quodlib.* q. 4. n. 13.

Ordo per se. — *Per se ordinem* intelligo qui est *per se ex rationibus extremorum;* et hoc accipiendo *per se rationem* essentialem sive quidditativam, non denominando illud cuius est ratio ad *esse* in re, vel in intellectu, si quidem illud quod indifferenter potest habere utrumque *esse* videtur habere rationem quidditativam intelligibilem, non determinando ad hoc vel illud *esse.* — *Quodlib.* q. 1. n. 17.

Ordo (Sacramentum). — Distinguendo de *Ordine,* potest capi *dupliciter: uno modo* pro *habitudine ipsorum ordinatorum ad invicem,* prout accipit Augustinus *XIX de Civitate Dei,* cap. 13, cum dicit: *Ordo est rerum parium, dispariumque congrua di-*

spositio et unio; quo etiam modo loquitur Philosophus *XII Metaph.* text. 51, de *ordine*, cum dicit bonum universum consistere in *habitudine et ordine ad Primum*, cui partes universi *magis* et *minus* appropinquantes, *magis* et *minus* sunt perfectae, quia omnes *ordine essentiali* dependent ad Eum, sicut *exercitus* ad *ducem* (1). — Et illo modo in Ecclesia non est nisi tantum *unus ordo* omnium qui sunt in Ecclesia, ut membra ad Christum, qui est caput nostrum, secundum Apostolum (2); et ideo tota communitas fidelium potest dici *ordinari* illo modo ad Christum in Ecclesia.

Alio modo potest *ordo* capi pro *gradu quodam eminenti* et *excellenti in politia Ecclesiae* et in ordine primo modo dicto, *scilicet*, universitate *fidelium*, quia *gradus superior* in ordine primo modo dicto et congregatione fidelium illo modo dicitur *ordo* (3).

Unde ibi est ordo *primo modo* dictus, *omnium*, scilicet, *ad unum*, ubi est aliquis eminens super omnes illius ordinis, et per consequens ibi est *primus ordo* (4), et *secundus*, qui est gradus eminens ordinatus ad actum aliquem *nobilem* et *excellentem*, qui non potest competere aliis. In nulla enim Politia sunt omnes actus communes, ita quod omnes actus conveniant omnibus in communi, quia tunc magis esset *confusio* quam *ordo;* sed sunt aliqui actus *excellentes*, alii *communes* et *mediocres*.

Actus autem *communes* et *mediocres* in Ecclesia sunt actus quibus observantur praecepta Dei in Ecclesia ab omnibus communiter, quia illorum observantia universaliter respectu omnium cadit sub praecepto.

Actus autem *excellentes* in Ecclesia sunt actus *sacramentales* ministrandi Sacramenta in Ecclesia, per quos inferiores in Ecclesia iunguntur cum Supremo; nam fideles universitatis per susceptionem Sacramentorum Ecclesiae coniunguntur ut membra unius corporis Ecclesiae capiti suo Christo, et hoc mediante ministerio Supremorum in Ecclesia, quia illis regulariter, et non aliis, committitur potestas exequendi illos actus *excellentes*. — *Report.* IV. d. 24. n. 5.

Et licet haec duo *signata* ponant se mutuo, quia ubi est ordo *primo* modo in politia, ibi est gradus *eminens*, et ita ordo *secundo* modo, tamen hoc *signum* et illud non sunt idem, ut satis patet. Sicut ergo loquimur de *Ordine* hic, accipitur pro *secundo* significato, non pro *primo*.

Ulterius, *gradus eminens* in Ecclesia dicitur in ordine ad *actum* ecclesiasticum *eminentem:* non sic quidem quod gradus sit *potestas* exequendi actum illum, sed quod gradus sit *disponens de congruo*, vel *simpliciter*, ad exequendum, vel *debite*, illum actum, ut sic possit *Ordo*, ut hic loquimur de *Ordine*, dici *gradus praeeminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem ecclesiasticum eminentem*. — Et quia specialiter actus eminentes in Ecclesia sunt actus respicientes Sacramenta, ideo potest *specialius* dici, quod * Ordo * est *gradus disponens ad aliquem actum sacramentalem*. Ex hac ratione, quasi generali, posset inquiri specialior ratio *Ordinis*, ut hic loquimur de *Ordine*. — *Oxon.* IV. d. 24. n. 4.

Dico igitur, quantum ad rationem *nominis* definiendo *Ordinem*, quod *Ordo* est *gradus eminens vel gradus praeeminentiae in Hierarchia Ecclesiastica, disponens ad congrue exequendum aliquem actum excellentem in Ecclesia*. — Illa autem *eminentia* vel *praeeminentia* in tali gradu Ecclesiae non est *potestas* spiritualis, qua quis potest exequi aliquem actum nobilem et eminentem; sed est *dispositio congrua* et *necessario* praevia ad talem potestatem, quia illi gradui

---

(1) « Isto modo accipimus communiter *ordinem* cum dicimus *entium in universo esse ordinem*. Hoc modo etiam accipitur *ordo* in politiis bene compositis, ubi *personarum parium* et *imparium* in illa politia *congrua dispositio* dicitur *ordo* illius politiae a quo ipsa dicitur esse *ordinata* ». — *Oxon.* IV. d. 24. n. 3.

(2) *Ad Colos.* c. I. v. 18 — c. II. v. 10.

(3) « *Alio* modo *gradus praeeminens* in tali politia dicitur *ordo;* et sic persona in gradu praeeminenti dicitur habere *ordinem*, sicut dicitur habere gradum quasi antonomastice, quia qui sunt in gradu inferiori non dicuntur sic habere *ordinem* ». — *Oxon.* ib.

(4) « Secundum *primum* tota Ecclesia est *ordinata* illa *congrua dispositione parium* et *imparium*, uniuscuiusque in suo loco ». — *Oxon.* ib.

excellenti coniungitur auctoritas et potestas exercendi rite tales actus excellentes. — *Report.* ib. n. 6.

Quot sint *Ordines*, et quomodo distinguantur? Respondeo: sicut dictum est, *Ordo* est *gradus eminens disponens ad exequendum actus excellentes, cui coniungitur auctoritas et potestas spiritualis respectu talium actuum in Ecclesia.*

Illa autem *praeeminentia* gradus in ordine ad actus excellentes vel potest attendi penes *multitudinem* talium actuum excellentium in aliquo, ut quia aliquis potest in omnes actus tales, quia talem praeeminentiam in eo concomitatur auctoritas et potestas exequendi omnem talem actuum: vel potest attendi penes *excellentiam* in dignitate inter omnes actus *Ordinis* in Ecclesia (1).

Primo modo *Episcopatus* est *ordo*, quia Episcopatus habet gradum *eminentiorem* in Ecclesia, cui coniungitur *omnis* alius gradus inferior, et per consequens auctoritas et potestas exequendi *omnem* actum pertinentem ad quemcumque gradum in Ecclesia, quia nullus est Episcopus qui non sit *Sacerdos* et *Diaconus*, et sic de aliis, quia Episcopatus praesupponit in aliquo omnes Ordines *Sacros* et alios quatuor. Patet *Extra, de cler. per saltum promot. cap. unico.* Nec propter illam praesuppositionem Sacerdotii et aliorum Ordinum inferiorum, Episcopatus est non Ordo; non enim video quod Episcopatus non sit Ordo quia praesupponit Sacerdotium, quia Episcopo soli competit aliquos actus dispensare, in quos non potest aliquis Sacerdos simplex, nec *simpliciter*, nec *bene*, ut patet de collatione Ordinum, et in Confirmatione et sanctificatione materiae Extremae Unctionis; sicut soli Sacerdoti competit *consecrare* et *absolvere*, in quod non potest nec *simpliciter*, nec *bene* aliquis non Sacerdos. Igitur accipiendo distinctionem Ordinum secundum *pluralitatem* talium actuum vel graduum in Ecclesia, sequitur quod Episcopatus *maxime* sit *Ordo*, nec est non Ordo propter praesuppositionem Sacerdotii, quia tunc similiter Sacerdotium non esset Ordo, quia praesupponit Diaconatum, et alios Ordines. — *Ib.* n. 7. — *Oxon.* ib. n. 5.

Si autem attendatur *Ordo* penes actum *nobilissimum* in dignitate in Hierarchia Ecclesiae, cum actus *nobilissimus* in Ecclesia respiciat *Corpus Christi verum* et *confectionem* eius *sacramentalem*, tunc quia *Sacerdotium* respicit *immediate* illum actum, et mediante illo alium actum respectu corporis Christi *mystici*, erit Ordo *dignissimus;* et ultra istum Ordinem nullus est tunc alius Ordo, quia nullus actus potest esse *nobilior* in Ecclesia actu confectionis Corporis Christi veri.

Et ut sic, si dignitas et eminentia aliorum Ordinum et actuum illorum attendatur *maior* vel *minor*, secundum *maiorem accessum* vel *recessum* ad Ordinem Sacerdotii et consecrationem Corporis Christi veri, sic restringenda est ratio Ordinis, ut tantum dicatur *gradus eminens in Hierarchia Ecclesiae, cui diversimode coniungitur auctoritas exequendi aliquem actum in Ecclesia pertinentem secundum aliquem ordinem ad actum excellentissimum consecrationis Corporis Christi.*

Et illo modo sunt *septem* Ordines in Ecclesia. Nam gradus *simpliciter eminentissimus*, cui annexa est auctoritas *conficiendi* Corpus Christi, est ordo *Sacerdotii.* — *Secundus* gradus eminentissimus sibi proximus, cui annexa est potestas *dispensandi* Eucharistiam iam consecratam, est ordo *Diaconatus.* Patet in *Legenda* sancti Laurentii, quod ad Diaconum etiam pertinet Corporis et Sanguinis Domini dispensatio. — *Tertius* gradus istis propinquior, cui coniuncta est potestas *offerendi Diacono materiam* Corporis et Sanguinis Christi, ut *panem* et *vinum*, et *praeparandi* materiam debitam consecrationis, et *tangendi* vasa sacra, in quibus non offerat *sacra*, sed *sacranda*, est ordo *Subdiaconatus.*

Et quia *materia consecrata* et *dispensatio* et *praeparatio* eius *immediatius* pertinet et coniungitur ministerio Eucharistiae, ideo dicuntur isti Ordines tres *sacri:* non ita quod immediate sunt circa Eucharistiam *consecrandam*, sed quia circa ipsam iam

(1) Vid. *Gradus eminens.*

consecratam *dispensandam*, vel materiam eius *ministrandam* (1). — *Ib.* n. 8.

Ulterius, ad hoc ut Eucharistia iam consecrata *dignius* ab aliis *recipiatur*, requiruntur quaedam *dispositiones* praeviae de congruo *adhibendae*, et quaedam *inordinationes* et impedimenta *removenda*.

Dispositiones de congruo ad susceptionem dignam Eucharistiae est *inflammatio affectus*, quod pertinet ad Ordinem *Acolytatus*, cuius est *cereos accendere*, et affectus hominum spiritualiter inflammare; et *illuminatio intellectus*, quod pertinet ad *Lectoratum* vel ad *Lectorem*, cuius est *lectiones* in Ecclesia *legere distincte* et *aperte*, ut simplices *instruantur*.

Impedimenta amovenda circa ministerium Eucharistiae sunt duo: *indispositio malorum* et *infestatio daemonum*. *Primum* illorum impedimentorum circa ministrationem Eucharistiae removet potestas et gradus *Ostiarii*, cuius est ab Ecclesia *haereticos* et *excommunicatos excludere*, et alios *innocentes*, qui digni sunt recipere Eucharistiam, in Ecclesiam *introducere*. — *Secundum* impedimentum removetur per officium et gradum *Exorcistae*, cuius est per orationes et exorcismos *daemones fugare*, et eos *arcere*, ne impediant cultum divinum.

Sic igitur patet, quod non omnes gradus in Ecclesia sunt *simpliciter* vel *aeque eminentes*, sed tantum *unus*, ut gradus Sacerdotii, quia actus * eius *, qui est consecratio Eucharistiae, est *nobilissimus*; et alii Ordines sunt *nobiles* et *eminentes* quatenus ordinantur ad istum actum et ministerium Eucharistiae secundum plus et minus.

Si igitur non sunt plures gradus eminentes necessarii in Ecclesia ad consecrationem Eucharistiae, vel dignam susceptionem eius, videtur quod non sint nisi tantum *septem* Ordines. — Si autem *conficere* non sit *simpliciter excellentissimus* actus in Ecclesia, sed *posse constituere aliquem in illa eminentia*, cui competit talis actus, tunc non sunt tantum septem Ordines, sed *octo*, quia Episcopatus tunc est specialis gradus et ordo in Ecclesia, cuius est *Ordines omnes conferre*, et per consequens omnes in istis eminentibus constituere. — *Ib.* n. 9.

Ordinatio, qua quis constituitur in determinato ministerio circa Eucharistiam, et *collatio* Ordinis per illa signa sensibilia, est Sacramentum, quia est aliquod *signum sensibile* factum circa ordinatum, in quo signo sensibili confertur sibi *character* et ordo spiritualis, cui annectitur potestas vel auctoritas spiritualis ad exequendum actus excellentes in Ecclesia. Sic ergo patet ratio huius nominis, *Ordo* vel *ordinatio* ut est Sacramentum, quia est *collatio determinati ministerii per aliquod signum sensibile*, sive *collatio determinati gradus ad ministrandum circa Eucharistiam, facta a ministro idoneo certa verba cum intentione debita proferente, signans efficaciter ex institutione divina effectum gratiae invisibilis, quo ordinatus digne aliquod ministerium exequatur*. — *Report.* ib. n. 10. — * Seu * *Ordinatio est institutio alicuius in gradu Ecclesiae praeeminente, cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta a ministro idoneo, certa verba proferente, et simul cum intentione debita, ministerium gradus illius aliquo signo sensibili repraesentans, ex institutione divina efficaciter signans gratiam praeeminentem, qua ordinatus digne aliquod ministerium exequatur.*

Et secundum *universalem* istam rationem *ordinationis* possunt proportionaliter accipi rationes *speciales* Ordinum, puta, ordinationis in Sacerdotem: *Institutio in gradu Ecclesiae simpliciter praeeminente disponens habentem ad conficiendum Eucharistiae Sacramentum, facta ab Episcopo certa verba cum intentione debita proferente*. — *Oxon.* ib., n. 8.

Ex illa descriptione patet, quod *materia* huius Sacramenti est aliquod *signum sensibile externum*, vel *ostensio gradus eminentis in aliquo signo visibili*, ad exequendum aliquem actum excellentem circa corpus Christi verum: ut in ordinatione Sacerdotii

---

(1) « Ex praedictis apparet, quod non est *proprius* actus Diaconi *legere Evangelium*, et Subdiaconi *Epistolam*; sed isti sunt *remoti* et *minus perfecti* actus eorum; *perfectissimi* autem et *proprii* illorum Ordinum sunt quos habet unus immediate circa Eucharistiam *dispensandam*, alius circa materiam eius *offerendam* ». — *Oxon. Ib.* n. 7.

materia est ostensio alicuius signi visibilis, ut *impositio manus Episcopi* super caput eius; et in ordinatione Diaconatus datio vel *traditio codicis Evangeliorum;* et in Subdiaconatu *traditio calicis*, vel *patenae;* et sic de aliis, quibus omnibus coniungitur *potestas* aliqua *determinati servitii* circa Eucharistiam consecrandam.

Et Sacerdoti quidem confertur *duplex potestas* in Ordine sacerdotii, in aliquo signo sensibili *uno*, scilicet, ad *conficiendum* Corpus Christi verum, et absolvendum Corpus Christi *mysticum*, secundum unam opinionem; si vero *non simul*, nec in *uno* signo sensibili, sed in *pluribus* confertur haec *duplex potestas*, ut dicit alia opinio, tunc debet dici quod Episcopus primo confert ei auctoritatem conficiendi Corpus Christi verum; deinde auctoritatem absolvendi Corpus Christi mysticum: sicut Christus prius fecit Apostolos Sacerdotes in Coena, ubi dedit eis potestatem super Corpus Christi verum conficiendum, et si tunc fuissent mortui, fuissent veri Sacerdotes Christi, sine auctoritate absolvendi Corpus Christi mysticum, quam postea dedit eis post resurrectionem, *Ioan.* 20. *Quorum remiseritis*, etc. (1).

Sic igitur patet *in genere* quid est *materia* huius Sacramenti, quia * est * *ostensio alicuius gradus eminentis in aliquo signo visibili, ad exequendum aliquem actum excellentem circa Corpus Christi verum;* et secundum diversas ordinationes sunt diversae ostensiones talium graduum in signis visibilibus

Forma vero huius Sacramenti, secundum diversas ordinationes et gradus eminentes in Ecclesia, sunt *certa verba*, quae sunt scripta in libris Episcoporum: alia quidem in ordinatione Sacerdotii, alia in Diaconatu, et sic de aliis; quorum verborum aliqua sunt *necessaria*, aliqua ad *ornamentum*. — *Ib.* n. 11.

Minister vero *idoneus* ad conferendum Ordines, et maxime tres Ordines *sacros*, est solus Episcopus; quia interdum conferre quatuor Ordines inferiores committitur aliis quam Episcopis, ut Abbatibus et Prioribus, et ideo convenientius ponitur *minister idoneus*, quam *Episcopus* in illa descriptione priori quantum ad conferentem; licet ad Episcopum pertineat etiam ordinare secuncundum omnes Ordines *ex officio*.

Effectus vero *propinquus* Sacramenti Ordinationis, et res, est determinatus *gradus eminentiae* in Ecclesia ad ministrandum circa Eucharistiam, vel *character*, vel *ordo*, qui sunt res et effectus propinquissimus, quem signat signum visibile, quod est Sacramentum; et isti effectui semper coniungitur, quantum est ex vi Sacramenti, *effectus ultimus* et principaliter intentus, scilicet, *gratia invisibilis*, gratum faciens ac disponens ad congrue et digne exequendum actum convenientem tali gradui in Ecclesia circa Eucharistiam consecrandam. Sicut enim natura dat gradus et dispositiones convenientes effectui principali, ut patet in organizatione corporis respectu creationis et infusionis animae, sic Deus, cuius perfecta sunt opera, dat dispositionem ad effectus principales Sacramentorum.

Sic igitur probatur quod *ordinatio*, vel collatio Ordinum, vel institutio in gradibus eminentibus Ecclesiae, *est Sacramentum;* et quod tot sunt Ordines et ordinationes, quot sunt collationes vel institutiones in talibus gradibus praeeminentiae. — *Ib.* n. 12.

An *Ordo* vel ordinatio sit *unum* sacramentum, vel *plura?* Respondeo, quod quantum ad maiorem divisionem Sacramenti, qua, scilicet, *Sacramentum* dividitur in *septem* Sacramenta, Sacramentum *Ordinis* vel ordinationis est *unum*, *non simpliciter*, sed tantum unitate *generis*, seu *unum* continens sub se *septem ordinationes* vel *ordines*, ut *genus:* sicut *substantia* dividens ens est *unum dividens*, continens sub se *multas substantias*, scilicet, *corporalem* et

(1) « In Sacerdotio videtur probabile, quod sint *duae formae partiales*, in quarum altera confertur potestas *conficiendi* Eucharistiam, in reliqua potestas *absolvendi* in Poenitentia; et istis coniunguntur *duae materiae*, hoc est, *duo signa* visibilia propriae formae: primae *traditio Calicis* et Patenae cum hostia: *accipe potestatem celebrandi*, etc.; secundae formae *impositio manus Episcopi* super caput: *accipe Spiritum Sanctum*, etc., ut sic Episcopus concorditer agat summo Episcopo Christo, qui contulit potestatem Apostolis tam *conficiendi* quam *absolvendi* ». — *Oxon.* Ib. n. 9.

incorporalem, corruptibilem et *perpetuam*, et sic de aliis. Illo etiam modo dividitur *virtus cardinalis* in *quatuor species: fortitudinem, temperantiam, prudentiam*, et *iustitiam*, quarum quaelibet ulterius dividitur in multas species. Probatur per Philosophum *I. Ethicor. 3 et 4 et 5*, quia sub *iustitia* continetur tam *distributiva*, quam *commutativa*, et sub istis aliae species specialissimae. Eodem modo de aliis, *prudentia*, et *fortitudine*, et *temperantia*, et sic de aliis (1). Et sic Sacramentum *Ordinis* est *unum genere*, habens sub se *plures species, septem*, scilicet, ad minus, quae sunt *diversae rationis* et alterius speciei, non tantum eiusdem rationis et speciei, et diversae numero. Probatur: quia numero differunt *Sacramentum* in *illo* et in *illo*; igitur multo plus differunt *Sacerdotium* et *Diaconatus*, sive in *eodem* sive in *alio*. Ergo *unitas* Sacramenti Ordinis est *unitas generis*, et non *unitas simpliciter*; sed *diversitas* est *simpliciter tanta* diversitate *quot* sunt *species* eius. — *Ib.* n. 13.

Sed *qualis* est iste *Ordo*, vel *Ordinis unitas?* Dico, quod *unitas Ordinis*, quae est *unitas generis*, sive unitas secundum magis perfectum, et minus perfectum, *est simpliciter necessaria* quantum ad *finem*, ad quem omnes Ordines ordinantur, scilicet, ad consecrationem Eucharistiae; quia per *accessum* vel *recessum* ab illo, sic dicitur una ordinatio *perfectior* alia. Sed quantum ad *suscipientem* Sacramentum Ordinis, licet esset ordo necessarius in recipiendo gradatim Ordines, ut primo inferiores, et postea superiores, non tamen est alicui suscipienti talis susceptio Ordinis *simpliciter necessaria;* quia si primo ordinaretur Diaconus, et postea Sacerdos, non oporteret iterari alios ordines super eum, incipiendo a *prima tonsura* usque ad istas, quia necessitas * absoluta * observandi ordinate et suscipiendi istos gradus, nec est de Iure positivo Christi, nec Ecclesiae. Non *Christi*, quia ipse in Coena fecit et ordinavit Apostolos Sacerdotes, nullo Ordine priori suscepto ad hoc. Nec de iure *Ecclesiae*, patet *Extra, de clerico per saltum promoto*, ubi habetur quod *si aliquis non Diaconus, vel Subdiaconus, promoveatur ad Sacerdotium, et ita ordinetur per saltum, non est Sacramentum Ordinis sacerdotii iterandum, sed quod incaute est praetermissum, caute suppleatur.* — *Ib.* n. 14.

Originatio simpliciter — secundum quid. — Non est ita in *originatione secundum quid* sicut in *originatione simpliciter*. — *Originatio* enim *simpliciter* ponit *originatum* in *esse simpliciter;* et ideo quod in esse *reali* praecedit *originationem simpliciter* praecedit et *originatum simpliciter*, et ideo non potest esse ab ipso originato; et inde est quod Verbum non potest producere aliud Verbum. Sed in *originatione secundum quid originans* non producit *originatum* in aliquo *esse simpliciter;* et ideo potest stare cum hoc, quod productio eius praecedat sic aliquod originatum, quod tamen *simpliciter* non praecedat illud originatum. — *Oxon.* II. d. 1. q. 1. n. 18.

Ostiarius. — Vid. *Ordo (Sacramentum).*

P

Paralelogrammum. — Figura *altera parte longior*  dicitur cuius omnes anguli sunt recti, et latera vicissim sibi opposita sunt aequalia, non tamen omnia latera sunt aequalia omnibus. — *Exposit. in Metaph.* lib. I. S. 2. c. 2. n. 54.

Parastata — Tritostata. — *Parastata* dicitur ille qui *stat iuxta aliquem*, puta, *Regem;* et dicitur a παρα, quod est *iuxta*, et ιστημι *sto, stas*, quasi *iuxta stans;* sed *tritostata* dicitur ille qui stat *tertius* ab eo; et ideo *parastata* est prius quam *tritostata*, cum sit propinquius illi primo, puta *Regi.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 10. n. 86.

---

(1) Vid. *Virtutes praecipuae = Virtutum connexio.*

Pars aliquota. — *Pars proprie — improprie = Pars quadrupliciter accepta.*

Pars essentialis — quantitativa. — *Duplices* sunt *partes,* scilicet; *essentiales,* ut *materia* et *forma,* quae, scilicet, essentiam substantiae constituunt; et *quantitativae,* quae non sunt substantiae inquantum substantia est, sed inquantum est *quanta* et *extensa.* — *Super Praedic.* q. 15. n. 3.

Pars formalis — materialis. — Partes rei sunt in duplici genere: quaedam enim dicuntur partes *speciei* et *formales;* quaedam *individui* et *materiales.* — Dicuntur autem partes *formales* et *speciei* quae competunt rei secundum suum esse *quidditativum* et *specificum* (1), et hae partes sunt quae intrant definitionem rei, sicut se habent *elementa* ad *syllabam,* et *materia* et *forma* universaliter sumpta ad *speciem.* — Partes autem *materiales* dicuntur quae *accidunt* rei (2); et hoc modo *aes* est *pars statuae,* et *semicirculi* sunt *partes circuli,* et *digitus* est *pars hominis.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 17. n. 139. — *Ib.* n. 8. — Vid. *Pars propinqua — remota.*

Pars formalis — substantialis. — Haec est differentia inter partem *formalem* et *substantialem,* quia pars *substantialis* solum non est necessario de intellectu *essentiae,* * sic * *nasus* et *oculus* partes *consubstantiales* sunt *corporis,* non tamen sunt de *essentia* hominis * nec corporis *, quia absque his intelligi potest. Simile, quamvis partes *huius ligni* vel *albedinis* sint *consubstantiales,* nihilominus, amota *ista* parte vel *illa, lignum* seu *albedo* et similia, intelligi et esse possunt. Absque autem parte *formali* nullo modo potest intelligi sub ratione illius esse quod formae constituit. — *De rer. princ.* q. 9. n. 35.

Pars homogenea — heterogenea. — *Partium* quaedam sunt *essentiales,* ut *materia* et *forma;* aliae *quantitativae* (1). — Et tales sunt *duplices:* quaedam *homogeneae,* quae, scilicet, habent *eamdem* denominationem, et sunt *eiusdem rationis cum suo toto:* aliae sunt *heterogeneae,* quae non habent eamdem denominationem cum suo toto, ut *manus, pes, caput,* et huiusmodi. — *Physic.* l. q. 11. n. 10. — Vid. *Colobon = Totum homogeneum — heterogeneum* — Cf. *Elenchor.* q. 19. n. 3.

Pars integralis duplex. — *Duplex* est pars *integralis:* quaedam accepta per *modum partis;* et talis pars non potest de toto praedicari nisi *denominative,* quemadmodum haec est falsa, *homo est caput;* sed haec est vera, *homo est capitatus;* et talis pars dicitur *realis* et aliquo modo est *integralis.* — *Alia* est *pars* secundum rationem, quae significat per *modum totius;* et talis pars de toto praedicari potest *univoce,* cuiusmodi partem significat *animal;* licet enim *animal* significet partem *materialem* hominis, non tamen significat per *modum partis,* sed *totius.* — *Poster.* I. q. 23. n. 12.

Pars propinqua — remota. — Divisio *totius* in *partes* fit *dupliciter:* vel in partes *propinquas,* vel in partes *remotas.* — Voco autem partes *propinquas* quae *immediate* constituunt totum; *remotas* vero quae *mediate:* puta partes partium principalium. — *Exemplum primi: anima* et *corpus* respectu *hominis. Exemplum secundi: pes* et *manus,* et huiusmodi respectu *corporis;* et iterum *visus* et *auditus* et huiusmodi potentiae respectu *animae.* — *Primae* partes dicuntur *formales,* et sunt simpliciter priores toto, et illae immediate intrant definitionem rei. *Secundae* partes dicuntur *materiales,* et sunt posteriores, nec intrant immediate definitionem rei, quia sine eis potest *totum* esse; et ideo non sunt simpliciter necessariae, nisi *conditionaliter,* ut *si* homo est *perfectus;* unde non intrant definitionem rei *propinque,* sed *remote* et *mediate,* pro quanto *partes principales* intrant, quarum istae sunt partes. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2.

---

(1) Sive « quae pertinent ad speciem et quidditatem specificam rei, ut quidditas est ». — *Exposit.* etc. l. V. n. 8.

(2) Id est « illa quae non respicit, nec pertinet ad quidditatem specificam rei, ut specifica est, sed magis ut individualis est ». — *Ib.*

(1) Vid. supra, *Pars essentialis — quantitativa.*

c. 11. n. 83. — Vid. *Pars formalis — materialis.*

Pars proprie — improprie. — *Pars* sumitur *dupliciter: proprie* et *improprie.* — *Pars* quidem *proprie* accepta semper habet aliquam *determinatam* habitudinem ad *totum,* quia, scilicet, aliquoties sumpta mensurat et reddit totum. Et hoc vel praecise, si sit pars *aliquota;* vel non praecise, sed *plus* vel *minus,* si non sit *aliquota,* ut dictum est *V.* huius, *cap. de parte.* c. 25, et inde (1). *Primo* modo *duo* sunt pars ipsius *quatuor. Secundo* modo *duo* sunt pars *trium,* quia nunquam reddunt duo praecise ipsa tria. — Sed dicitur *pars improprie* dicta quae non habet aliquam *determinatam* habitudinem ad totum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 2. n. 83.

Pars quadrupliciter accepta. — Dicit * *Philosoph.* * quod *pars dicitur uno modo in quam utique quantum dividitur quantumcumque;* id est, quatumcumque fuerit minor quantitas, in quam maior dividitur.

Notandum, quod pars *quanta* rei *quantae* dicitur *dupliciter:* quia quaedam est pars *aliquota:* quaedam *non aliquota.* Dicitur *pars aliquota* quae *aliquoties sumpta reddit* et *mensurat praecise totum,* sicut *duo* sunt pars *quaternarii* et *senarii,* nam *bis duo* praecise faciunt *quatuor,* et *ter duo sex.* — Dicitur autem *pars non aliquota* quae *aliquoties sumpta non reddit praecise ipsum totum, sed vel plus, vel minus;* et hoc modo *duo* sunt pars *trium* et *quatuor* sunt pars ipsorum *sex;* ideo ait Philosophus, quod *duo* sunt uno modo *pars trium,* scilicet, pars *non aliquota;* sunt autem ut *non,* quia, scilicet, non sunt pars trium *aliquota,* ut patet ex praedictis.

Amplius dicuntur *partes* illa *in quae aliquid dividitur sine quantitate, et hae partes dicuntur illius quod* sic dividitur, *qualiter species dicuntur esse partes generis. Genus* enim dividitur in *species,* non divisione *quantitativa,* sed *formali* et *essentiali,* quod fit per *differentias specificas.*

(1) Vid. stat. *Pars quadrupliciter accepta.*

Amplius dicuntur *partes* illa *in quae aliquid dividitur, aut ex quibus totum componitur, sive* illud *sit species, aut habens speciem,* puta *individuum;* dictum est enim supra, quod quaedam sunt partes *formales* et *speciei;* quaedam *materiales* et *individui* (1), *ut aes est pars spherae aereae, aut cubi aerei: haec autem materia est,* id est, pars *materialis in qua,* scilicet, *species* recipitur.

Amplius dicuntur *partes* ea *quae sunt in ratione,* id est, definitione, *ostendente unumquodque;* et hoc quidem modo *genus* et *differentia* sunt *partes speciei et totius.* Et quia supra in *secundo* modo *species* dicebantur *partes generis,* hic autem dicitur e converso, ideo subdit, quod hoc est *eodem* modo, dicens: *propter quod genus pars speciei, aliter autem species dicitur pars generis; species* autem est pars generis *subiectiva, genus* autem est pars speciei *integralis* et *essentialis.*

Notandum, quod isti *quatuor modi* sic distinguuntur: quia in *secundo* modo accipitur pars *subiectiva,* ut dictum est; sed in *aliis tribus* accipitur pars *integralis;* differenter tamen; quia in *primo* modo accipitur pars integralis *quantitativa,* in *tertio* vero modo pars integralis *essentialis* rei *in se consideratae,* in *quarto* autem modo pars *essentialis* integralis rei *consideratae ut est quoddam definibile.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 17. nn. 142-143.

Pars realis — rationis. — Est differentia inter *partes rationis* et *partes secundum rem;* quia licet utrumque significet *partes totius, partes* tamen *secundum rationem* significant partes totius per modum totius; *partes* autem *secundum rem* significant partes *per modum partis.* Verbi gratia, genus *hominis,* puta *animal,* est pars eius *secundum rationem:* nam a sua prima impositione imponitur ad significandum partem hominis, puta *habens animam sensitivam;* quia tamen eam significat *per modum totius,* et non per modum partis, ideo vere praedicatur de homine. Sed non est sic

(1) Vid. *Pars formalis — materialis.*

de parte *secundum rem;* quia *aes,* quod est *pars materialis statuae,* significat *partem per modum partis,* et ideo de *statua* non potest praedicari. — *Super Univers. Porph.* q. 20. n. 4.

Pars tripliciter capitur. — Vid. stat.

Participare. — *Participare* est idem quod *partem capere,* ita quod *duplicem* relationem importat: et *partis* ad *totum,* et *capientis* ad *captum.* — *Prima* est *realis.* Nec tamen sumitur ibi pars *proprie* pro eo quod est *aliquid rei,* sed *extensive,* prout omne *minus* dicitur pars *maioris.*

Secunda vero relatio, scilicet *capientis* ad *captum,* est relatio *rationis,* sicut inter *dans* et *datum.* — *Tripliciter* tamen *pars capitur:* aut *pars capitur* sic quod *totum captum* est *pars capientis,* sicut *species* participat *genus,* quantum ad *partes essentiales generis,* non *subiectivas:* aut sic quod *pars capti* est *ipsum totum capiens.* — *Primis* duobus modis relatio *capientis* et *capti* potest concedi esse *realis: tertio* modo non. — *Oxon.* I. d. 8. q. 2. n. 3.

Participium. — Vid. *Gramm. speculat.* nn. 24, et 110 et seqq.: 151 et seqq.

Parvum. — Vid. *Magnum — Parvum.*

Pascha quinque modis accepta. — Patet per unam distinctionem positam ab Innocentio, *De Officio Missae, parte 3. c. 4,* quod *Pascha quinque* modis accipitur. — *Uno* modo pro *solemnitate diei azymorum,* quae erat luna 15. — *Alio* modo pro *die in cuius vespere comedebatur agnus,* quae erat luna 14. — *Tertio* pro *hora immolationis agni,* quae erat pars diei 14. — *Quarto* pro *agno* qui comedebatur vel immolabatur. — *Quinto* modo pro *panibus azymis.* — *Oxon.* IV. d. 11. q. 6. n. 5.

Passibilis qualitas. — Vid. *Passio — Passibilis qualitas = Qualitatis modi seu Species.*

Passio. — Vid. *Actio — Passio = Actio — Passio — Habitus = Actio — Passio — Motus = Operatio — Passio — Praedicamenta decem = Qualitatis modi seu species.*

Passio animalis. — Per Damascen. *l. II. c. 22., animalium passionum terminus,* id est, *definitio* est iste: *Passio est motus appetitivae virtutis sensibilis in imaginatione boni et mali.* — *Sensibilis* ponitur pro *perceptibili,* quia sensibilis non perceptibilis non dicitur proprie passio animalis. — *In imaginatione boni et mali* ponitur ut *causa,* quia illud absolutum, quod est *bonum* vel *malum,* quod dicitur *conveniens* vel *disconveniens,* est causa huius passionis. — *Imaginatio,* id est, *sensatio in communi* est quasi *approximatio agentis ad passum.* — *Oxon.* III, d. 15. n. 10.

Passio coniuncti — animae. — Sunt *passiones* quaedam quae insunt cum *mutatione* et *alteratione* partis sensitivae, et non fiunt sine immutatione organi, et illae sunt *totius coniuncti.* — *Aliae* sunt *passiones* tantum *spirituales;* et illae possunt *sine omni mutatione* quae est in organo fieri; et tales sunt *animae.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 7. n. 5.

Passio duplex. — Est una *passio realis,* quae est obiectio formae a contrario. — Est alia *passio,* quae est *perfectio patientis.* — Sed ista subdividitur: quia quaedam est perfectio *prima,* sicut actus primus habilitans et inclinans potentiam ad actum secundum. — *Alia* est perfectio *secunda,* quae est *operatio.* — *De Anima* q. 12. n. 8.

Passio multipliciter sumpta. — Hoc nomen *passio* est *aequivocum:* — *Uno modo* dicitur *passio* de omni *qualitate* vel *dispositione* respectu sui *subiecti;* et sic *sanitas, scientia, albedo,* et huiusmodi dicuntur *passiones.* — *Secundo modo* dicitur *passio appropriate* de quolibet *sensibili;* et sic dicimus, quod *tertia species qualitatis* est *passio* vel *passibilis qualitas* (1). — *Tertio modo* restringitur hoc nomen *passio* ad operationes *appetitus,* et praecipue appetitus *sensitivi;* et sic accipitur passio in *secundo Rhetoricae.* — *Quarto modo* accipitur *passio* ut hoc nomen *passio* restringitur ad *corruptiones* et actiones *nocivas;* et sic dicimus *laesum passum,* et non illum qui accipit alterationes *salutiferas.* — *Quinto modo* accipitur *passio* pro *termino connotativo* convertibili cum termino absoluto vel minus connotativo; et sic dicimus, quod *visibile* est *passio* hominis. — *Sexto* modo

(1) Vid. infr. *Passio — Passibilis qualitas.*

dicitur *passio* operatio *passi* recepta *ab agente;* et sic dicit Aristoteles in *isto tertio,* quod *passio* est *actus passivi secundum quod passivum,* ita quod *passio* est finis et operatio illius *passi.* — *Physic.* III. q. 8. n. 3.

Dicit * Philosoph. * quod * sicut et *habitus* (1) * *pari modo dicitur* uno modo *qualitas secundum quam contingit alterari, ut album nigrum, dulce amarum, gravitas et levitas, et quaecumque alia talia,* et haec est *tertia species qualitatis,* quae dicitur *passio* et *passibilis qualitas* in *Praedicamentis, cap. de Qualitate,* in qua specie *qualitatis* est *alteratio* proprie dicta, ut probatur *VII. Physic. text. com. 14. et inde.*

Alio modo dicuntur *passiones actiones et alterationes,* et motus *horum,* id est, dictarum qualitatum; et hoc modo *passio* est unum Praedicamentum distinctum, ut *calefieri, dealbari;* inquantum tamen dicunt illum respectum qui est *passi* ut transmutati ad *agens* ut transmutans; *passio* enim, sicut et *actio,* sunt formaliter *respectus.*

Alio modo dicuntur *passiones* dictae *alterationes,* non quaecumque, sed *maxime* quae sunt *tristes et nocivae;* et hoc modo non dicitur *pati* qui *sanat,* sed qui *infirmatur;* quod non habet rationem mali, puta ad sanitatem, vel albedinem, magis dicitur *perfici* quam *pati,* nam talis forma quae per hanc alterationem acquiritur est quaedam perfectio mobilis et passi.

Amplius magnitudines calamitatum et tristium sive *lamentantium,* et etiam magnitudines *exultantium passiones dicuntur;* vult dicere, quod quia ea quae parva et modica sunt quasi reputantur, ideo hoc *quarto* modo dicuntur *passiones* non quaecumque alterationes nocivae, sed si habent *magnitudinem nocumenti,* ut magnae tristitiae et magnae calamitatis; hoc etiam modo dicuntur *passiones magnae laetitiae,* quatenus excessus laetitiae est *nocivus;* unde quandoque aliqui infirmati et inventi sunt mortui propter excessivam laetitiam. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 16. nn. 130-131.

Passiones entis duplices. — *Passiones entis* quaedam sunt *disiunctae,* puta, contingens *vel* necessarium, causa *vel* causatum, unum *vel* plura: quaedam autem non. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. XI. S. 2. c. 1. n. 24.

Passionis moderatio multiplex. — *Moderatio passionis* intelligi potest *dupliciter:* aut *inexistentis,* aut *futurae.* — *Inexistentem moderari* convenit *dupliciter:* vel *minuendo* passionem quae nata est fieri ab obiecto secundum se, ne sit immoderata, sicut obiectum esset natum delectare potentiam sensitivam sibi derelictum: aut *referendo* delectationem illam *in finem convenientem* rationi rectae, ad quem non refertur ex ratione absoluta obiecti appetitus sensitivi. — *Futuram* etiam *moderari* potest *dupliciter* intelligi: vel *fugiendo* obiectum quod natum est delectare potentiam immoderate: vel *assumendo sola obiecta* quae nata sunt *moderate* delectare; et tunc passio futura non moderatur *in se,* sed ne immoderata insit, *praecavetur.*

Quocumque istorum modorum intelligatur *moderatio passionis,* magis potest *voluntati* competere quam *appetitui sensitivo,* si passio inest vel inerit illi appetitui sensitivo. Nam de passione *inexistente,* si possibile est minui, magis potest eam minuere voluntas, quae *libere agit,* quam appetitus sensitivus, qui *patitur* ab obiecto vel qui coagit sibi quantum potest, * quia naturaliter agit *. Magis etiam potest voluntas referre ad finem consonum rationi rectae quam appetitus sensitivus, quia voluntas est proprie appetitus rationalis, et ita proprie *collativa* ad finem quem ratio ostendit; *uti* enim, quod est *referre aliquid ad finem debitum,* non est actus appetitus sensitivi, sed voluntatis; proprie enim *conferre* non conceditur appetitui sensitivo, vel cuicumque sensui, sicut voluntati et intellectui. — Si intelligatur de passione quae immoderata debet *praecaveri,* et moderata *assumi,* satis videtur planum; quia circa futurum magis videtur voluntatem posse habere usum rectum, quam possit appetitus sensitivus;

---

(1) Vid. *Habitus tripliciter accipitur.*

quia cognitiva voluntatis, quae est ratio, magis potest consiliari de futuris, quam sensus. — *Oxon.* III. d. 33. n. 9.

Passio — Passibilis qualitas. — *Passio* est *aequivocum*, secundum quod distinguitur in *V. Metaph.* in multa significata (1); sed hic sumitur secundum quod significat *qualitatem secundum quam est alteratio;* et tunc vel sumitur *absolute*, vel *cum praecisione: absolute* sumptum est convertibile cum *passibili qualitate*, vel *superius* ad ipsum*: praecise* sumptum distinguitur *contra passibilem qualitatem*, prout *passibilis qualitas* dicitur illa a qua aliquis denominatur denominatione significante permanentiam formae in subiecto. Absolute igitur tertius modus * qualitatis * est *passio*, quae dicit comparationem qualitatis *ad subiectum, natum alterari secundum eam*, vel comparationem qualitatis *ad sensum* qui infert passionem.

Passio aequivoce est *effectus actionis*, secundum quod dicit Auctor *Sex Principiorum*, et secundum quod est qualitas secundum quam est alteratio.

Passio distinguitur *praecise* contra *passibilem qualitatem;* et tamen possunt poni *unus modus*, quia habent certam rationem generalem; et absolute loquendo de utroque sunt *convertibilia;* quia omnis *passio* est *qualitas*, et ita secundum eam dicimus *quales.* Sed tunc ad dictum Aristotelis, quando dicit *secundum passionem non dicimur quales*, hoc intelligendum est vel quia non ab illo denominativo quod sumitur a *passibili qualitate*, quod denominat subiectum per modum *stantis*, ut a *rubore* causato per verecundiam non dicitur aliquis *rubicundus;* quia illud denominativum notat permanentiam huius formae cum subiecto, pro tempore tamen pro quo inest ille *rubor* potest dici *rubeus* vel *rubens*, quae notant absolute talem formam ut est in subiecto: vel dictum Aristotelis sic est intelligendum, quod non dicimur *quales* a passionibus, quia ab illis non sumuntur communiter denomitiva; sed si sumerentur, posset habens *passionem* denominar ab illa, sicut habens *passibilem qualitatem* denominatur ab illa.

(1) Vid. *Passio multipliciter sumpta.*

Notandum etiam iuxta hoc, quod *inferre passionem sensui* non est de essentia qualitatis, secundum quod habetur in *II. De Anima, cap. de Visibili, text. com. 66, in principio*, ubi dicitur, quod esse *visibile* non est de essentia *coloris*, sed *passio* eius; igitur *passio*, vel *passibilis qualitas*, quae denominat *qualitatem*, inquantum infert passionem sensui, non nominat *essentiam*, vel *speciem* qualitatis, sed *modos.* — *Super praed.* q. 36. nn. 9-10.

Passio universalis. — *Tripliciter* contingit errare in assignando *passionem universalem;* qui tres modi possunt patere sic artificialiter: quia *commune*, cuius est *passio*, aut habet tantum *unum* suppositum, aut *multa.* — Si tantum *unum*, et assignatur illa *passio* primo inesse illi *uni* supposito, tunc est *primus error.* — Si *commune* habeat *plura* supposita; aut ergo ipsum est *innominatum*, propter ambiguitatem sui, aut *nominatum* propter suam certitudinem. Si sit *innominatum*, et conceditur *passio* illius *innominati* primo inesse suis inferioribus, sic est *secundus error;* ut si credatur haec passio, commutabiliter proportionari primis *lineis*, et *numeris* inesse propter hoc quod *commune* istorum, cuius est haec passio, est *innominatum* propter suam ambiguitatem, sic est *secundus error.* — Si autem *commune* habens *multa* supposita sit *nominatum*, tunc est distinguendum ulterius: quia aut est differentia *certa* eius ad suppositum, et sic non est aliqua causa erroris: tunc enim possumus scire quod *passio*, quae inest *communi* primo, non inest supposito primo, nec e contra; si vero differentia *non sit certa*, tunc est *tertius error*, ex hoc quod creditur quod *passio*, quae inest primo *inferiori*, primo insit *superiori*, vel e contra. — *Poster.* I. q. 35. n. 3.

Pater in Divinis. — Vid. *Persona prima Smae Trinitatis.*

Paternitas — Generatio activa. — Respondeo, sicut Bonaventura respondet, quod *paternitas* et *generatio activa* in Patre non est, alia * et alia * proprietas *secundum rem*, sed tantum *secundum rationem.* —

Report. I. d. 27. q. 1. n. 10; * *ubi probat loculentissime earum identitatem realem* *.

Differunt *secundum rationem generatio activa* et *paternitas*, et hoc *dupliciter:* nam possunt aliqua differre *secundum rationem uno modo* secundum suos conceptus *proprios: alio modo* secundum conceptus *communiores et speciales;* et *utroque* modo differunt *secundum rationem paternitas* et *generatio.*

Primo modo sic: nam quamvis utriusque conceptus sit *aeque prius,* adhuc differunt *ratione,* et hoc stando in conceptu singulari utriusque; nam forma quaelibet perficiens passum potest considerari: *uno modo* sub eius esse *quieto,* ut dans esse *quietum* passo, quomodo passum sibi assimilatur, sicut assimilatur productum suo producenti, licet alio modo aequivoco et virtuali. Unde et istum modum dandi esse significamus per verba, ac si forma ageret, ut cum dicimus: *albedo dat esse album* sive *albificat superficiem,* sive cum dicimus: *albedo informat parietem;* et hoc convenit sibi ut intelligitur habere esse suum *quietum.* — *Alio modo* intelligitur forma quasi dans esse *in fieri* suo subiecto, sicut agens suo modo subiecto, ut cum dicitur: *ignis calet* sive *calidum calet;* significat enim ac si forma daret *continue* esse suo subiecto. — Si igitur *primo modo* intelligitur forma, ut *dans esse quietum,* sic significatur per *nomen;* si autem intelligitur *secundo modo,* sic significatur per *verbum neutrum* in *abstracto,* per *nomen verbale* quamvis omnino eamdem rem significent. Idem enim significat *calere* et *esse calidum,* et idem etiam significat cum dicitur, *sol lucet,* et *est lucidus; homo vivit,* et *est vivus.* Unde *vivere,* ut est actus *primus,* non significat aliud quam *vitam,* nisi quod uno modo significat per modum *quietis,* alio modo per modum *fieri;* et sic potest esse de qualibet forma, quod potest intelligi ut quasi dans *esse* in *fieri,* iuxta suum modum significandi, et sic significatur per *verbum* et per *nomen verbale in abstracto;* vel potest intelligi per modum *esse quieti,* et sic significatur per *nomen;* et sic est de omnibus, si nomina essent imposita. — *Ib.* n. 20.

Ad propositum igitur dicendum, quod si illa proprietas, quae est *constitutiva Patris,* intelligitur in *esse quieto,* sic significatur per nomen *paternitatis;* si intelligitur ut *in fieri,* sic significatur per *verbum in concreto,* et per *verbale nomen in abstracto,* ut per *generare et generationem. Paternitas* igitur et *generatio activa* sive *generare* tantum differunt *penes modos concipiendi,* correspondentes *modis significandi* grammaticalibus, in quibus tantum est omnino *una realitas* et *relatio realis.*

Secundum etiam aliam differentiam *rationis,* quae est secundum conceptus *magis communes* et *minus communes,* differunt, et secundum rationem *paternitatis* et *generare.* Nam sicut a *subsistente per paternitatem* potest abstrahi *subsistens incommunicabiliter,* ita et a *generante* per generationem *producens;* igitur, a primo ad ultimum, a *subsistente per paternitatem* potest abstrahi *subsistens incommunicabiliter,* similiter a *generante* potest abstrahi *producens;* similiter a *Patre, ut habet Filium,* potest abstrahi *subsistens habens correlativum;* et isti tres conceptus, scilicet, *subsistens incommunicabiliter* et *producens* et *habens correlativum,* omnino accipiuntur in Deo ab *eadem re* simplici. Nam in *primo* conceptu convenit proprietas illa singularis cum forma absoluta constituente suppositum absolutum incommunicabile; et in *secundo* conceptu convenit cum istis productionibus creatis, quae producunt per suas formas; et in *tertio* conceptu convenit prima Persona cum patre creato habente secum filium productum; et accipiuntur isti conceptus in prima Persona iuxta diversos conceptus in re, qui accipiuntur a diversis realibus; et secundum hoc conceptus qui accipitur a Patre *subsistente per paternitatem communior* est quam conceptus acceptus a *Patre generante,* sicut conceptus *subsistentis prior* est quam conceptus *producentis;* et conceptus abstractus a *Patre prior* est quam conceptus abstractus a *subsistente habente secum correlativum subsistens,* sicut *prius* est *subsistens* quam *subsistens habens correlativum;* et ita etiam differunt Pater *subsistens,* et Pater *generans,* et Pater *habens secum*

Filium; et hoc secundum conceptus *diversos* logicos, quibus correspondet *omnino idem a parte rei.* — *Ib.* n. 21.

Sic igitur *paternitas* et *generatio* differunt *secundum rationem,* secundum primam differentiam *rationis* praedictam; et hoc ideo, quia qualem ordinem habent aliqua ubi sunt distincta *secundum rem,* talem ordinem habent aliqua ubi sunt distincta *secundum rationem.* Et ideo sicut *generatio* et *paternitas* ordinem habent ubi sunt distincta *realiter,* sic ordinem *secundum rationem* habebunt ubi sunt distincta *secundum rationem.* Et ideo *generatio* haec et *paternitas* hunc ordinem habent *secundum rationem* in Patre, quamvis solum distinguantur *secundum rationem.*

Iste tamen ordo non sufficit, ut unum intelligatur sicut *causa* vel *fundamentum* respectu alterius, quia nec ubi sunt distincta *realiter* generatio activa est fundamentum paternitatis, sed sicut ibi ubi sunt distincta realiter *generatio* intelligitur ut *dispositio* prima respectu paternitatis, sic antecedenter *secundum rationem* intellectus *generatio* est prima respectu paternitatis, sed nullo modo in ratione fundamenti. — *Ib.* n. 23.

Differunt etiam *secundum rationem,* secundum ordinem *conceptuum abstractorum* ab ipsis. Nam *prior* est conceptus *subsistentis* quam conceptus *producentis,* et conceptus *producentis* est *prior* quam conceptus producentis *habentis productum secum* ut *correlativum.*

Sic igitur patet quomodo sunt *una* proprietas *secundum rem paternitas* et *generatio,* et quomodo *dupliciter differunt secundum rationem.* — *Ib.* n. 24. *ubi plura.* — Cf. *Oxon.* I. d. 27. q. 3. = Vid. *Generatio in Divinis.*

Patientia. — Vid. *Concupiscibile — Irascibile.*

Paucum. — Vid. *Magnum — Parvum.*

Pax. — Vid. *Beatitudines.*

Peccandi potentia. — *Potentia peccandi* potest accipi vel pro potentia quae est *principium,* vel pro potentia ut dicit *ordinem ad actum* peccandi, sicut in aliis potentiis: ut potentia *videndi* potest accipi vel *pro principio* visionis, vel pro *ordine ad actum* videndi. — Si *secundo* modo, id potest esse *dupliciter:* vel pro ordine ad *deformitatem,* vel pro ordine ad *actum substractum* deformitati.

Si autem accipiatur *potentia peccandi* pro *principio potentiali,* quod est fundamentum huius ordinis et respectus, dico, quod in ipsa ut sic sunt rationes distinctae correspondentes duobus quae sunt in actu, scilicet *substantiae* actus, et *deformitati.* Ratione *libertatis,* quae est in ipsa, fundat ordinem ad actum *positivum* in se; libertati autem arbitrii in creatura annexa est *limitatio,* ratione cuius fundat ordinem ad *deformitatem* in actu; nam ista limitatio tollit perfectionem quae est in Deo.

Ideo dico, quod *totum hoc* est fundamentum huius ordinis ad *actum* in se, et ad *deformitatem;* et tale fundamentum vocatur *potentia peccandi;* et ista est a Deo, et actus similiter, licet ipsa *deformitas* concomitans non sit a Deo. — *Report.* II. d. 44. n. 2. — *Oxon.* ib.

Cum arguis, quod *posse peccare* non est pars libertatis, secundum Anselmum, dico, quod aliud est loqui de *posse peccare,* aliud de *potentia ad peccandum.* — *Primum* dicit *ordinem ad actum* deformem. — *Secundum* dicit *rationem principii,* quo potest elici actus deformis. — *Primus* ordo non est liberi arbitrii, nec aliquid eius, nec absolute aliquis ordo ad actum est aliquod principium activum, vel pars eius. — *Secundo modo* dico, quod illud quo potest peccare includit duo, quorum alterum est posse aliud deficere, et illud quo potest in illud est eius *posse,* quod *posse* est per se libertatis arbitrii et potentiae; reliquum vero non est eius unde liberum arbitrium, sed unde tale, scilicet, *defectivum,* ita quod sicut in communi liberum arbitrium est quo quis potest *velle,* et hoc accipiendo ita in communi sicut Anselmus accipit, scilicet, ut convenit Deo et Beatis, ita liberum arbitrium hoc, scilicet, *viatoris,* est quo quis potest velle *defectibiliter;* tamen quantum ad aliquid potest poni dissimile, quia ad absolute velle tota entitas *positiva* liberi arbitrii et sola est principium; ad illam autem deformitatem in actu nihil positivum in libero ar-

bitrio est principium. — *Oxon.* II. d. 7. n. 25.

Peccare est quadrupliciter. — *Peccare* potest esse, vel *elicere actum peccandi*, vel *habere peccatum.* — *Oxon.* II. d. 32. n. 14.

Proprie loquendo *peccare contra aliquem* est illi esse obligatum in aliquo, et ab illo in quo est obligatus *deficere;* et sic *peccare* solum invenitur in habentibus liberum arbitrium. — *Alio* modo sumitur *peccare* ex eo quod *apparet* esse aliquid, et *non est* illud. Et sic *petitio principii* diceretur *peccare* contra syllogismum, si *appareret* esse syllogismus, et *non esset:* quemadmodum dicimus unum *denarium peccare,* eo quod *apparet* esse bonus denarius, et tamen *non est* bonus. — *Prior. II.* q. 7. n. 6.

Peccare formaliter. — Voluntas quae est debitrix dandi rectitudinem suo actui, et non dat, deficiendo peccat. Hoc est ergo *formaliter peccare,* scilicet, causam huiusmodi liberam non dare debitam rectitudinem suo actui, quam tunc posset dare. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 9.

Peccati gravitas. — *Gravitas peccati* vel concluditur ex hoc quod opponitur *magis intensae* bonitati, vel quia bonitas opposita ad *magis necessaria,* scilicet quia peccatum tale est magis contra plura praecepta, et magis ardua quam aliud peccatum. — *Oxon.* II. d. 21. q. 2. n. 3. — Illud peccatum est gravius ex genere quod opponitur rectitudini meliori. Loquendo autem in eodem genere peccati mortalis, illud est gravius in quo voluntas maiori libidine peccat; quia quanto magis conatur, tanto perfectiorem actum causat. — *Ib.* d. 37. q. 1. n. 9. — Vid. *Peccatum Adae.*

Peccator. — Post actum intrinsecum et extrinsecum transeuntem manet quaedam iniustitia habitualis; sed non ab illa sola dicitur quis *peccator,* alioquin qui commisisset duo millia peccata mortalia, et qui unum, essent aeque peccatores intensive et extensive, quia in eis et tota gratia quantum ad intensionem, et sola ipsa quantum ad extensionem privatur, tam in eo qui commisit unum, quam in eo qui duo millia, et ideo non dicetur unus minus peccator post actum transeuntem quam alius. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 3.

Dico ergo, quod nihil reale absolutum vel relativum est in aliquo, cessante omni actu peccati, a quo ille dicatur *peccator;* et hoc vel graviter, vel multipliciter peccator, sicut aliquis dicitur post actum transeuntem. Quia si dicatur aliquid derelictum ab actu manere, illud non est formaliter peccatum, quia potest stare in iustificato, sicut habitus vitiosus vel dispositio ad illum manet in iustificato subito.

Non est ergo ibi aliquid absolutum vel relativum, positivum vel privativum, a quo dicatur *peccator* a tempore cessationis actus usque ad poenitentiam; sed tantummodo quaedam relatio rationis inquantum est obiectum intellectus vel voluntatis Dei; quia postquam commisit, Dei voluntas ordinat ipsum ad poenam correspondentem peccato, et tunc intellectus praevidet, et pro omni tempore, donec poena debita sit soluta.

Istud probatur per Augustinum super illud Psalm., *Beati quorum remissae sunt iniquitates,* etc. *videre,* inquit, *Deum peccata est ad poenam imputare; avertere autem faciem a peccatis, hoc est ea ad poenam non reservare.* Ita ergo dicit peccata ab eo tecta, non ut Deus tunc non videat, sed ut nolit animadvertere, id est *punire;* ergo ipsum remanere in reatu post actum transeuntem nihil aliud est nisi ipsum a Dei voluntate ordinari ad poenam condignam illi peccato; obiectum autem intellectus vel voluntatis, ut intellectum vel volitum; non habet nisi relationem rationis; ergo, etc. — *Ib.* n. 6.

Peccatoris ad conversionem dispositio duplex. — Actum aliquem humanum requiri ad deletionem peccati potest *dupliciter* intelligi: vel ut dispositionem *praeviam,* vel ut *concomitantem.* — *Primo* modo sufficit actus *informis,* imo semper est informis, quia dispositio praevia ad peccati deletionem est semper sine gratia * *habituali* *, et charitate, a cuius solius inhaerentia et inclinatio ad actum dicitur actus *formatus.* — *Secundo* modo dico, quod requiritur actus *formatus,* nam in illo instanti in quo deletur peccatum, charitas inest, et per con-

sequens, si actus requiritur ut *concomitans*, requiritur ut *formatus*. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 2. n. 13.

Peccatorum distinctio. — *Peccata* in *genere* distinguuntur in *tria membra*, scilicet, in peccatum *carnis*, in peccatum *concupiscentiae oculorum*, et *superbiam vitae, I. Ioann.* 2 (1). — *Oxon.* IV. d. 15. q. 1. n. 12.

Supposito quod *peccatum* sit formaliter *aversio a Deo*, quomodo distinguuntur peccata *specie?* — Dico, quod *privationes* distinguuntur *specie* per *habitus*, sicut *surditas* et *caecitas* distinguuntur *specie* per hoc quod habitus oppositi distinguuntur. Sic *aversio virtualis a Deo* circa *diversa* obiecta *formalia* distinguitur, imo circa *idem* obiectum, quia rectitudo est *alia* et *alia*, quam tenetur voluntas observare respectu *huius* obiecti, et respectu *illius*, et respectu *eiusdem* obiecti quantum ad *diversas circumstantias.*

Primum patet, scilicet, quod *aversiones differunt specie* propter *diversa obiecta;* quia aliter praecipitur in uno praecepto respectu illius obiecti, aliter respectu alterius. Aliam igitur rectitudinem tenetur voluntas habere respectu unius, et alterius; et si careat, alia est aversio virtualis a Deo propter carentiam unius rectitudinis, et alterius.

Secundum patet, scilicet, quod respectu *eiusdem obiecti* possint esse *diversa peccata specie;* quia rectitudo in operatione respectu unius obiecti requirit omnes circumstantias quas recta ratio dictat, quia *bonum est ex causa integra,* secundum Dionysium, et *peccatum* potest esse ex *omissione cuiuscumque circumstantiae;* cum igitur *circumstantiae differant specie, privationes different specie.*

Sicut plures rectitudines *secundum speciem* privantur per plura peccata *secundum speciem,* sic plures rectitudines *numero* privantur per plures privationes *solo numero* differentes: ut si ille hodie occidit hominem, cras alium, post cras tertium, plures privationes secundum eamdem speciem insunt eidem simul. — *Report.* II. d. 35. n. 12. — * *Ibid. prosequitur de comparativa gravitate specifica peccatorum* *. — *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 9.

Sive *peccata mortalia* distinguantur per *habitus* malos oppositos bonis, quales sunt septem habitus boni, quatuor, scilicet, *morales* et tres *theologici:* sive, quod magis videtur, per *actus* bonos, quales sunt actus *decem praeceptorum,* non esset illa divisio *septenaria* peccatorum *capitalium* sufficiens: quia *primo* modo deberent esse *septem* peccata capitalia *alia* ab istis: siquidem *infidelitas* et *desperatio* sunt proprie opposita illi *septenario* * habituum bonorum *, et non sunt contenta sub aliquo istorum septem. *Secundo* modo deberent esse *decem* capitalia secundum transgressionem Decalogi.

Haec ergo divisio non opportet, quod teneatur sufficiens in omnibus malis actibus, sive quoad omnes malos actus; quia istae non sunt primae *radices,* nec forte *principalia* peccata; sed forte *multum communes* ad alia peccata, sicut occasiones peccandi. — *Oxon.* II. d. 6 q. 2. n. 16.

Peccatum. — Secundum Augustinum, *contra Faustum,* lib. XXII, c. 7., *peccatum est dictum vel factum vel concupitum cotra legem divinam.* — *Report.* IV. d. 14. q. 2. n. 3. — *Peccatum* est *aversio a Deo et conversio ad creaturam.* — *Oxon.* II. d. 43. q. 1. n. 2.

Peccatum est *formaliter privatio boni.* — Loquendo de *peccato* sive contra legem divinam, sive contra legem humanam, aliquid dicitur *peccatum,* quia peccans *potuit concordari legi superioris agentis, et discordavit.* — *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 3.

Secundum Beatum Augustinum, *homilia I. super Ioannem,* super illo verbo, *sine ipso Verbo factum est nihil,* exponit, id est, *peccatum, quia peccatum nihil est;* ita quod, secundum ipsum, *peccatum* nihil est, nisi *nihilitas* et *privatio quaedam boni.*

Privatio autem, prout ad praesens expectat negotium, posset *dupliciter* accipi: — *Uno modo* per *remotionem* vel *corruptionem* alicuius entitatis *inexistentis actualiter;* et talis *privatio* est *mutatio,* quia ab *esse* ad *non esse,* ut quando aliquis habens oculos *privatur oculis.* — *Alio modo* acci-

(1) V. 16.

pitur *privatio* pro *remotione* alicuius entitatis *potentis* vel *debitae inexistere:* ut quando homo *nascitur caecus,* dicitur *privatus* esse *oculis;* non quia aliquando habuit oculos, et ipsis sit privatus, sed quia *cum deberet* habere oculos, *non habet.*

Modo *peccatum* non est *privatio primo modo,* quia *nihil corrumpit* nec adimit tali modo, nec de corpore, nec de anima, nec de natura, nec de gratia, nec de habitibus aliis, prout quidam dicere volebant, quod corrumperet naturam, alii quod gratiam, alii quod habitus in anima existentes, quorum opiniones locum habent in *II. Sentent. circa dist.* 35 (1). — *Miscell.* q. 3. n. 3. * *ubi praedictas refellit opiniones* *, concludens n. 5:

Sic ergo patet, quod peccatum non est privatio *primo modo* accepta. Si ergo est privatio, oportet quod sit privatio *secundo modo* accepta; quae est privatio boni alicuius debiti inexistere. — Et quod talis privatio sit peccatum, probo: primo per Augustini *auctoritatem* allegatam, et Anselmi, *De conceptu virginali* et *De casu diaboli* c. 16., ubi ex intentione hoc probat; vide eum ibi.

Probo etiam per *rationem:* agens inferius, in cuius potestate est se conformare vel non conformare agenti superiori, cui etiam se tenetur conformare in determinatis conditionibus et circumstantiis rectitudinis, quae simpliciter debent inesse actui vel effectui, si non conformat se illi, dando ipsi actui debitas circumstantias rectitudinis quae debent ipsi inesse, privat illum actum rectitudine quae deberet ei inesse: sed tale agens est voluntas creata; ergo voluntas creata privat ipsum actum sua debita rectitudine quae deberet ei inesse: sed qui ita privat actum debita circumstantia rectitudinis, quae deberet inesse actui, et non conformat se agenti superiori, peccat; cum ergo peccat non se conformando, sequitur quod *peccatum* nihil aliud est quam *non conformitas,* vel *privatio rectitudinis debitae* inesse actui.

Quae autem sint *circumstantiae rectitudinis,* quae *debent* inesse actui determinato, ab agente superiori, in secundo *Sententiarum dist.* 36. poterit videri, ubi de hoc habetur mentio specialis (1).

(1) Cfr. ibi Doctor. et dist. 37.

Peccatum ergo *mortale* est *non conformitas* sive *privatio circumstantiae* sive *rectitudinis debitae et necessariae simpliciter inesse actui,* ad hoc ut sit bonus *moraliter* vel *meritorie cum proposito non tribuendi talem rectitudinem ipsi actui.* — *Ib.* n. 5.

Quod autem ipsum *peccatum mortale* privat animam vita aeterna, istud est tantum *demeritorie,* quia *poena peccati* quae infligitur pro peccato *non est ipsa quidditas* sive definitio *ipsius peccati mortalis.*

In praedicta autem descriptione *non conformitas* sive *privatio rectitudinis* est *genus* ipsius *peccati;* et ideo *peccatum mortale* et *veniale* non differunt *genere,* quia tam peccatum mortale quam veniale sunt *privationes rectitudinis.* — Sed *circumstantiae et rectitudines debitae et necessariae simpliciter inesse actui, ad hoc quod sit bonus moraliter, cum proposito non tribuendi rectitudinem,* sunt differentiae separantes peccatum *mortale* a *veniali;* quia *privatio* vel *omissio* alicuius *rectitudinis* vel *circumstantiae congruae* et *utilis,* per quam *perfectius* et *melius* actus produceretur, *non* tamen *necessariae simpliciter* ipsi actui, ad hoc quod sit *bonus moraliter,* est peccatum *veniale;* privatio autem circumstantiae vel rectitudinis *necessariae simpliciter* ipsi actui, ad hoc quod sit *bonus moraliter,* vel rectitudinum, si plures desunt, cum proposito non tribuendi, est *peccatum mortale.* — Addidi autem: *cum proposito non tribuendi talem rectitudinem;* quia si actus privatur necessaria rectitudine per *violentiam insuperabilem,* ut si quis per manum meam violenter idolis thura offerat, non pecco mortaliter; vel si etiam privetur actus rectitudine ex *ignorantia invincibili* non affectata, nec crassa, vel occasionata, ut est cum quis in ebrietate committit homicidium, quia talis duplici poena dignus est, secun-

(1) Vid. *Actus bonus naturaliter — moraliter etc.* = *Bonitas et malitia triplex.*

dum Philosophum in *III. Ethicorum, cap.* 5., sed ignorantia invincibili, non peccat quis mortaliter privando sic actum necessaria simpliciter rectitudine. — *Ib.* n. 6.

Peccatum est *corruptio rectitudinis in actu secundo,* non autem *naturalis,* nec cuiuscumque *habitualis.* — Sed non intelligo de *corruptione* quae est *mutatio* de *esse* ad *non esse;* potest enim *peccatum* manere post talem mutationem iustistiae ab *esse* in *non esse;* sed intelligo corruptionem *formaliter,* sicut *privatio* dicitur *formaliter corruptio sui habitus;* hoc enim modo peccatum est formaliter *corruptio rectitudinis in actu secundo,* quae opponitur illi rectitudini, ut privatio habitui: non quidem rectitudini quae *inest,* quia tunc opposita simul inessent; nec quae prius *infuit* illi actui, quia actus non manet, ut possit alterari ab opposito in oppositum; sed quae *deberet inesse.* Voluntas enim libera debitrix est, ut omnem actum suum eliciat conformiter regulae superiori, scilicet, secundum divinum praeceptum; et ideo quando agit *discorditer* ab illa regula *caret* iustitia *actuali debita.* Haec est iustitia quae *deberet inesse* actui, et non in est, et haec carentia, inquantum est actus voluntatis deficientis, est *formaliter peccatum actuale.* — *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 6.

Istud patet per actoritates: primo per August. lib. *De duabus animabus: Peccatum est voluntas consequendi vel retinendi quod iustitia vetat, et a quo liberum est abstinere.* Hoc est dictum breviter: *peccatum* est *velle vetitum;* ita quod ipsa voluntas est ibi *materialis,* et pro tanto totum imputatur voluntati, quia totum est in potestate eius. *Vetitum* autem vel prohibitum est ibi *formale,* quod significat *discordiam* a regula superiori. — Similiter Ambros. *in lib. De Paradiso,* et ponitur in littera: *Peccatum est coelestium transgressio mandatorum, etc.* — Huic etiam consonat quod dicit August. *De Civit. lib.* XII. c. 8: *In eo fit mala voluntas, quod si nollet, non fieret mala, et ideo non necessarios, sed voluntarios defectus iusta consequitur poena. Deficit enim non ad mala, sed male, id est, non ad malas naturas, sed ideo quia contra ordinem naturarum ab eo quod summe est, ad illud, quod minus est, etc.* Quare cum ibi, quasi diceret: iste actus positivus volendi creaturam non est *formaliter peccatum,* sed *carentia debiti ordinis* in actu illo, quo illud debet amari propter summum bonum, a quo ordine deficit voluntas quiescens in bono creato; et iste *defectus* est *formaliter peccatum.*

Cum istis auctoritatibus consonat ratio: quia *omne peccatum* est *iniustitia formaliter,* et *tale* peccatum *talis* iniustitia, et per consequens privatio *talis* iustitiae; ergo *peccatum actuale* est *formaliter iniustitia actualis;* ergo et privatio iustitiae *actualis,* scilicet iustitiae quae *deberet esse in actu.* — *Ib.* n. 7.

Est igitur *peccatum actuale privatio rectitudinis actualis,* vel *carentia iustitiae actualis natae inesse cum debito habendi eam.* — Et sic intelliguntur auctoritates Augustini, quod *peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei;* ita quod *dictum* vel *factum* ponitur loco *generis* vel *subiecti,* sicut definiuntur *concreta* ponendo *subiectum* loco *generis;* et *contra legem Dei* est *formale* in peccato. — Similiter *peccatum est voluntas recipiendi quod iustitia vetat; voluntas recipiendi* est *subiectum;* sed *quid iustitia vetat* est *differentia* vel *formale,* ita quod *vetitum* est *formale* in peccato. — Ex his sequitur quod *principale* in peccato est *aversio.* — Sed hoc potest intelligi *dupliciter* (1): Potest enim aliquid averti a Deo *formaliter,* vel *virtualiter.* — *Primo* modo dicitur *contrarie* vel *negative. Contrarie,* ut *odire* Deum, si hoc sit possibile in entibus. *Negative, non diligere* Deum *quando oportet.* Et neutro istorum modorum potest dici universaliter quod omne peccatum est *aversio* a Deo *formaliter.*

Alio modo dicitur *aversio virtualiter,* quando aliquis avertit immediate se ab illo quod est *necessarium* ad salutem: sicut quando aliquis negat conclusionem quae *virtualiter* includitur in principio, ipse avertitur *formaliter* a *conclusione, virtualiter*

(1) Vid. *Aversio a fine ultimo multiplex.*

a *principio*. Sic in ordinatis ad salutem necessario, quando aliquis avertit se ab aliquo quod est ad finem *necessarium* aversione *formali, virtualiter* avertitur a *fine;* et quanto illud a quo avertitur *formaliter* est *propinquius* fini, tanto *peior* est illa *aversio formalis,* caeteris paribus; ideo *odium Dei,* si est in natura, est *maximum peccatum;* deinde aversio *formalis* a Deo *negative;* et deinde aversio *virtualis propinquior. Graviora* enim sunt quae sunt contra primam Tabulam, quam contra secundam, caeteris paribus. — Et sic omne peccatum est *aversio a bono incommutabili, virtualiter* vel *formaliter.*

Dico igitur, quod *principale* in peccato non est *conversio* ad bonum commutabile, sed *aversio* a bono incommutabili; quare *conversio* ad bonum commutabile non *formaliter* opponitur dilectioni Dei. Hoc patet per Augustinum, *XII. de Civit. Dei* cap. 4: *Ideo malum, quia contra ordinem naturae eius a quo summe est.* Igitur *aversio* est *totum* quod est de ratione peccati, quia contra voluntatem Dei. — *Report.* II. d. 35. nn. 10-11.

Peccatum Adae. — Dico primo, *quod* fuit peccatum primum Adae. — Actus voluntatis potuit esse *nolle* et *velle,* et primus actus non potest esse *nolle.* — *Velle* est *duplex: amicitiae,* et *concupiscentiae;* et prius est *velle amicitiae* quam *concupiscentiae.*

Primum peccatum Angeli fuit in actu *velle amicitiae,* ut videtur per Augustinum *XIII. De Civit. Dei;* tamen non similiter *velle amicitiae* fuit peccatum hominis et Angeli, quia homo non primo intellexit se, quia intellectionem accepit ex sensibilibus; Angelus vero prius intellexit se quam aliam creaturam, quia illud fuit sibi prius intelligibile; non sic autem homo. — Ideo sicut *primum peccatum* Angeli fuit *diligendo se immoderate* amore *amicitiae,* sic *primum peccatum* Adae fuit *diligendo immoderate mulierem* amore *amicitiae,* non ad peccatum *carnis* vel amore *libidinis,* quia illud peccatum nondum fuit, nec talis appetitus inordinatus, sed solum *placendo contra legem Dei.* — Et sic potest esse peccatum inter homines, non cogitando aliquid turpe carnis, sed in *placendo sibi,* quamquam sit contra legem Dei. — Illud igitur fuit *primum peccatum* Adae, primo *immoderate diligendo mulierem,* sicut posset aliam quamcumque creaturam rationalem.

Secundo sequabatur peccatum *gravius* placendo sibi *in eo quod fuit contra legem Dei;* et sic multoties proceditur a peccato leviori ad gravius. — Nec voluit Adam esse aequalis Deo, sicut nec Angelus fuit ita obstinatus, quin vidit hoc esse simpliciter impossibile.

Primum peccatum Adae fuit *multo levius,* quam multa quae fiunt modo a peccatoribus, ita quod si ille fuisset damnatus pro illo, multo minorem poenam habuisset quam multi qui modo damnantur pro peccatis suis. — Unum * enim * peccatum potest dici *maius* alio, vel quia *bonitas* qua privat formaliter peccantem est *maior* quam bonitas qua privet aliud peccatum, vel quia peccatum unum est *contra plura praecepta* et *magis ardua* quam sit aliud. — Nunc autem, neutro modo fuit peccatum primum Adae *maximum;* non enim privabat formaliter bonitate maxima, quia non fuit * directe * circa maximum bonum, etsi *indirecte* privabat bono maximo; neque fuit contra *arduissimum* praeceptum *directe,* neque contra *plura ardua,* quia primum praeceptum est: *Diliges,* etc.; secundum, de dilectione proximi. Contra *primum* non fuit *directe,* neque contra *secundum,* quia excessus diligendi minus est contra illa praecepta, quam sit odium Dei vel proximi, esto quod Deus posset odiri. — Nunc autem, peccatum, quod solum est peccatum *quia prohibitum,* minus est peccatum formaliter, quam illud quod *in se malum* est, et non quia prohibitum. Nunc autem, comedere de illo ligno non plus fuit peccatum de genere actus, quam de alio ligno, sed *solum quia prohibitum.* Sed omnia peccata quae sunt circa decem praecepta formaliter non *tantum sunt mala quia prohibita,* sed *quia mala, ideo prohibita;* quia ex lege naturae, oppositum cuiuslibet fuit malum, et per naturalem rationem potest homo videre quod quodlibet praeceptum ex illis est tenendum.

Adam igitur ex illo peccavit, ut *foret socius*, sicut multi propter societatem communem faciunt inhonesta contra Dei praecepta. Mulier tamen seducta erat, et ipsa simpliciter gravius peccavit, et multiplicius, per se loquendo. Ipsa enim ex verbis serpentis bene potuit seduci et peccare peccato graviori quam Adam; dixit enim serpens sibi, *eritis sicut dii;* Adam in nullo fuit ex hoc motus.

Tamen aliquando potest dici *peccatum gravius accidentaliter* ex circumstantiis accidentalibus, ut *ex dignitate* personae, vel quia *fortius potest resistere;* et sic *accidentaliter* Adam peccavit *gravius,* ex dignitate personae, et quia fortius potuit resistere quam mulier tentationi diaboli. Sibi enim data fuit iustitia originalis, ut *eam conservaret pro se,* et *pro posteritate,* vel *perderet pro se,* et *eis;* et non sic fuit tradita mulieri, quia si * solummodo * Eva pecasset, non sic peccasset *pro posteritate* sicut Adam; et ideo quantum ad circumstantias *accidentales* Adam *gravius* peccavit simpliciter per *se Eva.* — *Report.* II. d. 22. nn. 2-4. — *Oxon.* II. d. 21. q. 2.

Peccatum commissionis — omissionis. — Peccatum *omissionis* non ideo distinguitur contra peccatum *commissionis,* quasi peccatum *commissionis* sit tantum privatio alicuius rectitudinis debitae inesse actui, et non peccatum *omissionis;* sed ideo distinguitur peccatum *omissionis* contra peccatum *commissionis,* quia peccatum *omissionis* * ordinarie * dicitur tantum illico quando voluntarie privatur et negligitur actus *exterior* debitus exerceri; sed peccatum *commissionis* potest cadere tam in actu *interiori* quam *exteriori.* Et ex hoc patet, quod peccatum *omissionis* est quid *particulare* respectu peccati *commissionis;* et * ordinarie * respicit tantum privationem actus *exterioris.* — *Miscell.* q. 3. n. 9. — Cf. *Oxon.* IV. d. 22. n. 2.

Peccatum cordis — oris — operis. — Ad quaestionem * *utrum divisio a Hieronym. tradita peccatorum in peccata* cordis, oris, operis *sit sufficiens?* * dicendum, quod Hieron. non dividit hic *peccatum actuale formaliter,* nec subiectum peccati *formalis,* quia hic est actus *voluntatis,* et non *cogitatio,* nec *sermo,* nec opus *exterius;* nec etiam dividit *originale* peccatum, quia illud est solum in anima; sed distinguit hic tantum *subiectum materiale* peccati. — Et posset contineri illa divisio peccati sub duplici membro, scilicet: quod quoddam est peccatum in actu *interiori,* quoddam consistit in actu *exteriori.* — *Primo* modo est peccatum *cogitationis.* — *Secundum* subdividitur: quia sic continet *locutionem* et *operationem,* quia locutio maxime convenit homini ut est rationalis et ut est homo, quia ut sic est communicativus. Et sic circumloquimur actum *exteriorem* per *duo membra.* — Et debet intelligi divisio *positive* quoad peccatum *commissionis, negative* quoad peccatum *omissionis,* in *cogitatione locutione,* et *opere.* — *Oxon.* II. d. 42. q. 4. n. 20.

Peccatum dupliciter consideratum. — *Peccatum* potest intelligi *dupliciter,* et hoc loquendo de peccato *actuali:* — *Uno* modo ipsa *inordinatio actualis.* — *Alio* modo *obligatio ad poenam sequens illum actum.* — *Primum* dicitur *culpa* in actu: *secundum* dicitur *reatus* sequens ex illa culpa (1).

Illa autem *obliquitas,* quae proprie nata est esse in actu, non proprie manet post actum: tum quia privatio, quae nata est inesse determinato subiecto, non proprie manet sine illo subiecto: tum quia tunc opposita possent simul esse; si enim aliqua inordinatio propria culpae *odii* fraterni remaneret post actum, et postea sequeretur *fruitio* eiusdem fratris, essent simul culpae oppositae, quia odium immoderatum et immoderata fruitio eiusdem personae.

Ex hoc igitur sequitur, verum esse quod post actum peccati transeuntem nihil praeter *iniustitiam habitualem,* id est, carentiam gratiae, manet in anima, nisi obligatio propria ad *poenam* correspondentem culpae actuali. — *Oxon.* IV. d. 22. n. 3.

Peccatum ex ignorantia triplex. — Proprie loquendo, *peccatum ex ignorantia* est *triplex:* vel ubi ignorantia est *causa;* et

---

(1) Vel clarius: « *Peccatum* uno modo potest accipi pro *ipso actu elicito deformi,* loquendo de peccato *commissionis.* — *Alio* modo pro *macula* quae remanet post actum elicitum, sive pro *reatu* permanente quousque peccatum fuerit deletum per poenitentiam ». — *Oxon.* II. d. 28. n. 7. — *Report.* II. d. 28. n. 2.

sic *praecedit* peccatum, quia si sciret non peccaret, et sic est quasi dispositio ad peccatum. — *Secundo* modo *concomitatur* peccatum; sic enim dicitur *peccare ignorans*, vel aliquis peccando ignorare. — *Tertio* modo potest ignorantia *sequi* ex peccato, quasi *poena* eius.

Item distinguitur, quod potest accipi pro simplici *nescientia*, vel pro ignorantia *erronea*.

Item distinguitur, quod potest esse ipsius *facti in se*, vel *quoad aliquas circumstantias*, vel quoad *aliquid consequens*. — *Oxon*. II. d. 22. n. 2.

Peccatum infinitum. — *Peccatum* non dicitur *infinitum* nisi quia *separat ab infinito:* non quod *formaliter malitia* sit *infinita;* quia talis et tanta est quanta est bonitas quae nata fuisset inesse illi actui, si secundum debitas circumstantias fuisset elicitus: sed haec non fuisset *infinita*, nec possibile fuisset esse infinitam, nisi pro tanto quia *coniungit infinito*. — *Oxon*. IV. d. 50. q. 6. n. 16.

Peccatum in Spiritum Sanctum. — Omne peccatum est *aversio a Deo* et *conversio ad creaturam*. Inquantum ergo peccatum *virtualiter* vel *formaliter* avertit a Deo, et inquantum cedit in irreverentiam alicuius Personae, non potest avertere ab una Persona, nisi avertat ab alia *virtualiter*, nec ut sic potest peccare aliquis in unam Personam, nisi *virtualiter* peccet in aliam. — *Report*. II. d. 43. n. 2.

Sed isto modo non accipitur *peccatum in Spiritum Sanctum*, ut, scilicet, aliquis peccet in ipsum et non in aliam Personam. Sed dicitur *peccare in Spiritum Sanctum*, non proprie, sed *appropriate:* ut quia peccatum aliquod est contra *appropriatum* Spiritui Sancto dicitur esse *peccatum in Spiritum Sanctum;* secundum quod dicimus, quod *bonitas* aut *potentia appropriatur Patri*, et ideo peccatum ex *infirmitate*, sive ex passione, dicitur esse *appropriate contra Patrem;* et *sapientia attribuitur* Filio; ideo peccatum *ex ignorantia* dicitur esse *contra Filium*. — *Ib*. n. 4.

Dico tamen breviter, quod omne peccatum quod est in voluntate, non praecedente perturbatione, nec passione, nec ignorantia in ratione, est peccatum *ex certa malitia* (1); et sic forte peccavit Adam, quia in eo non fuit perturbatio ex passione praecedente, nec ignorantia. Sed tamen non omne peccatum ex malitia, nec sine perturbatione voluntatis, et ignorantia, est *peccatum in Spiritum Sanctum*, quia sic *peccatum in Spiritum Sanctum* non esset *gravissimum*. peccata enim *ex certa malitia* possunt esse contra praecepta *secundae* Tabulae, quae non sunt gravissima, quia tantum *virtualiter* avertunt a fine. Oportet ergo quod *peccatum * in Spiritum Sanctum ** sit contra praeceptum *primae* Tabulae, quia tunc actualiter et *formaliter* avertit ab illo perfectissimo et ultimo fine.

Nec adhuc omnia peccata contra praecepta *primae* Tabulae sunt *in Spiritum Sanctum;* quia oportet ad hoc quod sit peccatum *gravissimum*, quod opponatur actui *perfectissimo conversivo* ad Deum; et sic quia actus charitatis, ut dilectio Dei, est actus perfectissimus conversivus ad Deum, si haberet oppositum, scilicet, *odium Dei*, hoc esset *maximum* peccatum. Sed non credo, quod actus charitatis habeat actum contrarium oppositum, quia non potest Deus odiri ab aliqua voluntate; non ergo *peccatum in Spiritum Sanctum* est *odium Dei*, quia *formaliter* non potest odiri.

---

(1) « Voluntas enim, quia *coniuncta est appetitui sensitivo*, nata est condelectari sibi, et ideo peccans occasionaliter, ex inclinatione appetitus sensitivi ad suum delectabile, peccat ex *passione*, quod dicitur peccatum *ex infirmitate* sive ex *impotentia*, et est *appropriate* in Patrem, cui attribuitur *potentia*.

Ipsa etiam agit *per cognitionem intellectualem;* et ideo, ratione errante, ipsa recte non vult; et peccatum eius ex errore rationis dicitur peccatum *ex ignorantia;* et est contra Filium, cui attribuitur *sapientia*.

Tertium etiam esset peccatum ipsius *secundum se, ex libertate sua*, non condelectando appetitui sensitivo, neque ex errore rationis; et istud est recte *ex malitia*, et *appropriate* contra Spiritum Sanctum, cui appropriatur *bonitas*.

Si tamen non ponatur voluntas creata posse velle malum sub ratione mali, adhuc potest assignari peccatum *ex certa malitia* quando voluntas *ex libertate sua*, absque passione in appetitu sensitivo et errore in ratione, peccat; ibi enim est *plenissima ratio peccati*, quia nihil aliud est a voluntate alliciens eam ad malum, sed ex pura libertate, sine alia occasione extrinseca, eligit sibi malum velle ». — *Oxon*. II. d. 43. q. 2. n. 2.

Cum ergo post dilectionem Dei, actus *perfectissimus* quo voluntas tendit in Deum sit *actus spei*, oppositum eius erit peccatum *gravissimum;* et hoc est peccatum *desperationis*, sive *obstinationis in malo cum desperatione et proposito non poenitendi;* et hoc est *peccatum in Spiritum Sanctum.* — *Ib.* n. 5.

Secundum hoc, ad *peccatum in Spiritum Sanctum tria* requiruntur scilicet: quod sit ex *certa malitia*, et quod sit actus oppositus *perfectissimo actui conversivo* in Deum; et hoc modo est *peccatum in Spiritum Sanctum;* et est finalis *impoenitentia:* non quia homo decedit sine poenitentia, sed quia *habet propositum de numquam poenitendo*, et oritur ex desperatione. — Et sic dicit Augustinus *in lib. De fide ad Petrum*, quod pessimi hominum incidunt in hoc peccatum, ut patet de Cain, qui dixit Genes. 4 (1): *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Credidit enim Dei *misericordiam* esse minorem suo delicto; et *misericordia* est *bonitas* Dei, quae *appropriatur* Spiritui Sancto; et ideo dicitur *peccatum in Spiritum Sanctum.* Eodem modo Iudas, *Matth. 27.*(2) et ponitur in littera 1. cap.

Est autem huius peccati assignatio, de quo dicit Augustinus *primo libro De sermône Domini in Monte*, quod *Iudas facilius desperans incurrit in laqueum, quam humiliatus veniam petere;* et de numero isto fuit ille Achitofel, *II. Reg.* 17 (3).

Dicitur autem illud peccatum *irremissibile*, non simpliciter. Unde, secundum Magistrum in littera, hoc peccatum non remittetur hic, nec in futuro, quando *non habet poenitentiam comitem;* sed hoc convenit cuilibet peccato mortali. — Verumtamen hoc peccatum dicitur *irremissibile* eo modo quo nullum aliud peccatum est irremissibile. — Et hoc dicitur *dupliciter: Primo*, quia nullum aliud peccatum opponitur *directe* principio remissionis in remittente: sed illud peccatum est *directe contra principium remissionis* peccati in remittente, ex eo quod *aufert misericordiam a Deo*, quae est principium remittendi peccatum, et non dat sibi nisi *iustitiam;* et hoc habet inquantum est cum desperatione; talis enim diffidit et desperat de misericordia Dei. — *Secundo*, quod *corrumpit dispositionem* ad remissionem in eo cui debet remitti; quia principium dispositivum ad remissionem peccati in peccatore est *quaedam displicentia* de peccato et conversio ad Deum: illud autem peccatum, inquantum habet *propositum de non poenitendo* in tali obstinato, tollit omne tale dispositivum. — *Ib.* n. 6. — *Oxon.* ib. q. 1. n. 5. seqq.

Peccatum — in peccato multipliciter potest quis esse. — *Tripliciter* aliquis potest intelligi *esse in peccato mortali:* vel quia tunc *actualiter peccat*, ut habens propositum peccandi, et voluntatem actualiter malam et peccantem, cum peccatum sit principaliter in voluntate: vel quia *placet sibi de peccato commisso* praeterito: vel *exterius actualiter operatur malum* et *peccatum.* Et istis *tribus* modis *actualiter* peccat. — *Alio modo* potest dici aliquis *in peccato*, quia post peccatum commissum *non poenituit de eo;* et isto modo dicitur esse *in peccato*, quia non est sibi remissum quousque poeniteat. — *Tertio modo* aliquis contritus de peccato prius commisso, et tamen *non confesso*, dicitur *esse in peccato;* et iste licet non sit peccator quantum ad *maculam*, quia poenituit, est tamen quantum ad *reatum*, quia adhuc obligatur ad confessionem per Ecclesiam, si oportunitas Sacerdotis occurrat. — *Report.* IV. d. 9. n. 2. — *Oxon.* ib.

Permanere in peccato potest intelligi *tripliciter:* — *Primo*, permanere in *reatu:* sicut peccator, postquam commisit actum, permanet in reatu usque ad terminum, quando non poenitet. — *Secundo*, ut habet * (peccator) * rationem *demeriti* in actu. — *Tertio* modo potest intelligi quod *permaneat in peccato*, ut in actu *elicito deformi;* et hoc *dupliciter:* vel permanendo in hoc actu *continue* et *perpetuo;* vel nunc in *uno*, nunc in *alio.* — *Report.* IV. d. 7. q. 3. n. 22.

Peccatum — iustitia — iniustitia. — Sciendum quod *peccatum*, secundum Ansel-

(1) v. 12.
(2) v. 5.
(3) v. 23.

mum, *De Conceptu virginali*, cap. 4., *est formaliter iniustitia, sive privatio et carentia iustitiae debitae quae sibi deberet inesse.* — *Iustitia* vero *duplex* est: una *habitualis*, ut charitas; alia *actualis*, ut bona operatio elicita secundum eam, et recta. Non solum enim dicitur aliquis *iustus*, quia habet habitum iustitiae, quia sic existens in charitate, et semper dormiens, tantum esset *iustus;* sed quia *operatur conformiter inclinationi suae* * (iustitiae) * *et regulae rationis rectae*, quae est regula in actibus humanis. Nam unumquodque est bonum et rectum quando conformatur suae regulae.

Et quoniam *idem est susceptivum contrariorum, et toties dicitur unum contrariorum, quoties et reliquum*, ideo dicitur *iniustitia dupliciter: uno* modo iniustitia *habitualis*, quae est *carentia iustitiae habitualis.* — *Alio* modo dicitur iniustitia *actualis*, quae est *carentia et privatio operationis iustae:* ut quando elicitur contra inclinationem habitus iustitiae, quae est regula sua, et contra rectam rationem. — Iniustitiam igitur *actualem* possemus vocare peccatum *actuale;* iniustitiam *habitualem* peccatum *habituale.* — *Report.* IV. d. 14. q. 1. n. 3. — *Oxon.* ib.

Peccatum mortale — veniale. — In peccato *mortali* concurrunt duo actus: *positivus* ut *materiale*, et privatio *iustitiae debitae* ut *formale.* — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 9.

Peccatum mortale non distinguitur a *veniali* in hoc, quod unum est respectu *finis*, ut *mortale*, et aliud * respectu * *eorum quae sunt ad finem*, ut *veniale;* sed utrumque potest esse et circa ea quae sunt ad finem, et circa finem. Sed in hoc distinguuntur, quia peccatum *mortale* est deordinatio opposita ordinationi *sine qua finis non potest sequi aliquo modo;* quae quidem ordinatio habet praeceptum contra quod deordinatio fit; et ideo omnis deordinatio cadens sub praecepto * de necessario ad finem * avertit a fine necessario. — Sed alia est ordinatio quae potest esse respectu finis sequendi quae *non est necessaria*, sed *utilis*, quae non est de praecepto * necessario *, sed potius de consilio * vel de praecepto non necessario ad finem *; et *deordinatio opposita* huic est peccatum *veniale;* nec facit cadere a fine necessario, sed facit, quod actus non procedat meliori modo quo potest. — *Ib.* d. 21. q. 1. n. 3. — *Report.*

Peccatum originale. — Dicit Anselmus in lib. *I. de Concep. Virg.* cap. 27: *Per peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adae iustitiae debitae nuditatem, per quam omnes sunt filii irae.*

Ista ratio *peccati originalis* probatur ex hoc, quia *peccatum* formaliter est *iniustitia; iniustitia* autem, secundum eum ibi cap. 5, et 16. *De casu diaboli*, non est nisi *carentia iustitiae debitae.* — Dico igitur, quod *peccatum originale*, quod est carentia iustitiae originalis, non est *nisi carentia iustitiae debitae.*

Et si obiicitur, quod aliqui Sancti videntur dicere *concupiscentiam* esse *peccatum originale;* respondeo: *concupiscentia* potest accipi, vel prout est *actus*, vel *habitus*, vel *pronitas* in appetitu *sensitivo;* et nullum istorum est *formaliter peccatum*, quia non est peccatum in parte sensitiva, secundum ipsum cap. 3, et 4. ibi: vel potest accipi prout est pronitas in appetitu *rationali*, id est, in *voluntate* ad concupiscendum delectabilia immoderate, quae nata est condelectari appetitui sensitivo, cui coniungitur, et hoc modo *concupiscentia* est *materiale* peccati originalis, quia per carentiam iustitiae originalis, quae erat sicut fraenum cohibens ipsam ab immoderata delectatione, ipsa, non *positive*, sed *per privationem* fit prona ad concupiscendum immoderate delectabilia: sicut exemplificat cap. 5 de *navi*, fracto gubernaculo, et de *equo*, fracto fraeno, qui dimittitur sibi, et ex hoc exequitur motum inordinatum, quem cohiberet illud fraenum. Sic ad propositum.

Per hoc solvitur quaestio, qua quaeritur *quid sit peccatum originale.* — Est enim *formaliter carentia iustitiae originalis debitae, et non qualitercumque debitae,* * sed * *quia acceptae in primo parente, et in ipso amissae, cui* * peccato * *corre-*

spondet poena damni dumtaxat, ex praemissa criminis transgressione proveniens. Et ideo Adam non habuit *peccatum originale,* quia illud debitum non fuit ad ipsum traductum per aliquem parentem, sed ipse in se accepit illam iustitiam, et actu suo amisit. — *Oxon.* II. d. 32. n. 7.

Ad istud peccatum concurrunt *duo: carentia iustitiae,* scilicet, ut *formale,* et *debitum habendi eam* ut *materiale,* sicut in aliis privationibus concurrit *privatio,* et *aptitudo* ad habitum. *Debitum* istud a Deo statuente legem istam: do iustitiam tibi Adae, et omnibus filiis tuis naturalibus do eadem datione, quantum est ex parte mea: et ideo ex hac datione tenentur omnes eam habere, et ex patre propagante, per cuius actionem iste est filius naturalis Adae; ergo hoc debitum per nullas rimas ignotas intrat, sed per istas duas causas positivas. Illa autem carentia non habet causam, nisi *negative,* scilicet non dantem iustitiam originalem. Cuius si quaeratur ulterius causa, non est nisi *demeritoria,* quia, scilicet, Adam demeruit ne iustitia originalis daretur. *Negativa* non dans, Deus est; *demeritoria, quare* non datur, Adam peccans. — *Ib.* n. 15.

* Quibus, maioris claritatis gratia, sequentia adiungimus: * Anselmus, *De Conceptu virginali, cap. 27., de peccato originali* dicit: ***Peccatum illud, ad quod parvuli tenentur, aliud videre nequeo, nisi carentiam iustitiae originalis cum debito habendi eam.*** Et secundum eumdem omne *peccatum* est *formaliter iniustitia: iniustitia* vero est *carentia iustitiae; iniustitia* igitur *originalis* potest dici *peccatum originale.*

In speciali notifico: — Uno modo posset aliquis *iustitiam immediate* accipere, et *immediate* per actum suum eam perdere; ille esset *iniustus;* sed tamen non esset in eo iniustitia *originalis,* sed *actualis;* quia non secundum *viam originis* eam amisisset, nec eam accepisset.

Ideo proprie peccatum *originale* est *carentia iustitiae debitae propter acceptionem parentis, et amissae propter peccatum eiusdem;* ita quod parens accepit eam, et propter hoc filius est *debitor,* et est amissa per actum parentis, et ideo filius ipsa *caret.* — *Report.* II. d. 33. n. 14.

Peccatum originale virtualiter opponitur *gratiae,* sed *non formaliter;* quia sicut nunc regulariter *iustitia moralis* est necessaria operanti *meritorie,* sic tunc *iustitia originalis* fuit praevia, sed non sufficiebat ad operandum *meritorie.* — Sic igitur patet, quod *peccatum originale* est *carentia iustitiae originalis,* et non formaliter *concupiscentia,* nec *ignorantia.* — *Ib.* n. 15. — Cfr. — *Miscell.* q. 3. n. 9.

Pelagus perfectionum in Deo. — Vid. *Deus.*

Per accidens dupliciter accipitur. — *Per accidens* capitur *dupliciter:* — *Uno modo* pro *ente diviso contra substantiam,* eo modo quo *quantitas* et *qualitas* dicuntur esse *accidentia.* — *Alio modo* pro *esse extra rationem alicuius tertii,* quomodo per tale *accidens* causatur fallacia *accidentis;* et hoc modo *superiora* possunt *accidere inferioribus,* et e contra, ut dicendo sic: *homo est species: Socrates est homo; ergo Socrates est species.* Hic *accidit inferius superiori,* quia *homini,* ut stat sub illo praedicato quod est *species, accidit* quod praedicetur de *Socrate,* et Socrates est *extra rationem eius.* Similiter dicendo sic: *Socrates est individuum: Socrates est homo; ergo homo est individuum.* Hic *accidit superius inferiori;* quia ipsi *Socrati* ut stat sub illo praedicato quod est *individuum, accidit* quod sit *homo,* vel quod *homo* de ipso praedicetur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 1. n. 11. — Vid. *Per essentiam dupliciter accipitur.*

Per accidens — per se logice et metaphisice. — Longe aliud est loqui de *accidente* apud *Logicum* et apud *Metaphysicum;* quia *accidens* apud Logicum est *intentio secunda;* sed *accidens* apud Metaphysicum est res *primae intentionis.* Et licet communiter *intentio secunda* non fundetur nisi in re *primae intentionis,* tamen non repugnat intentioni secundae posse fundari in alio quam in *accidente metaphysico.* — *Report.* III. d. 7. q. 1. n. 6.

Sicut apud Metaphysicum et apud Logicum aliter accipitur *accidens,* sic *ens per accidens* apud Metaphysicum dicitur quando

ex duobus non fit per se unum. Sed Logicus dicit aliquid *per accidens* quando *in subiecto non est ratio praedicati*, et *per se* quando *in subiecto est ratio praedicati.* Unde apud Metaphysicum *rationale* et *animal*, ex quo faciunt *unum per se*, non dicuntur *per accidens unum*, quia non faciunt unum *per accidens* apud Metaphysicum; tamen apud Logicum dicitur ista *per accidens, rationale est animal*, ac si nullum unum *per se* faceret, quia *unum non includit per se rationem alterius.* — *Ib.* n. 7. — *Oxon.* ib. n. 6.

Perceptio — Apprehensio. — De *apprehensione* distinguitur * ab Henrico *, quod aliud est *apprehensio*, aliud *perceptio:* quia *apprehensio* sensitiva habet pro obiecto ipsum *sensibile:* puta apprehensio visus colorem, auditus sonum; sed *perceptio* annexa apprehensioni habet pro obiecto *nocivum tristans* vel *proficuum laetificans* sensum. — *Oxon.* III. d. 15. n. 5.

Contra illud de differentia *perceptionis* et *apprehensionis*, quia videtur quod unius potentiae non sit nisi unus perfectus actus simul; igitur sensus circa obiectum suum non sunt ponendi simul duo actus, licet idem ut perfectus posset dici *perceptio*, et ut imperfectus posset dici *apprehensio.* — Unde *apprehensio* dicitur quando propter distractionem sentientis intus occupati intentionaliter propter operationem vel circa actiones aliarum potentiarum, operatio sensus est imperfecta; et quando potentia superior concurrit copulans potentiam inferiorem cum obiecto facit attentionem, et per consequens actus est intensior, qui dicitur *intentionalis perceptio.*

Si etiam ista deberent distingui, magis videtur *perceptio* remota a *dolore* quam *apprehensio;* quia magis videtur delectabilis *operatio*, quam exprimit *perceptio*, quam *passio*, quam videtur exprimere *apprehensio.* — *Ib.* n. 7.

« Per essentiam » dupliciter accipitur. — *Per essentiam* accipitur *dupliciter:* — *Uno modo* ut opponitur ei quod est *per accidens*, sicut illud quod praedicatur de subiecto *per essentiam* subiecti convenit sibi per essentiam suam; sicut opposito modo *per accidens* convenit alicui quod non praedicatur de ipso per essentiam ipsius; et sic hoc est per accidens, *homo est albus.* — *Alio modo* accipitur *per essentiam* ut dividitur contra *participationem;* et sic excludit omnem aliam causam; et isto modo solus Deus est *quidquid est per essentiam suam*, ut *bonus, sapiens*, etc. — Quando accipitur *bono per essentiam est fruendum*, verum est *secundo* modo: quando dicitur *charitas est bona per essentiam*, verum est *primo* modo, et non *secundo.* — *Report.* I. d. 1. q. 1. n. 5. — Vid. *Per accidens dupliciter accipitur.*

Perfectio formalis. — *Perfectio formalis* est quae in quolibet ente melius est esse quam non esse. — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 12. Addit. — Vid. *Ens quidditative — subsistens.* = *Perfectio quidditativa.* = *Perfectio simpliciter.*

Perfectiones divinae. — Vid. *Deus.*

Perfectio prima — secunda. — In entibus est aliqua perfectio *prima*, aliqua *secunda* vel *quasi secunda.* — *Prima* est quando nihil deficit pertinens ad *primum* esse rei, scilicet *essentiale.* — *Secunda* quando nihil deficit pertinens ad esse *secundum.*

Haec etiam perfectio *secunda* quaedam est *intrinseca, nec coniungit cum perfectivo extrinseco:* quaedam autem sic est *intrinseca*, quod in hoc perficit, quia *coniungit perfectivo extrinseco.* — Nec mirum quod aliquid perficiatur *in extrinseco*, quia attingendo extrinsecum, et maxime si est perfectius se, habet ulteriorem perfectionem, quam posset habere in se et ad se; isto enim modo ignobiliora perficiuntur in nobilioribus, non *essendo* illa *realiter*, nec *habendo* illa *formaliter* inhaerentia, sed *attingendo* illa, et sic habendo modo sibi possibili habendi. Unde cuius appetitus est respectu *ignobilioris*, quam sit natura ipsa * apprehendens *, illud non perficitur in extrinseco, nisi *secundum quid.* In *nobiliori* etiam, licet sit aliqua perfectio appetentis ignobilioris, non tamen *suprema extrinseca.*

Si autem aliqua natura perficiatur in *nobiliori* se, *non suprema*, necesse est dare aliquam naturam quae immediate perficiatur non nisi in *supremo perfectivo extrin-*

seco, quia non est processus in infinitum in perfectibilibus et perfectionibus; suprema ergo saltem perfectibilis natura non perficitur nisi in supremo perfectivo extrinseco. *Tota* autem *natura intellectualis* est secundum illam rationem *suprema*.

Nec oportet secundum ordinem naturae esse perfectiva extrinseca *completive* perficientia; sed sufficit quod perfectiones intrinsecae *secundae* coniungentes cum perfectivo extrinseco correspondeant gradibus perfectionum *primarum*. — Licet autem in substantiis perfectio *prima* sit *simpliciter nobilior* quacumque perfectione *secunda* intrinseca, tamen non est *ultima* perfectio, quia ipsa habita, adhuc expectatur et appetitur ulterior perfectio. *Secunda* etiam, etsi non *in se formaliter*, tamen ut immediatius coniungit perfectiori, est quodammodo *appetibilior* perfectio perfectione *prima*, inquantum est immediatum ad aliquid *appetibile extrinsecum* quod *magis appetitur* quam *esse proprium intrinsecum*. Specialiter tamen istud est verum de *voluntate*, quia quicumque alius appetitus appetit extrinsecum propter naturam, cuius est appetitus, ideo non coniungit alicui simpliciter appetibiliori, quam sit *esse* naturae cuius est. *Voluntas* autem amat aliquid *nobilius se* et plus quam naturam illius cuius est, et ideo coniungit appetibiliori, et *in se*, et *sibi*, quam sit natura cuius est. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. nn. 22-23. — Vid. *Passio duplex* = *Beatitudo* in omnibus suis acceptionibus. = *Actus perfectioque duplex*.

Perfectio pura — participata. — Differentia est inter perfectiones *puras* et in alio receptas vel *participatas;* quia perfectio *prima* * *(pura)* * seu separata quanto universalior tanto perfectior et actualior; sed perfectio *participata* et in materia recepta quanto universalior, tanto imperfectior: ut forma *corporis* quam *animalis*, et *animalis* quam *hominis*. — *De rer. princ.* q. 6. n. 4. — *Theor.* XXIII.

Perfectio quidditativa. — *Perfectio quidditativa* non est nisi perfectio abstracta a supposito, quae de se respicit omne suppositum indifferenter. — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 12.

Perfectio simpliciter. — Secundum quod colligitur ex intentione Anselmi, *Monol. 15*, *perfectio simpliciter* est quae *in quolibet habente ipsam melius est ipsam habere quam non ipsam habere* (1).

Haec autem regula indiget duplici expositione; non enim intelligitur sic: *melius est ipsum* quam sua negatio *contradictorie opposita;* quia sic quodlibet *positivum* esset *perfectio simpliciter,* quia quodlibet *positivum* est *simpliciter melius sua negatione contradictorie opposita;* sed intelligitur ibi *non ipsum* pro quocumque sibi *incomposibili* etiam *positive,* ut sit sensus: *perfectio simpliciter* est in *quolibet melior quocumque sibi incomposibili.* — *Secundo* intelligitur in *quocumque,* non pro quacumque *natura,* sed pro quocumque *supposito,* non intelligendo ut est *talis naturae* vel *talis,* sed *absolute accepto,* ut est *tale suppositum,* praescindendo rationem *naturae* cuius est suppositum. Hoc patet, quia *auro* sic considerato ut habet *naturam auri,* vel *supposito* considerato ut subsistens in *natura auri, non est melius non-aurum quam aurum,* quia *incomposibile* ut incomposibile *non est alicui melius,* destruit enim entitatem ipsius, imo *melius* sic est *aurum* esse *aurum,* quam * esse * *quodcumque incomposibile naturae auri.*

Est ergo intellectus propositionis iste: *perfectio simpliciter* est talis quae *in quocumque supposito, absolute considerato secundum rationem suppositi,* non determinando naturam in qua vel cuius sit suppositum, *melius est ipsum quam non ipsum,* hoc est, quam *quodcumque incompossibile* ipsi. — *Quodlib.* q. 5. n. 13-14. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 39. — d. 8. q. 1. n. 7. — *Report.* I. d. 2. q. 8. n. 4. — *De prim. princ.* c. 4. n. 3. — *Theor.* XXIII.

Perfectiones simpliciter habent magis rationem *perfectionis* quam illae quae non sunt perfectiones simpliciter. — *Quodlib.* q. 1. n. 1. — Omnis *perfectio simpliciter* est *simpliciter simplex.* — *Ib.* n. 4. — *Perfectio simpliciter* non includit aliquid *per se*

(1) *Oxon.* I. d. 8. q. 1. n. 7.

cui repugnat *per se* ratio *per se perfectionis simpliciter;* quia tunc non esset in quolibet melius, cum includat aliquid cui repugnat ratio *perfectionis simpliciter.* — *Ib.* n. 8. — Solum illud est *perfectio simpliciter* quod potest esse in aliquo *infinitum.* — *Oxon.* I. d. 26. n. 37.

Aliud est dicere aliquid esse *perfectionem simpliciter,* et aliud aliquid esse *perfectionis simpliciter. Primum* importat, quod illud *essentialiter* sive *quidditative* sit *perfectio simpliciter. Secundum* importat, non quod essentialiter sit perfectio, sed quod omne tale *denominative* soli *perfectioni simpliciter* conveniat. — Ipsum ergo *perfectionis simpliciter* est quam requirit in illo de quo praedicatur *denominative,* et quam ostendit sibi inesse, utpote quam universaliter consequitur; et sic est *perfectionis simpliciter* triplici modo, scilicet: *praeexigendo, ostendendo* sive manifestando, et *perfectionem simpliciter consequendo.* — *Quodlib.* q. 1. n. 9.

Perfectio simpliciter potest dici ut *universaliter perfectio,* et est *in quolibet melius ipsum quam non ipsum;* sic *sapientia* est *perfectio simpliciter.* — *Alio* modo *perfectio simpliciter dicitur* prout distinguitur contra *secundum quid;* hoc modo *sapientia* non est *formaliter perfectio simpliciter;* talis autem perfectio non est illud quod in quolibet melius est ipsum quam non ipsum. — *Perfectio simpliciter* uno modo est quae *nullam imperfectionem includit;* sicut *Paternitas* * in Divinis * est *perfectio simpliciter,* quae, scilicet, nihil diminuit de perfectione. Unde esse *formaliter sapientiam* est *perfectio simpliciter,* prout dicit non diminuere a perfectione. — *Collat.* XXII. n. 3.

Perfectio sive bonitas intrinseca — extrinseca. — Secundum Philosophum, *V Metaph. cap. de perfect. text.* 25 (1), *bonum* et *perfectum* idem sunt; *perfectio* enim alicuius rei, sicut et *bonitas* eius, est *duplex: intrinseca* et *extrinseca.* — *Perfectio* autem rei *intrinseca* est *forma* eius. — *Extrinseca* vero *perfectio* rei est eius *finis,* ad quem principaliter ordinatur. — *Report.* IV. d. 31. n. 4. — *Oxon.* ib * ubi sequitur *: Alicuius etiam potest esse duplex *finis,* scilicet, *remotus* et *propinquus;* et remotior est regulariter principalior, quia ad illum ordinatur propinquior.

Perfectio triplex. — *Triplex* est *perfectio:* — *Una* est perfectio rei, quae consistit in *esse* quod sequitur *formam specificam,* vel quod habetur in *esse* vel forma specifica. * (Perfectio *prima*) * — *Alia* consistit in *actibus* et dispositionibus, per quas ordinatur ad suam perfectionem. * (Perfectio *secunda intrinseca*) * — Et *tertia* rei perfectio in *fine.* * (Perfectio *secunda extrinseca*) * — V. g., *prima* perfectio *ignis* consistit in hoc, quod habet *esse perfectum ignis; secunda* eius perfectio consistit in *caliditate* et *siccitate; tertia* consistit in hoc quod est *in suo loco.* — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 28. n. 2. — Vid. *pro duobus prioribus: Perfectio prima — secunda.*

Perfectius positive — permissive. — Aliquid potest dici *perfectius positive,* vel *permissive.* — Exemplum: *animal* est perfectius *musca permissive,* quia ratio animalis *permittit* quod animal salvetur in *homine; musca* autem est *perfectius positive,* quia quaelibet species aliquam perfectionem *ponit* ultra genus. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 1. n. 6.

Perfectum. — *Perfectum* dicitur *cuius non est extra aliquid accipere.* — Haec communis est ratio * *perfecti* *, sive in *substantia,* sive in *virtute,* sive in *quantitate* durationis, vel permanente; et hoc sive *perfecto simpliciter,* ut Deo; sive *creato simpliciter perfecto,* ut universo. — *Perfectum* est quod *potest facere sibi simile.* * Philos. in * *IV Meteor.* Hoc est perfectio *virtutis.* — Similiter *perfectum* est quod *habet finem studiosum. V Metaph.* Haec est * etiam * perfectio aliquo modo *virtutis,* per quam acquiritur finis. — *Theor.* XXIII. — Tunc res est *perfecta* cum de *potentia* reducitur ad *actum;* qualitercumque res habet *actum,* dicimus eam esse *perfectam.* — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 12. n. 3. — Vid. *Infinitum = Maximum — Perfectum = Totum — Perfectum.*

Perfectum multipliciter accipitur. — *Totum* et *perfectum* sunt quasi idem, ex III. Physic. text. Comm. 64. * *Perfecti* autem

---

(1) Vid. *exposit. Doctoris.*

absolute considerati *tres* sunt modi *, quorum *primus* sumitur penes entium quantitatem *dimensivam*: *secundus* penes entium quantitatem *perfectivam*: *tertius* penes entium perfectionem vel terminationem *finitivam.*

Dicit ergo * Philosophus *, quod *perfectum dicitur uno* modo *cuius non est extra accipere quidem nullam particulam.*

Alio modo dicitur *perfectum quod secundum virtutem non habet hyperbolen,* id est, excedentia *eius quod bene,* id est, ad hoc quod aliquid fiat bene, *ad genus,* id est, secundum illud genus, *ut perfectus medicus et perfectus* fistulator, *quando secundum speciem propriae virtutis in nullo deficiunt.* — Vult dicere, quod tunc aliquid dicitur *perfectum secundum virtutem* in aliquo genere, cui nec *deficit* aliquid secundum illam virtutem, nec habet *excedentiam* ad hoc quod aliquid bene fiat; nam, ut dicitur *II. Ethicor.* cap. 5, dicimus illud *bene se habere* secundum quod non habet *plus* nec *minus* quam debet habere; *virtus* enim est *quae habentem perficit, et eius opus bonum reddit.* — Iste modus sumitur quandoque *transumptive* * ut cum * dicimus *calumniatorem perfectum, et latronem perfectum,* quando non deficiunt ab aliquo quod eis conveniat inquantum huiusmodi sunt. Cuius ratio est, quia sicut boni se habent in operationibus suis bonis, sic etiam isti in suis operationibus. — Virtus perficit rem, et ideo haec est causa quare aliquid dicitur perfectum secundum virtutem; *unumquodque enim tunc est perfectum* cum substantia eius est perfecta; et *tunc eius substantia est perfecta quando ei nulla deficit pars secundum speciem propriam virtutis eius magnitudinis, quae secundum naturam est.* — Ita *secundus* modus accipitur ex hoc, quod nihil deficit rei de quantitate *perfectiva* et virtutis sibi debitae secundum propriam naturam.

Alio modo dicuntur *perfecta quibus inest finis,* id est, quae iam pervenerunt ad finem; si tamen sit finis *bonus, puta,* homo qui iam adeptus est felicitatem * dicitur *perfectus* *. Qui autem consequitur in *malis* finem suum magis meretur dici *imperfectus* quam *perfectus.* — Iste modus accipitur *transumptive,* * ut cum * *dicimus aliquem perfecte perditum* esse et *perfecte corruptum* esse, *quando nihil deest corruptionis et mali.*

Omnes modi *perfecti* reducuntur ad *duos* modos principales: *Alia quidem* dicuntur *perfecta,* quibus *omnino nihil deficit de bonitate simpliciter, nec habent excedentiam,* ita, scilicet, quod in bonitate a nullo exceduntur, nec extra aliquid accipiunt; quia, scilicet, non egent aliqua exteriori bonitate. Et haec videtur esse conditio primi Entis, cui nihil deficit perfectionis; nam in Eo est summa et perfecta bonitas, quae a nullo excedi potest.

Secundum *alium* modum dicuntur perfecta *secundum quod in unoquoque genere* determinato *non habent* excedentiam; *nec est aliquid extra,* quae sibi debentur secundum illud genus; puta, si dicatur *perfectus homo,* nihil deficit de perfectione, vel bonitate *competente homini,* nec exceditur ab aliquo in specie humana.

Alia dicuntur *perfecta* non *absolute,* sed *per comparationem* ad ea quae absolute sunt perfecta: *aut* ex eo quod faciunt ad perfectionem, sicut *medicina* dicitur *perfecta,* quia inducit sanitatem: *aut in habendo* aliquid *perfectum,* ut si dicatur *homo perfectus* qui habet *scientiam perfectam; aut in congerendo tali,* scilicet, perfecto; ut si *imago* dicitur *perfecta* quae habet similitudinem et repraesentat hominem *perfectum.* — Etiam dicitur aliquid *perfectum* qualitercumque referatur ad ea quae secundum se *primis* modis dicta sunt perfecta.

Ut patet ex dictis, *perfectum* dicitur esse aliquid terminatum et absolutum, non dependens ab alio, sed habens ea quae sibi competunt secundum proprium genus, et non privatum aliquo sibi competente. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 15. — Vid. *Grammat. specul.* n. 226. — Vid. *Bonum — Perfectumque duplex.*

Perfectum simpliciter. — *Perfectum simpliciter* est quod *non habet aliquam excedentiam.* — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 4. n. 2.

Perfectum summe. — Nihil est *summe perfectum* cui deest aliqua *perfectio simpliciter.* — *Quodl.* q. 5. n. 8.

Periodus. — *Periodus* vocatur illa aetas vel mensura secundum quam quaelibet res generabilis et corruptibilis nata est durare naturaliter, et non plus. Sicut videmus, quod *periodus* aliquarum rerum non est nisi unus *annus*, aliarum unus *mensis*, aliarum *dies*. — *De rer. princ.* q. 19. n. 23.

Periurium. — Vid. *Iuramentum — Periurium.*

Permanens — Successivum. — In hoc est differentia *permanentis* a *successivo*, quia *successivum* dum manet semper habet aliud et aliud esse, sicut aliam et aliam partem; sed *permanens* habet semper idem esse, nec variatur secundum partem et partem; quia tunc esset successivum, nec secundum totum et totum, quia tunc in quolibet alio et alio instanti haberet totaliter aliud esse, quod est absurdum. — *Quodlib.* q. 12. n. 3. — Ideo sciendum, quod pluribus modis aliquid dicitur *permanens* vel *successivum.* — Nam *primo* modo et propriissime aliquid dicitur *permanens* quod *secundum se totum* manet idem, sine additione vel remotione partis vel dispositionis; et sic Deus est ens *simpliciter permanens.* — *Secundo* modo dicitur *permanens* quod manet idem secundum se et quamlibet partem sui, tamen *aliqualis est successio secundum receptionem dispositionis.* — *Tertio* modo dicitur *permanens* quod secundum aliquas partes sui manet idem, et *secundum aliquas non*; immo aliquae adveniunt et aliquae recedunt; et ista sunt quodammodo *succesiva;* sicut sunt *corpora naturalia*, quae sunt in *continua successione.* — *Quarto* modo dicitur aliquid *successivum* cuius *nulla pars manet simul cum alia parte*, immo continue est alia et alia pars; et hoc *dupliciter:* quia quaedam sunt quorum *quaelibet pars* de sui natura *nata est esse permanentis naturae*, attamen *nulla manet per tempus* propter defectum conservantis; ut patet de lumine producto a luminoso in medium continue motum, quia continue est alius et alius *radius* secundum alium el alium *aspectum*, et ideo continue est aliud et aliud lumen. — *Alio* modo dicitur *successivum* cuius nulla pars nata est esse permanentis naturae, immo *sibi repugnat quod aliqua pars eius maneat per tempus*, ut multi imaginantur de *motu* et *tempore*, qui ponunt, quod motus est *fluxus* distinctus a *mobili.* — *Physic.* III. q. 6. n. 3. — Cfr. *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 20. — d. 2. q. 4. n. 9. seqq.

Permissio. — Vid. *Voluntas in Deo multipliciter accipitur.*

Permutatio. — Vid. *Dominii translatio.*

« Per se esse » est dupliciter. — *Per se esse* potest *dupliciter* accipi: — *Uno* modo pro *esse incommunicabili*, et sic *per se* esse est *incommunicabiliter* esse. — *Alio* modo *per se esse* * accipitur * pro *esse substantiae;* et sic *per se esse* est *per se subsistere.* — *Report.* IV. d. 43. q. 2. n. 19.

Per se logice — metaphysice. — Vid. *Per accidens — per se logice, etc.*

« Per se » multipliciter sumitur. — Haec conditio *per se* dupliciter potest accipi: — *Uno* modo in *propositionibus.* — *Alio* modo in *rebus.* — *Primo* modo facit modum *inhaerendi.* — *Secundo* modo facit modum *essendi.* — Et utroque modo haec conditio *per se* est *possibilis.* — Est enim possibilis in *propositionibus*, quia in aliquibus propositionibus *subiectum* est *causa praedicati*, et in aliis *praedicatum* est *causa subiecti.* Exemplum *primi* in secundo modo dicendi *per se* (1), *homo est risibilis*, quia a principiis subiecti progreditur passio. Exemplum *secundi* est quando praedicatur *definitio* vel pars definitionis de *definito:* tunc enim *praedicatum* est *causa* subiecti. Cum igitur *inhaerentia* dicit causam subiecti respectu praedicati, vel praedicati respectu subiecti, conditio *per se* erit possibilis. — *Poster. I.* q. 15. n. 2.

Item, haec conditio *per se* est possibilis *in rebus*, et constituit modum *essendi*, et sic *excludit causam participem*, secundum Linconiensem. — Et hoc est *tripliciter*: — Aut enim excludit causam *efficientem*, aut *finalem;* et isto modo solum Prima Causa est *per se*, quia non habet causam *efficientem*, nec *finalem;* est enim *efficiens* et *finis omnium.* — *Alio* modo excludit causam *materialem*; et sic Intelligentiae sunt *per se*, licet in Intelligentiis logicum sit

(1) Vid. « *Dicere per se* » *est dupliciter.*

reperire *quod* et *quale*. *Quod* est aliud ab eo quod est *quid;* tamen non est reperire ibi compositionem *materiae* cum *forma*, * qualis reperitur in corporibus (1) *. — *Tertio* modo *per se* excludit *esse in subiecto;* et haec causa exclusa potest reduci ad causam *materialem; substantia* enim est causa *materialis* respectu *accidentis* quod est in ea; et isto modo *tertio* substantia est *ens per se;* substantia enim est ens, et non in alio, tamquam in subiecto.

Et sic ergo patet, quod haec conditio *per se* est possibilis in *rebus;* patet etiam quod sit possibilis in *propositionibus*. — *Ib.* n. 3.

Per se — Primo. — Illud competit alicui *primo* quod competit ei per *speciem suam;* illud *per se* quod competit sibi per *causam in se*. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 14. n. 2.

Per se — primus modus praedicandi per se. — Vid. *Definitio = Denominativorum praedicatio.*

« Per se — secundum se » quintupliciter dicitur. — *Secundum se necesse est dici multipliciter: uno modo quidem dicitur secundum se quod quid erat esse,* id est, definitio uniuscuiusque, *ut Callias, et quod quid erat esse Calliam;* hoc enim modo tota definitio inest *secundum se* rei cuius est definitio. Philosophus autem non curat de exemplis quandoque; *Callias* enim cum sit singulare non habet proprie definitionem, ut dicitur *VII. text. com. 53;* tamen eo modo quo definiri potest, vel si habet, illa inest sibi *per se*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 15. n. 125.

Alio modo dicitur *secundum se quaecumque existunt in eo, quod quid est,* id est, quaecumque partes positae in definitione rei, ut *Callias est animat secundam se, nam in ratione,* id est, definitione, *Calliae* ponitur *animal, Callias enim est quoddam animal.*

* *Alio* modo aliquid * dicitur *secundum se si in ipso ostensum est primo, aut in aliquo ipsius,* id est, si aliquid est in aliquo sicut in subiecto primo, vel toto, vel in aliqua parte subiecti, *ut superficies est* alba *secundum se totam;* primum enim subiectum coloris est superficies; *homo autem est vivens secundum se* ratione partis; *anima namque quaedam est pars hominis, in qua primum est ipsum vivere,* scilicet, sicut in *subiecto primo*. Et accipitur hic *vivere* ut nominat actum *secundum,* qui est opus vitae, talis enim actus convenit homini *per animam,* in qua est ut in subiecto proximo, sicut est ipsum *intelligere*. Potest etiam accipi pro *primo actu,* quia ille etiam licet insit toti coniuncto *communicative,* inest tamen per animam communicantem esse et vivere corpori, quia vivere *viventibus est esse,* ut habetur *II. de Anima.*

Amplius dicitur *secundum se* illud *cuius non est aliqua causa alia,* sicut est propositio immediata *per se nota,* quae non habet medium quod sit causa inhaerentiae praedicati ad subiectum; licet *enim hominis multae sint causae,* scilicet *animal et bipes,* quae sunt causae intrinsecae hominis, *attamen homo secundum se est homo;* unde nullum medium est ad probandum istam propositionem, *homo est homo,* quia quaerere quare *ipsum est ipsum,* nihil est quaerere, ut habetur *VII. huius, capitulo ultimo, text. com. 59.*

Amplius dicuntur *secundum se quaecumque soli insunt et inquantum solum,* id est, quod istud *secundum se* dicitur ratione *solitudinis,* quia ipsum *secundum se* dicit *aliquid separatum*. Per hoc ergo iste modus distinguitur a praecedentibus, in quibus non dicitur aliquid inesse *ut solum* ibi aliquid soli inesset, ut definitio et propria passio subiecto.

Notandum, quod istorum *quinque* modorum *duo primi,* qui *realiter* sunt *unus,* pertinent ad primum modum *per se* positum *I. Poster.* (1) et respondetur primo ipsius *secundum quod,* sicut patet intuenti *Tertius* autem modus reducitur ad *secundum* positum *I. Posteriorum text. com. 24.*

---

(1) Vid. *De rer. princ.* q. 7. art. 2., ubi luculenter demonstrat dari in substantiis, spiritualibus creatis compositionem quamdam *materiae* et *formae*.

(1) Vid. « *Dicere per se* » *est dupliciter.* = « *Per se* » *multipliciter sumitur.*

— *Quartus* vero ad quartum, licet extenso modo. — Sed *quintus* ad *tertium*, licet aliqualiter improprie, quatenus ibi accipiatur *solitarium incomplexe*, hic autem *complexe*. — *Ib.* n. 126.

« Per se » tripliciter excludit causam. — Vid. « *Per se* » *multipliciter sumitur.*

Persona. — Accipiendo deflnitionem *personae* quam ponit Richard. IV. *de Trinitate, cap* 22., quod est *intellectualis naturae incommunicabilis existentia*, per quam definitionem exponitur vel corrigitur deflnitio Boetii dicentis, quod *persona est rationalis naturae individua substantia*, quia sic sequeretur *animam* esse *personam, et Deitatem* esse *personam;* et etiam non conveneniret proprie Deo, quia *individuum* non est nisi ubi est *dividuum*, quod non convenit Deo; similiter tantum *proprie* nomen *personae* conveniret homini, qui consimiliter *solus proprie* dicitur *rationalis;* quod est inconveniens; dico quod nihil proprie est in hac definitione Richardi, quod significet *intentionem secundam; quia ex natura rei*, sine omni operatione intellectus, est in Patre *natura intellectualis* et entitas *incommunicabilis;* ista autem incommunicabilitas *duplex* est, quia *communicabile* pluribus dicitur *dupliciter: uno* modo dicitur *communicabile* pluribus quod est *idem cuilibet eorum*, ita quod *quodlibet sit ipsum*, sicut *universale* dicitur *communicari* suis inferioribus: *alio* modo *communicatur* alicui *ut forma*, qua aliquid est tale *secundum ipsum*, sed *non est ipsum:* ut *anima communicatur* corpori (1). Et *utroque* modo *Deitas* est *communicabilis*, et *neutro* modo *Persona* est *communicabilis.* — Et ita *duplex* est *incommunicabilitas* pertinens ad rationem *personae.* Propter quod *anima separata*, licet habeat *primam incommunicabilitatem*, tamen non est *persona*, quia non habet *secundam.* Et *utraque* incommunicabilitas requiritur ad rationem *personae*, et est in re ex natura rei; et ita nihil de ratione *personae* dicit *intentionem secundam.* — *Oxon.* I. d. 23. n. 4. — Cfr. ib. d. 26. n. 52. — III. d. 1. q. 1. n. 6. seqq. — d. 6. q. 1. n. 2. — *Report.* I. d. 23. n. 4. — d. 25. q. 1. n. 4. — III. d. 1. q. 1. *per tot.* — *Quodlib.* q. 4. n. 7. — q. 19. n. 20.

Persona non tantum dicit *incommunicabilitatem*, sed dat intelligi naturam *intellectualem*, sicut *individuum* naturam in communi. — *Oxon.* I. d. 23. n. 5. — *Incommunicabile* quod pertinet ad rationem *personae* excludit duplicem communicabilitatem, videlicet ut *quod* et ut *quo.* — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. 10. — d. 2. q. 2. n. 3. — *Personalitas creata* dicit *negationem dependentiae actualis* ad aliud, ut ad *suppositum* illius naturae, et etiam *aptitudinalis*, quae, quantum est ex parte ipsius aptitudinis, semper esset in actu, sicut *anima separata* semper dependeret a corpore, quantum esset ex *aptitudine* naturali eius. — *Oxon.* III. d. 5. q. 2. n. 4. — Vid. *Persona — Individuum =* « *Ens per se* » *tripliciter sumitur = Natura — Suppositum — Persona — Natura.*

Persona diversimode accipitur. — Vid. *Persona in Divinis.*

Persona grammaticalis. — Vid. *Grammat. specul.* n. 94. seqq.

Persona in Divinis. — Secundum quod intelligitur ex dictis Richardi, *IV. de Trin. cap.* 5, 6, 7, et 8, nomen *personae* secundum *tria* tempora *tres* habuit *significationes*, quod innuit cap. 5. cum dicit: *Cum omni diligentia quaeramus non iam sub qua acceptione primo humanis sit impositum, nec ex qua necessitate sit postea ad Divina sumptum, sed in qua veritate per Spiritum veritatis sit translatoribus inspiratum, et a Latina Ecclesia universaliter frequentatum.* — Nam, sicut patet per Boetium, *De duabus naturis*, nomen *personae* primo significabat eos qui in *comoedia* seu *tragoediis* ludorum theatrorum alios repraesentabant, loco quorum cantus praeferebant, propter quod *histriones* repraesentantes dignos et honorabiles viros *personae* vocabantur, quia, secundum Boetium, *persona* secundum rationem vocabuli dicta est a *personando*, hoc est, *perfecte* et *expressa voce sonando*, quia illi histriones

(1) Vid. *Communicabile per identitatem — per informationem = Communicabilitatis negatio triplex = Incommunicabile dupliciter dicitur.*

per quamdam larvam, faciem de stanno vel de cupro factam, quae repraesentabat illum cuius vice cantabant, *magis resonabant.*

Sed tempore Augustini nomen *personae* fuit *translatum* ad *Divina,* ad repraesentandum aliquid *dignitatis* in Deo; unde a tempore Augustini tantum valuit nomen *personae* quantum *substantia intellectualis;* et ideo sicut substantia intellectualis est *mere essentiale,* ita et nomen *personae* apud Augustinum *mere* fuit *essentiale,* et significabat apud ipsum *substantiam intellectualem,* non sicut *prima* substantia, ut aliqui existimant, sed sicut substantia *secunda,* ut patet per ipsum expresse *VII. de Trinit. cap. ultimo diffuse.*

Sed *substantia* aliquando accipitur *in abstracto;* et sic est idem quod *essentia,* iuxta illud Philosophi *I. Post. text.* 9., *Substantia lineae ex his est essentia lineae ex his.* — *Alio* modo accipitur *substantia in concreto,* quomodo dicitur quod *ignis* est *substantia.*

Substantia autem *in abstracto* in Divinis est idem quod *essentia;* et sic non dicitur *pluraliter,* sicut concorditer volunt Sancti et Doctores. Cum autem accipitur *in concreto substantia,* cum concretum magis concernat *suppositum* quam *abstractum,* magis potest numerari secundum numerationem *suppositorum* quam abstractum. Unde *persona,* significans apud Augustinum *substantiam in concreto,* numeratur secundum numerationem *suppositorum.* Unde sicut *persona* significat idem quod *habens naturam intellectualem,* hoc tamen nomen concretum significans essentiam, scilicet *Deus,* non numeratur, quia Scriptura hoc prohibet Deuteronomii *VII. Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est;* sed quia non fuit primitus aliquod nomen, per quod possit convenienter responderi ad quaestionem hereticorum *quid erant tres?* nisi nomen *personae,* ideo tempore Augustini dicebatur *pluraliter,* quamvis substantiam intellectualem significabant. Haec est intentio Augustini *VII. de Trin. cap. 6. usque ad cap. 10. de Magnis, et 12. de Parvis;* et qui aliud imponit Augustino non tenet mentem Augustini.

Sed post tempore Augustini, quando vis nominis *personae* magis innotuit, frequentatum est a Catholicis ad significandum *subsistentem incommunicabiliter in natura intellectuali;* sicut patet per Richardum *ubi prius* cap. 6, ubi vult quod multum est inter significationem *substantiae* et significationem *personae,* sicut multum distat inter significationem *hominis* et *animalis.* Unde secundum ipsum, *ibidem,* cum nominamus *personam,* nunquam intelligimus nisi unam solam substantiam et singularem aliquam, sub cuius nomine intelligitur quaedam proprietas, quae non convenit nisi uni soli, nulla tamen determinate sicut in proprio nomine. Ex quo concludit, quod ad nomen *personae* subintelligitur *proprietas individualis singularis incommunicabilis.* Igitur, secundum ipsum, de vi vocis, *persona* significat substantiam, *non secundam,* sed *primam,* non *quid,* sed *quem,* sicut dicit *ibid.* c. 7, quia secundum ipsum, *ibid.* c. 5, nulla sententia certior redditur, quam quae ex communi acceptione animi formatur; et nomine *personae* numquam intelligimus nisi *unam solam substantiam,* prout significat substantiam primam. Unde utendum est nomine *personae* isto modo, quia loquendum est ut plures, *ex I Topicorum.*

Isto igitur modo accipiendo *personam* secundum eius propriam significationem, significatur *substantiam,* vel *relationem?* — Certum est enim, quod non significat aliquod proprium alicui Personae, quia numeratur in eis, et *commune* est eis hoc quod est *persona,* secundum Augustinum, et non communicatae *aequivocationis,* quia *aequivocum* non numeratur nisi secundum *vocem.* Quod enim numeratur in aliquibus *commune* est eis secundum suum *significatum,* quod numeratur in eis; igitur est commune *univoce.* Patet etiam ex dictis (1), quod *persona* dicit negationem duplicis *communicabilitatis,* quae negatio est *unius* rationis, quia opposita *affirmationi unius* rationis: patet etiam, quia illa negatio non est *intentio secunda.*

Sed nomen *personae* an hoc praecise significat? Respondeo, quod haec negatio *in-*

---

(1) Vid. supra *Persona.*

communicabilitatis non convenit pluribus secundum unam rationem nisi per aliquam *affirmationem substractam*, sive priorem; nihil enim est *incommunicabile* nisi per *affirmationem*, cui repugnat *communicatio*. Illud autem *affirmativum* non est *essentia*, quia illa *communicabilis* est; igitur est entitas alia, quae *non est formaliter* essentia, cui repugnat communicari. Si igitur ab illa entitate in Patre et Filio et Spiritu Sancto possit abstrahi *unus conceptus positivus*, ille conceptus significabit *positivum primae intentionis*, quam consequitur illa negatio unius rationis. Si autem non potest abstrahi talis conceptus positivus, tunc *persona* non significabit aliquem conceptum *positivum primae intentionis*. Ideo ut videatur an hoc sit verum vel non, statuitur haec quaestio quae sequitur. — *Report.* I. d. 25. q. 1. nn. 4-7. = * *Sequenti* q. 2. *momenta adducit pro et contra, ita concludens:* *

Redeo nunc ad solutionem *prioris quaestionis*, et dico, quod illa *negatio unius* rationis *duplicis incommunicabilitatis* praesupponit quemdam modum *positivum*, qui potest abstrahi a proprietatibus *incommunicabilibus*, sive a *personis* habentibus esse *incommunicabile* per illas proprietates. *Persona* ergo potest significare *modum quemdam positivum abstractum a modis propriis personarum, communem ad illos modos proprios*, ad quem modum communem sequitur illa duplex negatio. Ut sicut res *relativa communis* est, et *nomen* impositum *commune* est, ita res *relativa incommunicabilis communis* est; et *nomen* hoc significans *commune* esset *persona*. Igitur non dicit relationem *primo*, sicut patet per Augustinum, *VII de Trinitate, capite ultimo*.

Persona igitur non significat relationem sub *ratione relationis*, sed sub aliqua ratione *communiori*, puta, modi vel proprietatis *incommunicabilis*. Unde *persona* significat aliquid *communius* quam *esse ad se* vel *ad alterum*; ita quod determinate conceptus eius non est conceptus *huius* vel *illius*, quamvis *in re* non sit *persona* nisi quae est *ad alterum*. Sicut igitur *persona* dicit naturam intellectualem per modum habendi eam *incommunicabiliter*, et secundum hoc *persona* significans rem habentem modum sive proprietatem *incommunicabilem* in natura intellectuali dicit aliquid *communius* quam *relativum*.

Persona * igitur * non significat *substantiam*; quia nullo modo conceditur quod sint *tres substantiae* in Divinis, sicut conceditur quod sint ibi *tres Personae*. Nec etiam importat in suo significato *relationem communem*, nec *propriam*, sed aliquid *communius* et *generalius*; et illud est *aliquis conceptus communis abstractus a relatione et proprietatibus incommunicabilibus; et est conceptus primae intentionis*, ut dictum est. — *Ib.* q. 2. nn. 14-15. — *Oxon.* I. dd. 25 et 26.

Ideo dico, quod *persona* communis tribus non dicit *intentionem secundam*, quia Richardus, *I de Trin.* cap. 22., arguit contra Boetium de definitione *personae* dicentem, quod *est rationalis naturae individua substantia*, primo sic: ibi non est *individuum*, ubi non est natum esse dividuum. Secundo sic: *rationale* proprium est in hominibus tantum. Tertio sic: secundum illam definitionem *anima separata* esset *persona*. Ideo Richardus ponit suam definitionem, quod *persona* divina *est naturae divinae incommunicabilis existentia*, ita quod loco *individui* ponit *incommunicabile*. At nihil hic ponit *intentionem secundam*. — *Report.* I. d. 23. n. 4.

Persona non dicit tantum *incommunicabilitatem*, sed ipsam includit, et forte essentiam, et forte non; sed licet tantum includeret incommunicabilitatem, adhuc non esset *intentio secunda*, quia unum oppositum ex natura rei movet intellectum ad negationem alterius. — *Ib.* n. 7. — Vid. *Oxon.* I. dd. 23 et 25.

Persona — Individuum. — Oportet videre, quomodo se habeat illud a quo natura intellectualis dicitur *persona* ad illud a quo natura talis est singularis et *individua*. Et patet, quod non eodem *formaliter* et *ultimate* est *individua* et *personata*, quia, secundum Damascenum, lib. III. c. 11., Verbum assumpsit naturam in *atomo* * (*individuam*) *, non tamen *personatam*.

Quid autem sit illud proprium quo natura est *personata*, *duae* videntur viae probabiles: *una*, quod *persona* sit *persona* per aliquid *positivum* in natura ultra illud quo natura est *individua*, et hoc sive illud positivum sit *absolutum* sive *respectus*.

Secunda via negat omnem realitatem *positivam* constituere *personam*, et ponit illam realitatem, qua *natura* est *haec* * (*singularis*) * esse *ultimam entitatem positivam*, et ultra hanc non esse nisi *negationem* aliquam, qua dicatur *subsistens* in natura intellectuali et *personata*. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 6.

Non asserendo, potest mediari inter istas vias, nec concedendo cum *prima* via aliquam entitatem *positivam* esse in natura intellectuali *creata*, cui repugnet contradictorie *communicari* communicatione aliqua repugnante personae, quia nulla videtur entitas positiva in natura creata, quae non sit possibilis dependere ad Verbum, et ita *communicabilis* eo modo quo dicitur *natura* communicari *supposito*, ut qua *suppositum* dicitur ens in natura, puta, *humanitate* dicitur *homo*, et *hac* humanitate *hic* homo. Nec cum *secunda* concedendum est, quod sola *negatio dependentiae* ad personam extrinsecam est *completivum formale* in ratione *personae* creatae, quia tunc *anima separata* esset *persona*.

Sed distinguendum est inter dependentiam *actualem*, *potentialem*, et *aptitudinalem*; et hoc vocando *aptitudinalem* quae *semper, quantum est de se, esset in actu;* quomodo grave *aptum* natum est esse in centro, ubi semper esset, quantum est de se, nisi esset impeditum. Et *potentialem* vero absolute illam *ubi nulla est impossibilitas ex repugnantia* vel *incompossibilitas terminorum;* et ista possibilitas potest esse quandoque respectu potentiae activae *supernaturalis*, non tamen *naturalis* (1).

Licet igitur *sola negatio dependentiae actualis* non sufficiat ad rationem *personae;* neque independentia tertia * seu *potentialis* * posset poni in natura creata ad Verbum, nulla enim est natura vel entitas creata cui repugnet contradictorie dependere ad Verbum, tamen *negatio dependentiae aptitudinalis* potest concedi in natura creata *personata* in se ad Verbum; alioquin violenter quiesceret in persona *creata*, sicut lapis violenter quiescit *sursum*. Et ita ista negatio, scilicet, *non dependentia*, non quidem actualis tantum, sed etiam *actualis et aptitudinalis*, talis *complet rationem personae* in natura *intellectuali*, et *suppositi* in *alia natura creata*. Nec tamen haec independentia *aptitudinalis* ponit repugnantiam ad dependentiam *actualem*, quia licet non sit *aptitudo* talis naturae ad *dependendum*, est tamen *aptitudo obedientiae;* quia natura illa est in perfecta obedientia ad *dependendum* per actionem agentis *supernaturalis;* et quando datur sibi talis dependentia *personatur personalitate illa ad quam dependet;* quando autem non datur *personatur* in se ista *negatione formaliter*, et non aliquo *positivo* addito ultra illam entitatem positivam, quae est *haec natura* * sive *individuum* *. — *Ib.* n. 9.

Incommunicabile, quod pertinet ad rationem *personae*, excludit *duplicem communicabilitatem*, videlicet, communicabilis, ut *quod*, et ut *quo;* natura autem creata est *incommunicabilis* primo modo, quia *singulare*, singulare enim non est communicabile ut *quod*, nisi sit *illimitatum*, ut essentia divina; sed natura creata non est incommunicabilis ut *quo*, nisi intelligendo per *incommunicabile* negationem communicationis *actualis* et *aptitudinalis*, non autem intelligendo *repugnantiam formalem* utrique communicationi.

Iste conceptus *incommunicabilis*, qui negat communicationem *actualem* et *aptitudinalem*, univocus est Deo et creaturae, personae divinae et creatae; negatio enim est univoca multis, quando affirmatum a pluribus negatur. Sed negatio *communicabilitatis* quae includit *repugnantiam* ad communicari non est univoca, quia non convenit creatis; et hoc modo concedo non esse *personam* in creatis.

Unde si *incommunicabile*, prout pertinet ad rationem *personae perfectae*, dicit non tantum negationem communicationis

---

(1) Vid. *Dependentia actualis — aptitudinalis, etc.*

utroque modo, sed etiam *repugnantiam* ad *communicari*, nulla erit *perfecte persona*, nisi *divina*. Illa enim includit aliquid absolute, quo contradictorie repugnat sibi communicari quocumque modo, et ut *quod*, et ut *quo;* persona enim divina non tantum habet negationem communicationis *actualis* et *aptitudinalis*, sed etiam habet *repugnantiam ad communicationem*, et ut *quod* et ut *quo;* et repugnantia talis nunquam potest esse nisi per entitatem *positivam;* et ideo sequitur personam istam nunquam esse sine tali entitate; sed persona creata, quia *non repugnat ei communicari*, cum sit in potentia obedientiali, non est sic incommunicabilis, et ideo non oportet sibi tribuere talem entitatem personalem * positivam *. — *Ib*. n. 10.

Istud faciliter videri potest, si videamus differentiam inter negationem nudam *actus* et negationem *aptitudinis* et negationem quae requirit *repugnantiam*. — *Prima* est in gravi existente sursum respectu *ubi* in centro. — *Secunda* est in superficie nigra respectu albedinis, si est in potentia neutra ad ipsam. — *Tertia* est in homine respectu irrationalis.

Et licet negatio sit unius rationis *in se*, tamen distinguitur comparando *ad aliud* cui inest respectu tertii; ita hic negatio *potentiae* dependendi nulli creato convenit; negatio *aptitudinis* inest cuilibet naturae personali in se, etiam quando actu dependet, quia actum supernaturalem non concomitatur aptitudo in natura, cum sit tantum in potentia obedientiali ad ipsum; negatio *actus* inest animae separatae; nec secunda negatio sola, nec tertia negatio sola sufficit ad *personari* in se. — *Ib*. n. 11. — *Report*. ib. q. 1. — Vid. *Persona*.

Personalitas creata — divina. — Ad *personalitatem* requiritur *ultima solitudo* sive negatio dependentiae *actualis* et *aptitudinalis* ad personam alterius naturae. — *Oxon*. III. d. 1. q. 1. n. 17. — Potest igitur dici, quod nostra natura est *personata personalitate creata*, non aliquo positivo tamquam ratione formali, quia ultra singularitatem non invenitur aliqua entitas positiva, qua singulare completive sit incommunicabile, sed tantum singularitati superadditur negatio *communicabilitatis* sive dependentiae quae est in communicari.

Potest autem intelligi *triplex negatio communicabilitatis* sive *dependentiae*. Sicut enim possumus intelligere dependentiam *actualem*, *potentialem* et *aptitudinalem*, sic possumus intelligere negationem *actus* dependendi, et negationem *possibilitatis* dependendi, et negationem *aptitudinis* ad dependendum.

Prima negatio est *nuda* sive sola. — *Secunda* est cum *repugnantia* ad actum. — *Tertia* est cum *inclinatione opposita* sive aptitudine contraria. — *Exemplum: primo modo* superficies, si esset sine colore omnino, esset non alba, quia haberet *solam negationem* albedinis. *Secundo modo* Angelus est non albus, quia sibi *repugnat* albedo. *Tertio modo*, lapis est non sursum, quia in lapide est negatio *aptitudinis* ad sursitatem, cum inclinatione ad non sursitatem sicut ad suum oppositum.

Ad propositum, loquendo de dependentia ad hypostasim extrinsecam, et specialiter divinam, de qua modo loquimur, sola negatio *actualis dependentiae* non sufficit ad hoc quod aliquid dicatur in se *personatum* vel persona; quia anima Petri habet talem negationem, et tamen non est persona. — *Secunda* negatio non invenitur in natura creata personali, quia nulli potest omnino repugnare dependere ad personam divinam; imo quaecumque entitas positiva in tali natura est in potentia obedientiali ad dependendum ad ipsam; et per consequens illa negatio non constituit *personam creatam*. — *Tertia* etiam negatio non sufficit, quia illam habet natura assumpta, ipsa enim, cum sit eiusdem rationis cum mea natura, habet aptitudinem eiusdem rationis, et ita habet aptitudinem ad subsistendum in se, et non habet aptitudinem ad dependendum ad personam extrinsecam. Nec est inconveniens *possibilitatem* esse sine *aptitudine*, quia ad formas supernaturales; et si sit potentia aliqua in susceptivo, non tamen proprie aptitudo, quia illa non est proprie nisi ad formam naturaliter perfectivam.

Ad *personalitatem* igitur propriam sive *creatam* oportet concurrere duas negationes,

primam et *tertiam*, ita quod tertia est quasi habitualis necessario conveniens naturae cui convenit, sive sit personata in se, sive in persona aliena; sed alia negatio, scilicet *actualis dependentiae*, superveniens isti negationi, complet personalitatem propriam. — *Quodlib.* q. 19. n. 19.

Ad illa igitur quae probant quod personalitas propria est *formaliter* per aliquid *positivum*, ad omnia simul est una responsio: quod nulli *simpliciter* repugnat esse *communicabile*, nec tamquam communicabile *dependere*, nisi sibi sit simpliciter proprium aliquod *positivum*, quod sit ratio repugnantiae communicabilitatis et dependentiae; tamen communicari et dependere potest *secundum quid* repugnare alicui per solam *negationem*, quia dum negatio illa inest, affirmatio non potest inesse. Sed non propter hoc est *simpliciter* impossibile affirmationem inesse, nisi illud cui talis negatio inest esset necessaria ratio quod talis negatio consequeretur: et tunc negatio esset *simpliciter* proprie, alias non esset nisi *secundum quid* propria; simili enim modo *propria* est alicui negatio, sicut ipsi *repugnat* opposita affirmatio. Sola Persona divina habet incommunicabilitatem *primo modo*, quia entitatem aliquam intrinsecam simpliciter propriam, per quam sibi repugnat posse communicari. Natura autem creata licet in se subsistat, non tamen habet aliquid intrinsecum, per quod impossible sit eamdem dependere. — Et ideo sola Persona divina habet propriam *personalitatem completam*; natura vero creata personata in se non habet, quia non habet repugnantiam ad *posse dependere*, sed tantum ad *actu dependere*, et hoc *secundum quid*, scilicet dum sibi inest negatio dependentiae actualis.

Igitur dico, quod *incommunicabile simpliciter*, quod scilicet importat repugnantiam ad *posse* dependere, non convenit primo *negationi* sive alicui ratione negationis; nec talis incommunicabilitas est in creatura etiam in se personata, sed tantum incommunicabilitas *secundum quid*, scilicet repugnantia ad *communicari*, et hoc stante illa negatione dependentiae actualis. Ista autem incommunicabilitas *secundum quid* non requirit entitatem *positivam* simpliciter *incommunicabilem*, sed tantum entitatem positivam *receptivam* negationis dependentiae actualis; sed incommunicabilitas simpliciter, si alicui negationi conveniat, hoc non est nisi quia illa consequitur entitatem positivam simpliciter incommunicabilem. — *Ib.* n. 20.

Persona — Natura. — *Alia* est *entitas* formaliter *naturae* et entitas *personae;* quia entitas *naturae* est qua aliquid est; sed entitas *personae* non est qua aliquid est, quia illa entitas *incommunicabilis* est. — *Report.* III. d. 1. q. 1. n. 3.

Persona Prima SS. Trinitatis. — *Prima Persona* constituitur in *esse personali* per relationem originis *positivam* ad *secundam* Personam; aliter enim prima Persona esset magis necessaria quam secunda. — Modus vero ponendi est iste: Essentia, ut intellecta a se, est omnino prima, et sic non intelligitur ut apta nata fundare relationes per modum informationis, ut istam informando, sed per modum quo forma quidditatis fundare dicitur proprietates hypostaticas, quae etiam in creaturis non informant quidditatem, sed solum dant ei *esse incommunicabile.* Primum autem quod fundatur in illa essentia non potest esse *negatio incommunicabilis,* quia *negatio* non est *incommunicabilis* nisi propter affirmationem *incommunicabilem,* quam consequitur; igitur primum quod ibi pululat est ratio *positiva,* quae cum essentia constituit Personam; quae, quia ab alia non producitur, ideo est *ingenita,* ita quod quia Pater est *paternitate,* ideo est *ingenitus;* ille enim est vere Pater qui non habet Patrem, sicut ille vere est Dominus qui non habet Dominum. Unde Damascenus, *lib.* I. c. 9, vult quod nomen *Patris* non est translatum *a creaturis* ad Divina, sed primo convenit Patri Deo, sicut allegat Apostolum dicentem *ad Ephes.* 3(1); *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur.*

Unde Christus alia nomina nobis non reliquit, quae vere exprimunt Personas di-

---

(1) VV. 14-15.

vinas, et quae prius erant eis imposita; et sic, quod nomina ista, Pater et Filius, vere illas personas exprimunt. — *Report.* I. d. 28. q. 2. n. 13. — *Oxon.* ib. qq. 2, et 3, * *ubi plura videnda* *. — Vid. *Genitum — Ingenitum.* — Cf. *Quodlib.* q. 4. *per tot.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. nn. 24 et 45.

Persona Secunda Smae Trinitatis. — *Filius* est primum nomen *secundae* Personae in Divinis. — *Report.* I. d. 26. q. 1. n. 8.

Verbum significat proprietatem *secundae* Personae: significatum autem nominis non potest probari nisi ex usu et auctoritate. Patet autem per Augustinum, *VII de Tritate*, c. 4, quod *Verbum* significat proprium *secundae* Personae.

Sed ut hoc aliqualiter possimus intelligere, erit sciendum, quod *abstractum* et *concretum* idem significant, nisi quod *concretum* significat per *concretionem ad suppositum; filius* igitur et *filiatio* idem significant: *filiatio* autem significat relationem; igitur similiter et *filius*, nisi per modum *concernentis.* — Eodem modo *verbum* et abstractum suum idem significant, ut si suum abstractum esset in usu, diceretur *verbatio*, sicut *dictum* et *dictio, spiritum* et *spiratio*. Sicut igitur *dictio passiva* et *dictum* idem significant, ita *verbum* et *verbatio*, quia idem sunt *dictio* et *verbatio:* sed *dictio passiva* dicit expressionem passivam de memoria; igitur similiter *verbatio*, quia idem sunt *dictio* et *verbatio*. Sed expressio passiva de memoria importat *relationem originis*, quae non est nisi proprietas Personae; igitur *verbum* dicit *proprium* alicuius Personae, scilicet illius quae gignitur per actum *dicendi* sive exprimendi de memoria; et illa est *secunda* Persona.

Unde sicut *gigni* in natura intellectuali constituit filium, *exprimi* in natura intellectuali constituit rationem *verbi;* ideo unam Personam exprimit *filius* et *verbum;* solum autem differunt per *connotata*, quia *filius* connotat naturam *vitalem*, *verbum* vero naturam *intellectualem*.

Ex dictis patet responsio ad illam *quaestionem* parvam, qua solet quaeri *an prius sit Filius quam Verbum?* Dicendum est enim, quod quantum ad *proprietatem* utriusque *personalem*, *neutrum est prius alio*, quia eamdem proprietatem dicunt; tamen quantum ad *connotata*, *Filius*, *secundum rationem*, est *prior Verbo*, quia Filius connotat *essentiam* Patris, Verbum vero de *memoria* Patris *exprimi*. — *Report.* I. d. 27. q. 6. nn. 6-7. — *Oxon.* ib. q. 3. nn. 20-21.

Nullus respectus ad creaturam potest per se includi in constitutivo Personae Verbi: quia quidquid in ea includitur per se est *reale*, distinguendo *reale* contra *ens rationis*, quia constitutum est sic *reale*, et per consequens quidquid in ipso per se includitur est hoc modo *reale*. Nunc autem quicumque respectus in Divinis ad creaturam est tantummodo *ens rationis;* ergo etc. — *Quodlib.* q. 8. n. 20, * *ubi praedicta uberius probat.* * — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 22. — *Report.* I. d. 27. q. 6. n. 10.

Tunc non est vis, nec contentio de *re*, nec de aliquo *intrinseco* Personae divinae, sed solum de hoc nomine *Verbum;* formaliter enim respectus notitiae expressae ad exprimentem alius est a respectu illius ad creaturam declaratam, quia ad alium terminum; et non solum hoc, sed etiam respectus verbi expressi ad exprimentem, et respectus eiusdem ut declarantis ad eumdem ut declaratum sunt duo respectus, primus *realis* et secundus *rationis*. Isti autem duo non faciunt aliquid unum per se, quia *res vera* et *ens rationis* nihil *unum per se* constituunt; ideo si ambo isti respectus uno nomine significentur, non propter hoc faciunt unum per se conceptum; sed alter eorum praecise est *proprietas secundae* Personae, scilicet, expressio illa passiva, quae est *respectus realis;* alter autem, scilicet, respectus *declarativi*, est respectus *rationis* tantum, sive sit ad Patrem declaratum sive ad creaturam declaratam.

Videtur quidem, quod *verbum* significet per se respectum istum *realem* et primo, quia eius abstractum, ut dictum est prius, significat eumdem; sed quia *connotat* notitiam perfectam, quae notitia habet respectum *rationis* ad cognita per eam, *ideo* etiam connotat quasi adhuc remotius *rationem declarativi*. Et ita *Verbum* significabit *proprietatem secundae* Personae, licet *connotet* ali-

quid absolutum in illa Persona, quod est quasi terminus formalis productionis illius Personae, et mediante illo quasi remotius connotat respectum ad omne illud ad quod illud absolutum potest habere respectum *rationis*, scilicet, ad omnia declarata. — *Oxon.* ib. — *Report.* ib. — *Quodlib.* ib.

Secundum hoc igitur, quantum ad significatum huius vocis *Verbum*, esset iste ordo: quod primo et per se significatur *respectus originis*, scilicet, *expressio intellectualis passiva*, sed modo concreto. Secundo *connotatur* notitia, quasi terminus formalis communicatus per istam expressionem, et illa est *communis* tribus, tamen *appropriata* Verbo. Tertio vero, per hoc quod ista notia habet respectum ad noscibilia, connotaretur in nomine *Verbi* talis respectus. — *Quodlib.* ib. n. 22.

Augustinus, *LXXXIII. Quaest.*, q. 63, ubi exponitur illud *In principio erat Verbum*, inquit: *Quod graece* λόγος dicitur latine *verbum* et *rationem* significat; sed hoc loco melius *verbum* interpretatur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quae per Verbum facta sunt, operativa potentia. Pro tanto melior est translatio huius, quod est λόγος, in hoc quod est *Verbum*, quam in hoc quod est *ratio*, quia hoc nomen *ratio* nec respectum originis *proprium*, nec illum consequentem *appropriatum*, qui est ad creaturam, ita importat sicut hoc nomen *Verbum;* quare *Verbum* ut Verbum potest comparari per intellectum ad quodcumque, et per consequens habere *appropriatam* relationem *rationis*. Quod vero ait *ut significetur ad Patrem respectus*, hoc debet intelligi de eo quod primo et principaliter significatur; quod autem addit *ad ea quae facta sunt*, ibi debet intelligi *significare* pro *connotare*. — *Quodlib.* ib. n. 23. — *Oxon.* ib. n. 22.

Filius est *ars;* ita etiam dicitur *sapientia* Patris et virtus; et tamen sicut Pater formaliter est *sapientia* et *virtus*, ita etiam formaliter est *ars*. Si autem Pater formaliter creat et hoc ut artifex, creativa ratio formaliter est in Patre; et ita ille respectus *artis* ad creaturas ut ad *artificiata* est *communis* tribus, licet *approprietur* Filio, sicut sibi *appropriatur sapientia* propter convenientiam cum productione sua. — *Oxon.* ib. n. 23.

Si quaeratur, quare Verbum dicitur magis *ars* Patris quam ipsemet Pater? Respondeo: *secundae* Personae ex vi suae productionis competit quod est *notitia declarativa*, quia est producta per actum memoriae exprimentis talem notitiam. Et ideo *appropriate* dicuntur de ea quae pertinent ad perfectionem cognitionis actualis; *magis* tamen *proprie* dicitur *sapientia*, sicut loquitur Apostolus, quam *ars*, sicut loquitur Augustinus, quia ex productione sua magis est notitia declarativa *aeternorum* quam *factibilium*. — *Quodlib.* q. 1. n. 20.

Persona Tertia Smae Trinitatis. — Maxime apparet *tertiae* Personae *proprietas constitutiva* hoc nomine *Spiritus sanctus*, non intelligendo per *spiritum* tantum *naturam intellectualem*, vel *spiritualem:* quia sic hoc nomen *spiritus* est *commune tribus* Personis; sed accipiendo *Spiritus Sanctus* pro *spirato voluntate unica et sancta Patris et Filii*, quia talis voluntas habens obiectum infinitum, infinite diligibile, sibi praesens est principium sufficiens producendi amorem infinitum, et per consequens *per se stantem*, qui *Spiritus* dicitur. — *Oxon.* I. d. 18. n. 5. — *Report.* ib. n. 7.

Spiritus Sanctus dicitur *donum creaturae*, et *spiritus noster*, secundum illum respectum quem *connotat ex sua processione:* quia sicut *donum* primo significat respectum ad creaturam, *connotando* tamen *aeternam processionem* (1), ita e converso *Spiritus Sanctus* primo significat *processionem aeternam*, vel *personam* illam constitutam, *connotando* respectum aptitudinalem ad creaturam. *Filius* tamen *ex processione sua* non significat respectum ad creaturam, nec illum connotat, quia *naturaliter*, et non *per modum doni* procedit: exit enim non quomodo *datus*, sed quomodo *natus: August. V. de Trinitate.* — *Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 13.

Perspectiva. — Vid. *Scientiae Mathematicae quinque.*

---

(1) Vid. *Donum.*

Petitio. — Vid. *Iuramentum — Periurium.*

Petitio principii. — Notandum, quod *principium* in proposito non est aliud quam *conclusio probanda,* quae vocatur *principium,* pro tanto quia est *finis* intentus: modo *finis* vocatur *principium,* ex eo quod est *principium in intentione, licet sit ultimum in exsecutione.*

Secundo notandum, quod *petere principium* accipitur *dupliciter: — Uno* modo *communiter,* quando aliquod minus vel aeque notum sumitur ad probandum magis vel aeque notum. — *Alio modo* sumitur *proprie petitio principii* quando *aliquid sumitur ad probationem suiipsius.* Et tunc definitur sic: *Petere principium est sumere conclusionem non probatam ad suiipsius probationem. — Prior.* II. q. 7. n. 3.

Tunc igitur conclusio sumitur *formaliter statim,* et sub eisdem terminis ad produm seipsam; et sic est primus modus, ut dicendo, *homo est risibilis;* igitur *homo est risibilis. — Alio* modo *non statim,* quando conclusio probanda sumitur ad probationem alicuius, per quam ipsa nata est probari, ut si *A* natum est probari per *B,* tunc si arguatur *A est,* igitur *B est,* tunc est *petitio principii non statim. — Ib.* n. 4, * *ubi plura videre poteris* *.

Petra. — Vid. *Lapis — Petra.*

Philosophia. — Notandum, quod dubitatio et admiratio ex ignorantia sumunt ortum; cum enim videmus effectus manifestos, quorum causas non videmus, admiramur circa effectus illarum causarum. Ex eo ergo quod admiratio fuit causa inducens homines ad *Philosophiam* * *(philosophati* enim sunt homines *propter fugam ignorantiae* (1),) * ideo Philosophus *amator fabulae* * ab Aristotele * vocatur, quod est proprium Poetarum. Unde et quidam antiqui, qui de rerum principiis tractaverunt per quemdam modum *fabularum,* dicti sunt *Poetae theologantes;* et ut dicitur, fuerunt septem Sapientes, de quibus aliquid dicetur infra (2). Quia ergo fabula ex admirandis constituitur, ideo Philosophus Poetae comparatur, nam et ipse circa admiranda versatur.

Notandum ultra, quod cum Aristoteles prius usus fuit nomine *sapientiae,* nunc utitur *Philosophiae,* quod pro eodem sumitur. Dicitur enim, quod cum antiqui studio sapientiae insistentes *sapientes* vocarentur, Pythagoras interrogatus quid se profiteretur esse, noluit se nominare *sapientem,* ut antecessores sui, quia praesumptuosum hoc esse censebat, sed dixit se esse *Philosophum,* id est, *amatorem sapientiae.* Nomen * igitur * *sapientiae* in nomen *Philosophiae,* et nomen *sapientis* in nomem *Philosophi* est mutatum. Et hoc nomen congruit praesenti proposito: nam ille videtur *amator sapientiae* proprie qui *sapientiam,* non propter aliud, sed *propter* sapientiam quaerit: qui autem quaerit eam *propter aliud,* magis *illud aliud* amat et quaerit; quia *propter quod unumquodque tale et illud magis,* ex I. *Posteriorum* (1). — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 2. n. 28. — Vid. *Metaphysica = Sapientia.*

Philosophiae naturalis obiectum. — *Naturalis Philosophia* est scientia *realis speculativa, primo dividens genus scientiae speculativae, magis contracta in consideratione sui subiecti, quam ipsa Philosophia prima* * (Metaphysica) *. Ista patent per Philosophum *VI. Metaphysicae, text. comm.* 4. (2).

Ex his conditionibus *naturalis Philosophiae* patent quae debent esse conditiones *primi subiecti* Scientiae Naturalis. — Quia enim Philosophia est scientia *realis,* eius *subiectum* debet esse *reale,* et non *ens rationis;* ex quo concluditur, quod nullum *ens rationis* potest esse *obiectum* istius scientiae. — Quia est *magis contracta* quam Metaphysica, eius *subiectum* debet esse *minus commune* per praedicationem quam subiectum Metaphysicae. — Quia est scientia *speculativa* proprie et stricte, eius *obiectum* debet esse *mere speculabile.* — Quia *primo dividit genus scientiae,* eius *subiectum* debet esset tale, quod de ipso sit primo de-

(1) Philos. *ib.*
(2) Vid. *Poetae Theologi = Septem Sapientes.*

(1) Vid. *Effata.*
(2) Cfr. exposit. Doctor. S. 1. per tot.

monstrabilis aliqua passio. — Et intelligo *primo* dupliciter: *Uno* modo, quod si de ipso demonstretur passio, quod sit *per rationem eius*, non per rationem alicuius superioris. *Secundo* modo, quod si de ipso demonstretur passio primo, quod ipsum *nullius alterius sit passio*, quia cum omnis passio virtualiter contineatur in suo subiecto, de eo quod est passio alterius non potest esse scientia *prima*, sed praesupponit priorem, in cuius notitia virtualiter ipsa continetur.

Et ex ista conditione, per modum corollarii, licet inferre quod *quantitas* non est subiectum in Metaphysica, quia cum Metaphysica sit prima scientia naturalis, illud cuius notitia continetur in alio non potest poni primum eius obiectum; omnis autem generis accidentis notitia virtualiter continetur in substantia quantum ad suas species et individua.

Breviter igitur colligendo, *subiectum primum Naturalis Philosophiae* requirit *quatuor* conditiones: *Prima*, quod sit ens *reale, minus commune* quam Metaphysicae, *mere speculabile.* — *Secunda*, quod de ipso primo demonstrabilis sit aliqua passio primo modo exposito. — *Tertia*, quod talis passio sit cognoscibilis de ipso *via sensus.* — *Quarta* et ultima conditio est, quod ratio illa, per quam demonstratur talis passio de ea, *distinguat eam ab aliis scientiis*; et haec conditio est *formalissima.*

His visis, videndum est *quod* est illud ens in quo istae conditiones habeant reperiri; et primo in quo *non habeant reperiri.*

Et *primo* istae conditiones non possunt reperiri in *ente rationis*, nec in ente *transcendente*, quod est unum cognoscibile reale abstractum ab omnibus inferioribus; nec in aliquo *accidente*, nec in *substantia* ut est *genus generalissimum*, nec in aliqua substantia *una* unitate *speciei specialissimae*, vel individui; nec in substantia *incorporea* immediate dividente substantiam; nec in substantia *corporea abstracte accepta.* — Reperiuntur autem omnes istae conditiones in *substantia corporea immediate dividente genus substantiae*, inquantum talis substantia consideratur ut habet *formam determinatam*, ratione cuius consequitur ipsam esse *principium determinatae operationis, motus* et *quietis*, mediantibus determinatis accidentibus, quae sibi determinant inquantum sic considerantur, ut habent determinatam formam. — *Miscell.* q. 7. nn. 28-29, * *ubi praedicta demonstrata invenies* *. — Declaratur idem sic: Illud est *subiectum primum scientiae*, et nihil aliud, cui praecisse et nulli alii conveniunt omnes conditiones requisitae ad primum subiectum talis scientiae: sed conditiones requisitae ad *primum subiectum naturalis Philosophiae* praecisse conveniunt substantiae corporeae, immediate dividenti genus Substantiae, accepta sub ratione illa, sub qua dictum est; igitur substantia corporea sic accepta est subiectum *naturalis Philosophiae. Maior* est nota. *Minor* patet discurrendo per omnes conditiones. Sequitur igitur *conclusio*, et illud quod teneo quantum ad *subiectum Scientiae Naturalis.* — *Ib.* n. 31.

Aliqua conclusio potest dici *Scientia Naturalis*, vel de Scientia Naturali, altera *quatuor* causarum: — *Primo* modo, quod eius terminus significet aliquod esse *motum* vel *mobile;* et in hoc differt *Scientia Naturalis* a *Metaphysica* et *Mathematica;* nam termini Metaphysicae significant rem esse *substantiam* vel *accidens, idem* vel *diversum*, et sic de aliis; similiter termini Mathematicae significant rem esse *mensurabilem*, et non motam vel mobilem. — *Secundo*, quia licet termini conclusionis non exprimant aliquod esse motum vel mobile, attamen ipsa est *Scientia Naturalis*, eo quod probatur per principium *naturale.* — *Tertio*, eo quod universalis propositio vel conclusio vera est per *experientiam;* nam experimentum fit per mutationem sensus a sensibili, quia mutatio est quidam motus; et sic multa principia sunt de *Scientia Naturali*, licet non exprimant aliquod esse motum vel mobile. — *Quarto*, eo quod in tali propositione vel conclusione ponuntur termini significantes *actiones primarum qualitatum;* et sic conclusiones in quibus ponuntur isti termini, *odor, sapor*, et huiusmodi sunt de *Scientia Naturali.* — *Physic.* I. q. 1. n. 4.

Physica. — *Physica est sophia,* id est quaedam particularis philosophia. — *Exposit. in Metaph.* l. IV. S. 2. c. 1. n. 28. — Vid. *Scientiarum divisio.*

Pietas. — Cum inter *dona* * Spiritus Sancti * ponitur *pietas,* haec est quae apud Salvatorem * *Matth.* c. 5. * vocatur *misericordia,* et ista est species iustitiae *. — *Oxon.* III. d. 34. n. 20.

Planetarum motus triplex — *Triplex* in motibus Planetarum apparet *differentia:* — *Una* in *latitudine,* quia non semper Planeta aeque distat a polis immobilibus. — *Alia* in *longitudine* est, quia diversimode et non aequaliter percurrunt Zodiacum. — *Tertia* in *elevatione* et *depressione,* quia idem Planeta quandoque plus appropinquat ad centrum terrae, quandoque plus distat, sicut probat Ptolomaeus *in Almageste,* quia cuius circuli diameter visualis in longitudine longiore est longior, in longitudine breviore est brevior. — *Oxon.* II. d. 14. q. 2. n. 4. — *Report.* ib.

Plura. — Vid. *Unum — Plura.*

Pluralitas duplex. — Est *pluralitas unitatem includens,* sicut dicimus, quod *participatione speciei plures* homines sunt *unus* homo. — Et *alia pluralitas unitatem excludens,* sicut dicimus, quod *plura* principia essentialia eiusdem generis non possunt esse immediata eiusdem rei, ut *duae* animae *unius* hominis, sicut dicit Philosophus *I. Elenchor. cap. 13.,* quod proportio pluries non est proportio, quia eadem est ratio proportionis. — *De rer. princ.* q. 2. n. 10.

Pluralitas in Divinis — in creatis. — *VII. De Trinit. vel XXIV: Plus aliquid sunt duo homines quam unus homo.* Et per hoc distinguitur *pluralitas* in *Divinis* a *pluralitate* in *creaturis,* quia *plus* aliquid sunt hic *duo* quam *unum;* non sic ibi. Unde subdit: *Non maior est Pater et Filius simul quam solus Pater.* — *Quolib.* q. 20. n. 8.

Poena. — *Poena* formaliter est *carentia boni convenientis voluntati et volenti;* ita quod si distinguamus in voluntate affectionem boni *iusti* et boni *commodi,* patet quod ablatio boni commodi poena est, quia * bonum hoc * conveniens ei: sed bonum *iustitiae* est magis conveniens voluntati quam bonum commodi; igitur eius ablatio per se est poena. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 22.

Poena canonica. — *Poena canonica* est *poena inflicta secundum Canones, prohibens, vel arcens punitum ab aliquo actu ecclesiastico, qui alias sibi liceret.* Hoc ultimum additur, quia si alias non liceret sibi, non est poena. Dixi autem *secundum Canones,* quia sive a *Canone* infligatur, sive a *iudice,* non a Canone, tamen ad hoc ut sit iusta debet *secundum Canones* infligi. — Dixi autem *prohibens* vel *arcens,* quia poena de qua loquimur vel intelligitur arctare tamquam prohibitio tantum, vel si aliquo modo ulterius, iste modus continetur sub *arcere* vel *arctare.* — *Oxon.* IV. d. 25. q. 1. n. 3. — *Ib.* d. 13. q. 2. n. 7. — *Report.* d. 25. q. 1. n. 3. — Unde non est *poena canonica* inflicta *laico,* quod non *possit conficere Corpus Christi,* quia *sibi alias* non punito *non competit* ille actus. — Hoc quantum ad poenam Canonicam *in generali.*

Huiusmodi *poena generalis* dividitur in plures *particulares,* quae sunt *depositio,* vel *degradatio, infamia, irregularitas, excommunicatio, interdictum,* et *suspensio.*

Prima poena Canonica est *degradatio* vel *depositio:* quae differunt sicut *superius* et *inferius* (1); quia *degradatio* est deiectio ab *aliquo* uno Ordinum, ut gradu Sacerdotii, vel Diaconatus tantum, et non ab alio; *depositio* autem est deiectio vel degradatio *universalis* vel totalis ab *omni* Ordine et executione cuiuscumque Ordinis vel ordinationis; et non solum ab *executione* Ordinum, sed etiam est perpetua et finalis segregatio a societate ordinatorum et statu clericali. — *Report.* ib.

Sed quomodo *depositus* * vel *degradatus* * *amovetur* a statu et gradu clericali? Respondeo, non quod *character* Ordinis sibi

(1) « Si *degradatio* sit amotio ab *omni* gradu clericali, tunc idem est *depositio* et *degradatio.* Si autem *degradatio* sit depositio tantum a *determinato* gradu, reservato tamen gradu alio, sicut a Sacerdotii gradu, remanet gradus clericalis, tunc *degradatio* est quaedam *partialis* poena respectu *depositionis.* — *Oxon.* ib. d. 25. q. 1. n. 4.

tollatur, nec per consequens Ordines suscepti, sed tollitur *licentia exercendi* actum cuiuscumque Ordinis, et etiam *privilegium* illud quod competit ordinatis. Unde talis traditur Curiae saeculari, ita quod et quantum ad actus ecclesiasticos et tutelam personarum ecclesiasticarum et quantum ad formam, totaliter excluditur de numero personarum ecclesiasticarum.

Qualiter *remittitur* ista poena? Respondeo: non nisi per restitutionem in integrum ab eo qui potest restituere, qui ponitur solus Papa; quamvis legitime depositus non legatur postea restitutus. — *Oxon.* d. 25. q. 1. ib. n. 4.

Tertia poena Canonica, *infamia* (1) qua aliquis *infamis* est, non est infamia qua aliquis potest infamari, vel aliquis est diffamatus *sine culpa*, sed qua aliquis est infamis *in moribus* et *in vita*, quousque purgabit se *canonice;* et usque tunc suspendendus est a susceptione Ordinum, quia *infamia* illo modo est *status laesae dignitatis quantum ad vitam vel mores.*

Sed haec *infamia* et status laesae dignitatis aliquando infligitur ipso *Iure;* aliquando infligitur a *Iudice:* ut quando aliquis primo periurus coram Iudice, et postea convictus ut delator falsi criminis, vel perpetrator alterius criminis, de quo convincitur, potest de iure pronunciari *infamis* a *Iudice.* Et haec proprie est *infamia Iuris,* quae incurritur *ipso iure,* quando aliquis facit aliquod peccatum, pro quo esset alias *deponendus.*

Sed ista *infamia iuris dupliciter* incurritur a *duplici Iure:* quia tam a Iure *civili,* quam a Iure *Canonico.* Licet enim Ius *canonicum* non sit idem cum Iure *civili,* tamen quicumque est *infamis* in Iure *civili* est *infamis* in Iure *Canonico,* et non e converso.

Infamis ex Iure non potest esse *iudex,* nec *testis,* nec *accusator,* nec multo magis potest recipere *Ordines sacros.*

Infamia vero *facti* vel de facto non est *proprie infamia,* quia suspicio talis facti infamis potest esse falsa; et ideo * tali infamia notatus * potest esse *testis* et huiusmodi, sed non suscipere sacros Ordines quousque restituatur sibi fama. — *Report.* ib. n. 4.

Ubi sciendum, quod non est idem esse *infamem* et *infamatum. Infamatus* est qui de crimine aliquo publice accusatur; *infamis* autem non est propter talem impositionem criminis, sed vel per crimen publicum *publice commissum,* ut forte si publice periuravit, vel quodcumque aliud crimen publice commisit, propter quod Ius determinat aliquem fore *infamem;* vel quia a *iudice,* coram quo probatur crimen eius, iudicatur *infamis;* ita quod omnis *infamis* est *publice notatus* de crimine quod Ius punit poena *infamiae.* Sed quandoque non est in iudicio de hoc convinctus, et tunc est *infamis* tantum *a Iure,* et non *a iudice;* quandoque convinctus et tali poena a iudice punitus, et tunc est *utroque modo infamis,* et a Iure et a iudice.

Ex istis patet qualiter *infamia contrahatur; prima* enim *infamia* contrahitur ex impositione criminis infamatorii; *secunda* incurritur a Iure vel a iudice puniente tale crimen tali poena. — *Oxon.* ib. n. 5.

Quod *remedium* contra istam poenam? — Respondeo: contra *infamiam primo* modo, quando aliquis est infamatus, est *purgatio canonica,* ut habetur *Extra, De purgatione, canonica, Ex tuarum;* illa enim purgatio totaliter tollit illam infamiam vel infamationem. — Contra *infamiam secundo* vel *tertio* modo, quae quasi est eadem, licet a diversis *Iure* et *iudice,* non est remedium nisi *restitutio in integrum* ab eo qui potest sic restituere: *Extra, De testibus, Testimonium, in gloss. Arcetur.*

Ista poena est *simpliciter gravior,* quantum ad vitam civilem, quam *depositio,* nisi depositio includat istam, quia haec prohibet ab omni actu legitimo, etiam post actam poenitentiam, quia talis persona *vilis* est, *Extra, De reg. Iuris: Infamibus portae dignitatis patere non debent.* — *Ib.* n. 6.

Quarta poena Canonica est *irregularitas* (1), quae est *suspensio perpetua, quan-*

(1) « Quae est status *laesae dignitatis* quantum ad *vitam* et *mores;* sicut *fama* est status *illaesae dignitatis* quantum ad *vitam* et *mores* ». — *Oxon.* ib. n. 5.

(1) « Et ista est *inhabilitas ad susceptionem et executionem actuum Ordinum.* — *Oxon.* ib. n. 7.

tum est ex genere huius poenae, ab executione Ordinum omnium perpetuo, quia quilibet *irregularis* est simpliciter *suspensus.*

Et haec poena incurritur *ipso iure* propter aliqua crimina pertinentia ad Ordines vel alia Sacramenta, quae sunt *quatuor* vel *quinque: Simonia, fictio Ordinum,* et *ministrare in Ordine non suscepto, contumacia* contra Ecclesiam *in non servando interdictum* et *excommunicationem* maiorem latam a Iure; activa vel passiva *iteratio Sacramenti* iam suscepti. Incurritur etiam poena *irregularitatis* propter *non crimina tria,* ut habetur *Extr. De poen. c. Si quis presbyter,* scilicet, propter *servitutem, illegitimationem, mutilationem enormem* in corpore; quae impediunt quemlibet *digne* ministrare in Ecclesia, quia Ecclesia voluit habere dignos ministros et perfectos in natura. Incurritur etiam *irregularitas* propter aliqua quae possunt esse peccata in aliquo casu, et non in alio, sicut propter *homicidium, mutilationem activam,* et *bigamiam,* quia omnia ista possunt esse iuste et iniuste in diversis casibus. — *Report.* ib. n. 5. * *ubi de istis per ordinem late agit Doctor* *. — Cf. *Oxon.* ib. a n. 8.

Quinta poena inflicta a *Canone* est *excommunicatio,* quae consequitur multa crimina, et pro multis criminibus debet infligi, sicut patet *Extra, De sententia excommunicationis, et Extra, De schismaticis. Ad adiiciendos. c. ult.;* et haec poena *excommunicationis* est gravior omnibus aliis poenis canonicis; quia ipsa inflicta a Iudice universali, vel Iure, excludit simpliciter a *communione fidelium,* quod non faciunt aliae poenae canonicae.

Excommunicatio autem est *duplex: maior* et *minor.* — *Maior,* quando canonice et *nominatim* prohibetur communicatio cum alio; et hoc peremptorie, multis praecedentibus monitionibus; et hoc vel ipsius excommunicati ad alios, vel aliorum ad ipsum. Et haec faciliter non recipit dispensationem. — *Alia* est *excommunicatio minor:* ut quando aliquis communicat cum aliis, vel ipsi cum eo in casibus non concessis a Iure. Et haec recipit dispensationem, si postea immisceat se sacris. — *Report.* ib. n. 11.

Minor non est excommunicatio nisi *secundum quid,* quia *secundum quid* excludit a communione fidelium, puta, *in Sacramentis.*

Unde etiam *incurritur,* patet, quia quandoque *a Iure,* quandoque *a iudice.* Et quidem *a Iure* quandoque erat possibile dicere numerum, imo erat parvus numerus quando fuerunt Decretales compilatae sub Gregorio IX; sed hodie, quis numerare sufficiat? et cum crescant in infinitum, crescentibus moribus capitum, non oportet circa hoc membranas implere (1).

Hoc tamen dico, quod nec a Iure, nec a iudice debet infligi, nisi pro peccato *mortali,* nec pro quocumque, sed *gravi,* cum quo etiam concomitatur *contumacia,* quia quandiu aliquis est paratus satisfacere pro culpa, et audit Ecclesiam, quare habendus est sicut ethnicus et publicanus, cum secundum Christum poena ista infligatur quasi ultima, illi qui non vult audiri Ecclesiam, qui est finaliter contumax (2)?

Quis autem sit *minister* Iuris inferendo hanc poenam? Ad *simpliciter excommunicandum* nullus est nisi cui subsunt omnes fideles; ergo nec aliquis alius nisi ut *commissarius* auctoritate illius. — *Oxon.* ib. n. 11.

Qualiter *relaxatur?* Respondeo, quod per *absolutionem* factam ab illo qui excommunicavit, si est excommunicatio a iudice, vel a superiore eius. Si autem est a Iure, per absolutionem eius qui Ius condidit. Nec hoc solum, ut dicunt multi, sed per absolutionem cuiuscumque Sacerdotis, quando legislator *non reservavit* sibi istam absolutionem.

---

(1) Ideo S. Pont. Pius IX, bon. m. considerans « *ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae... magnum ad numerum sensim excrevisse* », Const. edidit 12 Octob. 1869 incipient. *Apostolicae Sedis,* qua et *excommunicationes* aliaeque censurae ad exiguum satis numerum reducuntur, et excommunicatio *minor* reapse aboletur.

(2) « Universalis maxima est mihi in talibus, quod ubi aliquod non ex iure est prohibitum, nec inflictum, non est infligendum, quia *favores sunt ampliandi, et odia restringenda,* semper in communibus et universalibus legibus ». — *Report.* loc. cit.

Comparando autem istam poenam ad praecedentem, haec simpliciter est gravior, quia excludit ab omni communione alias licita; illa tantum ab his quae pertinent ad Ordines; sed ista *reputatur levior*, quia facilius remittitur; sed hoc est ad oppositum, ista enim ideo facilius remittitur, quia *gravissima* est, et a pluribus excludit.

Illae autem duae poenae, scilicet *irregularitatis* et *excommunicationis*, possunt esse et *publicae* et *privatae*, et quoad hoc quod possunt esse *privatae* sunt minus graves, quam alterutra praecedentium, quae duae * *(depositio* seu *degradatio* et *infamia)* * semper sunt *publicae*. — *Ib.* n. 12.

Sexta poena est *interdictum* (1), quae magis infligitur *locis* quam *personis;* et ideo magis est poena et indignitas *loci* quam *personae*. Infertur tamen loco propter malitiam maximam *personarum* habitantium in loco.

Haec autem poena *interdicti*, sicut *excommunicatio*, quandoque infligitur a *Iudice*, quandoque a *Iure*. — A *Iudice* propter *rebellionem* vel aliquem consimilem actum. Etiam infertur quandoque ab eo quoad *talem* vel *talem* locum vel *personam*, ita quod *interdictum* semper est talis poena qualem infert Iudex. — Incurritur autem vel infligitur a *Iure* in tribus casibus: ut quando Ecclesia polluitur *sanguine* vel *semine*, vel *receptione usurariorum*.

Septima poena inflicta a Canone est *suspensio*. — Et haec infertur *dupliciter:* uno modo *ab officio*, et ab ingressu Ecclesiae, vel ministratione Sacramentorum ad tempus, vel a susceptione eorum, quantum ad quinque Sacramenta non necessaria simpliciter. Et haec poena non est gravis nisi clericis, quibus incumbit ex officio talia exequi, a quibus suspensi minus digne habentur.

(1) «Quae est *arctatio a quibusdam actibus ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo quibusdam talibus*. Et licet ista poena aliquando possit infligi loco, et non personae, quandoque personae, et non loco, quandoque utrique, et sicut infligitur ita est servanda, tamen ut est *distincta* poena a caeteris *frequentius infligitur loco*, et non personis, nisi dum in loco sunt, ut, scilicet, in *tali* loco non liceat celebrare solemniter divina, nec alios interesse». — *Oxon.* ib. n. 13.

— Aliquando autem infertur haec poena *a beneficio;* et *haec* est gravior poena ipsis beneficiatis, qui magis diligunt pingues Ecclesias et Prebendas, quam odiant suspendi et arctari a communione Sacramentorum ad tempus.

Infligitur autem haec poena a *Iure* et a *Iudice*. — A *Iure* contra male et indiscrete iudicantes, et contra simili modo excommunicantes; Sicut patet *De sentent. excom. Cum medicinalis, et Extr. De Sent. et re iudicata. Cum aeterni*, et *Extr. De Off. Ordin.* — Infertur autem quandoque a *iudice* in diversis casibus: ut ab Episcopo respectu subditorum. — *Report.* ib. nn. 12-13. — *Oxon.* ib. n. 13.

Poena — Culpa. — Vid. *Culpa* – *Poena* = *Damnatorum punitio.*

Poena damni. — *Poena damni* non est solum *carentia*, quia sic non esset poena, sed carentia *boni apti nati inesse et convenientis*, quod debet inesse: non boni remoti, sed *propinqui*. Nec cum hoc toto esset illa carentia *poena*, nisi esset *nolita;* et ideo oportet quod sit carentia *involuntaria*. — *Oxon.* IV. d. 50. q. 6. n. 12. — Potissima * autem * et maxima poena est privatio *maximi boni*, qualis est formaliter in actu malo, malitia culpae peccatorem avertente a Deo. — *Ib.* II. d. 7. n. 28. — Ergo *poena damni* est *carentia visionis divinae*. — IV. d. 50. q. 3. n. 3. — * Seu * per se poena damni est *visione Dei privari*. — II. d. 33. n. 5. — Erit inaequalis secundum inaqualitatem culpae. — IV. d. 50. q. 6. n. 12. — Vid. *Damnatorum punitio.*

Poena dupliciter medicina. — Sicut medicina est duplex, curativa et *praeservativa*, sic *poena dupliciter est medicina: corrigibili* infligitur ut *curet; incorrigibili* ut *praeservet*, non ipsum, sed *alios;* quia ad bonum communitatis est, quod determinentur per legislatorem aliquae poenae, et istae infligantur delinquentibus; et non tantum in determinatione, sed etiam in inflictione sunt medicinae *praeservativae* illis qui sunt in statu praeservationis. — *Oxon.* IV. d. 46. q. 4. n. 21. — *Report.* ib. n. 25.

Poena dupliciter ordinat culpam. — Haec est universalis regula iuris divini, quod

omnem culpam oportet ordinari per poenam, quia omnis culpa est offensiva Dei, quia mandato vel praecepto eius contempto offenditur et irascitur: ira autem Dei et voluntas vindicandi est voluntas puniendi et infligendi poenam correspondentem peccato; ergo cum voluntas divina sit regula et origo iustitiae, omnis culpa ordinatur per poenam. Sed *diversimode,* nam aliquando poena *non tollit* culpam, quam tamen *ordinat,* ut in damnatis; et tamen melior est ibi malus cum poena, quam sine poena, quia magis apparet ex hoc iustitia, quam si esset sine poena, ex quo enim continue peccant, continue puniuntur. — Alia autem poena ita ordinat culpam, quod *omnino tollit* eam, ut in electis et praedestinatis nunc peccantibus in via; ex quo enim Deus aliquem praedestinat, ordinat ad gloriam ipsum peccantem, et ab ista ordinatione ad gloriam cadentem ordinat per poenam, et ipsa soluta, reconciliat eum in amicitiam pristinam, etc.

Aliqua igitur culpa tollitur per poenam, ut in omnibus electis et praedestinatis; aliqua non, ut in damnatis; et tamen culpa ordinatur per poenam etiam in eis. Et hoc satis possibile est, quia aliquis potest iuste semper punire alium pro peccato continuo, et tamen non reconciliare eum in amicitiam; et alium potest punire, et eum sibi ut amicum reconciliare. — *Report.* IV. d. 14. q. 1. n. 8. — *Oxon.* ib. n. 9.

Poena ordinans peccatum secundum se potest esse una unius; sed ordinans in ordine ad illum quem offendit culpa, multiplex est secundum voluntatem illius in comparatione ad quem ordinat. Patet in actibus humanis, ubi poena satisfactoria alicui offenso tanta et tam multiplex est, quanta et quotuplex sufficit offenso pro emenda. — *Ib.* q. 3. n. 7.

Poenae divisio. — *Poena* dicitur *duobus* modis: — *Uno* modo *poena* est *solum carentia boni convenientis naturae intellectuali,* sicut est carentia visionis et fruitionis Dei; et haec est *pura privatio.* — *Alio* modo potest dici *poena* aliquod *positivum,* et tamen *disconveniens* tali naturae; sicut *calor excellens* est aliquod *positivum disconveniens carni.*

Omnes poenae *secundo modo* dictae possunt poni a Deo, quia sunt aliqua positiva; et de istis debet intelligi illud *Primi Retract., cap. 25 et 26.* ait enim: *In bonis operibus Dei bona opera sunt ista punitiva, licet sint mala istis punitis, quia disconveniunt eis.* — Sed poenae *primo modo* non sunt a Deo *efficiente,* quia non sunt *effectibilia;* nec *deficiente* primo. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 25.

Poena etiam potest intelligi: vel *quodcumque* incommodum sive disconveniens; et illud potest esse in homine in parte sensitiva, vel in corpore coniuncto actui animae sensitivae: vel potest esse *primum* disconveniens, quae est tristitia, quae est ex parte intellectiva, quae proprie et primo est poena; de qua dicit Augustinus, *De Civit. lib. XIV. cap. 15.,* quod *tristitia est dissensio animi ab his rebus quae nobis nolentibus accidunt.* — *Ib.* IV. d. 14. q. 1. n. 11.

Poena vermis. — Vid. *Damnatorum punitio.*

Poenitentia — Charitas. — Videtur quod *poenitentia* virtus sit nobilior quam *charitas,* quia *imperat actum eius.* — Respondeo, quod si possit imperare actum charitatis, non tamen sequitur quod sit nobilior virtus simpliciter quam charitas, licet secundum hoc sit nobilior, et ita *secundum quid;* nam *charitas* etiam potest *imperare actum poenitentiae.* Patet in contemplativis. Et ita quantum ad mutuum imperium actuum sunt *aequales,* quia circulatio potest esse in actibus virtutum, sicut in actibus potentiarum; ita enim potest iustitia imperare charitatem, sicut e converso, cum imperium unius habitus sit nobilior alio. *Charitas* autem est habitus *nobilissimus,* quia sortitur speciem a fine ultimo per se amato; et non sic *poenitentia* est immediate respectu finis ultimi; quia omnis actus qui potest esse informis non est respectu finis ultimi in se; qui autem est respectu illius in se non potest esse informis, quia non potest aliquis *male diligere* * Deum *, nec ex loco et tempore, vel aliqua circumstantia. — *Report.* IV. d. 14. q. 2. n. 13.

Voluntas secundum diversos actus potest uti seipsa quasi circulariter hoc modo: ex dilectione Dei in se, quae est actus charitatis,

potest imperare actum voluntatis vindicativum peccati; et e converso, ex actu imperativo vindicandi potest imperare actum dilectionis Dei in se, ad quem sequatur nolitio vel displicentia de aliquo peccato commisso, et sic tristitia de illo peccato; ergo charitas potest uti actu poenitentiae et etiam actu cuiuscumque virtutis in voluntate vel intellectu; et poenitentia etiam potest uti charitate et quacumque virtute in intellectu et voluntate. — *Oxon.* ib. n. 10.

Poenitentiae actus multiplex. — Actus poenales vel passiones voluntariae in genere reducuntur ad actum *interiorem* displicentiae, vel passionem *tristitiae,* et ad actum *exteriorem* confitendi proprium peccatum, quod est valde poenale; vel *passionem concomitantem,* scilicet verecundiam; et ad actum *simpliciter exteriorem,* vel passionem, scilicet macerando carnem; et omnis talis maceratio dicitur contineri vel reduci ad *ieiunium;* vel elevando mentem in Deum, et hoc fit per *orationem;* vel sua temporalia erogando, quod fit per *eleemosynam.* — *Oxon.* IV. d. 15. q. 1. n. 8.

Poenitentiae regula duplex. — Quaelibet virtus appetitiva habet aliquam virtutem intellectualem *regulantem* et dirigentem eam, sibi correspondentem, ut prudentiam aliquam, sive sit propria prudentia cuilibet virtuti appetitivae, sive non (1).

Secundum igitur quod in intellectu est alia et alia manifestatio vel regula ad dirigendum hominem circa cognitionem offensae qua Deus multipliciter offenditur per peccatum, secundum hoc in appetitu et voluntate est alia et alia *poenitentia punitiva* et *vindicativa* offensae.

Potest autem alia regula et manifestatio ad cognoscendam offensam Dei haberi in intellectu *lumine naturali* intellectus. — Nam sicut ex puris naturalibus potest aliquis cognoscere Deum offensum per peccatum, ita ex puris naturalibus cognoscere * potest * displicendum esse de eo, et ex istis acquiritur haec regula universalis naturaliter, quod *de omni offensa divina est dolendum;* et isti regulae in intellectu potest respondere poenitentia in appetitu, qui faciliter inclinat ad habendum displicentiam et dolorem pro offensa Dei per peccatum.

(1) De quo late agit in *Oxon.* III. d. 36. n. 11. seqq.

Alia autem est regula quae non acquiritur *lumine naturali,* sed inspiratione et *lumine fidei,* secundum quod habetur in Scriptura sacra divinitus inspirata, ubi determinantur poenae pro peccatis, quae non possunt a nobis ratione naturali determinari, quia illa quae placant offensam Dei sunt revelata a Deo; et illas sic determinare, ut possint divinam offensam placare, est a sola voluntate divina, quae contingenter se habet ad omnia alia a se; et ita non possunt illae poenae determinatae a voluntate divina a nobis naturaliter cognosci, sed tantum ab intellectu suo qui videt determinationem voluntatis suae. Nec huiusmodi poenae determinatae determinatis peccatis a Deo in Scriptura fuerunt semper eaedem, sed aliae et aliae, quia aliae tempore Legis *scriptae,* aliae tempore Legis *gratiae,* in quo, iuxta Psalm. 84 (1), *misericordia et veritas obviaverunt sibi; iustitia et pax osculatae sunt.*

Supposita regula *supernaturali,* quae poenas diversas diversis peccatis determinat, correspondet in voluntate et appetitu rationali poenitentia *virtus,* quae est iustitia quaedam punitiva et vindicativa peccati et offensae Dei per poenam ab eo statutam. — *Report.* IV. d. 14. q. 3. nn. 2-3.

* Seu brevius *: Regula eius * (virtutis *poenitentiae*) * dicitur esse duplex: quaedam *naturaliter* cognoscibilis, ut scilicet, quod de peccato est displicendum. — *Alia* regula respiciens peccatum detestandum tantummodo est nota *ex revelatione,* scilicet, quod peccatum est detestandum inquantum est Dei offensivum, vel inquantum aversivum a Deo, vel impeditivum acquisitionis beatitudinis, vel inquantum inductivum finalis miseriae. Et sub istis rationibus correspondet huic regulae aliqua iustitia in voluntate; alia quidem, sicut alia est eius regula. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 3. n. 2.

Poenitentia — Poenitere. — Praeter modum quo accipitur *poenitentia* pro *Sacra-*

(1) V. 11.

mento Poenitentiae, poenitentia, vel magis *poenitere*, potest *multipliciter* aliter accipi. — Sicut enim habetur ex dictis *dist.* 14. q. 2 et 3, contingit habere iustitiam quamdam *vindicativam* peccati *proprii*. — Et proximum ei est actus proprius eius *elicitus*, qui est quoddam *velle* imperativum *poenae* ut culpam *vindicantis*. — In *tertio* gradu est effectus *proximus* totius actus eliciti, qui effectus est actus aliquis, vel actus aliqui, ad quem vel ad quos sequitur *poena vindicativa*. Non enim potest voluntas per actum volendi *imperare poenam*, nisi prius *imperando causam* poenae, quia passiones non sunt in potestate voluntatis nisi mediantibus actibus. — *Quarto* et ultimo sequitur *poena* consequens istum actum imperatum ab actu elicito ipsius *poenitentiae* virtutis, et ista poena est effectus *remotus* illius actus eliciti.

Patet autem distinctio istorum omnium per se posse separari ab invicem. Potest enim *virtus* illa esse sine *actu* suo *elicito*; patet de se; et e converso; quia, ut dictum est, primus actus conformis rectae rationi natus generare virtutem potest haberi antequam aliquid virtutis habeatur, quia est generativus *primi gradus* virtutis. Consimiliter actus ille elicitus, qui est *secundus*, potest esse sine *tertio*, id est sine actu *imperato*, quia non statim ad actum *imperii* in voluntate sequitur actus qui imperatur, quia voluntas imperans non est omnipotens. Et e converso, *tertium* illud potest esse sine *secundo*, scilicet, actus aliquis *causativus* poenae sine actu voluntatis *imperante* actum istum, sicut potest habere quis detestationem peccati a se commisi immediate ex contemplatione Dei, licet non imperet talem actum elici ut vindicativum culpae. Potest etiam esse *tertium* sine *quarto*; quia non semper ad actus illos, qui essent nati generare poenam, sequitur poena, propter aliquam indispositionem forte in ipsa potentia susceptiva poenae, sicut non semper ad volitionem vel odium peccati commissi sequitur tristitia. Potest etiam *quartum* separi a *tertio*; quia illa poena potest esse sine actu illo ordinato, qui natus esset poenam illam causare, quia ille actus, ut ordinatus, non est causa praecisa generationis poenae illius. Ergo istorum *quodlibet* sine *quolibet* esse potest, et quaelibet *duo*, vel *tria*, sine *quolibet*, vel *quibuslibet* aliis (1).

Ad propositum de hoc vocabulo *poenitere*, proprie, ut dictum est prius, est *poenam tenere* (2): *tenere* autem includit et *actionem tenentis*, scilicet, quod *voluntarie* teneat, et *applicationem poene* sibi, quod in se teneat (3). — Potest ergo habitus ille dici *poenitentia*, quia * est * quaedam *habitualis tenentia poenae*, sicut principium habitualiter inclinans ad infligendam sibi poenam voluntarie. — Et actus ille *proximus imperatus* ab actu elicito istius potest dici *poenitere*, quia est *voluntarie habere in se poenam*, saltem in causa sua, nec aliter potest aeque principaliter voluntarie haberi sicut in causa. — *Quartum*, scilicet, *puniri* poena sequente actum illum non est proprie *poenitere*, sed magis, ut ita dicam, *poeniteri*, idest *poena teneri*, vel usitatius *puniri*. — *Oxon.* IV. d. 16. q. 1. nn. 3-4, * *ubi adhuc plura, sicut et in Report. hic* *.

De vocabulo *poenitentiae* dico, quod in punitione ista voluntaria convenit *multa* considerare. — Primo quidem *velle punire*, quod est *velle* imperativum seu efficax coniungens causas proximas ipsius punitionis passivae. — Et secundo *nolle peccasse* vel displicere, quod est causa partialis proxima poenae, licet non intendat poenam illam. — Et tertio *velle acceptare punitionem* illam passivam iam inflictam. — Quarto *patienter ferre* punitionem. — Et haec *quatuor* sic breviter explicantur: *Vindicare* commissum, *detestari* commissum, *acceptare* poenam inflictam, *patienter ferre* poenam inflictam.

His quatuor correspondent alia quatuor ex parte *termini* volitionis, in quibus est

---

(1) Horum fusiorem explanationem vide infra: *Poenitentia quadrupliciter accipitur.*

(2) « Secundum Augustinum, hoc ipsum vocabulum *poenitere* est idem quod *poenam tenere*, et hoc idem est quod *in se ipso voluntarie pro culpa poenam habere.* » — *Report.* IV. d. 14. q. 1. n. 9. — « *Poenitentia* est *voluntaria poenae tentio* ». — *Ib.* n. 15.

(3) « *Tenere* quando non additur dativus exprimens *cui* teneatur, significat quod *sibi* ipsi *tenenti* teneatur. Hoc patet ex communi sermone ». — *Oxon.* IV. d. 14: q. 2. n. 2.

idem *materiale*, scilicet, *puniri*; *formalia* autem * sunt * *quatuor* superaddita, scilicet, *volitum* a voluntate *causante*, a voluntate *detestante*, a voluntate *acceptante*, et a voluntate *patienter ferente*.

Patet autem, quod non est per se idem *volitio* aliqua praedicta et ipsa *punitio passiva;* et ita nomen quod per se *significat volitionem*, et *connotat punitionem*, non significabit *univoce* punitionem, connotando volitionem; et per consequens si aliqua dictio significat per se *punitionem volitam*, et *poenae volitionem*, hoc erit *aequivoce*. Item si significat istam *quadruplicem* volitionem, hoc erit *aequivoce*. Istis ergo *octo* posset imponi aliquod *idem* nomen *aequivoce*.

Sed faciendo vim in hoc nomine, *poenitere*, et sequendo auctoritatem et usus loquentium de hoc nomine, cum *poenitere* sit *poenam tenere*, secundum ethimologiam nominis, et *tenere poenam* importet *actionem* respectu *poenae*, non tantum passionem ipsius ut inhaerentis, proprie videtur significatum huius vocabuli consistere in *quatuor* primis: et sic fit *quadruplex definitio*, vel descriptio eius quod est *poenitere*.

Prima est ista: *Poenitere est vindicare peccatum a se commissum.* — Et patet quomodo est ibi *tenere poenam*, quia *applicare sibi ipsi* poenam est *tenere eam;* et istud potest intelligi, sive applicet vel infligat poenam in *effectu* vel *affectu;* quia vindicans non minus vindicat, etsi quandoque poena non sequatur propter defectum alicuius causae secundae, dum tamen ipse aeque et iuste intendat poenam infligere.

Secunda descriptio est: *Poenitere est detestari vel ordire peccatum a se commissum vel displicentiam habere de hoc peccato a se commisso.* — Et patet quomodo est ibi *poenam tenere*, quia in causa proxima partiali. Et istud potest intelligi de *nolle* vel *detestari* vel displicentiam habere de hoc peccato sub *propria* ratione, vel in *generali* simul de quocumque peccato a se commisso; et iterum de displicentia *formali* vel *virtuali*. — Et est *displicentia virtualis* quicumque actus voluntatis virtualiter includens illam displicentiam, sicut quodammodo causa includit effectum, licet effectus in se non causetur. Sic cum omnis nolitio oriatur ex aliqua volitione, omnis displicentia seu nolitio peccati, licet *formaliter* non insit, potest *virtualiter* inesse in aliqua volitione, ad quam nata est consequi talis displicentia.

Tertia descriptio: *Poenitere est poenam inflictam pro peccato suo commisso gratanter acceptare.* — Et patet quomodo hoc est *poenam tenere*, sicut obiectum tenere per actum voluntatis; et istud non potest intelligi *de acceptare formaliter* vel *virtualiter*, sed aliqua alia acceptatione, in qua ista includitur virtualiter, sicut volitio *entis ad finem* includitur in *volitione finis*.

Quarta descriptio est: *Poenitere* est *poenam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre.* — Et patet quomodo hoc est *poenam tenere*, quia non abiicere remurmurando. — Unde et communiter dicitur in hoc sensu *substinere*, idest *sub* actione agentis infligentis se illi conformando *tenere*.

Omnis *punitio voluntaria* continetur sub aliquo quatuor modorum *poenitentiae;* sed ad deletionem cuiuslibet peccati mortalis actualis post Baptismum commissi requiritur aliqua punitio voluntaria; ergo ad eius deletionem requiritur poenitentia dicta aliquo illorum quatuor modorum. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 14-16, * *ubi praedicta fusiori prosequitur calamo* * — Vid. etiam *Report.* ib. qq. 1. et 2.

Iusta *primam* significationem, *poenitere* potest esse actus *virtutis* medium, quia potest esse actus conformis rectae rationi. — Non dico, quod *poenitere* primo modo semper sit actus virtutis, id est, *elicitus a virtute*, sed virtutis, id est, *natus elici a virtute*, vel *generare* virtutem, quia *conformis rectae rationi*, et in hoc est *bonitas moralis* actus humani. — *Oxon.* ib. q. 2. n. 2.

Secunda inquisitio est: *cuius virtutis* sit ille actus *poenitere* secundum *primam* significationem huius vocabuli *poenitere?* — Ad cuius declarationem sciendum, quod *poenitere* requirit praecognitionem distinctam eius de quo * quis * poenitet secundum istum intellectum. Ubi dico, quod ista se habent per ordinem: *imperare* causarum proximarum partialium tristitiae coniunctionem, et ipsae causae partiales coniunctae, quae sunt

effectus *proximi* illius imperii; et ultra se quitur effectus *remotus* huius imperii, ipsa, scilicet, *tristitia;* postea potest sequi *complacentia tristitiae,* quae est actus voluntatis habens tristitiam pro obiecto; et tandem *gaudium de tristitia,* secundum illud Augustini: *Peccator de peccato doleat, et de dolore gaudeat.* Patet distinctio illorum, *primi* quidem, scilicet, *imperii* a *causis proximis* tristitiae, sicut causae principalis et remotae a causa secundaria et propinqua. *Secundi* a *tertio,* sicut causae ab effectu, et actionis a passione. *Tertii* a *quarto,* sicut obiecti ab actione. *Quarti* a *quinto,* sicut obiecti a passione appetitiva de illo obiecto. — *Ib.* n. 3.

Hoc supposito, sit haec conclusio: *poenitere est actus specialis virtutis;* quia ille actus natus est habere *speciale* obiectum, et *speciales* circumstantias: *obiectum,* peccatum vindicabile; *circumstantias,* quae conveniunt actui ut recte tendenti in tale obiectum, scilicet, *finem, modum* et huiusmodi. — *Ib.* n. 4.

Ulterius in speciali sit haec conclusio: *poenitere non est actus alicuius virtutis intellectualis;* quia est actus appetitus ut appetitus, quia *imperare* intellectui ut consideret * peccatum *, et voluntati ut detestetur, non convenit nisi *appetitui* vel *voluntati.*

Sequitur alia conclusio: * *poenitere* * *non est appetitivae virtutis ordinantis ad seipsum,* cuiusmodi sunt *temperantia* et *fortitudo;* ergo virtutis ordinantis *ad alterum,* cuiusmodi est *iustitia.* — Quia actum istum vindicandi potest aliquis eodem modo secundum rationem rectam exercere in alterum, sicut in seipsum; si etiam exerceat in seipsum, non exercet in se nisi *ut in alterum,* quia non exercet in se nisi inquantum sibi committitur a legislatore in istum reum * (seipsum) * vindicare.

Ergo ista virtus, cuius natus est esse iste actus, continetur sub *iustitia,* prout in generali dicitur *iustitia* omnis *virtus ordinata ad alterum,* vel *quasi ad alterum.* — Nec obstat, quod ille in actu isto ordinetur ad seipsum, quia non ad se nisi ut *alterum,* ut, scilicet, minister iudicis in reum contra legem, in quem commissa est sibi auctoritas a iudice. — *Ib.* n. 5.

Est ergo iste actus iustitiae *punitivae,* quae distinguitur contra iustitiam *commutativam* et etiam contra *amicitiam.* Et forte iste actus est nobilior inter omnes actus *iustitiae* in communi, excepto actu *praemiationis.* — *Ib.* n. 8.

Alia conclusio est ista: *ille actus est voluntatis,* cuius est imperare intellectui et voluntati; et hoc imperio pertinente ad *irascibilem* et potentiam aliquam habentem in se aliquid simile virtuti irascibili; non convenit in parte intellectiva hoc imperare nisi voluntati. — *Ib.* n. 9.

Sic apparet de *primo* actu poenitendi, sive de prima significatione huius vocabuli *poenitere, quid* sit, quia *velle imperativum;* et *cuius* effectus, quia *tristitiae;* et *per quae* quasi per instrumenta, quia per causas proximas tristitiae, scilicet, *considerationem* actualem et *nolitionem* actualem alicuius obiecti; et *circa quod* obiectum, quia circa *peccatum commissum;* et *a quo,* quia a *ministro* habente commissionem puniendi a legislatore; et *propter quem* finem, quia propter *observationem legis,* et ulterius propter bonum commune. — Ac per hoc * patet * quod ille potest esse actus *virtutis specialis,* quia cuiusdam *specialis iustitiae;* et *cuius* subiecti, quia *voluntatis.* — *Ib.* n. 10.

De *secunda* significatione huius vocabuli *poenitere,* scilicet, de eo quod est *detestari* peccatum commissum, vel displicentiam habere de commisso, dico quod iste potest esse actus *virtutis;* quia potest esse actus electivus *concors rationi rectae.* Ratio enim recta, sicut dictat complacendum esse in bono honesto, ita dictat *displicendum* esse in malo inhonesto.

Et ex hoc patet *secunda* conclusio, scilicet, *cuius* virtutis potest etiam esse actus, quia *nullius specialis,* sed *cuiuscumque appetitivae;* quaecumque enim virtus inclinat ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad *detestandum* et ad *displicendum* de malo inhonesto opposito, utpote *castitas* de aliquo inordinato contra castitatem inclinat ad displicentiam, et *humilitas*

de actu inordinato superbiae, et sic de caeteris. Quaelibet tamen inclinans ad talem displicentiam est *virtus appetitiva*, quia nihil est principium *odiendi*, sicut nec *amandi*, nisi *virtus appetitiva*. — *Ib.* n. 11.

De *tertio*, quod est *gratanter acceptare* poenam inflictam pro peccato commisso, dico, quod etiam iste actus potest esse *virtutis*, quia *concors rectae rationi*. — Et secundo, quod potest esse *multarum* virtutum, quarum tamen quaelibet sit *appetitiva*, quia quidquid potest esse principium acceptandi aliquod obiectum potest esse principium acceptandi aliud in ordine ad ipsum; per *diversas* autem virtutes potest acceptari aliud et aliud obiectum, in ordine ad quod possit poena inflicta pro peccato acceptari.

De *quarto*, scilicet, *patienter ferre* poenam inflictam, patet quod potest esse actus *virtutis*, et *specialis* virtutis, quia *patientiae*. — *Ib.* n. 12. — * *Praedictis in locis, et in* Report. ib. *plura possunt utilia et ad rem inspici* *.

Aliquis potest *maxime tristari* pro peccatis suis, et tamen *nihil* habere de *actu* virtutis poenitentiae; et e converso, *multum* habere de *actu* virtutis poenitentiae, et tamen *parum* vel *nihil contristari*; quia ex maxima consideratione et delectatione Dei in se potest sequi *maximus* dolor et tristitia ex offensa eius per commissum peccatum, et talis est *maxime* Deo dilectus, et tamen dolor et tristitia non sunt imperata tunc *ex actu poenitentiae*.

Similiter aliquis ex magno conatu imperat considerationem peccatorum, ut vindicet per poenitentiam, et nititur ea detestari et nolle, et tamen non sequitur semper tristitia, sed quandoque delectatio, ut ex opportunitate peccati et multis aliis circumstantiis.

Unde multi possunt intime et *summe poenitere* de peccatis suis, sed *nullam lacrymam emittere* exterius; et e converso, *multum* possunt aliqui *lacrymari*, etsi *minus poeniteant*. — *Report.* IV. d. 14. q. 2. n. 15.

Omnis *poenitentia* secundum se, et quantum est ex parte sui, est involuntaria, quia est *disconveniens* naturae, et contra affectionem *commodi;* tamen in causa sua potest esse voluntaria, ut in actibus voluntariis ex quibus sequitur. Et similiter in se potest esse voluntaria, quantum ad affectionem *iustitiae*, unde et aliqui dolent, et de dolore *gaudent* multum, et hoc ex causa eius quae est actus iustitiae. — *Ib.* n. 16. — Vid. *Iustificatio impii quadruplex.*

Poenitentia quadrupliciter accipitur. — Accipiendo *poenitentiam* non pro Sacramento, adhuc est *aequivocum*, et potest accipi *quadrupliciter:* — *Uno modo* pro poenitentia *virtute*, quae est simpliciter habitus in anima. — *Secundo modo* pro *actu proprio* poenitentiae virtutis, quomodo eam accipimus communiter in communi sermone, loquendo alteri, *facias poenitentiam;* ubi non arctamus quod quis faciat in se *habitum* et *virtutem poenitentiae*, sed infligat sibi *actum* proprium illius habitus. — *Tertio modo* accipitur *poenitentia* pro *effectu proximo* et proprio proprii actus virtutis poenitentiae. — *Quarto modo* accipitur pro *effectu remoto* illius actus.

Et ignorantia distinctionis illius vocabuli facit magnam deceptionem in multis de hac materia.

Primo, accipiendo *poenitentiam* pro *habitu*, scilicet, *virtutis* simplicis in anima, dico quod est *quaedam iustitia punitiva et vindicativa proprii delicti, inquantum est offensivum Dei, et respectu alicuius alterius indebiti.*

Secundo modo *poenitentia* est *velle iuste vindicare in se peccatum quod commisit;* et est quidam *actus voluntatis*, et imperativus efficaciter poenitentiam sibi ipsi infligi pro peccato commisso in offensam Dei, secundum inclinationem habitus poenitentiae, quae existens in eo inclinat ad actum iustum vindicandi peccatum.

Tertio modo *poenitentia* est *actus imperatus vel imperati potentiis inferioribus*, ex quo sequitur *poena*, quae est effectus *proximus* praedicti actus imperandi poenitentiae virtutis.

Nam voluntas inclinata ad vindictam iustam per iustitiam vindicativam, quae est in ea, importat actum imperativum *poenitentiae* efficacem, qui importat alios actus

poenitentiarum, ad quos sequitur poena, vel passio; et isti actus imperati sunt tam actus *interiores* quam *exteriores*, ad quos sequuntur diversae poenitentiae et passiones exteriores et interiores. — *Report.* IV. d. 16. q. 1. nn. 2-3, * *ubi praedicta enucleatius exponit* *.

Quarto modo accipitur *poenitentia* pro *effectu remoto* illius actus poenitentiae virtutis; et illo modo tres poenitentiae continentes tres actus, qui sunt effectus proximus actus poenitentiae virtutis, ut *tristitia*, et *displicentia interior*, et *erubescentia* vel *verecundia* et *dolor* vel aliqua passio exterior in carne, possunt dici *poenitentia.* — *Ib.* n. 4.

Accipiendo *poenitentiam* tertio modo pro actibus *imperatis*, qui sunt effectus proximus et proprius *poenitentiae* secundo modo dictae, sic illa tria, *contritio, confessio* et *satisfactio*, possunt dici partes illius *poenitentiae* totalis *tertio* modo dictae: quia per istos tres actus imperatos habet homo totum quidquid pertinet * ad * *poenitentiam;* ita quod *contritio* accipitur pro *duplici actu interiori* imperato ad actu virtutis, pro *consideratione*, scilicet, et *nolitione* offensae Dei; et *confessio* et *satisfactio* pro actibus *exterioribus*, oris, scilicet, et aliarum partium corporis, quibus fit executio operis dolorosi et asperi, et non pro passionibus consequentibus illos actus. — *Ib.* n. 6.

Sed si accipiatur *poenitentia* quarto modo pro poena totali et effectu remoto actus poenitentiae virtutis correspondente totali effectui proximo, scilicet, punitionis et passionis ex consequenti regulatae, imperatae actu imperativo poenitentiae virtutis, sic *contritio*, et *confessio* et *satisfactio* sunt partes *poenitentiae*, accipiendo *passive*, ut sic per *contritionem* intelligatur *tristitia* et passio interior consequens actum considerationis et nolitionis, sive detestationis peccati, inquantum est offensivum Dei; et per *confessionem* intelligatur *erubescentia* vel *verecundia* consequens actum confessionis; et per *satisfactionem poena* et *dolor* operis asperi et laboriosi.

Unde accipiendo *contritionem, confessionem* et *satisfactionem active*, sic sunt partes poenitentiae *quarto* modo dictae. — *Ib.* n. 7.

In istis autem modis *poenitentiae* est quidam ordo, sicut patet. — Nam poenitentia *primo* modo dicta, quae est habitus in anima quiescens, potest esse sine poenitentia *secundo* modo dicta, scilicet, sine actu interiori imperativo; et e converso, *actus* potest esse sine *habitu* isto. — *Ib.* n. 8. — Similiter poenitentia *tertio* modo dicta vel exteriores actus, vel interiores imperati a poenitentia *secundo* modo dicta, et actu imperativo virtutis poenitentiae, possunt mutuo esse sine se invicem, ita quod *secundus* posset esse sine *tertio;* patet; et similiter quod *tertius* posset esse sine *secundo.* — *Ib.* n. 9. — Similiter poenitentia *tertio* modo dicta, ut effectus proximus poenitentiae *secundo* modo dictae, potest esse sine poenitentia *quarto* modo dicta; sed non e converso. — *Ib.* n. 10. — Vid. ib. *probationes.* — Vid. etiam *Oxon. ib. et supra: Poenitentia — Poenitere.*

Poenitentia (Sacramentum). — Pono talem rationem nominis *poenitentiae* quae est Sacramentum, scilicet: *Poenitentiae Sacramentum* est *absolutio hominis poenitentis facta certis verbis, debita intentione prolatis a Sacerdote iurisdictionem habente, significans efficaciter ex institutione divina emundationem* (1) *animae a peccato.*

Expono particulas huius descriptionis: *sacramentum poenitentiae*, sive genitivus *intransitive* construatur cum nominativo, ut hic, *creatura salis*, id est, creatura *quae est sal;* similiter hoc Sacramentum *quod est poenitentia;* sive in ratione *transitivi*, ut *domus hominis*, quod verius credo; dico quod est *absolutio a Sacerdote iurisdictionem habente*, quia iudex, qui habet auctoritatem *cognoscendi* in causa, habet auctoritatem *iudicandi* in ea: sed possibile est quod Sacerdos sit iudex habens potestatem *cognoscendi* in causa; igitur et *iudicandi* et definiendi in causa: sed *absolutio sacramentalis* est sententia definitiva eius (2), qua

---

(1) In *Oxon. absolutionem.*

(2) « *Absolutio* est quaedam *sententia definitiva absolvens reum* ». — *Oxon.* n. 3.

aliquis ostenditur modo innocens, qui prius fuit nocens, et est sententia iudicis *secundarii*, non *principalis*, et potest dici iudiciaria sententia; igitur Sacramentum Poenitentiae est *absolutio*.

Ostendo secundo secundam particulam positam in definitione, scilicet, quod sit *hominis poenitentis*; quia si aliquis est pertinax, magis est *puniendus*, quam *absolvendus*. Ed ideo ad hoc quod sit dispositus vel idoneus ad absolutionem suscipiendam, requiritur in eo aliqua *humiliatio* et *displicentia* de peccato; est igitur *hominis poenitentis*.

Et quia omne Sacrementum vel est *signum sensibile* vel *signa sensibilia*, et in hoc Sacramento non est tantum nisi unum signum sensibile, et *in fieri*, ut verba absolutionis in *proferri*, ideo additur in descriptione quod *fiat cum verbis certis* illa absolutio; hoc enim est necessarium, sicut ad formam alterius Sacramenti est necessaria certitudo, sed non ita quod *forma* verborum hic sit ita praecise in certitudine sicut in Eucharistia, sed saltem sic debet esse certa, quod habeat eamdem sententiam, qualitercumque varientur verba. Convenienter tamen tenetur quod ista verba *ego absolvo te* sint de *forma* Sacramenti absolutionis, licet alia quaecumque sequuntur diversimode explicentur apud diversos.

Et ex hoc sequitur quoddam *corollarium*, quod ex quo hoc Sacramentum non est nisi *in fieri*, nec habet *nisi unum* signum sensibile, ut verba prolata, quod hoc Sacramentum habet tantum *formam*, et non *proprie materiam*; nam *confessus* et *absolutus* vel *poenitens* non potest dici *materia* huius Sacramenti, sicut nec *Sacerdos suscipiens* Eucharistiam potest dici *materia* Eucharistiae, vel *baptizatus materia* Baptismi.

Et additur *prolatis certis verbis a Sacerdote*; quia congruum est, quod sicut in Ecclesia *coelesti* reducuntur inferiores ad superiorem per Hierarcham medium, ita est congruum in *militante* Ecclesia, quod peccatores reducantur et coniungantur per Sacerdotem, qui est medium inter infimum et supremum. Unde a laico nihil fit omnino, et ideo omnino inutilis est confessio quae fit ei, nisi quatenus per talem confessionem patitur per dolorem vel verecundiam aliquam, quam alias non haberet, nisi ex illis poenis quas sibi infligit pro peccato suo voluntarie, meretur, et nullo modo quia dicit laico, quia si sola imaginatione illorum posset tantum verecundari de eis vel plus, tantum vel plus meretur.

Sed ista absolutio peccatorum non fit ab omni Sacerdote, sed a Sacerdote *iurisdictionem habente*, quia sententia vel iudicium a *non suo* iudice definitum, vel latum, nullum est; igitur Sacerdos debet habere iurisdictionem aliquam super reum (1).

Ex quo sequitur *corollarium* quoddam: quod sacramentum Poenitentiae includit rationem *Sacramenti* et *iudicii*. — Et ideo quantum ad *iudicium* est ibi *forum* conscientiae inter absolventem et poenitentem absolutum.

Et hoc Sacramentum est signum gratiae invisibilis conferendae absoluto, et ideo subditur, *significans gratiam*, non absolute et omni modo, ut signum naturale, sed *ad placitum*, et ideo additur *ex institutione divina*. Nam hoc instituit Christus, Ioan. 20 (2), *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*; et ideo habet effectum significatum; quod exprimit cum dicitur *significans emundationem animae a peccato*.

Igitur illae particulae praedictae descriptionis conveniunt hoc modo Sacramento Poenitentiae. — *Report.* IV. d. 14. q. 4. nn. 4-7. — *Oxon.* IV d. 14. q. 4. nn. 2-4.

Ostendo primo, quod *possibile* est huic positioni nominis aliquid subesse: secundo quod *congruit* subesse: et tertio quod aliquid *subest*.

Primum ostenditur per hoc, quod *possibile* est Deo animam absolvere a peccato, iuxta illud Symboli, *remissionem peccatorum*; et per consequens *possibile* est instituere aliquod signum illius absolutionis.

Congruitas probatur: primo, quia *congruum* est aliquod esse signum istius absolutionis a peccato, propter easdem rationes

(1) Cf. *Oxon.* IV. d. 17. n. 26.

(2) Vers. 23.

propter quas dictum est de congruitate Sacramenti in communi (1). Et propter easdem *congruum* est illud esse *signum* institutum a Deo, quia et magis movebit, et ducet intellectum in certitudinem, et magis inclinabit affectum ad promptitudinem suscipiendi illud signum. *Congruit* etiam in proposito istud signum absolutionis interioris institui in *verbis* significantibus absolutionem, ut signum repraesentet signatum.

Et hoc est quod dictum est in ratione *Poenitentiae*, quod Poenitentia est *absolutio*, id est, quaedam sententia definitiva absolvens reum, non tamen sententia Iudicis *principalis*, sed iudicis *secundarii* et *commissarii*. Potest enim quis ex commissione cognoscere in causa, et ita ex commissione sententiare, vel pro *condemnatione* rei, si indignus est, vel pro eius *absolutione*, si dignus sit.

Congruit etiam quod ista absolutio exterior fiat a *Sacerdote*, quia *congruit* extrema per medium reduci in extremum; et ita in Hierarchia *ecclesiastica* extremos, scilicet, *peccatores*, reduci in Deum per Hierarcham, id est, *Sacerdotem*, sicut est in Ecclesia *triumphante*.

Congruit etiam quod a *iurisdictionem habente*, quia sententia a non suo iudice lata nulla est.

Et pro tanto potest Sacramentum Poenitentiae dici Sacramentum *iudiciale*, vel *iudicium sacramentale*; et ex hoc quod sacramentale est firmius, quia rationabilius quam aliquod iudicium publicum.

Et ex hoc patet ratio, quare non est necesse esse ita praecisa verba in isto Sacramento sicut in Baptismo vel Eucharistia, quia sufficit quod exprimatur actus sententiae absolventis, sicut et in iudicio publico non oportet esse limitata verba.

Congruit etiam ex parte *susceptivi*, quod sit *poenitens*, id est, habens aliquam displicentiam de peccato commisso; hoc enim videmus etiam in iudicibus temporalibus, quod protervum sententialiter condemnant; poenitentum vero suo modo absolvunt.

Tertio dico, quod hoc *factum est*. Cuius fundamentum accipitur ex auctoritatibus: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis;* et *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* (1). — *Oxon.* IV. d. 14. q. 4. nn. 3-5. — *Report.* ib. nn. 8-9.

(1) Vid. *Sacramentum.*

(1) *Matth.* c. XVI. v. 19.

Poetae Theologi. — Notandum, quod, ut dicitur, tempore Iudicum Israël fuerunt apud Graecos quidam *Pöetae* famosi, primi in scientia, qui *Theologi* dicti sunt, eo quod de divinis modo fabuloso, quod est proprium Pöetarum, quaedam carmina faciebant, loquentes etiam de rerum principiis. Fuerunt autem tres, ut dicitur, scilicet, *Orpheus*, qui famosior fuit, secundus *Museus*, tertius *Linus*. Et quia fuerunt tempore Iudicum, ut est dictum, patet, quod diu ante fuerunt quam Thales, et multo magis quam *Aristoteles*, qui fuit tempore Alexandri.

Isti autem *Pöetae* sub quibusdam aenigmatibus fabularum de natura rerum aliquid tradiderunt. Dixerunt enim, quod Oceanus, ubi est magna congregatio aquarum, et Tethys, quae est dea aquarum, quae etiam, ut habetur fabulariter in Ovidio malori nupsit Pelio filio Iovis, hii, inquam, dixerunt esse parentes generationis, dantes, scilicet, in hoc intelligere *aquam* esse generationis principium, sub similitudine fabularum: dicentes etiam, quod dii iurabant per aquam dictam *Thetyn*; ex hoc volebant, quod aqua esset honoratior ipsis diis et prior, intelligentes per ipsos deos *corpora coelestia*. Quae omnia patent esse dicta modo pöetico fabularum. — *Exp. in Meth. Arist.* L. I. S. 2. c. 1. n. 41.

Portio superior dupliciter accipitur. — * *Portio superior* * *dupliciter* accipitur: *uno* modo *stricte*, ut respicit sola *aeterna: alio* modo *large*, pro intellectu, ut iudicat de quibuscumque *secundum regulas aeternas*, et voluntate, ut vult *referendo ad aeterna*. — *Oxon.* III. d. 15. n. 20.

Portio superior — inferior. — *Portio superior* et *inferior* non possunt distingui per hoc, quod una sit *contemplativa*, vel respectiva, et alia *practica*; imo tam

speculativa, quam practica pertinent, secundum Augustinum, *XII. De Trinit.* c. 4., ad portionem *superiorem*, quia contemplatio, secundum Augustinum, non est nisi actus *respiciens aeternum*, et *praxis* eiusdem *portionis superioris* est actus eius respiciens temporale *respectu aeterni*, sive in ordine ad aeternum. — *Oxon.* II. d. 24. n. 2.

Augustinus *ubi supra*, dicit, quod *portio superior* intendit regulis aeternis, et superioribus contemplandis; inferior autem intendit temporalibus agendis, secundum regulas aeternas. Unde portio superior intendit fini primo, a quo accepit regulas agendorum. — *Ib.* n. 3.

Positio. — Vid. *Iuramentum* — *Periurium.*

Positio (Praedicamentum) duplex. — *Duplex* est *positio:* — *Una* quae est differentia *quantitatis*, dicens *ordinem partium in totum*, secundum quam una pars totius quantitatis est extra aliam. — *Alia* est *positio* quae est Praedicamentum, quae dicit ordinem partium in loco, vel in toto per comparationem ad partes continentis corporis. — *Report.* IV. d. 10. q. 1. n. 11.

Praedicamentum *positionis* non dicit nisi *ubi* praedicamentum cum *ordine* et *mensuratione partium contenti ad partes corporis continentis.* Unde praesupponit praedicamentum *ubi*, et superaddit habitionem partium totius contenti ad partes corporis continentis correspondentes partibus locati habentibus positionem. — *Ib.* n. 12.

Positio praedicamentum est respectus tantum *extrinseous* et *contingenter* adveniens, quia est tantum *quaedam extensio partium* totius contenti ad partes continentis, sine qua corpus potest esse. — *Ib.* n. 13. — *Oxon.* ib. n. 14. seqq. — Vid. *Dispositio.*

Posse peccare. — **Potentia ae peccandum.** — Vid. *Liberum arbitrium.*

Possibile dupliciter sumptum. — *Possibile dupliciter* sumitur: — *Uno modo* ut opponitur *necessario;* et hoc modo *possibile* dicitur quod *contingit esse et non esse.* — *Alio modo* sumitur *possibile* ut opponitur *impossibili*, et sic est commune *contingenti* et *necessario.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IX. S. 1. c. 4. n. 18. — *Possibile* potest sumi adhuc magis extendendo nomen quam ut opponitur *necessario ex se*, dicendo illud esse *possibile* quod opponitur *necessario esse a se.* — *Oxon.* I. d. 20. n. 9 — Vid. *Potentia multipliciter accipitur.*

Possibile — Impossibile. — Ad quaestionem *utrum prima ratio impossibilitatis sit ex parte Dei vel ex parte rei fiendae*, dicitur *uno modo*, secundum Gandavensem, quod ea quae dicuntur de Deo cadunt sub *triplici* differentia; *quaedam* enim eorum dicunt *perfectionem simpliciter*, ut attributa, quae conveniunt Deo non respectu ad extra; et hoc secundum rationem *cui* imponitur nomen, licet non secundum rationem *a qua* imponitur nomen. — *Alia* autem dicuntur de Deo quae important *dignitatem*, non autem perfectionem simpliciter, quae in quolibet melius est ipsum quam non ipsum; et sunt illa quae conveniunt Deo respectu creaturae, ut *Dominus* et *creator*, et *gubernator*, et huismodi. — *Alia* sunt quae dicuntur de Deo *privative*, et *negative*, ut *immortalis*, *incorruptibilis*, *improducibilis.*

Potentia autem *activa* non dicitur de Deo *privative* solum, seu *negative*, sed sic dicitur de Deo respectu *impossibilis*, quia *privat potentiam.* Igitur oportet, ut potentia activa dicatur de Deo altero duorum modorum. — Potest enim *potentia activa* considerari dupliciter: *Uno modo* comparando eam respectu eius *in quo* est: *alio modo* comparando eam ad *creaturam* ut ad obiectum. — *Primo* modo est *perfectio simpliciter*, quia in quolibet est melius ipsa quam non ipsa. *Secundo* modo non est perfectio simpliciter, quia nulla perfectio simpliciter convenit Deo respectu ad creaturam. — Hoc etiam probat per Anselmum, *Monolog. c. 15*, quod nulla relatio Dei ad creaturam dicit perfectionem; quia tunc Deus non esset talis, si creatura non esset talis, quia non existente extremo, non manet relatio: est autem Deus perfectus *ex se*, non ex respectu ad creaturam (1).

---

(1) « Tertio similiter infero, quod *potentia*, ut est attributum divinum et dicit *perfectionem simpliciter*,

Quia igitur potentia *activa* est in Deo *a se* ut dicit *perfectionem simpliciter*, ideo est potentia *passiva* absoluta in creatura; et quia ista potentia passiva absoluta est potentia activa in Deo, ideo consequitur *relatio* potentiae passivae in creatura ad potentiam activam in Deo; et quia creatura sic refertur ad Deum, e converso Deus secundum relationem *rationis* potentiae refertur ad creaturam, ita quod secundum potentiam activam Deus refertur ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsum. — Ita quod *primo* est potentia *activa* ad se in Deo: *secundo* potentia *passiva* ad se in creatura: *tertio* est *relatio* consequens potentiam passivam creaturae ad Deum: et *quarto* est *relatio rationis* potentiae activae Dei ad creaturam.

Patet tunc, quod secundum relationem positivam potentiae Deus dicitur ad creaturam quia creatura dicitur ad ipsum, tamen quia est potentia activa in Deo ad se, ideo est potentia passiva in creatura, quam consequitur relatio ad ipsum Deum.

Sed quid de *impossibili?* — Dicitur, quod quae dicuntur de Deo *negative* in respectu ad creaturam non habent primam rationem suam ex parte Dei, sed prima ratio quaerenda est ex *parte creaturae*. — Et secundum hoc *primo* est *negatio* in creatura: *secundo* consequitur *relatio negativa creaturae* ad Deum: *tertio relatio negativa Dei* ad creaturam. — *Primo* igitur est impossibilitas passiva in creaturis: *secundo* creaturae ad Deum: *tertio* impossibilitas activa Dei ad creaturam, et caetera.

Alia est opinio eiusdem contraria, ubi dicit, quod non est verum de *impossibili* simpliciter, quod Deus non potest *facere* illud, quia non potest *fieri*, sed potius non potest fieri, quia Deus non potest facere; sicut etiam in affirmativa; non enim dicitur Deum posse aliquid facere, quia illud possibile est fieri; sed e converso, quia Deus potest illud facere, ideo possibile est illud fieri subiective aut obiective.

Contra primam opinionem arguo, et primo contra illud quod dicit de *potentia*; probo enim, quod *potentia activa Dei ad se non sit prima ratio potentiae passivae in creatura:* quia potentia activa Dei est sua omnipotentia: sed per omnipotentiam res creata *primo* non habet esse *possibile;* igitur ante potentiam activam Dei creatura habet esse *possibile*. — *Probo minorem:* intellectus non est formaliter omnipotentia divina, sive ponatur omnipotentia Dei esse voluntas, sive alia potentia executiva; unde intellectus praecedit omnipotentiam in Deo. Sed creatura existente intelligibiliter in intellectu divino, formaliter habet esse *possibile*, quia hoc dicit sic opinans; ponit enim quod lapis, ex hoc quod est exemplatus a divino intellectu, formaliter habet entitatem quidditativam, et per consequens est possibilis per hoc esse extra; per hoc enim distinguitur entitas *rata* ab entitate *fictitia*, secundum ipsum. Unde per hoc quod res constituitur in esse intellectuali vel mente divina est *possibilis*. Igitur ante omnipotentiam res est possibilis. Et hoc est sic arguere: ab illo habet lapis esse *possibile* principiative a quo habet esse in *actu intelligendi divino*, nam per actum intelligendi divinum lapis formaliter habet esse possibile: sed ab intellectu divino lapis habet esse in intellectu divino, nam per actum intellectus constituitur in esse intelligibili; igitur ab intellectu divino lapis principiative habet esse *possibile:* sed intellectus divinus praecedit omnipotentiam divinam; igitur lapis per omnipotentiam non habet primum esse possibile (1).

---

non dicit aliquem respectum ad creaturam (quod ipse probat in prima sententia 6. *quodlib.* quaest. 3); quia nulla perfectio divina et simpliciter dependet a creatura. Hoc autem idem probat Anselmus *Monolog. cap. 15.* cum illa relatio ad creturam non dicat perfectionem simpliciter etiam in Deo, quia tunc Deus non esset talis, si creatura non esset: est autem perfectus omni perfectione simpliciter ex se et ex natura sua, et non ex aliquo respectu ad creaturam; hoc igitur illatum (quod puto esse verum, sicut et alio duo) non debet respui sicut inconveniens ab aliquibus tenentibus dicta eius ». — *Oxon.* I. d. 43. n. 4.

(1) « Potentia activa, qua Deus dicitur *omnipotens*, non est formaliter intellectus divinus, sed quasi praesupponit actionem intellectus, sive illa potentia sit voluntas, sive alia potentia executiva: sed lapis est possibilis esse ex se formaliter; ergo reducendo quasi ad primum principium extrinsecum, intellectus divinus erit illud a quo

Item omnipotentia divina non est principium alicuius, nisi secundum esse *existentiae:* sed res ante suum esse existentiae habet suum esse *possibile*, quia, secundum Avicenam *III. Metaphisicae suae, et VIII. Nihil potest produci in esse a quocumque agente, nisi prius fuerit in esse possibili;* igitur res ante actum omnipotentiae habent esse possibile; non igitur per potentiam activam, volitivam scilicet seu executivam in Deo, creatura habet primo esse *possibile* (1).

Contra aliam partem illius opinionis de *impossibili,* arguitur aliter: quia in causis praecisis si affirmatio est causa affirmationis praecise, et negatio negationis; patet alibi. — *Confirmatur* ratio: ex cuius ratione accipitur praecise ratio *possibilitatis* in possibili, ex eius ratione accipietur ratio *impossibilitatis* in impossibili; si igitur ratio *possibilitatis* in creatura possibili praecise accipitur ex potentia activa in Deo, igitur ratio *impossibilitatis* in creatura impossibili accipietur ex impossibilitate potentiae activae in eo (2). *Maior* probatur: quia si non, detur oppositum, quod ab alio accipiatur ratio possibilitatis in possibili, et ab alio accipiatur ratio impossibilitatis in impossibili; igitur cum illud per positum sit praecisa ratio possibilitatis, remanebit tota ratio possibilitatis; ergo si remaneat possibilitas, remanebit impossibilitas.

Contra secundam opinionem arguo sic: Illud est simpliciter *impossibile* fieri, cui simpliciter *repugnat esse:* sed cui repugnat simpliciter esse, non repugnat propter aliquid *extrinsecum,* nec propter respectum ad aliquid extrinsecum, sed propter eius formale esse; ergo, etc. — *Probatio:* repugnantia suis formalibus rationibus repugnant; non igitur ex respectu ad aliud extrinsecum; igitur quod impossibile sit hoc fieri, et quod sibi formaliter repugnet esse, hoc non est qnod Deus non potest facere. — Ideo quantum ad hoc videtur prior opinio probabilior (1).

Item, impossibile simpliciter includit contradictionem, quia quod non includit contradictionem est possibile Deo; ideo igitur est aliquid ipsi impossibile, quia contradictionem includit: sed contradictoria sunt contradictoria non per respectum ad negationem extrinsecam, imo etsi Deus non es-

---

est prima ratio possibilitatis in lapide; non igitur illa potentia activa, a qua Deus dicitur *omnipotens,* est prima ratio possibilitatis in lapide. — *Probatio assumpti: possibile,* secundum quod est terminus vel obiectum omnipotentiae, est illud *cui non repugnat esse,* et quod non potest *ex se* esse necessario: lapis productus in esse intelligibili per intellectum divinum habet ista *ex se formaliter,* et quasi *principiative* per intellectum; igitur est ex se formaliter possibilis, et quasi principiative per intellectum divinum. — Male igitur videtur illa prima sententia ponere, quod omnipotentia in Deo sit illa potentia qua est potentia *passiva* in creatura; et hoc si loquatur de potentia *activa* a qua Deus dicitur *omnipotens,* et respectu cuius illa dicitur potentia *passiva* in creatura ». — *Oxon.* ib. n. 3.

(1) « *Confirmatur ista ratio:* potentia activa, quae est *omnipotentia,* non dat alicui aliquod esse nisi *producendo* illud, quia illa est potentia productiva rei ad extra: sed ante omnem productionem rei ad extra res habet esse *possibile:* quia rem produci in esse *intelligibili* non est rem produci in esse *simpliciter;* et si esset, non esset per illam potentiam qua Deus dicitur *omnipotens;* non igitur per illam potentiam quae est *omnipotentia* est res alia a Deo primo *possibilis.* — *Oxon.* ib.

(2) « *Item,* in causis praecisis si affirmatio est causa affirmationis, et negatio est causa negationis, secundum quod dicit Philosophus *I. Poster.*: sicut si habere pulmonem est causa respirandi, non habere pulmonem est causa non respirandi; ergo si potentia activa quae est omnipotentia in Deo est praecisa ratio *possibilitatis* in creatura, *negatio potentiae activae in Deo* esset causa negationis possibilitatis in creatura; quod ipse negat, et bene quantum ad hoc, quia *impossibilitas* in creatura est propter *formalem repugnantiam* partium ». — *Oxon.* ib.

(1) « Nihil simpliciter *impossibile,* nisi quia simpliciter repugnat sibi esse: cui autem repugnat esse, repugnat ei ex se primo, et non propter respectum aliquem affirmativum vel negativum eius ad aliquid aliud. — *Probatio:* repugnantia enim quaecumque extremorum est ex ratione sua formali, et per se essentiali, circumscripto quocumque alio respectu utriusque extremi, positivo et negativo, ad quodcumque aliud: sicut *album* et *nigrum* per se ex suis rationibus formalibus contrariantur, et habent repugnantiam formalem, (circumscribendo per impossibile omnem respectum ad quodcumque aliud). Illud igitur est simpliciter *impossibile,* cui *per se* repugnat esse, et quod *ex se* primo est tale, quod sibi omnino repugnat esse; et non propter aliquem *respectum* ad Deum, affirmativum vel negativum; imo sibi repugnaret esse, si per impossibile Deus non esset. — Videtur igitur prima sententia probabilior secunda ». — *Oxon.* ib. n. 2.

set, contradictoria contradicerent; non igitur propter negationem aliquam in Deo sunt aliqua contradictoria in creatura; et per consequens nec impossibilitas simpliciter est in creatura propter impossibilitatem ex parte Dei.

Respondeo igitur *ad quaestionem*, et *primo* quantum ad *possibile*, et *secundo* quantum ad illud de *impossibili*, secundum processum opinionis praecedentis.

Quantum ad *primum* dico, quod omnipotentia, sive potentia activa in Deo, *secundum quod est perfectio absoluta*, est prior creatura secundum quodcumque esse creaturae, quia quod est *ex se* necessarium est prius illo quod non est ex se necessarium: creatura secundum nullum esse suum, sive in existentia, sive in intelligi, est *ex se* necesse esse: potentia autem activa Dei, ut est perfectio absoluta eius, est ex se necesse esse sicut Deus; ideo est prior creatura secundum suum esse possibile.

Sed qualiter est potentia *activa* in Deo prior potentia *passiva* in creatura? Numquid quia hoc est principiative ab illa, ideo est prior activa in Deo? — *Dico*, quod potentia activa in Deo est prior potentia passiva in creatura, non quia potentia activa Dei, qua dicitur omnipotens, sit *prima ratio* per quam *possibile* est possibile in creatura, sed est alia ratio prior, ut intellectus: quia per quodcumque in Deo creatura constituitur in esse intelligibili, illud est prima ratio essendi possibile: per *omnipotentiam* autem, ut distinguitur ab *intellectu*, non constituitur res creata in esse *intelligibili*, sed per intellectum; ideo principiative non habet creatura esse possibile a potentia activa a Deo, quae dicitur omnipotentia, sed ab intellectu divino (1).

Secundo quantum ad illud de *impossibili*, dico, quod non est imaginandum aliquod unum, quod est primum impossibile, nec aliquod aliud negativum, sive privativum, cui primo repugnat esse; unde negatio nulla, nec affirmatio ulla, est impossibilis in entibus. Nec etiam aliquid affirmativum unum est impossibile in rebus; quodcumque enim affirmativum unum, quod potest concipi, potest esse; et ideo nihil est simpliciter impossibile, nisi quod contradictionem includit et implicat, quod est ratio omnino in se falsa, sive impossibilis, ut *homo est irrationalis*. *Impossibile* igitur est impossibile propter contradictionem; et contradictoria seipsis includunt repugnantiam; ideo impossibile simpliciter ex se est impossibile. Nec omnino ratio impossibilitatis est quaerenda in Deo, quia contradictoria non sunt impossibilia propter aliquam negationem in Deo, nec propter aliquem respectum negativum ad Deum; sed *ratio impossibilitatis* est *incomposibilitas partium*, et non ad aliquam negationem in Deo. Haec igitur ratio impossibilitatis in creatura non est impossibilitas in Deo; sed incomposibilitas sive repugnantia partium in ipso impossibili in creatura.

Sed quae est prima ratio huius *impossibilitatis*? Oportet enim ponere aliquam primam rationem *impossibilis*, sicut et necessaria, ut patet ex *IV. Met.*, nam impossibilia reducuntur ad aliquod primum, sicut et necessaria. — Dico, quod impossibilitas in impossibili reducitur ad intellectum divinum; non quia impossibilitas in Deo sit causa impossibilitatis in creatura,

---

(1) « Aliter dico a prima sententia quantum ad illud quod probant illa duo argumenta: quia licet potentia Dei *ad se*, id est, aliqua perfectio absoluta qua Deus est formaliter potens, sit in Deo in primo instanti naturae, sicut et quaelibet perfectio absoluta simpliciter, tamen per ipsam potentiam, sub ratione qua est omnipotentia, non habet obiectum quod sit primo *possibile*, sed per intellectum divinum producentem in primo instanti illud in esse intelligibili; et intellectus non est formaliter potentia activa qua Deus dicitur formaliter omnipotens; et tunc res producta ab intellectu divino in esse tali, scilicet intelligibili, in primo instanti naturae, habet seipsa esse possibile in secundo instanti naturae, quia seipsa formaliter non repugnat sibi esse, et seipsa formaliter repugnat habere esse *necessarium ex se*, in quibus duobus stat tota ratio *possibilis*, in quibus correspondet rationibus potentiae activae. Non est igitur *possibilitas* in obiecto aliquo modo prior quam sit omnipotentia in Deo, accipiendo omnipotentiam pro perfectione absoluta in Deo, sicut nec creatura est prior aliquo absoluto in Deo.

Si tamen res intelligatur esse possibilis antequam Deus per omnipotentiam producat eam, sic est verum; sed in illa possibilitate non est simpliciter prior, sed producitur ab intellectu divino ». — *Oxon.* ib. n. 5.

sed quia in Deo respectu partium repugnantium est prima ratio principiationis, quae est intellectus; quoniam incomposibilia ab intellectu divino primo habent sua esse formaliter possibilia, ut *album* et *nigrum*, secundum suas rationes formales sunt incomposibilia, ideo principiative ab intelectu divino habent incomposibilitatem, sicut et suas rationes formales; ideo incomposibilitas huius, *album* et *nigrum*, reducitur ad Deum: non ut ad causam *privativam*, sed ad causam *positivam*, quae est intellectus divinus, quae est tota ratio esse formalis partium, et per consequens impossibilitas totius (1).

Ex hoc patet, quod decepti sunt qui concipiunt per *fictum*, ens distinctum contra *ens ratum*, aliquod unum; nam *fictitium* non est conceptibile, nisi ab intellectu errante, ut *chimaera*, sicut nec contradictoria; et ideo non habet ideam, nisi quia partes eius habeant, et ideo solum partes eius concipi possunt, sed ipsum non (1).

Ex dictis patet etiam quod rationes contra opinionem *primam* non sunt contra dicta, ut illa de *causis praecisis* secundum affirmationem et negationem, quia sicut pono in Deo causam *possibilitatis* in creatura, ita et causam seu rationem *impossibilitatis*, quatenus intellectus divinus est causa partium incompossibilium secundum earum esse *possibile* quod in se habent. — *Report.* I. d. 43. q. 1. per tot.

Possibile logicum — metaphoricum — reale. — Vid. *Potentiae divisio = Potentia metaphysica — mathematica — logica = Potentia multipliciter accipitur = Potentia realis — logica — metaphorica.*

Possibile logicum — reale. — Possibile *logicum* differt a possibili *reali*, sicut patet per Philosophum, *V. Metaph.* c. *de Potentia* (2). — Possibile *logicum* est modus compositionis formatae ab intellectu, illius quidem cuius termini non includunt contradictionem. — Sed possibile *reale* est quod accipitur ab aliqua potentia in re, sicut a potentia inhaerente alicui vel terminata ad illud sicut ad terminum. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 10. — Vid. infra *Potentiae divisio = Potentia metaphysica — mathematica — logica = Potentia multipliciter accipitur = Potentia realis — logica — metaphorica.*

Possibile primae — secundae intentionis. — *Possibile* aequivoce est nomen *primae*

---

(1) « Quantum autem ad *impossibilitatem* dico, quod illa non potest esse primo *ex parte Dei*, sicut dicit *prima sententia;* et hoc propter rationem factam contra *secundam sententiam:* quia ipsa est *impossibilis* propter repugnantiam eius ut fiat, quod intelligo sic: *impossibile* simpliciter includit incomposibilia, quae ex rationibus suis formalibus sunt incomposibilia, et ab eo sunt principiative incomposibilia a quo principiative habent suas rationes formales. Est igitur ibi iste processus: quod sicut Deus suo intellectu producit possibile in esse possibili, ita producit duo entia formaliter utrumque in esse possibili, et illa producta seipsis formaliter sunt incomposibilia, ut non possint simul esse unum, neque aliquid tertium ex eis. Hanc autem incomposibilitatem, quam habent formaliter, habent ex se principiative ab eo quodammodo qui produxit ea; et istam incomposibilitatem istorum sequitur incomposibilitas totius figmenti includentis ea, et ex ista impossibilitate figmenti in se et ex incomposibilitate partium suarum sequitur impossibilitas eius respectu cuiuscumque agentis. Et ex hoc habet compleri totus processus impossibilitatis rei, quasi ultimus gradus impossibilitatis sit negatio respectus ad quodcumque agens. Nec oportet habere aliquem respectum negativum ex parte Dei, nec ex parte cuiuscumque alterius, nec est forte aliquis in natura rei, licet intellectus possit comparare Deum vel aliud agens ad istud sub negatione respectus.

Sic igitur impossibilitas prima est formaliter ex parte impossibilis, et principiative a Deo, et si principiative reducatur ad aliquid, non tamen reducitur ad negationem possibilitatis in Deo, imo reducitur principiative ad intellectum divinum principiantem illud in illo esse, in quo partes illae formaliter repugnant; propter quam formalem repugnantiam totum ex eis simpliciter est impossibile ». — *Oxon.* ib. n. 6.

(1) « Et ex hoc apparet, quod falsa est imaginatio quaerentium impossibilitatem aliquorum quasi in aliquo uno, quasi aliquid unum vel intelligibile, vel qualecumque ens sit ex se formaliter impossibile, sicut Deus ex se est necesse esse formaliter. Nihil enim est tale primum in non entitate, nec etiam entitatis oppositae tali non entitati est intellectus divinus ratio possibilitatis, nec etiam intellectus divinus est praecisa ratio possibilitatis oppositae nihilo, quia tunc teneret illud argumentum de causis praecisis in affirmatione et negatione. Sed omne simpliciter nihil includit in se rationes plurium, ita quod ipsum non est primo nihil ex ratione sui, sed ex rationibus illorum quae intelligitur includere, propter formalem repugnantiam illorum inclusorum plurium; et ista ratio repugnantiae est ex rationibus formalibus eorum, quam repugnantiam *primo* habent per intellectum divinum, sed non *praecise* ». — *Oxon.* ib. n. 7.

(2) Cf. exposit. Doctoris.

intentionis, sive impositionis, et *secundae*. — *Primo* modo significat *potentiam* vel *ordinem ad actum*, et dividit *ens*, et est *aequivocum*, sicut *actus* in diversis generibus. — *Secundo* modo significat *modum compositionis;* et isto modo non est *aequivocum*, et non est minus commune ente, quod dividitur in decem Praedicamenta; et est *univocum*, sicut caetera *intentionalia*. — *Super. Praedic.* q. 4. n. 9.

Possibile subiectivum — obiectivum. — *Duplex* est *possibile: subiectivum* et *obiectivum*. — *Report.* I. d. 20. q. 2. n. 9. — Quod autem dicitur de primo correlativo potentiae activae, quod sit *possibile*, intelligendum est de possibili *obiective*, scilicet, quod est terminus potentiae, non de possibili *subiective*, quia illud non est correlativum convertibile respectu potentiae activae. — *Oxon.* I. d. 20. n. 8. — Vid. *Potentia actusque duplex = Potentia obiectiva — subiectiva*.

Posterius. — Vid. *Prius* etc.

Potentia. — *Potentia* definitur per actum. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 9. — *Potentia* est qua simpliciter possumus. — *Ib.* d. 17. q. 2. n. 3. — Quo quis potest simpliciter agere illud est *potentia*. — *Ib.* d. 1. q. 4. n. 15. — Est enim *potentia principium quo potens*. — *Report.* I. d. 29. n. 3. — *Potentia* est illud quo agens agit. — *De rer. princ.* q. 9. n. 61. — Vid. *Aptitudo — Potentia*.

Potentia activa. — Sicut hoc nomen *actio* aequivocatur, ut supra dictum est (1), ita hoc nomen *potentia activa;* non solum enim dicitur de potentia *transmutativa*, sed etiam de potentia *productiva*. — Et quidem Deus habet potentiam *activam* utroque modo. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 29.

Potentia activa stricte sumpta est potentia *transmutativa*, ut patet per *Philosophum, V Met. cap. 12 et IX, c. 2;* est enim *principium transmutandi alterum*. — *Report.* I. d. 20. q. 2. n. 8. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 1. n. 6. — Ista descriptio *de potentia activa*, scilicet, quod *est principium transmutandi aliud inquantum aliud*, debet intelligi quantum est *ex parte sui;* sed multa impedimenta possunt provevenire vel *ex parte habentis* * talem potentiam *, vel ex parte *obiecti*, vel *medii*, propter quae non potest habens illam potentiam exire in actum. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 7. n. 6.

* Dum dicitur: *Principium transmutandi aliud inquantum aliud* * non definitur *potentia activa* inquantum comparatur ad *principiatum*, et ideo nec per principiatum definitur; sed definitur inquantum comparatur ad aliud *principium* * (*passivum* nempe) *, non tamen in universali, inquantum *actuabile*, quomodo pertineret ad Metaphysicum, sed inquantum *actuale*, sic, scilicet, *transmutabile*, unde et per transmutabile definitur; et ita illa definitio non est *metaphysica*, nec *potentiae activae metaphysice* consideratae, sed *physica*, et potentiae *physice* consideratae. — *QQ. Metaph.* L. IX. q. 4. n. 8.

Potentia activa — Actio. — Philos. *V. Metaphys.* definit *potentiam activam* esse *principium transmutandi aliud inquantum aliud*. — Sicut autem *potentia activa* est principium transmutandi, ita *actio*, quae est actus potentiae activae, erit *transmutatio* alterius, id est *passi*, inquantum alterum est. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 11.

Potentia activa multiplex. — *Duplex* est *potentia activa:* — Quaedam est potentia *quam praecedit* alia potentia, scilicet, *passiva*, in subiecto, quae est contradictionis; et talis potentia activa est in *homine* respectu *ambulationis*. — *Alia* est potentia, quam *non praecedit* potentia passiva in eodem, et respectu eiusdem; et isto modo est potentia activa in *igne* respectu *calefacere;* statim enim cum *ignis* est habet potentiam *calefaciendi activam*, ita quod non potest non calefacere, quantum est de se. — *Poster.* I. q. 14. n. 6.

Est *potentia activa* quae *nec materia indiget, nec instrumento*, ut potentia Dei: *alia* quae *indiget utroque*, utpote * potentia * hominis; potentia * autem * metaphysica, qualis est Angeli, *materia indigebit, non instrumento*. — *De rer. princ.* q. 10. n. 7.

---

(1) Vid. *Actio multipliciter accipitur*.

Potentia activa * iterum * est *duplex:* quaedam *motiva localiter,* ut *gravitas;* et alia *activa alterius rei.* -- Et tunc vel est activa *sibi similis,* ut *calor* producit *calorem,* et *ignis ignem;* alia *dissimilis,* ut *lumen* producit *calorem.*

Item quaedam est *potentia activa* cuius effectus productus *coagit sibi,* ut *caliditas* producta ab *igne iuvat* ignem ad ulterius producendum; alia est cuius effectus *non iuvat,* ut patet de *lumine.* — *Physic.* I. q. 14. n. 3. — *Quodlib.* q. 12. n. 5.

Potentia activa — passiva. — Secundum Philosophum V. et *IX. Metaph. text.* 2. *duplex* est *genus potentiae,* ad quod omnis genus potentiae reducitur, scilicet, potentia *activa* et potentia *passiva* (1). — Haec autem duo genera potentiae *in aliquibus sunt distincta,* ita quod potentia *omnino activa,* et nullo modo passiva est in uno, in altero e contrario *potentia passiva.* — *Prima* est in solo Deo; *secunda* in *materia omnino prima,* cuius entitas dicitur *prope nihil.* — In omnibus autem entibus *mediis* hae potentiae sunt *permixtae,* secundum accessum et recessum ad materiam et ad causam primam, se habentes secundum *magis* et *minus.* Ita quod secundum quod plus appropinquant materiae primae, et elongantur a participatione actualitatis divinae, plus habent de natura potentiae *passivae,* et minus de natura potentiae *activae,* et e contrario plus de *activa* quam de *passiva.* (2). — *De rer. princ.* q. 11. n. 1. — Quia ratio potentiae *passivae* semper dicit imperfectionem, prout dividit ens contra potentiam *activam.* — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 10.

Est autem advertendum, quod haec duo genera potentiarum sunt in aliquibus *primo* et *per se* et *per essentiam,* non *participative* per quamdam attributionem et reductionem ad illa prima. Potentia enim *activa primo* et *per se* invenitur in primo agente, scilicet, in Deo, in quo sua potentia *activa* est ita pura, quod est idem quod sua essentia, solo respectu *secundum rationem* differens ab ea. — *De rer. princ.* q. 8. n. 7. — Similiter potentia *passiva primo* et *per se* invenitur in alio extremo, scilicet in *materia prima,* in qua sua potentia *passiva* est ita pura, quod omnino est idem re quod substantia materiae, sola *ratione* differens, ita quod nullam compositionem realem faciat cum materia. — Omnia autem entia per se subsistentia inter materiam, potentiam, et Deum habent actum potentiae *passivae* admixtum secundum *magis* et *minus.* — *Ib.* n. 8.

Potest satis haberi ratio potentiae *activae metaphysice* loquendo, dimittendo illud quod contrahit ad *naturalitatem,* et ponendo generalius quod pertinet ad *Metaphysicum.* — Est autem potentia *activa,* secundum unam eius significationem, *metaphysice* loquendo, *principium agendi agibile;* secundum aliam, principium, *actuandi actuabile.*

Potentia vero *passiva,* secundum unam eius significationem, est principium *ex quo aliquid potest mutari;* secundum aliam est principium *actuandi passive ab actu activo;* secundum aliam est principium *actuabile* sive *informabile ab actu,* sive *a principio actuali.* — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 4. n. 8.

Potentia *activa* est *principium transmutandi alterum inquantum alterum;* sed potentia passiva est principium *transmutandi ab altero, inquantum ab altero,* ut patet in *IX. Metaph.* — *Physic* I. q. 14. n. 3. — *Quodlib.* q. 12. n. 5.

Primae potentiae activae non correspondet aliqua potentia passiva, sicut patet de potentia creandi; et hoc loquendo proprie de potentia passiva ut *in quam* vel *de qua* aliquid proprie producitur. Potentiae tamen activae correspondet aliqua passiva, quam * aliqui * vocant *obiectivam,* quae est potentia *producibilis.* — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 20.

Omnis potentiae *passivae* in ente oportet ponere aliam *activam* correspondentem, et

---

(1) Notandum tamen, « quod loquendo de potentia ut *dicit respectum,* bene distinguitur in *activum* et *passivum;* sed loquendo de illo quod subest respectui, quod communiter intelligimus cum dicimus *potentia,* quemadmodum dicimus quod *calor* est *potentia calefectiva,* sic non oportet quod *activum* et *passivum* distinguant ipsam; quia tunc voluntas * ex. gr. * esset duae potentiae ». — *Quodlib.* q. 15. n. 19.

(2) « Ista duo genera potentiarum intermixta sunt in omnibus intermediis, quae, scilicet, agunt et *patiuntur* ». — *De rer. princ.* q. 9. n. 6.

ita si passivae novae non correspondet alia activa creata, correspondebit sibi immediate divina. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 21.

Non est aliqua potentia *passiva* creata, cui non respondeat potentia *activa* in natura, ne ponatur passiva frustra; sed diversimode ponitur illa activa *in natura* secundum Philosophos et Theologos. Stricte enim accipiendo *naturam* activam pro *natura creata*, quia Aristoteles ponit intellectum immediate induci a Deo, non cuilibet potentiae passivae correspondet propria activa in natura; sed accipiendo *naturam* pro *agente naturali necessitate*, sic Philosophus diceret esse potentiam activam in natura, quia primam causam agentem naturali necessitate in istud passum. — Sed Theologi negant etiam in natura esse potentiam activam isto modo, quia Primum dicunt agere in istud non naturali necessitate, sed *libere;* et tunc, secundum eos, cum dicitur *correspondet aliqua activa in natura, natura* debet ibi accipi communiter ad totum ens. Nec etiam ipsi ponunt magis frustra aliquid in esse quam Philosophus, quia aeque potest potentia passiva reduci ac actum, si reducatur non ab agente creato, sed increato, nec naturaliter activo, sed libere, sicut si ab agente alio modo poneretur reduci. — *Ib.* q. 3. n. 23.

Cuilibet potentiae *passivae* correspondet *activa,* verum est; non tamen in natura *creata,* etiam secundum Philosophum, ut patet; quia potentia receptiva est in corpore ad animam intellectivam, et tamen tota natura creata non posset eam inducere. — Ponit tamen Philosophus aliter quam nos, quoad hoc, quod posuit potentiam in natura, Deum, scilicet, *naturali necessitate* agentem; sed nos bene ponimus in toto ente cuilibet potentiae passivae bene correspondere potentiam activam; non tamen activa illa est naturalis sicut passiva; imo nunquam est naturalis in Primo Ente ad extra, sed semper *voluntaria.* — *Ib.* d. 49. q. 11. n. 12. — Cf. d. 19. n. 13.

Potentia actusque duplex. — Duplex est *potentia,* scilicet, *subiectiva* et *obiectiva.* — *Prima* potentia nominat *subiectum* potentiae. *Secunda* potentia nominat *obiectum* potentiae (1). — *Primo* modo *materia* est ens in *potentia*: *Secundo* modo *rosa non existens, possibilis produci,* est ens in *potentia.*

Quia igitur *potentiae* opponitur *actus,* ideo *duplex* similiter est *actus:* unus qui opponitur potentiae *subiectivae,* et iste est actus *formae;* alius qui opponitur potentiae *obiectivae,* et iste est actus *existentiae,* quae est ipsa res actualiter existens. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 2. c. 3. n. 64. — *Ib.* lib. V. S. unic. c. 7. n. 68. — Vid. *Potentia obiectiva — subiectiva.*

Potentia actusque dupliciter considerantur. — *Potentia* et *actus dupliciter* considerari possunt: — *Uno* modo *generaliter,* ut consequuntur *ens inquantum ens;* et sic non solum reperiuntur in rebus mobilibus, sed etiam in immobilibus et intellectualibus. — *Alio* modo *potentia* et *actus* considerantur magis *particulariter,* scilicet, ut reperiuntur in rebus *sensibilibus* et *mobilibus,* prout *motus* definitur esse *actus* entis in *potentia,* III. *Physic. text.* c. 6. (2). — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 1. c. 1. n. 2.

Potentia aequivoca — univoca. — Vid. *Potentiae activae divisio.*

Potentia agentis — materiae. — Est *duplex potentia,* scilicet, potentia *agentis* et *materiae.* — Et omne, quod de non esse ad esse actu producitur, prius fuit *in potentia* quam in actu. Eorum quae producuntur de non esse ad esse quaedam solum sunt in potentia *agentis,* qualia sunt *creata:* quaedam in potentia *agentis* et *materiae,* ut *generata.* — *De rer. princ.* q. 6. n. 9.

Potentia Dei absoluta — ordinaria. — Aliquid est *possibile* Deo *dupliciter:* vel secundum potentiam eius *absolutam,* qua potest omne id *quod non includit contradictionem:* aut secundum potentiam eius *ordinatam,* secundum quam fit omne illud *quod consonat legibus divinae iustitiae et regulis sapientiae eius;* quod si fieret aliter,

---

(1) « Dicitur potentia *subiectiva* respectu *subiecti,* ut cum dicimus quod *forma* est in *potentia materiae.* — Sed dicitur potentia *obiectiva* respectu *termini,* in comparatione ad agens ». — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. unic. c. 7. n. 68.

(2) Vid. *Motus.*

et secundum alias leges statutas et ordinatas a divina voluntate, *non inordinate* fieret, sed ita ordinate sicut modo secundum ista. — *Report.* IV. d. 1. q. 5. n. 2. — Potentia Dei *absoluta* est respectu cuiuslibet quod non includit contradictionem. — Potentia *ordinata* Dei est illa quae conformis est in agendo regulis praedeterminatis a divina sapientia, vel magis a divina voluntate. — *Oxon.* II. d. 7. n. 18. — *Ib.* IV. d. 1. q. 6. n. 2. — *Report.* I. d. 17. q. 1. n. 7. — Vid. *Potentia ordinata — absoluta.*

Potentiae activae aequalitas duplex. — * *Potentiae activae* * *aequalitas* potest intelligi *dupliciter:* aut secundum *extensionem* obiectorum possibilium ad quae se extendit potentia: aut secundum *intensionem* illius potentiae in se. — *Exemplum:* potentia *calefactiva* dicitur *aequalis extensive,* si ad *aequalia calefactibilia* se *extendat.* Sic omnis *charitas* est *aequalis,* quia *extendit* se ad omnia diligibilia ex charitate. — Secundum *intensionem,* si *aeque perfecta* sit potentia, et *aeque perfectum* actum possit elicere, licet non tot possibilia sibi subessent, sicut subessent alii potentiae, ut patet posito isto casu qui ponitur *dist.* 7., quod *calor* productione sibi adaequata produceret alium *calorem.* — Et istae duae aequalitates frequenter concomitantur se; potest tamen intelligi utralibet sine altera. — *Oxon.* I. d. 20. n. 4. — *Report.* ib. q. 2. n. 3.

Potentiae activae circumstantiae. — *Potentia activa* potest comparari ad *sex circumstantias,* scilicet: ad *resistentiam* in qua agit; ad *effectum* quem producit; ad *motum* vel *velocitatem* qua producit; ad *tempus* in quo producit; ad *distantiam* a qua agit, ut in motu *alterationis;* ad *spatium* per quod sufficit movere, ut in motu *locali.* — *Physic.* I. q. 14. n. 2.

Potentiae activae divisio. — *Potentia activa* dividitur in *factivam* et *activam* proprie dictam; in *rationalem* et *irrationalem.* — Potentia *activa proprie* sumpta dividitur in *propriissimam* et *minus propriam.* — Ex his patet quomodo duae divisiones praedictae se habent ad invicem. Quia *irrationalis* quaedam est *activa,* quaedam *factiva;* et haec quaedam *minus propria,* ut in subiecto respectu propriae passionis; nulla *propriissima,* quia nihil est ibi quod non sit natum terminare motum, vel sit ipse motus.

Rationalis autem etiam, secundum Philosophum, videtur dividi in *activam* et *factivam.* — Sed hoc intelligendum, quod *rationalis* dividitur in *innatam* et *acquisitam.* — Et *innata* in rationalem *per essentiam,* et in rationalem *per participationem stricte* sumptam, quae est *appetitus sensitivus.* — Et ultra, *rationalis per essentiam large sumpta* in *intellectum* et *voluntatem.* — Consimili modo dividitur potentia *acquisita,* scilicet, *habitus,* in habitum appetitus *sensitivi,* et in habitum *intellectualem* et *moralem:* non habitum *voluntatis,* licet Philosophus dividendo *intellectualem* et *moralem,* sub *morali* comprehendat habitum quemcumque *appetitivum,* sive *voluntatis,* sive appetitus *sensitivi,* si tamen in voluntate aliquem habitum posuit. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 11. n. 3.

De omnibus istis potentiis *rationalibus* Philosophus videtur divisisse *acquisitas* intellectuales in *activas* et *factivas,* sicut patet de *arte* et *prudentia.* Et per consequens intellectum oportet ponere tam *activum* quam *factivum* secundum istos diversos habitus; *appetitum* autem quemcumque, seu habitum eius, non videtur ponere *factivum,* sed *tantum activum* (1).

Item, *tertio* modo principali dividitur *activa* potentia in *aequivocam* et *univocam.* — Et *aequivoca* est quando fundatur ratio *potentiae* super *formam alterius rationis* ab illa ad quam est; et ibi semper oportet fundamentum perfectius esse termino, loquendo de totali potentia activa; alioquin effectus excederet efficiens in perfectione. — *Univoca* autem est quando *eiusdem rationis* sunt forma *super quam* fundatur ratio potentiae, et *ad quam* est.

Item, dividitur *activa* in *totalem* et *partialem.* Quod intelligo sic: effectus naturalis vel artificialis communiter producitur a *pluribus* causis efficientibus *ordinatis;* omnia illa respectu effectus sunt *unum ef-*

(1) Vid. *Potentia naturalis — libera.*

ficiens totale; quodlibet vero, non loquendo de Deo, est efficiens *partiale*. Et illorum *partialium* quoddam dicitur *principale*, quoddam *instrumentale;* et quoddam *primum*, quoddam *secundum*. An autem idem sit *causa secunda* et *instrumentum*, et de multis aliis dictas divisiones tangentibus, hic transeo (1).

Causarum ergo *ordinatarum* in quacumque una activa est potentia *activa propria* ad eumdem effectum, et haec *partialis* in suo ordine, non loquendo de Deo; omnes illae potentiae *simul sumptae*, ut, scilicet, connexae et concurrentes ad effectum, sunt *una potentia* activa *totalis;* una, inquam, unitate *ordinis*, non *realiter* unitate speciei vel numero; imo semper differunt *specie*. — *Ib*. n. 4. — Vid. *Potentia naturalis — libera*.

Potentiae disparatae tripliciter se habent. — *Potentiae disparatae tripliciter* se habent ad invicem: — Aut sunt *omnino disparatae*, vel *subordinatae*. — Et tunc vel in *eodem genere*, sicut cognitiva superior et inferior, vel in *alio genere* potentiarum, sicut cognitiva ad suam appetitivam — *Primo* modo *potentiae disparatae* habent omnino *obiecta disparata*, quia nulla earum, ex quo sunt disparatae, est per se operativa circa obiectum circa quod alia. Tales sunt sensus exteriores inter se, ut *visus, auditus*, etc. — *Secundo* modo *potentiae disparatae* habent obiecta *prima subordinata*, ita quod sicut potentia superior potest habere per se actum circa quodcumque circa quod potest potentia inferior, ita obiectum primum potentiae superioris continet sub se primum obiectum potentiae inferioris; alioquin non esset illud obiectum adaequatum potentiae superiori. Unde primum obiectum *visus* secundum suam communitatem continetur ut inferius sub primo obiecto *sensus communis*. — *Tertio* modo *potentiae* sic se habent, quod si *appetitiva* adaequaretur *cognitivae* in operando circa quaecumque obiecta, idem esset obiectum primum utriusque, et sub eadem ratione formali, ex parte obiecti; si

(1) Vid. *Causa secunda — Instrumentum = Instrumentum*.

autem appetitiva habeat actum circa aliqua cognoscibilia, et circa aliqua non, tunc obiectum *appetitivae* erit inferius ab obiectum *cognitiae*. — *Oxon*. I. d. 3. q. 3. n. 21. — Vid. *Animae potentiae disparatae — subordinatae*.

Potentiae divisio. — Ex dictis * et ex dicendis * apparere potest *divisio completa potentiae*. — Exclusa ante potentia *metaphorice* et *logice* sumpta (1), et excluso *possibili ut convertitur cum ente*, cuius ratio videtur satis propinqua rationi *possibilis logice* sumpti, loquendo de *potentia proprie* sumpta, videtur quod ipsum nomen *potentiae* videatur importare *ordinem*, et hoc *prioris* ad *posterius*, quia ad *prius* inquantum huiusmodi nunquam est *potentia;* illa etiam quae *simul* sunt, inquantum *simul*, non habent *ordinem*. *Prius* autem in communi dividitur in *prius natura* et *tempore*. — Iuxta hoc videtur *prima* divisio *potentiae*, scilicet, ut dicit rationem *principii*, et ut opponitur *actui* vel *necessario;* principium enim prius est principiato et specialiter *duo principia*, quibus appropriatur nomen *potentiae* secundum dicta (2). *Potentia* autem opposita *actui prior* * est * eo *tempore;* et potentia opposita *necessario* aliquo modo intelligitur ut *prior;* licet istum modum non oporteat hic exponere.

Potentia principium (3) dividitur in *activum* et *passivum*. Divisio *activi* dicta est ante (4); et divisio *passivi* (5). — *Potentia* etiam opposita *necessitati* posset dividi secundum multos gradus recedendi a necessitate; alius enim est in *successivis*, alius in *permanentibus* per motum inducibilibus et habentibus propria corruptiva, alius in permanentibus *sola mutatione* producibilibus, nec per se corruptibilibus, nisi propter accidentia sua habentia corruptiva naturalia propria; alius *in non habentibus corruptiva naturalia*, habentibus tamen *materiam* et *formam*. Quintus et ultimus in

(1) Vid. *Potentia metaphysica — mathematica — logica* = *Oxon*. I. d. 2. q. 7. n. 10. — *Ib*. d. 7. n. 9.
(2) Vid. *Potentia — Principium*.
(3) Vid. *Potentia — Principium*.
(4) Vid. *Potentiae activae divisio*.
(5) Vid. *Potentia passiva multiplex*.

Angelis, secundum negantes ibi *materiam*. — *Potentia* opposita *actui* dividitur, sicut terminatum est in solutione duarum primarum quaestionum. — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 13. n. 3.

Sufficienter dividitur *potentia* in *activam* et *passivam* prima divisione; et hoc intelligendo *passivam triplicitatem aequivocam*, scilicet, ut dicit relationem *primo* ad principiatum *passive*, et *secundo* ad principium *activum*, non inquantum est activum *acti*, sed inquantum actu activum *actuabilis*, quia sic e converso refertur principium activum et passivum; et *tertio* ad principium *actuale*, quod secum constituit compositum, faciendo unum cum ipso. — Similiter intelligendo *activam duplicitatem aequivocam*, scilicet, ad principiatum *actu*, et ad aliud principium *actuabile*. Tertiam, scilicet, ad *formam*, forte non oportet ponere, quia sicut eadem relatio *activi* denominat formam agentis ut *quo*, etiam compositum ut *quod*, ita ex parte *principiati* potest dici, quod eadem relatio *geniti* convenit *composito* ut *quod* respectu agentis, et *formae* ut *quo*. — *Ib.* q. 4. n. 7.

Potentiae immediatio duplex. — Vid. *Beatitudo naturae — potentiae.*

Potentiae quinque. — Sicut sunt *quatuor* gradus *viventium*, ita sunt *quinque* genera *potentiarum*, quia *appetitivum* non constituit distinctum gradum *viventium* a *sensitivo;* et ubi sensitivum, et appetitivum; tamen *altera* est *potentia sensitiva*, et *appetitiva*. — *De Anima* q. 1. n. 8.

Potentia essentialis — accidentalis. — *Potentia* duplex est: *essentialis* et *accidentalis*. — *Collat.* II. n. 12.

Divisio *potentiae* in *essentialem* et *accidentalem* non est nisi comparando ad *secundum actum*. Unde non datur nisi de potentia *activa*, et dicit defectum alicuius circumstantiae necessariae ad producendum effectum, quae si est tota virtus activa vel pars eius, tunc tale est in potentia *essentiali* ad agendum: si extra, sicut in aliquo impedimento amovendo, tunc dicitur agens in potentia *accidentali*. — *Theor.* XXII. n. 6.

Potentia ex qua — in qua — in quam. — Quantum ad illam divisionem de qua quaeritur, scilicet, utrum potentia passiva dividatur in *de qua*, sive *ex qua*, et *in qua?*, dicendum, quod in quocumque principio passivo, hoc est, sive materia, sive subiecto, ille respectus, quem habet tale principium ad compositum ex ipso et actu, est tamquam ex *quo* tale compositum est, vel potest esse, et ita ille respectus potest dici esse potentiae *de qua*. — Ille autem respectus quem habet tale principium ad actum cum quo constituit compositum est respectus potentiae *in qua*, quia materia nihil est ipsius actus qui primo in ea est, quia tunc non esset primo in ea, sed tantum per partem: sed tantum est materia proprium receptivum formae, et ideo *in qua*, non *ex qua*. — Respectus autem tertius materiae, scilicet, ad agens, potest dici ratio potentiae *in quam*, secundum quod ille Auctor *IV. Principiorum* vult, quod agens requirit aliquid *in quod* agat. Et hoc *in quod* est non est illud quod agens agit, sive ut productum, cuiusmodi est compositum, sive ut quo producitur, cuiusmodi est forma.

Isto modo dicta distinctio *ex quo*, et *in quo*, et *in quod*, est distinctio triplicis respectus passivi ad tria ad quae comparatur, et est inconveniens distinctio.

Sed ad unumquodque illorum comparando materiam, dicta distinctio non habet locum, quia quilibet respectus praecise ad suum terminum, ita quod non possunt concurrere respectu eiusdem termini, sicut faciliter patere potest consideranti rationes eorum. Quomodo enim idem respectu eiusdem passivi est activum et forma? vel secundo activum et compositum, cuius illud passivum est pars? vel tertio, compositum ex illo et forma illius? Ubique videtur contradictio.

Addunt autem aliqui potentiam *de qua*, qualem ponunt in luminoso respectu luminis, negando ipsum educi de potentia medii, et illam potentiam dicunt esse in causa originante virtualiter, et per hoc effectum originatum non esse de nihilo; sed sicut propagans est quoddam originans, ita originans est quoddam efficiens, vel oportebit dare quinque genera causarum. Patet enim, quod sub alio nullo genere continetur, quam sub

efficiente. Itaque si hîc est dicendum, effectum esse *de* tali, vel *de* sumatur pro quodam *ab*, vel quod verius, de tota substantia sua, ut in Divinis, vel de parte, ut in animatis tamquam de materia vel quasi materia originans originat, et tunc originatum primum est de illo quod est sibi materia vel quasi materia, quod fuit aliquid generantis in creaturis, et est aliquid generatum in Deo; et ideo per se et primo dicitur originatum de originante ratione illius quod est vel fuit aliquod originatum, sicut homo sanatur, quia thorax. Hoc modo potentia materiae *de qua* est materiae vel quasi materiae, nec facit aliud membrum a praedictis duobus, scilicet *ex qua* et *in qua*. — Itaque illa est tantum trimembris divisio, non capiens *de qua* quasi quartum membrum, praeter *ex qua*, et *in qua*, et *in quam*, intelligendo illa tria membra sicut supra expositum est. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 13. n. 2.

Potentia extensive — intensive. — Vid. *Potentiae activae aequalitas duplex.*

Potentia factiva. — Cum dicitur, quod potentia activa *est principium transmutandi aliud inquantum aliud*, datur definitio potentiae *factivae*. — *Oxon.* II. d. 25. n. 24.

Potentia — Habitus. — Illud est *potentia* quo *simpliciter* possumus in actum; *habitus* est quo *sic* vel *sic* possumus, scilicet, *faciliter* et *expedite*, vel *intensius*. — *Oxon.* III. d. 23. n. 12.

Obiectum primum *habitus* continetur sub primo obiecto *potentiae*, vel saltem non excedit; quia si habitus respicit aliquod obiectum quod non continetur sub primo obiecto potentiae, sed excedit, tunc ille habitus non esset habitus illius potentiae, sed faceret eam non esse illam potentiam, sed aliam. Quia cum potentia in primo signo *naturae*, in quo est potentia, habeat tale obiectum primum, per nihil *posterius natura*, praesupponens rationem potentiae, potest fieri aliud primum obiectum eius: omnis autem habitus naturaliter praesupponit potentiam. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 2.

Primum obiectum est adaequatum illi *potentiae* vel *habitui* cuius est *primum*. Et haec ratio *primitatis* accipitur a Philosopho, *I. Poster. text. com. 37*, ubi vult, quod praedicatum universale *primo* inest alicui subiecto, et vocat universalem passionem adaequatam ipsi subiecto. — Hoc est autem *commune* tam obiecto *potentiae* quam *habitus*, quod ipsum habet rationem terminantis ratione utriusque. Sed aliud est *speciale*, quod obiectum *potentiae*, licet sit quandoque movens potentiam, non tamen necessario *virtualiter continet* in se perfectionem *potentiae*. Obiectum autem *habitus* ponitur in se *virtualiter continere* perfectionem *habitus;* et obiectum scientiae proprie est mensura, *ex V. Metaphysicae c. de Ad aliquid;* non sic obiectum *potentiae* respectu eius. — *Report.* Prol. q. 1. a. 2. n. 7.

Obiectum *habitus* habet continere virtualiter aliquo modo ipsum *habitum*, et esse *mensuram* eius, *V. Metaph. cap. de Ad aliquid;* et istae conditiones sunt propriae obiecto primo habitus, nec conveniunt proprie primo obiecto *potentiae*. Habet etiam obiectum *habitus terminare actum* eius; et hoc est *commune* obiecto *habitus* et obiecto *potentiae*. — *Ib.* n. 8. — Vid. *Habitus — Potentia.*

Potentia — Impotentia. — *Potentia* vel *impotentia* non significant aliqua quae essentialiter sunt in genere *qualitatis*, sed *potentia* tantum significat *modum qualitatis* absolute, secundum quod est *principium operationis;* et *impotentia* significat *modum qualitatis* secundum quod illa est *principium difficulter agendi* vel *patiendi faciliter*. — *Super. Praedic.* q. 36. n. 7. — Vid. *Qualitatis Modi seu Species.*

Potentia infinita. — *Infinita potentia* * est * quae simul, quantum est ex se, habet eminenter omnem causalitatem, qua simul posset in infinita si essent factibilia. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 27.

Potentia in generatione duplex. — In *generabili* et *corruptibili* concurrunt *duae potentiae:* una est potentia *obiectiva*, quae est terminus generationis, quae est *totius* in *potentia* ad *actum*, vel ad essendum; et illud quod sic est in *potentia* extrahitur ab agente in *actu*. Talis abstractio non causat *multitudinem*, sed *perfectionem;* quia *albedo* in actu non est compositior quam ipsa

in *potentia*. — Et *alia* est *potentia* in *generatione*, quae est alicuius ad aliud, scilicet, ad terminum *formalem generationis*; quia necesse est aliquid praeexigere generationi, quod sit pars *geniti*, ut patet *VII. Metaph.* tex. 5 (1), ubi dicitur quod *materia est ex qua fit res cum insit*. Et istam *potentialitatem* concomitatur extractio *formae* de *materia*. — Et de ista extractione adhuc potest dici, quod non largitur *multitudinem*, sed *perfectionem*, quia *eadem forma*, quae educta est in *actu*, praefuit in *potentia* materiae. Si autem vis, quod non sic largiatur multitudinem, ut quod *nihil sit novum* quod prius non fuit, quaeris impossibile; nam sic necesse est, quod generans largiatur multitudinem, quia aliquid est in actu quod prius non fuit; aliter non esset *generatio*. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 20. — *Oxon.* ib. n. 17.

Potentia — In potentia ad aliquid est dupliciter. — Aliquid dicitur in *potentia ad aliquid* dupliciter: — *Uno modo* in potentia *essentiali*; et sic *non habens scientiam* dicitur in *potentia essentiali* ad considerandum, quia prius oportet generari scientiam, antequam consideret. Et huiusmodi potentia non reducitur ad actum nisi a generante, ut a *doctore* qui generat scientiam. — *Alio modo* aliquid dicitur in potentia *accidentali*: ut *habens gravitatem* potest moveri deorsum, quando impeditur sursum; et talis *potentia* reducitur ad *actum* a removente prohibens. — *Physic.* VIII. expos. text. 32.

Potentia irrationalis — rationalis. — Potentiarum quaedam sunt *rationales*, quaedam *irrationales*; nam cum *potentiae* sint *principia agendi* et *patiendi*, quaedam talia principia sunt in rebus *inanimatis*, quaedam in *animatis* et in *anima*; quod dicitur, quia *animata* componuntur ex *corpore* et *anima*. *Principia* autem *agendi* et *patiendi* quae sunt in *corpore animatorum* non distinguuntur ab illis quae sunt in rebus *inanimatis*, et ideo coincidunt cum potentiis *irrationalibus*.

Iterum, quia plures sunt *animae*, omnes aliae ab anima *rationali*, non differunt in agendo et patiendo ab *inanimatis*, quatenus agunt *impetu naturae*, ita quod magis *aguntur* quam *agant*, ut sunt anima *vegetativa*, et *sensitiva*; ideo etiam tales *potentiae* pertinent ad *irrationales*. *Potentiae* ergo *irrationales* sunt in rebus *inanimatis* et etiam *animatis*, quantum ad potentias quae consequuntur *corpus*, et etiam quae consequuntur *animam* aliam a *rationali*. — *Potentiae* autem *rationales* sunt tantum in rebus *animatis* secundum animam *rationalem* tantum, nam ipsa solum habet dominium sui actus.

Et secundum hoc omnes scientiae *practicae*, sive earum operationes *transeant in materiam exteriorem*, ut sunt artes, puta, *fabrilis* et *coriaria*, sive *non transeant*, ut sunt scientiae morales, puta, *prudentia*, omnes, inquam, tales dicuntur *potentiae rationales*, sunt enim habitus animae *rationalis*, secundum quos animal *rationale* multa operatur; ideo sunt *principia transmutationis in alio inquantum aliud*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 1. c. 2. n. 7.

Est ista differentia, quod potentiae *rationales* se habent ad opposita; *irrationales* autem non, sed ad alterum oppositorum tantum. — *Ib.* n. 8.

Potentia rationalis debet sic intelligi *esse ad apposita*, quod est *oppositorum actionum*, sive *actionis* et *negationis eius*, puta, quod potest *agere*, et *non agere*. Sic ergo loquendo de potentia *rationali* propria et completa, *voluntas est tantum potentia rationalis*, vel saltem nihil *complete* habet rationem *potentiae rationalis* non concurrente voluntate. — *Ib.* n. 10. — Vid. *Potentiae activae divisio.*

Potentialitas — potentia — potens. — Nota *IX. Metaph. quaest.* 1. *potentialitas, potentia, potens*: *Primum* mere importat *respectum*; *secundum* est *denominativum* respectu eius, sed *abstractum* respectu *tertii*; quod *tertium* denominat *compositum*, medium partem compositi, sicut *principiatio, principium, principians*; *causatio, causa, causans*. — *Theor.* XXII.

Dicendum est de *potentialitate, potentia* et *potente*, quod *eamdem* relationem

---

(1) Cf. exposit. Doctor.

importent: *primum* in *abstracto*, alia duo in *concreto;* sed *diversimode*, secundum quod illa relatio nata est diversimode denominare fundamentum *proximum*, et *remotum*, sive subiectum. Sicut autem alia concreta communiter accipimus pro *subiectis*, inquantum habent tales formas, ita frequenter, quando dicimus *potentiam*, non intelligimus de *respectu* * seu *relatione* *, sed de *illo in quo fundatur* respectus. — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 4. n. 4.

Potentia logica. — Vid. *Potentia metaphysica — mathematica*, etc. = *Potentia multipliciter accipitur.*

Potentia mathematica. — Notandum, quod in Geometricis sumitur quandoque *potentia*, cum dicitur, quod *linea* est in *potentia* ad *quadratum*, et quod *ternarius* est in *potentia* ad *novenarium*. Ratio huius est quaedam similitudo ad *potentiam realem;* nam sicut *ex hoc* quod est in *potentia* fit illud quod est *actu*, sic *ex ductu* alicuius *lineae* in seipsam resultat *quadratum* eius, et *ex ductu ternarii* in seipsum consurgit *novenarius*, nam *ter tria novem* sunt; et ideo dicimus quod linea *potest* in quadratum, et ternarius *potest* in novenarium. Et ista *potentia* potest aliquo modo reduci ad *potentiam logicam*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. un. c. XI. n. 98. — *Ib.* lib. IX. S. 1. c. 1. n. 3. — Vid. *Potentia multipliciter accipitur.* = Vid. *etiam statim*

Potentia metaphysica — mathematica — logica. — Videndum est de *potentia* communius accepta, videlicet, ut importat *modum quemdam entis in se*, sine ratione *principii* (1). Et quia *Metaphysicus* considerat *ens* et *passiones* eius, ideo *potentia* sic sumpta ad considerationem *Metaphysici* pertinet; et ideo propter brevitatem in sermone potest dici potentia *metaphysica*. — Iuxta illam *potentiam* proprie transumitur nomen *potentiae* ad servandum *potentiam metaphoricam*, quae est in *Mathematicis*, et etiam *potentiam logicam*, sive quae est in *Logicis*, ut in propositionibus *possibilibus*. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 2. n. 2.

(1) Vid. *Potentia — Principium.*

Potentia metaphysica praecise sumpta, scilicet, ut abstrahit ab omni potentia *naturali*, fundatur praecise in *essentia* quae dicitur *possibilis* esse, et est *ordo illius essentiae ad esse* tamquam ad terminum; sicut in essentia animae Antichristi fundatur *potentia* ad suum esse.

Ista autem *potentia*, quae est inter duo, utrumque illorum potest denominari; unum quasi *subiectum*, aliud ut quasi *terminus*. — *Ib.* n. 5.

De *mathematica* tangit Philosophus *V. Metaph.* cap. de *Potentia*, ubi dicit: *Secundum metaphoram autem quae est in Geometria dicitur potentia;* et sic dicitur lineam *posse* in suum quadratum; et in numeris similiter radix quadrati dicitur *posse* in quadratum, et sic in X. Euclidis, *potentialiter* commensurabiles dicuntur lineae, quarum quadrata sunt commensurabilia; quae *potentia* non est *compositionis*, quia ista non est possibilis: *linea est suum quadratum;* nec est *realis*, non enim *ex lineis fit quadratum;* sed est *imaginata* iuxta *potentialem*. Si enim realiter *materia* est in *potentia* ad *compositum*, quod per *transmutationem materiae* causatur, ita imaginatur *punctum* fluere, et per eius *fluxum quadratum* eius causari (1). — *Ib.* n. 2.

De potentia *logica* (2) dicit Philosophus in VI. c. 17: *Possibile, quando non necesse fuerit contrarium falsum esse;* etiam in isto IX. cap. ultimo, t. c. 21: *Semper componuntur et non possibilia dividi*, etc. Et illa *potentia* est modus quidam compositionis *factus ab intellectu*, causatus ex habitudine terminorum illius compositionis, scilicet, quod *non repugnat*. Et licet communiter correspondeat sibi in re aliqua *potentia realis*, tamen hoc non est per se de ratione huius potentiae. — Et de utraque potentia dicta tangit Aristoteles in principio IX. t. c. 2. Similitudine quadam dicuntur quemadmodum in Geometria *possibilia* et *impossibilia* dicimus, eo quod aliquo modo sunt, et non sunt, hoc est, quia sic vera

(1) Vid. *Potentia realis — logica — metaphorica.*
(2) Vid. *Oxon.* l. d. 2. q. 7. et 10. = *Ib.* d. 7. n. 7. — d. 20. n. 3. — *Potentia multipliciter accipitur.*

sunt, vel falsa (1). — De potentia *metaphysica* dixit Philosophus in principio istius IX. t. c. 1: *In plus est potentia et actus eorum quae dicuntur secundum motum solum.* Et c. 5. t. c. 11: *Non solum dicimus possibile aptum natum movere,* etc. — Sed et aliter ista *potentia tripliciter* accipitur: — *Uno* modo opponitur *impossibili,* non quidem ut dicit *modum compositionis,* sicut in *secundo* membro distinctionis, sed ut dicit *dispositionem* alicuius *incomplexi,* quemadmodum, secundum Aristotelem, V. huius, cap. de *Falso,* t. c. 34, aliqua ratio dicitur in se falsa, quia *contradictionem includit;* et sic *possibile* convertitur cum *toto ente,* nam nihil est ens cuius ratio contradictionem includit. — *Alio* modo sumitur *potentia* ut opponitur *necessario;* et sic loquitur Avicenna de *possibili I. Metaph.* suae; et sic dicitur *necesse* quod ex se habet entitatem *indefectibilem;* ens *possibile* quod *defectibilem.* — *Tertio* modo *strictissime* sumitur *potentia metaphysica prout* non stat cum *actu* circa idem; et sic loquitur Aristoteles *cap. 5. t. c. 11;* ubi notificat actum, quod *actus* est quando res est non ita sicut in *potentia.* Et ibidem ponit multa exempla de *oppositis,* ut *vigilans* et *dormiens,* et in fine subdit: *Alteri parti est actus determinatus, alteri aut possibile.* — *Ib.* 3. — Vid. stat. *Potentia multipliciter accipitur.* = *Potentia opposita enti multipliciter accipitur.*

Potentia multipliciter accipitur. — *Uno* modo dicitur *potentia logica* (2), quae dicit *modum compositionis factae ab intellectu;* et ista notat *non repugnantiam extremorum;* de qua dicit Philos. *V. Met. cap. De Potentia: Illud est possibile cuius contrarium non est de necessitate verum* (3). — *Oxon.* I. d. 7. n. 7. — *Ib.* d. 2. q. 7. n. 10.

Alio modo dicitur *potentia* divisa contra *actum.* — * Est etiam * potentia *realis,* quae dicitur *principium agendi* vel *patiendi,* ut proximum fundamentum relationum; quia hoc nomen *potentia* non est abstractum ultimata abstractione, sed est concretum concretione ad *fundamentum,* licet non concretione ad *subiectum;* de qua multiplici abstractione in relativis dictum est supra (1).

Hoc nomen *potentia* potest sumi vel pro eo quod *per se significat,* vel pro eo quod *connotat,* quod est proximum fundamentum talis relationis. — *Primo modo* accipiendo *potentia* significat *relationem,* sicut *potentialitas* vel *principiatio.* — *Secundo modo,* loquendo praecise de potentia *activa,* distinguo ulterius de potentia *denominative* sumpta, quod aliquando sumitur pro suo *fundamento praecise,* aliquando autem pro ipso cum *omnibus aliis* quae concurrunt ad hoc, ut possit elicere actum, quae scilicet requiruntur ad rationem *potentiae propinquae;* cuiusmodi sunt, in creaturis, approximatio passi, et impedimenti remotio. — Ista distinctio ultima *potentiae* acceptae *pro fundamento praecise,* vel pro ipso *cum aliis* omnibus concurrentibus, accipitur a Philosopho *IX. Metaph.* Definitio autem potentiae *activae,* quam ponit *V. et IX. Metaph.,* est *potentiae activae primo* modo sumptae; *potentiam* autem *secundo* modo sumptam exprimit ipse manifeste *IX. Metaph. 4: Quoniam,* inquit, *aliquid possibile, et quando, et quomodo, et quaecumque alia necesse est adesse in definitione;* et subdit: *tales potentias, scilicet irrationales, necesse est, ut possint quando passivum et activum appropinquantur, hoc quidem facere, illud vero pati.* — *Ib.* d. 7. n. 8. — *Report.* ib. n. 4.

Potentia * iterum * *dupliciter* accipitur: — *Uno modo* pro *principio entis;* et sic dividitur in principium *activum,* et *passivum,* ut patet *V. Metaphys. text.* 17. *et X. text.* 2. *et* 3. — *Alio modo* ut *potentia* et *actus* sunt *differentiae entis.*

Secundo modo *potentia* et *actus* sunt eiusdem speciei et individui, et idem numero, quia quod prius est * in * *potentia* et *esse diminuto,* postea est in *actu* et habet *esse simpliciter.* — *Report.* II. d. 16. n. 4. — *Oxon.* ib. n. 5. — d. 7. n. 17.

---

(1) Vid. *Potentia realis — logica — metaphorica.*

(2) Vid. supr. *Potentia metaphysica — mathematica — logica.*

(3) Cfr. exposit. Doctor.

(1) Vid. *Abstractio in substantiis — in accidentibus — in relationibus.*

* Ulterius * *potentia* accipitur *tripliciter:* — *Uno* modo pro *materia potente;* et sic dicit Commentator, quod *materia* substantiatur per *posse.* — *Secundo* capitur *potentia* pro *dispositionibus,* mediantibus quibus *materia* recipit formam substantialem, sicut est *caliditas* et *siccitas,* quae disponunt ad formam ignis. — *Tertio* modo accipitur *potentia* ut est de *genere relationis,* et dicitur in relatione ad formam. — *Physic.* I. q. 20. n. 5.

Aliud est loqui de modo essendi ipsius potentiae *in se,* et aliud est loqui de ipsa *inquantum est sub actu secundo,* vel *dispositione proxima* ad actum secundum, quae sit aliud a natura potentiae. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 4.

Potentia aequivoce sumitur, secundum quod est *differentia entis,* et secundum quod significat *principium faciliter agendi.* — Super *Praedic.* q. 36. n. 8.

Potentia multipliciter dicitur, cuius *multiplicitas* multos decipit; et hoc patet ex illis quibus opponitur, iuxta considerationem Philosophi, *I. Topic. cap. 13.* — Nam *potentia* uno modo accipitur prout opponitur *impossibili;* et sic potentia convenit omni enti, tam Deo quam aliis, tam habentibus *esse* * tantum * *essentiae* * (mere possibilia) *, quam esse *existentiae,* tam habentibus conceptum *simplicem* in quo non est repugnantia, ut in conceptu hominis, sicut in conceptu incompossibili, ut irrationalis, quam in conceptu *complexo,* sicut haec est impossibilis, *homo non est animal,* et suum oppositum *possibile.* — *Alio modo* accipitur *possibile* prout opponitur *necessario,* et illud est possibile ad utrumlibet. — *Alio* modo et *tertio* accipitur *potentia* ut opponitur *actui.* — *Quarto* modo accipitur *possibile* sive *potentia* ut dicitur ad *potentem,* ut sicut aliquis dicitur *potens* potentia *activa,* vel *factiva,* sive *productiva,* sic dicitur aliquid *possibile, producibile, factibile,* vel *agibile.* — *Report.* I. d. 2. q. 5. n. 7.

Potentia dicitur *multis modis.* — Et in quibusdam est multiplicitas *aequivocationis,* et in quibusdam est multiplicitas *analogiae,* per Aristotelem, *in princ. IX. Metaph. cont. 1* (1). — Aliqua enim dicuntur *potentialia,* non quia habeant aliquod principium transmutationis; et sic reperitur *potentia* in *Geometria* et in *Logica; linea* enim, * ut dictum est supra (2) *, quae est radix alicuius *quadrati,* dicitur *potentia* ipsius, sicut in numeris dicimus, quod *ternarius* est *potentia novenarii.* Ista autem *potentia* non dicitur propter aliquod principium *transmutationis,* sed propter aliquam *similitudinem:* sicut *materia* est *potentia actus,* quia *transmutatur* ad *actum,* sic *numerus* dicitur *potentia* alterius, quia *ex ductu* eius in seipsum resultat alterum.

Similiter est in *Logica; possibile* enim et *impossibile* non dicimus in *Logicalibus* propter aliquod principium *transmutationis,* sed solum propter *ordinem* ad *verum* et ad *falsum.* Sicut enim *ens* non solum significat *ens extra animam,* sed *verum* circa compositionem intellectus, sic *potentia,* cum dicat ordinem, transfertur ad *compositionem* et *divisionem* in *propositionibus.* Unde illa *propositio* dicitur *possibilis* quae *potest esse vera,* et illa *impossibilis* quae *non potest esse vera.* Sed hoc non est propter aliquam potentiam *activam* vel *passivam,* sed solum propter *convenientiam* et *repugnantiam* terminorum.

Potentia autem in *naturalibus* accipitur prout est principium *transmutationis.* — *Elench.* q. 28. n. 2.

Omittendo potentiam *logicam* (3), quae dicit *modum compositionis ab intellectu factae,* et potentiam *metaphorice* dictam (4), qualis est in *geometricis,* secundum quod ipsi Geometrae imaginantur *punctum* esse in *potentia* ad *lineam,* et *lineam* ad *superficiem,* hic *potentia* sumitur *proprie* uno modo sicut dictum est *dist.* 7, prout est differentia entis *opposita actui* (5). — *Alio*

---

(1) Cf. exposit. Doct.

(2) Vid. *Potentia mathematica* = *Potentia metaphysica* — *mathematica,* etc.

(3) Vid. *Potentia metaphysica,* etc.

(4) Vid. *Potentia mathematica.*

(5) « Et hoc modo *potentia* et *actus* non sunt tantum *eiusdem speciei,* sed etiam *eiusdem numeri,* ut dicitur *IX. Metaph.* Illud enim individuum quod nunc est in actu, illud *idem* fuit in *potentia.* *Potentia* autem primo modo est *principium transmutandi aliud inquantum*

modo secundum quod significat idem quod *principium*, sicut loquitur de ea Philosoph. *V. Metaph.* cap. 9 (1). — Et *potentia* isto *secundo* modo sumpta dividitur in potentiam *activam* et *passivam* (2). — Et si *utrolibet* modo sumatur, potest intelligi, aut pro ipsa *relatione* principii, quam significat, aut pro *fundamento* proximo istius relationis. — *Oxon.* I. d. 20. n. 3.

Cui autem illorum fuit nomen prius impositum, et inde ad alium translatum, dubium est; si tamen primo imponebatur ad significandum *modum* quemdam *entis*, cum iste non conveniat enti tali nisi per aliquod eius principium per quod potest esse, convenienter potest nomen *potentiae* transferri ad *principium*, tamquam ad illud *quo possibile potest* esse, non quo *formaliter*, sed *causaliter*. Similiter si primo imponebatur *principio*, per quod res potest esse, potest transferri ad significandum generaliter *modum essendi*, similem illi quem habet *principiatum* in *principio*. — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 2. n. 2.

Duplex potentia: est quaedam *privata actu*, sicut dicimus quod *lapis* est *in potentia Regis*, eo quod aliquando erit statua Regis; alia est *in potentia coniuncta cum aliquo alio actu*, licet non completo; sicut dicimus, quod *dies non potest* esse, eo quod *est actu* secundum unam partem, et *potest esse* secundum aliam; et ita de aliis, quorum *esse* consistit in *fieri* ut *Agon*, qui est quidam ludus, qui flebat antiquitus in monte Olympo, — *Physic. III. exposit. text.* 57. n. 24.

Duplex est *potentia:* — *Una* quae est *indeterminata* ad opposita; haec est potentia *passiva materiae*. — *Alia potentia determinata* est, et haec est activa. — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 5. n. 2. — Vid. *Actus potentiaque duplex.*

Potentia naturalis — libera. — Prima distinctio potentiae *activae* est secundum *diversum modum eliciendi operationem;* quod enim circa *hoc* vel *illud* agat, etsi aliquo modo distinguat, aut distinctionem ostendat, non tamen ita immediate; non enim *potentia* ad *obiectum* circa quod operatur comparatur, nisi mediante operatione quam elicit, et hoc sic vel sic. — Iste autem modus eliciendi operationem propriam non potest esse in genere nisi *duplex:* aut enim *potentia ex se* est *determinata* ad agendum, ita quod quantum est ex se non potest non agere, quando non impeditur ab extrinseco: aut *non est ex se determinata*, sed potest agere *hunc* actum vel *oppositum* actum, *agere* etiam vel *non agere. Prima* potentia communiter dicitur *natura; secunda* dicitur *voluntas* (1). — Unde prima divisio principiorum activorum est in *naturam* et *voluntatem*. Iuxta quod Aristoteles in *II. Physic.* duas ponit causas moventes *per accidens: casum* iuxta *naturam*, et *fortunam* iuxta *propositum* sive *voluntatem* (2). Si ergo huius differentiae quaeritur causa, quaere, scilicet, *natura* est tantum *unius*, hoc est, cuiuscumque vel quorumcumque sit, *determinate* ex se est istius vel illorum; *voluntas* autem est *oppositorum*, id est, ex se *indeterminate* huius actionis vel oppositae, seu actionis vel non actionis, dici potest, quod huius nulla est causa; sicut enim effectus immediatus ad causam immediate comparatur *per se* et *primo* et sine causa media, alioquin iretur in infinitum, ita causa *activa* ad suam *actionem*, inquantum ipsam elicit, videtur immediate se habere, nec est dare aliquam causam quare sic elicit, nisi *quia est talis causa* (3). Sed hoc est illud cuius

---

aliud, vel ab alio inquantum aliud». — *Oxon.* II. d. 16. n. 5. = Vid. *Potentia.*

(1) Vid. *Potentia — Principium.*

(2) Vid. *Potentia activa — passiva.*

(1) «Oppositi *modi agendi*, et maxime isti, *naturaliter* et *libere*, primo distinguunt potentiam activam». — *Oxon*, I. d. 10. n. 10.

«Quaecumque alia potentia activa * a voluntate * est *naturaliter* activa, et ita determinate unius quantum est de se: unius, inquam, partis contradictionis, ita quod licet sit indeterminate activa respectu multorum disparatorum, tamen loquendo de quacumque una contradictione, causa quaecumque talis est determinata ad unam partem. Voluntas autem sola habet indifferentiam ad contradictoria, et talem quod ipsa est sui determinativa ad alterum eorum, ex *IX. Metaph.* c. 4; aliter simul ageret contraria». — *Quodlib.* q. 18. n. 9.

(2) Vid. *Casus = Fortuna.*

(3) Cf. *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 24. — II. d. 1. q. 2. n. 9. — III. d. 7. q. 1. n. 7.

causa quaerebatur. — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 15. n. 4. — Vid. *Potentiae activae divisio.*

Potentia obiectiva — subiectiva. — Aliquid dicitur esse in *potentia* sicut *terminus potentiae*, et ad illud est potentia. — *Aliud* vero dicitur esse in *potentia* sicut *subiectum potentiae*, et *imperfectum* est in *potentia* ad aliud, ita quod in se est aliquod ens natum suscipere perfectionem et actum ab alio. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 11. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 5. n. 5. — *Prima* potentia vocatur *obiectiva; secunda* dicitur *subiectiva;* nam alio modo *superficies* est in *potentia* ad *albedinem*, et alio modo *albedo* est in *potentia antequam sit.*

Et aliquando istae duae potentiae non sunt realiter diversae, quia respectu agentis *naturalis* numquam est potentia *obiectiva*, nisi fundata in potentia *subiectiva*, quia nihil potest fieri ab agente naturali nisi de potentia *subiectica;* sed possibile est potentiam *obiectivam* esse sine subiectiva, sicut patet in creatione, ubi tantum est potentia obedientialis. — *Report.* ib. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 10. — Vid. *Statim*

Potentia opposita enti multipliciter dividitur. — Ad ampliorem notitiam habendam de *potentia*, ut est *differentia entis*, ad intellectum multorum quae dicuntur de *potentia*, et in isto IX, et alibi, a Philosopho, sciendum est, quod illa non dividitur in potentiam *ante* actum et *cum* actu, quia *opposita est actui*, et ita nulla est *cum actu*, sed tantum *ante actum.* — Nec dividitur secundum quod est *termini*, et secundum quod est *fundamenti*, ut primo modo dicatur *obiectiva*, secundo modo *subiectiva*, quia eadem est potentia, *subiectum* et *terminum* diversimode denominans. — Sed cum *potentia* dicat *ordinem alicuius* in quo est ad *actum*, secundum quod talis *ordo* variatur, distinguitur et proportionaliter *potentia.*

Habitudo autem *potentiae* ad *actum* quaedam est ad actum *formalem* respectu illius in quo est potentia: quaedam non. — Cum autem omnis actus *formalis* sit *esse*, extendendo *esse*, et *esse* aliquod potest esse alicuius vel *simpliciter* vel *secundum quid*, sive *proprium* vel sive *non proprium*, sed quasi *extrinsecum*, erit primaria divisione *duplex potentia:* quaedam ad esse *proprium* et *simpliciter* illius quod est in potentia; et alia ad esse *extrinsecum* quasi et *secundum quid* illius quod est in *potentia* ad illud *esse* (1).

Prima est cuiuscumque essentiae substantialis vel accidentalis ad *primum esse;* et fundatur in illa essentia cuius est illud *proprium esse;* ita enim essentia *accidentis* vel *albedinis* est in *potentia* ad *proprium esse* suum, sicut essentia *animae* creandae est in *potentia* ad *suum esse.* Et haec propriissime est differentia *entis*, et potest dici potentia *obiectiva*, quatenus *totum* est in *potentia* ad existentiam, et non in *actu*, tam *subiectum* eius quam *terminus.*

Secunda non est cuiuslibet entis, quia non est nisi illius quod praeter *esse proprium* natum est recipere *aliud esse* ab alio; et ita quando non habet illud est in *potentia* ad illud: v. g. corpus *non album* est in *potentia, ut sic, non simpliciter*, sed ut sit *album*, quod est *esse* eius *secundum quid* et *extrinsecum.* Et ista potest dici *subiectiva.* Et sic intelligendo, *subiectiva* potentia et *obiectiva* potentia non sunt una potentia diversimode considerata, sed *duae*, quia in duobus, licet ad eumdem terminum, ac per hoc non ita duae sicut secundae obiectivae sunt duae. Alia quippe est *potentia* in albedine *futura*, fundata ad *proprium esse* suum; et alia in *corpore* ad illud *idem esse*, non ut suum *esse*, scilicet, *corporis*, nisi quasi *secundum quid et extrinsece.*

Prima potentia sive *passiva* non dividitur in *essentialem* et *accidentalem*, nec *propinquam* et *remotam*, quia in quacumque essentia non existente est aeque propinqua, et aeque essentialis *potentia* ad *proprium esse*, aeque dico *proportionaliter.* Sed dividitur illa *potentia* in potentiam quae est ad actum *purum*, et quae est ad actum *mixtum* potentiae. Secundum enim diversi-

---

(1) Vid. *Actus potentiaque simpliciter — secundum quid.*

tatem essentiarum *potentia* est ad actum diversimode recipiendum: quandoque *simul totum*, sicut essentiae permanentium natae sunt recipere *esse;* quandoque *successive*, ita quod semper cum actu terminante potentiam stet potentia ad ulteriorem actum, sicut in successivis, ita quod ibi nunquam potentiae simul succedit actus oppositus. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 2. n. 8.

Secunda potentia, scilicet, *subiectiva*, dividitur etiam secundum modum reductionis *primae* potentiae ad actum, scilicet, *simul*, vel *successive*, sicut et *prima* dividebatur. Nam sicut aliqua essentia *informans* aliam reducitur ad *esse* proprium *simul*, vel *non simul*, ita et *formatum* reducitur ad idem *esse* quasi participiatum. Dividitur autem ista *secunda* similiter secundum diversos modos, quibus aliquid est *informabile* illo quod est in *potentia primo* modo; aliter enim materia est informabilis a *forma* inducenda per generationem, aliter subiectum ab *accidente* inducendo per motum. Ita quod *potentia* materiae ad esse communicatum sibi a *forma* potest dici *substantialis:* et quia ad *esse substantiale* in se, et quia illud cuius est illud *esse* per se facit unum * *substantialiter* * cum materia, quae est in *potentia*. *Potentia* autem *subiecti* ad *esse* sibi communicandum ab *accidente* potest dici *accidentalis:* et quia ad *esse* in se *accidentale*, et quia illud non facit unum *per se* cum subiecto, quod est in *potentia*, ut patet.

Item, *utraque potentia* dicta dividitur in *propinquam*, quae, scilicet, per *unam* transmutationem reducitur ad actum; et in *remotam*, quae, scilicet, non potest reduci in actum nisi per *multas* transmutationes medias.

Item, aliquid est in *potentia prima*, quia, scilicet, *ipsum totum* est informabile ab *actu* ad quem est *potentia;* aliquid *non primo*, sed per *partem*, quae sola informabitur; et hoc vel altera *manente;* et sic homo est in *potentia* ad *scientiam*, quae *solam animam* informabit, *manente* tamen *corpore:* aut altera parte *corrupta;* et sic *ignis* est in *potentia* ad *esse formae aquae* sibi communicandum, et hoc *corrupta forma ignis*.

Et istae divisiones quatuor positae *potentiae subiectivae* possunt se invicem subdividere quandoque, sicut patet intuenti. — *Ib.* n. 9.

Visa itaque divisione *potentiae*, consideranda sunt quaedam de potentia *metaphysica* in *communi*, et quaedam quae de *hac* potentia, et quae de *illa* dicuntur.

Primum est, quod *neutra potentia* praedicta, scilicet, nec *subiectiva*, nec *obiectiva*, *manet cum actu*. quia sibi opponitur.

Secundum, quod *utraque numeratur secundum numerum actuum*, sicut universaliter relatio secundum per se terminum.

Et ex his sequitur *tertium*, quod potentia *subiectiva* in quocumque, sive in *materia*, sive in *subiecto* aliquo, *non est eadem essentialiter illi in quo est*, quia illud in quo est manet cum actu, et non numeratur.

Quartum est de comparatione istarum potentiarum ad invicem, quod *non maiorem entitatem dicit de ratione sua formali potentia subiectiva quam obiectiva*, quia utraque est ad eumdem terminum, sine cuius entitate neutra est ens. — *Ib.* n. 10.

Quintum est, quod *subiectiva est illa quae ponitur in definitione motus* (1): non quae est *ad motum*, sed quae est *ad terminum* eius; nam ante motum est potentia ad motum, et ita evacuatur cum mobile incipit moveri, sicut, scilicet, nata est evacuari, non *tota simul*, sed *successive;* et respectu huius potentiae motus est *actus;* sed cum illo actu stat *potentia ad terminum*, quae vel ante motum non infuit, vel quod magis credo, de illa potentia subiectiva *metaphysica* prius infuit, sed non reducitur ad actum immediate per agens naturale, nisi illa ad motum prius reduceretur.

Simpliciter tamen considerando ambas illas potentias, ut ad Metaphysicum spectant, etiam comparando ad subiectum in quo sunt, nullum videntur habere per se ordinem, nec actus eorum, ut possit actus unius dici esse alicuius, inquantum est in aliqua potentia vel alia a priori.

---

(1) Vid. *Motus*.

Sextum est, quod *duae potentiae ad contradictoria*, sive ad quaecumque duo opposita immedita, circa aliquod susceptivum, *non possunt simul stare* in illo susceptivo, quia illa potentia non est cum actu proprio; patet; et quando ille actus proprius non inest, oppositus inest; ergo, etc. — *Ib.* n. 11.

Potentia oppositorum. — Illa potentia *activa* dicitur esse *oppositorum*, sive *contrariorum*, sive *contradictoriorum*, *productorum*, quae manens natura una habet terminum primum, sub quo potest utrumque oppositum aeque cadere. Sed illa est *oppositorum actionum*, quae manens una est sufficiens elicitivum talium actionum. — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 15. n. 2.

Potentia ordinata — absoluta. — In omni agente per intellectum et voluntatem potentem conformiter agere legi rectae, et tamen non necessario agere conformiter legi rectae, est distinguere potentiam *ordinatam* a potentia *absoluta*. — Et ratio est, quia potest agere *conformiter* illi legi rectae, et tunc secundum potentiam *ordinatam*. *Ordinata* enim est inquantum est principium exequendi aliqua conformiter legi rectae secundum ordinem praefixum ab illa lege. — Et potest * agens * agere *praeter* illam legem vel *contra* eam, et in hoc est potentia *absoluta* excedens potentiam *ordinatam*. — Et ideo non tantum in Deo, sed in omni agente libere, quod potest agere *secundum* dictamen rectae rationis vel rectae legis, et *praeter* talem, et *contra* eam, est distinguere potentiam *ordinatam* et *absolutam*. — Ideo dicunt Juristae, quod quis potest hoc facere *de facto*, hoc est de potentia sua *absoluta*, vel *de iure*, hoc est de potentia *ordinata* secundum Iura.

Quando autem illa lex recta, secundum quam *ordinate* agendum est, *non est in potestate agentis*, tunc potentia eius *absoluta* non potest excedere potentiam eius *ordinatam*, circa obiecta aliqua, nisi circa illa agat *inordinate;* necessarium enim est illam legem stare comparando ad tale agens, et actionem non conformem illi legi rectae non esse rectam, neque *ordinatam;* quia tale agens tenetur agere secundum illam rectam legem, cui subest. Unde omnes qui subsunt legi divinae, si non agant secundum illam, *inordinate* agunt.

Sed quando *in potestate agentis est lex* et rectitudo eius, ita quod non est *recta*, nisi quia est ab illo statuta, tunc potest recte agere agendo aliter quam lex illa dictet; quia potest statuere aliam legem rectam, secundum quam agat *ordinate;* nec tunc potentia sua *absoluta* simpliciter excedit potentiam *ordinatam*, quia esset *ordinata* secundum illam aliam legem, sicut secundum priorem; tamen excedit potentiam *ordinatam* praecise secundum *priorem*, *contra* quam vel *praeter* quam facit.

Ista possent exemplificari de *principe*, et *subditis*, et lege *positiva*, etc. — *Oxon.* I. d. 44. n. 1. — Vid. *Potentia Dei ordinata — absoluta.*

Potentia passiva. — Vid. *Potentia activa — passiva = Potentiae divisio = Potentia multipliciter accipitur.*

Potentia passiva ad plura comparatur. — *Potentia passiva* vel potest comparari ad *agens*, vel ad *effectum* productum in ipso passo, vel ad *velocitatem*, vel ad *tempus*, et ita de aliis circumstantiis. — *Physic.* I. q. 16. n. 2. — Vid. *Potentia activa ad sex comparatur.*

Potentia passiva multiplex. — *Duplex est potentia passiva:* — *Una* est *individui*, et illa est *contradictionis*. — *Potentia* tamen partis ad *species* non est potentia *contradictionis*, quia materia partis ad speciem non est principium quo aliquid potest esse et non esse. — *Post.* II. q. 6. n. 3.

Quaedam est *potentia passiva* materiae *receptiva*, et *nullo modo* quantum est ex parte sui *resistitiva*, sicut *materia prima*. — Alia est passiva *resistitiva*, et non *receptiva*, sicut *caliditas*, quae patitur a frigiditate, et ista est etiam activa in illud a quo patitur. — Sed alia est potentia *cognoscitiva passiva*, ut *visus*, qui patitur ab obiecto recipiendo speciem eius, licet *active* concurrat ad visionem quam consequitur illa species. — *Physic.* I. q. 16. n. 2.

Potentia passiva naturalis — violenta — neutra. — Comparando materiam vel *potentiam passivam* ad actum vel formam quam

recipit, dicitur potentia *naturalis, violenta*, vel *neutra*. *Naturalis*, si naturaliter inclinetur: *violenta*, si sit contra inclinationem eius naturalem: *neutra* si neque inclinetur ad illam formam naturaliter, neque ad oppositam eius. — *Report.* IV. d. 43. q. 4. n. 5. — Vid. *Materiae potentia* = *Supernaturale* — *Naturale*.

Potentia passiva receptiva — terminans. — Quaedam est potentia passiva *receptiva*: alia *terminans*, ut homo. — Et huiusmodi potentia *receptiva* est duplex: quaedam *pure receptiva*, ut materia prima: et alia quae est *quodammodo activa*, ut visus, auditus, et aliae potentiae cognitivae. — *Physic.* II. q. 12. n. 7.

Potentia — Possibile. — *Potentiae* activae primum correlativum est *possibile*, non communiter sumptum ut opponitur *impossibili*, quia hoc modo *possibile* est *Deum esse*, et tamen illud possibile non est terminus alicuius potentiae activae; ergo oportet quod *possibile*, ut est potentiae activae correlativum, sumatur determinatius. Hoc autem non videtur nisi secundum quod Avic. accipit *possibile*, *VI. Metaph.* et alibi frequenter, prout opponitur ei quod est *necessarium ex se*. — *Oxon.* I. d. 20. n. 7.

Quod autem dictum est de primo correlativo *potentiae* activae, quod sit *possibile*, intelligendum est de possibili *obiective*, scilicet, quod est terminus potentiae, non de possibili *subiective*, quia illud non est correlativum convertibile respectu potentiae activae; non enim omnis potentia activa habet aliquod sic possibile sibi correspondens, sed solum illa potentia activa quae est *transmutativa*. Aequatur igitur possibile *obiective* ut correlativum potentiae activae; non autem possibile *subiective*; et tale est illud *possibile*, de quo adductus est Avicena, quod opponitur *ex se necessario* formaliter. Quod autem istud differat a *necessario ex se formaliter* sive a producente, posset confirmari per Philosophum, *V. Metaph.*, ubi vult, quod *principium* et *causa* convertuntur realiter: omne autem causatum est aliud a causa; ergo et *possibile*, hoc est, principiatum est aliud, secundum eum, a principio. Confirmatur etiam per rationem *potentiae activae* positam in *V. Metaph.*, quod ipsa est *principium transmutandi aliud inquantum aliud*; ergo multo magis est principium producendi aliud, quia non potest causatum ita esse idem causae, sicut activum potest esse idem passivo in creaturis. — *Ib.* n. 8. — Vid. *Possibile* — *Impossibile*.

Potentia — possibile — Impotentia — impossibile. — *Potentiam activam* describit * Aristot. * dicens, quod *potentia*, id est, *potestas* dicitur *principium activum motus aut mutationis, aut in altero, aut inquantum alterum*; passum enim mobile, vel mutabile, aliquando est *distinctum* et separatum ab agente, et tunc *potentia activa* est principium *simpliciter* transmutandi alterum; aliquando vero illud passum *non est separatum*, nec *alterum* simpliciter *ab agente*, puta, cum aliquid agit *in seipso*, vel movet *seipsum*; et tunc *potentia activa* est principium transmutandi alterum, non tamen simpliciter, quia idem inquantum idem non agit in seipsum (1).

Alio modo, qui pertinet ad potentiam *passivam*, dicitur *potentia* principium *motus* vel *mutationis ab altero*, aut *inquantum alterum*; quia aliquando passum patitur vel movetur *ab altero simpliciter; aut inquantum alterum*, puta, cum movetur vel patitur a *seipso*; et haec *potentia* est potentia *secundum quam patiens aliquid patitur*; nam illud principium propter quod alicui competit pati vel moveri ab aliquo est ipsa potentia *passiva*.

Haec autem potest esse *dupliciter*: aliquando quidem dicitur *pati simpliciter*, quidquid sit illud quod potest pati, sive sit bonum, sive malum: aliquando vero ex hoc quod potest pati non malum, sed aliquod *bonum excellentius* et *melius*. Ratio huius est, quod *posse pati* aliquem *defectum* quandoque attribuitur potentiae, ut posse *vinci* vel *superari*; et *posse non pati* attribuitur potentiae, ut qui vinci non potest *potens* dicitur.

* *Tertio* modo * dicitur *potentia* principium *faciendi aliquid* non quocumque modo, sed *bene*. Exemplum: dicimus li-

(1) Vid. *Potentia activa*.

gnum *posse comburi* quod est *bene* et de *facili* combustibile, et *non posse comburi* quando *male*, et de *difficili* comburitur.

Alio modo *dicuntur potestates*, id est, *potentiae quicumque habitus*, id est, formae sive dispositiones, *secundum quos aliqua sunt impossibilia et immutabilia*, vel omnino, *vel non facile mobilia in peius;* ea enim quae *in peius* mutantur magis hoc habent ratione *impotentiae* quam *potentiae*. Illa vero quae non possunt pati tales defectus, aut vix et paulatim, vel modicum patiuntur, habent haec propter *potentiam*.

* Quot modis dicitur *potentia* tot dicitur *possibile* *. *Uno quidem modo dicetur potens quod habet* immediate et de se *principium activum motus et mutationis*. *Potens active* dicitur *uno* modo, quia per seipsum potest *immediate* agere; *alio* modo, quia agit *mediante alio*, cui potentiam suam committit.

Secundus modus *possibilis* correspondet *secundo* modo *potentiae*, scilicet potentiae *passivae;* et est *habens potestatem passive permutari in quodlibet, sive melius, sive in peius*.

Alio modo, qui correspondet *quarto* modo *potentiae*, dicitur *potens* quod habet virtutem ut *non possit corrumpi ab aliquo extrinseco corruptivo*.

Quartus modus *possibilis* correspondet *tertio* modo *potentiae*, qua aliquid dicebatur *potens* ad *bene agendum vel bene patiendum*. Notandum, quod, sicut patet ex praedictis, aliquid potest dici *potens agere*, vel quia potest *agere simpliciter*, vel quia potest *bene agere*. Similiter *potens pati dupliciter* dicitur: vel quia potest *pati simpliciter*, vel quia *potest bene* et *faciliter pati;* et hoc pertinet ad istum modum *possibilis* vel *potentis*.

Impotentia est privatio potentiae. Sicut *potentia* est *duplex*, scilicet, potentia *activa* et *passiva*, utraque etiam istarum *dupliciter* potest sumi, vel ut est principium *agendi*, vel *patiendi simpliciter*, vel ut *bene*, sic et *impotentia* per oppositum potest totidem modis sumi.

Correspondenter * ad *impotentiam* * potest accipi *impossibile quatuor* modis, secundum quod *potentia* dicitur *activa*, vel *passiva;* et utraque dupliciter, ut est principium *simpliciter*, vel principium ut *bene*.

Ad cuius evidentiam notandum, quod *potentia* est *duplex:* quaedam est *logica*, et quaedam *realis*. — Potentia *logica* dicit quemdam *modum compositionis factae ab intellectu*, quae est *non repugnantia extremorum* (1). Et *potentia* hoc modo non dicit aliquod principium quo quis sit *potens*, sed sufficit sola *non repugnantia terminorum*: ut posito quod nullus homo esset, nec aliquid agens potens hominem producere in esse, si esset aliquis intellectus componens istam propositionem, *homo erit*, ista esset *possibilis*, quatenus termini non repugnarent.

Alio modo dicitur *potentia realis*, quae est *principium agendi vel patiendi;* et quia potentia est nomen relativum, ideo hoc nomen *potentia* vel potest sumi pro eo quod *per se significat*, quod est *ipse respectus*, vel pro eo quod *connotat* et denominat, quod est *proximum fundamentum* talis relationis, et illud est proximum * principium * agendi vel patiendi.

Similiter *impotentia* per oppositum est *duplex*, scilicet, *logica* et *realis;* ita quod impotentia *logica* est quidam modus compositionis *factae ab intellectu* fundatus super *repugnantiam terminorum*, ut dicendo, *homo est asinus*. Impotentia *realis* est qua aliquis *non est potens ad agendum*, nec *realiter patiendum*.

Et sicut *impotentia* est *duplex* per oppositum, similiter et *impossibile* dicitur *dupliciter:* vel impossibile *reale*, vel impossibile *logicum*, de quo agit hic Philosophus.

Impossibile est hoc modo * (*logice*) * *cuius contrarium est ex necessitate verum, ut diametrum*, scilicet, *quadrati, esse commensurabilem; et ergo commensurabile esse non solum est falsum, sed ex necessitate falsum*, et tale falsum est *impossibile* hoc modo.

Deinde ostendit * Arist. * quid est *possibile* per oppositum, * scilicet *logicum* *, dicens quod *possibile*, quod contrarium habet *im-*

---

(1) Vid. *Potentia metaphysica — mathematica — logica*.

possibile, de quo dictum est, dicitur *quando eius contrarium non fuerit de necessitate falsum, ut sedere hominem est possibile, quia ipsum non sedere non est de necessitate falsum.* — Ex quo subiungit, quod *possibile* isto modo potest sumi *tripliciter: uno* modo quod est *falsum,* non tamen *de necessitate;* ideo dicit, *ergo possibile sic dictum uno modo est quod significat falsum non ex necessitate,* puta, * *possibile* est * hominem sedere quando non sedet, nam eius oppositum non est verum necessario. — *Alio* modo dicitur sic *possibile,* quod est *verum,* sed *non de necessitate,* quia eius oppositum non est falsum necessario, ut Socratem sedere quando sedet est hoc modo *possibile.* — *Alio* modo dicitur possibile *iam contingens verum,* id est, quod licet nondum verum sit, tamen contingit in proximo ipsum esse verum.

Deinde reducit omnes modos *potentiae* et *possibilis* ad *primum* modum *potentiae,* quae est *potentia activa;* et similiter omnes modos *impotentiae,* quae opponitur primae potentiae; ex quibus ultimo concludit definitionem potentiae *activae,* quod est *principium transmutandi aliud inquantum aliud.* Sicut omnia *possibilia* reducuntur ad *unam primam potentiam,* scilicet, *activam,* sic omnia *impossibilia* ad aliquam primam *impotentiam,* quae opponitur *potentiae* primae. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 11. — Vid. *Possibile, etc.*

Potentia — Principium. — Secundum praedicta supra (1), ab uno significato *potentiae* videtur nomen translatum ad aliud significatum, propter convenientiam inter illa, quia, scilicet, nihil habet modum essendi *potentialem* formaliter, nisi quia aliquod *principium* est *potentiale* respectu eius; principium autem *potentiale* respectu *principiati* tantum potest esse *duplex,* scilicet, *efficiens* * (potentia *activa*) *, et *materia* * (potentia passiva) *; *forma* enim nunquam praecedit compositum, nec per ipsum tamquam per principium *potentiale* posset compositum esse in *potentia;* similiter nec finis quantum ad *esse* in re. Et ideo forte, ut *potentia* signat *principium,* non est * hoc nomen *potentia* * impositum generaliter *omni* principio sive causae, sed tantum principio *activo,* quod est *quo efficiens potest efficere,* et principio *passivo,* quod est *quo ex aliquo potest fieri aliquid,* et per utrumque istorum *principiatum* est in *potentia.*

(1) Vid. *Potentia metaphysica — mathematica — logica.*

Non oportet contendere de nomine cui sit impositum, quia loquendum est ut plures, ex *II. Topicor.* c. 6. — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 4. n. 4, *ubi diffusius relationem potentiam inter et principium declarat.* — Vid. *Potentiae divisio.*

Potentia productiva. — Istae differentiae, *activa* vel *factiva,* sunt accidentales *potentiae productivae;* universaliter enim omnis potentia ex se productiva alicuius receptibilis in aliquo, in quolibet receptivo proportionato et approximato producit vel potest producere illud producibile. Quod si producibile non sit natum in aliquo recipi, *potentia productiva* producit illud, et non in aliquo, sed per se subsistens, si tamen sit potentia productiva sufficiens ad producendum, nullo alio praesupposito. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 5.

Potentia realis — logica — metaphorica. — *Potentia tripliciter* potest sumi, ut patet ex *V. huius, text. c. 17,* scilicet, potentia *realis,* et potentia *logica,* et potentia *metaphorica* (1). — *Primo* modo est *vere* potentia; aliis duobus modis dicitur potentia *aequivoce.*

Dicitur *possibile logicum* cuius contrarium *non necesse est falsum esse; impossibile* cuius oppositum *necessario est verum,* ut dicitur *V. huius, text. c. 7;* talis enim potentia vel impotentia dicitur esse modus compositionis terminorum simplicium fundatus super repugnantiam vel non repugnantiam terminorum (2).

Potentia realis distinguitur a potentia *logica* sive *metaphorica* per hoc, quod potentia *realis* nominat *principium actus realis transmutationis,* sive *activum* sit, sive *passivum* (3); *potentia* autem *logica* et *me-*

(1) Pro *metaphorica* vid. *Potentia mathematica.*

(2) Vid. *Potentia metaphysica — mathematica — logica.*

(3) « *Potentia realis* dicitur principium agendi vel patiendi ». — *Oxon.* I. d. 7. n. 8.

taphorica non dicunt aliquod tale principium, ut patet ex praedictis.

Potentia autem *realis,* licet dicatur *multipliciter,* omnes tamen modi reducuntur ad potentiam *activam.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. IX. s. 2. c. 1. nn. 3-5. — Vid. *Potentia multipliciter accipitur.* = *Potentia — possibile, etc.*

Potentia realis multipliciter dicitur. — Omnes modi *potentiae realis* reducuntur ad unum, scilicet, ad potentiam *activam: nam uno* modo *dicitur potentia patiendi,* id est, potentia *passiva quae est in ipso patiente, est principium mutationis passivae ab alio inquantum aliud est,* id est, ab agente in quo passum transmutatur; et sic aliqualiter potentia *passiva* reducitur et refertur ad *activam.*

Alio modo dicitur *potentia* dispositio quaedam, ex qua aliquid habet quod non possit pati transmutationem *in deterius,* sicut patet in bene dispositis mente, vel corpore, et similibus.

Et iste modus *potentiae* reducitur etiam ad potentiam *activam,* sicut et primus modus.

Potentia dicitur *alio* modo non solum propter hoc, quod est *posse agere* vel *pati simpliciter,* sed etiam per hoc, quod est posse *bene* agere vel pati. Dicimus enim aliquem *posse currere* non ex hoc, quod possit currere *simpliciter,* sed quod possit *bene* currere; sed dicimus eum *non posse,* si non potest *bene,* puta si *claudus;* similiter dicimus *lignum* esse *divisibile,* eo quod potest *bene* et *faciliter* dividi, sed *ferrum* dicimus *non posse dividi,* quia *non bene, nec faciliter* dividitur.

Et ille etiam modus potentiae reducitur ad potentiam primo modo, * scilic. *activam,* * quia in posse *bene active* vel *passive* includitur *posse simpliciter,* et per *potentiam simpliciter* habent definiri.

Patet ergo ex praedictis, quod omnes modi *potentiae* reducuntur et referuntur ad potentiam *activam,* et per eam habent definiri. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 1. c. 1. n. 4.

Dicit * Aristot. *, *palam* esse ex dictis *quia potentia faciendi et patiendi,* id est, *activa* et *passiva, est quidem quasi una,* si, scilicet, consideretur *ordo* secundum quem una dicitur per respectum ad aliam. *Nam possibile* dicitur aliquid *uno* modo per se, *et per se habere potentiam patiendi,* et *alio* modo *eo quod aliud ab eo,* id est, eo quod habet potentiam, ut ab eo aliud patiatur; et hoc modo potentia *activa* coincidit quodammodo cum *passiva;* nam ex hoc aliquid habet potentiam *activam,* quatenus habet potentiam, ut ab eo aliud patiatur.

Alio autem modo potentia *activa* et *passiva* non sunt una, si, scilicet, considerentur penes *fundamenta* vel *supposita* in quibus sunt. — *Ib.* n. 5.

Potentia remota — proxima. — *Potestas* potest *dupliciter* accipi: *Uno modo* ut potestas *proxima* et *propinqua* ad aliquid faciendum: *alio* moto ut *remota.*

Potentia remota dicitur illa qua aliquis potest *statim* et *immediate,* quoniam est ex parte *agentis,* exire in actum, licet non sequatur actio, propter impedimentum vel impedimenta ex parte *passi:* sicut *visus* dicitur *potentia remota,* secundum Anselmum, *De lib. arbitr. cap. 30.,* quia quis potest absolute in actum videndi, quantum est ex se, licet quandoque non sit visio, propter impedimentum vel indispositionem ex parte *passi,* ut quia medium non est illuminatum vel perspicuum, vel aliquid huiusmodi; quia passum non est determinate approximatum.

Potentia autem *proxima* et propinqua est illa, secundum Philosophum *IX. Metaph. cap. 4. text. 10.,* ad quam *statim* et *immediate sequitur actio,* quae includit *approximationem* passi sufficienter, et *amotionem* omnium impedimentorum. — *Report.* IV. d. 19. n. 15. — Vid. *Sensibile duplex.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 14. — *Ib.* II. d. 7. n. 17. — *Ib.* IV. d. 12. q. 2. n. 6. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 2. c. 1.

Potentia sensitiva — intellectualis — *Potentia sensitiva* est qua homo *potest sentire,* et dicitur per respectum ad actum *sentiendi;* et *intellectiva* per quam *potest intelligere.*

Ad actum *sentiendi* concurrunt per se duae causae *partiales* ex parte hominis, scilicet, potentia *sensitiva* et *organum;* et ideo utraque requiritur, et neutra sufficit; et ideo

sensitiva potentia, ut sic, inseparabilis est ab organo. Sed potentia *intellectiva* est *totalis* causa *intelligendi*, nec requirit aliam causam per se ex parte hominis; ideo dicitur *separabilis*, non enim *per se* utitur organo tamquam instrumento. — *De Anima* q. 5. n. 4.

Potentia supernaturalis — naturalis. — Potentia *supernaturalis*, si est absoluta et accidentalis et spiritualis, bene potest pertinere ad idem genus intermedium sub *qualitate* cum potentia *naturali*: sicut et habitus supernaturalis ponitur pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 15. — Potentia *naturalis* est qua *naturaliter* possumus actus quos possumus. — *Ib.* n. 16.

Potentia totalis — partialis. — Vid. *Potentiae activae divisio.*

Potestas in Deo. — *Potestas* maxime importat relationem ad *possibile*, et per consequens relationem rationis. — Accipitur * etiam * *potestas* pro illo secundum quod iste respectus dicitur de Deo, quod forte est voluntas. — *Quodlib.* q. 6. n. 17.

Potestas sacerdotalis. — Vid. *Clavis spiritualis.*

Praeceptum. — Vid. *Voluntas in Deo multipliciter accipitur.*

Praeceptum naturale — positivum. — *Duplex* est *praeceptum* obligans quemlibet ad aliquid faciendum: quoddam praeceptum est de lege *naturae;* quoddam de lege divina *positiva,* salva gratia Domini Gratiani, *distinct. 1,* qui dicit quod omnia praecepta quae sunt de lege vel iure *divino* sunt de lege *naturae;* nam Sacramenta et multa alia sunt de iure *positivo divino,* et non sunt de iure *naturae,* non enim fuerunt in omni statu.

De *lege* autem *naturae* dicuntur omnia principia practica nota ex terminis lumine naturalis, sicut principia speculativa in speculationibus, licet non sint tot principia practica in practicis, quot speculativa in speculationibus.

Et non solum principia practica sunt de lege naturae, sed omnia quae *immediate sequuntur* ex eis, ut conclusiones necessariae necessaria deductione vel demonstrativa illatione deductae ex eis.

Alia autem sunt extra ista, quae sic *demonstrative* concluduntur ex eis, quae *multum sunt consona* illis principiis practicis; quia ab omnibus sunt visa multum rationabilia et bona, et ab omnibus iuste servanda; licet non possent ex eis * (principiis practicis) * demonstrari, sicut priora. Et quatenus *consona* talibus principiis dicuntur de *lege naturae,* licet *non simpliciter,* quia non simpliciter sequuntur ex eis.

Alia vero sunt adhuc talibus principiis *consona,* sed ita, quod *etiam eorum opposita* sunt eis ita consona sicut illa; et ita stare possunt cum eis, cuiusmodi sunt *caeremonialia* et *consuetudines,* quae mere sunt de iure positivo tantum: ut *sacrificia* et *oblationes* et huiusmodi. Unde omnia *caeremonialia* Iudaeorum fuerunt de iure *positivo* tantum, et non ex lege *naturae,* et etiam multae observationes nostrae, ut *oblationes* et *sacrificia.* Si enim accipias *maiorem* de lege *naturae,* quod *Deus est colendus cum honore sibi debito;* et accipias *minorem* illam, *caeremoniae* et *oblationes sunt honor sibi debitus;* igitur *eis est sic colendus; minor* est de lege *positiva,* et non de lege *naturae;* quia caeremoniae non sunt eaedem in omni statu, quia aliae sunt in novo Testamento, et aliae fuerunt in Veteri: illa autem quae pertinent ad legem *naturae sunt eaedem apud omnes et in omni statu;* et si *minor* est de iure *positivo,* et *conclusio* est de lege et iure *positivo,* quia *conclusio semper sequitur debiliorem* et *infirmiorem praemissam* et *minus necessariam.* — *Report.* VI. d. 17. n. 3. — Vid. *Lex naturalis dupliciter accipitur.*

Praedestinatio. — *Praedestinatio* est *praeordinatio alicuius ad gloriam principaliter* et *ad alia in ordine ad gloriam.* — *Oxon.* III. d. 7. q. 3. n. 2. — *Report.* III. d. 7. q. 4. n. 2. — *Praedestinatio* proprie sumpta dicit actum *voluntatis* divinae, videlicet, ordinem electionis per voluntatem divinam alicuius creaturae intellectualis vel rationalis ad gratiam et gloriam, licet posset accipi pro actu *intellectus* concomitante istam electionem. — *Oxon.* I. d. 40. n. 2.

Praedicamenta decem. — Secundum Avicennam *III. Metaph.*, cogimur observare

illam divisionem *Praedicamentorum* famosam, qua dicuntur esse *decem* generalissima: cogimur, inquam, propter Philosophorum antiquam auctoritatem, cui non debet facili contradici. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 9. — *Quodlib.* q. 11. n. 13. — Tantum sunt *decem generalissima* rerum, quorum distinctio non sumitur penes aliquid *logicum tantum,* sed penes ipsas *essentias.* Ipsa enim intentio *generalissimum* est tantum variata *numero* in istis; unde quoad id quod est difficultatis, quaestio *utrum sint tantum decem generalissima?* est magis metaphysica, quam logica; ideo sufficienter hic scitur *quia ita est;* quamvis forte Metaphysicus debeat et possit scire *propter quid.* — *Super Praedic.* q. 11. n. 4.

Concedo ergo divisionem * entis in *decem genera esse* * sufficientem; et quod distinguuntur *realiter.* — Et potest probari in speciali de *Quantitate. Primo* quod *quantitas* a *substantia corporea* distinguitur: *accidens* est *quod adest vel abest,* secundum Porphyrium (1): sed *quantitas* advenit et recedit substantiae, substantia corporea non mutata; ergo, etc. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 6. n. 9. — De *Qualitate* etiam planum est, quod est alia a *substantia,* quia *suscipit magis* et *minus,* et *habet contrarium* et ad ipsam *est motus;* quae omnia repugnant *substantiae.* — De *Relatione,* quod sit aliud a *fundamento* (2), quia super idem fundamentum numero fundantur diversae relationes oppositae; ergo neutra est idem essentialiter tertio. — De *Actione* et *Passione,* quod differunt a *Relatione,* patet: impossibile est relationem esse fundamentum relationis: sed relationes aliquae *secundi* modi (3) fundantur super *actionem* et *passionem;* ergo, etc. — Item de *Ubi:* ad illud est *per se motus:* sed non ad *relationem,* nec ad locum; ergo *ubi* non est *relatio,* nec *locus.* — *Ib.* n. 10. — De *Quando,* quod differt a *Relatione* et *Tempore,* quia *tempus* est *mensura: Quando* est quod derelinquitur *ex comparatione mensurae ad mensuram;* ergo *Quando* est posterius. *Relatio* etiam non est effectus *temporis;* ergo aliud a *Quando* essentialiter. — De *Positione,* quod distinguitur a *Relatione:* si *positio.* esset ordo partium in loco, illud esset positum cuius est ille ordo: sed ordo est partium et non totius; ergo partes essent positae; ergo partes hominis sederent, et non homo. — De *Habitu,* quod non sit *Relatio:* quia illud est species habitus, quo formaliter aliquid dicitur *habituatum:* sed in illo fundatur respectus ad illud quod habetur; forma ergo de genere *Habitus* est *fundamentum* relationis. — *Ib.* n. 11. — * *Late per totam quaestionem prosequitur hanc materiam. Alibi tamen sustinere videtur, quod Praedicamenta aliqua formaliter tantum distinguantur* *. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 26. et q. 5. — *QQ. Metaph.* lib. VIII. q. 1.

Praetermissa *Substantia,* omnia alia membra possunt reduci ad *tria* membra universalia, scilicet *Quantitatem, Qualitatem,* et *Relationem;* nam Praedicamenta alia a tribus primis sunt *formaliter respectus quidam.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. un. c. 12. n. 100. — Vid. *Entis divisio* et singula *Praedicamenta.*

Praedicamenta dupliciter considerantur. — *Praedicamenta dupliciter* possunt considerari: — *Uno* modo inquantum sunt *entia.* — *Alio* modo inquantum *considerantur a ratione,* sive inquantum aliqua proprietas ab intellectu causata eis attribuitur.

Primo modo de eis considerat *Metaphysicus;* subiectum enim eius est *ens* inquantum *ens.* — *Secundo* modo hic in libro *de Praedicamentis* de eis consideratur; ostenduntur enim de eis passiones sibi inhaerentes, inquantum sunt generalissima, ut de Substantia, *univoce praedicari,* et *non esse in subiecto,* et *videri hoc aliquid significare.* Similiter de aliis Generibus. — *Super Praedic.* q. 2. n. 2.

Praedicare quid — in quid. — Aliud est *praedicatum* esse *quid,* et aliud in *quid praedicari.* In omni enim genere est invenire *quid,* ex *I. Topicorum,* nec tamen quodlibet cuiuscumque generis praedicatur in *quid,* et de quocumque, sed tantum de suo *inferiori,* in cuius ratione essentiali in-

(1) Vid. *Accidens.*
(2) Vid. *Relationis fundamentum,* etc.
(3) Vid. *Relationis per accidens modus triplex* = *Relationis per se modus triplex.*

cluditur. — *Oxon.* III. d. 7. q. 1. n. 5. — Aliud est praedicare *quid*, et praedicari *in quid;* sola enim substantia praedicat *quid*, sed quodlibet praedicatur *in quid*, quando est *quid suppositi* de quo praedicatur, non tamen praedicat *quid.* — *Report.* III. ib. — Ad praedicari *in quid* non sufficit quod praedicet *quid;* sed * requiritur * quod praedicet *quid per modum quid.* * Unde *differentia*, ex. gr. non praedicat *in quid*, quia * praedicat *essentiam* per modum *informantis*, non per modum *subsistentis.* — *Super Univers. Porph.* q. 28. n. 3.

Praedicari. — *Praedicari* proprie est *prae alio dici.* — *Super Praedic.* q. 9. n. 5.

« Praedicari de » tripliciter dicitur. — *Tripliciter* dicitur *praedicari de:* — *Proprie*, pro his quae sunt superiora in eodem genere. — *Communiter*, pro omni eo quod est commune. — *Communissime*, pro omni eo quod specificat rem huius verbi *est* in propositione. — *Super Univers. Porph.* q. 35. n. 3. — Vid. *Accidens logicum.*

Praedicari — Esse. — Sciendum est, quod *praedicari*, cum sit intentio, est *intentionum* per se, *rei* vero per accidens. — *Esse* vero est *rei* per se. — Aliud sciendum, quod *esse* in rebus *primae* intentionis illud exercet quod *praedicari* signat in *secundis* intentionibus.

Ex quibus sequitur, quod nomina concreta *secundae* intentionis respectu huius quod est *praedicari* supponant pro suis fundamentis sive suppositis respectu *esse.* — Ex quo sequitur, quod a *praedicari signato* ad *praedicari exercitum*, sive ad *esse*, non tenet consequentia per se in eisdem terminis; sed a *praedicari per se* in intentionibus ad *esse* in fundamentis bene tenet consequentia sic: *genus praedicatur de specie; ergo homo* * (species) * *est animal* * (genus) *; hic enim *exercetur* in prima quod *signatur* in secunda. — *Super Univers. Porph.* q. 14. n. 4. — Vide *Actus signatus — exercitus.*

Praedicari in quid — in quale — in quale quid. — *Praedicari* dividitur in praedicari in *quid* et in *quale*, tamquam in *per se differentias;* quia isti sunt *primi* modi praedicandi.

Praedicari in quid est praedicare *essentiam* subiecti per *modum essentiae*, id est, per modum *subsistentis*, et non *denominantis.* — Et hoc contingit *dupliciter:* vel quod praedicet *totam* essentiam subiecti, et sic est *species.* Si vero *partem* essentiae * praedicet *, sic est *genus.* — *Super Univers. Porph.* q. 12. n. 5.

Praedicari in quale est praedicari per modum *denominantis.* — Quod contingit *dupliciter:* vel quod praedicet subiecti *essentiam* per modum *denominantis;* et tunc praedicatur in *quale substantiale*, sive *essentiale*, et sic est *differentia; est* enim *differentia substantiae qualitas*, per Aristotelem *V. Metaph.:* vel quod praedicet *accidens* per modum *denominantis;* et tunc praedicatur in *quale accidentale.* — Vel ergo praedicat accidens *convertibile*, egrediens a principiis subiecti, et sic est *proprium;* vel accidens *commune*, et sic est ultimum universale, * scilicet, *accidens* *.

Cum igitur *praedicari de pluribus* non contingat nisi aliquo istorum *quinque* modorum, qui per se dividunt *praedicari de pluribus*, quod est ratio ipsius *universalis*, sequitur quod *universale* dividitur in haec *quinque* tantum. — *Ib.* n. 6. — Vid. *Accidens = Differentia = Genus = Proprium = Species.*

Intelligendum * igitur *, quod *praedicari in quid* est praedicari *essentiam* per modum *essentiae;* hoc convenit *generi;* quia genus accipitur a parte *materiali*, et ideo praedicat *essentiam* per modum *substantis*, quia est modus *essentiae.* — Per oppositum autem *differentia* accipitur a parte *formali*, et ideo praedicat essentiam per modum *informantis*, et *qualificantis;* et ideo in *quale*, *6. Topic. cap. 8.* — Nota quod *qualitas* quae est praedicamentum praedicatur in *quale* absolute; sed *differentia substantialis* praedicatur in *quale quid;* ex hoc enim quod importat *formam* praedicatur in *quale;* sed ex hoc quod importat *substantiam* praedicatur in *quid;* ideo ratione totius dicitur praedicari in *quale quid.* — Unde patet differentia praedicandi in *qualitatem* et *differentiam;* quae diversitas *praedicandi* sumitur a diversis modis *essendi* qualitatis et

differentiae substantialis, ut patet. — *Ib.* q. 19. n. 2.

Nihil praedicatur *in quid* de illo respectu cuius est *accidens*, sed respectu cuius est *genus: ut color* non praedicatur de *substantia* in *quid*, sed de *albedine* respectu cuius est *genus.* — *Ib.* n. 4. — Vid. *Differentia = Genus.*

Praedicari univoce. — *Univoce praedicari* est praedicari secundum *nomen* et secundum *definitionem.* — *Poster.* I. q. 24. n. 4.

Praedicari univoce est dupliciter. — *Praedicari univoce* est *duplex:* — *Uno modo* quando praedicatur *superius de per se inferiori*, sicut *homo* de *illo* homine; et illo modo *differentiae* acceptae ab aliquo *distincto* gradu non praedicantur *univoce;* tamen *differentiae* acceptae a *tota* perfectione sic possunt *univoce* praedicari. — *Alio modo* dicitur *praedicari univoce* quod praedicat essentiam rei, vel *partem* essentiae; et sic omnes *differentiae* praedicantur *univoce*, et etiam *generalissimum*, quod nullam habet definitionem, sic praedicatur *univoce;* sed sic praedicari non est *praedicari secundum definitionem.* — *Poster.* I. q. 24. n. 8.

Praedicari univoce — Praedicatum univocum. — Aliud est *univocum praedicatum*, aliud est *univoce praedicari*, stricte loquendo; *univocum* enim *praedicatum* dicitur *cuius conceptus est in se unus;* et hoc modo *album* dictum de *ligno* et de *lapide* est *praedicatum univocum.* — *Univoce* autem *praedicatur* illud *cuius ratio est ita una*, ut praedicatur, *quod ratio eius includitur in ratione subiecti;* et hoc modo *denominativum* non praedicatur univoce, quomodo loquitur Philosophus in *Praedicamentis.* — *Oxon.* III. d. 7. q. 1. n. 5. — *Super. Praed.* q. 3. n. 5.

Praedicatio essentialis — denominativa. — *Praedicatio* est *duplex:* Quaedam *essentialis*, et quaedam *denominativa.* Exemplum *primi: homo est animal.* Exemplum *secundi: mel est dulce.*

Praedicatio etiam *denominativa* est *duplex:* — Quaedam est *extrinseca* et *alterius* generis: puta, cum ens unius generis praedicatur de ente alterius generis. Exemplum: *homo est albus.* — Et quaedam *intrinseca* et *eiusdem* generis: puta, cum *pars* praedicatur de *toto*, vel *totum* de *parte*, quando utrumque est eiusdem generis. Exemplum: *homo est animatus*, vel *anima est humana.*

Et est differentia inter has praedicationes *denominativas*, quia illa quae *extrinseca* est *non est convertibilis;* nam licet bene dicatur *homo est albus;* non tamen e converso proprie dicitur *albedo est humana.* Sed illa quae est *intrinseca* utique *potest converti;* nam sicut bene dicitur *homo est animatus*, ita e converso *anima est humana.* Hoc etiam modo *compositum* praedicatur de *materia*, et e converso *materia* de *composito.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 1. n. 17.

Denominativa differunt a principali sola *cadentia*, ut patet in praedicatis. *Forma* autem potest intelligi *cadere* ad aliud *dupliciter:* vel enim potest cadere a sua quidditate ad suppositum naturae *propriae*, vel ad suppositum *alterius* naturae.

Primo modo est *denominatio minus proprie* dicta; hoc enim modo superius praedicatur *denominative* de suo inferiori, ut *homo est animal*, vel *Socrates est homo; animal* autem praedicatur *denominative* per *cadentiam* a propria quidditate ad suum *inferius*, quod est extra rationem *animalis.* Isto modo non praedicatur *pars* de *toto denominative*, quia *homo* non est *anima*, nec *compositum* est *materia.*

Secundo autem modo est proprie praedicatio *denominativa*, ut cum dicitur *Socrates est albus;* hic enim *album* cadit a propria quidditate ad suppositum *alterius* naturae. Et ad illum modum praedicandi *denominative* reducitur praedicatio *denominativa partis* de *toto*, vel e converso, ut cum dicitur *homo est animatus; animatum* enim significat formam animae contractam et *cadentem* a propria quidditate ad aliud suppositum, quam sit suppositum *propriae* naturae, sive quidditatis ipsius animae; non tamen est praedicatio *proprie denominativa*, quia illa non convertitur, sed tantum *assimilatur* praedicationi denomi-

nativae *accidentis* de *subiecto;* non enim praedicatur praedicatione *denominativa alterius* generis, nec est praedicatio aut denominatio *accidentalis.* Et sic *materia* dicta de *composito denominative* non dicitur de eo *accidentaliter.* — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 22. — Cf. *Quodlib.* q. 4. n. 32.

Praedicatio formalis. — *Formalis praedicatio* est ubi *subiecto ex suo intellectu inest praedicatum,* circumscripta a subiecto omni habitudine ad causam extrinsecam, quae non est de quidditate eius, cuiusmodi semper est *efficiens* et *materia in qua.* — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 4. n. 3. — Praedicatio autem *formalior* est quando commune praedicatur de minus communi vel quasi minus communi, quam e contra. — *Oxon.* I. d. 4. q. 2. n. 2.

Praedicatio in abstracto in creaturis — in Divinis. — In *creaturis* non est aliqua *vera praedicatio in abstracto per identitatem* quae non sit *formalis;* et ideo numquam fuit tradita Logica in *creaturis* de praedicatione alia *formaliter vera* et alia *per identitatem.* — In *Divinis* autem est *vera praedicatio per identitatem in abstracto,* et tamen *non est formalis.*

Ratio huius differentiae est ista, ut puto: quia concipiendo *abstractum ultima abstractione,* concipitur quidditas absque habitudine ad quodcumque quod est extra propriam rationem quidditatis. Sic igitur concipiendo extrema, nulla erit veritas uniendo ea, nisi praecise quidditas unius extremi sit *eadem* quidditati alterius extremi. Hoc autem non contingit in *creaturis;* quia ibi abstrahendo illas realitates quae sunt in eodem, puta, realitatem *generis,* et *differentiae,* et considerando eas *praecisissime,* utraque est *finita,* et neutra est *perfecte eadem* alteri. Non enim sunt modo *eadem inter se, nisi propter tertium* cui sunt eadem; et ideo *si abstrahantur a tertio,* non remanet causa identitatis eorum; et ideo nec causa veritatis propositionis unientis extrema illa. Haec igitur est falsa, *animalitas est rationalitas,* et e converso, et hoc quacumque praedicatione; quia non tantum extrema non sunt *formaliter* eadem, sed *nec vere* eadem; quidditas enim haec praecise est potentialis ad quidditatem illam, et non est eadem illi nisi propter identitatem ad tertium, a quo abstrahuntur; ergo abstractio illa tollit causam veritatis affirmativae unientis ea. — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 25.

Oppositum est in *Deo;* quia abstrahendo *sapientiam* a quocumque quod est extra rationem sapientiae, et *bonitatem* similiter abstrahendo a quocumque quod est extra eius rationem *formaliter,* remanet utraque quidditas praecise sumpta *formaliter infinita;* et ex quo *infinitas* est ratio identitatis eorum, facta tali abstractione praecisissima, remanet ratio identitatis extremorum; non enim haec erant eadem praecise propter identitatem eorum ad tertium a quo abstrahuntur, sed *propter infinitatem formalem* utriusque.

Et quod ista sit ratio *praedicationis per identitatem,* signum est ex hoc, quod non conceditur ista, *paternitas in Divinis* est *spiratio activa,* neque ut vera *formaliter,* neque ut vera *per identitatem,* neque *paternitas est innascibilitas,* et e converso, sicut ista conceditur, *paternitas est deitas,* et e converso. Et ratio videtur, quia abstrahendo *paternitatem* et *innascibilitatem* ab *essentia* sive a supposito, neutrum est *formaliter infinitum;* et ideo neutrum in sua ratione sic abstractum includit rationem identitatis eius ad alterum; et ideo neutrum sic abstractum de altero vere praedicatur. Sed sic abstrahendo *deitatem* et *paternitatem* quantumcumque, remanet adhuc alterum extremum * (deitas) * *formaliter infinitum:* quae *infinitas* est ratio sufficiens identitatis extremorum; et ideo remanet ratio identitatis eorum, et per consequens ratio veritatis compositionis affirmativae. In ista autem, *deitas est bonitas,* remanet *infinitas* non tantum in uno extremo, sed in *utroque;* ideo est hic veritas propter identitatem inclusam virtualiter in utroque extremo. — *Ib.* n. 26. — *Ib.* d. 5. q. 1. — d. 13. n. 10. et seqq. — d. 34. n. 1. — III. d. 22. n. 21 et seqq. * *quibus in locis, et alibi passim, plura habet de abstractionibus* *.

* Vel aliter *: — Quaedam praedicationes in *Divinis* sunt verae, non solum in *concreto,* sed etiam in *abstracto,* quae non

sunt oppositi de opposito: quaedam verae in *concreto*, licet non in *abstracto;* quia non loquimur de illis quae *neutro* modo sunt verae, ubi, scilicet, extrema sunt *opposita;* quia nec *Pater est Filius*, nec *paternitas est filiatio.* — Ubi autem extrema non sunt *opposita*, sed *composibilia* in eodem supposito, ibi semper ad minus est praedicatio vera in *concreto:* sicut *Pater est spirans, Pater est ingenitus*; non autem in *abstracto*, sic: *paternitas est spiratio;* et tamen haec est vera: *deitas est paternitas, deitas est spiratio.* Hoc non est nisi quia *divinitas* est *formaliter infinita*, non autem *paternitas*, nec *spiratio;* et ideo abstrahendo a supposito *deitatem*, cum semper maneat in ipsa ratio *infinitatis*, semper manet ratio *identitatis simpliciter* ad *paternitatem* et ad *spirationem;* et ideo manet ratio veritatis affirmativae praedicationis in *abstracto.* — Sed *paternitatem*, quae non est *formaliter infinita*, abstrahendo a supposito, non manet ratio identitatis eius ad *spirationem activam*, quae etiam non est *infinita;* quia neutrum extremum secundum propriam rationem sui habet *infinitatem;* et ideo licet haec sit vera, *pater spirat*, quia eidem supposito convenit utrumque; tamen abstractione ab illo supposito facta, quia neutrum eorum est * *formaliter* * *infinitum*, non est vera praedicatio in *abstracto: paternitas est spiratio.* — Per oppositum consimilis ratio est quandocumque aliquod *essentiale* praedicatur de aliquo *essentiali*, vel *personale* de *essentiali*, vel *essentiale* de *personali*, utpote haec est vera: *sapientia est paternitas; sapientia est spiratio*, et e contrario; quia abstrahendo a supposito, adhuc manet alterum extremum *infinitum*, scilicet, *sapientia;* et ideo remanet adhuc ratio identitatis extremi ad extremum, facta tali abstractione; et per consequens ratio veritatis in praedicatione affirmativa.

Patet ergo generaliter ista: quod nunquam est neganda praedicatio in Divinis per identitatem abstracti de abstracto, nisi quia neutrum extremum est formaliter infinitum, sicut haec est neganda, *paternitas est spiratio.* — *Quodlib.* q. 5. n. 17. — Cf. ib. q. 3. n. 14.

Praedicatio in Divinis formalis — per identitatem. — Praedicatio in *Divinis* distinguitur in veram *formaliter*, et veram *per identitatem:* hoc est, quod illa sit *formalis* quando praedicatum convenit *formaliter* subiecto; *per identitatem* vero quando propter *infinitatem* divinam praedicatum est *idem* subiecto, licet non *formaliter.* — *Oxon.* I. d. 4. q. 2. n. 2. — *Praedicatio per identitatem* non habet locum in *creaturis*, * ut dictum est supra. * Unde et Philosophus non determinat de huiusmodi praedicatione; sed tantum habet locum in *Divinis.* — *Report.* I. d. 8. q. 5. n. 6.

Praedicatio per accidens triplex. — *Praedicatio accidentalis* complectitur tantum duos modos. — *Unus* modus est secundum quod *accidens* praedicatur de *accidente*, et hoc ideo quia ambo *accidunt* eidem subiecto: * ut * *musicum est album* — *Secundus* modus *per accidens* est quando *accidens* praedicatur de *subiecto*, ut cum dicitur *Socrates est musicus*, quae est praedicatio *per accidens*, non quod ambo accidant tertio, sed quia *alterum accidit* alteri. — *Exposit. in Metaph.* lib. IV. S. 2. c. 2. n. 46.

Philosophus *I. Poster.* text. 35, distinguit *tres* modos praedicationis *per accidens*, quorum duo sunt qui hic ponuntur, scilicet, quando *accidens* praedicatur de *subiecto*, vel *accidens* de *accidente.* Exemplum primi: *homo est albus.* Exemplum *secundi: musicum est album.* — *Tertium* autem modum ponit, quando, scilicet, *subiectum* praedicatur de *accidente;* ut si dicatur *musicum est homo.* — Ille *tertius* modus reducitur ad istum, quando accidens praedicatur de subiecto, nam conversivus est istius. — *Ib.* n. 48. — Vid. *Propositio per accidens triplex.*

Praedicatio per se — per accidens. — *Praedicatio* est *duplex:* quaedam *per se*, et quaedam *per accidens.* — Et illa quae est *per se*, quaedam est *superioris* de *inferiori*, quaedam *eiusdem* de *se.* — *Exposit. Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 1. n. 12. — * Ex. gr. * praedicatio accidentis de subiecto, licet sit vera, non tamen est *per se.* — *Quodlib.* q. 19. n. 25.

Praedicatio per se primo modo. — Non solum in *primis* intentionibus significantibus

res extra est praedicatio *per se primo modo*, sed in conceptibus significantibus res *secundae* intentionis. Ita enim *per se* est haec, *species est genus ad multas species*, sicut haec, *homo est animal*, in suo ordine, quia haec intentio *secunda*, scilicet, *species*, habet sub se multas species et *secundas* intentiones, sicut *animal hominem, asinum*, et huiusmodi; et sicut in rebus et conceptibus *primae* intentionis fiunt divisiones per formales et *reales* differentias illius conceptus *realis*, ita in conceptibus *secundarum* intentionum et relationibus rationis fiunt divisiones per differentias *rationis* correspondentes. — *Report.* IV. d. 1. q. 2. n. 7. — Vid. *Propositio per se primo modo.*

Praedicatio per se secundo modo. — In *secundo* modo *praedicandi per se* subiectum ponitur in diffinitione praedicati, nam passio quae praedicatur *secundo* modo habet definitionem *ad additum* (1), nam subiectum ponitur in definitione passionis. In *primo* autem modo *praedicandi per se* est e converso; nam praedicatum vel est definitio, vel ponitur in definitione subiecti. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 2. n. 22. — Vid. *Propositio per se secundo modo.*

Praedicatio quidditativa. — *Praedicatio quidditativa* dicitur ab esse, ut ista est *quidditativa: homo est animal;* quia *esse hominem* est *esse animal.* Similiter ista: *albedo est color*; quia *esse album* est *esse coloratum;* sed ista non: *homo est albus;* quia *esse hominem* non est *esse coloratum.* — *Physic.* I. q. 7. n. 12.

Praedicatum formale — subiicibile. — Praedicatum *formale* habet rationem *formae*, et *subiicibile* habet rationem *materiae.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 13.

Praedicatum substantiale — accidentale. — In hoc distinguitur praedicatum *substantiale* ab *accidentali*, quia unumquodque *est vere* id quod de ipso *substantialiter* praedicatur: sed non sic est de praedicato *per accidens;* nam *homo* dicitur *albus*, non quod *vere* sit illa albedo, sed quia albedo vel album *sibi accidit*, quia est albus *denominative*, sed non quia * sit * albedo.

Ex quibus omnibus patet, quod praedicatum quod praedicatur *substantialiter* non potest esse realiter nisi unum; sed praedicatum *per accidens* non est necesse esse unum tantum, nec per consequens *substantiale*, sed *accidentale.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* IV. S. 2. c 2. n. 45.

Praedicatum univocum. — Vid. *Praedicari univoce — Praedicatum univocum.*

Praelatus. — Quia christianus populus, propter ruditatem intellectus, cito labitur in errorem vel in oblivionem, et propter pronitatem ad malum ipsius affectus in malam operationem, necesse fuit ponere aliquos scientiores inter ipsos, qui ipsos docerent et in fide habita nutrirent et tenerent, et peccantes poenitentes ab obligatione ad poenam aeternam absolverent et in poenam temporalem commutarent; et per consequens necesse fuit ponere aliquos qui curam populi ad fidem conversi haberent. Istos vocamus *praelatos* curam animarum habentes. — *De Perfect. Stat.* n. 14.

Praelatus — Religiosus. — Quaedam est persona perfecta in statu perfectionis *exercendae*, sicut *Praelatus.* — Quaedam in statu perfectionis *acquirendae*, ut *Religiosus.* — *Oxon.* III. d. 38. n. 10. — Status *Praelatorum* respectu subditorum est status *secundum quid* generantis patris, solum curam bonae nutritionis et honestae conversationis habentis; sponsi spiritualis sponsam in esse spirituali praesupponentis, eam per bona opera et salubria hortamenta bono opere tamquam bona prole foecundantis; respectu quorum subditorum status alius * *(Religiosorum)* * se habet ut status *per se* generantis patris ad per se esse spirituale producentis, vim producendi bona opera, sicut bonam prolem, conferentis. — *De Perfect. Stat.* n. 1.

Praemissae contingentes dupliciter consideratae. — *Praemissae contingentes* possunt *dupliciter* considerari: — *Uno modo* ratione *contingentiae* quae est in *praemissis.* — *Alio modo* ratione *dispositionis terminorum.*

Primo modo ex contingentibus non se-

---

(1) Vid. *Definitio simplex seu essentialis — per additamentum.*

quitur conclusio necessaria *propter quid,* nec *eo quod * (quia)** haec sunt. — *Secundo modo* ex praemissis contingentibus sequitur conclusio necessaria *eo quod* haec sunt. — *Poster.* I. q. 41. n. 2.

Praemium. — Vid. *Imputabile.*

Praepositio. — Vid. *Grammat. specul.* n. 176. et seqq.

Praepositio exclusiva. — Notat *praecisionem* in illo cui additur respectu alterius extremi, sive praecisam commensurationem, scilicet, quod alterum extremum non excedat illud. — *Oxon.* I. d. 21. n. 2.

Praescriptio. — Per *praescriptionem* potest ius acquiri, si concurrant conditiones illae quas Iura determinant, scilicet, quod *iusto titulo* acquirat, et sit *bonae fidei* possessor, et quod possederit sine interruptione temporis a lege determinati. — *Oxon.* IV. d. 36. q. 1. n. 4. — Et si illae conditiones conserventur, est pax et certitudo dominii; aliter non. — *Report.* ib. d. 15. q. 4. n. 14.

Praesumptio. — *Praesumens,* ut *praesumptio* est *prima species superbiae,* non vult bonum suum praeeminere bonis aliorum secundum aliquam superioritatem, nec etiam vult praeeminere illud secundum famam, sicut est de illo qui appetit laudem; sed vult illud magnum esse secundum se magnum, et ita magnum, quod sine alicuius alterius adventu, vult illud esse maius omnibus aliis quae non ita diligit.

Hoc modo potest concedi, quod immoderata dilectio sui, quae est radix civitatis diaboli, est *praesumptio,* quia quilibet immoderate se diligens vult se esse tantum bonum quantum posset proportionari actui quo se diligit. Et hoc modo potest exponi *Aug. XIV. de Civitate Dei,* et bene, quod sibi placens immoderate est superbus, et hoc prima specie superbiae, et hoc non appetendo excellentiam quae est quaedam relatio, sed appetendo excellentiam, idest, magnitudinem in se, ex qua magnitudine sequitur eius excellentia ad alios.

Praesumptio non est peccatum *intellectus,* quasi intellectus praesumptuosi iudicaret vel ostenderet, se esse tantum quantus non est, sed est peccatum *voluntatis* immoderate appetentis bonum suum esse tantum quantum non est. Ex hoc sequitur excaecatio intellectus. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 15.

Praxis. — Ab omnibus conceditur, quod habitus practicus aliquo modo extenditur ad praxim. — *Praxis,* ad quam cognitio *practica* extenditur, est *actus alterius potentiae quam intellectus, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectae, ad hoc ut sit actus rectus.*

Prima conditio apparet: quia stando praecise in actibus intellectus, nulla est *praxis;* quia nulla est *extensio* intellectus, quia non extra se extendit, nisi ut actus eius respicit actum alterius potentiae. — *Et si dicas,* unum actum intellectus *extendi* ad alium directum per illum; *non propter hoc* secundus est *praxis,* ut modo loquimur, nec primus est cognitio *practica,* quia tunc Logica esset *practica,* quia *dirigit* in actibus discurrendi (1).

Secunda conditio patet: quia actus non habentes ordinem ad intellectum, cuiusmodi sunt actus vegetativi, aut actus naturaliter praecedentes intellectionem, ut actus *sensitivi,* non dicuntur *praxes,* nec dicitur ad eos extendi notitia *practica,* ut sunt priores intellectione. — Similiter actus appetitus potentiae sensitivae, quatenus praecedunt actum intellectus, non sunt *praxes;* hoc enim modo communes sunt nobis et brutis; nec respectu istorum actuum est cognitio *practica,* nisi ut aliquo modo est moderativa istorum actuum, et isti actus sequuntur intellectionem moderativam, ut sunt per ipsam moderati. — *Oxon. Prol.* q. 4. n. 3.

Ex his duabus conditionibus sequitur *corollarium:* quod *praxis,* ad quam extenditur habitus *practicus,* non est nisi actus *voluntatis elicitus* vel *imperatus.* Quod patet; nam nullus alius actus ab actu voluntatis elicito vel imperato est essentialiter *posterior intellectione;* quia quicumque alius detur, aliquis eiusdem rationis cum illo posset esse prior, sicut patet discurrendo per omnes actus aliarum potentiarum.

Licet *speculatio* sit quaedam *operatio,* et ita *praxis,* sic *extendendo* nomen, tamen ut *praxis* dicitur sola operatio ad quam

---

(1) Vid. *Logica, ac practica?*

intellectus potest extendi, nulla intellectio est *praxis;* et hoc modo accipitur quando ad *praxim* cognitio *practica* dicitur *extendi*. — Cum igitur dicitur, *intellectio est imperata a voluntate, ergo est praxis;* non sequitur, sed sequitur: ergo est praxis, vel *practica*, ipsa enim nata est *denominari* quasi *accidentaliter* a *praxi*, ad quam *extensibilis* est; non autem est *terminus* talis extensionis. — *Ib.* n. 4.

Tertia conditio probatur ex dicto Philosophi, *VI. Eth.*, quod *electio recta* necessario requirit *rationem rectam*. Quod non tantum verum est de *electione stricte* sumpta, sed pari ratione de *qualibet volitione recta*, quia ipsa requirit rationem rectam, cui conformiter eliciatur: omnis autem *praxis* vel est *volitio* vel *sequens volitionem*, ex *corollario* praecedente; ergo omnis *praxis*, ad hoc ut sit *recta, nata est conformiter elici rationi rectae.*

Ex duobus conditionibus ultimis *praxis* sequitur, quod actus *imperatus a voluntate* non est *primo praxis*, sed quasi *per accidens;* quia nec *primo* est *posterior intellectione*, nec *primo natus elici conformiter rationi rectae.* Oportet igitur aliquem alium actum esse *primo praxim:* iste non est nisi *volitio*, quia per istam habet actus *imperatus* dictas conditiones; ergo *prima ratio praxis* salvatur in actu *elicito voluntatis.* — *Ib.* n. 5.

Illa * igitur * *extensio* * qua intellectus fit *practicus* * consistit in *duplici* relatione *aptitudinali*, scilicet, *conformitatis* et *prioritatis naturalis* (1).

Dixi *aptitudinali;* quia neutra relatio requiritur *actualis*. Quod autem *praxis actualiter* sequatur considerationem, quae conformis sit ipsi considerationi, hoc omnino est *accidentale* ipsi considerationi et contingens. Si igitur ab *actuali* extensione diceretur * cognitio * *practica*, nulla esset necessario *practica;* sed eadem quandoque *practica*, et quandoque *speculativa*, quod nihil est; ergo sufficit *aptitudinalis extensio* sive *aptitudo ad extensionem*.

Hoc declaratur: quia communiter conceditur cognitionem *practicam* extendi ad *praxim* ut *directivam* ad *directum*, sive ut *regulativam* ad *regulatum*. — Cognitionem autem esse *priorem* naturaliter *praxi*, et *conformem*, non est esse *conformatam praxi* quasi *priori;* sed esse *conformativam praxis* quasi *posterioris*, sive esse cui *praxis* sit *conformanda*, quod est cognitionem dirigere et regulare *praxim*. — *Ib.* n. 6.

Ex isto secundo patet, quod *practicum* et *speculativum* non sunt differentiae *essentiales* scientiae vel notitiae *in communi*, quae est quoddam absolutum; quia *practicum* dicit *duplicem respectum* notitiae *aptitudinalem* ad *praxim* ut ad *terminum; speculativum* autem *privat* illum respectum duplicem; nec respectus, nec privatio eius est de *essentia absoluti*, sed est quasi divisio generis per proprias passiones specierum, sicut si dividatur *numerus* per *par* et *impar*, vel *linea* per *rectum* et *curvum*. Alicui autem notitiae convenit *practicum per se secundo modo*, ex causa intrinseca praedicati in subiecto; alicui *speculativum*. — *Ib.* n. 7.

Habitus non dicitur primo *practicus* ab actu proprio; quia ille est practicus a causa priore, nec cognitio aliqua habitualis vel actualis est per se practica, quia ordinatur ad praxim ut ad finem. Potest tamen quandoque habere primam extensionem, scilicet *conformitatem* ad praxim, a fine ipsius praxis: non tamen inquantum est finis, sed inquantum est primum *obiectum*. — Breviter ergo dico, quod scientia practica non habet primam extensionem sibi competentem a fine inquantum finis. — *Ib.* n. 13.

Sed primam relationem, scilicet, *conformitatem*, habet per se ab *obiecto*, quod vel est rectitudo *praxis*, vel aliquid virtualiter includens ipsam rectitudinem; et ideo cognitioni illi *praxis* est conformabilis ut sit *recta*, quia cognitio est *talis cogniti.*

---

(1) « De ratione habitus practici sunt duo, scilicet, *conformitas* ad praxim, quam conformitatem habet ex *obiecto* circa quod est, et *prioritas* eius naturalis ad eamdem praxim; quia praxis, ut ab ea dicitur operatio *practica*, est operatio quae distinguitur a *speculatione:* nulla autem operatio alia a speculatione est in potestate speculantis, nisi sit vel esse possit naturaliter posterior intellectione vel speculatione: cognitio autem non ponitur practica in aliquo, ut est eius, nisi respectu praxis, quae est in potestate eius » — *Oxon.* I. d. 38. n. 1.

Sed de alia relatione, scilicet, de *prioritate*, est dubium unde conveniat cognitioni. Dico quod *praxim* necessario naturaliter praecedit aliqua cognitio; et secundum hoc *praxi* convenit posterioritas, et cognitioni prioritas, ex ratione potentiarum ordinatarum naturaliter in agendo, scilicet, *intellectus* et *voluntatis*. — Sed non semper ista intellectio prior est *practica*, sed tantum quando est *determinativa rectitudinis* respectu ipsius *praxis*, et hoc vel *formaliter*, vel *virtualiter*. Quando autem in apprehensione praevia nulla est determinatio formalis vel virtualis de rectitudine *praxis*, licet ibi sit *prioritas*, tamen tunc deficit *conformitas;* quia ipsa non est cui debeat *praxis* conformari ut sit *recta*, quia nihil determinate ostendit de *rectitudine praxis*. Quando etiam in apprehensione praevia est determinatio de rectitudine *praxis*, sed potentia cuius est *praxis* non est aliquo modo *determinabilis aliunde*, tunc illa cognitio, licet determinativa, non est *conformativa praxis;* et ideo non habet *conformitatem priorem* in ratione *regulae dirigentis*, nec sic est plene *practica*.

Potest igitur dici, quod licet absolute ex natura intellectus et voluntatis sit cognitio *prior*, tamen quod cognitio *conformis* sit *prior*, hoc est simul *ex obiecto* et *ordine potentiarum*, et ratione potentiae sic *practicantis*, scilicet, voluntatis, quae sit aliquo modo *regulabilis aliunde*. Nam si obiectum determinat intellectum ad cognitionem rectitudinis *prius naturaliter* quam voluntas velit, et voluntas sit aliquo modo regulabilis aliunde, non tantum apprehensio praecedit *praxim*, sed apprehensio *conformis*. Hoc autem *accidit* quandocumque *determinata rectitudo praxis* est cognoscibile *necessarium*, sive ut principium per intellectum, sive ut conclusio per scientiam. — *Ib.* n. 14.

Quando autem *rectitudo determinata contingenter* convenit *praxi*, tunc non est obiectum aliquod determinans intellectum ad cognitionem rectitudinis determinatae, antequam voluntas velit; et hoc loquendo de intellectu et voluntate in *communi*. — Nam illud *contingens* non determinatur ad alteram partem ante omnem actum voluntatis. — Comparando tamen in *speciali* ad intellectum *hunc* et voluntatem *hanc* istam *praxim*, potest praecedere cognitio *conformis*, quam praecedit cognitio *determinativa* rectitudinis, et quam non, non. — Non potest autem praecedere in *omni* intelligente, sed in illo solo cuius voluntas non est *primo determinans* rectitudinem illi *praxi*. *Exemplum* praedictorum: *rectitudo* huius *praxis*, *amare Deum*, recta est et *necessaria*, et includitur virtualiter in ratione Dei. — Hanc *praxim* in *quocumque* non tantum nata est praecedere simpliciter apprehensio, sed etiam *conformis* apprehensio, cui, scilicet, *praxis est conformanda*, ut sit *recta*.

Ex obiecto igitur, quod est *primo ex se determinativum* intellectus ad notitiam rectitudinis determinatae ipsius *praxis*, et *ex ordine* intellectus et voluntatis in operando, habetur haec notitia *prior praxi* et *conformis;* et ita in qualibet alia cui convenit *necessario rectitudo determinata*.

Sed rectitudo huius *praxis*, scilicet, *colere Deum in sacrificio altaris*, est *contingens;* quandoque enim est actus *rectus*, ut modo; quandoque non, ut in veteri Testamento. Ideo non est aliquod obiectum *determinativum* intellectus ad notitiam huius rectitudinis ante omnem actum voluntatis; et ideo nec ista praecedit ut *conformis* omnem actum voluntatis: *alicuius* tamen praecedit, puta illius solius quae *non primo* determinat *rectitudinem* huic *praxi*, qualis est voluntas humana: haec enim *rectitudo* determinatur a voluntate divina acceptante nunc talem cultum, et alias non. — *Ib.* n. 15. — Vid. *Cognitio practica* = Effata: *Intellectus extensione fit practicus*.

Presbytera — Diaconissa. — Vocatur *Presbytera* non mulier *ordinata sacro Ordine*, sed mulier vidua antiqua, de qua praesumitur quod sit *probata* et *sancta* inter mulieres. — Possunt etiam uxores Presbyterorum de Graecia dici *presbyterae*, ut denominatae ab officio virorum suorum. Unde in Iure non intelliguntur per *presbyteras* mulieres *ordinatae*, quia dicit Canon. dist. 27. cap. 1: *Illas tamquam ordinatas non de-*

bere in Ecclesia institui decrevimus, inter bonas mulieres excellentes in vita, sicut presbyteri; sed aliquae bonae matronae viduae vel *perfectae* debent super alios in moribus et vita praecedere.

Per *Diaconissam* autem intelligitur *Abbatissa*, secundum Glossam, *ibi.* — Melius tamen potest dici, quod per *Diaconissas* intelliguntur mulieres *quibus competit* ex ordinatione Abbatissae, vel Collegii, *legere homiliam Evangelii* in Matutino; quod non est actus alicuius Ordinis. — *Report.* IV. d. 25. q. 2. n. 9.

* Seu aliter: * Forte in Graecia uxor Presbyteri potest dici *Presbyterissa*, ubi Sacerdotes utuntur licite matrimonio prius contracto; sed apud nos Latinos, ubi castitas non coniugalis, sed simpliciter est Ordini adnexa, *Presbyterissa* potest dici aliqua bona matrona vidua vel perfecta inter alias mulieres, vel forte in Collegio illa quae praeest omnibus aliis, ut Abatissa inter Moniales; sed ista non habet per hoc gradum altiorem Ordinis, imo nec praeeminentiam respectu alicuius viri. — Consimiliter potest dici ad illud de *Diaconissa*, quod illa cui competit ex ordinatione Abbatissae vel Collegii legere Homiliam in Matutino, potest dici *Diaconissa*; sed ille non est actus alicuius Ordinis. — *Oxon.* ib. n. 6.

Primitas adaequationis — immediationis. — Quaedam est *primitas adaequationis*, qua *universale* dicitur *primum*, quia est in subiecto suo primo, et *ens* obiectum *primum* intellectus, et *risibile* prima *passio* homini adaequata, et non Socrati vel Platoni, et *habere tres* convenit triangulo *primo*. — *Alia* est *primitas immediationis*, qua aliquid *primo* inest alicui, quia *immediate* inest sibi et sine medio. Isto modo dicimus, quod Sol illuminat totum medium quod primo *respicit* primitate *adaequationis*, sed *primo* primitate *immediationis illuminat partem* sibi propinquam *prius* quam remotam, licet *primo*, id est, *adaequate*, respiciat *totum* medium pro passo adaequate sibi correspondente.

Primitas autem *adaequationis* est *duplex:* una *extensiva*, altera *intensiva*. — *Report.* I. d. 28. q. 3. n. 6.

Primitas communitatis — virtualitatis. — In *ente* concurrit *duplex primitas*, scilicet, primitas *communitatis in quid* ad omnes conceptus non simpliciter simplices; et primitas *virtualitatis* in se, vel in suis inferioribus, ad omnes conceptus in se simpliciter simplices. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 12.

Primitas multiplex. — Est *primum* ens *simpliciter omni primitate*, quae non includit imperfectionem; huiusmodi vero *primitas includens imperfectionem* est primitas *materiae* et *formae* respectu *compositi.* — Sed sunt aliae *primitates* quae *non dicunt imperfectionem*, ut primitas *eminentiae*, et *independentiae triplicis*, puta, duplicis causalitatis *effectivae* et *finalis*, et tertiae quae est *exemplaris*. Hae vero primitates non dicunt imperfectionem, sicut primitates causalitatis *materialis* et *formalis*.

Praedictae autem *primitates* distinguuntur; nam primitas *eminentiae* non est primitas *causalitatis;* non enim ex hoc quod unum ens praeeminet alteri, est causa illius, nam primum in quolibet genere praeeminet posterioribus illius generis, non tamen est causa illorum. — Sed primitas *exemplantis* intelligentis exemplata imitantia naturam non est distincta primitas a primitate *causalitatis;* sicut enim *agens naturale* non distinguitur contra *efficiens*, ita *agens per cognitionem*, quod est agens *exemplans*, non distinguitur contra *efficiens*. Ideo sunt tantum *duae primitates causalitatis*, quae non dicunt imperfectionem, *efficientiae* et *finalis.* — *Report.* I. d. 2. q. 2. n. 3. — *Oxon.* ib. n. 11 seqq. — *De Rer. princ.* q. 1. per tot. — *De Primo Princ.* c. 3.

In rebus sensibilibus reperitur ordo *principalitatis dupliciter:* — *Uno modo* secundum quod partes habent ordinem in toto, sicut *cor* dicitur *prima* pars animalis. — *Alio modo* secundum quod aliqua se habent consequenter, licet ex eis non fiat vere unum totum, scilicet, per tactum, puta *exercitus*, ubi *Dux* dicitur esse *primum*, vel una *acies* dicitur *prima*, et alia secunda. Sic in universitate entium *substantia* est *primum* utroque modo per similitudinem, dato quod tota universitas entium esset vel sicut quoddam *totum unum*, vel sicut quidam *exer-*

citus se habens consequenter. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. XII. S. 1. c. 1. n. 1.

Primitas naturae — adequationis. — *Duplex* est *primitas*, scilicet, primitas *naturae*, ut patet ex *IX. Met.*, et primitas *adaequationis, ex I. Posteriorum*, qua primitate *universale* dicitur *primum*, ut primo subiecto inest, sicut passio eius, ut *habere tres angulos* * inest triangulo *.

Primitas autem *naturae duplex* est, sicut et *natura* dicitur *dupliciter*, scilicet, de *materia* et de *forma*. — *Primitas naturae* ratione *materiae* est primitas *generationis* seu *originis*. — *Primitas* autem ex parte *formae* est primitas *perfectionis*. — *Report.* I. d. 35. q. 2. n. 4.

Primitas obiecti triplex. — Una *primitas obiecti* dicitur esse primitas *adaequationis*, quando, scilicet, *potentia non excedit illud obiectum:* quomodo *coloratum* vel *luminosum* dicitur esse *primum obiectum visus*. — *Alio* modo *primum* potest dici *virtute*, cuius omne aliud intelligitur vel cognoscitur a tali intellectu: quomodo *lux* est *primum* obiectum *visus*. — *Tertio* modo *primum* potest dici *perfectione*, quod in se continet tamquam in *summo perfectionem* omnium obiectorum, et *virtutem perficiendi* potentiam. — *Quodlib.* q. 5. n. 11. — Vid. *Adaequatio obiecti secundum virtutem — secundum praedicationem.*

Primo accipitur dupliciter. — *Primo* enim *uno modo* dicitur ut opponitur ei quod est *per accidens*. — *Alio modo* ut opponitur ei quod est *secundum partem*. — *De Anima*, q. 15. n. 11.

Primo esse idem alteri est dupliciter. — Aliquid *esse primo idem alteri dupliciter* intelligitur: — *Uno modo* quando praedicatum non excedit subiectum, nec contra; et illo modo definitio est *eadem* definito *primo*, et genus non. — *Alio modo* dicitur aliquid esse *primo idem alteri* quando inter subiectum et praedicatum non est aliquod medium ordinatum in eodem genere; et illo modo genus est *primo* in diversis speciebus; quia inter hominem et genus proximum non est aliquod genus medium in genere substantiae. — *Poster. I.* q. 23. n. 18.

Primo — Per se. — *Primo* supra *per se* addit *immediationem* et *adaequationem*. — *Poster. I.* q. 33. n. 2. — Vid. « *Per se — secundum se* » *quintupliciter dicitur.*

Primum in genere — simpliciter. — Vocatur *primum in genere* sive *ordine* illud quod ab omnibus illius generis praesupponitur, et omnia alia se habent per quamdam additionem ad illud. Sic in *genere* generabilium et corruptibilium ponimus *tria prima* principia: *materiam, formam* et *privationem*. — *De rer. principio*, q. 1. n. 2.

Est aliud principium quod dicitur *simpliciter primum*, quod comparatur ad omnia, *cuiuscumque* sint generis, aut speciei, aut actionis, et respectu omnium habet simpliciter primitatem, secundum rationem *causalitatis*, quae propriae attribuitur causae *efficienti*, et secundum modum *causationis*, qui attribuitur *formae exemplari*, non formae *inhaerenti*, et secundum rationem *finis;* quia ista tria genera causarum dicunt perfectionem. Non autem oportet, quod habeat primitatem secundum rationem causae *materialis*, quia talis dicit imperfectionem. — *Ib.* n. 6. — Vid. *Primitas multiplex.*

Primum triplex. — *Primum* accipitur vel *generatione*, vel *perfectione*, vel *adaequatione*. — *De Anima* q. 21. n. 2. — Vid. *Primitas obiecti triplex.*

Principatus — Imperia. — *Principatus* et *potestates* dicuntur esse in civitate qui praeferuntur in officiis particularibus, puta Vicarii, Ballivi, Iudices et huiusmodi. — Dicuntur autem *imperia* illi qui dominantur civitatibus, et imperant, puta Reges. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. un. c. 1. n. 4.

Principia cognoscendi duplicia. — Omnis notitia intellectiva * naturalis * originatur altero *duorum* modorum, scilicet, aut *ex sensu*, aut ex *naturali inclinatione* intellectus; et ideo *duplicia* sunt *principia:* quaedam quae habentur per *sensum* et *experientiam;* et alia quae habentur *ex inclusione* terminorum in significando, vel *ex non repugnantia*, quibus intellectus assentit ex sua inclinatione naturali, habita significatione terminorum, sine aliqua ratione determinante ipsum intellectum; et talia sunt

principia *Metaphysicae*, ut *quodlibet est vel non est; omne totum est maius sua parte*, et huiusmodi. — *Physic.* l. q. 4. n. 3. — *Ib.* q. 5. n. 1-2. — Vid. *Cognitio sensitiva — intellectiva.*

Principia cognoscuntur dupliciter. — *Dupliciter principia* possunt esse *nota:* — *Uno modo* notitia *confusa*, ut cum termini confuse apprehenduntur; et hoc sufficit ad notitiam principiorum in scientiis specialibus. — *Alio modo* possunt principia cognosci notitia *distincta*, cum definitiones terminorum distincte cognoscuntur; et hoc convenit per notitiam Metaphysicae, dividendo et componendo; et ideo habita notitia Metaphysicae, perfectius cognoscuntur principia cuiuslibet scientiae, quam nata sint cognosci sine illa; et per consequens, habita Metaphysica, perfectius habetur ista notitia, quam in qualibet alia scientia. — *Report.* Prol. q, 2. n. 5. — Cf. *Oxon.* Prol. q. 3. n. 29.

Principia communia scientiarum. — *Principia communia* dicuntur communes opiniones vel conceptiones, quatenus omnes scientiae utuntur eis in demonstrando: non quod ipsa ingrediantur demonstrationem *secundum substantiam*, cum ipsa sint *communia*, et demonstratio procedat ex *propriis* (1), sed pro quanto principia omnium scientiarum habent per illa communia robur et firmitatem; ideo licet non ingrediantur demonstrationes aliarum scientiarum *secundum substantiam*, ingrediuntur tamen *virtualiter*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 2. c. 1. n. 16.

Dicit * Philos. *, quod *principia communia*, quae dicuntur *dignitates*, insunt *omnibus* entibus, *et non alicui generi entis separatim* et seorsum *ab aliis, et omnes* scientiae *utuntur eis, eo quia sunt entis inquantum ens;* quia *unumquodque genus* subiectum scientiae *est ens*, id est, recipit praedicationem entis. *In tantum vero utuntur* scientiae particulares illis principiis communibus, *inquantum est eis sufficiens: hoc autem est inquantum continet genus*, scilicet, subiectum, *de quo* scientiae particulares *ferunt ipsas demonstrationes; quare manifestum* est, quod supradicta principia *insunt omnibus inquantum sunt entia.* — *Ib.* l. IV. S. 3. c. 1. n. 26.

Notandum, quod ista principia communia, quae dicuntur *dignitates*, non ingrediuntur demonstrationem secundum *substantiam*, sed tantum secundum *virtutem*, pro quanto omnia principia particularium scientiarum firmantur per ea et roborantur. Ratio huius est, quia *demonstratio* procedit ex *propriis*, non ex *communibus*. Si tamen ista principia contrahantur et applicentur ad *propria*, sic aliqualiter et secundum substantiam ingrediuntur demonstrationem: non quidem in sua *communitate*, sed *contracta*, ut dictum est, *ad propria* alicuius scientiae; et sic scientiae utuntur eis quantum eis sufficit et requirit eorum subiectum proprium. — *Ib.* n. 27.

Qui acquirunt scientiam per demonstrationem, oportet quod praeveniant ad cognoscendum huiusmodi principia communia; et ipsos discipulos instruendos in aliqua scientia, non oportet quaerere de his, ut scilicet quaerant ea sibi demonstrari, sed oportet quemlibet ducendum supponere ipsa et habere in mente, sicut habetur *I. Poster.*

Notandum, quod huiusmodi principia communia sunt communiter nota omnibus, eo quod termini eorum cadunt in conceptione cuiuscumque; nam componuntur ex terminis communibus, qui sunt noti prius nobis. — *Ib.* n. 29.

Circa unumquodque genus scientiae *congruit maxime cognoscentem* cognoscere *firmissima rei principia;* certitudo enim cognitionis dependet ex principiorum cognitione et certitudine. — *Ib.* n. 30. — * Cf. nn. seqq. *ubi plura de* primis principiis *. — Quantum ad certitudinem de *principiis* dico sic: quod termini principiorum per se notorum talem habent identitatem, ut alter evidenter necessario alterum includat, et ideo intellectus componens illos terminos, ex quo apprehendit eos, habet apud se necessariam causam conformitatis illius actus ad ipsos terminos quorum est compositio, et etiam causam evidentem illius conformitatis, et ideo necessario patet sibi conformitas illa, cuius causam necessariam et evi-

(1) Vid. *Demonstratio.*

dentem apprehendit in terminis; igitur non potest esse in intellectu apprehensio terminorum et compositio eorum, quin stet conformitas illius compositionis ad terminos, sicut non potest stare *albedo* et *albedo*, quin stet *similitudo:* haec autem conformitas compositionis ad terminos est veritas compositionis; ergo non potest stare compositio talium terminorum quin sit vera, et ita non potest stare perceptio illius compositionis et perceptio terminorum, quin stet perceptio conformitatis compositionis ad terminos, et ita perceptio veritatis, quia prima percepta evidenter includunt perceptionem illius veritatis. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 7.

Confirmatur ratio ista per *simile*, per Philosophum *IV. Metaph.*, ubi vult, quod oppositum *primi principii*, scilicet, huiusmodi, *impossibile est idem esse et non esse*, non potest venire in intellectu alicuius, quia tunc essent opiniones contrariae simul in mente; quod utique verum est de opinionibus contrariis, id est, repugnantibus formaliter, quia opinio opinans esse de aliquo, et opinio opinans non esse de eodem, sunt formaliter repugnantes. Ita arguam in proposito repugnantiam aliquam intellectionum in mente, licet non formalem: si enim stat in intellectu notitia *totius* et *partis*, et compositio eorum, cum ista includant, sicut causa necessaria, conformitatem compositionis ad terminos, si stat in intellectu haec opinio, quod ista compositio sit falsa, stabunt notitiae repugnantes, non formaliter, sed notitia una stabit cum alia, et tamen una erit causa necessaria oppositae notitiae ad illam; quod est impossibile. Sicut enim impossibile est *album* et *nigrum* stare simul, quia sunt contraria formaliter, ita impossibile est simul stare *album*, et illud quod est *praecisa causa nigredinis* ita necessaria, quod non potest esse sine ea absque contradictione. — *Ib.* n. 8.

Principia dupliciter causa conclusionis. — Principia non sunt causae conclusionis nisi in virtute, si secundum se considerentur. *Principia* enim possunt *dupliciter* considerari: — *Uno modo* secundum se. — *Alio modo* secundum quod applicantur conclusioni, ut cognoscendo *hanc* minorem esse sub maiori. — *Primo modo* principia non sunt causae conclusionis nisi in *virtute* et potentia. — Sed *secundo modo* principia sunt causae scientiae conclusionis *actualiter* et sub propria ratione. — *Post.* I. q. 1. n. 5.

Principia entis duplicia. — *Principia entis* inquantum ens possunt intelligi, vel *incomplexa*, ut sunt substantiae separatae, vel *complexa*, ut sunt prima principia demonstrationis, quae dicuntur *dignitates*. — *Exposit. in Metaphis. Arist.* lib. VI. S. 1. c. 1. n. 2.

Principia essendi — cognoscendi. — Quaedam sunt principia *essendi*, ut *materia* et *forma* et *primus Motor* * (*Deus* et *omnes causae efficientes respectu suorum effectuum qua talium*) *. — * *Alia* * sunt principia *cognoscendi*. — Quae sunt in *triplici* differentia: quaedam enim sunt *definitiones:* ut *materia prima* est *primum subiectum uniuscuiusque, ex quo fit aliud cum insit, et in quod, si resolvatur, habebit ultimum:* aut sunt *petitiones*, ut in Mathematica *petitur*, quod *a quolibet puncto ad quodlibet punctum possit protrahi linea recta:* aut sunt communes animi *conceptiones*, ut in Mathematica, *omne totum est maius sua parte*, et in Scientia Naturali, quod *natura nihil facit frustra*. — *Physic.* I. q. 6. n. 3.

Principia intrinseca — extrinseca. — *Principia* sunt *duplicia*, *intrinseca* (1), scilicet, et *extrinseca*. — Principia *intrinseca* diversorum sunt diversa realiter; alia enim est *materia* mei et tui; similiter et *forma*.

Extrinseca principia sunt *finis* et *effectus*, et utrumque potest esse *proximum*, *remotum* et *remotissimum*. — Si *proximum*, sic aliud est diversorum; aliud enim est effectus *sanitatis*, aliud *domus* et aliud *hominis*. — Si *remotum*, sic possunt esse eadem principia omnium inferiorum. — Si vero accipiatur *remotissimum*, sic *unum numero* est omnium principium, scilicet,

---

(1) « Aliquid potest dici *dupliciter* principium *intrinsecum:* — *Uno modo*, quia est pars integralis vel essentialis ipsius * principiati *. — *Alio modo*, quia est necessario requisitum ad cognitionem ipsius, ita ut illud aliud non possit cognosci, definiri, imaginari sine ipso ». — *Physic.* I. q. 19. n. 8.

Deus (1), quia in causis efficientibus non est procedere in infinitum, sed est devenire ad aliquod unum principium. Eadem ratio de *fine*. — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 3. n. 2. — *Ib.* lib. X. q. 2. n. 2. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 2. c. 4. n. 54.

Principia naturae tria. — *Tres sunt causae et tria principia* substantiae sensibilis: duo contraria, *forma* et *privatio*, quae habet aliquo modo rationem contrarii, et *materia*. — Haec autem tria principia naturae sic se habent, quod *duo* sunt principia *per se*, scilicet, *materia* et *forma*, quae realiter inexistunt rei quam principiant et causant; sed *privatio* est principium *per accidens*, ex eo quod non inexistit rei generatae, licet sit ad generationem naturalem necessario requisita. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 1. c. 3. n. 7.

Principia naturalia — mathematica. — Quaedam sunt principia habita per *experientiam;* et illa sunt principia *naturalia*. — Alia sunt habita per *naturalem inclinationem intellectus;* et talia sunt *mathematica;* dum tamen exprimant rationem *mensurae* et *mensurabilis*, ut *si ab aequalibus aequalia demas, remanent aequalia*. — *Physic.* II. q. 6. n. 5.

Principii acceptiones. — *Principium* dicitur multipliciter, sicut apparet *V. Metaph.* c. 1. — *Oxon.* I. d. 9. n. 4. — Dicit ergo * Philosophus *; quod *principium* dicitur *uno* modo *unde aliquis movet primum ipsam rem*, id est, illa pars magnitudinis, unde primo incipit illa res moveri, ut in *longitudine* et in *via*, ex parte illa est principium a quo motus incipit; ex parte vero contraria diversum, id est, *finis* vel terminus motus.

Alio modo dicitur *principium unde opportune fit unumquodque*, id est, illud unde quis *opportune* incipit moveri, sicut videmus in disciplinis: nam ibi aliquando non est inchoandum ab eo quod est principium simpliciter primum secundum naturam, sed ab eo quod est *magis notum* quoad nos, quod est quandoque posterius secundum naturam.

Primus modus est *principii simpliciter* accepti; sed secundus modus est *principii* accepti *secundum quid* et ad hominem; nam illud quod isto modo est primum est quandoque posterius *simpliciter*.

Alio modo dicitur principium *unde primo generatur res inexistente*, id est, illa pars rei est *principium generationis* ex qua rei generatio inchoatur; ut in *navi* primo fit *sedile*, id est, *carina*, quae est quasi fundamentum navis; similiter in *domo* primo fit *fundamentum*.

Alio modo dicitur *principium* illud *unde fit primum non inexistente, et unde motus natus est initiari primum, ut puer ex patre et matre*, qui sunt *principium* suae generationis.

Alio modo dicitur *principium secundum cuius voluntatem moventur mobilia, et mutantur mutabilia, ut secundum civitatem* dicuntur *principia principatus et potestates et imperia;* nam ex voluntate istorum fiunt et moventur omnia inter cives.

Amplius dicitur *principium* illud *unde primum fit nota res, et illud tale dicitur rei principium* unde res primo innotescit, ut sunt principia demonstrationum; *dignitates* enim et *suppositiones* dicuntur *prinpia* demonstrationum.

Reducit * Aristot. * omnes modos *principii* ad unam communem rationem, dicens, quod omnium praedictorum modorum *est hoc commune unum*, scilicet, *esse primum aut est, aut fit, aut cognoscitur;* id est, aliquid dicitur *primum* vel quantum ad *esse*, sicut prima pars rei quantum ad *tertium* modum; vel quantum ad *fieri*, quantum ad *primum, secundum, quartum, quintum* modum, ut patet intuenti; sive quantum ad *cognitionem*, quantum ad *ultimum* modum.

Haec autem principia, * alia * quidem sunt *inexistentia*, ut in *tertio* modo; * alia * autem *extra*, ut in omnibus aliis modis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 1. — Vid. *Finis* = *Idem duplex* = *Principium* = *Terminus*.

---

(1) « Principia extrinseca entium, ut sunt efficiens et finis, sunt eadem numero omnium, loquendo de primo efficiente et de ultimo fine, qui est Deus benedictus ». — *Exposit. in Metaph.* l. III. S. 2. c. 2. n. 54

Principium — Causa. — Philosoph. *V. Metaph.* vult, quod *principium et causa convertuntur realiter.* — *Oxon.* I. d. 20. n. 8. — Isti termini *principium* et *causa* convertuntur. — *Physic.* II. q. 3. n. 3. — *Eadem* res est *causa* et *principium*, sed secundum *aliam* et *aliam rationem realem;* nam *principium* dicitur ratione *primitatis;* idem enim dico *primum* et *principium*, ex *I. Poster.* text. 5; sed dicitur *causa* ratione *dandi esse;* quia *causa* est *ad cuius esse sequitur aliud;* et istae rationes non sunt eaedem *ex natura rei*, et una est prior alia, sicut patet. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. IV. S. 1. c. 2. n. 9. — Vid. *Causa*, passim = *Natura — Principium — Causa.*

Principium — Causa — Elementum. — Sciendum, quod * Aristot. * per *principia, causas* et *elementa* intelligit * hic * diversa: nam per *principia* intelligit causas *efficientes* et *moventes;* per *causas* intelligit causas *finales;* per *elementa* autem intelligit causas *intrinsecas*, scilicet, *materiam* et *formam.* — *Physic.* I. exposit. text. 1. n. 23.

Principium proprie dicitur causa *extrinseca*, quae est movens, a qua, scilicet, est principium motus. — *Elementum* vero est causa *intrinseca* proprie loquendo; ambo tamen dicuntur *causae.* — *Principium* dividitur in causas *intrinsecas* et *extrinsecas.* — Ex quo patet, quod in plus est *principium* quam *elementum*, quia omne *elementum* est *principium*, et non e converso. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 1. c. 4. n. 18. — Vid. *Causa* passim = *Elementum.*

Principium distinguens. — *Principium* specie *distinguens* vel est per se principium illius in se; et per consequens dans sibi aliquam entitatem realem, quae sit eius in se; vel saltem est principium eius secundum illud secundum quod distinguitur specie; vel si est principium dispositive distinguens, oportet quod per se disponat ad hoc quod, secundum ordinem essentialem causarum, hoc ut distinctum causetur. — *Quodlib.* q. 17. n. 13. — Cf. *Oxon.* I. d. 11. q. 2. n. 6.

Principium in Divinis. — Quaeritur: utrum *principium* uniformiter accipiatur in Divinis pro principio *essentialiter* et *notionaliter* sive *personaliter?* — Est intentio huius quaestionis, an *principium* ut dicitur de principio *essentialiter* dicto et *notionaliter* sit *unius rationis*, et *univoce* dicatur de *principio* sic diversimode accepto?

Circa quod declarandum sunt duo videnda, sicut duo ponuntur in titulo quaestionis: *Primum*, utrum sit eiusdem rationis prout dicitur de principio *personaliter* et *notionaliter* dicto. — *Secundum*, an sit eiusdem rationis prout dicitur de principio *essentiali ad extra* et de principio *notionali ad intra.*

Quantum ad *primum* dicendum est, consequenter ad ea quae supra dicta sunt (1), quod a principio *personaliter* et *notionaliter* dicto potest abstrahi communis conceptus *principii* essentialis principio utrique, et est communis non solum in communitate *rei*, ut conceptus Dei, sed etiam communitate *rationis* et primae intentionis, ut *persona.* Nec propter hoc est variabile, ut ibi declaratum est. Sicut enim a proprietatibus personalibus potest abstrahi conceptus communis *relationis*, et a productionibus per modum naturae et voluntatis conceptus communis *productionis*, de quo potest esse aliquis certus, ignorando *hanc* productionem et *illam;* quia possum esse certus unam Personam esse ab alia, nesciendo tamen qua productione speciali sit ab ea, ut an generatione vel spiratione; et a propriis productionibus potest abstrahi communis conceptus *producentis* vel *principii*, cuius est producere, *unius* quidem *rationis* principio *personaliter* et *notionaliter* accepto; scio enim aliquam Personam esse principium alterius, ut primam Personam, nec tamen scio eam principium *personale* vel *notionale;* et ideo hoc nomen unius rationis est in utroque. — *Report.* I. d. 29. n. 4. — Assero * itaque *, quod principio *notionaliter* et *personaliter* dicto est hoc nomen commune et *eiusdem rationis* in eis, licet principium notionale sit alterius rationis a principio personali; quia sicut in creaturis a duabus

(1) Dist. 25. q. 2., ubi quaeritur *utrum aliquis conceptus positivus primae intentionis possit esse communis sola communitate rationis Divinis Personis?*

speciebus alterius rationis, ut *homine* et *asino*, potest abstrahi communis conceptus generis et eiusdem rationis, sic a *generatione* et *spiratione*, quae sunt alterius rationis secundum proprias rationes eorum, potest aliquod commune eiusdem rationis abstrahi, et *univoce* de eis dici. Ita est de hoc nomine *principium*, quod potest abstrahi a principio *notionali* et *personali*, et esse unius rationis, licet illa a quibus abstrahitur sint alterius rationis secundum eorum proprias rationes (1). — *Ib.* n. 7. — *Oxon.* ib. n. 2.

Quantum ad *secundum* membrum, magis dubito an *principium* dicatur secundum unam rationem de principio *essentiali* et *ad extra*, et de principio *personali* et *notionali ad intra*; quia *principium* sic et sic dictum non videtur variari nisi penes producere in *eadem* natura vel *alia* natura: ista autem determinantia non videntur variare unitatem conceptus, ut supra argutum est. Sed ex alia parte, cum nihil sit commune univocum primae intentionis eiusdem rationis enti *reali* et enti *rationis*, quod distrahit rationem *entis*, quia est ens diminutum *(IX Met. Text. com. 7.)*, et cum *principiare ad intra personaliter* et *notionaliter* dicat respectum *realem*, quia est ad terminos realiter distinctos, et *principiare ad extra*, ut creare, tantum dicat respectum *rationis*, non videtur *principium* sic et sic dictum esse unius rationis. — *Ib.* n. 5.

Ad istam quaestionem dico, quod *principium* non dicitur *univoce* de principio *essentialiter* et *notionaliter* sive *personaliter* sumpto; et hoc loquendo de relatione quae per se significatur hoc nomine *principium*, et accipiendo principium *principiative*, non pro eo quod principiat, sive pro principio *quod*, sed *quo*. Et ratio est, quia *principium essentialiter* sumptum non dicit nisi relationem *rationis*, non realem, quia non est realis relatio Dei ad creaturam. Ut autem accipitur ad intra *notionaliter* vel *personaliter* dicit relationem *realem*. Relationi autem *reali* et *rationis* non est commune aliquid idem, quod est in uno *rei*, et in alio *rationis*; quia ei quod est secundum *quid tale*, et ei quod est *simpliciter tale*, inquantum *tale*, non est commune *univocum* illud quod accipitur in eis *secundum quid* et *simpliciter*. Relatio autem *realis* est *simpliciter relatio*, et relatio *rationis* est *secundum quid relatio*; quia sicut *esse* in *ratione* est esse *secundum quid*, ita *referri* secundum *rationem* sive comparari a ratione est referri vel comparari *secundum quid*; ergo non est principium univocum istis.

Si autem loquamur de *principio* ad *intra* ut est *personale* et *notionale*, videtur, quod eis possit esse ratio principii communis *univoce*, sicut *paternitati* et *filiationi* potest hoc quod est relatio originis esse commune *univoce*. — *Oxon.* I. q. 29. n. 1. — Cf. ib. d. 3. q. 2. n. 6. — q. 3. n. 9. — d. 8. q. 3. n. 4.

Principium — Potentia. — Vid. *Potentiae divisio* = *Potentia* — *Principium.*

Principium primum. — Hoc principium: *impossibile est idem simul esse et non esse* est firmissimum propter tres conditiones: quod *non contingit dubitare*, quod *non est conditionale*, quod *necesse est venire ad habentem*. — *QQ. Metaph.* lib. IV. q. 2. n. 2.

Dicit Avicenna, quod negantes *primum principium* deberent tamdiu verberari, quousque cognoscerent et confiterentur, quod *aliud est verberari*, et *non verberari*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 2. c. 2. n. 58. — *Ib.* n. 31. — * Quia * indisciplinati est quaerere omnium causas et demonstrationem, secundum Philosophum, *IV. Metaphysicae;* principii enim demonstrationis non est demonstratio. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 24.

Prima conditio * *principii primi* * est, quod circa ipsum non contingit *mentiri* et *errare*. — *Secunda* conditio est, quod non sit *conditionale*, id est, notum ex suppositione vel conditione, sed sit *per se* notum. — *Tertia* conditio est, quod sit notum *ex terminis*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. IV. S. 2. c. 1. n. 31. — Vid. *Principia communia scientiarum* = Effata: *Idem non potest simul esse et non esse.*

---

(1) Cf. *Oxon.* I. d. 23.

Principium primum rerum tripliciter consideratur. — *Primum principium* potest *tripliciter* considerari: — *Primo,* ut est quoddam perfectum ens *in se.* — *Secundo,* ut est quoddam *habituale* principium *creaturae* sub ratione *efficientis, formalis* et *finalis.* — *Tertio,* ut est *actuale* principium totius aut alicuius creaturae. Et si pluribus modis considerationi alicuius occurrat, aestimo, et certum est, quod isti alii modi ad istos tres modos congrue possunt reduci. — *De rer. princ.* q. 3. n. 2.

Principium producendi in Divinis. — *Essentia* est *principium formale* et *terminus formalis* utriusque *productionis,* * (*generationis* et *spirationis*) *; non tamen sic *totale,* quin aliquid includitur per se, et in *principio formali,* et in *termino.* In *principio* quidem *formali,* quod est *memoria perfecta* et *voluntas perfecta,* includitur essentia; et in *termino formali,* quod est Verbum perfectum et Spiritus Sanctus perfectus, includitur etiam essentia; et forte respectu utriusque, tam in *principio* quam in *termino,* essentia habet rationem *principalis,* et hoc respectu illius quod concurrit cum eadem, scilicet, *intellectus* vel notitiae, *voluntatis* vel amoris.

Propter ergo *identitatem essentiae,* idem est *quo* producens producit et *terminus formalis.* Propter autem *distinctionem concurrentis* cum essentia, utpote intellectus et voluntatis in principio productivo, sufficit principium hoc et illud ad *productiones alterius* rationis, et *terminos* quodammodo *alterius* rationis.

Et sic in *principio* habemus essentiam et intellectum, essentiam et voluntatem. — In *termino* autem habemus essentiam et notitiam, essentiam et amorem. Et ratione eius quod *idem* est in *principio formali* communicativo, sit idem in *termino formali* communicatum; et ratione eius quod *distinctum* est in principio sit formalis ratio productionis distincta; et illud quod concurrit in termino sit formaliter distinctum. — *Quodlib.* q. 2. n. 25; *ubi praedicta fusius prosequitur.* — Vid. etiam *Oxon.* I. d. 2. q. 7. — d. 7. — d. 15. *per tot.*

Principium resistivum — receptivum. — *Duplex* est *principium passivum:* quoddam *resistitivum,* sicut in calefactione *frigiditas* patitur *resistitive.* — Aliud est passivum *receptivum.* Et tale est *duplex:* quoddam quod recipit et *denominatur* a dispositione quam recipit, sicut *ignis* est *receptivus caliditatis,* et *denominatur* a *caliditate* * *calidus* * — *Aliud* est *receptivum* quod *non denominatur.* — *Physic.* II. q. 2. n. 3.

Prioritas essentialis — *Proprie* loquendo de *prioritate essentiali,* est ratione essentiae ut distinguitur contra entitatem hypostaticam; sed *extendendo* prioritatem *essentialem* ad prioritatem *per se,* et hoc respectu cuiuscumque entitatis, sive quidditative, sive hypostatice. — *Quodlib.* q. 19. n. 9.

Prioritas in scientia duplex. — *Duplex* * est * *prioritas in scientia,* scilicet, ex *nobilitate subiecti,* et ex *aptitudine notitiae.* — *Report.* Prol. q. 3. n. 15.

Prius. — Notificatio *prioris, prius* est quod *principio est propinquius,* est conveniens; tamen aliter convenit prioribus *essentialiter,* et * aliter * *accidentaliter* ordinatis; quia in *essentialiter ordinatis* nihil causat sine primo *simpliciter;* sed *accidit* hoc in *ordinatis accidentaliter,* unde entitas talium omnium non est ab aliquo uno simpliciter primo, sicut in *essentialiter ordinatis* sunt omnia ab uno primo, et a quo dependent omnia; unde *prius* in *accidentaliter ordinatis* dicitur per comparationem ad aliquod *primum,* non simpliciter, sed *respectu illius,* et hoc *per accidens:* in *essentialiter ordinatis* dicitur *prius* respectu *primi simpliciter,* quod est causa illius et omnium posteriorum. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 8. n. 2. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 14. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 10. n. 84. — *De primo princ.* c. 3.

Prius alio multipliciter. — *Prius aliquid alio* potest esse *tripliciter:* — *Uno* modo *generatione* et *perfectione,* sicut *substantia praecedit accidens* quantum est de se *tempore* et *natura.* — *Alio* modo *perfectione,* sed non *generatione,* sicut *intellectus* secundum se *prior* est *sensu.* — *Tertio* modo *generatione,* sed non *perfectione,* sicut *animal prius* est *homine.*

Quod *prius* est altero *primo* modo ab altero non dependet; quod tamen *secundo* vel *tertio* modo ab altero dependet. — *Poster.* I. q. 46. n. 3. — Quaedam sunt priora *generatione* et quaedam *perfectione.* Quae *generatione* sunt priora imperfectiora sunt; e converso de alio. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 3. n. 2.

Aliud dicitur prius alio tripliciter: scilicet *generatione, perfectione* et *adaequatione.* — *De Anima,* q. 16. n. 2. — Aliquid potest esse *prius* alio vel *causalitate,* vel *tempore,* vel *situ.* — *Ib.* q. 3. n. 5. — Aliquid potest dici *prius* alio tripliciter: — *Uno modo* quia potest esse sine alio, sed e converso aliud non potest esse sine ipso. — *Alio modo* aliquid dicitur *prius* alio secundum *substantiam,* id est *perfectionem.* — Et *tertio modo* dicitur aliquid *prius* alio tempore. — *Physic.* VIII. exposit. text. 57. — Cf. *Oxon.* IV. d. 16. q. 2. n. 18.

Prius definitione — cognitione. — Illud quod ponitur in definitione alterius, et non e converso, est *prius* illo *definitione.* — Illud est *prius cognitione* quod est *magis notum,* et magis rem notificat. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 1. c. 2. n. 6.

Prius eminentia — independentia — natura. — *Ordo essentialis* videtur primaria sui divisione dividi, sicut *aequivocum* in *aequivocata,* scilicet, in ordinem *eminentiae,* et in ordinem *dependentiae.* — Primo modo *prius* dicitur *eminens,* et *posterius excessum.* Et ut breviter dicatur, quidquid est nobilius et perfectius secundum essentiam est sic *prius.* Hoc modo *prioritatis* probat Aristoteles IX. *Metaphys. text. com.* 15, *actum* esse *priorem potentia,* ubi illud *prius* vocat *secundum substantiam* et *speciem: Quaecumque,* inquit, *generatione sunt posteriora, illa specie et substantia sunt priora.*

Secundo modo *prius* dicitur *a quo aliquid dependet:* et *posterius* quod *dependet ab illo.* Huius *prioris* hanc intelligo rationem, quam etiam Aristoteles V. *Metaphys. text. com.* 16, testimonio Platonis, ostendit. *Prius* secundum *naturam* et essentiam est illud quod *contingit esse sine posteriore, non e converso.* Quod ita intelligo, quod licet ad *prius* necessario esset *posterius,* et ideo sine ipso esse non possit, hoc tamen non est quia ad *esse* suum egeat *posteriori,* sed e converso; quia si ponatur non esse *posterius,* non minus *prius* erit sine inclusione contradictionis; non sic e converso, quia posterius eget priori, quam indigentiam possumus *dependentiam* appellare, ut dicamus, omne *posterius* essentialiter a *priori* necessario dependere, non e converso, licet quandoque *posterius* necessario sequatur illud *prius.*

Et quamvis ista possint dici *prius* et *posterius secundum substantiam* et *speciem,* sicut alia dicta sunt, tamen, ad distincte loquendum, dicuntur *prius* et *posterius secundum dependentiam,* ordine *secundum eminentiam* indiviso manente, subdividendo ordinem *dependentiae;* quia dependens aut est causatum, et illud a quo dependet est causa eiusdem: aut dependens est causatum remotius alicuius causae, et illud a quo dependet causatum propinquius eiusdem causae.

Ratio primi membri huius divisionis secundae satis nota est, et quod illud continetur sub diviso; patet enim quid *causa,* quid *causatum,* et quod causatum essentialiter dependet a causa, et quod causa est a qua essentialiter dependet, secundum rationem supra positam *prioris* hic divisi. — *De primo princ.* c. I. n. 2.

Prius logice — causaliter. — *Prius* secundum *consequentiam* non semper est prius secundum *causalitatem. Exemplum:* sequitur: *ignis; igitur calidus;* et non e converso. Igitur *calidum* est *prius* secundum *consequentiam,* et tamen *ignis* est *prius* secundum *causalitatem* ipso *calore.* — *Oxon.* I. d. 7. n. 24. — Non sequitur: *est prius secundum consequentiam;* ergo est prius naturaliter, hoc est prius *causaliter.* — Similiter, secundum Philosophum in *Praedicamentis, prius causalitate* potest esse simul secundum *consequentiam.* — *Ib.* III. d. 2. q. 2. n. 14. — Cf. ib. IV. d. 16. q. 2. n. 18.

Prius multipliciter sumitur. — Secundum Aristot. *V. Metaph.* cap. *de Priori, in principio text. com. 18,* generalis ratio *prioris* in omnibus modis est *esse propinquius principio.* Quotcumque igitur modis potest sumi

principium, cuius distinctio patet in *principio Metaph. text. com.* 1 (1), et quotcunque modis potest aliquid esse *propinquius principio* quocumque modo sumpto, tot diversis modis dicitur *prius*. — *Super Praedic.* q. 43. n. 3. — *Prius* et *posterius dupliciter* summi possunt: vel in *eodem* genere, vel in *diverso*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. IX. S. 2. c. 3. n. 36. — *Alia* dicuntur *priora* secundum ordinem *loci; alia* penes ordinem *temporis; alia* penes ordinem in *motu; alia* secundum ordinem qui invenitur in quibusdam rebus *non continuatis*, sed quadam discreta ordinatione *ordinatis; alia* penes rerum *cognitionem*, et hoc *tribus* modis; *alia* penes rerum *substantiam*, sive quidditatem, et hoc tripliciter. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 10; * *ubi praedicta magis explicat* *.

Prius natura multiplex. — *Prioritas naturae* uno modo est prioritas secundum *perfectionem*, ita quod priora dicuntur esse perfectiora secundum naturam. — *Oxon.* I. d. 28. q. 3. n. 9.

Prius natura potest aliquid dici *positive*, quia ipsum *inest* alicui, et prior est entitas eius quam illa quae dicitur *posterius natura* inesse illi, sicut est de *animali* et *rationali* in *homine*, de *substantia* et *accidente* in *composito per accidens*, de *materia* et *forma* respectu *compositi per se*. — *Alio* modo *prius natura* dicitur esse unum alio *quasi privative*, quod, scilicet, *non inest* ei cui dicitur primo convenire, sed inesset ei nisi per aliud impediretur. Sicut si dicatur in *materia prius naturaliter* esse *privatio* quam *forma:* non quidem, quod ista duo sint simul in materia, ita quod *privatio* prius insit quam *forma; sed privatio* pro tanto dici potest *prior natura* et *prius natura* in materia quam *forma*, quia *privatio semper inesset* materiae, nisi ab aliquo agente reciperet formam; ita quod ad habendum *privationem* sufficit sola materia cum negatione vel privatione causae *extrinsecae;* ad habendum autem *formam* requiritur causa *extrinseca*. — Nec tamen *privatio* est de *ratione* materiae, sicut nec *forma*, nec ambo sunt simul in materia. — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. n. 3.

Prius natura alio est *duplex:* — *Unum* quod non est res alia, sed *formalitas* alia, idem tamen identice. — *Aliud* est *prius natura* quod utroque modo est aliud a *posteriori*. — *Primo modo* claudit incomposibilia, conservare *prius* sine *posteriori*, quia contradictio est eamdem rem simul manere et non manere, et tamen illud *prius* non est de se *posterius*. — *Report.* II. d. 12. q. 8. n. 8.

Prius — Posterius. — Ordo *prioris* et *posterioris* potest sumi *tripliciter:* primo penes rerum *quantitatem;* secundo penes rerum *cognoscibilitatem;* tertio penes rerum *substantiam* et *entitatem* sive quidditatem. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. s. un. c. X. n. 84. — Notandum est, rationem *prioris* in hoc consistere, quia in quocumque genere est aliquod *primum* in illo genere, vel *simpliciter*, vel *ad aliquid*, et in comparatione ad illud primum dicetur aliquod *prius*, ut illud quod *est propinquius primo* est *prius*. — Similiter intelligendum est de *posteriori* per oppositum, ut illud dicatur *posterius* quod *est remotior a primo*. — *Ib.* 83. — *Prius* et *posterius* dicunt ordinem. — Iste autem ordo vel est inter distincta *essentialiter* et *specifice*, vel inter distincta solum *numeraliter*, non specifice. — Exemplum *primi*: ut *homo* et *asinus* respectu *animalis*. Exemplum *secundi: albedo intensa* et *remissa* respectu *albedinis* in *communi*. — Primus ordo est *essentialis;* secundus autem non. Inter *species* ergo est ordo *essentialis* secundum *perfectius* et *inperfectius;* non sic autem in *individuis* eiusdem speciei. Ex hoc tamen non negatur, quin *individua* secundum *prius* et *posterius* habeant ordinem, prout secundum *magis* et *minus*, *perfectius* et *imperfectius* participant naturam propriae speciei. Negat autem Philosophus ab individuis ordinem *essentialem solum qui est in distinctis secundum speciem*. — *Ib.* lib. III. S. 2. c. 2. n. 41. — *Prius* et *posterius* possunt intelligi vel *actualiter*, vel secundum *aptitudinem*. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 25. — Cf. *Super Praedic.* q. 43. n. 4. — *Oxon.*

---

(1) Vid. *Principii acceptiones*.

II. d. 2. q. 1. n. 10. — Vid. *Prius eminentia — independentia*, etc.

Prius tempore — natura. — Esse *prius tempore* est posse habere existentiam actualem priorem alio, sive sine alio, quantum est ex se; ita, scilicet, quod sibi non repugnat, quia in nullo ab illo alio dependet. Hoc satis potest dici *prius natura;* nihil enim est *prius natura*, quod non sic sit *prius* et *tempore*. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 2. n. 6. — *Prius* et *posterius* sumuntur in *tempore* per comparationem ad praesens *nunc signatum;* sed e converso in *praeteritis* et *futuris*, quia in *praeteritis remotius* ab hoc *nunc* est *prius*, in *futuris propinquius* huic *nunc* est *prius*. — *Super Praedic.* q. 43. n. 4. — Omne quod est *prius alio natura* est *prius duratione* hoc modo, scilicet, quod quantum est de se non repugnat sibi contradictorie *posse* esse *prius duratione* suo posteriori. Universaliter enim *prioritas naturae* includit in *priori posse esse sine posteriori* sine contradictione, ex *V. Metaph.* cap. *de Priori*. — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 6. — *Ib.* I. d. 3. q. 6. n. 26.

Privatio. — *Privatio* est *negatio in * subiecto * apto nato*. — *Oxon.* III. d. 2. q. 3. n. 8. — *Ib.* I. d. 5. q. 2. n. 17. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 7. — *Super Praedic.* q. 38. n. 11. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. S. 2. c. 7. n. 80. — *Privatio* est quaedam *negatio in subiecto determinato*. — *Ib.* l. XI. S. 2. c. 3. n. 51. — Privatio enim semper est in apto nato, praesupponens vel connotans subiectum, et in hoc differt a pura *negatione*. — *Report.* IV. d. 43. q. 5. n. 6. — Quia *negatio in apto nato* est *privatio*, secundum Philosophum, *IV. Metaph.*, ita quod nihil addit *privatio* ultra *negationem*, nisi quod requirit *naturam aptam* in qua sit. — *Oxon.* I. d. 28. q. 2. n. 4. — *Privatio* quippe requirit subiectum aptum: vel secundum se, si sit privatio secundum se: vel secundum genus, si sit privatio secundum genus. — *Ib.* d. 23. n. 7. — *Exposit.* etc. l. X. S. 2. c. 4. n. 55. — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 4. n. 10.

Privari dicitur *multis modis*; in *omni* autem *privatione* intelligitur *negatio*, scilicet, *non habere*, sed tamen non est negatio simpliciter, sed *negatio* quaedam *ponens subiectum aliquod*, vel *sine aptitudine*, ut si dicatur *lapidem privatum visu*, vel *cum aptitudine*, ut si dico *hominem caecum*. — *Conclus. Metaph.* lib. X. concl. 29

Duo sunt de ratione *privationis proprie* dictae; unum est quod *tollat habitum*, aliud est quod requirat *determinatum subiectum*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. unic. c. 11. n. 96. — Vid. *Grammat. specul.* n. 9. — *Aptitudo — Potentia = Contradictio — Privatio = Ens secundum accidens triplex = Genitum — Ingenitum = Negatio extra genus — in genere = Oppositio = Oppositio — Contradictio = Oppositorum quatuor species.*

Privatio — Contradictio. — Dicit * Aristot. *, quod *privatio est quaedam contradictio; quia privatum est aut quia impossibile est habere totaliter:* puta, si dicatur *lapis insipiens* vel *privatus sapientia; aut alio modo, quod non habet quodcumque aptum natum est habere;* puta, si *homo* non habet *visum*. — Et hoc potest esse *dupliciter: aut ut totaliter*, id est, quomodocumque non habeat: *aut aliqualiter determinatum*, id est, si non habeat cum aliqua determinatione: puta, si non habeat *tempore determinato*, vel quia *imperfecte* habet, ut imperfecte videns *caecus* dicitur; et sic de aliis determinationibus. — Ex praedictis patet, quod *privatio* est *quaedam contradictio;* nam aliquid dicitur *privatum* ex hoc quod *non habet*. — *Privatio* tamen non est *contradictio simpliciter* et absolute, sed contradictio *quaedam*. Cuius ratio est, quia *contradictio*, quantum est de se, verificatur tam de ente quam de *non ente;* vere enim dicitur, quod *non ens non videt*, et quod *lapis non videt;* et ideo contradictio, quantum est de se, non requirit existentiam subiecti *apti; privatio* autem *necessario requirit subiectum*, vel *simpliciter*, vel subiectum *aptum;* et ideo *non ens* non potest dici *caecum*.

Ideo dicit Philosophus, quod *privatio* aut erit in potentia determinata cum *aptitudine*, scilicet, ad *habitum*, aut saltem concepta cum *susceptivo*, id est, cum *subiecto*, esto quod non habeat *aptitudinem*

ad *habitum*, eo modo quo *lapis* dicitur esse *caecus*. Et ideo *privatio* est *contradictio*, non absolute, sed contradictio *quaedam*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 3. n. 43. — Vid. *Contradictio — Privatio = Contrarietas = Oppositio = Contradictio.*

Privatio — Contrarium. — Eadem est ratio de *contrario* et *privatione;* nam sicut *privatio* dicitur et est *quaedam negatio* vel *ablatio*, ita etiam et *contrarium;* nam *privatio* videtur *primum contrarium*, quia *prima contrarietas* est *privatio* et *habitus:* omnium enim *contrariorum* unum est sicut *perfectum*, et alterum sicut *imperfectum* respectu alterius: puta, *nigrum* respectu *albi;* et sic unum *contrarium* est quasi *quaedam privatio*, quae est *ablatio* alterius. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 1. c. 2. n. 9. — Vid. *Contradictio — Privatio = Contrarietas.*

Privatio dupliciter dicitur. — Aliud dicitur *privatum* si *aliquando*, id est, si sit privatum secundum aliquod determinatum *tempus;* aut *in quo*, id est, secundum aliquam determinatam *partem*. — Exemplum *primi:* ut si in *aetate* aliqua sit privatum. Sic *puer* non dicitur *malus*, quamvis *careat* virtute: diceretur tamen *malus* si in *aetate perfecta* virtutem non haberet, quam tamen *deberet* habere. — Exemplum *secundi:* dicitur aliquis *privatus albedine*, non si *aliqua* eius *pars* sit *non alba*, puta *pupilla oculi;* sed si *plures*, vel *omnes* eius *partes*, aut aliqua *principalis*, puta *tota facies*, non sit *alba*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 3. n. 47.

Privatio — Habitus. — Notandum, quod specialis ratio istorum oppositorum * *privationis* et *habitus* * non est *fieri circa idem*, quia hoc convenit aliis oppositis; nec est ratio eorum fieri circa idem *ordine quodam*, quia non convenit omnibus privative oppositis, nisi intelligatur *secundum naturam*, scilicet, quod sit aliquod subiectum *aptum* natum prius natura habere *habitum*, quam dicatur *privari;* et ita forte est de *contrariis*, quia in omnibus subiectum naturaliter prius ordinatur in extremum *perfectius* quam *imperfectius*. Sed ratio generalis istorum oppositorum est *forma* et *carentia formae* in subiecto *apto* nato, et per hoc principaliter distinguitur a *contrariis*, ubi neutrum extremum est *sola carentia* reliqui, sed *aliqua forma positiva*. — *Super Praedic.* q. 39. n. 4. — Vid. *Habitus* in suis diversis acceptionibus.

Privatio multipliciter sumitur. — *Privatio dicitur uno modo si aliquid non habet aliquid natorum haberi*, id est, aliquid eorum quae sunt *apta* nata *haberi*, quamvis ipsum *non sit natum habere illud, ut planta dicitur privari oculis;* *oculi* * *ex. gr.* * sunt *apti* nati *haberi*, licet non a *planta*, quae dicitur *oculis privari*. Et ideo iste modus sumitur secundum quod *aptitudo* consideratur non ex parte *subiecti*, sed ex parte *rei* qua dicitur *privari;* et ideo iste modus est *improprie* dictus. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. un. c. 16. n. 131.

Ex parte aptitudinis *subiecti alio modo* dicitur aliquid *privatum, si non habet illud quod aptum est habere, aut ipsum, aut suum genus, ut aliter homo caecus dicitur privari visu, et aliter talpa; homo* enim *secundum se* est natus habere *visum, talpa* vero *secundum* se et secundum rationem *speciei*, * iuxta vulgi opinionem *, non est nata habere *visum;* sed quia suum genus, scilicet, *animal* est natum habere *visum*, ideo dicit * Aristot. *: *hoc quidem*, id est, *talpa dicitur secundum genus privari visu; illum autem*, id est, *homo secundum se* dicitur *privari visu*, pro quanto *secundum se* est aptus habere visum, et non tantum secundum *genus*.

Non ex parte *subiecti* tantum, sed etiam *temporis* et *aliarum circumstantiarum* dicitur aliquid *privatum, si non habet quod natum est habere, et quando*, quantum ad *tempus;* et in quocumque loco fuerit, * quantum ad *locum* *; et secundum *quod*, quantum ad *partem;* et *ad quod*, quantum ad *terminum* determinatum; et ut *quantum*, quoad *modum* habendi; *caecitas enim est quaedam privatio, sed caecus non est secundum omnem aetatem*, puta *caecus* ante nonum diem, * iuxta vulgi opinionem *, sed si non habet in aetate in

qua est aptus habere; *similiter autem et si non* habet aptum natum, *et in quocumque fuerit,* quantum ad circumstantiam *loci,* sicut *nox* dicitur *privatio* in *loco* ubi nata est esse *lux;* unde non dicitur esse in locis, ad quos lumen Solis non consuevit pervenire, puta, in occultis cavernis montium et terrarum, *et secundum quod,* quantum ad circumstantiam *partis,* ut *homo* non dicitur *calvus,* si non habet *pilos in oculis,* sed si non habet in parte illa in qua est natus habere; *et ad quod,* quantum ad circunstantiam *termini* determinati, ut *homo* non dicitur *parvus,* nec *privatus* statura debita, si non sit *magnus sicut unus mons;* et *ut quantum,* quoad circumstantiam *modi,* sicut *homo* non dicitur *caecus* si non videt *ita acute sicut aquila.* — *Ib.* n. 132.

Notandum, quod istorum trium modorum *privationis* primus est *impropriissimus,* secundus est *minus proprius;* sed tertius est *propriissime* acceptus.

Amplius dicitur *privatio cuiusque per vim ablatio,* scilicet, violenta. *Violentia* enim est contra impetum naturalem et voluntarium; et ideo *ablatio violenta* dicitur *privatio* eius quod quis natus est habere, secundum impetum hunc vel illum. — *Ib.* n. 133. *ubi de aliis minus propriis acceptionibus privationis agit.* — *Ib.* c. 11. n. 96. — Vid. *Genitum* — *Ingenitum* = *Peccatum.*

Problema. — *Problema praesupponit* aliquid *certum,* et *quaerit dubium,* ex *VII. Metaph. comment. ult.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 23.

Processio aeterna — temporalis. — Divisio *processionis* in *aeternam* et *temporalem,* quam ponit Magister *dist.* 14, non est *univoci* in *univocata,* nec *aequivoci* in *aequivocata,* sed divisio alicuius in illud quod est *simpliciter* tale, et *secundum quid.* — *Report.* I. d. 14. et 15. q. 2. n. 2.

Producens. — In *producente* est distinguere *rationem producendi* et ipsum per se *producens. Ratio producendi* est *forma* tantum; ratio *producentis,* respiciendo ipsum producens, est *totum.* — *Report.* I. d. 5. q. 1. n. 9.

Producens — operans. — Vid. *Actus primus — secundus.*

Productio. — Vid. *Alteratio — Mutatio,* etc. = *Generatio — Productio — Mutatio.*

Productio in Divinis. — In Divinis est et potest esse *productio.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 3. — Quia quod productio sit in Divinis est evidens quod sit articulus fidei. — *Ib.* n. 7. — Quod probo sic: Quidquid de ratione sua formali est principium productivum sufficiens, illud in quocumque est a se et sine imperfectione, in eo est principium productivum: istud totum, scilicet, intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi praesens, ex ratione sua formali est principium productivum notitiae genitae; ergo in quocumque est illud, scilicet, intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi praesens, ibi erit principium productivum notitiae genitae, et hoc secundum proportionem suae perfectionis: sed in Deo est illud secundum veram rationem sui; ergo vere est ibi productio notitiae genitae. — Idem potest argui de voluntate; quia voluntas habens obiectum actu cognitum sibi praesentatum ex ratione sua est productiva amoris perfecti producti. — *Ib.* n. 3.

Dico tunc, quod tantum sunt ibi duae productiones distinctae secundum rationes formales productionum; et hoc quia sunt tantum duo principia productiva habentia formales rationes producendi distinctas(1). — *Quod probo sic*: Omnis pluralitas reducitur ad unitatem, vel ad paucitatem tantam ad quantam reduci potest; ergo pluralitas principiorum activorum vel productivorum reducetur ad unitatem, vel ad tantam paucitatem ad quantam potest reduci: sed non potest reduci ad aliquod principium unum productivum aliud ab istis. — *Probatio:* quia principia productiva, quae sunt *natura* et *voluntas,* habent oppositos modos principiandi, quia alterum inclinatur ex se ad agendum *naturaliter,* alterum *libere,* et in potestate sua habet producere, ita quod ad hoc ex se naturaliter non inclinatur. Si au-

(1) « Non distinguuntur autem in Divinis productiones per modum *naturae* et *voluntatis,* nisi quia principium *quo* producens producit aliter et aliter se habet ad productionem, quia haec naturaliter, haec libere ». — *Oxon.* I. d. 7. n. 9. — d. 13. n. 5.

tem reduceretur ad aliquod unum principium productivum, illud haberet determinate alterum modum principiandi alterius istorum principiorum: vel enim esset productivum ex se *determinate*, et tunc per modum *naturae*, vel non ex se determinate, sed *libere*, et ita per modum *voluntatis*. Ergo non possunt reduci ad aliquod principium, quasi tertium ab istis, quod, scilicet, in producendo neutrius istorum habeat rationem. — *Ib.* n. 18.

Sequitur: si non sunt ibi nisi duo principia productiva alterius rationis, ergo tantum sunt duae productiones numero. — *Probatio*, quia utrumque principium productivum habet productionem sibi adaequatam et coaeternam; ergo stante illa non potest habere aliam. — *Ib.* n. 19. — Cf. *Quodlib.* q. 2. nn. 2. et 15. seqq. — Vid. *Generatio in Divinis* = *Generatio* — *Spiratio* = *Genitum* — *Ingenitum.*

Productio naturalis duplex. — Effectum *produci naturaliter* potest intelligi *dupliciter:* vel quia ex parte *principii activi* est *naturalitas*, vel quia ex parte *modi.* — *Proprie* tamen loquendo non dicitur effectus *produci naturaliter* quando tale agens non habet modum agendi convenientem tali agenti, quia hoc adverbium *naturaliter* est determinatio *verbi*, et ideo proprie determinat *modum agendi.* — *Report.* III. d. 4. q. 2. n. 15.

Producti terminus primus — formalis. — In *producto* oportet distinguere terminum *primum*, et terminum *formalem.* — *Terminus primus* est *totum compositum*, ex *VII. Metaphys. text. comment.* 26. — Sed *terminus formalis* est *forma* tantum, II. *Physic. cap.* 6. — Et uterque per se est terminus generationis, quae est via in naturam, et *forma* et *finis* generationis coincidunt. — *Report.* I. n. 9.

Prohibitio. — Vid. *Voluntas in Deo multipliciter accipitur.*

Pronomen. — Vid. *Grammat. specul.* n. 96. et seqq.

Pronomen demonstrativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 100.

Pronomen derivativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 102.

Pronomen gentile. — Vid. *Grammat. specul.* n. 104.

Pronomen possessivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 104.

Pronomen primitivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 102.

Pronomen reciprocum. — Pronomen *reciprocum* denotat actum terminari ad idem suppositum a quo procedit ille actus; aliter non esset reciprocum. — *Oxon.* I. d. 4. q. 1. n. 3.

Pronomen relativum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 101.

Pronomen substantivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 103.

Pronominis significatio. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 107 seqq.

Prophetia — Instinctus propheticus sive Casus prophetiae. — Videndum est quae sit *cognitio prophetica* proprie dicta. — Ad cuius intellectum sciendum, quod *instinctus* est quoddam imperfectum respectu *prophetiae*, de quo Augustinus *XII. Super Genesim ad litteram cap. 22*, quod ipsum patiuntur aliquando humanae mentes, et *nescientes*, non quia ignorent talem motum in se, sed quia nesciunt *a quo* principio, sicut de *bono fortuitu* loquitur Philosophus, *XI. Metaph. cap. 9;* et ideo vocatur a Sanctis *casus prophetiae*, quasi aliquid *imperfectum*; et ideo ex tali *instinctu* non dicitur aliquis *Propheta* proprie.

Talis autem *casus* contingit in *locutione* et *opere* et *cognitione* prophetica. Verbi gratia, in *locutione:* Isaias enim *cap.* VII. (1), praedicens: *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium*, intellexit *quid* hoc significabat; sed non Caiphas, dicens: *Expedit vobis, ut unus homo moriatur*, Ioann. XI. (2). Similiter Ieremias, qui posuit *lumbare* in Euphrate, et invenit illud putrefactum, *Ierem.* XIII. (3), intellexit *quid* hoc significabat; sed milites dividentes vestimenta Christi, *Ioan.* XIX. (4), nesciebant. Atque ita est *casus prophetiae* in verbo et facto, quia Danielis X. (5), dicitur: *Intelligentia opus*

(1) v. 14.
(2) v. 50.
(3) vv. 1. et seqq.
(4) v. 23.
(5) v. 1.

est in visione. — Similiter est talis *casus* vel *instinctus* in *cognitione.* Et hoc dicitur *uno modo* si aliquis videat visionem imaginariam, et *non intelligat,* sicut Pharao *spicas,* et Balthasar *manum scribentem,* unus dormiens, alter vigilans. *Alio modo* si *intelligat* illud quod sibi revelatum est, tamen *nescit* si est facta revelatio a *Deo;* et in tali *casu* dicit Ioannes *prima canonica sua cap.* 4 (1): *Probate spiritus, si ex Deo sint;* quando circumstantia est sufficiens motivum ad dubitandum.

Et iis duobus modis non est aliquis *Propheta* perfecte, nec talis cognitio dicitur proprie *prophetica,* sed aliqua *participatio* eius. — *Miscellan.* q. 6. n. 7.

Aliquando autem sic fit revelatio, quod homo non solum intelligit *illud* quod sibi revelatur, sed etiam certus est quod hoc sibi a *Deo* revelatur. Talis autem varietas contingit propter varium tactum Spiritus Sancti, qui tangit animam sicut placet.

Isto autem ultimo modo est *cognitio prophetica* proprie et perfecte. Et hunc modum cognoscendi habuerunt illi qui sacram Scripturam nobis tradiderunt, saltem quantum ad ea quae ibi ex intentione principali scribuntur. Et hoc patet *Ierem.* XXVI (2): *In veritate me misit Deus ad vos, ut loquerer verba haec in aures vestras.* Non autem posset hoc esse verum, nisi esset certus quod Dominus sibi revelasset. Et eodem modo patuit hoc per factum Abrahae, *Gen.* XXII. (3). *Tolle filium unigenitum,* etc. statim surrexit de loco, ut iret ad immolandum filium, quem tantum diligebat, quod esset malum nisi esset certus quod Dominus mandaret hoc. — *Ib.* n. 7. — Cf. *Oxon. Prol.* q. 2. n. 3. — I. d. 16. n. 2. — III. d. 24. nn. 17. et 22.

Prophetia comminationis. — Deus revelat secundum quod placet sibi; et ideo aliquando revelat *ordinem causarum ad effectum,* ut demerita populi exigentia talem poenam, ut Ionae subversionem Ninivitarum; et tunc est prophetia *comminationis* solum; aliquando autem cum hoc revelatur etiam *exitus rei* vel executio, ut Samueli revelavit destitutionem Saulis *I. Regum.* 15 (1). — *Miscell.* q. 6. n. 14.

(1) v. 1.
(2) v. 12, 15.
(3) v. 2.

Propinquitas. — Vid. *Matrimonii impedimenta.*

Proportio. — Vid. *Mensura — Proportio, etc.*

Proportio geometrica. — Est *proportio geometrica* qua *continens* est excedens *contentum* in aliquo certo gradu, et *finito,* ita quod excessum aliquando replicatum reddit suum excedens. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 6.

Proportio multiplex. — *Proportio* est *duarum qualitatum eiusdem generis unius ad alteram certa relatio in quantitate* (2). Verbi gratia, proportio *dupla,* sicut *duorum* ad *unum,* est *certa relatio* istorum duorum numerorum, qui sunt *eiusdem generis,* in *quantitate.*

Proportio dividitur in tres species, scilicet: in proportionem *aequalitatis, maioris inaequalitatis,* et proportionem *minoris inaequalitatis.* — Proportio *aequalitatis* est habitudo duarum qualitatum *aequalium* ad invicem: sicut proportio *duorum* ad *duo;* et talis non habet plures species, imo consistit in indivisibili. — Sed proportio *maioris inaequalitatis* est habitudo *maioris* qualitatis ad *minorem:* sicut *trium* ad *duo* est proportio *sesquialtera.* — Et ista proportio *maioris inaequalitatis* subdividitur in proportionem *multiplicem, superparticularem,* et *superpartientem;* et quaelibet illarum dividitur in species infinitas. — Sed proportio *minoris inaequalitatis* est habitudo *minoris* qualitatis ad *maiorem:* sicut *duorum* ad *quatuor* est proportio *subdupla.* — Et ista subdividitur in proportionem *submultiplicem, subsuperparticularem,* et *subsuperpartientem;* et quaelibet illarum dividitur in species infinitas proportionales speciebus proportionum *maioris inaequalitatis.* — *Meteor.* I. q. 13. n. 3. — Vid. *Comparatio multiplex.*

Proportionalitas. — *Proportionalitas* est

(1) per tot.
(2) *Physic.* IV. q. 11. n. 9.

similitudo *proportionis* (1): sicut si dicatur, quod *sicut se habet octo ad quatuor, ita quatuor ad duo.* — Et talis *proportionalitas* est *triplex*: nam quaedam est *arithmetica*, quaedam *geometrica*, quaedam *harmonica*.

Proportionalitas *arithmetica* est illa quae attenditur penes *aequalitatem differentiarum unius qualitatis ad aliam:* sicut dicendo, scilicet, *quatuor duo;* et vocatur *differentia in proportione excessus* quo maior quantitas excedit minorem; et sic dicitur *excessus sex ad quatuor.* — Sed proportionalitas *geometrica* consistit in *aequalitate proportionum,* sicut dicendo 8: 4: 2: 1; nam qualis est proportio 8 ad 4 eadem est proportio 2 ad 1.

Quaelibet istarum proportionum potest esse *duplex,* scilicet, *continua* et *discontinua.*

Proportionalitas *continua* est cum *quilibet* terminus est *antecedens* et *consequens,* praeter primum et ultimum; nam primus terminus est tantum antecedens et ultimus tantum consequens. Verbi gratia, si dicatur: *qualis est proportio inter octo et quatuor, talis est proportio quatuor ad duo, et duorum ad unum;* in ista proportione iste terminus *octo* primus est antecedens tantum; et ille terminus *unum,* qui est ultimus, est tantum consequens; sed duo termini intermedii, scilicet, *duo* et *quatuor,* quilibet illorum est antecedens et consequens. — Sed proportionalitas *discontinua* est quando *nullus* terminus est *antecedens* et *consequens,* * sed * vel antecedens tantum, vel consequens tantum, sicut, verbi gratia, dicendo: *qualis est proportio sex ad tria, talis est quatuor ad duo;* in ista enim similitudine proportionum nullus terminus est simul antecedens et consequens, sed quilibet vel tantum antecedens est, vel tantum consequens.

Proportionalitas *harmonica* vocatur cum *eadem est proportio maximi termini* ad *minimum,* et *differentia maximi termini ad medium ad differentiam medii ad minimum;* verbi gratia 6: 4: 3: eadem est proportio 6 ad 3 scilicet maximi termini ad minimum, quae est proportio duorum, quae differentia est inter 6 et 4 ad unum, quod est differentia inter 4 et 3. — *Meteor.* I. q. 13. n. 4.

Proportio numeralis multiplex. — *Proportio numeralis* dividitur in duas, quarum una dicitur *inaequalitas,* et altera *aequalitas.* — *Inaequalitas* habet duas species, scilicet *excedens* vel *maius,* et *excessum* vel *minus.*

Sciendum, quod ipsum *inaequale excedens,* ut tradunt Arithmetici, habet quinque species. — Ubi sciendum, quod numerus maior respectu minoris quandoque est *multiplex,* quando, scilicet, *aliquoties continet numerum minorem,* sicut *sex* continent *duo ter;* et si quidem contineat ipsum *bis,* dicitur *duplum,* quemadmodum se habent *duo* ad *unum,* et *senarius* ad *ternarium;* si continet ipsum *ter,* dicitur *triplum,* si *quater, quadruplum,* et sic deinceps. Et ista est *prima species.*

Ulterius sciendum, quod numerus maior quandoque continet *totum* minorem *semel,* et ultra *aliquam partem eius;* et tunc dicitur *superparticularis;* minor vero contentus dicitur *subsuperparticularis.* Et si quidem continet totum et *mediam* partem eius, vocatur *sesquialter* sive hemiolius, quod idem est, sicut se habent *sex* ad *quatuor;* si autem *tertiam,* dicitur *sesquitertius,* sicut se habent *quatuor* ad *tria;* si vero *quartam,* dicitur *sesquiquartus,* sicut se habent *quique* ad *quatuor,* et sic deinceps. Et ista est *secunda species.*

Prima species proportionis, scilicet, *multiplicitas,* consistit in comparatione numeri ad *unum;* quaelibet enim eius species reperitur primo in aliquo numero respectu unitatis; *duplum* enim primo convenit *binario* comparato ad *unum;* similiter proportio *tripla ternario* respectu *unitatis,* et

---

(1) « Proportionalitas fundatur super relationem sive similitudinem duorum proportionum ». — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 2. — * Tamen * « *proportionalitas* non semper includit *similitudinem,* sed multoties *dissimilitudinem* magis; *quatuor* enim sunt duplum ad *duo,* et est sibi proportionale secundum proportionem *duplam,* et *agens* est *proportionale passivo,* quia hoc est actus, et illud potentia; et *materia* est *proportionalis formae;* et tamen in istis omnibus requiritur *dissimilitudo* magis, quam *similitudo* ». — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 36.

sic de aliis. Quia igitur proportio *dupla* primo reperitur inter *duo* et *unum*, ideo accipit inde ista proportio denominationem, et dicitur proportio *duorum* ad *unum*. Unde quicumque numerus dicitur *duplus* ad *alium*, semper minor numerus habet rationem *unius*, et maior *duorum*, quia talis est proportio qualis *duorum* ad *unum*, sicut se habent *sex* ad *tria*.

De *tribus speciebus* aliis non est curandum, quia nihil faciunt ad propositum praesens.

Apparet ex dictis, quod si comparetur *multiplex* ad *unum*, est comparatio numeri *indeterminati*; si vero comparetur *duplum* ad *dimidium*, est comparatio numeri *determinati*; nam *duplum* est quaedam *determinata* species, ut dictum est. Apparet etiam, quod si comparetur numerus *sesquialter*, vel *hemiolius*, ad *submiolium*, comparatur numerus *determinatus* ad *determinatum*; si vero comparetur *superparticulare* ad *subsuperparticulare*, comparatur numerus *indeterminatus* ad numerum *indeterminatum*, ut patet ex dictis, quia *superparticulare* est quoddam genus *indifferens* ad multos numeros in ista *secunda* specie, et similiter *subsuperparticulare*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. cap. XIV. n. 111.

Notantum ad maiorem evidentiam *praedictorum*, quod quia *proportio* primo quidem reperitur in *numeris*, nam omnes numeri sunt mutuo commensurabiles, quatenus omnes communicant in prima mensura, scilicet, *unitate*, sunt autem *variae proportiones* numerorum secundum quod diversi numeri diversimode comparantur ad invicem; nam alia est proportio *trium* ad *duo*, quae dicitur *hemiolia*, vel *sesquialtera*, et alia *quatuor* ad *tria*, quae dicitur *sesquitertia*, ut praedictum est; tamen quia quantitates continuae non resolvuntur in aliquod indivisibile, quemadmodum *numeri* in *unitatem*, ideo non est necessarium omnes continuas quantitates esse ad invicem commensurabiles, sed contingit esse aliquas, quarum una excedit aliam, quae tamen non habent unam communem mensuram; quaecumque autem continuae quantitates habent mutuam proportionem, sicut est proportio *numeri* ad *numerum*, illae habent unam communem mensuram. Exemplum: si una sit *trium* palmorum, alia *quatuor*, utraque mensuratur *palmo*. — *Ib.* n. 113.

Propositio. — Propositio est *oratio verum vel falsum significans*. Haec particula, *significans verum vel falsum* potest comparari ad *propositionem* sub ratione *incomplexi*, et sub ratione *complexi*, sicut ad hanc totam: *homo est animal sub sua integritate*. — Primo modo comparatur ad propositionem ut *quid:* secundo modo comparatur ad propositionem ut *quale* vel *qualificans*. — *Poster*. I. q. 5. n. 5.

Propositio vel *oratio* est signum alicuius conceptus habendi per eam *in fine prolationis*. Quando enim *propositio* est in *proferri* non est signum conceptus veri vel falsi habendi per eam; sicut enim per *nomen* non habetur simplex conceptus de re, nisi in fine completae prolationis, ita per *propositionem* non habetur aliquis conceptus complexus verus vel falsus ante finem prolationis. — *Report.* IV. d. 8. q. 2. n. 9.

Verbum praesentis temporis *est* vel potest copulare extrema propositionis pro *toto tempore* praesenti, vel pro *instanti* illius temporis; et haec sunt causae *multiplicitatis* propositionis, in qua tale verbum ponitur penes tertium modum aequivocationis (1), et *non esse* veritatis talis propositionis, in qua tale verbum sic copulet inter extrema propositionis pro praesenti instanti; et tunc tantum est propositio vera, et haberi potest conceptus determinatus verus in instanti prolationis eius; nam tunc solum intelligitur *unio extremorum* in re, ut si transmutatio aquae in ignem omnino simul concurreret in hac prolatione huius propositionis, *quod fuit aqua est ignis*, sicut in fine transmutationis, *quod fuit aqua fit ignis*, et tunc tantum, ita in fine prolationis propositionis hoc significantis tantum habetur conceptus verus et determinatus, et tunc denotantur extrema coniungi.

Si autem verbum praesentis temporis copularet pro *toto tempore praesenti* extre-

(1) Vid. *Aequivocationis modus triplex.*

ma alicuius propositionis, et non in instanti eius, tunc tantum est conceptus habendus verus pro toto tempore prolationis eius: ut si haec propositio debeat esse vera, *ego curro*, oportet quod toto tempore prolationis vel aliqua parte eius exerceam actum *currendi*, quia cursum esse in instanti est impossibile.

Unde universaliter illa propositio de *presenti*, cuius extrema non uniuntur pro *toto tempore* prolationis eius, nec pro *parte* temporis prolationis eius, nec pro *ultimo instanti* prolationis propositionis, est *simpliciter falsa*. Unde haec propositio, *ego bibo*, de virtute sermonis est falsa, a quocumque proferatur; et similiter ista, *ego dormio;* quia extrema istarum uniri, vel pro *toto tempore* prolationis vel pro *parte* eius, vel pro *ultimo instanti* prolationis, est impossibile; nam *nullus potest loqui tempore quo bibit*, sed in alio tempore praecedente, vel sequente, et numquam simul, quia necessario unus actus alteri succedit. — *Ib.* n. 10. — Vid. *Grammat. specul.* c. VI.

Propositio affirmativa. — Ad verificationem *propositionis affirmativae* sufficit unio extremorum; hoc enim solum significat propositio *affirmativa.* — *Opus prim. super I. Periherm.* q. 8. n. 6.

Propositio categorica et hypothetica multiplex. — Notandum, quod quaedam est propositio *categorica*, et alia *hypothetica* (1).

Item quaedam est categorica *de inesse* (2) et alia *modalis* (3). — Illarum *de inesse* quaedam est de terminis *absolutis*, alia de terminis *connotativis*. — Et hoc dupliciter: quia quaedam est de terminis *positivis*, alia de terminis *privativis*. — Item quaedam de futuro, et alia de *praeterito*, quaedam de *possibili* (4).

Et *hypotheticarum* quaedam est *conditionalis*, etc. — *Prior.* I. q. 8. n. 6.

Quaedam est propositio mere *categorica*, et aliqua *hypothetica*, et aliqua quae non est hypothetica per coniunctionem expressam, aequipollet tamen hypotheticae, ut propositio *exclusiva* (1) et *copulativa* (2) *reduplicativa*, et propositiones in quibus ponuntur ista verba, *incipit, desiit, generari, corrumpi*, vel consimilia.

Sicut quaedam est categorica, in qua ponitur terminus *infinitus*, vel *privativus*, et alia in qua non ponitur. — *Ib.* q. 3. n. 4; * *ubi optimas praebet de istis propositionibus regulas* *.

Propositio copulativa — hypothetica. — *Propositio copulativa* et *hypothetica* potest esse vera sicut et *categorica* et *simplex*, et ideo contingit simul accipere eius negativam. Potest autem tunc *hypothetica* componi ex *duplici affirmativa*, puta, *homo sedet*, et *homo disputat.* Potest etiam componi ex *duplici negativa*, puta, *homo non est equus*, et *homo non est asinus.* Potest etiam componi ex *affirmativa* et *negativa*, puta, *homo est animal*, et *homo non est leo;* semper tamen ista *hypothetica*, sive copulativa vera, accipitur loco unius affirmationis. Unde qui dicit ipsam esse falsam accipit negativam quasi totius illius copulativae. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 2. c. 2. n. 38.

Propositio de inesse duplex. — *Duplex* est *propositio* de *inesse:* — Quaedam de *inesse simpliciter*, scilicet, quae est *necessaria*, ut ista, *homo est animal*, est de *inesse simpliciter.* — *Alia* est de *inesse ut nunc*, scilicet, propositio *contingens* de inesse.

Et proportionabiliter potest distingui de propositione de *necessario:* quia quaedam est *necessaria;* et illa vocatur de *necessario simpliciter:* et alia est *contingens;* et illa vocatur de *necessario ut nunc.* — *Prior.* I. q. 28. n. 2. — Vid. *Propositio modalis — de inesse.* = *Propositio de necessario quadruplex.*

Propositio demonstrabilis. — *Propositio demonstrabilis* est *propositio necessaria, dubitabilis, nata fieri evidens per praemissas in forma syllogistica ad invicem applicatas.*

Unde per hoc quod dicitur *necessaria* differt a propositionibus *contingentibus*, quae

---

(1) Vid. infr. *Propositio hypothetica.*

(2) Vid. *Propositio de inesse duplex.*

(3) Vid. *Propositio modalis — de inesse.*

(4) Vid. *Propositio de praeterito vel de futuro quadruplex.*

(1) Vid. *Propositio exclusiva.*

(2) Vid. *Propositio copulativa — hypothetica.*

sunt *evidentes*, ut evidens est mihi quod *tu sedes*. — Per hoc quod dicitur *dubitabilis* excluditur principium *per se notum*, de quo non potest dubitari. — Per hoc quod dicitur *nata fieri evidens* excluditur propositio *necessario dubia*, quae nulla via potest declarari: verbi gratia, certum est, quod altera istarum duarum est necessaria: *Astra sunt paria*, Astra *sunt imparia*; et tamem quaecumque illarum per nullam viam poterit declarari. — Per hoc quod dicitur *per praemissas in syllogismo applicatas* excluditur principium acceptum *per experientiam*, et de quo aliquando est dubitabile: verbi gratia, dubium est inexperto, *an omnis ignis sit calidus*, et tamen illud est necessarium natum fieri evidens, et est dubitabile, et tamen non est demonstrabile, quia non est natum fieri evidens per *praemissas applicatas in syllogismo*, sed per *experientiam* tantum. — *Physic.* I. q. 6. n. 4. — Vid. *Demonstratio*.

Propositio de necessario quadruplex. — Ad *necessitatem propositionis* sufficit necessaria concomitantia extremorum, ita quod posito uno ponatur alterum, licet neutrum necessario existat. — *Opus primum super I. Perihermen.* q. 8. n. 6.

Triplex est *propositio de necessario*: — *Quaedam* de necessario *conditionali*, ut *vacuum, si est, de necessitate est locus*. — *Alia* de necessario *quando*, ut *Grammaticus quando est, de necessitate est homo*. — Sed *tertia* est de necessitate *simpliciter*. — Et talis est *duplex*: quia quaedam est de necessario ut *nunc solum*: supposito, quod *Luna nunc* non sit eclipsata, ista est de necessario, ut *nunc lucens de necessitate est luna*; et dicitur pro *nunc*, eo quod est *contingens*, quia quandoque est vera, et quandoque falsa. — Sed alia est de necessario simpliciter *pro semper*, ut ista, *Deus de necessitate est iustus*; et dicitur *pro semper*, eo quod ista propositio est *necessaria*. — *Prior.* I. q. 26. n. 4. — Vid. supra *Propositio de inesse duplex*.

Propositio de possibili quadruplex. — Nota, quod *quadrupliciter* potest fieri *propositio de possibili*. — *Uno* modo *sine aliqua negatione*; ut dicendo, B *potest esse* A. — *Alio* modo *cum duplici negatione*, scilicet, una posita ad *modum*, et alia ad *dictum*, ut *nullum* B *possibile est non esse* A. — *Tertio* modo *cum una negatione* posita ad *modum*, ut *nullum* B *possibile est esse* A. — *Quarto* modo *cum negatione praecedente dictum, modo affirmato*; ut *quoddam* B *possibile est non esse A*.

Et sic patet, quod sunt *octo* propositiones *de possibili*, scilicet, *quatuor universales*, et *quatuor particulares*. — *Prior.* I. q. 26. n. 11.

Propositio de praeterito vel de futuro quadruplex. — Notandum, quod *quatuor modis* aliqua propositio potest pertinere ad *praeteritum* vel *futurum*. — *Uno* modo si eius *praedicatum* aut *subiectum* sit participium *praeteriti* vel *futuri* temporis. — *Secundo modo* si *copula verbalis* sit *praeteriti* aut *futuri* temporis. — *Tertio* si copula verbalis significet vel connotet *motum* vel *mutationem*, ut ista verba, *fieri*, vel *generari*, *corrumpi*, *incipere*, et *desinere*, et huiusmodi; bene talia verba non possunt exponi sine altera exponentium de *praeterito* vel *futuro*. — *Quarto* quando in propositione ponitur nomen vel verbum *ampliatum*, cuius, scilicet, verbi actus transit in rem *praeteritam*, vel *futuram*, vel *possibilem*, sicut in rem praesentem, sicut ista verba, *significo*, *intelligo*, *appeto*, *promitto*, et ista nomina, *causatum*, *causa*, *calefactivum*, et huiusmodi; unde dicimus de *sanitate*, quod sit causa laborum quando tamen *nondum* sanitas est. — *Prior.* I. q. 17. n. 3.

Propositio hypothetica. — *Propositiones hypotheticae* non sunt *affirmativae* vel *negativae* ratione *categoricarum* ex quibus componuntur, sed ratione *coniunctionis* per quam propositio fit hypothetica; quae si fuerit affirmativa, propositio hypothetica est affirmativa, et si negativa, ipsa est negativa: ut ista est affirmativa, *animal currit si homo currit*; et si haec dictio *si* esset negativa, ut dicendo, *non animal currit, si homo currit*, tunc est negativa; et debet intelligi, quod ista negatio *non* cadat non super istam propositionem *animal currit*, sed super istam coniunctionem *si*; et tunc denotat consequentiam non valere, videlicet,

quod non est, *quod si animal currit, homo currit.* — *Prior.* I. q. 3. n. 7. — Vid. *Propositio categorica et hypothetica multiplex = Propositio copulativa — hypothetica.*

Propositio immediata. — Illa *propositio* est *immediata,* sive primo vera, quae est *per se vera,* et quae per aliam non potest demonstrari. — *Poster.* I. q. 21. n. 3.

Conclusio in demonstratione dicitur esse *primo vera,* ex hoc quod accidens * praedicatum * non excludit subiectum, nec e contra. — *Ib.* q. 33. n. 2.

Propositio modalis — de inesse. — * Propositio non dicitur *modalis,* nec de *necessario,* aut *possibili,* eo quod sit *necessaria* vel *possibilis,* sed eo quod in ea ponitur iste modus, *necessarium,* vel *possibile.* Et quia *modum* contingit *dupliciter* poni in propositione, scilicet, vel ad copulam, vel ad *subiectum* aut *praedicatum,* ideo *propositio modalis* denominatur *dupliciter,* scilicet, in *sensu diviso,* ut quando *modus* ponitur ut sit terminatio *copulae;* vel in *sensu composito,* ut quando *modus* ponitur a parte *subiecti,* vel a parte *praedicati;* et istae propositiones multum differunt, et quantum ad *syllogizandum,* et quantum ad *convertendum* (1).

Item differunt, quia illa de *sensu composito* est propositio de *inesse,* et illa de *sensu diviso* est *modalis.* Cuius causa est, quia *semper propositio est denominanda a copula,* per quam fit unio extremorum illius propositionis. Verbi gratia, in *hypotheticis* hypothetica denominatur a *coniunctione* per quam uniuntur duae categoricae. — Item, propositio *categorica* denominatur de *inesse* a verbo *est.* — Ex quibus patet, cum in propositione *de modo,* de *sensu composito* copula sit hoc verbum *est* vel sibi aequivalens, sequitur, quod ipsa erit de *inesse,* et non *modalis.*

Secundo notandum, quod tales propositiones in *sensu composito* quandoque habent modum a parte *subiecti,* ut *possibile est hominem currere;* quandoque a parte *praedicati,* ut *hominem esse animal est necesse;* et utroque modo semper est sumendum *dictum* materialiter in propositione, scilicet, prout supponit propositione sibi correspondente alias significative sumpta.

(1) Vid. *Propositionum conversio.*

Tertio notandum, quod, ut in pluribus, propositiones *de modo* in *sensu composito* sunt *indefinitae:* ut verbi gratia, ista est *indefinita, possibile est Socratem currere,* quia sua universalis est ista, *omne possibile est Socratem currere;* sua contradictoria ista, *nullum possibile est Socratem currere;* et eius subcontraria ista, *possibile est Socratem currere.* Et sicut dicitur de illis in quibus *modus subiicitur,* ita conformiter dicitur de illis in quibus *modus praedicatur.* Verbi gratia, ista est *indefinita: omnem hominem esse animal est necessarium;* quia significat, quod aliqua talis propositio, *omnis homo* est *animal,* est necessaria. — *Prior.* I. q. 25. n. 2.

Propositio multiplex. — Quaedam est propositio *de inesse,* et quaedam *de presenti,* et quaedam *de praeterito,* et quaedam *de futuro.* — Alia est *modalis,* et talis quaedam *de impossibili* et quaedam de *possibili,* et quaedam de *necessario* et quaedam *de contingenti;* et in qualibet istarum diversimode est assignanda causa veritatis (1). — *Prior.* I. q. 3. n. 10.

Propositionum conversio. — *Conversiones * propositionum ** docuit * Aristoteles * propter perficiendam imperfectionem imperfectorum syllogismorum. — *Oxon.* I. d. 21. n. 6.

Conversio seu *convertere* * in propositionibus * est *facere de subiecto praedicatum, et e contra, cum necessitate consequentiae.* — Per hoc quod dicitur *de subiecto praedicatum* et *e contra* differt *conversio* a *syllogismo* et ab aliis argumentationibus enthymematicis. — Sed per hoc quod dicitur *cum necessitate* differt *conversio* a conversione *particularis negativae,* quia licet illa sit *transpositio* subiecti ad praedicatum, tamen non est *conversio,* eo quod non est consequentia formalis.

Ex quo sequitur, quod *conversio* est quaedam *propositio hypothetica conditio-*

(1) De singulis vid. *suis locis.*

nalis, vel *rationalis*, cuius antecedens vocatur *conversa*, consequens vero *convertens*. Et ideo semper propositio quae datur convertenda est *conversa*, et alia per quam convertitur est *convertens*. — *Prior*. I. q. 12. n. 2.

Ad veram conversionem requiritur, quod *convertens* tantum capiat de veritate *conversae*, quantum est possibile, transpositis terminis. — *Op. prim. super I. Periherm.* q, 14. n. 6.

Nunc ponuntur *cunclusiones:*

Prima est, quod *omnis propositio universalis negativa, cuius praedicatum distribuitur, potest converti simpliciter in universalem negativam*. — Probatur: quia propositio universalis negativa, virtute signi universalis, significat praedicatum pro quolibet suo supposito removeri a subiecto pro quolibet supposito subiecti, ut patet per *dici de nullo;* igitur sicut unum potest removeri a reliquo, ita e converso.

Secunda est, quod *universalis negativa, cuius praedicatum non distribuitur, non potest converti simpliciter in universalem negativam*. — Probatur: quia ista non significat praedicatum removeri a subiecto pro quolibet suo supposito; et ideo talis est convertenda per accidens in particularem negativam, ut ista, *omnis phaenix animal non est*, convertenda est in istam: *quoddam animal non est phaenix*. — *Prior*. I. q. 12. n. 4. — Cf. *Oxon*. II. d. 3. q. 7. n. 9. — I. d. 21. n. 6.

* Nunc * videbitur de quibusdam *regulis* sive cautelis observandis in *conversionibus* quarumdam propositionum.

Prima regula est: *Si in conversa implicetur aliquid in subiecto, in copula, vel in praedicato, oportet aliquando illud explicari in convertente, ad hoc quod fiat debita conversio*. — Exemplum de *subiecto*, dicendo, *nemo est asinus*, debet explicari in convertente, *nullus asinus est homo*, quia in subiecto implicabatur hoc totum, *nullus homo*. Similiter ista, *immediatae sunt partes continui*, debent explicari per istam, *nullum medium est inter partes continui*, et tunc debet converti in illam, *nihil quod est inter partes continui est medium*.

Secunda regula est, quod *quandoque omne signum positum a parte subiecti in conversa debet manere a parte praedicati in convertente;* scilicet, quando subiectum est terminus communis restrictus per signum universale ad unum genus tantum, et tamen sit communis generis, ut *nullus homo est mulier; igitur nulla mulier est nullus homo*. — *Prior. Ib.* n. 5.

Tertia regula, quod *quandoque oportet mutare signum secundum declinationem grammaticalem propter diversitatem subiecti vel praedicati in numero vel in genere;* ut ista, *nullus homo est capra*, convertitur in istam, *nulla capra est aliquis homo*, et sic ibi mutatur unum genus in aliud.

Quarta regula, quod *signum positum a parte subiecti debet addi illi toti quod sequitur copulam, quando de subiecto fit praedicatum;* quia illud totum sequens est praedicatum, et quia quandoque hoc non potest fieri convenienter per terminos iam positos; igitur oportet addere istas dictiones, *quod est*, ad hoc quod convenienter possit fieri distributio. — Et hoc contingit ad propositum in quatuor casibus. — *Ib*. n. 6.

Primo, quando praedicatum propositionis universalis est terminus *discretus*, ut dicendo: *nullus equus est Socrates*, bene potest converti in istam: *Socrates non est equus;* tamen ista non est conversio simplex. Ideo additis illis dictionibus, debet converti in istam: *nihil quod est Socrates est equus*.

Secundo, quando verbum ponitur in propositione quod non habet participium sui temporis, in quod potest explicari, ut dicendo: *nullus homo diligitur a suo inimico*, quia istud verbum *diligitur* non habet participium praesentis temporis, ideo debet converti in istam: *nihil quod diligitur a suo inimico est homo*.

Tertio, quando praedicatum distribuitur *negative*, ut ista: *nullus homo est nullum animal*, convertitur in istam: *nihil quod est nullum animal est homo*.

Et *quarto*, quando praedicatum distribuitur *affirmative*, ut *nullus homo est omnis homo* convertitur in istam: *nihil quod est omnis homo est homo*.

Et si sint aliqui modi inconsueti, tunc illi sunt reducibiles ad istas. — *Ib.* n. 7. — Vid. *Oxon.* d. 21. *per tot.*

Est notandum, quod *hypotheticis* non competit converti, sed solum propositionibus *categoricis*, quarum aliquae sunt de *inesse*, et aliquae de *modo*. Illarum de *inesse* quaedam sunt in quibus ponitur aliquis terminus *ampliativus* subiecti vel praedicati, ad supponendum non solum pro suppositis praesentis temporis, imo etiam pro suppositis possibilibus, praeteriti, vel futuri; aut etiam pro suppositis cuiuslibet temporis indifferenter. Aliquae sunt in quibus non ponitur huiusmodi terminus ampliativus; et illarum quaedam sunt in quibus ponitur aliquis terminus *obliquus*, et aliquae quarum quilibet terminus est *rectus*. — *Prior.* ib. n. 3.

Propositionum unitas. — Propositio est *una* in qua praedicatur *unum* de *uno*. — *Op. prim. sup. II. Perihem.* q. 7. n. 1. — Propositio dicitur *una* ex unitate extremorum. — Ad quod sciendum, quod in propositionibus *unitas* est proportionalis unitati in *rebus*; in rebus autem quaedam habent unitatem *simpliciter*, sicut quae sunt *entia simpliciter*; quaedam dicuntur *unum secundum quid*, ut quae ex talibus componuntur, sicut *domus*. — Similiter est in *propositionibus*. — *Op. prim. super II. Periherm.* q. 10. n. 4.

Propositionum veritas. — Ad *veritatem* propositionis requiritur, quod ratio subiecti sit in se vera et non includat contradictionem. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 8. — Ad *veritatem* propositionis non sufficit, quod qualitercumque ipsa significat, ita sit. Ideo dantur aliquae regulae. — *Prior.* I. q. 3. n. 12.

Prima est, quod ad *veritatem* propositionis *categoricae affirmativae*, et de *praesenti*, et de *inesse*, requiritur et sufficit *ita esse qualitercumque ipsa significat esse.* Verbi gratia, ad veritatem istius, *homo currit*, sufficit ita esse qualitercumque ipsa significat esse.

Secunda regula est, quod ad *veritatem* propositionis *affirmativae* de *praeterito* sufficit *ita fuisse qualitercumque ista propositio significat fuisse;* et non requiritur ita *esse*, quia ipsa significat fuisse.

Tertia regula, quod ad *veritatem* propositionis *affirmativae* de *futuro* requiritur *ita fore qualitercumque significat esse futurum:* ut ad veritatem istius, *Antichristus curret*, non requiritur *ita esse* qualitercumque ipsa significat, sed sufficit, quod ille *curret*, qualitercumque ipsa significat *fore.*

Quarta regula, quod propositio *affirmativa* de *possibili* ex eo est *vera*, quia *potest esse qualitercumque ipsa significat posse esse.* Verbi gratia, ista est vera: *aliquod potest esse quod numquam erit;* et ad veritatem istius non requiritur *ita esse*, nec *ita fore*, sed sufficit *posse esse* qualitercumque ipsa significat *posse esse.*

Quinta regula, quod ad *veritatem* propositionis de *necessario*, si sit de *praesenti*, requiritur *sic esse de necessitate qualitercumque ipsa significat necesse esse:* et si de *praeterito*, requiritur *sic fuisse de necessitate qualitercumque ipsa significat necessario fuisse;* et sic de *futuro* et *possibili* suo modo. — *Ib.* n. 13.

Et notandum, quod cum cuilibet propositioni *affirmativae* contradicat una *negativa*, *eadem erit causa veritatis affirmativae et falsitatis negativae contradictoriae.* Unde ad *veritatem* propositionis *categoricae negativae* de *praesenti* et de *inesse* sufficit *non ita esse qualitercumque per affirmativam sibi contradictoriam significatur esse;* et ita illa de *praeterito*, quod ad eius *veritatem* sufficit *non ita fuisse qualitercumque per affirmativam sibi contradictoriam significatur fuisse;* et debet intelligi, *significatur*, vel *significetur*, si sua contradictoria esset; quod ita conformiter potest dici de *negativis* de *futuro*, de *possibili*, de *necessario*, aut de *impossibili.*

Patet igitur unde propositio categorica habet causam *veritatis* et *falsitatis.* — *Ib.* n. 14.

Propositio particularis affirmativa duplex. — Notandum, quod *duplex* invenitur *propositio particularis affirmativa:* — *Quaedam* cuius praedicatum est terminus *discretus*,

ut dicendo: *quidam homo est Socrates;* et talis *particularis* sine aliquo addito non potest *converti simpliciter*, sed *per accidens* in unam *singularem*, ut in istam, *Socrates est homo.* Et dico notabiliter *sine aliquo addito*, quia si addantur istae dictiones *quod est*, tunc bene convertitur simpliciter in particularem affirmativam, ut in istam: *aliquid quod est Socrates est homo.* — *Prior.* I. q. 13. n. 2.

Alia est propositio *particularis*, cuius praedicatum *distribuitur*, ut ista: *quaedam Luna est omnis Luna*, et infert quamdam *universalem* de terminis transpositis, ut istam: *igitur omnis Luna est Luna;* cuius signum est quia dicta *particularis* significat *praedicatum* pro *quolibet* supposito dici de *subiecto* pro *uno* supposito subiecti. — *Ib.* n. 3.

Propositio particularis negativa duplex. — *Quaedam* est *particularis negativa*, cuius praedicatum est *distributum*, scilicet, quando praedicatum sequitur negationem, ut dicendo: *quidam homo non est asinus.* — *Alia* est cuius praedicatum *non distribuitur*, eo quod praecedit negationem, ut dicendo: *quidam homo animal non est.* — *Prior.* I. q. 15. n. 5.

Propositio per accidens. -- Logicus dicit *propositionem* esse *per accidens* cuius subiectum non includit rationem inhaerentiae praedicati. — *Oxon.* I. d. 26. n. 48.

Propositio per accidens multipliciter dicitur. — *Propositio tripliciter* dicitur *per accidens:* — *Uno modo* quando unum extremum est *accidens* alteri inhaerens, sicut patet hic, *homo est albus.* — Et adhuc sic propositio potest esse *per accidens tripliciter: Uno modo* quando *accidens accidit subiecto*, sicut hic, *homo est albus. Secundo modo* quando *subiectum praedicatur de accidente*, sicut hic, *album est homo.* Et *tertio modo* quando *accidens praedicatur de accidente accidentaliter*, sicut hic, *album est musicum.* Et dico *accidentaliter* pro tanto, quia in ista, *album est coloratum*, praedicatur *accidens in concreto de accidente in concreto*, et tamen non *per accidens*, sed *per se;* quia quodlibet superius rationem *quid* habet respectu inferioris.

Secundo modo dicitur *propositio per accidens* secundum quod distinguitur contra propositionem *primo veram;* et sic haec est *per accidens: Isosceles habet tres*, etc., quia haec non est *primo vera.*

Tertio modo dicitur *propositio per accidens* quando *praedicatum* significat eamdem essentiam cum subiecto, verumtamen est *extraneum intellectui subiecti;* et hoc modo haec est *per accidens: animal est homo;* et similiter cum *inferius* praedicatur de *superiori*, contigit enim tunc intelligere superius non intelligendo inferius. — *Poster.* I. q. 18. n. 3. — Vid. *Praedicatio per accidens triplex.*

Propositio per se. — *Propositio per se* est *quando unum extremum cadit* in *definitionem alterius.* — *Poster.* I. q. 16. n. 6. — Ad hoc quod *propositio* sit *per se* oportet, quod conceptus praedicati includatur in conceptu subiecti. — *Ib.* q. 20. n. 2. — Ad hoc enim quod aliqua *propositio* sit *per se* oportet, quod quidquid est in conceptu praedicati, seu *materiale*, seu *formale*, in conceptu subiecti includatur, loquendo de *primo modo.* — *Ib.* q. 23. n. 16. — Vid. *Dicere per se est dupliciter.* — *Praedicatio per se — per accidens.*

Propositio « per se » duplex. — Aliquam *propositionem* esse *secundum se* * (seu *per se*) * est *dupliciter:* vel *absolute*, vel *in comparatione. Absolute* quando proprium subiectum subiicitur respectu *suae passionis*, vel inferius respectu superioris. — *In comparatione* quando subiectum subiicitur respectu *accidentis.* — *Poster.* I. q. 28. n. 5.

Propositio per se nota. — Cum dicitur *propositio per se nota*, ly *per se* non excludit quamlibet causam, quia non excludit *terminos* propositionis; nulla enim propositio *per se nota* est exclusiva-notitiae terminorum, quia *principia prima cognoscimus inquantum terminos cognoscimus;* sed excluditur quaecumque causa et ratio quae est *extra per se conceptum terminorum* propositionis *per se notae.*

Dicitur igitur *propositio per se nota* quae *ex terminis propriis, qui sunt aliquid eius, ut sunt eius, habet veritatem evi-*

dentem. Et non propter aliquid aliud quod sit extra terminos proprios habet evidentiam, sed *ex se* tantum, ut *omne totum est maius sua parte*.

Ulterius, qui sunt illi termini *proprii*, ex quibus debet esse evidens? Dico, quod quoad hoc alius terminus est *definitio*, aliud *difinitum;* et hoc sive accipiantur termini propositionis pro vocibus *significantibus*, sive pro conceptibus *significatis*. — *Oxon*. I. d. 2. q. 2. n. 2.

Ex duobus declaratis infero * quod *, cum propositio sit *per se nota* quae *ex propriis terminis habet evidentem veritatem*, et alii termini sunt conceptus quidditatis *distincte*, ut importatur per *difinitionem*, et conceptus quidditatis *confuse*, ut importatur per *nomen*, sequitur quod propositio non est *per se nota* quidditate *confuse* accepta, quae non est nota nisi eadem *distincte* concipiatur per difinitionem.

Haec etiam eadem conclusio probatur: quia alias quaelibet propositio quae est *vera in primo modo*, ut *homo est animal, et corpus*, usque ad *substantiam*, esset *per se nota;* quod tamen non est verum. Nam si ratio utriusque extremi assignatur ex rationibus extremorum distincte conceptis, apparet manifestum, quod unum exstremum includit aliud. Similiter alias quaelibet propositio esset *per se nota* in scientiis specialibus; quam Methaphysicus posset habere *per se notam* ex definitionibus extremorum; quod non est verum, quia Geometer non utitur aliquibus principiis tamquam *per se notis*, quae habent evidentem veritatem ex terminis *confuse* cognitis: puta concipiendo lineam *confuse*, evidens est quod linea est *longitudo sine latitudine*, non concipiendo adhuc *distincte* ad *quod genus* pertineat linea, sicut considerat Methaphysicus. Alias autem propositiones quas Methaphysicus posset cognoscere, puta, quod *linea* est *species quantitatis continuae* distincta contra *superficiem* et *corpus*, et huiusmodi propositiones non habet Geometer pro *per se notis*.

Est igitur omnis et sola illa *propositio per se nota* quae *ex terminis sic conceptis, ut sunt eius termini, nata est habere evidentem veritatem complexionis*.

Ex hoc patet, quod non est distinguere inter propositionem esse *per se notam*, et *per se noscibilem*, quia idem sunt. Nam propositio non dicitur *per se nota* quia ab aliquo intellectu *cognoscatur per se*, tunc enim si nullus intellectus actu cognosceret, nulla propositio esset *per se nota;* sed dicitur *per se nota*, quia *quantum est de natura terminorum, nata est habere evidentem veritatem contentam in terminis, etiam in quocumque intellectu concipiente terminos:* si tamen aliquis intellectus non concipiat terminos, et ita non concipiat propositionem, *non minus* est *per se nota*, quantum est *de se;* et sic loquimur de *propositione per se nota*.

Ex his patet, quod nulla est distinctio de *per se nota in se* et *in nobis*, quia quaecumque est *in se* et *per se nota*, cuicumque intellectui est *per se nota*, licet non *actu cognita;* tamen quantum est ex terminis est *evidenter nota*, si *termini concipiantur*. Sicut patet de syllogismo perfecto, qui nullius indiget, ut appareat *necessarius*.

Item propter idem, non valet illa distinctio, quod aliquid est *per se notum sapientibus* vel *insipientibus;* quia hoc totum pertinet ad *conceptionem terminorum*, quae praesupponitur ad intellectum propositionis *per se notae*. Licet sic distinguat Boetius in *Hebdomadibus* communem conceptionem. Sed vel non est idem *propositio per se nota* et *communis animi conceptio*, vel ipse intelligit de *concepta*, non de *conceptibili* sub ratione terminorum distincte.

Nec illa distinctio valet, quod aliquae sunt *per se notae primi ordinis*, aliquae *secundi;* quia quaecumque *per se notae* propositiones, conceptis terminis propriis, sicut sunt termini eius, habent evidentem veritatem in ordine suo. — *Ib*. n. 3.

Propositiones non dicuntur *per se notae* quia extrema habent *maiorem necessitatem in se*, vel maiorem in *re* extra intellectum, quia extrema, ut sunt extrema talis propositionis, ostendunt evidenter compositionem esse conformem rationibus terminorum et habitudini eorum, et hoc qualecumque *esse* termini habeant, sive in *re*,

sive in *intellectu;* evidentia enim huius conformitatis est evidentia veritatis in *propositione,* quod est *propositionem* esse *per se notam.* Licet minor sit *necessitas* terminorum, non sequitur quod sit minor *evidentia* propositionum. — *Ib.* n. 9. — *Report.* I. d. 3. q. 2. n. 2.

Propositio per se — per accidens. — Vid. *Unum per se et per accidens metaphysice — logice.*

Propositio per se primo modo. — *Propositio* est *per se * primo modo ** quando *praedicatum et subiectum significant eamdem essentiam,* vel quando *praedicatum in intellectu essentiali subiecti includitur.* Sed tamen ultra hoc requiritur, quod illud quod subiicitur *natum sit* subiici, et quod praedicatur praedicari. Similiter requiritur causa sine qua non, scilicet, quod *sint modi proportionales,* sub quibus praedicatum inest subiecto. Unde per se quare propositio est *per se primo modo,* est ex hoc, quod *praedicatum cadit in definitionem subiecti,* vel *est tota quidditas subiecti;* causa sine qua non est correspondentia *determinata modorum significandi — Poster.* I. q. 19. n. 2.

Propositio per se secundo modo. — Illa *propositio* est *per se secundo modo* quando *subiectum cadit in definitionem praedicati* quod est *passio. — Poster.* I. q. 18. n. 4. — Vid. *Praedicatio per se secundo modo.*

Propositio scibilis. — Propositio *scibilis* est illa *cuius scientia acquiritur de novo per causam. — Poster.* II. q. 1. n. 2.

Propositio singularis quadruplex. — Quaedam est *singularis* de praedicato *discreto:* quaedam de praedicto *communi.* — Item quaedam est *affirmativa:* quaedam *negativa* (1). — *Prior.* I. q. 15. n. 3.

Propositio tripliciter considerata. — *Propositio tripliciter* potest considerari: — *Uno modo* inquantum est praedicabile de *hac* propositione et *illa,* et sic est *totum universale. — Alio modo* prout constituit orationem cum praedicato; et sic est *pars integralis totius propositionis. — Tertio modo* prout verificatur de *hac* *(*singulari*)* * propositione, et hoc est *totum integrale* sicut et *haec* propositio. — *Elench.* q. 52. n. 3.

(1) De quibus suis locis.

Propositio universalis negativa duplex. — *Duplex* est *universalis negativa:* — *Quaedam* cuius praedicatum *distribuitur,* ut *nullus homo est asinus. — Alia,* in qua praedicatum *non distribuitur,* ut quando praedicatum praecedit negationem, sicut ista: *Omnis homo animal non est. — Prior.* I. q. 12. n. 3.

Propositio universalis — particularis — indefinita — singularis. — Omnis propositio est *universalis, particularis, indefinita,* vel *singularis.* — Probatur: in propositione vel subiicitur terminus *discretus,* et sic est propositio *singularis:* aut terminus *communis;* et hoc *tripliciter:* vel terminus communis est *sine signo,* et sic est *indefinita;* aut *cum signo,* et hoc vel *universali,* et sic est propositio *universalis;* vel *particulari,* et sic est propositio *particularis* (1). — *Prior.* I. q. 4. n. 12.

Propositio universalis quadruplex. — Notandum, quod *quadrupliciter* invenitur propositio *universalis. — Quaedam* cuius praedicatum est terminus *discretus. — Alia* est propositio *universalis,* cuius praedicatum est terminus communis distributus *affirmative,* ut *omnis homo est omnis homo. — Alia* est *universalis affirmativa,* cuius praedicatum est terminus communis distributus *negative,* ut *omnis homo est nullus asinus. — Alia* est *universalis affirmativa,* cuius praedicatum est terminus communis *non distributus. — Prior.* I. q. 14. nn. 2. seqq.

Proprietarius — Usuarius. — *Proprietarius* tantum dicitur ille qui in habendo rem *nullo modo dependet ab alio. — Usuarius* autem qui in utendo re *dependet ab alio,* non est vere *proprietarius. — Oxon.* I. d. 12. q. 2. n. 3.

Proprietates relativae Dei ad creaturas. — *Proprietates relativae* infiniti Entis ad creaturas aut sunt proprietates *causalitatis,* aut *eminentiae.* — Causalitatis *duplicis:* aut *efficientis,* aut *finis.* Quod additur de causa *exemplari* non est aliud genus cau-

(1) De iis vid. *suis locis.*

sae ab *efficiente*, quia tunc essent quinque genera causarum. — *Oxon*. I. d. 2. q. 2. n. 10.

Proprium. — Accidens *proprium* est quod *soli speciei*, *et omni contento sub speciei inest*. — *Poster*. I. q. 26. n. 2. — *Proprium* est quod *accidit omni, soli et semper*. * (Ex Porphyrio, cap. 5 *Univers*.) *. Ista definitio est convenienter data: quia per primam particulam, scilicet, *accidit*, habetur ratio *praedicati* et *modus praedicandi*, scilicet, *in quale accidentale*. — Per *omni et soli et semper* habetur *convertibiliter*, et per has differentias descendit *universale* in *proprium*. — Est etiam haec ratio eadem illi quae ponitur ab Aristotele, I. *Top. cap*. 4.: *Proprium est praedicatum non praedicans essentiam convertibiliter*.

Sciendum est autem, quod *accidens* aequivoce est nomen *primae* intentionis et *secundae*. — *Primo* enim modo significat naturam *extra animam*, secundum quod Aristoteles *V. Metaph*. cont. 13., et inde, dividit *ens* in *substantiam* et *accidens*. — *Secundo* modo adhuc est aequivocum; uno enim modo idem est quod praedicatum *non essentiale*; et sic est idem quod *esse in*, secundum quod *esse in* distinguitur contra *dici de*, in principio *Praedicamentorum*, quia quod dicitur *de* est praedicatum *essentiale*; quod est *in* non est *essentiale*.

Alio modo est intentio quaedam sumpta *a proprietate in re*, sub quo et eius opposito intelligi potest illud cuius est accidens sine repugnantia.

De *accidente primo modo* non loquitur Logicus, nisi per *accidens*. — *Secundo modo* ponitur in definitione *proprii*. — *Tertio modo* est unum *Universale* distinctum contra alia *quatuor*. — *Super Univers*. q. 31. n. 2.

Proprium semper inest, ut patet ex praedictis; quia *proprium* egreditur ex principiis subiecti, et maxime a *forma*: non est autem possibile causam necessariam et immediatam alicuius poni, nisi ponatur effectus; et ideo quia semper inest subiecto sua forma, quia non est illud quod est nisi per illam, ideo *semper* sibi *inerit proprium*. — *Ib*. q. 33. n. 2.

Proprium est *Universale;* quia praedicatur de *pluribus;* est enim, secundum Aristotelem I. *Top*., praedicatum *conversim*, idest, convertitur cum illo cuius est *proprium:* illud autem est *Universale*, quia potest esse demonstrationis subiectum, quia omne *proprium* potest demonstrari de eo cuius est *proprium* per definitionem: Universalium autem est demonstratio, per Aristotelem I. *Posterior;* ergo si ipsum subiectum praedicatur de *pluribus*, et suum *convertibile* praedicatur de *pluribus*, quod est *Proprium*. — *Ib*. q. 30. n. 2. — Vid. *Accidentia ab extrinseco — ab intrinseco = Praedicari in quid — in quale*, etc.

Proprium — Accidens. — Sunt distincta universalia * *proprium* et *accidens* *, quia *accidentium* quaedam sunt ab *intrinseco*, et hoc vel ratione *materiae*, ut *quantitas;* vel * ratione * *qualitatum activarum*, sicut *qualitates sensibiles* posteriores: quaedam ab *extrinseco*, et hoc *dupliciter:* vel *manent* amoto illo extrinseco, ut *nigredo* ab *aestu*, vel *non manent*, ut *calor*, vel *figura aquae*, quae sibi derelicta redibit ad propriam naturam: nullum istorum est *proprium;* quia nullum istorum *convertitur*. Est enim defectus in aliqua trium particularum requisitarum ad *convertibilitatem*, vel in omnibus (1).

Est praeter haec *accidens* quod *inest speciei* ratione *formae*, ita quod forma speciei est eius per se et immediata causa; posita autem causa necessaria et praecisa et immediata, ponitur et effectus, et amota, amovetur: ideo *omni* habenti *formam* speciei *inest tale accidens*, et *semper;* et non habenti formam speciei, non inest tale; ergo est simpliciter *convertibile* cum specie, et potest per definitionem de ea demonstrari.

Proprium igitur, ut hic sumitur, est intentio applicabilis tantum *accidentibus* ultimis. — Sed *accidens*, ut est *quintum Universale*, applicatur tantum aliis prius enumeratis, quae dicuntur *accidentia communia*, vel quia *communiter* insunt subiecto et aliis; vel communiter, id est, *indifferen*-

---

(1) Vid. *Propositionum conversio*.

ter, insunt, et non insunt: sive sic, sive sic, non sunt *convertibilia*.

Sic igitur patet differentia istarum intentionum per se ex definitionibus earum; quia *proprium* est *praedicatum non essentiale, conversim*. Et ideo sub eius opposito non potest intelligi illud cuius est, sine repugnantia, quia intelligeretur immediata per se causa, et necessaria sub opposito sui effectus primi. — Sed *accidens* est quod *adest et abest, vel quod contingit eidem inesse et non inesse*, ut dicitur I. *Topic*. c. de *Accidente*, id est, sub quo et eius opposito potest intelligi illud cuius est, sine repugnantia; quod dicit Porphyrius de accidente *inseparabili*, de quo minus videtur quomodo abest vel adest, quia subiectum potest intelligi sub opposito, dicens: *potest enim corvus intelligi albus, et Ethiops nitens candore*. — *Super Univ*. q. 32. n. 2.

Ista, *proprium est accidens*, non est vera, sumendo *accidens* ut est *quintum* universale, nec ut est res *primae* intentionis, nisi praedicatione *per accidens*, in uno sensu aequivocationis, et hoc sumpto *proprio particulariter*. Est autem universaliter vera, sumendo *accidens* pro accidente *intentionali*, scilicet, pro accidente quod est idem quod praedicatum *non praedicans essentiam*. — *Ib*. n. 4.

Differentia est inter *accidens proprium* et *accidens commune* in hoc, quod *accidens commune* solum consequitur subiectum secundum quod quidditas subiecti *existit*; sed *accidens propium*, ut propria passio, consequitur quidditatem subiecti, non tantum ut existit, nec tantum ut intelligitur, sed *sive quidditas existat sive intelligatur*, passio istam quidditatem absolute consequitur. Et ideo est, quod *accidens commune* inhaerens subiecto praesupponit subiectum *esse*, et propter hoc ista est falsa, *semper homo canescit*, quia homo *non est semper; canescere* enim est *accidens commune*: sed *accidens proprium*, ut propria passio inhaerens subiecto, *non exigit* subiectum *existere*. — *Poster*. I. q. 14. n. 10.

Similiter hoc patet per Porphyrium; dicit enim, quod est differentia inter *accidens proprium* et *accidens consequens individuum*, in hoc, quod *accidens proprium* sic se habet ad subiectum, quod subiectum non potest intelligi *sub opposito* illius, licet subiectum possit intelligi *non intelligendo* illud. Sed de *accidente communi* aliter est; subiectum enim potest intelligi non intelligendo *accidens commune*; etiam potest intelligi *sub opposito accidentis communis*; possum enim intelligere *Aethiopem nitentem candore*, sine incomposibilitate intellectuum, sed non possum intelligere *hominem esse non risibilem*, sine incomposibilitate. Voco enim *accidens commune* quod consequitur subiectum ratione conditionum *materialium*, et non ratione *formae* speciei. — *Ib*. q. 25. n. 5.

Impossibile est istas duas intentiones, *proprium* et *accidens*, eidem rei *primae* intentionis applicari respectu eiusdem vel diversorum, quia quod alicui est *proprium* illi non est *accidens*, nec alicui alii, quia *convertitur* cum eo cuius est proprium, et ita alii non inest. — *Super Univers*. q. 36. n. 2.

Accidens proprium non opponitur ipsi *per se*, sed tantum ipsi *substantialiter; nam proprium accidens* sic *per se* inest subiecto, quod tamen est *extra essentialem* et formalem conceptum sui subiecti. — *Exposit. in Metaph. Arist*. lib. V. S. unic. c. 20. n. 163.

Proprium duplex. — *Proprium* est *aequivocum:* quia potest esse nomen *primae intentionis*, et sic opponitur *communi; potest* enim aliquid dici *proprium individui* sicut et *speciei;* et sic est *concretum* et a *proprietate* dictum. — *Alio* modo *proprium* est nomen *secundae intentionis*, significans intentionem secundam, scilicet, *praedicatum convertibile non praedicans essentiam*, ut definitur *I. Top. cap. 4.;* et sic est species *universalis;* quia *universale* descendit in ipsum per differentias per se divisivas eius, scilicet, *praedicari convertibiliter in quale accidentale*. — *Super Univers*. q. 30. n. 2.

Proprium opponitur *communi* ut est res *primae intentionis*, non autem ut est *secunda intentio*. *Proprium* autem respectu *speciei commune* est respectu *indivi-*

duorum sub specie contentorum, quia de illis dicitur ut de pluribus; non de specie cuius est proprium; quia *proprietas* est abstractum *proprii*, ut est nomen *primae intentionis*, non *secundae*. *Subiectum proprii* ut est *intentio* non est *species*, sed *res* aliqua *primae intentionis*, ut *risibile*; tamen illud cui applicatur intentio *proprii* potest esse in eo cui applicatur intentio *speciei*, ut *risibile* in homine. — *Ib.* n. 3-4.

Propter quid — quid est. — Quaestio *propter quid* quaerit de *substantia* rei. — *Physic.* I. q. 17. n. 7. — Quaestio *quid est* et *propter quid* quodammodo incidunt in idem, ut probatur *II. Poster.*; et ideo quaestio *quid est* potest transmutari in quaestionem *propter quid*; nam quaestio *quid est* quaerit de *quidditate* propter quam id de quo quaeritur *quid est* praedicatur de quolibet suo supposito; propter hoc enim *Socrates* est *homo*, quia convenit sibi id quo respondetur ad quaestionem *quid* est homo; idem ergo est quaerere quodammodo *quid est* homo et quaerere *propter quid* Socrates est homo. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 17. n. 142.

Proximus. — Illa responsio Christi ad Pharisaeum, *quid est proximus?*, debet sic intelligi: *proximus* dicit relationem aequiparantiae, sicut amicus, vel frater; igitur si faciens misericordiam est proximus, quod habebatur ex responsione Pharisaei, sequitur, quod ille cui facta est misericordia habebatur apud eum tamquam proximus: non erat autem gentis suae, nec sibi ligatus ex natione, sed extraneus ex patria; igitur quilibet, quantumcumque extraneus, cui ego possum servire in necessitate, est habendus ut *proximus*. Et hoc est quod dicit ibi Salvator: *Vade, et tu fac similiter*, id est, habe pro *proximo* omnem cui potes bene facere, etiamsi sit tibi extraneus. — Non igitur *bene faciens* est tantum proximus; sed etiam potens *bene pati* a nobis: et hoc sive passione exteriori, sive bona dilectione passiva, quae est motus interior. Et hoc modo Beati, quibus non possumus bene facere, possunt bene diligi, et esse *proximi*. Deus autem, licet bene diligatur, non tamen ex dilectione alicuius potest addi sibi aliquod bonum, et ideo non comprehenditur sub *proximo*. — *Oxon.* III. d. 30. n. 13. — *Proximus* est quilibet cuius amicitia est grata dilecto, ut, scilicet, ab eo diligatur. — *Ib.* d. 28. n. 5.

Prudentia. — Sic definitur *prudentia XI. Ethic.* cap. 6.: quod *est recta ratio agibilium*. — * Haec * definitio debet intelligi de *ratione agibilium*, id est, *directiva circa agibilia perfecte et immediate et in particulari*. — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 1. n. 14.

Definitio *prudentiae* * (*habitus activus cum ratione vera, VI. Ethic.* c. 6) * debet intelligi de habito activo *proximo*, qualis est habitus acquisitus ex actibus; unde sicut circa factibilia *ars* se habet ad habitum experti, ita circa agibilia se habet *scientia moralis* ad habitum *prudentiae*, quia habitus *artis* et *scientiae moralis* quasi sunt *remoti* ad dirigendum, quia *universales*; sed habitus *prudentiae* et *experti*, quia generati sunt ex actibus, sunt *particulares* et *propinqui* ad dirigendum.

Ista expositio est necessaria, alioquin nulla esset scientia *practica*, quia quaecumque est habitus activus vel factivus cum ratione vera. — *Oxon. Prol.* q. 4. n. 41.

Prudentia est habitus directivus in agibilibus directionem rationis eliciens. — *De Anima*, q. 12. n. 10.

Habitus generatus ex dictaminibus, sive circa *fines* quosdam, particulares saltem, qui sunt proprii fines virtutum moralium, sive circa *media* ordinata ad illos fines, est proprius *prudentiae*. — *Oxon.* III. d. 36. n. 20. — Nam de finibus propriis virtutum moralium dictatur discurrendo a principio practico sumpto a fine universali ad particulares; et ille discursus est prima consiliatio, licet communius dicatur *consilium* de mediis virtutum. — *Ib.* n. 19.

Prudentia * igitur * non solum est circa *media* ordinata ad consequendum finem ultimum, sed etiam dictando *de ipso fine*, saltem *particulari*, puta de *castitate*. Igitur non est ita proprie restringenda, ut tantum sit habitus circa *media* ordinata, dictata ad consequendum finem particularem electum. — *Ib.* n. 18.

Sicut *ars* respicit *factibilia*, ita *prudentia agibilia*. — *Ib.* n. 22. — *Prudenia*, si sit perfectissima, est de omni agibili, et quantum ad omnem conditionem agibilis perfectissima notitia. — *Ib.* d. 34. n. 7.

Prudentia quodammodo est *regula aliarum virtutum*, pro quanto ipsa vel actus eius praecedit generatione habitum et actum virtutis moralis. Ex ista prioritate actus et habitus moralis conformatur sibi, tamquam priori, et non e converso. — *Ib.* d. 33. n. 19.

Sicut virtuosus, obiecto ostenso, inclinatur ad recte agendum ex recto habitu, ita etiam per *prudentiam* ordinatus est ad statim recte dictandum circa illud eligibile, et quasi imperceptibiliter deliberat propter promptitudinem eius in syllogizando practice; alius autem imperfectus cum difficultate et mora syllogizat practice; et si tandem recte eligat, non dicitur repentine agere, sed morose; et alius perfectus quasi repentine agere respectu illius, quia agit quasi in tempore imperceptibili. — *Ib.* n. 23.

Prudentia — Scientia. — Sicut *prudentia* est habitus inclinans ad *consiliandum* de vero *agibilli* complexo *contingenti*, ita *scientia* est habitus ad *speculandum* de vero complexo necessario, *non agibili*. — *Collat.* I. n. 3. — Vid. *Beatitudines = Spiritus Sancti Dona = Habitus intellectuales quinque = Habituum divisio = Intellectus excaecatio a malitia fit dupliciter.*

Pulchritudo. — Vid. *Actus bonus naturaliter — moraliter, etc.*

Pulsus. — Vid. *Motus naturalis — violentus.*

Punctus. — *Punctus* est *cuius pars non est habens positionem in continuo.* — *Physic.* VI. q. 3. n. 4. — Vid. *Scientiarum certitudo.*

Punctus in actu — in potentia. — Non est aliud punctum in *potentia* quam *ipsa continuatio* in qua potest signari actu punctum; nec est aliud punctum in *actu* quam *privatio continuationis.* — *De rer. princip.* q. 21. n. 5.

Punctus — Unitas. — *Punctus* est indivisibilitas *magnitudinis; unitas multitudinis.* — *Super. Praedic.* q. 17. n. 6.

Punibile. — Vid. *Imputabile.*

Punitio. — Vid. *Correctio — Punitio.*

Putrefactio. — *Putrefactio* potest describi, sicut Aristoteles ipsam describit, sic: quod *est corruptio caliditatis propriae in humiditate propria a caliditate aliena vel frigiditate aliena.* Sed nota, quod forte non est sufficiens descriptio, et convertibiliter se habens cum descripto — *Meteor.* IV. q. 1. n. 40.

Q

Quadratum. — Dicitur *quadratum* figura □ *ex quatuor lateribus aequalibus, cuius anguli sunt quatuor recti.* — *Exposit. in Metaph.* lib. I. S. 2. c. 2. n. 54.

Quaestio. — Omnis *quaestio* aliquid certum supponit, et aliquid dubium quaerit, ex *VII. Metaph.* c. ult. — *Oxon.* I. d. 26. n. 27.

Intelligendum est, quod ad *quaestionem tria* requiruntur, et ista sufficiunt. — *Primum* est, quod id de quo quaeritur sit *dubitabile* quantum est de se. — *Secundum* est, quod *quaeribile* aliquid *praesupponat.* — *Tertium* est quod ipsum *habeat medium* per quod demonstrari possit. — *Poster.* II. q. 2. n. 2.

Ante omnem quaestionem de aliquo oportet istam praecognitionem habere, quid scilicet dicitur per nomen. — *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 3.

Quale — Qualitas. — *Quale* a *qualitate* tantum differt in *modo significandi:* quae differentia licet prohibeat praedicationem unius de altero, non tamen sufficit ad distinguendum *genera*, vel ad faciendum aliquid esse in diversis generibus. — *Super Praedic.* q. 11. n. 6.

Ratio *qualitatis* secundum quod est generalissimum est quod secundum ipsam aliquid dicitur *quale.* — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 6. n. 14. — Vid. *Entis divisio = Dispo-*

sitio = *Praedicamenta decem* = *Quid* = *Simile.*

Quale quid — Hoc aliquid. — Vid. *Fallacia figurae dictionis.*

Qualitas multiplex. — Sicut est *actus duplex*, *primus*, qui facit ens simpliciter in actu, et *secundus*, qui praesupponit ens in actu, et tantum facit ens in actu *tali* (1), sic est *forma duplex*, et *qualitas duplex;* et ita a *qualitate duplici duplex* est *modus qualis.* — *Super Univers. Porph.* q. 28. n. 2.

Duplices sunt *qualitates:* quaedam *primae* et consequentes primas; aliae *secundae* et consequentes formas substantiales. — *Physic.* I. q. 13. n. 12.

Duplices * iterum * sunt *qualitates:* quaedam quae dependent in *fieri* et in *conservari* ab agentibus, non simpliciter loquendo, sed ab agentibus *sic* vel *sic* se habentibus: ut *lumen* et *species coloris.* — Aliae sunt quae dependent ab agentibus in *fieri*, et non *conservari:* ut *frigiditas*, *caliditas*, et huiusmodi *qualitates* habentes *contrarium.* — *Physic.* III. q. 4. n. 8.

Qualitatis Modi seu Species. — ***Qualitatem autem dico secundum quam quales dicimur. Est autem qualitas eorum quae multipliciter dicuntur: et una quidem species qualitatis est habitus et dispositio. Aliud vero genus qualitatis est secundum quod simpliciter quaecumque secundum naturalem potentiam vel impotentiam dicuntur. Tertia vero species qualitatis est passibilis qualitas et passiones. Quartum vero genus qualitatis est forma, et circa aliquid constans figura.*** * (Aristot. *Praedic.* Cap. de *Qualitate*) *.

Aristoteles non assignat *species qualitatis;* quia istae species quatuor non sunt *subalternae*, nam de nullis duabus earum potest vere dici, quod quidquid est in una est in alia, vel e converso; ergo si istae essent *species*, essent non subalternae; et tales diversas praedicari de eodem est impossibile; sed has possibile est praedicari de eodem, quia possibile est eamdem qualitatem essentialiter esse *radicatam in subiecto*, et ita *habitum*, et esse *principium naturale faciliter operandi* vel *non faciliter*, et esse per se *obiectum sensus.*

Sed assignat *modos* eius (1); quod patet per litteram eius, antequam haec enumeret; dicit enim: *Qualitas est eorum* quae *multipliciter dicuntur*, id est, *multis modis;* et in fine, his enumeratis, dicit: *et fortasse quidam alii apparent qualitatis modi, sed qui maxime dicuntur hi sunt.* — *Super. Praedic.* q. 36. n. 2.

Sustinendo * autem *, quod Aristoteles enumerat *species* Qualitatis et non *modos* tantum, potest dici, quod istae differentiae, *faciliter mobile* vel *difficulter*, *esse principium operandi* vel *non inferre passionem sensui*, *exterius disponere subiectum*, sunt differentiae *accidentales* generi *qualitatis;* quibus tamen Aristoteles utitur pro differentiis *essentialibus*, quia differentiae essentiales sunt ignotae; et ita illae formae quae subsunt primo istis differentiis sunt quatuor *species* qualitatis.

Et iste modus dicendi non multum differt a priori * (quo tenetur Philos. solum numerare *modos*) *, nisi in hoc, quod secundum *priorem modum* non oportet concedere istos quatuor *modos* consequi per se *distinctas* species *qualitatis*, quin plures possint inesse eidem qualitati secundum speciem. Sed *secundo modo* dicendo, oportet ad minus concedere, has differentias, quamvis *accidentales*, esse *proprias* quatuor distinctis speciebus *qualititatis*, ita quod sicut illarum specierum una non dicitur de alia, neque ambae de aliquo eodem, ita et istarum differentiarum nulla dicatur de alia, neque duae de aliquo eodem; quia *proprium* dicitur *universaliter* de eo cuius est, et *tantum.*

Dicendum hoc secundo modo, sicut prius, concedendo has differentias esse *accidentales*

---

(1) Vid. *Actus primus* — *secundus.*

(1) « Secundum veritatem illa divisio *qualitatis* in quatuor species non est proprie generis in *species*, sed est tantum secundum quosdam *modos* diversos convenientes diversis qualitatibus. Et forte eidem qualitati in se secundum essentiam possent competere plures modi, qui ponuntur in diversis qualitatibus ». — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 14. — « Qualitas respectu substantiae potest dici *modus*, et tamen in se est vera res ». — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 43. — Vid. *Species* — *Modus.*

quae hic assignantur; tamen *formae* quas istae differentiae consequuntur, tamquam proprietates earum, sunt *essentialiter qualitates*.

Sed ad distinguendum has differentias ab invicem, potest dici, quod tam *forma* quam *figura* (1) est *exterior dispositio rei; tam passio* quam *passibilis qualitas* est *per se immutativa sensus;* tam *potentia naturalis* quam *impotentia* universaliter est naturale *principium agendi* vel *patiendi;* et istae tres *differentiae* dicuntur ita distinctae, quod nulli qualitati eidem insunt.

Prima autem species * (*habitus-dispositio*) (2) * non videtur sumi per aliquam differentiam *positivam*, distinctam ab his tribus, sed per *privationem* cuiuslibet istorum, ita quod illa qualitas, qua sibi inest, nulli istarum differentiarum subest, quae est quasi tantum qualitas; quia nulla differentia nota, quam superaddit qualitati, est neque *essentialis*, nec proprie *accidentalis* dicta in prima specie *qualitatis;* istae enim differentiae, *faciliter mobiles* a *subiecto*, vel *difficulter*, non sunt ita distinctae ab aliis, quin possint dici de eadem qualitate, de qua aliqua illarum differentiarum dicitur. Sed adhuc qualitati existenti in prima specie istae differentiae accidunt, et per has distinguuntur *habitus* et *dispositio* praecise sumpta ab invicem.

Istud patet in exemplo: *scientia* et *virtus* et *sanitas radicata* vel *non radicata* in *subiecto*, et huiusmodi, neque sunt *exteriores* dispositiones rei, neque *per se sensibilia* (3), neque *innata principia operandi* vel *patiendi* (4), neque est alia differentia positiva nota quam ista superaddunt *qualitati;* ergo videntur tantum esse qualitates, ut per illam praecisionem distinguantur ab aliis speciebus quae superaddunt differentiam notam, et tamen inter illas, quae sunt primae speciei, *radicatas* et non *radicatas*, est differentia per *faciliter mobile* et *difficulter*. — *Ib.* nn. 13-14.

Differunt *species*, quae intelliguntur per *accidentales* hic assignatas differentias; sed nec illae sunt differentiae proprie *specierum*, nisi sumantur *cum praecisione*. Sic puta, tota *qualitas* sic dividatur, alia est dispositio *interior*, alia *exterior*. Exterior, *non primo sensibilis*, et sic est *figura*, et sic est *quarta species;* aut *primo sensibilis*, et sic est *tertia species*. Si interior dispositio, aut est *innatum principium operandi*, et sic *secunda species;* aut interior dispositio *non innatum principium operandi*, et sic *prima species*.

Intelligendum est semper per istas differentias *accidentales* differentias *essentiales* specierum. Sic patet qualiter una species includit differentiam privativam respectu *alterius* speciei, et sic semper una superior species debet sumi *cum praecisione* respectu inferioris. — *Ib.* n. 15.

Hoc secundo modo dicendo, potest aliquo modo salvari ordo specierum: quia *prima* species est *communissima;* quaecumque enim qualitas, non habens aliquam differentiam alicuius aliarum specierum, potest poni in hac *prima* specie *, quae est *habitus* vel *dispositio* *. — Post hanc *secunda* * (*potentia* vel *impotentia*) * *prior* est aliis: quia consequitur naturam rei, tamquam suam causam. — Et *tertia* * (*passio* vel *passibilis qualitas*) * post hanc, quamvis de eius ratione non sit inesse a natura; communis tamen disponit subiectum in *profundo* et in *superficie*. — *Quarta* est *ultima* * (*forma* — *figura*) * per privationem omnium istarum; nec enim est *communior* in genere *qualitatis* caeteris speciebus, id est, *plures* species *qualitatis* continens, licet forte pluribus *subiectis* insit; nec est *innatum*, quia *figura* potest variari circa subiectum, nulla facta variatione in natura; nec est dispositio in *profundo*, sed tantum *exterior;* ideo rationabiliter ponitur postrema.

Secundum hanc viam dicendum, quod convenienter distinguuntur *species qualitatis:* non primae forte, quia sunt tantum duae, sed proximae primis; et hoc intelligendo per istas differentias illas *qualitates* quarum istae sunt *propriae*, licet *accidentales*. — *Ib.* n. 17.

Non enumerantur hic omnes species *qualitatis*, sicut Aristoteles dicit in littera;

(1) Vid. *Forma — Figura*.
(2) Vid. *Habitus — Dispositio*.
(3) Vid. *Passio — Passibilis qualitas*.
(4) Vid. *Potentia — Impotentia*.

sed species magis *famosae*; quia nec istae sunt primae species, nec forte duae dividunt idem genus primo, et aliae duae aliud genus. — *Ib.* n. 20.

Circa notificationem *qualium*, videtur quod in notificatione *qualitatis* sit circulus; primo enim dicitur, quod *qualitas est secundum quam* QUALES *esse dicimur*, et secundo: *qualia* dicuntur quae denominative dicuntur a *qualitatibus;* et sic mutuo utrumque per alterum notificatur. — Sed forte primà notificatio est per *nobis* notius, secunda per notius *simpliciter;* neutra tamen notificatio est *definitio.*

Notandum etiam, quod Aristoteles dicit *qualia* dici denominative a *qualitatibus*, nisi ubi vel non sunt nomina imposita *qualitatibus*, ut est de *qualitatibus secundae* speciei; vel ubi nominibus existentibus impositis non sumuntur directe ab eis denominativa, ut a *virtute* dicitur aliquis *studiosus*, ubi tamen istud *quale* ab alia qualitate directe sumitur. — *Ib.* n. 22. — * *Per totam quaestionem praedicta fusius et bene exponit., quae et ex sequentibus magis patent* *.

Dicit * Philosophus *, quod *uno modo dicitur quale differentia substantiae*, id est, *differentia substantialis* (1), qua substantialiter ab aliquo distinguitur; et ex hoc *differentia* dicitur praedicari *in quale*, ut si quaeratur *qualis* figura est *circulus?* respondetur quod *agonon*, id est, *carens angulo, quasi differentia secundum substantiam, existente qualitate*, id est, quod ex hoc patet, quod *differentia substantialis* est quaedam *qualitas;* nam illud per quod respondetur ad interrogationem factam per *quale* videtur esse quaedam *qualitas*. Concludit ergo, quod *uno itaque modo dicitur qualitas differentia substantiae*, id est, *differentia substantialis.*

Sed est dubium, quare istum *modum qualitatis* ponit hic Philosophus et in *Praedicamentis* praetermisit? Dicitur, quod Philosophus in *Praedicamentis* agit de ipsis *Praedicamentis*, et de his quae in *Praedicamento* continentur. Quia igitur *qualitas* isto modo non continetur sub *Praedicamento Qualitatis*, ideo ibi praetermisit istum *modum;* hic autem, quia agit de *significatione nominum* pertinentium ad considerationem huius scientiae * (Metaphisicae) *, ideo loquitur de *qualitate* isto modo, cum nomen *qualitatis* uno modo significet *differentiam substantialem*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib V. S. un. c. 13. n. 105.

Alio modo dicuntur *qualia mathematica immobilia*, quae abstrahunt a motu; *magnitudines* enim et *numeri* sunt quaedam mathematica, in quibus utimur nomine *qualis; sic numeri quidem dicuntur quales*, inquantum sunt *compositi et non solum ad unum entes.*

Dicuntur numeri *quales* secundum quamdam imitationem *superficiei*, quae habet duas dimensiones, longitudinem et latitudinem, inquantum numerus ducitur in numerum eumdem, vel alium uno ductu, ut dicendo *bis duo, bis tria;* quia per hoc quod dicitur *tria* designatur prima dimensio; per hoc quod dicitur *ter tria* designatur secunda dimensio. Iste modus *qualitatis* est *quarta* species quae ponitur in *Praedicamentis*, scilicet *forma*, vel *circa hoc aliquid constans figura.* — *Ib.* n. 106.

Alio modo dicuntur *qualitates* quaecumque *passiones earum substantiarum quae moventur* et alterantur secundum huiusmodi passiones, *ut calor et frigiditas, et albedo et nigredo, et gravitas et levitas*, et quaecumque talia *secundum quae corpora permutantium*, id est, de numero permutabilium, *dicuntur permutare* motu scilicet alterationis; et ista est *tertia* species *qualitatis*, scilicet *passio* vel *passibilis qualitas.* — *Ib.* n. 107.

Cum autem quantum ad *tertiam* speciem distinguatur *qualitas* in qualitatem *sensibilem* et in qualitatem quae est *species* sive *intentio* qualitatis sensibilis, notandum est, quod *intentio* non dicitur hic illud *in quod tendit* sensus, quia hoc modo ipsum obiectum esset *intentio;* sed *intentio* hic dicitur illud *per quod*, tamquam per principium *formale*, in obiectum *tendit* sensus: illa dicitur *intentio* quae non est tantum res, in quam tendit sensus, sed est

---

(1) *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 3.

ratio tendendi in alterum, cuius est propria similitudo. — *Oxon.* II. d. 13. n. 3.

Alio modo dicitur *qualitas* vel *quale secundum virtutem et vitium, et omnino bonum et malum,* id est, ista dicuntur *qualitates,* per quae aliquid *disponitur* vel per *vitium* vel *virtutem.* Et intelligitur per *bonum malum,* scilicet, per *scientiam* et *ignorantiam, sanitatem* et *aegritudinem, continentiam* et *incontinentiam;* et haec est *prima* species *qualitatis,* quae est *habitus* vel *dispositio.*

Notandum, quod hic Philosophus praetermittit *secundam* speciem *qualitatis;* cuius ratio est, quia illa species est *potentia* vel *impotentia,* qua aliquis disponitur ad *faciliter* agendum vel faciendum; talis autem potentia vel impotentia potest reduci ad *tertium* vel ad *quartum* modum potentiae, ut dictum est supra *capite de potestate* (1); et ideo in loco isto ipsam praetermittit. — *Exposit.* etc. *ib.* n. 107.

Reducit dictos modos ad *duos* principales, dicens, quod *fere* itaque *dicitur quale secundum duos modos,* ita quod alii duo ad istos reducuntur. — *Horum* autem dicitur *qualitas uno* modo *principalissime,* scilicet, *prima qualitas,* quae secundum *primum* modum dicitur *differentia specie,* id est, *differentia substantialis* et *specifica.* — Et ad hunc *modum* reducitur *qualitas* quae est *in numeris* et in aliis *mathematicis;* ideo subdit, quod *huius* modi *est quaedam pars qualitas quae est in numeris; nam differentia quaedam substantiarum,* id est, quod huiusmodi qualitates sunt differentiae *substantiales mathematicorum,* et dicuntur *mathematicae sustantiae,* forte secundum opinionem Platonicorum et Pythagoricorum, qui mathematica rerum *substantias* posuerunt. Sunt autem huiusmodi *qualitates* differentiae substantiarum aut *non motarum,* aut *non inquantum sunt mota;* quod dicit propter hoc, quod quantum ad propositum non differt sive mathematica sint quaedam substantiae per se exsistentes separatae a motu, sive insint substantiis mobilibus secundum *esse,* separatae autem secundum *considerationem;* nam primo modo essent qualitates *non motarum;* secundo vero *motarum,* licet non inquantum mota.

Subdit autem quantum ad *secundum* modum principalem dicens: *hae autem dicuntur qualitates passiones motorum inquantum mota, et etiam differentiae motuum;* quia, scilicet, secundum has differunt alterationes quae sunt secundum huiusmodi qualitates, puta, *calefieri* et *infrigidari* secundum *calidum* et *frigidum.* — Ad hunc autem modum reducitur ille quo *virtus* et *vitium* dicitur *qualitas;* hic enim modus est quaedam pars *passionum.* Et reddit causam, quia, scilicet, *virtus* et *vitium* ostendunt quasdam *differentias motus et actus* secundum *bene* et *male, secundum quos motus et actus faciunt aut patiuntur, aut bene aut prave quae sunt in motu;* nam *virtus* est secundum quam aliquis se *bene* habet ad agendum vel patiendum: *vitium* autem secundum quod *male;* ideo dicit, quod *possibile namque sic moveri aut agere,* scilicet, secundum *virtutem,* est *bonum; quod autem et contrarie pravum.* Et subdit, quod *maximum bonum* et *malum,* id est, habitus secundum quos aliquis disponitur *bene* vel *male,* puta, *scientia* et *ignorantia, sanitas* et *aegritudo* maxime *significant quale,* id est, *qualitatem in* rebus *animatis;* quia maxime in his reperiuntur, sicut patet, *et horum maxime in habentibus prohaeresim,* id est, *electionem,* cuiusmodi sunt animalia participantia rationem; nam inter animata ista sunt magis capacia talium habituum, ut apparet quantum maxime in habitibus animae, sive sint morales, sive intellectuales. — *Ib.* n. 108.

* *Sequentia adhuc accipias maioris claritatis gratia* *:

Tripliciter aliquis terminus dicitur de praedicamento *qualitatis:* — *Uno modo* quia est praedicabilis de prima substantia *in quale,* et per ipsum potest responderi convenienter ad quaestionem de prima substantia quaerentem, *quale est hoc;* et isto modo pertinent ad praedicamentum *qualitatis* termini concreti, ut *album* et *nigrum.* — *Secundo modo* pertinent ad praedicamentum *qualitatis* abstracta huiusmodi con-

---

(1) Vid. *Potentia* in suis acceptionibus.

cretorum, ut *albedo, nigredo.* — *Tertio modo* termini superiores praedicabiles *in quid* de huiusmodi concretis et abstractis; et sic ad praedicamentum *qualitatis* spectant huiuscemodi termini, *quale, qualitas,* et huiusmodi; unde per istum terminum *quale* non respondetur ad quaestionem, qualis *est homo,* sed iam quando quaeritur hoc supponitur. — *Quarto modo* potest addi quod termini privativi, scilicet, qui privative opponuntur huiusmodi terminis positivis, pertinent ad praedicamentum *qualitatis* isto quarto modo: ut isti termini, *caecum, surdum, tenebrosum,* et consimiles.

Species qualitatis non distinguuntur secundum rationes *quidditativas* a quibus sumuntur, sed distinguuntur penes diversos *modos* et proprietates attributas quandoque qualitatibus eiusdem speciei specialissimae. — Et si quaeratur, quae sunt illae proprietates? Dico, quod sunt istae: si aliquis terminus supponat pro qualitate quae per se et proprie nata est immutare sensum, tunc, si ille sit sumptus ab illa ratione, secundum hoc pertinet ad *tertiam* speciem qualitatis. — *Secundo,* omnes termini qui *appropriate* dicuntur de qualitatibus, ut de numeris, et magnitudinibus, pertinent ad *quartam* speciem qualitatis, ut *par, impar, rectum, curvum,* et huismodi. — *Tertio,* illi termini pertinent ad *primam* vel *secundam* speciem qualitatis qui supponunt pro qualitatibus quae sunt *virtutes* vel *vitia* subiectorum, in quibus sunt ita quod disponant vel inclinent ad bene vel male operandum; tunc termini significantes qualitates, sumpti ab ista ratione, sunt de *prima* specie qualitatis, vel de *secunda;* differenter tamen, quia si huiusmodi qualitas *acquisita* sit post generationem, tunc pertinet ad *primam* speciem: sed si *innata* sit a generatione, tunc pertinet ad *secundam.* — *Physic.* VII. q. 4. nn. 2-3.

Ex quibus sequitur, quod *eadem* qualitas numero est in *tertia* specie qualitatis, et cum hoc in *prima.* Nam *caliditas* * ex. gr. * secundum quod est nata immutare sensum est de *tertia* specie; sed secundum quod suum subiectum disponitur per ipsam ad bene operandum vel male, secundum hoc pertinet ad *primam* speciem; et secundum hoc vocatur alio nomine, ut *sanitas* vel *aegritudo:* et si sit innata, ut caliditas in igne, tunc vocatur *naturalis potentia.* — *Secundo* sequitur, quod ratio a qua sumuntur termini de *prima* specie qualitatis et de *secunda* includunt in se quosdam respectus, scilicet, ad sua subiecta, et ad operationes suorum subiectorum. — *Tertio* sequitur, quod ad qualitates de *prima* vel *secunda* specie est per se motus, quemadmodum ad illas de *tertia,* quia sunt eaedem qualitates. — *Ib.* n. 4. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 32. — d. 17. q. 2. n. 7. — II. d. 3. q. 9. n. 16. — d. 13. n. 3. — IV. d. 6. q. 10. n. 15. seqq. — *Quodlib.* q. 13. n. 25.

Qualitatis proprietates. — Iuxta *primam* proprietatem, quae est *recipere contraria,* notandum, quod *qualitatibus mediis* inter contraria est unum extremum contrarium, contrarietate *transumptive* dicta, quae est differentia secundum speciem, et consimiliter contrarietate *proprie* dicta, sed *diminuta:* tum quia aliter non posset esse motus ab extremo in medium, vel e converso, cuius oppositum habetur ab Aristotele in *V. Physic. text. com. 6 et 9:* tum quia medium aliquid participat utriusque extremi, et ita utrique extremo contrariatur incomplete, pro eo quod habet in se de reliquo. Sed nihil est eis contrarium contrarietate *completa* et *proprie* dicta; quia eodem modo contrariatur utrumque extremum medio; et non possunt contrariari duo eidem contrarietate completa et perfecta, secundum quod dicitur *X. Metaphysicae. text. com. 14* (1). — *Super Praedic.* q. 36. n. 23. — Notandum * autem * quod quaedam sunt qualitates habentes contrarium, ut *caliditas* et *frigiditas* et consimiles; aliae sunt quae non habent contrarium, ut *lumen* et species coloris et aliqui actus animae. — *Physic.* III. q. 3. n. 4. — Ex quibus sequitur, quod impossibile est *caliditatem* et *frigiditatem* stare *simul* sub gradibus contrariis, ita quod praecise tantum sit de caliditate quantum de frigitate; nisi sub gradibus mediis caliditatis a summo ad non gradum. — *Ib.* q. 5. n. 8.

---

(1) Vid. *expos. Doctoris,* sum. 2. c. 2.

Iuxta *secundam* proprietatem, quae est *suscipere magis* et *minus*, *notandum*, quod *essentia qualitatis* quae significatur in abstracto non suscipit *magis* et *minus*, secundum quod dicitur in littera, quod *iustitia* non dicitur *magis* iustitia, nec *Grammatica magis* Grammatica, et hoc quia *essentia* qualitatis, sicut et cuiuslibet formae, est *indivisibilis*, per *Auctorem sex Principiorum*, *in principio*; et *indivisibile* non suscipit *magis* et *minus*. Sed *denominative* dicta a quibusdam *qualitatibus* suis suscipiunt *magis* et *minus*; unde aliquis dicitur *iustior* vel *Grammaticior* altero, ut dicitur in littera, et ita ipsa forma *informando subiectum* suscipit *magis* et *minus*, licet non in *essentia*, quia unum subiectum *plus* participat formam, quam aliud. — *Super Praedic. ib.* n. 24.

De *tertia* proprietate *qualitatis*, quae est, quod *secundum eam dicitur aliquid simile* vel *dissimile*, notandum, quod *simile* et *dissimile*, licet sint propria generi *qualitatis*, sunt tamen ut species in genere *relationis*, hoc est, ut *denominative* dicta a speciebus *relationis*, quia *similitudo* est per se *relatio*, et *simile* per se *relativum*. Sic intelligendum est de *propriis* aliorum generum, quae non sunt in illo genere ut species.

Consimiliter sunt intelligenda secundum *aptitudinem*; licet enim aliquid secundum aliquam qualitatem quam habet non dicatur *simile*, si nihil aliud quam eamdem qualitatem habeat, non eo minus convenit haec proprietas illi qualitati, quia secundum illam qualitatem aliquid *natum est* dici *simile* alteri. — *Ib.* n. 31.

Quando. — Vid. *Praedicamenta decem* = *Tempus*.

Quantitas. — Quantitas est *dispositio inhaerens substantiae, secundum quam partes substantiae ab invicem distant, et sunt extra se invicem.* — *Physic. I.* q. 8. n. 8.

Dicit * Philosophus *, quod *quantum dicitur quod est divisibile in ea quae insunt*, id est, partes suas *proprias* et *inexistentes*; *quorum utrumque aut singulum est aptum natum esse unum aliquid*, id est, *eiusdem rationis*, *et esse hoc aliquid*, id est, *individuum quantitatis* (1).

Notandum, quod in ista ratione sive descriptione *quanti* ponuntur *tres* particulae: — *Prima* est, quod *sit divisibiles in partes quae insunt.* — *Secunda* particula est, quod utraque pars aut singula, in quas dividitur *quantum*, sit *unum aliquid*, id est, *eiusdem rationis*, in *toto* et in *partibus*; et per hoc differt a divisione corporis *heterogenei*; nam *quantum* ut quantum est totum *homogeneum*, nam quaelibet pars *quanti* est *quanta*. — *Tertia* particula est, quod utraque pars sit apta nata *esse hoc aliquid* de se; et per hoc differt divisio *quanti* a divisione *compositi* in partes *essentiales*, scilicet, in *materiam* et *formam*; nam nec materia, nec forma est apta nata esse de se *hoc aliquid* et *individuum*. — *Exposit.* in *Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 12. n. 100.

Quantitas est *genus*, quia praedicatur de *pluribus differentibus specie, in quid*, ut de quantitate *continua* et *discreta*; quia quaesito *quid* de utroque eorum convenienter respondetur: *quantitas*. Et est *generalissimum*, quia non habet genus superveniens, nihil enim de eo praedicatur in *quid*, nisi *ens*, quod non est *genus*. Et est *unum genus*, quia secundum *unam rationem* dicitur de omnibus suis speciebus. — *Super Praedicam.* q. 17. n. 2. — * *Ib.* et seqq. quaestion. multa habet de *quantitate* *. — Cf. *QQ. Metaph.* l. V. qq. 9 et seqq. — Vid. *Dispositio* = *Entis divisio* = *Positio* = *Praedicamenta decem*.

Quantitas continua — discreta. — Quantitas primo dividitur in *continuam* et *discretam*. — Quantitas autem *continua* dividitur in *permanentem* et *successivam*. — *Quodlib.* q. 6. n. 3. — *Report.* I. d. 19. q. 3. n. 8. — *Oxon.* I. d. 31. n. 7. — Dicit ergo * Aristot. *, quod *multitudo est aliquid quantum*, id est, quantitas *discreta*, *si fuerit numerabilis*; *magnitudo autem* dicitur quantitas *continua*, *si fuerit mensurabilis*; et hoc intelligendum est *passive*; nam *passive numerari* pertinet ad quantitatem

---

(1) Vid. *Super Praed.* q. 17. n. 3.

discretam, et *mensurari* ad *continuam*, licet *mensurare active* derivetur ex quantitate *discreta* ad *continuam*, ut habetur *X huius, text. com. 3, et inde;* nam ratio *mensurae* prius competit quantitati *discretae* (1). — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. un. n. 101. — Vid. *Aequalitas in Divinis.*

Quantitas dimensiva — perfectiva. — *Quantitas* est *duplex:* quaedam *dimensiva*, quaedam *perfectiva.* — *Prima* quantitas solum est in genere *quantitatis; secunda* vero in *omni genere* et in *omni forma* habente gradus; et hoc modo reperitur *quantitas* in *gravitate* et *levitate* et *velocitate* et huiusmodi; unde comparata ad invicem habent rationem *quantitatis*, secundum quod mutuo se excedunt in gradu talis formae. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 1. c. 2. n. 10.

Quantitas infinita. — Vid. *Infinitum.*

Quantitas per se — per accidens. — Dicit * Philosophus *, quod *alia dicuntur quanta secundum se; alia secundum accidens: ut linea quidem est quanta secundum se, musicum vero per accidens.*

Eorum quae sunt quanta secundum se alia sunt secundum substantiam, id est, significantur per modum *substantiae* et subiecti; vel alia sunt *secundum substantiam*, id est, *substantialiter quanta*, et in *primo modo dicendi per se, ut linea*, nam in definitione *lineae* ponitur *quantitas;* nam *linea* est *quantitas continua.* Similiter est de aliis, puta, de *superficie*, et de *corpore;* nam si ista definiantur, in eorum definitione habet poni *quantitas.* — *Alia* per se pertinent ad genus *quantitatis*, quae sunt *passiones et habitus talis substantiae*, id est, talium quae sunt *substantialiter quantitas:* puta, *lineae*, *superficiei*, etc., ut *multum et paucum*, *productum et breve.*

Notandum quod isti duo *modi* sic distinguuntur: quia secundum *primum* aliqua dicuntur pertinere ad genus *quantitatis directe*, ut subiecta; secundum autem modum *secundum* dicuntur pertinere quaedam *indirecte*, ut passiones. Patet per exempla quae inducuntur, nam *linea* et *superficies* sunt *subiectum*, et similiter numerus; *paucum* et *multum*, *productum* et *breve*, etc. sunt *passiones.*

Eorum quae dicuntur *quanta secundum accidens* (1), * alia sic dicuntur * per hoc quod *insunt* subiecto *quanto*, et ideo dicuntur *quanta* ratione *subiecti.* — Aliqua dicuntur *quanta per accidens, ut motus et tempus;* nam *motus* est quaedam *passio* mobilis, et *tempus* est *passio* motus, *tempus* enim est divisibile et continuum propter motum, *motus* autem propter magnitudinem mobilis et spatii in quo est motus. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 12. nn. 102, 103, 104.

Quantitas realis — rationis. — Sicut *duplex* est *relatio*, una *realis*, et una *rationis* (2), sic *duplex* est *quantitas*: una *realis*, quae est *continua extra animam;* alia *rationis*, quae est *discreta in anima*, quam anima mensurat per aliquid sui; et illi potest anima nomen imponere, quod primum significabit illam quantitatem in anima, et denominative praedicari potest de quantitate extra animam, cuius partes sunt *haec, haec, haec;* et anima potest uti illa quantitate intellectuali ad mensurandum aliam extra animam, sicut si esset omnino *realis*, et sic quantum ad actum mensurandi tantae efficaciae est vel maioris, sicut si esset extra animam, et secundum haec illa quae sunt extra animam realiter possunt mensurare et mensurari. — *Report.* I. d. 24. n. 24.

Quantitas tripliciter sumpta. — Accipiendo nomen *quantitatis* largo modo, *triplex* accipitur *quantitas* in rebus: — Aliquando pro unitate sive *perfectione* et gradu naturae et essentiae rei: secundum quem modum dicimus, quod illa res est *maior* quae habet *verius* et *perfectius esse* naturae et essentiae, ut *Angelus* * dicitur *maior* * quam *homo*, *aqua quam terra*, *aer* quam *aqua;* et sic ascendendo per gradus entium; et ista maioritas vel minoritas talis quantitatis non solum invenitur in una *specie* respectu

(1) Vid. *Mensura.*

(1) « Aliquid esse *quantum* per *accidens*, sive per aliud, est dupliciter: *effective* vel *formaliter* ». — *Super Praedic.* q. 23. n. 6. = Vid. *Praedicatio per se primo modo.*

(2) Vid. *Relatio realis — rationis.*

alterius, immo in uno *individuo* respectu alterius (1). — *Secundo* modo dicitur *quantitas* rei *extensio*, quam habet ex numero suarum partium, sive sit *continuum*, sive *discretum*; sive continuum *permanens*, sive *successivum*. — *Tertio* modo dicitur *quantitas* pro *duratione* essendi. — *De rer. princip.* q. 22. nn. 2-5. — Vid. *Aequalitas in Divinis.*

Quantum sine modo quantitativo. — Esse *quantum sine modo quantitativo* est habere positionem partium in toto sine ordine partium totius ad partes corporis continentis. — *Report.* IV. d. 10. q. 1. n. 13.

Quid. — *Quid* quandoque quaerit *definitionem*: quandoque quaerit *illud de quo aliquid dicitur.* — *Primum* patet ex *I. Topic: definitio est oratio indicans quid est esse rei.* — *Secundum* etiam patet per Philosophum, *X. Metaphysicae: totaliter quaerendum est, quid unum; quemadmodum* et *quid ens, tamquam non sufficiens, quia ipsum istius natura.* Intendit dicere, quod non sufficit dicere ipsum *unum* esse principium, sicut aliqui antiqui Philosophi ipsum *unum* esse principium dicebant, sicut Platonici; sed *aliquid de quo dicitur unum;* et secundum hoc quaestio ista * ex. gr. * *quid est elementum, duplicem* habet responsionem: unam assignando elementi *definitionem:* aliam assignando *illud de quo dicitur elementum,* puta *ignis* est elementum. — *Oxon.* I. d. 25. n. 3.

Quidditas. — *Quidditas* rei est *entitas per se rei.* — *Elench.* q. 1. n. 2. — Apud Philosophum *quidditas* dicitur *forma* frequenter. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 13. — *Quidditas* est quo aliquid est *ens quidditative.* — *Ib.* I. d. 5. q. 2. n. 14.

Quidditas communicabilis duplex. — Est *communicabilis* quidditas quae est *perfectio simpliciter*, aut *divisibilis.* Prima enim communicatur in *unitate* naturae: secunda communicatur cum sui *divisione.* — *Oxon.* I. d. 26. n. 46.

Quidditatem habere est tripliciter. — Aliquid habet quidditatem *per se et primo:* aliquid *per se,* sed *non primo;* et aliquid *per accidens* generaliter. — In his quae habent quidditatem per se et primo *quod quid est* est per se primo idem cum eo *cuius* est: habenti autem quidditatem per se non primo idem est *quod quid est* per se, non primo: habenti vero quidditatem per accidens solum *per accidens* est idem quidditas. — *Oxon.* III. d. 22. n. 17.

Quid nominis — Quid rei. — Licet idem sit *quid nominis* et *quid rei* in habentibus *quid rei,* tamen prius cognoscimus aliquid esse *quid nominis* quam *quid rei.* Primum enim cognoscitur cognoscendo illud nomen esse intelligibile et significabile: secundum cognoscendo istud esse alicuius possibilis esse in effectu, et ex ratione eius possibili concipi et signari potest concludi aliquid posse subesse illi conceptui, et per consequens illam rationem exprimere verum *quid est.* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. n. 8. — Vid. *Cognitio quid est — si est.*

Quid — Partes quidditativae — Habens quid. — *Quid* proprie non est nisi *universalis,* et ideo *simul totum* * (*individuum*) *, in quantum tale, non habet *quid.* — Dicuntur autem aliquae *partes quidditativae* eius, quae non sunt implicite quidditativae, cuiusmodi sunt istae, quas includit ultra quidditatem specificam. — *Habens quid* potest intelligi vel pro illo quod *primo* habet, et illud est *commune;* vel pro isto quod habet *per se,* sed non *primo,* quia, scilicet, participat illud, cuiusmodi est *singulare.* — *QQ. Metaph. lib.* VII. q. 16. n. 5.

Quid — Quale — Simile. — Etsi uno modo *quid* approprietur generi *substantiae,* et eodem modo *idem* et *diversum,* quae consequitur *quid,* inquantum *quid* fundatur in substantia, et *aequale* in unitate *quantitatis* stricte acceptae, *simile* in unitate *qualitatis,* tamen alio modo accipiendo in *omni* genere invenitur *quid,* accipiendo rem illius generis *praecisissime;* et invenitur *quale* accipiendo formam in isto genere in ratione *formae;* et invenitur *quantitas virtualiter;* et sic in *omni* genere invenitur *idem, simile,* et *aequale.* — Et hoc modo possunt habentes relationes *unius* speciei dici *similes* secundum unitatem *unius* rela-

(1) Vid. *Aequalitas — Identitas — Similitudo = Aequalitas in Divinis. = Quantitas dimensiva — perfectiva.*

tionis, sicut habentes unam formam substantialem secundum speciem possunt dici *similes* secundum substantiam. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 5.

Quies. — *Quies* proprie accepta non est nisi *privatio motus.* — *De rer. princ.* q. 20. n. 7. — Quia *quies* non est nisi privatio alicuius successionis partis post partem, secundum quod vult Philosophus, *V. Physic.* (1), ubi tractat de contrarietate *motus* et *quietis*, quod *quies* est *privatio motus.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 4. n. 10. — Cf. IV. d. 48. q. 2. n. 16. — Sicut *moveri* est aliter se habere nunc quam prius, ita *quiescere* est *nunc se habere sicut prius.* — II. ib. q. 7. n. 3. — *Quiescere* localiter nihil aliud est quam *habere continue idem ubi quod prius;* et *moveri* nihil aliud est quam *habere aliud et aliud ubi.* — *Ib.* IV. d. 10. q. 2. n. 26. — Vid. *Motus* — *Quies.*

Quies intus — extra. — Non est omnino simile de *quiete intus* et *extra;* quia quodcumque receptivum quietatur *intra* aliquo finito recepto, sed *extra* sive terminative non oportet quod finito quietetur, quia ad perfectius *extra* potest ordinari, quam possit in se recipere formaliter; quia *finitum* non recipit *formam* nisi *finitam*, tamen bene habet *obiectum infinitum.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 6.

Quies multiplex. — Praemitto quoddam *exemplum*, quomodo, videlicet, *corpora diversimode* quietantur. — *Ultimus terminus quietis* gravium corporum est *centrum* (2). Huic autem *centro*, tamquam *terminò ultimo*, adhaeret aliquod corpus grave *per se* et *primo:* puta *terra*, quae non per naturam alterius corporis adhaeret, a quo participet gravitatem et istam adhaesionem. — Aliquod autem corpus adhaeret centro *per se*, sed non *primo*, quia adhaeret per *gravitatem* et adhaesionem participatam a terra; *per se* tamen adhaeret, quia per formam *intrinsecam*, et firmiter, quia est quasi intrinsecum terrae, quae primo quiescit, utpote *lapides* et *metalla* in visceribus terrae; et talia, licet non *primo*, tamen *perfecte* quiescunt, quia perfecte coniuncta sunt centro, mediante primo quiescente, cui sunt perfecte coniuncta. — Aliquod corpus *tertio modo* adhaeret centro mediante terra, cui unitur; sed *mobiliter*, et non *firmiter:* ut grave aliquod existens in superficie terrae; et tale, licet quiescat ad aliquod tempus, non tamen ita determinatur ad quietem sicut corpus quiescens secundo modo. — *Quarto modo* potest aliquod corpus adhaerere uniformiter corpori proximo, et respectu illius quiescere, et tamen non quiescere respectu *universi*, si illud, cui proximo adhaeret, non uniformiter adhaereat centro: Verbi gratia, de homine iacente in *navi.*

Corporis *ponderi* correspondet *voluntas* in spiritualibus; quia sicut corpus *pondere*, sic animus et voluntas *amore* fertur quocumque fertur, ut ait August. *XI. de Civ. Dei cap. 28. Centrum*, quod ex natura sui est ultimate quietativum, est *finis ultimus* secundum veritatem. Huic centro voluntas *divina primo* et *per se*, quia non participatione alicuius alterius a se, *immobiliter* et *necessario* adhaeret, quia ipsa voluntas non per habitum, nec per actum differentem a se, nec in virtute alicuius causae superioris perfectissimae amat illud summum bonum et necessario. Unde ait ille Sapiens (1), *quod Deus est sphaera intellectualis, cuius centrum ubique est, et circumferentia nusquam.* — In *secundo gradu* est voluntas *creata beata*, quae non *primo*, sed participando a Deo; *per se* tamen, quia per formam *intrinsecam*, adhaeret *firmiter* huic bono, et hoc quia facta est quasi intrinseca voluntati primo quiescenti, quia in eius beneplacito semper manens. — In *tertio gradu* est voluntas *iusti viatoris*, qui licet innitatur divinae voluntati. et mediante illa summo bono,

(1) Vid. exposit. Doct. ad text. 53. n. 21. et lib. VIII. ad text. 71. n. 22.

(2) « Est verbum metaphoricum dicere quietari grave in centro; habet enim tantum actionem quae est motus gravis; non tamen circa centrum habet operationem, et ideo non coniungit se centro ». — *Oxon.* IV. d. 49. q. 8. n. 6. — « Universaliter tales similitudines ex motibus, applicando ad operationes, non valent; sed oportet relinquere quidquid imperfectionis est in motu ». — *Ib.* q. 4. n. 8.

(1) Hermes et Emped.

in quo quiescit ipsa voluntas, tamen non *firmiter* adhaeret illi bono vel beneplacito istius voluntatis; unde nunc adhaeret illi, nunc avertitur ab illo. Sed hoc est quoddam dissimile in corporibus *tertii membri*, quia ibi manente forma qua corpus quiescit, potest ipsum non quiescere; hic oportet formam qua quiescit destrui, simul cum aversione voluntatis a centro suo. — In *quarto gradu* est peccans *mortaliter*, qui licet quantum est ex parte actus voluntatis se quietantis vehementer inhaereat alicui alii a Deo, ita quod nec mediante illo, nec immediate inhaeret Deo, tamen ex parte obiecti non potest simpliciter quietari; immo sicut quiescens respectu *navis*, et non respectu *centri*, non quiescit simpliciter, quia non quiescit respectu ultimi quietantis in universo, ita voluntas quietans se quantum potest in aliquo obiecto alio a Deo, non simpliciter quietatur; quia non respectu huius quod ultimate et perfectissime est in universo quietativum voluntatis. Quod etiam patet, quia ibi voluntas numquam satiatur, quantumcumque firmiter se immergat in illud, propter se amando illud. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. nn. 2. 3. — *Report.* ib. q. 4. n. 2.

Quietatio beatifica. — *Quietatio* est in perfecta assecutione obiecti. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 4. n. 8. — Talis quietatio naturae, loquendo de totalitate *extensiva*, requirit, quod quidquid est in natura quietabile quietetur. Sed inter illas quietationes una est quietatio simpliciter ipsius naturae, quae, scilicet, est quietatio simpliciter nobilissima in illa natura, inquantum quietabilis est. — Dico ergo, quod sicut sunt aliqua multa pertinentia ad actum primum alicuius, ita possunt esse multae quietationes illorum multorum, et unica totius, totalis totalitate extensiva includens illas multas, sed illorum omnium est unica, quae est ultimata quietatio in obiecto, quae et sola est simpliciter totalis quietatio naturae, loquendo de totalitate *extensiva*. — *Ib.* q. 3. n. 9. — Vid. *Beatitudo naturae — potentiae, etc.*

Quilibet. — Vid. *statim*

Quodcumque — Omnis — Quilibet. — Hoc signum *quodcumque* non est tantum *distributivum*, sed etiam *partitivum;* ita quod ad veritatem * propositionis * *universalis* cuius subiectum distribuitur per *quodcumque* sufficit sigillata attributio praedicati cuicumque singulari, ita quod non omni singulari simul, sed cuicumque *indifferenter;* et non opportet quod aliis. — *Omnis* autem non sic significat, sed significat subiectum *simul* accipi pro quolibet respectu praedicati (1). — De hoc autem signo *quilibet* est dubium, utrum significet idem cum eo quod est *omnis*, vel cum eo quod est *quicumque.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 26.

« Quod quid erat esse » dupliciter accipitur. — Aristoteles *aequivoce* videtur loqui de hoc quod est *quod quid erat esse;* nam quandoque per *quod quid erat esse* intelligit ipsam rationem sive *definitionem* exprimentem rei *essentiam;* et tunc loquitur magis *logice.* — Quandoque per *quod quid erat esse* intelligit ipsam *rei essentiam,* quae per definitionem exprimitur; et tunc loquitur magis *realiter* et *metaphysice.* — *Exposit. in Metaph.* l. VII. S. 2. c. 2. n. 22.

Quod quid est — Cuius est. — *Quod quid* rei potest comparari ad illud *cuius est per se et primo,* et ad illud cuius est *per se,* et *non primo,* et universaliter eo modo quo est alicuius, eo modo est idem sibi. — Habens autem *quod quid est* potest intelligi vel ipsa *natura* cuius est *primo quod quid est,* vel *suppositum* naturae cuius est *quod quid est per se,* licet non *primo.* — *Primo modo quod quid est* tam in materialibus quam in immaterialibus est idem cum eo *cuius est,* etiam *primo,* quia *primo* habet *quod quid est.* — *Secundo modo* habens non est idem ipsi *quod quid est primo,* quia *quod quid est* non est eius *primo,* pro eo quod habens illud includit entitatem aliquam extra rationem eius quod est *quod quid est primo.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 20.

Dico *ergo*, quod in *non constitutis cum materia* (hoc est, cum non entitate individuali contrahente quidditatem) idem est *quod*

(1) Vid. « *Omnis* » *dupliciter sumptum = Omnis — unusquisque — Aliquis.*

quid est primo cum eo *cuius est;* quia tale *cuius est* nullam rationem includit extra rationem eius quod est *primo quod quid est.* — In *constitutis* autem *cum materia* (hoc est cum entitate individuali contrahente quidditatem) non est idem *primo quod quid est* cum eo *cuius est;* quia sic acceptum primo non habet *quod quid est ex se,* sed tantum *per partem,* scilicet, per naturam quae contrahitur, scilicet, per illam entitatem individualem. — *Ib.* n. 21. — Cf. ib. q. 7. n. 6. — III. d. 22. n. 11. — *Quodlib.* q. 2. n. 21.

Quod — Quo. — Cuicumque *quo* correspondet proprium *quod* vel *quis.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 38. — d. 4. q. 2. n. 3. — *Esse* autem *quo* convenit alicui secundum eius rationem formalem. — *Ib.* d. 2. — ib. n. 46. — Quodlibet causatum habet ista aliquo modo distincta, eo modo quo nullum creatum est purum esse. — *Ib.* IV. d. 12. q. 3. n. 35.

R

Radius rectus — fractus — reflexus. — Vid. *Lumen essentiale — accidentale.*

Rarefactio. — Vid. *Condensatio — Rarefactio.*

Raro — Frequenter — Ut in pluribus. — Non dicitur aliquid fieri *raro,* vel *ut in pluribus,* quia ipsum in se contingat *frequenter,* vel *raro;* frequentius enim *lapis* * ex. gr. * cadens frangit caput quam *luna* eclipsatur; sed ista differentia debet intelligi per *comparationem* alicuius *effectus* ad *suam causam.* — Et dicitur ille effectus eveniens *in maiori parte* qui habet causam *determinatam* ad suum eventum quae *ut in pluribus* producit effectum. — *Raro* dicitur evenire quando non habet causam suam determinatam ad suum eventum, sed tantum provenit ex aliqua causa ordinata ad alium effectum, impedita tamen ab illo effectu ad quem ordinatur, et tamen ex tali impeditione provenit istud *raro.* — Accipitur etiam *raro,* vel *ut in pluribus,* prout disiungit inter opposita *contradictoria,* non prout inter *disparata* disiungit. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 29.

Rarum — Densum — Asperum. — Notandum, quod *rarum* et *densum, asperum* et *lene, uno modo* significant extensionem partium *quantitativarum;* et sic idem corpus compressum, et non compressum, potest esse *rarum* et *densum,* ut patet de *lana* et *spongia.* — *Alio modo* significant extensionem partium *materiae,* prout *rarum* dicitur quod multum habet de *forma* et parum de *materia,* et *densum* e converso. — *Primo modo* haec forte significant *positionem* (1), quia dicunt ordinem partium in toto et in loco. *Secundo* modo forte significant *qualitates.* — *Super Praedic.* q. 36. n. 21. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. I. S. 3. c. 3. n. 105.

Ratio agentis — agendi. — Alia potest esse ratio *agendi* et alia ratio *agentis.* — *Singularitas* est conditio *agentis,* non ratio *agendi;* sed *ratio agendi* est ipsa *forma* existens in singulari, secundum quam singulare agit. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 15. — Cf. *ib.* q. 7. n. 39.

Ratiocinium. — Vid. *Intellectus operatio triplex.*

Ratio dupliciter sumitur. — Quod aliquid dicatur *ratio* potest intelligi *dupliciter:* — *Uno modo,* quia est *modus* illius cui comparatur, et non *res* tali realitate, sicut Boetius vocat *habitudines circumstantias,* et non *res,* quia non habent talem realitatem qualem habent illae quarum sunt circumstantiae; et quanto aliquid recedit a *realitate* perfecta, tanto magis accedit ad *rationem.* — *Alio modo* aliquid ut accipitur sub *ratione formaliter* potest dici *ratio* vel *ens rationis:* sicut si *homo* ut universale dicatur esse *ratio,* pro quanto consideratus sub *universalitate,* quae est per se *ratio.* — *Quodlibet.* q. 3. n. 9. — Potest * igitur * intelligi *ratio* ut *ratio* oppo-

(1) Vid. *Positio.*

nitur *rei* sive enti extra animam. — *Alio modo* potest intelligi *ratio* idem quod *modus* sive *circumstantia* rei, secundum Boetium. — *Ib.* n. 21.

Ratio formalis duplex. — *Ratio formalis* alicuius potest intelligi *dupliciter:* — *Uno modo* quod sit *quo* aliquid est *formaliter tale;* ut *calor* est *formalis ratio quo* aliquid est *calidum*, et *similitudo ratio formalis qua* aliquid est *simile*, et *albedo qua* aliquid est *album*. — *Alio modo* accipitur *ratio formalis* alicuius pro *causa proxima elicitiva* alicuius effectus, vel causa fundamenti proxima alicuius: sicut dicimus, quod *calor* est *formalis ratio calefaciendi*, et *albedo disgregandi* et *assimilandi*. — *Report.* IV. d. 10. q. 3. n. 35. — * Seu aliis verbis *:

Formalis ratio potest intelligi dupliciter: primo *proprie* pro ratione formali *proxima:* secundo pro *remota, large* sumendo *rationem formalem* pro ratione *fundamentali* remota: sicut *calor* dicitur formalis ratio agendi, et *albedo* fundamentaliter dicitur ratio formalis essendi simile, pro tanto, scilicet, quod calor est principium *quo* agens agit, et albedo similitudinis: *similitudo* autem est ratio formalis propinqua *similis*. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 3. n. 5.

Ratio intelligendi — intellectivi — intelligibilis. — Declaro quid intelligo per *rationem intelligendi, intellectivi*, et *intelligibilis*. — Et dico, quod illud quod *praecedit* actum *secundum* tamquam actus *primus* ex parte intellectus est ratio *intelligendi* intellectivi. — Ratio intelligendi ex parte obiecti *intelligibilis* est *ultima dispositio* ex parte intelligibilis disponens ut *intellectio* sequatur: necessario enim ad intellectionem concurrunt *intelligens* et *intelligibile*. — *Report.* II. d. 3. q. 3. n. 10.

Ratio intelligendi praecisa. — *Ratio intelligendi praecisa* potest accipi *dupliciter*: Vel sic, quod intelligit * (Angelus) * se *praecise per essentiam*, ita quod *nihil aliud* intelligit *per essentiam*, nisi se: vel ex praecisione *modi*, sic, quod cognoscit se *per essentiam*, et quod *nullo modo alio* posset se intelligere. — *Report.* II. d. 3. q. 3. n. 12.

Rationale. — *Rationale* est aequivocum *nobis* et *Intelligentiis* * (Angelis) *, ipsae enim intelligunt per species *innatas;* nos autem per *acquisitas;* ideo non egent sensibus ad scientias, nos vero indigemus, per Aristot. *I. Poster. in principio;* quia omnis nostra cognitio hortum habet a sensu. Praeterea ipsae intelligunt complexa *sine discurso;* nos vero *cum discursu*, ut dicitur *III. de Anima* context. 14; *omne nostrum intelligere est cum continuo tempore* (1). — *Super Univers. Porph.* q. 29. n. 4.

Rationale — Sensibile. — *Rationale* et *sensibile* possunt *dupliciter* considerari: — *Uno modo* secundum quod *rationale* imponitur ab *ultimo gradu perfectionis* in homine, et *sensibile* ab alio gradu. Et isto modo differentia inferior non includit superiorem, quia iste gradus non est ille, sed ab illo distinctus. — *Alio modo* potest *rationale* considerari, non secundum quod imponitur ab ultimo gradu, sive ultima forma, sed secundum quod imponitur a *tota perfectione* in homine, quae perficit substantiam, quod est genus generalissimum. Et illo modo *rationale* includit *sensibile* et omnes differentias praecedentes, quia in illa tota perfectione includitur pars. — *Poster. I.* q. 24. n. 5. — *Ib.* q. 23. n. 16.

Rationale tripliciter accipitur. — *Rationale* accipitur dupliciter: — *Uno* modo *stricte* et *primo;* et sic convenit soli *intellectui*. — *Alio* modo non stricte nec primo, sed *simpliciter;* sic convenit etiam *voluntati*. — Sed *tertio appetitui sensitivo* non convenit per essentiam, sed *transumptive*. — *Oxon.* III. d. 33. n. 4.

Ratio seminalis. — Vid. *Semen — Ratio seminalis.*

Reatus. — Vid. *Macula — Reatus.*

Recordari — Reminisci. — Notitiam correspondentem actui de praeteritis voco *recordari;* cuius obiectum est praeteritum *secundum quod praeteritum est.* Sed non quod-

(1) Ideo excluditur ab Angelis discursus requirens successionem *temporis;* minime vero discursus proprie dictus, pro quo, iuxta Doctoris sententiam (*Oxon.* Prol. q. 3. (4 lat. n. 27.) sat est ordo *naturae*, « scilicet, quod principium discursus sit naturaliter prius notum, et ut sic sit causativum alterius extremi discursus ».

cumque obiectum praeteritum est obiectum *memoriae*, sive actus recordativi, sed tantum *actus praeteritus recordantis*, inquantum praeteritus est, dicitur principium et immediatum obiectum *memoriae*. Posito enim quod cognoscam me esse natum, non tamen *recordor* nativitatis, et non est recordatio, quia actus nativitatis meae non occurrit memoriae, quia non est obiectum immediatum istius recordationis. Ponatur autem per oppositum, quod recorder te sedisse heri, non tamen modo cognoscam te qui sedebas; ratione actus *praeteriti*, scilicet, quia *vidi* te sedentem, est *recordatio*. Ex quo patet, quod *actus recordantis praeteriti, secundum quod praeteritus est*, est obiectum *recordationis*. — *Report.* IV. d. 45. q. 3. n. 2; * *ubi plura habet de memoria intellectiva, quam ultra sensitivam esse in homine luculenter ostendit* *.

In hoc tamen est differentia inter *reminisci* et *recordari:* quia *reminisci* est eius quod prius cecidit et delectum est a memoria, et ita est actus intrinsecus et discontinuatus; sed *recordari* est eius quod prius fuit in memoria imperfecte, sed actus iteratus facit ut eius memoria perfecte habeatur. — *Ib.* n. 9.

Recordatio semper est *praeteritorum* et *absentium*, *recordatio* enim nihil aliud est quam cognitio secunda, ut si aliquid sit primo cognitum, postea oblitum, et iterum ad memoriam reductum; unde dicitur *relatio*, quasi *ante latae rei recordatio*. — *Gramm. spec.* n. 101.

Recordatio — Memoria. — Ex hac ratione nominis, *recordatio est cognitio seu cogitatio actus alicuius praeteriti ipsius recordantis, et hoc inquantum praeteriti*, sequuntur quaedam ex hoc quod dicitur *praeteriti*, quaedam autem ex hoc quod talis *obiecti*.

Ex hoc enim quod *praeteriti* sequuntur primo *quatuor* certa. — Quorum *primum* est illud, quod potentia recordativa habet actum *post tempus*, alioquin non esset *praeteriti ut praeteriti*. — Et istud dictum Philosophi, quod *memoria habet actum post tempus*, debet intelligi *per se*, ita quod actus recordandi *per se* succedit recordato: sunt autem haec verba sua: *post tempus memoria omnis fit*. — *Secundum*, quod *percipit fluxum temporis* inter illud instans vel tempus, in quo fuit illud quod est *obiectum* recordationis, et instans praesentis *perceptionis*. — *Tertium*, quod obiectum recordationis quando obiicitur recordationi *non est in se praesens*, quia tunc non esset recordatio eius ut *praeteriti*. — *Quartum*, cum oporteat obiectum aliquo modo esse praesens ad actum, et non potest esse in se praesens, oportet quod sit praesens *per speciem*. Et tunc potentia recordativa erit conservativa speciei, et hoc loquendo de *totali* potentia requisita ad recordationem (1). — *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 5.

Ex recordatione autem illius *obiecti* speciali, scilicet, actus praeteriti ipsius recordantis, sequuntur *quatuor* certa. — *Primum* quidem est, quod recordatio erit *duplicis obiecti:* unius *remoti* vel ultimi, scilicet, alicuius circa quod recordans quandoque habuit actum humanum; et alterius ut *proximi*, scilicet, actus humani et praeteriti tendentis in obiectum illud (2). — *Secundum*, quod, cum oporteat potentiam recordativam *habere speciem*, et hoc loquendo de tota integra requisita ad recordationem, et non possit illa imprimi ab obiecto quando non est, vel quando non est in se praesens, necesse est eam imprimi ab obiecto quando est actu praesens: illud autem obiectum proximum est actus humanus praeteritus; ergo dum ille fuit *imprimebatur species necessaria*. — *Tertium*, quod nullus potest habere recordationem, nisi de actu proprio, et hoc *humano;* quia per solum illum cognitum ut obiectum *proximum* cognoscitur obiectum eius ut obiectum *remotum;* et per consequens non potest recordari actus eiusdem rationis in alio, cuius in seipso recordatur. — *Quartum*, cum non possit imprimi actus humani praeteriti species in aliam potentiam, nisi cuius ille actus est obiectum, sequitur, quod oportet *actum cognoscendi praeteritum* esse *obiectum potentiae recordativae*. — *Ib.* n. 6. — *Report.* ib. nn. 2.

---

(1) Cf. *Oxon.* III. d. 14. q. 3. n. 7.
(2) Cf. ib. n. 15.

seqq. (1). — Vid. *Imago SS. Trinitatis in Anima* = *Memoria intellectiva* = *Recordari* — *Reminisci.*

Rectangulus. — Figura altera parte longior  dicitur * illa * cuius omnes *anguli sunt recti, et latera vicissim sibi opposita sunt aequalia;* non tamen omnia latera sunt aequalia omnibus. — *Exposit. in Metaph.* l. I. S. 2. c. 2. n. 54.

Rectitudo habitualis — actualis. — Vid. *Iustitia habitualis,* etc.

Redemptor. — Vid. *Creator — Redemptor.*

Reduplicatio. — Istae dictiones sunt *reduplicativae, inquantum, secundum quod, in eo quod,* et aliquando haec dictio, *ut,* et consimiles. — Tales dictiones *reduplicativae* aliquando accipiuntur *specificative,* et quandoque *reduplicative.* — Quando vero talis reduplicatio sumitur *specificative,* tunc disignat aliquam conditionem, vel aliquem modum, vel aliquem sensum, secundum quem propositio in qua ponitur est vera, quae aliter non esset vera (2). Verbi gratia, dicendo sic: *Omne ens, inquantum est in ipso Deo, est Deus,* sine *specificatione, simpliciter* esset *falsa;* sed quia haec dictio *inquantum specificat* ad talem sensum, ideo illa propositio non est falsa. — *Prior.* I. q. 35. n. 2. — Ad propositionem *reduplicativam* multa concurrunt; verbi gratia, dicendo: *homo, inquantum animal, est sensibile;* primo enim subiectum principale, ut iste terminus, *homo;* secundo est praedicatum principale, ut iste terminus, *sensibile;* tertio est illud super quod cadit reduplicatio; et quarto est reduplicatio una cum copula. — *Ib.* n. 4.

Tunc dico, quod dictio *reduplicativa, reduplicative* sumpta, et non *specificative,* designat primo immediationem praedicati principalis ad illud super quod cadit *reduplicatio,* et quandoque denotat *convertibilitatem.* — Exemplum primi: *homo, inquantum animal, est corpus,* ubi designatur quod ista praedicatio est immediata, *omne animal est corpus,* per privationem alicuius intermedii inter subiectum et praedicatum, in linea praedicamentali. — Exemplum secundi: *homo, inquantum animal, est sensibile;* iste terminus, *inquantum,* designat *praecisionem* et *convertibilitatem* istorum terminorum *animal sensibile.*

Secundo, *dictio reduplicativa* designat praedicatum principale dici de subiecto principali, non immediate, sed *mediante praedicato* super quod cadit *reduplicatio,* ut praedicto exemplo designatur, quod causa quare homo est *sensibilis* est quod homo est *animal,* ita quod hoc praedicatum, *sensibile,* non dicitur de homine nisi ea ratione qua de ipso dicitur hoc praedicatum *animal.*

Tertio, *reduplicatio* designat illud super quod cadit esse *distributum,* vel saltem posse distribui respectu praedicati principalis.

Ex quibus patet, quod *reduplicatio* designat alietatem sive diversitatem principalis praedicati ab illo super quod cadit reduplicatio.

Et sic patet quid designat *reduplicatio,* sive sumatur *specificative* sive *reduplicative.* — *Ib.* n. 5. — Vid. « *Secundum quid* » *multipliciter accipitur.* = *Inquantum* = *Solus* — *Inquantum.*

Refractio. — Vid. *Linea incidentiae,* etc.

Relatio. — *Ad aliquid * seu relativa * sunt quorum hoc ipsum esse est ad aliud se habere (Aristot.).*

* Haec * definitio non datur de *relatione,* sed de *relativis.* — Similiter hoc nomen *ad aliquid* est *concretive* dictum a *relatione,* et non *relatio,* nisi sic intelligatur, *ad aliquid,* id est, *habitudo* ad aliquid. — *Super praedic.* q. 25. n. 8. — *Ib.* q. 26. n. 4. — *Quodlib.* q. 5. n. 5. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 6. n. 13. — *Report.* I. d. 31. q. 3. n. 6; et alibi passim.

Esse essentiale *relativi* est *ad aliud se habere:* definitio autem indicat esse essentiale definiti; igitur definitio *relativi* debet indicare suum esse se habere ad aliud; quod non potest, nisi in ea ponatur *correlativum* ipsius definiti. Istud autem verum

(1) A num. 7. pluribus evincit, proprie dictam *recordationem* seu memoriam intellectivam hominis esse propriam, brutis autem nullatenus competere posse.

(2) « Reduplicatio autem proprie sumpta non diminuit alterum extremum, quia est determinatio extremi ad extremum ». — *Oxon.* III. d. 11. q. 2. n. 3.

est, non tantum de relativis *mutuo* dependentibus, sed de quibuscumque quae essentialiter dependent ad alia, quod illa alia ponenda sunt in eorum definitione. Sed non *mutuo* se definiunt, nisi quae *mutuo* ad invicem per se dependent, quod non est verum de relativis *per accidens*, neque de relativis *tertio* modo relatis, ut *mensura* et *mensurabile*, neque de relativis *secundum genus* (1). — *Super Praedic.* q. 28. n. 2.

Sicut in definitione unius *per se relativi* debet poni alterum, ita in definitione *relationis* a qua dicitur illud *relativum* debet poni alia relatio sibi correspondens vel *relativum* dictum ab alia relatione: ut in definitione *paternitatis* debet poni *filiatio* vel *filius*, quia relatio est essentialiter *habitudo* ad aliud: et impossibile est concipere habitudinem sine termino ad quem est; et omne illud oportet poni in definitione, sine quo definitum non potest concipi, quia definitio exprimit completum intellectum definiti; ergo in definitione *relationis* oportet terminum *ad quem* est poni. — Magis tamen videtur *relationem*, ut *filiationem*, ponendam esse in definitione *relationis*, ut *paternitatis*, quam *relativum*, ut *filius*; quia *filius* est simul natura cum *patre*, et *pater* est naturaliter posterius *paternitate*, sed nullum *posterius* videtur ponendum in definitione *prioris*. — *Ib.* q. 29. n. 6.

Definitio * supra allata * non est generalissimi *relationis*, nec alicuius specierum, sed eius quod *denominative* dicitur ab ea. Similiter de proprietatibus. — Nec tamen sequitur, quod determinatio Arist. nullo modo sit conveniens generalissimo *relationis*, quia *relatio* inter omnia entia est debilissimum ens (2), cum est *sola habitudo duorum*, et ita minime est cognoscibilis *in se*; noscibilior autem est secundum quod informat ea quorum est habitudo; et ad determinandum de *relatione*, conveniens fuit determinare de *relativis*; praesertim cum ex eorum cognitione, sive definitione, sive quoad proprietates eorum, possit haberi cognitio *relationis*; quia si *relativi esse* est *ad aliud se habere*, proportionaliter *relatio* est forma secundum quam hoc sic se habet ad aliud. Consimiliter quoad *proprietates*; si *relativa* dicantur ad *convertentiam*, *relatio* est forma, secundum quam aliqua dicuntur ad convertentiam; et sic de caeteris proprietatibus. — *Ib.* q. 25. n. 10.

Oportet extrema *relationis* esse in actu quoad *rationem referendi*, et non quoad *existentiam*; quia *prius* et *posterius* * ex. gr. *, licet non simul existant, tamen simul sunt secundum rationem qua referuntur. — *Super Univers. Porph.* q. 24. n. 2. — Vid. *Entis divisio = Oppositio — Contradictio = Oppositorum quatuor genera = Praedicamenta decem.*

Cum dicitur *omnis relatio est oppositio*, haec est vera, ut *relatio* significat intentionem *secundam*, quia de re *primae* intentionis, quae habet rationem generis *generalissimi*, non potest aliquid superius *primae* intentionis praedicari per se, quia *generalissimo* nihil prius. Similiter nec aliquid superius in *abstracto secundae* intentionis praedicatur per se de re *primae* intentionis, quia licet haec sit vera, *substantia est genus*, tamen haec est falsa, *substantia est generalitas.*

Cum igitur *oppositio* simpliciter significetur in *abstracto*, non praedicatur per se, nec aliquo modo de *relatione* vere, nisi *relatio* significet rem *secundae* intentionis. — *Poster.* I. q. 29. n. 4.

August. *V. De Trinit.* c. 5: *In rebus creatis quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur;* ubi expresse vult, quod relatio sit accidens in creaturis; licet sit dubium si hoc habeat intelligi de relatione quae est creaturae ad Deum. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 10. — Vid. *Abstractio in substantiis*, etc.

Generalissimum *relationis* est unum; quia secundum *unam* rationem dicitur de omnibus suis inferioribus: quae ratio est *habitudo unius ad aliud;* et quia omnes relationes habent eumdem modum denominandi substantiam, videlicet in *comparatione ad aliud.* — *Super Praedic.* q. 25. n. 3.

---

(1) Vid. *Relationis per accidens modus triplex. = Relationis per se modus triplex.*

(2) Vid. *Relatio in Divinis.*

Relatio Dei ad creaturas duplex. — In ipso est duplex relatio aeterna respectu *creaturae:* — *Una* relatio respectu creaturae ut intelligitur *producibilis* ab aeterno et *possibilis.* — *Alia* ut intelligitur iam *producta* in esse *actuali.* — Et ita duae relationes *secundum rationem.* — *Report.* I. d. 30. n. 6. — *Oxon.* ib. q. 2. n. 11. — Omnis autem relatio creaturae ad Deum est *non mutua ;* sed tantum dicitur Deus ad creaturam, quia creatura ad ipsum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 5. n. 4.

Relatio dupliciter considerata. — *Relatio* consideratur *uno modo* ut est quoddam *intervallum* et quoddam *medium; alio modo* ut *fundata in extremis.* — *Primo modo* est *purus modus,* sicut *esse in,* nec aliquam distinctionem recipit a quocumque, Deo vel creatura, *reali* vel *rationis.* — *Secundo modo* contrahit realitatem a fundamento characterizante.

Primo modo est tantum in *intellectu,* ut *universale* abstractum a *particulari.* — *Secundo modo* est in *relatis* extra intellectum, ens *ratum,* ita quod ex modo et realitate quam habet ex charactere, integratur hypostasis; non tamen ita quod res fundamenti cadat in significato relationis, quia sequeretur composita genera facere ex primis et secundis, sed quod ipsum modum, qui ex se indeterminatus est, fundamentum secundum conditionem suae realitatis determinat, sicut nasus cavum. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 11. n. 1.

Relatio in cognitione intuitiva duplex. — Videtur esse *duplex relatio actualis* in isto actu ad obiectum : — *Una* potest dici relatio *mensurati,* vel verius *mensurabilis* ad mensuram. — *Alia* potest dici relatio *unientis* formaliter in ratione medii ad terminum ad quem unit; et ista relatio medii unientis specialiori nomine potest dici relatio *attingentiae* alterius ut termini, vel *tendentiae* in alterum ut in terminum. — *Quodlib.* q. 13. n. 11.

Relatio in Divinis. — Ex ista distinctione (1) patet, quod quaestio, *si relatio sit res,* nullam difficultatem habet de *re, tertio modo* accipiendo, vel *secundo modo;* quia non est *substantia,* neque *ad se;* tantum ergo difficultas est de *primo* membro; sed nec de *ente rationis,* quia patet, quod relatio est intelligibilis sine contradictione. Est ergo hic sermo, si habeat esse, sive sit res habens entitatem realem propriam *extra animam.* — Et de hoc dico, quod est *res:* secundo *quae res?*

Quod autem relatio sit *res,* probo: habitudo consequens extrema realia, et realiter distincta, et hoc ex nátura rei, est realis, quia entitas eius, qualem habet, non est praecise in anima, et per consequens ipsa, secundum entitatem propriam, est res suo modo: sed habitudo Patris ad Filium est talis.

Ex hoc apparet *quae res* ipsa sit: quia si sit res singularis, vel est *ad se,* vel *ad alterum:* ipsa *formaliter* est res *ad alterum.* Nec ista determinatio *ad alterum* repugnat ei quod est res isto modo loquendo, quia isto modo *res* non distinguitur contra modum vel *habitudinem* vel *circumstantiam* rei, sed includit eam. — *Quodlib.* q. 3. n. 3.

Relatio ut comparatur ad essentiam est *res;* quod probatur sic: quando aliqua quocumque modo distincta constituunt tertium, non constituunt illud nisi ut aliquo modo se habent ad invicem, vel aliquo modo uniuntur; et hoc apparet de causis extrinsecis, quae nunquam causant nisi aliquo modo concurrant ad causandum; et magis de causis intrinsecis, quae non constituunt suppositum, nisi ut suo modo uniuntur. *Essentia* autem et *relatio,* secundum omnes, constitunt *personam,* qualemcumque rationem habeant principii; ergo hoc est inquantum concurrunt, quod non posset esse, nisi ut relatio est in essentia. — Ex hoc habeo, quod essentia et relatio constituunt personam, non nisi ut relatio est in essentia: sed relationem esse in essentia est relationem habere comparationem ad essentiam verissimam quam potest habere citra considerationem intellectus; ergo relatio non constituit personam nisi ut comparata ad essentiam: sed non constituit personam nisi ut *res,* alioquin persona ut constituta formaliter non

---

(1) Vid. *Ens-Res.*

esset res; ergo *relatio* ut comparata ad essentiam est *res*. — *Ib.* n. 4.

Secundo sic: quia aut comparatio ad essentiam est omnino ipsamet relatio, aut aliquid superveniens; sive *rei*, sive *rationis*, non curo quantum ad propositum. — Si est omnino ipsamet, patet, quod ipsa sit res ex *primo articulo*, et cum ipsamet sit sua comparatio ad essentiam, ergo ipsa ut comparata ad essentiam est *res*. — Si secundo modo, nulla habitudo adveniens cuicumque, sive absoluto, sive respectivo, sive etiam illa habitudo sit realis, sive rationis, destruit illud cui advenit, sed potius praesupponit: patet de intentionibus secundis, quae non destruunt rationes intentionum primarum quibus adveniunt; non ergo destruitur illa realitas relationis per hoc quod non est comparata; et per consequens patet propositum.

Ex hoc patet *quae res* sit: quia ad quodcumque comparatur aliquid, ipsum est ipsum, nam secundum Philosophum, *I. Phys. quod vere est nulli accidit;* et esto quod substantia bovis comparata ad hominem non sit substantia hominis, tamen semper est res; et *quae res* est? substantia; et *quae* substantia? bovis; quia ipsa est ipsa. Sic haec relatio, quae essentialiter est ad alterum, nunquam est non res, nunquam ipsa est nisi ipsamet res ad alterum; comparatio autem (ut dictum est) nunquam destruit realitatem propriam, sed praesuponit. — *Ib.* n. 5.

Quantum ergo ad istud, videtur rationabilius, quod *ab eodem* habeat quod sit *realis* et quod sit *distincta a relatione opposita:* et hoc intelligendo quomodocumque; nam non est intelligibile, quod sit *realis*, nisi sit realis habitudo ad oppositum, et sic realiter distincta ab opposito; nec ipsa potest esse realiter distincta ab opposito, nisi ut habitudo realis; et sic est res eo modo quo sibi convenit esse res: seipsa ergo formaliter est res, et seipsa formaliter est distincta ab opposito. — A *fundamento* autem habet utrumque fundamentaliter ac radicaliter. — *Ib.* n. 6.

Quantum autem ad *Logicam*, ista propositio, *relatio ut comparata ad essentiam est res*, videtur distinguenda; quia ista, *inquantum*, vel *secundum quod*, vel *ut*, dupliciter accipiuntur: — Aliquando enim hae dictiones notant *rationem accipiendi* illud quod determinatur per ipsas: aliquando vero non solum hoc, sed proprie important *causalitatem* respectu inhaerentiae praedicati (1). — *Ib.* n. 7.

Ad propositum, cum dico, quod *relatio ut* comparata ad essentiam divinam est *res*, potest intelligi dupliciter. — *Primo modo* ut relationi consideratae sub tali comparatione convenit hoc praedicatum *res:* vel *secundo modo*, quod illa comparatio sit *ratio inhaerentiae* huius praedicati quod est *res*. *Secundo modo* propositio est falsa; quia illa comparatio ad essentiam est sola comparatio *rationis*, est enim inter extrema non distincta realiter, *relationem*, scilicet, et *essentiam*, quae tamen potest intellectus comparare; et ita est inter ea ralatio. Non ergo de isto intellectu loquimur; sed de *primo;* et tunc est sensus: quod *paternitas*, non solum praecise accepta secundum quod paternitas, sed etiam secundum quod considerata sub ista ratione, ut *comparatur ad essentiam*, vel ut est in essentia, est *res;* quia ista comparatio non diminuit, nec destruit paternitatem esse *rem*, sed praesuponit.

Exemplum: homo *ut risibilis intelligit;* haec non est vera, sic quod risibilitas sit causa inhaerentiae praedicati, sed sic est vera quod homini considerato sub ratione *risibilis* non repugnat hoc praedicatum *intelligere*, sed convenit. Et isto modo quaecumque determinatio sub qua consideratur subiectum, quae tamen non excludit praedicatum, non falsificat propositionem in qua praedicatum dicitur de subiecto sic determinato. — *Ib.* n. 8.

Ex istis patere potest illud quod quaeritur. — Sed oportet primo videre intellectum huius quod dicitur, quod relatio est *ratio*. Nam quod aliquid dicatur *ratio* potest ad propositum intelligi dupliciter: — *Uno modo*, quia est *modus* illius cui comparatur, et non res tali realitate, sicut Boetius vocat habitudines circumstantias, et non

---

(1) Vid. *Inquantum* = *Reduplicatio*.

res, quia non habent talem realitatem qualem habent illae quarum sunt circumstantiae; et quanto aliquid recedit a realitate perfecta, tanto magis accedit ad *rationem*. — *Alio modo* aliquid, ut accipitur sub ratione formaliter, potest dici *ratio* vel *ens rationis*, sicut si *homo* ut *universale* dicatur esse ratio, pro quanto consideratur sub universalitate, quod est per se *ratio*. — Istis duobus modis potest concedi, quod *relatio* ut comparatur ad essentiam est *ratio:* quia est *modus* circa essentiam, et non habet talem entitatem formaliter, qualem habet essentia, sed est *quasi circumstantia* respectu eius. Et etiam cum dico *ut comparatur ad essentiam*, haec comparatio (ut dictum est) importat respectum *rationis*, et sub ea consideratur paternitas; et pro tanto *paternitas*, ut comparatur ad essentiam, est ens *rationis*, quia acceptum sub *ratione*.

Sed sive sic, sive sic dicatur, quod paternitas ut comparata ad essentiam est *ratio*, non tollitur quin paternitas sit *res:* quia quantum ad *primum*, ipsa suo modo est res, scilicet res *ad aliud*, licet dicatur *ratio* respectu rei *ad se:* quantum ad *secundum*, ipsa considerata sub ratione, quae est comparatio ad essentiam, dicitur *ratio*, quia illud sub quo consideratur non habet entitatem ex se; ipsa tamen est *res*, quia illud sub quo consideratur non destruit realitatem eius, sed ipsam praesupponit; comparatio enim alicuius ad alterum praesupponit entitatem *secundum se*. — *Ib.* n. 9.

Ex hoc patet, quod ista stant simul: quod ipsa relatio comparata ad *essentiam* sit *ratio*, scilicet duplici modo praedicto, et tamen quod ipsa ut comparatur ad *essentiam* sit *res*, sicut iam dictum est. — Stat etiam, quod ipsa comparata ad *oppositum* sit res; quia ipsamet est comparatio ad oppositum, et ipsamet est ipsa res quae est talis comparatio; et magis usitate dicitur *res* ut comparata ad *oppositum*, et *ratio* ut comparatur ad *essentiam*, quia ut comparatur ad oppositum est aequae et similis entitas cum opposito, nec respectu eius habet rationem modi, sicut nec e converso. Similiter ipsa est comparatio sui ad oppositum. Et ideo cum dicitur *ut comparata* non consideratur sub aliqua ratione quae proprie dicatur *ratio:* non enim est aliud paternitas ut *comparatur* ad filiationem quam paternitas ut *comparata* ad filiationem, et hoc est in speciali paternitas *ut est paternitas*. Stat ergo simul, quod paternitas ut comparata ad *oppositum* sit *res:* non tamen eo modo quo ut comparatur ad *essentiam* est *res;* sed ut comparatur ad oppositum est res istis duobus modis: quia similis entitatis distinctae contra modum, et est res, non accepta sive considerata formaliter sub *ratione;* et quod ipsa comparata ad essentiam sit *ratio* propter duo opposita; quia, scilicet, *modus* essentiae, et quia accepta sub *ratione* quae est ipsa comparatio ad essentiam. Tamen utroque modo, et ut comparatur ad *oppositum*, et ut comparatur ad *essentiam*, est *res*, et *eadem* res; quia ipsamet est comparatio realis, ut probatum est. — *Ib.* n. 10.

* Ista igitur propositio *, *relatio ut comparatur ad essentiam est res*, vera est, prout ly *ut* vel *inquantum* denotat determinationem vel specificationem, sive *determinatam acceptionem* paternitatis sub ista ratione, quae est *comparatio* ad essentiam; non est autem vera prout denotat *causalitatem* inhaerentiae praedicati ad subiectum.

In primo ergo intellectu, quando quaeritur, *quae res* sit, dici potest, quod est *res ad alterum*, quia comparatio ad essentiam non facit, quod paternitati repugnat sua propria realitas, quae est realitas *ad alterum*. Nec tamen est sic intelligendum, quod paternitas comparata ad *divinitatem* sit res ad alterum, ita quod *alterum* sit *divinitas*, ut sit sensus: *Paternitas est res ad divinitatem*; sed est sensus: *Paternitas comparata ad essentiam est res rationis, et in se res ad alterum*, scilicet ad *Filium;* quia qui comparat paternitatem ad divinitatem excludendo Filium, vel non includendo Filium, non comparat *paternitatem*, nisi duo habeat contradictoria in intellectu suo; cum *paternitas*, secundum illud quod est, sit per se ad *Filium*. Et licet paternitas non sit seipsa comparata ad divinitatem, sed ad Filium, ut ad correlativum, tamen paternita-

tem ipsam, includendo esse ad Filium, potest intellectus comparare ad divinitatem, quia intellectus potest aliquid comparare per actum suum ad illud quod non est eius per se correlativum ex natura rei. — Secundum hunc intellectum potest dici quod paternitas, ut comparata ad essentiam, est res ad alterum. — *Ib.* n. 12. — * *Ad pleniorem praedictorum intelligentiam inspicienda tota quaestio citata* *.

Relatio intrinsecus — extrinsecus adveniens. — Illa est relatio *intrinsecus adveniens*, id est, necessario consequens fundamentum, puta, quantitatem vel qualitatem vel substantiam, quae *intrinsecus inest*, non absoluta necessitate, sed *posito termino* ad quem est relatio, quia ista non advenit nisi propter novitatem alicuius absoluti in altero extremo, et semper est sub *primo* et *secundo* modo relationum dictarum. — Sed relatio *tertio* modo se habens est *extrinsecus adveniens*, id est, non necessario consequens fundamentum, puta qualitatem, vel quantitatem, vel substantiam, sed absque novitate alicuius absoluti in illo in quo est, vel in termino, contingenter consequitur. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 15. — Vid. *Respectus intrinsecus,* etc.

In Divinis autem *ad intra* nullus potest esse respectus *extrinsecus* adveniens, quia quilibet *summe necessario oritur ex natura fundamenti;* nec ibi, nec in creatione potest esse respectus passionis *extrinsecus* adveniens, quia productum, sive *extra* sive *intra, summe necessario refertur* ad producentem. De *intra* non est dubium; sed de *extra* probo: quia impossibile est aliquam relationem magis intrinsece creaturae inesse quam illam quae est ad *Creatorem,* in tantum quod illa est idem realiter fundamento, ut ostensum est *lib. II. d. 1. q. 4.* — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 17.

Relationes disparatae duplices. — *Relationes* sunt duplices: *activae* et *passivae.* — *Disparatae* relationes *activae* distinguuntur quidditate, et non supposito; sed relationes disparatae *passivae* distinguuntur quidditate et supposito, quia impossibile est idem bis accipere esse simpliciter. — *Report.* I. d. 11. q. 2. n. 8. — Cf. *Oxon.* ib. n. 9.

Relationes oppositae multipliciter incompossibiles. — Aliquae relationes *oppositae* sunt *incompossibiles* in eadem *natura* et in eodem *supposito:* aliquae in eodem *supposito*, sed non in eadem natura: aliquae nec in eadem natura, nec in eodem supposito. Unde ex ratione relationum realium in communi non potest concludi repugnantia earum in eodem. — *Exempla* praedictorum: *causa* et *causatum* in eadem *natura* sive *supposito* repugnant, quia si non, tunc idem dependeret a se: *producens* et *productum* non repugnant in eadem *natura,* quia natura potest communicari sine divisione sui, qualis est natura divina; repugnant tamen in eodem *supposito; movens* autem et *motum* nec in eadem natura, nec in eodem supposito repugnant; quia hic non ponitur dependentia essentialis, qualem ponunt relationes *causae* et *causati;* nec per idem ponitur, quod idem sit antequam sit, quod ponere videtur ratio *producti* et *producentis:* sed tantum ponitur hic, quod idem dependet a se, quantum ad actum accidentalem, sicut motum a vovente dependet quantum ad actum accidentalem, quem recipit ab eo. — *Incompossibilitatem* igitur aliquarum *relationum* oportet reducere ad aliquam incompossibilitatem priorem; et ubi ista prior non invenitur, ibi nec illa incompossibilitas relationum oppositarum concludetur.

Hoc etiam amplius declaratur, quia sicut istae relationes *producentis* et *producti,* quae sunt repugnantes in eodem *supposito,* possunt fundari in eadem *natura illimitata,* sicut in essentia divina, ita istae relationes *moventis* et *moti,* quae multo minorem habent repugnantiam, fundari in eadem *natura aliqualiter illimitata.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. nn. 29-30.

Relative aliqua *opponi* potest *dupliciter* intelligi: vel *mutuo,* scilicet, quod utrumque habet habitudinem per se ad alterum: vel *non mutuo.* — *QQ. Metaph.* lib. IX. q. 2. n. 4.

Relationis ad fundamentum habitudo triplex. — *Relatio* potest *tripliciter* se habere ad *fundamentum:* — *Uno modo,* quod fundamentum non potest poni sine relatione illa absque contradictione, quia fundamentum

non potest sine contradictione esse sine termino illius relationis, nec etiam sine relatione ad terminum, quia ista natura necessario requirit talem terminum ad sui esse: tales sunt relationes *creaturae* inquantum creatura ad Deum inquantum *creator*. Huiusmodi relatio est idem realiter fundamento, sicut patet *ex dist. 1. quaest. 4. secundi lib.* — *Alio modo* fundamentum potest esse sine relatione, quia potest esse sine termino; tamen fundamento et termino positis, necessario consequitur ista relatio, ita quod ista duo simul posita sint necessaria causa relationis, sive in utroque extremo, sive in altero. *Exemplum* de similitudine in albo et albo. — *Tertio modo* relatio potest non necessario consequi fundamentum, quia non necessario coexigit terminum, nec habitudinem illam ad terminum; neque etiam fundamento et termino positis, necessario consequitur relatio ambo extrema vel unum; sed contingenter dicitur advenire extremo, etiam postquam ipsum et quodlibet absolutum in ipso et in termino fuerit positum in esse. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 14.

Relationis fundamentum — subiectum. — Differt dicere *fundamentum* relationis et *subiectum*. — *Fundamentum* dicitur illud in quo relatio *immediate* fundatur; puta, similitudo *in albedine*. — *Subiectum* vero dicitur id in quo fundatur *mediante* fundamento proximo: puta, similitudo *in homine mediante albedine*. — *Fundamentum* autem *per se* refertur, *albedo* enim *per se* est *similis*; sed *subiectum per accidens* refertur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. unic. c. 14. n. 117.

Relationis fundamentum triplex. — *Relatio tripliciter* fundatur: aut super *accidens*, ut est in subiecto: aut super *formam substantialem*, ut est in supposito: tertio modo super *hanc* vel *illam*, ut in se consideratur. — *Prima* est *accidentalis*. — *Secunda* est *substantialis* supposito, sicut et forma speciei accidentalis, pro quanto accidit formae esse in supposito. — *Tertia* est *essentialis* ratione fundamenti, licet aliquid *accidentis* habeat propter concomitantiam, unde characterizat, non sic quod res eius cum relatione faciat hypostasim relationis, quamvis sic videatur dicere Simplicius, sicut si figura *sigilli* eadem numero figuraret ceram; nec sic quod quasi aliam figuram numero imprimat aliam realitatem absolutam, quia hoc non potest fieri nisi in corporali separato; ergo tertio modo, scilicet, tantum determinando relationem, quae est ex se indeterminata. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 11. n. 2.

Relationis per accidens modus triplex. — Quorum *primus* est cum aliquid refertur ratione sui *generis*. Iste utique modus est *per se*, sed non *primo*, * *ideoque consideratur*, quasi *per accidens*. — *Secundus* modus est cum aliquid dicitur referri in *abstracto*, quia refertur in concreto; et iste quidem modus est *per aliud*, et quasi *per accidens*, et non *per se*; *relatio* enim in *abstracto*, puta, *similitudo*, ita habet rationem *quo*, quod non habet rationem *quod*. — *Tertius* modus est *proprie per accidens*: puta, cum subiectum dicitur referri ratione *accidentis* sibi inhaerentis; ut cum dicitur homo *duplus*, vel *similis*, ratione *quantitatis* vel *albedinis*, quae sibi insunt. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 14. n. 117; * *ubi praedicta fusiori calamo prosequitur iuxta viam Aristotelis* *.

Relationis per se modus triplex. — Quorum primus sumitur penes rerum *quantitatem* sive *numerositatem*: ut *duplum* ad *dimidium*, et *triplum* ad *tertiam partem*. — *Secundus* modus sumitur penes rerum *actionem* et *passionem*, sive *passibilitatem* et *activitatem*: ut *calefactivum* ad *calefactibile*. — *Tertius* modus sumitur penes rerum *perfectionem* et *mensurabilitatem*: ut *scibile* ad *scientiam* (1). — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 14. n, 10; * *ubi praedictarum ampliorem habet expositionem* *.

Quomodo sumuntur tres *modi*, quos ponit Aristoteles? — Respondeo: omnis relatio *termini* et *terminati* pertinet ad *tertium* modum. Primo enim refertur terminus sicut obiectum est terminus actus vel

(1) « Aristoteles non dicit relationem in *tertio modo* esse mensurati ad mensuram, sed esse *mensurabilis*, hoc est, apti nati mensurari, ad mensuram, hoc est, aptam natam mensurare ». — *Quodlib.* q. 13. n. 12.

habitus vel potentiae. Secundo omnis terminus etiam quantorum et motus. — Ad *secundum* modum pertinet omnis relatio *causae* et *effectus*, maxime *efficientis* et *materiae*. — Ad *primum* omnis relatio *totius* cuiuscumque et *partis*, et universaliter *magis* et *minus*.

Potest concedi, quod * Aristot. * non ponit *omnes* modos *relativorum*, sed manifestos, per quos possunt intelligi alii, propter aliquam assimilationem ad illos. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 11. n. 8.

Relationes *primi* modi fundantur super aliquid de genere *quantitatis*, scilicet, super *numerum*, vel super *continuum*; prius tamen reperitur relatio istius modi in numeris, et inest *dupliciter: uno modo* comparando *numerum* ad *numerum*, ita quod oportet utrumque extremum esse numerum. *Alio modo* comparando *numerum* ad *unum*, ita quod solum alterum extremum est numerus; et sic est multiplex proportio * seu relatio * secundum *primum* modum. Ab istis autem *discretis* derivatur ad *continua*. — *Exposit.* etc. loc. cit. n. 110.

Nulla relatio *secundi* modi fundatur super *actionem* et *passionem*, sed tantum super *potentiam activam* et *passivam;* quia illae relationes quae videntur fundari super *actionem* et *passionem* non insunt quando actio et passio est; insunt etiam quando actio et passio non sunt. Hoc patet; quando enim aliquis in creaturis generat, tunc non est *pater*, licet postea, quando proles formata est, sicut illa proles incipit esse *filius*, ita incipit qui genuit esse *pater;* tamen tunc non est aliqua eius actio; posset enim tunc vel non esse vel non omnino agere aliqua actione nova praeter illam primam. *Relatio* autem non potest esse nisi dum est *fundamentum* (1); et si sit fundamentum completum, et hoc ex utraque parte, simul erit et relatio. Actiones ergo illae possunt habere se tantum ad relationes sicut *praeviae dispositiones* ad tales relationes.

Salvatur ergo dictum Philosophi, * dicendo * quod relationes de *secundo* modo dicuntur secundum *potentiam activam* et *passivam*, ut secundum *fundamenta;* et dicuntur secundum *actiones* potentiarum, ut secundum *dispositiones praevias* ad illas relationes. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 26.

Alio modo potest dici, quod Philosophus loquitur ibi de *actione* iuxta secundam significationem nominis, prout importat habitudinem producentis ad productum; et *actio* secundum hanc significationem per se dicit aliquid de genere relationis, ut dictum est supra; et tunc illud *secundum potentiam activam et passivam* debet exponi ut prius, scilicet, ut secundum *fundamentum*. — *Ib.* n. 27.

Tertio modo potest dici, quod Philosophus non tantum ponit ibi *species* relationis, sed etiam *modos*, secundum quos aliqua dicuntur *ad aliquid*, sicut et in cap. de *Qualitate* non tantum ponit *species* Qualitatis, sed *modos;* unde dicit: *quale dicitur uno modo differentia substantiae;* non tamen differentia substantialis pertinet per se ad genus Qualitatis; ita hic in *secundo modo* relativorum possunt poni illa secundum quae aliquid dicitur *ad aliud*, non ut secundum relationem formaliter, sed ut secundum respectum aliquem *extrinsecus advenientem*, habentem similitudinem cum illo modo. — *Ib.* n. 28. — *Quodlib.* q. 12. n. 4. — *Exposit.* etc. loc. cit. n. 114.

Subdividit * Aristot. * istum *secundum* modum in comparatione ad *tempus;* nam aliqua dicuntur *ad aliquid* secundum tempus *praeteritum, ut quod fecit ad factum*, puta, *pater* ad *filium*, quia ille *genuit*, iste *genitus est*, et aliquid passum est; similiter aliqua dicuntur secundum tempus *futurum*, ut *facturum ad faciendum*. — *Exposit.* etc. loc. cit. n. 115.

Relatio *tertii* modi differt a relationibus aliorum modorum, quia relatio tertii modi non est mutua, sed refertur illo modo unum ad aliud, et aliud non refertur ad ipsum; et sic in nobis refertur *intelligere* ad *obiectum realiter*, et non e contra, nisi quia *intelligere* est ad ipsum; et ex hoc denominatur a relatione, prout illam ter-

(1) « Dependentia *relationis* ad *fundamentum* est essentialissima, ita quod sine eo non potest esse ratio *relationis* ». — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 18.

minat (1). — *Report.* I. d. 36. q. 2. n. 26. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 17. — d. 35. n. 9. — *Exposit.* etc. loc. cit. n. 116.

Ad quaestionem, * *utrum Philosoph. convenienter ponat tres modos relativorum* *, in generali dico, quod distinctio conveniens est. — Ubi notandum, quod quamvis *relationes,* sicut alia, habent distinctiones *specificas,* secundum proprias *differentias,* tamen quia latent nos, accipimus distintionem earum per *fundamenta,* ex quibus innotescit distinctio relativorum, sive relationum, scilicet, *effective,* sive *materialiter. QQ. Metaph.* lib. V. q. 12. n. 2.

Relatio per accidens. — *Per accidens relativa* sunt quae non secundum suas formas dicuntur ad invicem, et non mutuo dependent, quorum unum secundum suam propriam formam dependent ad aliud, et reliquum e converso, secundum suam formam non dependent ad ipsum, cuiusmodi sunt quae referuntur ut mensura et mensurabile ad invicem; scientia enim per se dicitur ad scibile, sed scibile non ad scientiam, nisi quia scientia ad ipsum, secundum Aristotelem, *V. Metaph. cap. de Ad aliquid, text. com. 20.* — *Super Praedic.* q. 27. n. 4.

Relatio rationis in cognitione abstractiva duplex. — De *relatione rationis in cognitione abstractiva* potest dupliciter intelligi: — *Uno modo* sic: quando terminus non habet esse reale, sed tantum esse in intellectu, tunc ad ipsum non potest esse nisi relatio *rationis,* quia non potest relatio verius habere esse, quam terminus ad quem est: nunc obiectum quod terminat cognitionem abstractivam non oportet habere esse, nisi in intellectu; igitur etc.

Alius potest esse intellectus talis: actus intelligendi obiectum abstractive potest intelligi actu reflexo; cum enim ista intellectio sit similitudo naturalis obiecti per obiectum cognitum, potest illa cognosci reflectendo, et intellectus sic cognoscens istam cognitionem potest comparare ipsam ad obiectum; ipsa autem sic comparata ad actum intellectus refertur relatione *rationis.*

Inter istas *duas relationes rationis* una est differentia: nam *secunda* sicut potest esse obiecti non existentis, sic potest esse cognitionis non existentis; si tamen illa cognitio sit intellecta et per intellectum comparata. *Prima* autem relatio non potest esse nisi actus existentis, et non ut obiecti cogniti per aliquem actum reflexum, nec per intellectum comparati. — Ex hac differentia sequitur alia, scilicet, quod *secunda* relatio est *rationis* quantum est ex parte *utriusque* extremi: *prima* quantum est ex parte *obiecti* est *rationis;* quantum autem est ex parte *actus* est *realis,* quia videtur sequi naturam actus, et non tantum competere illi actui ut obiecto intellecto vel comparato. — *Quodlib.* q. 13. n. 14.

Relatio realis. — Videtur dicendum, quod ad *relationem realem tria* sufficiunt: — *Primo,* quod *fundamentum* sit *reale* (1), et *terminus realis.* — *Secundo,* quod extremorum sit *distinctio realis.* — *Tertio,* quod *ex natura extremorum,* scilicet, fundamenti et termini, *sequatur* ipsa talis *relatio,* absque opere alterius potentiae comparantis unum extremum alteri. — *Oxon.* I. d. 31. n. 2.

* Seu aliis verbis *: Secundum communem sententiam *relatio realis* non requirit nisi ista *tria: primum,* fundamentum reale, quod, scilicet, sit in re et ex natura rei: *secundum,* et extrema realia, et realiter distincta: *tertium,* et quod ipsa ex natura rei insit extremis, absque, scilicet, omni consideratione intellectus, vel absque operatione potentiae extrinsecae. — *Quodlib.* q. 6. n. 33.

* Praedicta fusius declarantur *: *Tria* necessario requiruntur ad hoc quod *relatio* sit *realis:* — *Primum* ad hoc quod *relatio* sit *realis* requiritur, quod *suppositum* sit relatum *realiter,* et sit illud in quo habeat rationem quam consequitur ex fundamento. — *Secundum* quod requirit est ter-

(1) « Dici potest, quod haec est differentia istorum: quia in *primis duobus* est relatio *mutua,* ita quod in utroque extremo est ratio fundandi relationem unam, et ratio terminandi relationem aliam. In *tertio* modo est relatio *non mutua,* sed ratio fundandi relationem est tantum in uno extremo, et in alio ratio terminandi eamdem ». — *Quodlib.* q. 13. n. 23.

(1) « Relatio non est *realis* cuius fundamentum non est *reale* ». — *Oxon.* I. d. 39. n. 9.

minus *formalis* ad quem referatur. — *Tertium* quod requirit est *formalis ratio* terminandi eam. -- Et ubi haec tria sunt *ex natura rei*, ibi necessario est *relatio realis*.

Requiritur ergo quod *tria* sint: *distinctio*, scilicet, suppositorum relatorum, *realitas* rationis fundandi et terminandi, et quod oriatur habitudo et relatio in ipsis extremis *ex natura rei* (1). — *Report.* I. d. 31. q. 3. n. 26.

Illa ergo *relatio* est *realis* quae habet extrema distincta *ex natura rei*, et ideo relatio *identitatis* unius ad se non est *relatio realis:* item, rationem terminandi *realem;* et ideo *entis ad non-ens* non est *relatio realis: tertium*, oritur ex natura extremorum *ex natura rei*, non ex consideratione intellectus; et ideo Dei ad creaturam non est relatio *realis* ex parte Dei; ex parte vero creaturae sic, quia ex natura rei dependet ad Deum. — *Ib.* n. 27.

Relatio realis — rationis. — *Relatio* aliqua est *res naturae.* — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 11. n. 3; * *ubi hoc satis probat* *. — *Relatio* autem aliqua est *res rationis;* quia aliqua fundatur super *ens rationis*, et quia aliqua non inest rei ut existit, sed ut *intelligitur* ex collatione eius ad aliud facta per intellectum. Intellectus facit ipsam per actum considerandi aliquid, et fundatur *in illo* inquantum consideratur, non autem *in consideratione* inquantum res est; sic enim posset esse *realis.* * Haec * consequitur *naturam rei;* sed *relatio rationis* omnino inest rei *inquantum consideratur*, et per considerationem alteri comparatur, quia consideratio est collativa unius ad alterum. — *Ib.* nn. 5-6; * *ubi fusius praedicta explicat* *.

Sicut quaelibet forma seipsa est talis forma, nec est alia ratio intrinseca quare est talis forma, ita etiam relatio aliqua seipsa est formaliter *realis*, et aliqua seipsa formaliter est tantum relatio *rationis;* tamen huius vel illius aliquando sunt causae extrinsecae effectivae vel materiales, aliquando etiam aliqua causata vel aliqua signa posteriora sunt ex quibus possunt haec inferri demonstratione *quia.* — *Oxon.* I. d. 26. n. 42.

Nec ista divisio est sufficiens, quod omnis relatio aut est *realis* aut *rationis*, (accipiendo relationem rationis *stricte*), quia omnis potentia quae potest habere actum circa obiectum existens vel non existens, et illud obiectum potest actu suo comparare ad aliud, ad quod tale obiectum non comparatur ex natura rei, potest in obiecto, ut obiectum est, causare relationem ipsius ad aliud: quae quidem relatio non est *realis*, quia non est ex natura obiecti in se; nec tamen est *stricte rationis*, quia non semper illa potentia comparans est *ratio* tantum sive potentia ratiocinativa; potest enim *voluntas* utens aliquo bono ad finem, causare in obiecto illo relationem ad illum finem; et nec est illa relatio *realis*, quia non est in aliquo ex natura rei, sed ex comparatione voluntatis conferentis; potest enim uti Deo ad creaturam; nec est illa relatio *rationis*, quia potentia ista causans istam comparationem non est *ratio*, sive intellectus, sive imaginatio dicatur talis virtus collativa, sive quaecumque alia; certum est enim quod voluntas est talis potentia collativa et comparativa ita bene sicut potentia intellectiva; et ideo certum est, quod utraque istarum potentiarum potest obiectum suum comparare, et in obiecto suo causare relationem: non *realem*, quia sic esset ibi in tali ex natura rei, sine omni comparatione; nec relationem *rationis stricte* sumptam pro relatione causata ab intellectu, licet eam quandoque concomitetur relatio rationis causata ab intellectu. — *Oxon.* I. d. 45. n. 4.

Relationi autem *reali* et *rationis* non est commune aliquid idem, quod est in uno *rei* et in alio *rationis;* quia ei quod est *secundum quid* tale et ei quod est *simpliciter* tale, inquantum tale, non est commune univocum illud quod accipitur in eis *secundum quid* et *simpliciter:* relatio autem realis est *simpliciter* relatio, et relatio rationis est *secundum quid* relatio; quia sicut esse in ratione est esse secundum quid, ita referri secundum rationem, sive comparari a ratione, est referri vel comparari se-

(1) « Illa relatio est *realis* quae consequitur extrema ex natura extremorum, sine actu intellectus ». — *Oxon.* III. d. 8. n. 11.

cundum quid; ergo non est principium univocum istis. — *Oxon.* I. d. 29. n. 1.

Relatio dicitur *ens rationis*, vel quia utrumque extremum, vel alterum est solummodo *ens rationis;* vel quia extrema eius non sunt duo, nisi secundum *rationis considerationem*, ut est in *identitate.* — *Super Praedic.* q. 25. n. 4.

Stricte accipitur *relatio rationis* pro habitudine causata in obiecto per actum partis rationalis per *essentiam*, scilicet, *intellectus.* — *Alio modo* potest intelligi *relatio rationis* pro quacumque comparatione facta per actum partis rationalis, sive per essentiam * (*intellectus*) *, sive per *participationem* * (*voluntas*) *. — *Quodlib.* q. 17. n. 4.

Relatio realis — secundum dici. — Ostendit Avicenna, *III. Metaphis. cap.* 10, quod quaedam est relatio *realis*, et habet esse in singularibus secundum *rem:* quaedam vero *secundum dici* solum, quae non habet esse nisi in *intellectu.*

Relatio secundum rem, quae habet esse in singularibus, est illa quae convenit eis quae sunt simpliciter et absolute *ad aliquid;* de quibus relativis dicit idem Avicenna citatus: *Ad aliquid absolute est cuius quidditas dicitur respectu alterius, et quidquid hoc modo fuerit in signatis, ut secundum quidditatem suam non dicatur, nisi respectu alterius, illud est ad aliquid.* Haec autem intentio non intelligitur nisi respectu alterius *rei*, quae sit alia res a se: ut *scientia* secundum quidditatem dicitur ad *scibile;* et *pater*, inquantum pater, dicitur per talem essentiam, non per aliquid superadditum ei, ad *filium.* Et sic talis relatio, quae fundatur in *quidditate* rei, non habet esse *propter conceptum intellectus* in ipsa re, sed potius e contrario, quia habet esse in *re*, ideo eam concipit intellectus.

Relativa vero *secundum dici* definit Aristoteles in *Praedicamentis*, cap. 8. dicens: *Ad aliquid talia dicuntur quaecunque id quod sunt aliorum dicuntur.* Et ista sunt relativa quorum quidditas et natura id quod est absolute non dicitur *ad aliquid*; sed ideo dicuntur relativa, quia *intellectus concipit* aliquam rationem de talibus per hoc, quod comparat unum ad alterum: ut rationem *dexterae* concipit de *columna*, vel in columna, non quod *essentia* columnae vel *quidditas* dicatur *dextera*, sed hanc rationem concipit *circa ipsam*, ut eam comparat ad dexteram partem hominis. — *De rerum princip.* q. 18. n. 9.

Relatio realis triplex. — *Relationes reales* sunt in *triplici* differentia: — Quaedam sunt relationes quae habent *dependentiam essentialem*, ut *causae* ad *causatum.* — Aliae sunt relationes *originis*, quae tamen non habent dependentiam inter se, ut *paternitas* et *filiatio* in Divinis. — Aliae habent *dependentiam accidentalem* mutuo, ut *movens* et *motum; motum* enim non dependet *essentialiter* a movente, quia non dependet nisi ratione illius *accidentis* quod recipit; quidquid enim est de essentia moti praesupponitur motui. — *Oxon.* II. d. 25. n. 17. — *Report.* ib. n. 14.

Relativa primo — per se. — Illa dicuntur *relativa primo*, quae sunt huiusmodi per propriam rationem *specificam.* — Alia *per se* dicuntur *relativa*, secundum aliquid intellectum in eis, sicut ratione generis sui: sicut *medicina* dicitur relative ratione *scientiae*, quae est genus eius, quae intelligitur in ea. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 14. n. 2. — *Super. Univers. Porphyr.* q. 21. n. 6.

Relativa secundum esse — secundum dici. — Dicitur, quod *duplicia* sunt *relativa:* quaedam *secundum esse*, et alia *secundum dici.* — Prima notificatio Aristotelis datur de relativis *secundum dici*, scilicet: *Ad aliquid* * (relativa) * *dicuntur quaecumque hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur vel quomodolibet aliter ad aliud.* — Secunda notificatio, quam magis approbat, scilicet: *ad aliquid sunt quorum hoc ipsum esse est ad aliud se habere*, datur de relativis *secundum esse.* — *Super Pradic.* q. 26. n. 2.

Dicendum * autem, * quod relativa nullo modo dividuntur in relativa *secundum esse*, et relativa *secundum dici;* quia sumendo membra praecise, relativum *secundum dici* non est magis *relativum*, quam *homo mortuus* est *homo.* Forte tamen *entia* sic dividuntur, quod quaedam sunt *relativa secundum esse*, ut illa quae denominative dicun-

tur a relationibus; quaedam sunt *relativa secundum dici*, ut quae sunt in aliis Generibus, et secundum aliquam habitudinem dicuntur ad alia; illa tamen, *simpliciter loquendo*, non sunt *relativa*.

Sed *vere relativorum* quaedam dicuntur secundum *suam propriam formam* ad aliud, ut quae sunt *primo* et *proprie relativa:* alia sunt *vere relativa*, et non dicuntur secundum propriam formam ad alia, ut sunt relativa *secundum genus*. Illa enim sunt *per se* relativa, sed non *primo*, et dicuntur ad alia secundum formam *sui generis:* ut si *scientia* sit *per se relativum*, impossibile est illud quod est eius species, secundum illam significationem, non esse relativum, quia tunc *genus* et *species* non essent in *eodem genere;* sed non est *primo relativum*, quia non secundum illud quod superaddit suo generi; et ideo dicitur ad correlativum generis, secundum ipsum genus.

Dicendum igitur, quod secunda notificatio Aristoteles est conveniens de *relativis;* quia indicat *rationem* eorum *inquantum sunt relativa*. — *Ib.* n. 3.

Relativi ad absolutum habitudo triplex. — *Relatio* potest *tripliciter* se habere ad *absolutum: Uno* modo *contingenter* et *per accidens*, ut *similitudo* ad *albedinem*. — *Alio modo necessario*, ut relatio *creaturae* ad *Deum*. — *Tertio* modo *secundum veram identitatem*, sicut in Divinis relatio *personalis* se habet ad *essentiam*. — *Quodlib.* q. 13. n. 24.

Relativorum proprietates. — *De prima* proprietate et *secunda*, quae sunt *recipere contraria*, et *suscipere magis* et *minus*, notandum, quod illae non insunt *per se* relationibus, neque forte relativis, sed tantummodo ratione eorum *in quibus per se fundatur relatio;* unde quae fundantur in formis suscipientibus *magis* et *minus*, vel *contrarietatem*, recipiunt haec: sicut *similitudo* secundum *albedinem* recipit *magis* et *minus* et *contrarium*, quia et *albedo* in qua fundatur; *similitudo* autem quae est secundum aliqua quae sunt in *quarta* specie *qualitatis* non suscipit *contrarium*, nec *magis* et *minus*, quia nec illa suscipiunt in quibus illa similitudo fundatur; et hoc loquendo de *prima* proprietate, de *contrarietate proprie* dicta: tum quia si illae duae *per se* inessent relationibus, posset esse *motus* in genere *relationis*, quia posset esse acquisitio partis post partem alicuius formae in genere relationis; et talis acquisitio est *motus*. Sed consequens est inconveniens, scilicet, *motum* esse *per se* in genere *relationis:* tum quia si in forma *relationis* esset suscipere *magis* et *minus*, relativum dictum secundum *magis* per se referretur ad duo, scilicet, ad aliquid dictum secundum *minus*, secundum eamdem formam, et praeter hoc, ad illud ad quod tale relativum *absolute* dicitur. Verbi gratia, *similius* diceretur per se ad *minus simile*, et praeter hoc, ad illud ad quod suum positivum refertur, scilicet, *simile:* sed consequens videtur inconveniens.

Propter hoc videtur dicendum, quod illae proprietates per accidens insunt relativis. — *Super Praedic.* q. 26. n. 5.

Relativum. — Secundum beatum Augustinum, *VII. De Trinit.* c. 2., *omne relativum est aliquid, excepta relatione*, hoc est, includit aliquod absolutum quod est fundamentum relationis. — *Oxon.* I. d. 26. nn. 10. et 42.

Relativum aequiparantiae. — Relativum *aequiparantiae* est aequivocum; proprie enim loquendo *relativum aequiparantiae* habet pro *fundamento proximo unitatem* speciei alicuius formae, in genere *qualitatis*, vel *quantitatis*. — *Alio modo* dicitur ubi est *aliqua unitas*, sive sit in *fundamento*, sive in *relatione*. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 6. n. 15.

Relativum aequiparantiae est aequivocum: quia *proprie* sumptum est aliquid relatum ad aliud secundum *eamdem formam specie*, a qua imponitur unum nomen, quod de utroque extremo relationis talis dicitur, cuiusmodi sunt *simile* et *aequale*, et huiusmodi. — *Transumptive* dicitur *relativum aequiparantiae* omne illud quod eodem nomine denominat utrumque extremum, licet illud nomen non imponatur ab *una forma* specie. — *Super Praedic.* q. 25. n. 13.

Religiosus. — Vid. *Praelatus-Religiosus.*

Reminisci. — Vid. *Recordari-Reminisci.*

Remorsus. — Vid. *Damnatorum punitio.*

Replicationis regulae. — *Prima* est haec: *quaecumque forma, quae prius naturaliter inest alicui quam* ubi, *non variatur, nec aliter inest, vel aliter se habet in illo propter aliud* ubi, *vel variationem circa* ubi, *quia prius non variatur ad variationem posterioris;* sed quaecumque forma simul inest alicui *ubi,* vel posterius quam *ubi,* variatur ad variationem *ubi,* quia *posterius* variatur ad variationem *prioris,* et ea quae sunt simul simul variantur.

Secunda est ista: quod *si passum existens in uno* ubi *haberet duo agentia simul approximata, quidquid possunt agere vel facere in passum existens in uno* ubi, *hoc possunt passo existente in diversis* ubi *approximatione priori debita.* — Haec sequitur ex prima, quia cum *actio* non praesupponat *ubi,* sed potius e converso, ad variationem *ubi* non sequitur variatio actionis; et ideo quidquid possunt duo agentia in passum existens in uno loco, vel in uno *ubi,* hoc possunt, salvata aequali approximatione, quantumcumque passum sit in diversis locis vel in diversis *ubi.*

Tertia est conversa secundae: *quidquid ageret unum agens in uno loco in duo passa simul existentia, hoc ageret si esset in duobus locis approximatis illis passis.* — *Report.* IV. d. 10. q. 3. n. 15. — Vid. *etiam Oxon. ib.* q. 2. et *Physic.* IV. qq. 1. 3. 4.

Repugnantia virtualis — formalis. — Aliqua possunt esse *repugnantia dupliciter:* vel *formaliter,* vel *virtualiter.* — *Virtualiter* repugnat causa naturalis et oppositum sui effectus. — *Formalis* repugnantia est illorum quae secundum *se* et *suos effectus* opponuntur, ut *album* et *nigrum.* Talis non est nisi quoad idem subiectum. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 16. n. 5. — Repugnantia enim formalis, et non repugnantia, primo reducitur formaliter ad rationem eius cui dicitur esse repugnantia. — *Quodlib.* q. 5. n. 25. — Non est ponenda inter aliqua esse formalis repugnantia, nisi vel in rationibus eorum propriis aliqua repugnantia includatur manifeste, vel necessaria ratione probetur includi vel sequi. — *Ib.* q. 19. n. 22.

Res. — Vid. *Ens increatum — creatum = Ens — Res.*

Res in Divinis dupliciter accipitur. — In Divinis *res* accipitur *essentialiter,* et *notionaliter,* iuxta illud Augustini, *I. de Doct. Christiana,* c. 1.: *Res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, eademque Trinitas, una quaedam summa res, communis omnibus fruentibus ea.* In prima parte auctoritatis accipitur *res personaliter;* in secunda *essentialiter.* — *Quodlibet. Praef.*

Res — Intentio. — Sicut quidquid est *signum* est *res,* secundum Augustinum, *De Doctrina Christiana,* licet non e converso, et ideo in distinctione *rei* et *signi res* accipitur pro illa re quae non est signum, licet illa quae est signum sit etiam res; ita in distinctione *rei* et *intentionis,* licet *intentio* sit *res,* et forte sensibilis res, in quam possit sensus tendere, tamen illa dicitur *intentio* quae non est tantum res in quam tendit sensus, sed est *ratio tendendi* in alterum, cuius est propria similitudo. — *Oxon.* II. d. 13. n. 3.

Resistentia. — *Resistentia* est illud quo *retardatur motus,* vel quo *impeditur motor,* ne velocius moveat, secundum cuius augmentationem diminuitur velocitas motus, et secundum cuius diminutionem augmentatur; et sic *resistentia* est quodammodo contraria virtuti moventis, vel quia inclinatur ad motum contrarium vel ad quietem.

Duplex est *resistentia:* quaedam *intrinseca,* et quaedam *extrinseca.* — *Physic.* IV. q. 8. n. 3.

Resistentia in actionibus naturalibus triplex. — *Triplex* reperitur *resistentia* in *actionibus naturalibus.* — Quaedam quae intermittit velocitatem motus vel actionis, et cum hoc gradum formae inducendae per actionem. Verbi gratia, in *frigefactione caliditas.* remittit *velocitatem frigefactionis,* quia subiectum velocius frigefieret si non esset calidum, et consequenter remittit gradum formae inducendae. Consimiliter in *motu locali,* quando densitas est adeo intensa, quod mobile non sufficit ad tantum

spatium moveri, ad quantum moveretur si non esset illa densitas: ut *vapor* ad maiorem distantiam movetur per aerem *clarum* quam per *nubem;* et sic densitas remittit gradum velocitatis, et cum hoc minuit de pertransito spatio.

Secundo reperitur *resistentia* quia *diminuit* velocitatem, sed non *diminuit acquirendum* per velocitatem. Verbi gratia, densitas medii super totum ambitum motus impedit, ne mobile moveatur ita velociter, sicut si medium esset rarius; sed non minuit de pertranseundo spatio; quia tantum pertransitur, sicut si medium esset in centuplo rarius.

Demum invenitur *tertio resistentia* quae diminuit *gradum* formae, sed non *diminuit velocitatem* actionis: sicut densitas medii respectu illuminationis impedit gradum luminis, quia minus lumen producitur in medio *denso* quam in *raro,* sed non impeditur velocitas, quia aequabiliter producitur lumen in medio densiori sicut in rariori, quando luminosum obiicitur super ipsum. — *Physic.* I. q. 16. n. 5.

Res naturales triplicis generis. — *Res naturales* inveniuntur in *triplici* differentia: — *Aliquae* enim sunt res naturales quae *manent semper* secundum permanentiam omnium suarum partium simul, nulla facta additione vel substractione, sicut *Sol.* — Sed *alia* sunt entia quorum partes *nullo modo manent* simul, sed consistunt in continua successione suarum partium ad invicem; sicut *tempus, motus,* et huiusmodi, cuius nulla pars manet simul cum alia. — Sed *tertio* sunt entia *media* inter ista duo, quae, scilicet, manent per permanentiam aliquarum partium, et aliae partes sibi invicem succedunt, aut per generationem et corruptionem, aut per additionem et subtractionem: ut, verbi gratia, *animalia, plantae, mixta,* et *elementa.* — *Physic.* I. q. 10. n. 5.

Res — Nomen. — *Quid est rei simpliciter,* et *quid est* quod per *nomen* significatur, non sunt eadem. — Et huiusmodi duplex est ratio: Una est, quia praecognoscendo *quid est rei simpliciter,* necesse est praecognoscere *si est,* quia *non ens* non habet verum *quid;* sed praecognoscendo *quid est* quod significatur per *nomen* tantum, non oportet precognoscere *si est, non ens* enim potest habere tale esse. Alia est ratio ad hoc, quia cognoscendo *quid significatur per nomen,* solum cognoscimus modo *indistincto* et *confuso;* et cognoscendo *quid simpliciter rei,* cognoscimus rem *determinate* et *distincte.* — *Poster.* I. q. 4. n. 2. — * Igitur * *quid est* quod significatur per *nomen,* et *quid rei simpliciter* non sunt totaliter eadem. — *Ib.* n. 4. — Vid. *Sacramentum.*

Resolutio. — Vid. *Compositio — Resolutio.*

Respectus — Habitudo — Relatio. — Respectus, habitudo, relatio sunt synonima. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 14. — *Respectus* est essentialiter *habitudo* inter duo extrema; et ideo sicut tollere terminum *ad quem* est respectus est tollere vel destruere respectum, ita tollere illud *cuius* est respectus est tollere respectum et destruere rationem respectus. — *Ib.* IV. d. 12. q. 1. n. 8. — Quia non est possibile quod sit respectus inter duo, quin sit *alicuius* et *ad aliquid:* non potest autem esse respectus alicuius ad aliquid, nisi insit illi cuius est respectus. — *Ib.* q. 2. n. 14. — Omnis respectus aliquid habet *in quo fundatur,* quod secundum se non est ad *aliud.* — I. d. 3. q. 5. n. 12. — Non est intelligibile ponere respectum subtrahendo terminum respectus. — *Ib.* n. 14.

Respectus intrinsecus — extrinsecus adveniens. — Haec differentia sufficiens, quae probabilius colligitur ex dictis auctorum, est respectus *extrinsecus* et *intrinsecus* adveniens, ut ille dicatur *intrinsecus adveniens* qui *necessario consequitur ambo extrema in actu posita,* vel, quod idem est, *necessario consequitur suum fundamentum, termino non excluso,* sed *posito.* — *Extrinsecus* autem est qui *non consequitur necessario extrema, etiam ambo simul in actu posita.* — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 9.

Respectus non potest magis *intrinsece advenire* fundamento, quam quod *necessario sequatur ipsum, posito termino,* quia omnino non potest inesse fundamento, circumscripto termino, quia tunc non esset *respectus,* sed forma *absoluta;* ergo si aliquis

respectus potest *extrinsecus advenire* fundamento, sequitur quod *non necessario sequitur* fundamentum, etiam termino posito. — *Ib.* d. 6. q. 10. n. 3. — Quia respectus *extrinsecus adveniens* potest fundari super fundamentum ex cuius principiis nullo modo egrediatur; nec fundamentum eius proximum oportet determinari ad illum aliquo modo *ex ratione sua propria*, quia tunc non esset respectus extrinsecus adveniens; sed tantummodo determinatur ad illum *ab ipso agente.* — *Ib.* n. 11.

Respectus est in duplici differentia: — Est enim quidam respectus *intrinsecus* adveniens, qui de necessitate advenit positis extremis; et talis tantum est de genere relationis, sicut, positis *duobus albis,* de necessitate sequitur *similitudo.* Similiter, posita *activa* et *passiva generatione* in *facto esse,* de necessitate ponitur *paternitas* et *filiatio.* — *Alius* est respectus *extrinsecus* adveniens, qui non ponitur de necessitate, positis extremis; talis est respectus importatus in sex aliis Praedicamentis relativis; posita enim re *quandali* vel *temporali* et tempore, non de necessitate ponitur *quando,* sed requiritur adiacentia *temporis* ad *temporale.* — *De Anima* q. 7. n. 7.

Nullus *respectus* sic intrinsece advenit absoluto, quod conveniat ei secundum se sive *ad se,* quia tunc non esset respectus; de ratione enim *respectus* est quod sit *unius* ad *alterum.* Ille igitur *respectus* dicitur *intrinsecus adveniens* qui necessario consequitur fundamentum posito termino; quia non potest esse respectus magis intrinsecus absoluto; et per oppositum ille est *extrinsecus adveniens* qui non necessario consequitur fundamentum, etiam posito termino. — *Quodlib.* q. 11. n. 13.

Responsio per aptitudinem. — Communiter *responsiones per aptitudinem* videntur minus efficaces, nisi detur aliquid per quod sit illa aptitudo; alioquin facile esset solvere omnia, dicendo, hoc sic est, quia talis *aptitudo* est. Non sufficit hoc. Si enim quaeratur *quare lapis descendit?,* non sufficit respondere, *quia aptus natus est,* nisi assignetur quae est *ratio aptitudinis.* — *Quodlib.* q. 4. n. 15.

Res — Ratio. — *Res* et *ratio* non faciunt unum *per se,* quia nec passio aliqua consequens rem ex natura rei potest facere unum per se cum subiecto cuius est effectus; ergo nec multo magis *ratio,* quia non sequitur rem ex natura rei, sed tantum consequitur eam per actum intellectus. — *Oxon.* I. d. 13. n. 9.

Resurrectio. — Cum secundum Damascenum, c. 19. lib. IV, *Resurrectio est eius quod cecidit et dissolutum est secunda surrectio,* et homo totus cecidit in morte; et etiam ponendo formam mixti ibi aliam ab anima intellectiva, ut credo esse verum, illud mixtum dissolutum est, vel in morte, vel post mortem, necesse est ad *resurrectionem* primo quidem ordine naturae illud mixtum reparari idem; et secundo illi mixto animam intellectivam eamdem reuniri, ut sic resurgat idem *homo.* — *Oxon.* IV. d. 43. q. 3. n. 2. — ib. q. 2. n. 4. — q. 5. n. 3.

Resurrectio * igitur * includit principaliter duo, scilicet: *reparationem* corporis organici prius incinerati, et ipsius corporis reparati cum anima intellectiva *iteratam unionem.* Reparatio item corporis organici et partium organicarum includit, tamquam dispositionem necessario sibi praeviam, recollectionem partium materiae dispersae. — *Report.* IV. d. 43. q. 5. n. 2.

Revelatio. — Posita tota actione intellectus agentis et phantasmatum, multae complexiones remanebunt ignotae et nobis neutrae, quarum cognitio est nobis necessaria. Istarum igitur notitiam est necesse nobis supernaturaliter tradi; quia nullus earum notitiam potuit naturaliter invenire, et eam aliis dicendo tradere, quia sicut uni, ita cuilibet ex naturalibus erunt neutrae. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 21.

Utrum autem post primam traditionem doctrinae de talibus possit aliquis assentire naturaliter doctrinae traditae? De hoc in 3. lib. dist. 23. Haec autem prima traditio talis doctrinae dicitur *revelatio,* quae ideo est *supernaturalis,* quia est ab agente quod *non est naturaliter motivum intellectus nostri pro statu isto.*

Aliter etiam posset dici *supernaturalis:* quia est ab agente *supplente vicem obiecti*

supernaturalis. Nam obiectum natum causare notitiam huius, *Deus est trinus et unus,* vel similium, est essentia sub propria ratione cognita: ipsa autem sub tali ratione cognoscibilis est obiectum nobis *supernaturale;* quodcumque igitur agens causat notitiam aliquarum veritatum, quae per tale obiectum sic cognitum natae sunt esse evidentes, illud agens in hoc *supplet vicem illius obiecti.* Quod si ipsum agens causaret notitiam perfectam istarum veritatum, qualem ipsum obiectum in se cognitum causaret, tunc perfecte suppleret vicem obiecti; sed si agens non ita perfectam notitiam causat, sicut obiectum in se causaret, tunc imperfecte supplet vicem obiecti, pro quanto, scilicet, imperfecta notitia, quam facit, virtualiter continetur in illa perfecta, cuius obiectum in se cognitum esset causa.

Ita in proposito; nam revelans hanc, *Deus est trinus,* causat in mente aliqualem notitiam huius veritatis, licet *obscuram,* quia causat de obiecto non sub propria ratione cognito; quod obiectum, si cognitum esset, natum esset causare notitiam perfectam et claram veritatis illius.

Pro quanto igitur haec notitia obscura in illa clara includitur eminenter, sicut imperfectum in perfecto, pro tanto revelans hanc obscuram et causans supplet vicem obiecti illius clarae notitiae causativi, praecipue cum non possit notitiam alicuius veritatis causare, nisi ut supplens vicem alicuius obiecti; nec veritatum talium de illo obiecto notitiam causare posset ut supplens vicem obiecti alicuius inferioris naturaliter motivi intellectus nostri, quia nullum tale virtualiter includit aliquam notitiam istarum veritatum, etiam nec obscuram. Igitur oportet quod in causando etiam istam obscuram, aliqualiter suppleat vicem obiecti supernaturalis.

Differentia istorum duorum modorum ponendi *supernaturalitatem* notitiae revelatae patet separando unum ab alio: puta, si agens supernaturale causaret notitiam obiecti naturalis, ut si infunderet Geometriam alicui, illa esset *supernaturalis* primo modo, et non secundo modo; si autem infunderet notitiam huius, *Deus est trinus,* vel similium, haec *supernaturalis* esset *utroque modo;* quia secundus infert primum, licet non e converso. Ubi autem est primus tantum, ibi non est necesse quod sit sic supernaturalis, quin naturaliter possit haberi; ubi vero est secundus modus, est necessitas ut supernaturaliter habeatur, quia naturaliter haberi non potest. — *Ib.* 22. — Vid. *Esse in revelatione.*

Reverentia — Latria. — Sciendum est, quod sicut *revereri* aliquem actu interiori est bona propria reputare parva respectu bonorum illius quem reveretur, cuius bona reputat magna, et est actus virtutis, ita *extollere* in corde bonitatem alicuius tamquam *summam* respectu bonitatis suae, et a quo ipse magnificans habet totam bonitatem suam, est actus quidem laudabilis, dummodo habeat obiectum sibi conveniens, illud, scilicet, cuius bonitas excedit bonitatem illius reverentis, et a quo ipse reverens habet bonitatem suam. Haec reverentia summa in actu interiori respicit solum Deum pro obiecto convenienti ut summum Bonum vel summum Dominum.

Huic actui *interiori* correspondent aliqui actus *exteriores,* qui sunt signa huius actus interioris: puta in quacumque lege aliqua *sacrificia,* vel aliqui *ritus,* vel *genuflexiones* protestantes istam reverentiam summo Domino exhibendam, et summam esse dominationem in eo cui talia exhibentur, et subiectionem esse ad illum in exhibente.

Ex istis actibus interioribus frequenter elicitis, et similiter ex actibus exterioribus, potest generari quidam *habitus* inclinans ad faciliter et prompte eliciendum tales actus; et sicut tales actus erant boni quando erant debite circumstantionati, ita habitus generatus ex talibus actibus frequenter elicitis est bonus.

Sic ergo hoc nomen *latria* potest *aequivoce* accipi: — *Uno modo* pro cultu sive reverentia exhibita Deo in actu *interiori,* ratione summi dominii vel summi boni; vel * *alio modo* * pro *habitu* inclinante ad talem actum; et ille habitus, cum sit consonus rationi rectae, virtus est; et non *theologica,* quia non habet pro obiecto immediato bonum increatum, sed honorem deferendum Domino increato; est ergo virtus *moralis,* et potis-

sime continetur sub *iustitia*, quia redditur superiori quod sibi debetur. — *Oxon*. III. d. 9. n. 2. — Vid. *Latria* — *Hyperdulia*.

Risibile — Rationale — Humanitas. — *Risibile* comparatur ad *hominem* sub illa ratione et habitudine qua est *proprietas* eius: et *rationale* ut est *differentia specifica:* et *humanitas* ut comparatur ad hominem sub ratione qua est natura sive *quidditas* eius. — *Quodlib*. q. 4. n. 17.

S

Sacerdos. — Sacerdos, tamquam Christi Vicarius in Ecclesia, repraesentans personam Christi, non debet habere aliquid repugnans Christo. — *Oxon*. IV. d. 33. q. 2. n. 4.

Sacerdos ratione Ordinis habet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem sibi convenit offerre et oblationis virtutem determinare; et in hoc non est praecise organum, sed minister et dispensator. Ipse ex Ordine suo est nuntius sponsae ad Sponsum, offerens petitiones specialiter pro determinatis personis. — *Quodlib*. q. 20. n. 14.

Sacerdos Evangelicus — Legalis. — Magist. dist. 18. c. 6. *In solvendis culpis*, inquit, *et retinendis ita operatur Sacerdos evangelicus et iudicat sicut olim legalis in illis qui erant contaminati lepra, quae peccatum significat.* Et probatur per illud Hieronymi: *In Levitico se ostendere sacerdotibus iubebantur leprosi; quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt.*

Sed istud videtur nimis derogare Sacramento Poenitentiae; nam secundum hoc per Sacramentum Poenitentiae nunquam deleretur peccatum; quia nullus digne *ostenditur* mundus a peccato, nisi *prius sit* immunis ab eo. — *Oxon*. IV. d. 14. q. 4. n. 6.

Ad illud Hieronymi respondeo: *affirmativa* illa vera est, scilicet, quod sicut Sacerdos legalis ostendebat leprosos mundatos, sic Sacerdos evangelicus ostendit peccatores iustificatos; sed *negativa*, scilicet, quod non aliter Sacerdos evangelicus se habeat ad leprosos spiritualiter quam Sacerdos legalis ad leprosos corporaliter, scilicet, *praecise ostendendo* munditiam hinc inde, falsa est. Et ratio est, quia non dedit Deus in veteri Lege aliquam ceremoniam vel purificationem, cui ministratae a ministro idoneo assistat *regulariter* ad mundandum lepram corporalem; dedit autem in Lege nova aliquod Sacramentum, cui ex pacto *regulariter* assistit ad mundandum spiritualiter, nisi impediat obex contrariae voluntatis. — *Ib*. n. 11.

Non igitur est simile de Sacerdote *legali* respectu *leprae* et de *evangelico* respectu *culpae;* quia ille tantum exercuit aliquid quod erat signum *rememorativum* mundationis leprae, et nihil quod esset signum *pronosticum efficax* respectu mundationis sequentis; sed iste exercet actum qui est signum *pronosticum efficax* mundationis sequentis in ultimo instanti; nec tamen mentitur, quia intelligitur absolutio eius pro illo instanti pro quo iste a Deo et ab Ecclesia est absolutus. — *Ib*. d. 19. n. 23.

Auctoritates ergo, quas Magister adducit pro se, *affirmative* loquuntur: quod hoc facit, et verum est, quod Sacerdos evangelicus ostendit illum mundatum et solutum pro istanti pro quo intelligitur sua absolutio; sed *non hoc solum*, imo sic ostendit, quod illa ostensio est dispositio praevia et necessaria ad illud quod ostenditur. Haec est enim excellentia Sacramentorum novae legis, quod eorum susceptio est dispositio sufficiens ad gratiam; illorum autem legalium nec susceptio erat dispositio efficax ad mundationem corporalem leprae, vel huiusmodi foeditatis.

Esset autem simile, si loqueremur de Sacerdote legali purificante aliquem per aquas aspersionis ab aliqua irregularitate contracta in lege ex contactu leprae vel huiusmodi: tunc enim Sacerdos ille exerceret quemdam actum qui esset signum efficax reconciliationis huius irregularitatis et

mundationis illius polluti, in cuius mundationis actu vel termino sequeretur effectus signatus, scilicet, quod iste esset dignus communicare cum caeteris Sinagogae. — *Ib.* n. 24.

Sacerdos proprius Confessionis. — *Cui,* dico soli Sacerdoti *potestatem habenti,* quia dictum est, *Ioann.* 20., Apostolis et eorum successoribus: *quorum remiseritis peccata,* etc. Et ideo Episcopis tenentibus vicem Apostolorum et Sacerdotibus aliis data est haec potestas audiendi confessionem et absolvendi. — Item, istud congruit, quia quibus data est potestas conficiendi corpus Christi *verum,* data est potestas super corpus Christi *mysticum.* — *Report.* IV. d. 17. n. 22. — Quantum ad *cui,* videtur specificare per hoc quod ait, *proprio Sacerdoti:* nam ex prima institutione Ecclesiae non videntur fuisse distincti *proprii* Sacerdotes. Quando enim Apostoli hinc et inde ibant praedicando verbum Dei, nec fuit iste Sacerdos istius gentis, nec illius, et nec iste, nec ille. Sed post sunt dioeceses distinctae et parochiae, et Sacerdotes in parochiis. — Et pro tunc tamen possunt et poterant dici *proprii* Sacerdotes *quicumque habentes iurisdictionem ordinariam* vel *commissam,* vel *soli* habentes iurisdictionem *ordinariam,* contra *commissarios,* vel strictissime *soli* habentes *immediatam* iurisdictionem et *proximam* ordinariam. Et secundum hos intellectus possunt fieri altercationes de intellectu illius capituli.

Si tamen ponderaretur virtus *vocabuli, proprio Sacerdoti,* proprius qui *solus,* et non alius, vel proprius *isti,* quia isti et non alii, neutro modo obligatur aliquis ad confitendum *proprio Sacerdoti.* Igitur intelligitur pro *habente iurisdictionem ad immediate absolvendum istum.*

Nec in hoc tunc specificatur praeceptum, quia in generali erat de *cui,* scilicet, *Sacerdoti habenti iurisdictionem.* Et si aliquis possit *committere* illam immediatam iurisdictionem uni, quam alius habet *ordinarie,* quod ipsi non negant Papam posse, igitur secundum istum intellectum, *commissarius* potest fieri *proprius:* non igitur illud, *proprio Sacerdoti,* specificat *cui* ut includitur in praecepto primo. — *Oxon.* IV. d. 17. n. 26.

Sacerdotis potestas duplex. — Sacerdoti competit duplex potestas, scilicet: conficiendi Eucharistiam et absolvendi poenitentem; quae non sunt una potestas, quia una videtur prior fuisse altera; cum in Coena contulit Deus primam; secundam autem non nisi post resurrectionem, *Ioan.* 20. — *Oxon.* IV. d. 24. n. 2. — Vid. *Clavis Spiritualis = Ordo (Sacramentum).*

Sacerdotium. — Vid. *Ordo (Sacramentum).*

Sacramentorum congruitas. — Congruum est effectum invisibilem causandum a Deo, ordinante hominem ad salutem, significari per aliquod signum sensibile, ut viator inquirens cognitionem ex sensibilibus, effectum illum invisibilem certius cognoscat. Nec solum congruit esse signum huius effectus quasi speculativum, per quod, scilicet, possit haberi conceptus in intellectu de illo signato, ut *homo* signat naturam humanam, sed signum quasi *practicum,* scilicet, quod signat signatum *esse* vel *fieri.* Nec adhuc signum practicum dubium seu aequivocum vel incertum, quia etsi per tale signum duceretur homo in cognitionem fieri huius effectus, non tamen appeteret illud signum sibi adhiberi, propter incertitudinem signi respectu fieri signati; ergo talem effectum signari per signum practicum certum et *efficax* fuit congruum, ut et homo ex tali signo effectum cognoscat, et in tali signo effectum ardenter quaerat.

Nec tamen congruit signum illud esse certum certitudine demonstrativa, sed quasi *ut in pluribus.* Sicut enim in speculabilibus aliquod signum est *certum* et *necessarium,* aliquod *ut in pluribus, I. Posteriorum,* sic posset signum practicum habere certitudinem *quasi necessariam,* si ipsum universaliter et quasi necessario concomitaretur *fieri* effectus, vel certitudinem *ut in pluribus,* si ipsum concomitaretur effectus *ut in pluribus.* — Non fuit autem congruum esse signum aliquod *certum* sensibile *primo modo,* quia cum illum signum sensibile debeat adhiberi ab homine, sequeretur quod in potestate hominis esset signum aliquod,

ad quod Deus universaliter causaret illum effectum invisibilem, quod auferret a suscipiente debitam praeparationem; sufficeret enim sibi, quod qualitercumque indispositus illud signum susciperet. — Congruit igitur effectum talem invisibilem significari per signum sensibile practicum *certum* certitudine *ut in pluribus*, id est, *semper*, nisi indispositio suscipientis impediat, et hoc signo naturaliter praecedente *fieri* signati, ut sic susceptio signi sit quasi dispositio ad signatum.

Has autem omnes conditiones, quod, scilicet, sit *practicum*, *certum ut in pluribus*, et *praecedens* naturaliter *fieri* signati, intelligo per hanc conditionem *efficax:* tale autem signum non potest esse aliquod sensibile significans *naturaliter*, quia nullum sensibile habet efficaciam naturalem ad effectum invisibilem; ergo congruit, quod sit signum institutum sive *impositum*.

Sic ergo habetur secundum totam rationem Sacramenti, quod congruum fuit Sacramentum institui propter cognitionem et desiderium causandum in viatore respectu effectus invisibilis. Et haec est ratio quam tangit Magister in littera, scilicet, propter *eruditionem*. Alias duas rationes tangit, propter, scilicet, *exercitationem* et *humiliationem*, quam expositionem tangit in littera. Et istae tres rationes concludunt rationem institutionis Sacramenti ex parte cuiuscumque personae *privatae*.

Est etiam alia ratio quae tangit illam congruitatem ex parte totius *communitatis*. Congruum est enim omnibus viatoribus unius sectae aliquibus signis exterioribus communicare et convenire, per quae etiam ab aliis alterius sectae distinguantur. Nam ex talibus signis noscit homo quis est suae sectae et quis alterius. Hoc autem expedit, quia qui sciunt se eiusdem sectae iuvant se mutuo ad observationem eius; et qui sciunt se dissimilis sectae vitant se mutuo tamquam mutuo se impedientes. Tale autem signum unitivum eorum qui sunt eiusdem sectae, et distinctivum ab aliis, expedit esse *practicum* respectu alicuius effectus invisibilis pertinentis ad observationem sectae. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 3. n. 2.

Pro quocumque statu in quo est morbus necessaria est *medicina*, et pro quocumque statu viae, maxime post lapsum, congruum est hominem manuduci ad invisibilia per aliquod sensibile: sed in omni statu viae, maxime post lapsum, morbus est in natura; ergo pro omni illo congruum est aliquod institui Sacramentum. — In *speciali* autem an *plura* pro tempore eiusdem legis, et *quae*, vel *quot*, tangetur inferius; hic enim tantum quaeritur in generali de *quando*, sicut de aliis conditionibus pertinentibus ad institutionem.

Ex hoc apparet, quod in statu *patriae* nullum congruit Sacramentum; quia tunc non indiget homo sensibilibus, ut cognoscat intelligibilia pertinentia ad salutem suam; neque tunc indiget excitari ad quaerendum pertinentia ad salutem, quia est perfecte consecutus salutem. — Pro statu etiam *innocentiae* non fuit congruum institui Sacramentum, sicut post lapsum, quia etsi tunc homo potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia, tamen nullum sensibile fuit necessarium, tamquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis, ut scilicet possit dici proprie *medicina*. — — *Ib.* n. 7.

Sic ergo patet, quod *necessitas* probari non potest, sed *congruitas* probatur per rationem. — *Factum* autem probatur per auctoritatem. — *Ib.* n. 2.

Sacramentorum distinctio. — Sciendum, quod *Sacramentum* uno modo distinguitur quasi *vox* in *significationes*, in Sacramentum *proprie* et *improprie* dictum. — *Alio modo* distinguitur quasi *superius* in *inferiora;* et hoc quidem *tripliciter:* Cum enim sit *sensibile signans aliquid*, vel potest esse aliud et aliud Sacramentum, quia aliud et aliud *sensibile;* vel aliud Sacramentum, quia aliam *significationem* habens; et hoc *dupliciter:* vel *simpliciter* aliam respectu *alterius* et *alterius* signati; vel *secundum quid*, seu imperfecte aliam, respectu *eiusdem* variati secundum *magis* et *minus*.

In quacumque lege potest inveniri Sacramentum distinctum *primo* modo. In qualibet enim lege sicut fuit Sacramentum aliquod *proprie* dictum, sic fuit Sacramentum

aliquod *improprie* dictum; imo multa talia, puta a principio, genuflexiones, inclinationes et prostrationes ad terram, et huiusmodi, quae possunt generaliter dici *sacra signa*, et ita improprie *Sacramenta;* haec etiam poterant esse eadem, et multa alia in lege Moysi et Evangelii. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 3. n. 8.

Sacramentorum efficacia. — *Efficacia* Sacramenti est, quod ipsum Sacramentum *inseparabiliter*, quantum est ex se, *semper sequatur et concomitetur signatum* quod signat (1). Ab eodem ergo Sacramentum, quod est *signum*, habet suam efficatiam, a quo habet quod ipsum inseparabiliter concomitetur effectus invisibilis, qui est *signatum* eius. — Sed quod huiusmodi *signatum inseparabiliter concomitetur aliquod signum*, contingit *dupliciter: uno modo*, quod sit ab eo ut a causa *principali: alio modo*, quod sit ab eo ut a causa *meritoria. Primo modo* sola voluntas divina est causa invisibilis effectus, quem signat Sacramentum, et ipsum concomitatur. — *Report.* IV. d. 2. q. 1. n. 2. — *Oxon.* ib. n. 6.

Sed quantum ad causam *meritoriam* efficientiae Sacramentorum respectu gratiae, dico, quod passio Christi est causa praevisa vel exhibita, ita quod in nulla lege habuerunt aliqua Sacramenta efficaciam *meritorie*, nisi a passione Christi praecredita, vel praevisa, vel ut iam credita fuisse exhibita. — *Report.* ib. n. 7.

* *Quae brevius sequentibus comprehenduntur:*

Sacramentum habere *efficaciam* est ipsum habere *regulariter* effectum significatum concomitantem; ergo ab illo habet efficaciam a quo est quod effectus concomitetur. — Quod autem sic concomitetur, potest esse ab aliquo *dupliciter:* vel tamquam a causa *principali* principaliter causante huius concomitantiam: vel tamquam a causa *meritoria*, quae, scilicet, meretur ut sit talis concomitantia. — Et secundum hoc dico, quod Sacramenta novae legis a solo Deo habent efficaciam tamquam a causa *principali;* a Christo autem patiente, sive a passione Christi, habent efficaciam tamquam a causa *meritoria.* — *Oxon.* IV. d. 2. q. 1. n. 6.

Sacramentorum gratia duplex. — In Sacramento datur *duplex* gratia: una *virtute Sacramenti:* alia ratione *boni motus* interioris, si insit in susceptione Sacramenti. — *Report.* IV. d. 1. q. 4. n. 10.

Sacramentorum materia — forma. — In quocumque Sacramento distinguitur *materia* et *forma*, *signum visibile* dicitur esse *materia*, *verba* vero *forma.* — *Oxon.* IV. d. 8. q. 1. n. 7.

Proprie loquendo de *forma*, prout est altera pars compositi, *forma Sacramenti* est ipsa *relatio signi*, *qua formaliter est tale Sacramentum*, et *materia* est *totum fundamentum ipsius relationis.* — Verumtamen, si in fundamento isto sint plura, ex quibus aliquo modo fit unum Sacramentum, quae non omnino aequaliter se habent, sed alterum sit quasi praevium et *determinabile*, alterum quasi posterius et *determinatio* praecedentis, primum potest dici *quasi materia*, per quamdam similitudinem ad materiam, et alterum *forma: materiae* enim est *praecedere* secundum originem et *determinari; formae* autem *sequi* et *determinare.* — Similiter illud quod est principalius et *actualius* potest dici *forma* respectu potentialioris. — Similiter quod est *spiritualius* potest dici *forma* respectu eius quod est minus spirituale. — *Ib.* d. 3. q. 2. n. 3. — Sic ergo patet, quod ubi aliquod signum concurrit sensibile in fundamento alicuius relationis Sacramenti, et aliqua verba simul, *verba* semper dicuntur *forma.* — *Ib.* n. 4.

Sacramentorum perfectio intensiva — extensiva. — Legem evangelicam congruum fuit Sacramentis *perfectissimis* adornari. *Probatio*: haec est *lex perfectissima*, quam Trinitas disposuit dare homini pro statu viae; est enim ultima, secundum illud *Matth.* 26. *Novi et aeterni Testamenti*, id est, post quod nullum aliud est futurum: in processu autem ab imperfecto ad perfectum posteriora sunt perfectiora; istud etiam est pro-

---

(1) « Sacramentum et *practice* significat effectum practicum causari in illo cui adhibetur, et sic signat, quod est signum *certum ut in pluribus* ». — *Oxon.* IV. d. 1. q. 3. n. 4.

ximum perfectissimo, scilicet, statui finalis beatitudinis; ergo competebat homini in statu illius legis perfectissimis adiutoriis ad gratiam praeparari, cuiusmodi sunt perfectissima Sacramenta; ergo etc.

Item *probatur secundo* sic: *perfectissima causa* meritoria gratiae, quam Trinitas disposuit dare generi humano, fuit Christus complens cursum suum in hac vita nobiscum: causa autem meritoria iuste inclinat Deum ad conferendum bonum illi pro quo talis causa meretur; causa etiam illa exhibita plus impetrat, quam promissa; ergo per passionem Christi exhibitam et confirmativam legis novae, congruum fuit maxima adiutoria ad gratiam hominibus conferri pro tempore illius legis observandae; ergo, etc. — *Oxon.* IV. d. 2. q. 1. n. 2.

Conditio ista *perfectionis* horum Sacramentorum exponitur perfectissime, et quantum ad *intensionem* perfectionis, et quantum ad *extensionem*. — *Primum,* quia *perfectio* Sacramenti consistit in *perfecte significando vere,* quantum ad cognitionem, et in *gratiam perfectam causando;* ergo Sacramenta novae legis debuerunt esse perfectissima *primo* modo, quia est lex *veritatis*: *secundo* modo, quia est lex *gratiae*. Unde *Ioan.* 1. *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*

Secundum, scilicet, perfectio maxima quantum ad *extensionem* declaratur: quia sicut in vita naturali primum est *generatio,* deinde sequitur *nutritio* et *roboratio,* et *sanitatis* perditae *reparatio,* et haec quatuor pertinent ad quamlibet personam *singularem;* praeter hoc autem requiritur aliquod pertinens ad *communitatem,* quo aliquis *constituatur in gradu* necessario ad aliquem actum necessarium communitati; ita *spiritualiter* ad completam perfectionem *extensive* oportet esse adiutorium aliquod pertinens ad *generationem spiritualem;* et secundo aliquid pertinens ad *nutritionem;* tertio pertinens ad *roborationem;* quarto ad *reparationem* post lapsum; praeter haec autem quinto requiritur aliquid esse quo *exiens finaliter praeparetur;* quia vita ista spiritualis quaedam via est ordinans, ut bene vivens in ea de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua praeparatur. Haec ergo *quinque* requiruntur tamquam adiutoria necessaria personae cuicumque *pro se*. Ad bonum autem *communitatis* observantis istam legem requiritur et *multiplicatio carnalis,* quia ista praesupponitur bono spirituali, sicut natura gratiae, et *multiplicatio spiritualis* aliquorum in ista lege. Sic ergo congruum fuit *septem* adiutoria conferri observatoribus legis evangelicae, in quibus esset *perfectio,* non tantum *intensiva,* sed etiam *extensiva* et sufficiens ad omnia necessaria pro observantia huius legis. Haec autem sunt, ut dicit Magister in littera, *Baptismus* pertinens ad *generationem spiritualem; Eucharistia* necessaria ad *nutritionem; Confirmatio* ad *roborationem; Poenitentia* ad lapsi *reparationem; Extrema unctio* ad *finalem praeparationem; Matrimonium* ad *multiplicationem* in esse *naturae* vel carnali; et *Ordo* ad *multiplicationem* in esse *gratiae* vel spirituali. — *Ib.* n. 3.

Sacramentum. — Ista oratio totalis non est in se falsa, eo modo quo Philosophus loquitur de oratione in se falsa, *V. Metaphys. cap. de Falso;* scilicet: *Signum sensibile gratiam Dei, vel eius effectum gratuitum ex institutione divina efficaciter signans, effectum,* inquam, *ordinatum ad salutem hominis viatoris.* Patet enim, quod nulla particula istius orationis repugnat alteri: non est autem in se ratio falsa, secundum Philosophum, *ibi,* nisi partes inter se contradicant. — Ista ergo ratio non est *pure non-entis,* puta, *puri impossibilis,* quia nihil est purum impossibile, nisi cuius ratio est in se falsa, ut patet *I. lib. distin.* 2. — Patet etiam, quod ista ratio non est *purae negationis* vel *privationis,* quia includit in se aliqua positiva.

Quod si supponatur istam rationem esse huius nominis, *Sacramentum,* sequitur, quod Sacramentum non est *purum non ens,* neque sicut *impossibile,* neque sicut *negatio.* Quod autem ista ratio sit huius nominis, *Sacramentum,* probari non potest; sed opportet supponere ex usu loquentium de *Sacramento,* sicut opportet supponere signata vocabulorum ex usu. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. n. 5.

Videndum est ergo de *secunda conditione*, scilicet, de *per se unitate*, utrum impediat definitionem proprie a *Sacramento* vel ab habente huiusmodi rationem nominis. — Quod autem ens *non unum per se* non sit definibile potest intelligi duobus modis, scilicet: vel quod consistat ex entibus *eiusdem* generis, vel *alterius*, quae tamen non sunt nata constituere per se unum. Primum tenet nomen entis *aggregati*, ut *cumulus* vel *acervus*; secundum dicitur proprie *ens per accidens*; patet *V. Met. c. de Ente et de Uno*. Neutrum autem horum est proprie definibile.

Et dicitur * ab aliquibus *, quod *Sacramentum* proprie non habet *unitatem*, ideo non est *definibile* proprie; includit enim multa ex quibus non potest fieri *per se unum*.

Sed contra hoc: licet enim *unum accidens* esset in *pluribus subiectis*, nihilominus illud esset definibile proprie, sicut aliud accidens, quia illa plura non pertinent per se ad rationem accidentis, sed tamquam *additamenta*: in ista autem ratione nominis praedicta patet, quod illud quod dicitur *sensibile* ponitur respectu *signi* sicut *additum*; ergo quantumcumque in illo non sit *unitas*, dum tamen illa alia quae pertinent ad rationem *formalem* nominis non impediant unitatem per se, non propter hoc *Sacramentum* erit non definibile; ita quod pluralitas de qua arguitur est illorum quae concurrunt in sensibili signante fundamentum illius relationis formalis quam importat *Sacramentum*. — *Ib.* n. 6.

Dico ergo, quod cum in ratione praedicta formali intelligatur esse *signum*, et etiam illa quae per se determinant rationem signi, cuiusmodi sunt *ex institutione*, et *efficaciter*, alia duo quae sunt ibi, scilicet, *sensibile* et *effectum Dei gratuitum*, sunt ibi ut *additamenta*: primum ut *subiectum* sive ut fundamentum, secundum autem ut *correlativum*. *Pluralitas* autem quaecumque, vel *subiecti* in se, vel *correlativi* ad *correlativum*, non prohibet relationem esse definibilem simpliciter; ergo nec excludit a *Sacramento* habere definitionem propter *non unitatem*. Ita enim est iste conceptus *per se unus* apud intellectum, *signum ad placitum efficax*, sicut est conceptus *paternitatis*, et sicut *paternitas* posset definiri proprie, non obstante *non unitate* per se *subiecti*, si paternitas esset in duobus subiectis, et illa ponerentur ut *additamenta*, poneretur etiam correlativum paternitatis; ita in proposito.

Tertio dico, quod in ratione nominis praedicta includitur aliquid quod dicit *ens rationis*, scilicet, hoc quod est *signum ex institutione*. Nam illa relatio non consequitur fundamentum ex *natura rei*, quia etsi in re sit *aptitudo* ad signandum effectum signatum, tamen *actualis* signatio non convenit sibi, nisi per actum imponentis. Restringendo ergo definitionem ad *quid* proprie dictum extra animam, ista definitio non exprimit *quid Sacramenti;* ergo non potest esse definitio eo modo quo est ratio *entis completi* extra animam. Sed eo modo quo definitio exprimit *unum conceptum per se in intellectu*, sive ille conceptus sit *rei* extra, sive *rationis*, bene potest definiri. Et hoc modo tantum, et non aliter, definiuntur omnes *intentiones logicales;* non enim signant *quidditates extra animam*, sed tantummodo *conceptus in anima*, sed *per se unos;* et sic habere definitionem sufficit ad scientiam proprie dictam, alioquin *Logica* non esset scientia.

In talibus definitionibus etiam invenitur *genus*, *differentia*, et *proprium*, eo modo quo Logicus loquitur de *genere*, *differentia*, et *proprio*, quia invenitur praedicatum in *quid* et in *quale essentiale* et in *quale accidentale convertibile*. — Et sic in ratione praedicta ponitur *signum* ut *genus*, *ex institutione* et *efficax* ut *differentia*, *sensibile* vero ut *fundamentum relationis*, *gratia* vero vel *effectus Dei gratuitus* ut *correlativum*.

De *quarta* et *quinta* conditione non oportet immorari. Patet enim quod *Sacramentum* secundum rationem nominis praedictam non habet conceptum *simpliciter simplicem*, nec conceptum *singularem*, sed *universalem* (1). — *Ib.* n. 7.

---

(1) Quoad praedictas *definitionis* proprietates, Vid. *Definitio* = *Definitionis conditiones*.

Ex his praedictis patet, quod *Sacramentum*, supposito quod eius sit ratio nominis quae supra posita est, potest simpliciter et per se definiri, eo modo quo *intentiones secundae* sunt per se definibiles; et quod absolute nihil repugnat quin absolute et verissime definiatur, nisi quia *proprium* eius *formale* est *ens rationis*, vel nisi quia includit aliquid quod est praecise *ens rationis*.

Ex isto articulo patet *corollarie*, quomodo se habent cognitio *quid est* et *si est* ordinate. In cognitione namque *si est*, secundum quod praecedit cognitionem *quid est*, non intelligitur de *actuali* existentia; alioquin demonstratio, cuius medium est definitio, non posset haberi de *non existente*, cuius oppositum vult Philosophus, *I. Posteriorum* et *VII. Met.*; sed intelligitur *si est* de ente cui *non repugnat* esse in effectu.

In *prima* conditione istarum quinque, applicando ad propositum, ostensum est de Sacramento *si est* isto modo, quia ostensum est Sacramentum esse tale cui *non repugnat* esse in effectu; et hoc supposito, inquirebatur in speciali *quid* esset.

Apparet etiam ordo cognitionis eius quod dicitur *per nomen* ad *si est:* quia in prima conditione istarum quinque praesupponitur *quid* dicitur *per nomen*, et ex illa ratione praesupposita concluditur *si est*. Et licet idem sit *quid nominis* et *quid rei* in habentibus *quid rei*, tamen prius cognoscitur aliquid esse *quid nominis* quam *quid rei*. Primum enim cognoscitur cognoscendo illud nomen esse intelligibile et significabile; secundum cognoscendo istud esse alicuius possibilis esse in effectu; et ex ratione eius possibili concipi et signari potest concludi aliquid posse subesse illi conceptui, et per consequens illam rationem exprimere verum *quid est*. — *Ib.* n. 8.

Eo * igitur * modo quo potest esse definitio *Sacramenti*, ut patet * ex dictis *, haec est eius definitio, scilicet: *Signum sensibile, gratiam Dei vel effectum Dei gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris*. Et in hoc, *efficaciter*, includitur tam *certitudinaliter* quam *prognostice*; et hoc accipiendo *prognosticum* pro signo, non tantum priori *duratione* signato, sed etiam *natura*. Hoc probatur universaliter in his quae possunt habere definitionem; eadem enim est *ratio* exprimens *quid* dicitur *per nomen*, et *vera definitio*. Nam, secundum Philosophum, *IV. Metaph.*, *ratio* quam significat *nomen* est *definitio;* et hoc apparet per rationem: quia *nomen* imponitur ad significandum essentiam rei; ergo ratio quae exprimit distincte et *per partes quid* dicitur *per nomen*, exprimit distincte per partes conceptus essentiae rei.

Ista autem ratio quae posita est, scilicet, *signum sensibile*, etc., est ratio huius nominis, *Sacramentum*, ut suppositum est supra ex usu loquentium de *Sacramento*. Et *Sacramentum* potest habere definitionem eo modo quo *entia rationis* definiuntur; ergo ista ratio est eius definitio; sic ergo probatur *quia* ita est.

Qualiter autem hoc possit esse, faciliter potest patere: quia ibi ponitur aliquid pertinens ad genus *relationis*, quod est *genus* in illo genere, eo modo quo in *relationibus rationis* ponitur *genus* et *species*, puta, hoc quod est *signum;* et illud determinatur *per differentias* huius generis, scilicet, *signi*, quae sunt ex *institutione* et *efficaciter*. Et ponuntur ibi duo *addita*, sicut universaliter in definitionibus *relationum* et *relativorum*, scilicet, *subiectum*, vel *fundamentum*, quod intelligitur per hoc quod est *sensibile;* alterum etiam, scilicet, *correlativum*, quod notatur per hoc quod est *gratiam* vel *effectum gratuitum*. — *Ib.* n. 9.

Ex his patet, quod illa ratio, *Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma* * ex Magistro Sent. *, si *recte intelligatur*, et per alia non explicata *suppleatur*, est propria ratio definitiva *Sacramenti*, eo modo quo *Sacramentum* est definibile. Est enim illa ratio, sic intellecta et suppleta, eadem cum ratione praedicta. — Quod enim ponitur *forma*, debet intelligi pro *signo sensibili*, eo modo quo *imago Herculis* dicitur *forma Herculis*. Quod ibi additur *visibilis*, debet intelligi pro *sensibili* in communi; et pro tanto debet intelligi *visi-*

bile poni pro *sensibili cuiuslibet* sensus, quia *visus* est *excellentior* omni sensu, et plurium differentiarum cognoscitivus, secundum Philosophum, *I. Met.* (1). Ponitur etiam ibi *visibile* pro *sensibili*, sive *uno* sive *pluribus*, et hoc pluribus pertinentibus ad *eumdem* sensum, vel *alium* et *alium*.

Ponitur autem ibi *gratiae invisibilis* pro *effectu Dei gratuito* interiori ordinato ad *salutem hominis viatoris*. Utrum autem *gratia* ibi sumatur universaliter pro gratia inhaerente animae *subiective*, an generalius, ut scilicet significet *effectum Dei gratuitum*, ect., in materia de Eucharistia (2) patebit; quia ibi res Sacramenti non est aliqua gratia *accidentalis* inhaerens animae. — Suppleri autem debent *differentiae* specificantes *signum*, puta, *ex institutione*, contra signum signans *naturaliter*, et *efficaciter*, contra signum *aequivocum* et signum sequens naturaliter signatum (3). — *Ib.* n. 10. — *Report.* IV. d. 1. q. 2. n. 7; * *unde sequentia addere iuvat* *:

Si loquaris de definitione prout dicit *unitatem conceptus quidditativi*, sive res signata sit in anima, sive non, sic dico, quod *Sacramentum* sit *signum invisibilis gratiae, ex institutione divina efficaciter vel veraciter eam repraesentans*; ut *signum* ponatur loco *generis*, *invisibilis gratiae* loco *signati* et *correlativi*, *ex institutione* etc. ponitur loco *differentiarum*.

Sed cum *relatio* non possit esse nisi in aliquo *fundamento finito*, cadet ne in definitione Sacramenti *finitum*, sicut *correlativum?* Et videtur quod non: quia fundamenta sunt sensibilia *unius* sensus, vel *plurium;* quaedam conformia *naturaliter* significatis, quaedam *ad placitum*, quae non sunt conformia, quae non videntur posse cadere in definitione alicuius unius.

Repondeo, et dico, quod a *fundamentis specialibus* omnium relationum Sacramentorum, ut ab *aqua*, et *oleo*, et *verbo*, et huiusmodi, potest abstrahi *unum commune*, quod est *sensibile*, unius rationis ad omnia fundamenta specialia, ut ad *visibile*, *audibile*, *tangibile*, et similia: et id *commune* omnibus potest cadere in definitione *Sacramenti* ut *additum* commune. *Relatio* enim, sicut accidentia aliqua, definitur per *additamentum*, et per duplex additamentum, quod non convenit aliis, sicut per *fundamentum*, sicut per *subiectum;* et praeter hoc etiam per *correlativum* ut per *terminum* cuius est; et tunc potest sic definiri, quod *est signum sensibile invisibilis gratiae ex institutione veraciter et demonstrative gratiam signans*.

Sapientia. — Ab eo quod est *sapere* est *sapientia*. — *Oxon.* III. d. 6. q. 1. n. 1. — *Charitas* exprimitur per spiritum *sapientiae:* universaliter enim quando in Scriptura commendatur *sapientia*, ut *Beatus vir qui in sapientia morabitur*, et huiusmodi, ibi *sapientia* est *charitas;* est enim habitus quo *sapit* habenti illud obiectum, quod est in se sapiendum, quo, scilicet, placet mihi bonum eius in se et illud volo mihi. — *Ib.* d. 34. n. 20. — Unde Philosophus, *I. Metaph.*, *speculationem* sapientiae non distin-

(1) « Dicitur autem magis *visibilis* forma quam *audibilis*, propter nobilitatem sensus *visus* ad omnes alios sensus, qui quodammodo est omnis sensus: sicut homo est quodammodo omnis creatura, propter naturalem convenientiam cum omnibus; et ideo ponitur in definitione *Sacramenti* loco omnium sensibilium ». — *Report.* IV. d. 1. q. 2. n. 5.

(2) Dist. 8. q. 1., ubi n. 4. dicit: « *Gratia* in definitione *Sacramenti* non accipitur tantum pro gratia *accidentali*, sed pro *effectu Dei gratuito* ».

(3) « An haec definitio sic completa sit eadem cum definitione illa qua dicitur, quod *est invisibilis gratiae visibilis forma?* Dico, quod si suppleantur differentiae praedictae, quod est eadem; aliter non. — Cum enim accipitur in illa definitione, quod Sacramentum est *visibilis forma, forma* non accipitur ibi pro forma *informante* et parte essentiali compositi, sed pro forma *declarante* et imitante; et sic accipitur ibi pro *relatione signi ad signatum*. *Visibile* autem accipitur ibi pro *fundamento* communi ipsius signi, scilicet, pro *sensibili*, quia visus, propter eius excellentiam ad alios sensus (ut *I. Metaph.* text. 3. dicitur), accipitur pro omni sensu. *Invisibilis gratiae* accipitur pro correlativo et signato ipsius signi. — Deficiunt autem differentiae; et si addantur, eadem definitio erit cum illa iam data: ut dicatur, quod *Sacramentum* est *invisibilis gratiae visibilis forma*, id est, *signum sensibile*, non quodcumque, sed *ex institutione veraciter et demonstrative gratiam signans invisibilem*. — Et hanc definitionem expressit Magister cum dixit, quod proprie *Sacramentum* dicitur *signum invisibilis gratiae, ut eius imaginem gerat, et causa existat*, id est, *efficaciter* eam signans et repraesentans ». — *Report.* IV. d. 1. q. 4. n. 9.

guit a *dilectione*, sed magis speculatio illa includit dilectionem. — *Ib.* IV. d. 49. q. 4. n. 15.

Sapientia versatur circa prima principia et proprias causas, quae sunt maxime scibilia, et etiam versatur circa communissima, quae etiam sunt maxime scibilia. — *Exposit. in Metaph.* l. I. S. 1. c. 2. n. 19.

Prima conditio *sapientis* est *scire omnia* sicut decet, scilicet, *in universali.* Qui novit universale quodammodo novit contenta sub universali, scilicet, in potentia et in *communi:* non enim oportet, quod qui novit universale sciat omnia in *particulari,* sed quod sciat aliquo modo, *ut contingit.* — *Ib.* n. 21.

Secunda est, quod illum ponimus *sapientem* qui *potest cognoscere difficilia ex ingenio sui intellectus;* non autem ponimus sapientem potentem scire ea quae levia sint omnium communiter ad cognoscendum. Illud ergo est proprium scire sapientis quod non cognoscitur leviter a quocumque.

Tertia est, quod illum accipimus *sapientem* qui *est certior de his quae novit,* quam sint communiter alii de his quae norunt. — *Ib.* n. 20. — Notandum, quod tanto aliqua scientia est *certior,* quanto ad notitiam sui subiecti scibilis habendam *pauciora* consideranda requiruntur, quia, caeteris paribus, et *facilius* et *certius* cognoscuntur *pauca* quam *plura.* — Ib. n. 23.

Quarta est, quod illum accipimus *sapientem* qui *circa quamcumque scientiam magis potest dicere,* id est, reddere et assignare causas eorum quae sciuntur et quaeruntur; et per consequens potest magis docere. — *Ib.* n. 20. — Illa scientia est magis potens docere quae *maxime considerat causas; scire enim* est *rei causam cognoscere,* ex *I. Poster.* (1); et per consequens ille potest alium docere et facere scire qui causas novit. — *Ib.* n. 23.

Quinta est, quod de numero scientiarum est magis scientia *quae per se est et gratia scire,* id est, propter ipsum scire magis accipimus esse *sapientiam,* et magis est sapientia quae est circa speculabilia, quam illa quae est circa contingentia.

(1) Vid. *Scientia* = *Scire.*

Sexta est, quod hanc *sapientiam* accipimus esse *principaliorem,* id est, digniorem *famulante,* id est, quam illa quae famulatur. — *Ib.* n. 20. — Secundum * enim * communem opinionem sapienti competit *ordinare,* non *ordinari* (1), *persuadere,* non *persuaderi;* quare talis scientia est magis sapientia famulante, et per consequens habens eam magis sapiens.

Huiusmodi *tales acceptiones habemus communiter de sapientia et de sapiente.*

Ex his omnibus praemissis potest colligi una talis descriptio *sapientis:* Quod est *qui omnia novit sicut decet, et difinibilia, certitudinaliter, et per causam, quaerens ipsam scientiam propter scire, persuadere potens aliis et etiam ordinare.* — Vid. *Habitus intellectuales quinque.*

Sapientia in Divinis. — Ratio *sapientiae* est *infinita.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 24. — *Sapientia* est *perfectio simpliciter,* et illius ratio absolute est in nobis, sed *cum limitatione;* ita quod sapientia nostra includit duo, quorum alterum est perfectio simpliciter, alterum non. — *Ib.* II. d. 44. n. 2. — d. 27. n. 4. — *Sapientia* secundum illam rationem, secundum quam est species *qualitatis* et *accidens* in nobis, non est eiusdem rationis in Deo. — *Ib.* I. d. 8. q. 1. n. 8. — *Sapientia* non est species *generis,* ut transfertur ad Divina, nec secundum illam rationem transfertur, sed secundum rationem *sapientiae* ut est *transcendens.* — *Ib.* q. 3. n. 30. — *Sapientia* in nobis est accidens; hoc est imperfectionis; sed quod ipsa sit quo aliquid est *sapiens,* hoc non est imperfectionis, sed essentialis rationis sapientiae. In Divinis autem est sapientia inquantum est quo lud in quo ipsa est *sapiens;* et hoc non per aliquam *compositionem* sapientiae ad aliquid quasi subiectum, nec quod sapientia illa sit *pars* alicuius compositi, sed per veram *identitatem* qua sapientia, propter sui infinitatem perfectam, perfecte est idem cuilibet cum quo nata est esse. — *Ib.* q. 4. n. 22.

Sapientia, licet ab essentia *quasi fundamentaliter* et originaliter habeat quod sit

(1) « *Sapientis enim est prima ordinatio, I. Metaph.* ». — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 20.

perfectio simpliciter, est tamen *formaliter* perfectio simpliciter et in se formaliter infinita; ita quod in eodem *instanti naturae* in quo sapientia iam actu est in essentia, si circumscribatur per impossibile ipsa essentia, et remaneat intellectus *sapientiae*, erit intellectus perfectionis simpliciter infinitae. — *Ib.* d. 26. n. 45.

Satisfactio. — *Satisfactio* uno modo accipitur *generaliter*, alio modo *stricte* et proprie. — *Satisfactionis generaliter sumptae* haec est ratio: *Satisfactio est redditio voluntaria aequivalentis alias indebiti.* — *Primum*, scilicet, *redditio*, patet; quia non est absoluta datio; nam hoc, quod est *satis*, dicit commensurationem ad aliquid praecedens correspondentem. — Quod dicitur *voluntaria*, patet; quia si esset involuntaria, non esset satisfactio, sed *satispassio*; et hoc modo ille, a quo exigitur in inferno poena debita culpae commissae, *satis patitur*, et non *satisfacit*. — Quod etiam sit *aequivalentis*, patet; quia hoc importat illa particula *satis;* hoc etiam requirit iustitia reddens satisfactionem pro illo cui correspondet. — Quartum, scilicet, *alias indebiti*, patet; quia si esset alias debitum, non satisfaceret pro isto, nam non esset correspondens isti secundum iustitiam, sed alii.

Et ista ratio *satisfactionis* communis est ad contractus et obligationes quascumque; hoc enim modo recipiens beneficium potest beneficianti benefacere; et hoc modo dilectus diligenti recompensando dilectionem aequalem; et ita tam in actibus liberalibus voluntatis quam in actibus quodammodo necessariis, scilicet, contractibus, ubi est quaedam obligatio quasi necessitans ad redendum, potest inveniri ista ratio. Consimiliter, cum culpa faciat delinquentem debitorem ei in quem peccat, potest ibi ista ratio *satisfactionis* inveniri, ut, scilicet, reddat sibi aequivalens, et alias indebitum, quantum abstulit per peccatum. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 1. n. 3. — Satisfactio enim generaliter accepta reddit pro peccato aequivalens ei in quem peccatur. — *Ib.* q. 2. n. 28.

Satisfactio in isto intellectu magis consistit in actibus *poenalibus* vel passionibus *voluntariis*, quam in aliis actibus bonis non poenalibus; licet quandoque posset per aliquem actum bonum non poenalem satisfieri, quia bene potest Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita uni culpae; licet enim non sit propria punitio, est tamen maius bonum, et magis reddens honorem, quam illa quae esset propria illius punitio. — Sed regulariter, sicut *culpa ordinatur per poenam*, et non per aliquod aliud magis bonum quam sit culpa, ita satisfactio isto modo dicta consistit in actionibus vel passionibus habentibus rationem *poenae*. — *Ib.* q. 1. n. 8.

De *satisfactione stricte sumpta* (1) dico, quod *satisfactio* est *operatio exterior laboriosa* vel *poenalis, voluntarie assumpta, ad puniendum peccatum commissum a se*, et hoc *ad placandum divinam offensam;* vel est passio seu poena *voluntarie tolerata* in ordine praedicto. Isto modo accipitur *satisfactio* multo *strictius* et particularius quam satisfactio *primo* modo; quia illa potuit consistere in actu poenalis passionis voluntariae *interiori* vel *exteriori*. — Secundum patet, quia ut opus *exterius* vel passio distinguitur contra actum vel passionem *interiorem* mentis, et contra actum oris, vel passionem concomitantem, non consistit satisfactio nisi in illis tribus operibus difficilibus, scilicet, *ieiunio, oratione* et *eleemosyna*, vel in *passionibus voluntariis concomitantibus* ista tria opera difficillima. — *Ib.* n. 11.

Peccatis in *genere* distinctis in tria membra, scilicet, in peccatum *carnis*, in peccatum *concupiscentiae oculorum*, et *superbiam vitae*, I. Ioan. 2., correspondent

(1) « Sumendo *satisfactionem stricte*, prout, scilicet, distinguitur contra alias partes *Poenitentiae*, confessionem, scilicet, et contritionem, dico, quod est *operatio exterior laboriosa voluntarie assumpta ad placandum divinam offensam*. — Et poena voluntarie sic inflicta dicitur satisfactio *exterior*, prout distinguitur ab *interiori*, scilicet, *attritione, rubore* in confessione et *contritione*, quae est displicentia, et poena interior, et essentialiter poena, quod magis reddit aequivalens pro peccato, quam aliqua alia satisfactio; quia illa displicentia interior, quae est essentialiter poena, potest satisfacere pro quolibet peccato indifferenter; et illa est necessaria ad remissionem cuiuslibet peccati mortalis, ita quod necesse est peccatum *displicere*, vel non placere ». — *Report.* ib. n. 11. — *Oxon.* ib. n. 11.

de congruo propriae satisfactiones in genere, scilicet: peccato carnis *ieiunium* vel universaliter quaecumque *maceratio* carnis magis ordinata ad reprimendum talem peccatum carnis, et sub isto comprehendo vigilias, peregrinationes, asperitates vestium, nuditatem vel discalceationem, imo generaliter quemcumque laborem fatigantem. — Peccato autem *superbiae* et caeteris spiritualibus magis appropriate correspondet *oratio*, quae et humiliat spiritum Deo, et roborat contra peccata spiritualia. — Peccatis autem circa *temporalia*, ut avaritiae vel cupiditati cuicumque, ut rapinae, furti, vel ablationis iniustae, magis appropriate correspondet erogatio *eleemosynarum*. — Et ratio istorum est, propter maiorem correspondentiam poenae ad culpam, quia *per quae peccat quis, per haec et torquetur.*

Sic dictum est de correspondentia ista in *generali* et de *congruo*. Sed de *necessario* vel *congruo in casibus specialibus* non sic; nam alicui potest non competere unum istorum operum poenalium, qui tamen peccavit peccato cui de congruo correspondet talis poena vel satisfactio. — *Ib.* n. 12.

Satisfactio placans — non placans. — *Duplex* * iterum * est *satisfactio*: una *placans*, et reconcilians amicitiam; et haec non potest esse sine merito et gratia, quia nullus potest placare sibi alium, nisi amicus; et per consequens hac satisfactione non potest aliquis satisfacere de uno * peccato * et non de alio. — *Alia* est satisfactio *exterior* solum, *non placans*, nec reconcilians; et hac satisfactione aliquis potest satisfacere de uno, et non * de * alio, quia non oportet quod solvens poenam iustam sit amicus illius quem offendit. Patet de *latrone*, qui suscipiendo dispendium, vel aliquam poenam pro peccato, quod commisit contra legem impositam sibi a Rege, satisfacit ei exterius; non tamen fit ex hoc amicus Regis, nec reconciliatur ei, ita ut recipiatur in gratiam eius. Eodem modo *damnati* non complentes poenam pro aliquo peccato pro eis impositam, sed continue exsolventes residuum eius in Inferno satisfaciunt pro illo; numquam tamen reconciliantur Deo. — *Report.* IV. d. 15. q. 1. n. 15.

Scibilia maxime duplicia. — *Maxime scibilia* dicuntur *dupliciter*: vel quia *primo* omnium sciuntur, sine quibus non possunt alia sciri; vel quia sunt *certissima* cognoscibilia. — *Maxime scibilia primo* modo sunt *communissima*, ut ens inquantum ens, et quaecumque sequuntur ens inquantum ens. — *Maxime* autem *scibilia secundo* modo sunt *principia* et *causae*; quae tanto sunt secundum se certiora quanto sunt priora; ex illis enim dependet tota certitudo posteriorum. — *QQ. Metaph.* Prol. n. 5. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. I. S. 1. c. 2. n. 19.

Sciendi modus. — Quia non est facile duo simul accipere, absurdum est simul velle habere *scientiam* et *modum sciendi*; propter quod oportet prius habere *modum sciendi* quam *scientiam*, et per istum modum procedere ad considerationem et notitiam veritatis.

Secundum expositionem Commentatoris, per *modum sciendi* intelligit Philosophus *Logicam*, quae *modus sciendi* dicitur omnibus aliis scientiis, ut est *utens*; omnes enim scientiae Logica utuntur, ut quatenus Logica tradit modum *definiendi*, *syllogizandi*, et huiusmodi, quae a Logica accipiunt omnes aliae scientiae, et per quae procedunt ad inquisitionem et notitiam veritatis. Prius ergo addiscenda est Logica, et sic est ad alias scientias procedendum ad inquisitionem et notitiam veritatis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. II. S. un. c. 3. n. 24.

Scientia. — *Extendendo scientiam* ad *fidem*, quomodo loquitur Augustinus *XV. De Trin.* c. 37., *Absit, ut scire nos negemus quae testimonio didicimus aliorum*, nec restringendo scientiam ut distinguitur contra *sapientiam*, quomodo Augustinus distinguit *XII. De Trinitate*, cap. 15., quod *ad sapientiam pertinet aeternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis;* medio modo accipiendo *scientiam*, prout *scire I. Posteriorum* text. 5. definitur, dico quod, *scientia* est *cognitio certa veri demonstrabilis, necessarii, mediati, ex necessariis prioribus demonstrati, quod natum est habere evidentiam ex necessario*

prius evidente, applicato ad ipsum per discursum syllogisticum (1).

Prima conditio, scilicet, quod est *cognitio certa*, excludens omnem *deceptionem, opinionem*, et *dubitationem*, convenit omni intellectuali virtuti, quia *virtus intellectualis* est *perfectio intellectus, disponens ipsum ad perfectam operationem*, et perfecta operatio intellectualis est cognitio veri *certa*, ideo omnis virtus intellectualis est habitus quo *determinate* verum dicimus; propter quod *opinio* et *suspicio*, quibus potest subesse *falsum*, non sunt virtutes intellectuales.

Secunda conditio, scilicet, quod sit veri *necessarii*, sequitur ex prima; quia si *scientia* esset veri *contingentis*, posset sibi subesse falsum, propter mutationem obiecti, sicut *opinioni*. Si ergo *scientia* est essentialiter habitus cognoscitivus *verus;* ergo essentialiter non tantum includit relationem communem habitus ad obiectum, sed *specialem*, scilicet, *conformitatis* ad ipsum obiectum. Nunc autem, si obiectum non esset verum *necessarium*, posset habitus idem manens quandoque conformari illi obiecto, et quandoque non, propter mutationem illius obiecti; et tunc posset esse quandoque *verus*, quandoque *non verus*. Et hoc est quod dicit Philosophus *VII. Metaph.* text. 53, (2) et *I. Post.* text. 21: *Corruptibilium non est demonstratio:* quia sicut non contingit scientiam quandoque esse ignotam, ita nec demonstrationem quandoque non esse demonstrationem: contingeret autem utrumque, si esset non necessarium, sed *contingens*.

Tertia conditio, quod *natum est habere evidentiam ex necessario prius evidente*, est propria distinguens *scientiam* ab intellectu *principiorum*, quia iste est veri habentis evidentiam *ex terminis*, ex *I. Post.* text. coment. 21: *Principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus; scientia* est veri habentis evidentiam *ex principiis*.

Quarta conditio est, quod sit *notitia evidentiae posterioris causata a priore per discursum syllogisticum* (1); et hoc est *imperfectionis*, nec est de per se ratione scientiae *secundum se*, sed tantum scientiae *imperfectae*, et non convenit *scientiae*, nisi in illo intellectu, cui convenit *discurrere*, et procedere *a noto ad ignotum*.

Ex hoc sequitur *corollarium:* quod de nullo potest aliud sciri nisi de quo possunt *plures* conceptus haberi, unus quidditativus, et alii quasi denominativi, secundum ordinem quemdam habentes ipsum quidditativum conceptum. Unde *tres primae* conditiones consequuntur scientiam ex per se ratione *subiecti* et *obiecti*, de quo natae sunt veritates necessariae esse in evidentia ordinatae. *Quarta* non ex ratione *obiecti*, sed ex comparatione ad *intellectum* talem vel talem quem perficit. — *Report.* Prol. q. 1. a. 1. *per tot.* — Cf. *Oxon.* III. d. 24. n. 13 seqq.

Scientia est *notitia necessaria veri dubitabilis, nata fieri evidens per praemissas in forma syllogistica applicatas.* — Per hoc quod dicitur *necessaria* differt scientia a notitiis *falsis*, et etiam a *veris contingentibus.* — Per hoc quod dicitur *veri dubitabilis* differt scientia a principiis *per se evidentibus*, quae a cognoscentibus *quod nominis* non possunt dubitari. — Ponitur ibi *nata fieri*, etc., quia non oportet quod *de facto* sit evidens per praemissas applicatas in syllogismo, quia potest esse evidens per *experientiam:* verbi gratia, ista conclusio, *luna est eclipsabilis*, potest esse evidens per experientiam, quae tamen est *demonstrabilis.* — Deinde ponitur *per praemissas in sillogismo applicatas*, ad differentiam quorumdam principiorum *naturalium*, ut quod *ignis est calidus*, vel huiusmodi; unde tale principium est notitia *necessaria dubitabilis*, tamen ab inexperto in illa notitia non dicitur *scientia*, eo quod non po-

---

(1) « *Quatuor* includit *scientia* stricte sumpta, scilicet: quod sit cognitio *certa*, hoc est, absque deceptione et dubitatione: de cognito *necessario*, causata a causa *evidente* intellectui, applicata ad cognitum per *discursum syllogisticum*. Haec apparent ex definitione *scire*, *I. Posteriorum*. Ultimum, scilicet, causatio scientiae per discursum a causa ad scitum includit imperfectionem ex parte scientiae, scilicet, quod sit effectus aequivocus, et etiam potentialitatem ex parte intellectus recipientis » — *Oxon*. Prol. q. 3. n. 26.

(2) Cf. expos. Doctoris, n. 123 seqq.

(1) « Scientia est *cognitio acquisita per demonstrationem* ». — *Post.* I. q. 46. n. 2.

test fieri evidens per praemissas in forma syllogistica applicatas; imo solum potest fieri evidens per *experientiam*. — *Prior*. I. q. 1. n. 7. — Vid. *Experientia* — *Scientia*. = *Habitus intellectuales quinque*. = *Scire* — *Scientia*. = *Scientia formaliter* — *virtualiter*.

Scientia communis. — *Scientia* dicitur *communis* a *subiecto*. Potest igitur intelligi *communis*, vel quia subiectum eius est *praedicabile* de subiectis aliarum scientiarum, vel quia eius subiectum cadit in *usum* omnium aliarum scientiarum. — *Super Univers. Porph*. q. 2. n. 2.

* Seu * *scientia* dicitur *communis* uno modo communitate *subiecti:* alio modo communitate *applicationis*. — *Primo* modo *Metaphysica* est scientia *communis*, quia considerat *ens*, quod est *commune* ad omnia subiecta omnium scientiarum. — *Secundo* modo *Dialectica* est *communis;* Dialectica enim est de syllogismo tamquam de subiecto: sed syllogismus est communis communitate *applicationis;* potest enim applicari ad subiectum cuiuslibet scientiae, quia quaelibet scientia utitur syllogismo. Et ideo dicit Aristoteles, quod *Dialectica*, cum sit *inquisitiva*, ad omnium methodorum principia viam habet. — *Poster*. I. q. 43. n. 2.

Scientia de aliquo potest esse multipliciter. — De aliquo potest esse *scientia dupliciter: Uno* modo tamquam de illo *quo* scitur; et sic de conclusione *demonstrata*, vel de *significato* per terminos conclusionis est *scientia;* et sic intelligitur Arist. *VI. Met. text. 4.* (1), quod *de ente per accidens non est scientia*, id est, de *conclusione* quae est *per accidens vera* non est *scientia;* sic similiter intelligitur illud *II. Physic. text. com. 53.*, quod *de casuali et fortuito non est scientia;* similiter illud *I. Posteriorum, text. 21.: scientia debet esse ex perpetuis*, id est, ex propositionibus *perpetuae veritatis* cum proponuntur.

Secundo modo de aliquo est *scientia* tamquam de illo *de quo* aliud scitur. Et hoc *tripliciter:* — *Primo modo* tamquam de *rebus* significatis per causas conclusionis scitae; et sic dicit Comentator in *II. De Anima*, quod *de rebus extra animam bene est scientia;* similiter Aristoteles dicit, quod *in propositione universali infinita sciuntur* — *Secundo modo* tamquam de *subiecto conclusionis* demonstratae; et sic dicitur *II. Physic. text. com. 75. et I. Post.*, quod *passio scitur de subiecto* — *Tertio modo* tamquam de *subiecto* alicuius *scientiae totalis*, ut scientiae *Naturalis*, vel *Methaphysicae;* et tale vocatur *subiectum* in ordine ad *passiones*. — *Physic*. I. q. 1. n. 2. — * *Quae ex sequentibus clarius apparent* *: De aliquo potest esse *scientia tripliciter:* — *Uno modo* tamquam de illo *de quo* aliquid scitur. Et hoc *dupliciter: uno modo* tamquam de *rebus* significatis per subiectum conclusionis: quemadmodum dicimus, quod de *lactuca* habemus scientiam, quod *sanat febrem;* sicut etiam dicit Aristoles in *I. Post. text. com. 167.*, quod infinita sciuntur in propositione universali*: secundo* tamquam de *subiecto* conclusionis, ut quando dicimus de triangulo *demonstratur habere*, etc. — *Secundo modo* de aliquo dicitur *scientia* tamquam de illo *quod*, scitur *de aliquo;* et sic dicitur in *II. Post.*, quod *passio* scitur de *subiecto*. — *Tertio modo* de aliquo est *scientia* tamquam de illo *quod* scitur. — Et hoc *dupliciter: uno modo* ut hoc verbum *scire* accipitur non modaliter, ut quando dico: *scio cantare*, id est, *habeo artem cantandi: alio modo* ut hoc verbum *scire* est *modus* terminans propositionem. — Et hoc *quadrupliciter*, ut dicit Linconiensis *I. Post.:* quia *primo* modo *scientia* est comprehensio veritatis etiam *contingentis* ad utrumlibet, vel *ut in paucioribus* : *secundo* modo *scientia* est comprehensio veritatis contingentis *ut in pluribus;* et sic sciuntur multae conclusiones *scientiae Naturalis* : *tertio* modo *scientia* est comprehensio veritatis *necessariae* et non contingenter; et sic sciuntur tam *principia* quam *conclusiones:* sed *quarto* modo *scientia est comprehensio veritatis necessariae dubitabilis, quae nata est fieri evidens per praemissas syllogistice applicatas;* et isto modo scitur conclusio *demonstrativa*, ut *homo est risibilis*, aut *significabile* per talem conclusionem, ut *ho-*

---

(1) Cf. exposit. Doctoris, n. 15 seqq.

minem esse risibilem. — *Prior.* I. q. 1. n. 2.

Scientia demonstrativa dupliciter consideratur. — *Scientia demonstrativa dupliciter* potest considerari: — *Uno modo* inquantum *utitur demonstratione,* per illam, scilicet, demonstrans effectus in aliis scientiis; et isto modo dicitur quaelibet scientia *demonstrativa.* — *Alio modo* dicitur scientia *demonstrativa,* quae *docet* ex quibus et ex qualibus debet esse demonstratio. — *Poster. I.* in Prol. n. 6. — Vid. *Demonstratio.*

Scientiae generatio. — *Dupliciter* generatur *scientia,* scilicet, per *inventionem,* et per *doctrinam.* Illa quae per inventionem prior est; nullus enim docet, nisi qui didicit vel per doctrinam, vel per inventionem; et si per doctrinam, adhuc habuit ab alio prius sciente.

Est autem de istis duobus modis addiscendi sicut de *sanatione;* quandoque enim natura est ita potens, quod sine adiutorio extrinseco inducit sanitatem: quandoque indiget adiutorio extrinseco, sed adhuc illud extrinsecum non est nisi *instrumentum,* et natura *principaliter* est sanans. Ita in quibusdam naturale lumen intellectus est ita potens, quod ex se sufficiat quod applicet principia ad omnes, et tunc dicitur *scientia* acquiri per *inventionem.* — Quandoque non potest, et tunc iuvatur quibusdam signis sensibilibus propositis sibi a docente, per quae docens exprimit applicationem quam apud se habuit, et addiscens concipit, et in virtute luminis proprii conclusioni consentit, quam deductam esse videt ex principiis sibi prius notis. — *QQ. Metaph.* l. l. q. 4. n. 3.

Scientiae Mathematicae quinque. — *Quinque* sunt *scientiae Mathematicae,* scilicet: *Arithmetica* et *Geometria,* quae sunt *pure mathematicae,* eo quod considerant de numero et magnitudine simpliciter, non contrahendo considerationem de illis ad aliquam specialem scientiam; sed aliae tres, scilicet, *Perspectiva,* et *Musica,* quam vocat * Aristot.* *Harmonicam,* et *Astrologia,* sunt scientiae *mediae* inter *pure Mathematicas* et scientiam *Naturalem.* Et ideo se habent quasi contrario modo in consideratione; nam *Geometria* considerat de ente *naturali,* non inquantum est naturale, scilicet, *materiale,* vel *mobile,* sed ea considerat quasi si essent separata ab istis; sed *Perspectiva* considerat *lineam mathematicam,* non secundum considerationem abstractam, sed inquantum linea illa est *sensibilis sensu visus.* Similiter *Musica* considerat *numerum,* non simpliciter, sed in ordine ad *sonum.* Similiter *Astrologia* considerat *magnitudinem,* non quantum ad conditiones quae competunt magnitudini, si esset separata a motu et materia, sed considerat magnitudinem quantum ad conditiones convenientes sibi ut *mobilis* est, et ideo considerat de magnitudine in relatione ad *motum.* — *Phys.* II. exposit. text. 20. n. 22.

Scientiae obiectum. — Materia *circa quam* est scientia dicitur a quibusdam *subiectum* scientiae, vel magis proprie *obiectum:* sicut et illud circa quod est virtus dicitur *obiectum* virtutis proprie, non *subiectum.* — *QQ. Metaph.* Prol. n. 10. — Nihil aliud est finis scientiae quam attingere per actum proprium obiectum. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 19. — In qualibet scientia intenditur principaliter cognitio sui subiecti primi. — *Ib.* q. 4. n. 17.

Illud est *per se obiectum* alicuius scientiae quod *continet virtualiter et primo notitiam omnium veritatum illius scientiae.* — Illud dicitur *primum subiectum* scientiae quod *primo continet in se virtualiter notitiam pertinentium ad scientiam.* Additur autem *primo continere,* quia sicut *primum* est quod *non dependet ab alio,* sed *alia ab ipso,* ita illud dicitur *primo continere* quod *non dependet ab aliis in continendo,* nec per rationem alicuius alterius continet, hoc est, si per impossibile, circumscripto omni alio in ratione obiecti, manet conceptus eius, adhuc in ratione obiecti *continet virtualiter* illas veritates: v. g. *Isosceles* continet virtualiter omnes conclusiones quas *triangulus,* quia continet *rationem trianguli;* sed non continet *primo,* quia non per *primam* rationem *Isosceles* specificatur, sed per rationem *trianguli.* — *Report.* Prol. q. 1. n. 5. 5. — *Oxon.* ib. q. 3. n. 7.

Sex videntur esse conditiones *primi subiecti.* — *Prima,* quod *ab ipso scientia specificetur et determinetur,* sicut potentia per suum primum obiectum. — *Secunda,* quod *ab ipso scientia habeat dignitatem suam.* — *Tertia,* quod de *ipso dicantur alia considerata in scientia,* sicut in propositione praedicatum dicitur de subiecto. — *Quarta,* quod *ipsum sit primum quod occurrit intellectui* in ista scientia, et alia quaerantur sub ratione eius. — *Quinta,* quod *ipsum possit esse subiectum principiorum scientiae.* — *Sexta,* quod *eius proprietates et passiones considerentur in scientia.* — *Report. ib.* n. 3. — * Quae omnia aliter exponuntur *: *Subiecti* in aliqua scientia totali sunt *aliquae conditiones:* — *Prima* est, quod subiectum debet esse *primo notum* in illa scientia cuius est subiectum (1). — *Secunda* est, quod tale subiectum debet esse *commune* ad omnia considerata in illa scientia; et ista sequitur ex praecedenti, quia communiora et magis confusa sunt ad cognoscendum priora, ut patet *I. Physicorum text. com. 3.* — *Tertia* conditio: subiectum debet esse *adaequatum,* ita quod non transcendat considerationem illius scientiae cuius est subiectum (2). — *Quarta* conditio, quod debet *praedicari explicite vel implicite* respectu passionum *principalium* illius scientiae. — *Quinta,* quod possit *dici in recto vel in obliquo de subiectis* aliarum conclusionum minus principalium, quae determinantur in illa scientia. — *Sexta,* quod per ipsum possit *convenienter responderi* ad quaestionem quaerentem *de quo* determinetur in illa scientia. — *Prior.* I. q. 2. n. 5.

Et notandum, quod *secunda* conditio non debet intelligi, quod subiectum sit *commune* secundum *praedicationem,* sed sufficit, quod omnia considerata in illa scientia reducantur ad illum subiectum, vel ut *principium,* vel ut *pars* subiecti, vel ut *passio* totius subiecti, vel principii, vel partis eius; et ita de aliis modis quibus fit reductio unius ad alterum.

Patet igitur quid *subiectum,* et quae sint eius *proprietates.* — *Ib.* n. 6.

* Vel brevius *: *Tres* sunt *conditiones* praecipuae *subiecti* in scientia: — *Prima,* quod sit notum *quid est* et *quia est;* nam haec duo, ut inquit Aristoteles *I. Poster. tex. 2.,* oportet praesupponere de omni subiecto demonstrationis. — *Secunda* est, quod per eius *quod quid est* demonstrentur in scientia passiones illius subiecti de eo. — *Tertia* est, quod ad ipsum alia omnia in scientia determinata reducantur, et propter ipsum considerentur; aliter enim ab eius *unitate* non esset *unitas* scientiae (1). — *Super Univers. Porphyr.* q. 3. n. 3. — *Physic.* I. q. 1. n. 3.

Subiectum cuiuslibet scientiae naturaliter inventae est aliquod *universale;* ideo oportet, quod habeat partes *subiectivas.* — Oportet cuiuslibet subiecti esse *principia,* per quae demonstrentur eius passiones de eo; ex quibus principiis, tamquam ex mediis demonstrationis, formantur principia complexa, sicut propositiones per se notae. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 18.

* *Praefata sequentibus complentur* *:

Sed accipiendo *scientiam* aliter, prout est una aggregatio tradita ex cognitione multorum cognoscibilium, simplicium et complexorum, principiorum et conclusionum, sicut Geometria dicitur *una* scientia, sic *subiectum* scientiae dicitur *unum commune* ad omnia ista subiecta scientiae proprie dictae, vel *unum primum* ad quod omnia alia attribuuntur. Pone enim * ex. gr. * unam scientiam demonstrantem de *figura* omnes passiones eius in *communi;* aliam quae demonstrat omnes passiones *specierum* figurae de ipsis, haec videtur subalterna primae, quia in hac aliqua passio ostenditur de figura in communi, et tamen huius *subiectum* videtur esse *figura* in *communi,* quia illud solum est commune ad omnia consi-

(1) « Ad istum intellectum: quod *primo* debet *occurrere intellectui* in consideratione illorum de quibus tractatur in scientia: sicut in consideratione scientiae Naturalis primo occurrit istud commune, *ens mobile,* vel *res naturalis* ». — *Physic.* I. q. 1. n. 3.

(2) Hoc tamen non impedit quominus « ratio sub qua aliquid est *obiectum primum* excedat in *perfectione cognoscibilitatis* omnia cognoscibilia in illa scientia ». — *Report.* Prol. q. 1. a. 4. n. 41.

(1) Vid. *Scientiae unitas.*

derata in scientia illa. — *QQ. Metaph.* lib. I. q. 1. n. 32.

Subiectum scientiae, secundum veritatem, non pertinet ad genus causae *materialis*, sed ad genus causae *efficientis;* dicitur autem *subiectum* scientiae *materia*, per quamdam similitudinem ad *factionem*, ubi simul concurrunt ratio obiecti *circa quod*, et ratio *materiae susceptivae;* quia *factio* est actus transiens extra; non sic est de actu proprio scientiae; tamen intelligitur *transire*, quia non terminatur in se, sed ad aliud circa quod est, licet non recipiatur in illo circa quod est, sed manet in *sciente*. Et propter hanc proprietatem *materiae*, scilicet, *esse circa quod*, *subiectum* dicitur *materia* respectu scientiae et actus eius. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 18.

In scientia perfectionis est, quod sit *evidens* et *certa*. Quod autem sit de *necessario* obiecto, haec est conditio *obiecti*, non *cognitionis;* quia quantumcumque *scientia* sit de *necessario*, ipsa in se potest esse *contingens* et per oblivionem deleri. Si igitur aliqua alia cognitio est *certa* et *evidens*, et quantum est de se *perpetua*, ipsa videtur in se *formaliter perfectior*, quam *scientia* quae requirit *necessitatem* obiecti. — *Oxon. ib.* n. 28.

Omnis scientia est de re non praecise ut existens est. Quod intelligo sic, quod ipsa *existentia*, etsi sit ratio intellecta in obiecto, vel citra obiectum, tamen non necessario requiritur, ut *actualiter* conveniens obiecto, inquantum obiectum est *scibile*. Istud probatur ex intentione Philosophi, *VII. Meth.* c. 13 (1). *Demonstratio*, inquit, *est necessariorum et definitio scientifica, et non contingit, sicut nec scientiam quandoque scientiam quandoque ignorantiam esse, ita nec demonstrationem, nec definitionem*, supple, quandoque contingit esse talem, quandoque non esse talem. Ex hoc concludit: *palam autem ipsorum, scilicet, singularium corruptibilium, neque scientia, neque definitio. Neque enim sunt manifesta corrupta scientiam habentibus, cum a sensu abscesserint, et salvatis in anima rationibus iisdem, non erit determinatio, neque definitio.* Intelligo sic rationem Philosophi: quod si de *contingenti*, sive de corruptibili ut tale, esset definitio vel demonstratio, cum illud tale possit quandoque esse, quandoque non, salvata tamen ratione in anima, sequitur, quod esset quandoque scientia de illo obiecto, quandoque ignorantia; et quandoque demonstratio, et quandoque non; quod est impossibile.

Ex hoc ergo habeo istam propositionem: quod cum ratio in anima posset manere non manente existentia actuali obiecti, sequitur, quod *existentia* non est per se ratio obiecti ut *scibile* est, quia ratio scientifica non potest manere eadem in anima, non manente illo eodem quod est per se ratio scibilis, ut scibile est: sive autem scibile possit existere in re, sive non, saltem ratio eius ut *scibile* est potest manere eadem in anima, non manente existentia; abstrahit ergo *scientia* ab *existentia*, ita quod non includit eam in ratione *scibilis*. — *Quodlib.* q. 7. n. 9. — Scientia * itaque * est obiecti *secundum quod abstrahit ab existentia actuali;* alioquin scientia posset quandoque esse, et quandoque non esse, et ita non esset perpetua, sed corrupta re, corrumperetur scientia illius rei, quod falsum est. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 6.

Scientiae unitas. — Quantum ad istud, unde sumatur *unitas* et *distinctio* scientiarum, *duo* declarabo: — *Primo*, quomodo potest intelligi respectu alterius *complexi* esse habitum *unum?* — *Secundo*, ex hoc apparebit quomodo diversimode sumitur *unitas* et *distinctio* scientiarum et quomodo respectu *plurium* conclusionum potest esse *idem* habitus, et quomodo non.

Quantum ad *primum* est sciendum, quod respectu alicuius *complexi* esse *unum* habitum potest intelligi *tripliciter:* — *Uno modo*, ut talis complexi intelligatur esse unus habitus specie *specialissima*. — *Secundo modo* potest intelligi, quod alicuius complexi sit unus habitus unitate generis subalterni *intermedii*. — *Tertio modo* unitate generis *immediati* generi *generalissimo*. — Declaratio istorum:

Habitum unum respectu alicuius *complexi* unitate speciei *specialissimae* dico illum quo intellectus inclinatur ad speculan-

(1) Cf. exposit. Doctoris, n. 123 seqq.

dum *formaliter tale complexum*, sicut frequenti consideratione huius conclusionis, quae est *habere tres angulos*, etc., derelinquitur in intellectu meo quaedam naturalis consimilitudo, qua intellectus meus inclinatur ad speculandum *formaliter* istam conclusionem. — *Secundo modo* ratio eiusdem *complexi* potest esse *unus* habitus unitate generis *intermedii*, quando intellectus aliquo habitu non inclinatur formaliter ad speculandum formaliter illud complexum, sed inclinatur ad speculandum formaliter aliquid extra hoc, quod tamen *virtualiter contineatur in alio:* ut v. g. illud *complexum*, quod est *habere tres angulos*, etc. Et si iste habitus debet esse unus unitate generis *intermedii*, oportet quod notitia illius, in quam formaliter inclinatur, *virtualiter* contineatur in aliquo; alioquin si eius notitia non virtualiter contineretur in aliquo, talis habitus erit unus unitate generis *immediate* proximi generi *generalissimo*. — *Tertio* igitur *modo* potest intelligi habitus esse unus unitate generis *inmediati* generi *generalissimo*, quando est talis habitus quo inclinatur intellectus ad speculandum, aliquid formaliter, cuius notitia *non continetur in aliquo formaliter;* iste autem habitus inclinando intellectum ad speculandum formaliter aliquid, inclinat naturaliter ad speculandum aliud, sicut illud complexum, *habere tres angulos*, etc. — *Miscell.* q. 7. n. 15.

His declaratis, apparet manifeste, unde sumitur *unitas* et *distinctio* scientiarum: quia *unitas specialissima* sumitur ex unitate complexi, in cuius notitiam *formaliter inclinatur* intellectus per istum habitum. Unitas *generis subalterni* sumitur ex hoc quod illud in quod inclinatur intellectus per istum habitum *continet virtualiter* notitiam alicuius alterius, de quo natus est haberi *unus* habitus *specie*, ita tamen quod notitia eius, in quam inclinat iste habitus, virtualiter contineatur in alio superiori. — *Unitas* generis *immediati* generi *generalissimo* sumitur ex hoc, quod notitia in quam formaliter inclinatur iste habitus *non continetur in aliquo superiori;* in ipso tamen virtualiter continentur principia aliqua, de quibus nati sunt haberi *distincti* habitus *specie*.

Ex his apparet manifeste quomodo respectu *diversorum* complexorum potest esse *una* scientia, et quomodo non; quia *secundo* et *tertio* modo *plurium* complexorum potest esse *unus* habitus: *primo* autem videtur ratio complexi esse proprius habitus. — *Ib.* n. 16.

Maior vel *minor unitas* in genere scientiae non attenditur penes hoc, quod subiectum unius est *magis commune* per *praedicationem* et *minus unum* quam subiectum alterius. Huius ratio est, quia quantumcumque aliquid sit communius altero, aeque tamen illud communius natum est cognosci uno actu intellectus sicut minus commune; aeque enim magis commune est cognoscibile sicut minus commune.

Ex isto, per modum cuiusdam *corollarii*, potest inferri, quod quamvis subiectum Metaphysicae sit magis commune quam subiectum naturalis Philosophiae, non propter hoc Metaphysica est *minus una* scientia in genere scientiae quam Naturalis Philosophia. — *Ib.* n. 17.

Viso igitur, quod *maior unitas* vel *minor* in genere scientiae non atttenditur penes *maiorem* vel *minorem communitatem* obiecti per *praedicationem*, dico, quod *maior unitas* vel *minor* in scientia attenditur penes hoc, quod subiectum scientiae, in cuius notitia formaliter inclinat scientia, *virtualiter inclinat* in *plura*, vel *pauciora*, de quibus nati sunt esse distincti habitus genere subalterno vel specie. Quandocumque igitur aliquae scientiae sic se habent, quod una inclinat intellectum ad speculandum *formaliter* aliquid, et *virtualiter* inclinat ad speculandum *plura*, de quibus possunt esse distincti habitus, quam alia, illa scientia est *minus una*. — *Ib.* n. 18.

Hoc declarato, videndum est quid sufficiat ad hoc, quod respectu *plurium* possit esse *una* scientia. — Ad cuius evidentiam est sciendum, quod habitum aliquem inclinando intellectum ad speculandum formaliter aliquid *inclinare ad speculandum aliud*, potest intelligi *dupliciter:* vel *potentiale* et in *confuso*, quomodo habitus de aliquo *communi* per *praedicationem* priorum illius communis inclinat ad speculandum proprias passiones inferiorum: *alio*

modo potest habitus inclinans intellectum ad speculandum formaliter aliquid, inclinare intellectum ad speculandum aliud *virtualiter*, ita quod eius notitia virtualiter contineatur in eo, ad quod formaliter speculandum inclinatur intellectus. — *Primus* modus non sufficit ad *unitatem* habitus in genere scientiae. — Respectu autem eorum quae sic se habent, quod intellectus virtualiter inclinatur ad speculandum ea, ex hoc quod inclinatur ad speculandum formaliter suum subiectum, potest esse *unus* habitus unitate requisita ad habitum in genere habitus. — *Ib* n. 19. — Vid. *QQ. Metaph.* l. I. q. 9. n. 5. — lib. VI. q. 1. *per tot.*, et *alibi.*

Unitas scientiae assignatur penes *obiectum*, quia illud est penes quod scientiae distinguuntur; non penes *intellectum*, quia intellectus *unus* est respectu *omnium* scientiarum. Et hoc modo distinguendo scientias, illa est *una* quae est *unius subiecti primi*, quatenus obiectum primum habet continere scientiam illam virtualiter; sed hoc non est nisi ut causa *partialis;* praeter *enim* haec, *intellectus* est alia causa *partialis* continens illam. Non est igitur aliud reducere scientiam ad obiectum primum, quam in altera causa partiali, habente in suo genere ordinem essentialem, reducere ad primum ibi simpliciter, et ab ipso assignare unitatem effectus, inquantum effectus est ab eo. Sed cum hoc stat, quod multo perfectius contineatur in reliqua causa partiali. — *Oxon.* I. d. 3. q. 8 n. 4.

Ad *unitatem* scientiae sufficit unitas *analogiae* in subiecto, ut determinatur *IV. Methaph.*, scilicet, quod omnia, quibus convenit subiectum scientiae, habeant per se *attributionem* ad *unum* primum in *essendo* et *cognoscendo.* — *Super Praedic.* q. 4. n. 10.

Quando autem subiectum scientiae est *analogum*, de illo secundum se non fiunt demonstrationes, sed de primo ad quod omnia alia attribuuntur; quia ad determinandum de multis analogatis sufficit determinare de *primo*, ad quod omnia alia attribuuntur, ut dicitur in principio *VII. Metaph.* Nec est inconveniens de subiecto scientiae secundum se nullam passionem ostendi, quando est analogum, si tamen passiones ostendantur de *primo* ad quod alia attribuuntur. — *Ib.* n. 11. — Cfr. *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 21. — q. 7. n. 41. — III. d. 25. q. 2. n. 3.

Scientia formaliter — virtualiter. — Aliqua cognitio potest dici *scientialis* dupliciter: primo *virtualiter:* secundo *proprie* et *formaliter.*

Illa cognitio potest dici * *scientialis* * *virtualiter* quae est *principium cognitionis scientialis:* sicut aliquid potest dici *principium calidi*, quod est *virtualiter calidum.* Isto modo dicitur, quod *cognitio subiecti*, de quo possunt demonstrari aliquae passiones, dicitur *scientialis virtualiter*, quia illud subiectum *virtualiter continet* illas passiones. Similiter *cognitio medii*, ut medium est, dicitur *scientialis virtualiter*, quia *virtualiter continet* conclusiones.

Secundo modo aliqua cognitio potest dici *scientialis formaliter* et *proprie.* Et isto modo cognitio omnium *conclusionum demonstratarum* in aliqua scientia, vel *demonstrabilium*, dicitur cognitio *scientialis formaliter* et *proprie;* quod patet per Aristotelem, *I. Post. tex. 35*, dicentem, quod *intellectus est principiorum, et scientia conclusionum.* — *De Cognit. Dei*, q. 2. n. 2.

Videndum * nunc * quae sint conditiones *essentiales scientiae*, et quae *accidentales.*

Et dicitur, quod illae sunt *essentiales:* quod *scientia* sit alicuius *complexi mediati, alicuius necessarii evidenter deducti ex quibusdam necessariis per se notis mediate vel immediate.*

Per *primam* conditionem, qua dicitur quod est *complexi*, distinguitur cognitio *scientialis* a notitia *simplicium terminorum.* — Per *secundam* conditionem, qua dicitur quod est complexi *mediati*, distinguitur cognitio *scientialis* a notitia *primorum principiorum*, quae est *immediata.* — Per *tertiam* conditionem, qua dicitur quod est alicuius *necessarii*, distinguitur a cognitione *fidei* vel etiam *opinionis*, quia fides et opinio possunt esse de *contingentibus.* — Per hoc quod dicitur *evidenter deducti* distinguitur a syllogismis *peccantibus* in materia

vel forma, quia licet sit ibi *deductio*, non tamen *evidens*, et *maxime in peccantibus in forma*. — Per hoc quod dicitur *ex aliquibus* distinguitur cognitio *scientialis* a notitia habita per *enthymemata*. — Per hoc quod subditur *ex aliquibus necessariis per se notis mediate vel immediate* distinguitur cognitio *scientialis* a cognitione habita per syllogismum *dialecticum*, quia licet syllogismus dialecticus possit aliquando concludere necessario, quia tamen non concludit *ex necessariis* sicut syllogismus *demonstrativus*, ideo, etc. — *Ib*. n. 4.

Secundo videndum est, quae sint conditiones *accidentales* scientiae. — Respondetur, quod aliquae sunt conditiones quae se tenent ex parte *obiecti*, aliquae ex parte *subiecti* in quo est scientia.

Unde illa quae se tenent a parte *obiecti*, quae *accidunt* scientiae ut scientia est in *creaturis*, sunt *quatuor*: — *Prima* conditio, quae accipitur in scientia ex parte *obiecti* in *creaturis* est, quod cognitio *scientialis* sit de *universalibus*. — *Secunda* est, quod *medium* demonstrationis sit *definitio* vel *quidditas*. — *Tertia* conditio quae accidit est, quod nulla demonstratio concludat passionem de subiecto secundum *actum*, sed secundum *aptitudinem*. — *Quarta* conditio quae accidit scientiae est, quod omnis demonstratio est de aliquo *causato*, quia fit per *causas* (1). — *Ib*. n. 5 * *ubi praedicta probat* *.

Ex parte autem *subiecti*, in quo est scientia, dico, quod accidit scientiae, quod sit *per discursum*, quia intellectus noster semper discurrit a praemissis ad conclusiones.

Advertendum tamen, quod ille discursus potest accipi *dupliciter*: et uno modo *accidit* scientiae; alio modo *non accidit*. — *Discursus* enim potest accipi pro deductione alicuius conclusionis ex principiis prius notis secundum ordinem *durationis*; et sic dico, quod *accidit* scientiae, ut scientia est, quia contingit sibi ratione illius intellectus in quo est. — *Alio modo* accipitur *discursus* pro deductione alicuius conclusionis ex principiis, non prius notis duratione, sed *natura*.

(1) Vid. supra *Scientia*.

Et sic dico, quod talis discursus *non accidit* scientiae. Quod probo, quia sicut omnis conclusio *scientialis* a quocumque intellectu est *deducibilis* ex principiis prius cognitis secundum *aptitudinem*, ita omnis conclusio cognita in *actu* est *actu deducta* ex principiis prius cognitis (1). — *Ib*. n. 6. — Quod *demonstratio* sit de *universalibus*, et similiter *scientia*, hoc *accidit* scientiae inquantum scientia est. — *Ib*. n. 11.

Scientia multipliciter accipitur. — *Scientia multipliciter* potest accipi: — *Uno modo* prout aliqua *notitia cum adhaesione firma* dicitur *scientia*; et quod talis scientia possit stare cum fide, vult Augustin. *I Retractat cap. 13*.

Similiter adhuc potest esse *scientia*, sive assensus non solum per credulitatem adhaerendo testimonio alieno, sed potest esse sicut veritati scitae assentitur, licet *non ex eisdem causis*, scilicet, evidentia necessaria; de quo assensu loquitur Philosophus *VI. Ethic.*, dicens, quod habitibus intellectualibus dicit aliquis determinate verum, et assentit uni parti, sicut aliquis assentiret conclusioni; et ita fides, qua assentitur alteri parti contradictionis determinatae demonstratae, esset scientia secundum Philosophum: et si esset de *speculabilibus*, reduceretur ad *scientiam*; si de *agibilibus*, reduceretur ad *prudentiam*; si de *factibilibus*, ad *artem*. Et isto modo fides infusa et scientia de revelatis stant simul, quia sic non accipitur *proprie* scientia.

Sed accipiendo scientiam *proprie*, ut accipitur *I. Posteriorum*, requiruntur *quatuor conditiones* in scientia. — *Prima*, quod sit *certa*, excludendo omnem dubitationem et deceptionem. — *Secunda*, quod sit cognitio *necessaria*. — *Tertia*, quod sit per *causam evidentem* in intellectu. — *Quarta*, quod sit per causam necessariam evidentem *applicatam ad conclusionem per discursum syllogisticum* (2). Propterea dicit Philosophus *I. Posteriorum*: *Tunc scire opinamur unumquodque simpliciter, et non sophistico modo, qui est secundum*

(1) Vid. *Discursus*.
(2) Vid. *Scientia* = *Scire* — *Scientia*.

accidens, per hoc excludendo omnem dubitationem et incertitudinem, *cum causam arbitramur cognoscere*, scilicet, causam necessariam, *et quia illius est causa*, per applicationem principiorum ad conclusionem; et hoc modo subiungit *demonstrativam scientiam* procedere ex *primis*, et *veris*, et *notioribus*, *causisque* conclusionis (1). Et illo modo accipiendo scientiam, impossibile est de eodem esse simul scientiam et fidem. — *Oxon*. III. d. 24. n. 13.

Distinguendum est, quomodo *multipliciter* de aliquo potest esse *scientia;* licet enim *proprie* dicatur de illo esse scientia *de quo aliud scitur*, ut de *subiecto passio*, tamen quandoque dicitur esse scientia de illo *quod* scitur, ut de conclusione, sive passione scita de subiecto, ut magis proprie diceretur scientia esse *eius* quam *de ipso*. — Et utroque modo sumendo *de quo*, scilicet, *proprie* vel *communiter*, multipliciter accipitur *scientia*. — Vel enim accipitur pro *habitu conclusionis demonstrationis*, prout, scilicet, est notitia cognita per causam *necessariam :* aut accipitur pro *quacumque* determinata *notitia*, per causam *per se*, licet non necessariam. — Si *primo modo*, adhuc potest *scientia* distingui secundum unitatem speciei *specialissimae*, generis *intermedii*, et generis *remoti* (2). — *QQ. Metaph*. lib. VI. q. 2. n. 4.

Scientia aequivocum est ad significandum *habitum* mentis et ad significandum *imaginem* scibilis; quae duo essentialiter sunt diversa. — *Primo* modo est species *qualitatis:* secundo modo est *per se relativum*. — *Super Praedic*. q. 10. n. 4. — *Collat*. VI. n. 13,

* *Scientia* potest considerari * prout dicitur *habitus conclusionis*, et prout dicitur *aggregatio multorum habituum*, tam principiorum quam conclusionum, aliquam tamen convenientiam habentium. — *QQ. Metaph*. lib. I. q. 1. n. 39.

Scientia naturalis. — *Scientia* non dicitur *naturalis*, eo quod *insit a natura ;* quia quaelibet scientia nostra est acquisita de novo, ut patet *I. Poster. text*. 2. — Secundo, non dicitur scientia *naturalis*, eo quod sit a *causis naturalibus ;* quia sic quaelibet scientia diceretur *naturalis*, nam quaelibet scientia est ab intellectu, una cum adiutorio sensus et obiecto exteriori, quae sunt *causae naturales*. — Ideo dico, quod scientia dicitur *naturalis*, eo quod est de *rebus naturalibus sub ratione qua dicuntur naturales*, et est illa ratio qua dicuntur *naturae*, vel habentes naturam, vel secundum naturam. Sed quia *natura* non dicitur absolute, sed in comparatione ad *motum*, ideo res dicuntur *naturales* in ordine ad *motum*. — *Physic. II*. q. 6. n. 2.

Scientia naturalis — mathematica — media. — Secundum Philosophum, *II. Physic. text. com. 16. et inde*, aliae sunt scientiae *pure naturales*, quae, scilicet, principia et res circa quas sunt, accipiunt a *sensu*. — Aliquae sunt *pure mathematicae*, scilicet, quae tam principia quam alia circa quae sunt, *abstracta* habent a materia sensibili et a motu, ut *Arithmetica* et *Geometria*. — Quaedam sunt *mediae*, nec pure philosophicae, nec pure mathematicae, quae, scilicet, accipiunt principia materialia, et applicant ea ad res naturales et ad motum, sicut est *Astrologia*. — *Exposit. in Metaph. Aristot*. lib. I. S. 3. c. 2. n. 80.

Scientia — Opinio — Fides. — *Opinio* habet non certitudinem; *scientia* habet certitudinem. — *Scientia* habet evidentiam ex parte rei; *fides* non evidentiam. — *Oxon*. III. d. 24. n. 9.

Scientia practica. — Scientia non dicitur proprie *practica*, quia actio intellectus ordinatur, ut ad finem, ad opus *extrinsecum*, cum multo nobilior sit intellectio vel speculatio, quam quodcumque opus extrinsecum; sed magis dicitur scientia *practica*, quia ordinatur speculatio ad *regulandum voluntatem*, ut recte velit. — *Report*. III. d. 18. q. 3. n. 14.

Habitus intellectualis *practicus* dependet ex *quatuor* causis, scilicet, *obiecto practico*, vel *materia practica*, et *fine practico*, et dependet ab intellectu tamquam ab *efficiente practicum* habitum. — *Collat*. XXX. n. 1. — Vid. *Cognitio practica* = *Praxis*.

---

(1) Vid. *Demonstratio*.

(2) Vid. *Scientiae unitas*.

Scientia practica duplex. — Omnis *scientia practica* vel est *activa*, vel *factiva*, sicut omnis *praxis est actio*, vel *factio*. — Dicitur autem *actio* operatio *immanens*, puta, *intelligere*, et *eligere* sive *velle*. Et ideo scientiae *activae* dicuntur quae dirigunt in praxim quae est *actio*, et sunt scientiae *morales*, puta, *prudentia*.

Factio vero dicitur operatio *transiens* in exteriorem materiam, ut *aedificare* et *secare*; et ideo scientiae *factivae* dicuntur quae dirigunt in praxim quae est *factio*, ut sunt scientiae *mechanicae*, puta, *ars*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VI. S. 1. c. 1. n. 7. — *Ib.* lib. XI. S. 3. c. 1. n. 55. — Vid. *Actio* — *Factio* = *Cognitio practica* = *Praxis*.

Scientiarum certitudo. — Tanto aliqua scientia est *certior*, quanto ad notitiam sui subiecti scibilis habendam *pauciora consideranda requiruntur*, quia, caeteris paribus, et facilius, et certius cognoscuntur pauca quam plura; unde scientiae *factivae practicae incertissimae* sunt, quia habent multas circumstantias considerare. Scientia ergo illa quae se habet *ex additione* ad aliam, et per consequens plura considerat, est *incertior*: quomodo se habet *Geometria* ad *Arithmeticam*; sicut patet considerando ea quae accipiunt, et quae considerant ut principia, ut sunt *punctus* et *unitas*; nam *punctus* addit supra *unitatem situm* vel *positionem*; ideo quantum ad hoc *Geometria*, quae considerat *punctum*, *incertior* est quam *Arithmetica*, quae considerat *unitatem*. Hoc autem modo se habent scientiae *inferiores* et *particulares* ad scientias *universales*, quia semper subiectum inferioris addit aliquid ad subiectum superioris, quidquid sit illud, sive sit differentia *essentialis*, sive *accidentalis*. Scientia ergo quae considerat de ente et huiusmodi communissimis, qualis est *Metaphysica*, est certissima omnium aliarum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 23. n. 23.

Scientiarum divisio. — Intelligendum est, quod si *scientia* dividatur penes *obiectum*, qualis est prima divisio eius, quia *differentiae specificae* sunt ignotae, quod sic poterit divisio procedere: Scientia alia est de conceptu *communissimo*, *per se* passiones habente, scilicet, de *ente*; et alia de conceptu *minus communi*, *primo* passiones habente; et per *primo* excluditur omne *accidens*, intelligendo sic, quod *primo* habens passiones non sit passio alterius. — Ulterius, *secundum* membrum subdividitur in scientiam de substantia *incorporea*, et in scientiam de substantia *corporea*. — *Tertia* divisione *secundum* membrum subdividitur in scientiam de substantia corporea, in quantum *sic* et *sic* consideratur.

Non ergo quodlibet membrum praedictae divisionis * est * aeque *unum*, sed Metaphysica, in qua *primo* stat divisio, est una unitate *generis proximi*, non habens sub se nisi species specialissimas, unde est una *secundo* modo (1). — Mathematica, sive Physica, in qua in *tertio* gradu stat divisio, est una tantum unitate *generis remoti* et *tertio* modo. Quarum utraque in plures descendit habentes *unitatem secundo* modo. — *QQ. Metaph.* l. VI. q. 1. n. 12.

Ex ista distinctione penes *subiecta prima* patet causa illius distinctionis, quam Aristoteles ponit in littera, scilicet, penes *modos definiendi*; ideo enim *Metaphysicus* definiendo omnino abstrahit a materia, quia sicut *ens* quod primo considerat, ita et quodlibet, inquantum sub eius considerationem cadit, non includit materiam, secundum quod vult Avicenna *I. Metaphys.* — *Mathematica* vero, quia considerat substantiam *corpoream* sub tali conceptu, secundum quem includit principia propria *quantitatis*, et ita necessario requirit materiam, licet non ut principium potentiale sive mobile, ideo Mathematicus sic definit per materiam, non inquantum principium motus. — *Physica* vero considerat substantiam corpoream, inquantum in conceptu quem de corpore habet includuntur principia *motus* et *operationis*; ideo per *materiam* sic definit, non quod *motum* ponat in definitione, quia ille est passio apud eum, sed *materiam* secundum considerationem contractam, secundum quam est *principium motus*.

Assignantur et aliae distinctiones istarum: quia *Metaphysica* est circa maxime

(1) Vid. *Scientiae unitas*.

intelligibilia, et *Mathematica* circa *imaginabilia*, *Naturalis* circa *sensibilia*; quod intelligitur secundum quamdam *appropriationem*; omnis enim scientia est circa *intelligibilia*, sed metaphysicalia nec in universali, nec in particulari sunt proprie *sensibilia*, sicut nec entitas, nec unitas, nec ista entitas, vel unitas, licet ex sensibus cognoscantur. Mathematica in singularibus et naturalia sunt *imaginabilia*, sed Mathematica non sunt sensibilia *primo*, licet *per se* Naturalia *primo*, licet non *motus*, nec *quies*. — *Ib.* n. 13. — *Ib.* lib. I. q. 1. n. 4.

Secundo videndum est, quomodo accipienda sit scientia *speculativa* quae hic dividitur. — Ubi sciendum, quod intelligendum est hoc primo de scientia speculativa *reali*, scilicet, quae considerat intentiones *primas* abstractas a singularibus realibus et dictas de illis *in quid;* per quod excluditur *Logica*, quae est de *secundis* intentionibus, quae de nulla re *primae* intentionis praedicantur *in quid.* — *Secundo* intelligendum est de speculativa scientia *stricte* sumpta, quae, scilicet, ex natura sui et subiecti ordinatur tamquam ad finem ad *scire* tantum; non autem ad *scire* directivum in aliqua operatione, quae non est essentialiter speculatio; per quod excluditur *Moralis*, quae *large* est *speculativa.* — *Tertio* intelligendum est de speculativa possibili acquiri ab homine ex *naturali* lumine intellectus, scilicet, ex principiis cognitis via sensus, quia cognitio nostra oritur a sensu, *I. Posterior.*, text. comm. 1; per quod excluditur speculativa cognitio de substantiis *separatis*, quantum ad *propria* ipsarum. — *Ib.* l. VI. q. 1. n. 9.

His visis, dicendum est, quod *scientia speculativa*, cum triplici determinatione praedicta sumpta, sufficienter ab Aristotele dividitur *in Physicam, Mathematicam et Divinam* et hoc *primaria* divisione, quae, scilicet, est in *immediate* contenta sub diviso. Quod ostenditur sic: quia talis divisio non potest esse in scientias habentes unitatem *primo* modo, quia istae sunt species specialissimae et remotissimae a diviso; ergo oportet, quod sit in habentes unitatem *secundo* modo vel *tertio:* sed istarum unitatum utraque correspondet unitati subiecti virtualiter continentis totam scientiam, ut dictum est prius; ergo secundum distinctionem talium subiectorum concluditur talis divisio scientiarum: sed talia subiecta prima speculabilia, proprie realia, de quibus possunt aliqua sciri via sensus, sunt tantum *tria;* ergo tantum *tres* scientiae speculativae *propriae* et *reales*, et *naturaliter* scibiles.

Minor ostenditur sic: ab omnibus speculabilibus realibus potest unum commune, scilicet *ens*, abstrahi: hoc commune habet proprias passiones, secundum Philosophorum, *IV. Metaph.*, cuiusmodi sunt omnia *transcendentia* denominativa, ut *bonum, unum, verum, actus* et *potentia*, etc.; ergo de *ente* est aliqua scientia possibilis quantum ad tales passiones; et est necessaria, quia cognitio nostra procedit a communibus ad propria, ex *I. Physicorum, text. com. 3.* et *inde: ens* autem est obiectum *reale;* quod patet, quia de rebus dicitur in *quid;* et est obiectum *proprie speculabile*, quia circa ens inquantum ens non est nata esse speculatio directiva in alia operatione a speculatione; et passiones eius ex principiis cognoscibilibus *via sensus* de ipso ostendi possunt; ergo habemus unum subiectum primum, quod habet omnes conditiones praedictas. Et sic patet una pars *minoris.*

Ulterius, quia habitus propriorum in universali non est respectu propriorum in inferioribus sub illo universali, nisi *in potentia* tantum et *secundum quid*, ad hoc quod intellectus circa alia speculativa perficiatur oportet inferius descendere, quaerendo subiecta specialia: sub *ente* autem prima dividentia occurrunt *decem generalissima*, de quibus ex principiis notis via sensus non sunt aliae passiones demonstrabiles, nisi *transcendentes;* ergo nullum illorum est subiectum alterius scientiae a Metaphysica; cuius tamen nullum istorum est subiectum *primum*, sicut nec *homo*, licet immediatius insit substantiae, quam homini passio, quae primo inest enti.

Quod si oportet ulterius dividere ad inveniendum subiectum alicuius scientiae, non oportet procedere dividendo aliquod genus *accidentis;* nam quodlibet istorum et quae-

libet species cuiuslibet eorum in aliqua specie *substantiae* virtualiter continetur, mediate vel immediate; et ita quodcumque istorum poneretur pro subiecto, licet forte haberet aliquam passionem de se scibilem, non esset tamen *primum* subiectum; ergo nec penes aliquod illorum accipietur distinctio prima scientiarum; ergo oportet dividere praecisse *substantiam*, ut subiectum habeatur *primum* scientiae alterius a Metaphysica divisa, aut *substantia* ponitur alterum membrum, scilicet, *incorporea*, ad Metaphysicum pertinere, et hoc propter hanc rationem, quia eiusdem est considerare genus aliquod, et *primum* contentum sub illo; substantia *incorporea* prior est sub *substantia*. — *Ib.* n. 10.

Sed haec ratio videtur deficere: tum quia scientia de diviso aequaliter videtur se habere ad utrumque dividens; ergo si est de uno sub propria ratione, et de altero: tum quia falsum supponitur, quod Metaphysica est de substantia *primo,* quod non est verum, sed tantummodo inquantum *ens*, et sic accidit considerationi eius, quod perfectius participet rationem *substantiae.*

Ideo est alia ratio quare substantia separata ad Metaphysicum pertinet, secundum quod Aristoteles ponit in littera ipsam pertinere, quia, videlicet, etsi habeat proprias passiones sibi primo inhaerentes, non tamen nobis scibiles via sensus: sed sic sunt solae passiones *entis*, de ipsa notae; unde verum est, quod ipsa est subiectum secundae scientiae speculativae possibilis intellectui cognoscenti ipsam sub propria ratione, sed non nobis.

Restat ergo substantia *corporea,* cui absolute consideratae inest primo *quantitas continua,* et secundum aliquos *discreta,* et mediante quantitate, omnia quae quantitatem consequuntur, ut relationes fundatae super quantitatem, et qualitates *quartae speciei* (1). Et istae passiones sunt de ipsa cognoscibiles ex principiis notis *via sensus;* ergo ipsa potest esse et est scientiae speculativae subiectum possibilis nobis, alterius a Metaphysica, et haec vocatur *Mathematica;* quae licet dicatur de *quanto*, vel *quantitate,* quia non multum Mathematica comparat quantitatem ad substantiam corpoream, tamen subiectum *primum* virtute continens omnia est substantia *corporea.*

Ulterius eadem substantia corporea non contracta ad inferius, sed alio modo considerata, scilicet, inquantum habens formam, quae est *principium* determinatae *operationis,* et *motus* et *quietis,* habet multas passiones sic sibi inhaerentes, et scibiles per *viam sensus;* ergo quoad illas erit alia speculativa, quae dicitur *Physica* sive *naturalis.*

Praeter istas non potest inveniri alia scientia speculativa, quae non sub aliqua istarum contineatur, puta, si sit de aliqua *substantia inferiori;* vel in aliqua istarum includatur, puta, si sit de aliquo *accidente;* ergo sunt tantum istae *tres* primo dividentes speculativam scientiam penes *tria* subiecta habentia conditiones superius expressas. — *Ib.* n. 11.

Nulla res mundi potest concipi, nisi altero *trium* modorum concipiendi, scilicet: per modum *substantiae,* vel *accidentis,* vel alterius *conditionis* ad suam *quidditatem pertinentis;* vel sub conceptu *moti,* vel *mobilis* affirmative, vel negative; aut sub conceptu *mensurabilis,* vel *numerabilis.* — *Primo* modo est *Metaphysica: secundo* modo scientia *Naturalis,* et *tertio* modo *Mathematica;* et ideo non sunt plures * quam *tres* *. — *Physic.* I. q. 1. n. 7.

Scientia speculativa — practica. — Omnis illa scientia in qua quaeritur *ipsum scire propter seipsum* est *speculativa.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. I. S. 1. c. 2. n. 27.

Scientia *speculativa stricte* est illa cuius finis ex natura scientiae est *praecise speculari,* non directiva ex se aliqua operatione alia a speculatione. — Et per oppositum *practica large* sumpta est cuius finis est ex natura scientiae esse *directivum* in actu alicuius, qui non est essentialiter speculatio. — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 1. n. 23.

Ergo scientia *practica* et *speculativa* non distinguuntur penes *obiectum,* quia nullum est intelligibile circa quod non possit esse, secundum rationem absolutam eius, ita operatio *voluntatis* sicut operatio *intel-*

---

(1) Vid. *Qualitatis modi seu species.*

lectus. — Richardus I. q. 4. vult, quod magis distinguatur a *fine* quam a *materia*, et hoc loquendo de fine *essentiali*, quem *scientia ex se* respicit, non *accidentali*, quem *sciens sibi praefigit;* quod probatur, quia de quantumcumque operabili potest esse scientia *speculativa.* — *Ib.* l. I. q. 7. n. 5.

Practicum et *speculativum* non sunt differentiae essentiales *scientiae* vel notitiae *in communi,* quae est quoddam absolutum; quia *practicum* dicit duplicem respectum notitiae aptitudinalem ad praxim ut ad terminum, *speculativum* autem privat illum respectum duplicem: nec respectus, nec privatio eius est de essentia absoluti. Sed est quasi divisio *generis* per proprias passiones *specierum,* sicut si dividatur *numerus* per *par* et *impar,* vel *linea* per *rectum* et *curvum.* Alicui autem notitiae convenit *practicum per se secundo modo,* ex causa intrinseca praedicati in subiecto; alicui *speculativum.* — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 7. — Vid. *Scientiarum divisio.*

Scientia subalternans — subalternata. — Scientia *subalternans* habet principia *immediata* et prima, quae non habent resolvi nisi in terminos simplices, notos ex *evidentia rei in se;* et ideo principia sunt nota *propter quid* ex terminis per se notis ex evidentia rei. — Scientia autem *subalternata* non habet principia *immediata* et prima resolubilia immediate in terminos simplices, notos ex evidentia rei; et ideo non sunt nota propter *quid* in scientia illa, sed in *subalternante,* in qua sunt conclusiones demonstratae; et ideo scientia *subalternata* accipit principia sua a scientia *subalternante,* et supponit ea esse vera, et sunt nota sibi non *propter quid.* — *Oxon.* III. d. 24. n. 2. — Hoc enim proprium est scientiae *subalternae,* quod cognitio *subalterna* sciat ipsum *quia,* et scientia *subalternans* ipsum *propter quid.* — *Miscell.* q. 6. n. 16.

Scientia *subalternata* et *subalternans* non se extendunt ad aequalia scibilia, quia *principia* subalternatae sunt *conclusiones* in subalternante. Dicit etiam Philosophus, *I. Poster., text. 69, et in II. Phys.* et Commentator, *ibid. comment.* 18., quod *subiectum subalternatae* se habet per *additionem* ratione scientiae *subalternantis.* — Scientia *subalternans* et *subalternata* non sunt primo de eisdem conclusionibus, quia *conclusiones* in scientia *subalternante* sunt *principia* in scientia *subalternata* — *Report. Prol.* q. 2. n. 4. — Quia ubi *subalternata* incipit ibi *subalternans* desinit. — *Oxon.* q. 3. n. 30. — Cf. III. d. 24. nn. 4 et 18.

Conditio una *subalternatae* scientiae est, quod subiectum suum sit sub subiecto *subalternantis.* — *Alia* est, quod scit *quia,* ubi superior scit *propter quid,* et a superiori accipit sua principia ad probandum conclusiones. Aliquando autem subiectum addit super subiectum differentiam *essentialem,* sicut *binarius* super *numerum:* aliquando *accidentalem,* sicut *sonus numero;* sed nunc est ita, quod in omnibus scientiis discurrenti patet, quod subalternata tantum addit supra alterius subiectum *accidentalem* differentiam; ita est communiter in omnibus scientiis, quod magis subalternatae addunt differentiam *accidentalem* quam *essentialem.* Unde omnis subalternata duabus subalternatur, secundum duo quae in eius subiecto includuntur, ut patet de *Musica* respectu *Naturalis* et *Arithmeticae.* — *QQ. Metaph.* l. I. q. 9. n. 7.

Subalternatio autem requirit, quod notitia principiorum scientiae superioris sit causa notitiae principiorum inferioris scientiae. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 29.

Scientificum — Ratiocinativum. — *Scientificum* alia particula est quam *ratiocinativum,* quia *scientificum* est circa *necessarium,* et *ratiocinativum* * potest esse * circa *contingens.* — *Collat.* XVII. n. 10.

Scio — Cognosco — Ignoro. — Ista verba, *scio, cognosco, ignoro,* faciunt propositionem in *sensu composito,* scilicet, quando praecedunt vel sequuntur totam propositionem: seu in *senso diviso,* quando ponuntur inter partes propositionis. — *Propriissime* tamen dicuntur *de dicto,* ut *cognosco hominem esse, cognosco hominem currere,* et sic de similibus; et multum refert quando aliquis terminus ponitur a *parte ante* respectu istorum verborum, et quando ponitur a *parte post;* et ideo Aristoteles, in *I. Elenchorum,* ponit differentiam inter istas: *ve-*

nientem cognosco, et cognosco venientem; quia ad veritatem primae sufficit, quod illa res quae est veniens cognoscatur, ignorato adhuc *an sit veniens* vel non; sed ad veritatem secundae requiritur, quod veniens cognoscatur et cognoscatur *esse veniens.* — *Physic.* III. q. 1. n. 3.

Scire — Scientia. — *Scire autem opinamur unumquodque, cum causam rei cognoscimus, et quoniam illius est causa, et quoniam impossibile est aliter se habere.* Hanc propositionem descripsit Aristoteles *primo huius, cap. 2. text. 5.*

In hac propositione duo notantur: primo *actus sciendi:* secundo *notificatio actus.* — Primum ibi, *scire;* secundum ibi, *cum causam arbitramur cognoscere,* etc.

Circa *primum,* sciendum primo, quod *scire* dicitur *quatuor* modis, secundum Linconiensem: — *Uno* modo *communiter;* et sic sciuntur *contingentia ad utrumlibet;* sicut ego scio *te sedere.* — *Secundo* modo dicitur *scire proprie;* et sic sciuntur *contingentia nata.* — *Tertio* modo dicitur *scire magis proprie;* et sic sciuntur tam *principia,* quam *conclusiones,* et omnia necessaria (1). *Quarto* modo dicitur *scire maxime proprie;* et sic sciuntur *necessaria, quorum esse dependet ab aliis:* et sic sciuntur *conclusiones* in demonstratione; et isto modo definitur hic *scire;* et ideo dicit Aristoteles *I. Post. cap. 2. tex. 5.*: *Scire simpliciter quod non est secundum accidens, nec sophistico modo.*

Circa *secundum,* videlicit, circa *actus sciendi notificationem, tria* notantur ex parte *scientiae,* et *tria* necessaria ex parte *scibilis.*

Ex parte scientiae requiritur, quod scientia sit *perfecta,* et quod sit *actualis,* et tertio quod sit *certa.* — *Primum* notatur cum dicitur *quoniam arbitramur causam rei cognoscere;* perfectio enim scientiae est esse *per causam.* — *Actualitas* scientiae notatur cum dicitur *quoniam illius est causa;* applicatio enim causae ad effectum facit scientiam *actualem,* sicut patet ex *II. Priorum c. 26;* dicit enim, quod *scire est dupliciter:* in *universali* et in *particulari:* in *universali,* quando scimus *maiorem,* non sciendo *minorem,* nec *conclusionem* sub *propria* ratione, sed in universali. Scire in *particulari* est dupliciter: in *actu,* scilicet, et in *habitu.* Scimus in *particulari* et in *habitu,* ut quando scitur *maior,* et etiam *minor,* sed non applicando ad conclusionem, tunc non scitur *conclusio* in particulari et in actu, sed tantum in *habitu.* Scire autem in particulari et in *actu* est quando aliquis cognoscit *maiorem* et *minorem,* et simul cum hoc *applicat* praemissas ad conclusionem (1). Sic igitur patet quod *actualitas* scientiae est ex applicatione causae ad effectum. — *Tertio* requiritur quod scientia sit *certa;* et hoc notatur cum dicitur *quoniam impossibile est aliter se habere.* — Sic igitur *tria* notantur ex parte *scientiae.*

Notantur etiam *tria ex parte scibilis* necessaria; ad *scitum* enim requiritur, quod habeat *causam;* requiritur etiam *applicatio causae ad effectum;* et tertio quod *sit necessarium respectu causae.* — *Primum* notatur cum dicitur *causam rei arbitrarum cognoscere;* illud enim quod non habet causam non scitur scientia *quarto* modo dicta, et ideo isto modo *principia* non *sciuntur.* — Sed *secundum* notatur cum dicitur *quoniam illius est causa.* — *Tertium* notatur cum dicitur *quoniam impossibile est aliter se habere;* illud enim est *necessarium* quod impossibile est aliter se habere; et quod *conclusio scita* sit *necessaria,* patet; quia sequitur ex necessariis; similiter in conclusione prima huius dicit Aristoteles, *demonstrationem esse perpetuam et necessariam.* — *Post.* I. *Prol.* nn. 1-4. — Vid. *Scientia.*

Scriptura Sacra. — *Sacra Scriptura* est quaedam *notitia divinitus data ad dirigendum hominem in finem supernaturalem;* omnes enim qui de necessitate Sacrae Scripturae locuti sunt hanc rationem assignaverunt. Et ideo Sancti determinantes ea quae ad salutem sunt necessaria, semper pro certa regula recurrerunt ad Sacram Scripturam.

(1) « Scientia *proprie dicta,* et etiam *magis proprie* dicta, est apprehensio veritatis necessariorum ». — *Post.* I. q. 13. n. 6.

(1) *Post.* I. q. 8. n. 2.

De iis enim quae excedunt facultatem naturalem intellectus non habemus aliam regulam. — *Miscell.* q. 6. n. 18.

Scriptura Sacra proprie dicitur illa cuius auctoritas tanta est, quod praecellit omnem demonstrationem; de qua dicit Augustinus, *II. super Genesim ad litteram,* cap. 9: *Maior est huius Scripturae auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas.* Talis autem est Scriptura quae *Canonica* a Sanctis nominatur; *canon* enim *regula* dicitur, quia ipsa est infallibilis regula, ut quidquid in ea teneatur indiscusse teneatur, et quidquid sibi repugnet, ut falsum repudietur.

Ab ista autem excluditur Scriptura Sacrorum Doctorum, beati Augustini et aliorum multorum, et multo magis Philosophorum. Unde dictus Augustinns dicit *in epistola 48 ad Vincentium,* arguentem sibi ex dictis Hilarii, qui ante eum fuerat Doctor valde solemnis, dicens sic: *Hoc genus litterarum ab auctoritate Canonis distinguendum est*; *non enim ita leguntur tamquam ex eis sic textimonia proferantur, ut contra sentire non liceat, si tibi aliter sapiunt quam veritas expostulat; in eo quippe numero sumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo recipere, et si quid aliud sapit, illud quoque Deus nobis revelabit.* Item in Epistola 9 *ad Hieronymum: Solis eis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum Doctorem eorum scribendo errasse firmiter credam; alios autem ita lego, ut quanta licet sanctitate praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita scripserunt.* Et ideo ista auctoritas ad scriptores Veteris et Novi Testamenti restringitur. — *Ib.* n. 3.

Scripturae Sacrae necessitas et sufficientia. — Habito contra Haereticos, quod doctrina Canonis est *vera* (1), videndum est secundo an sit *necessaria* et *sufficiens* viatori ad consequendum finem suum. — Dico igitur, quod ista tradit *quid sit finis hominis in particulari,* quia visio et fruitio Dei, et hoc quantum ad *circumstantias* eius appetibiles, puta, quod ipsa habetur post resurrectionem ab homine immortali, et in corpore et in anima simul sine fine. Ipsa etiam determinat *quae sunt necessaria ad finem,* et *quod illa sufficiant,* quia decem mandata: Math. (1): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; de quibus habentur in Exod. (2) Horum etiam explicatio, et quantum ad *credenda,* et quantum ad *speranda,* et quantum ad *operanda,* explicatur ex diversis locis Scripturae. — *Proprietates* quoque *substantiarum immateralium* in ea traduntur, quantum possibile est et utile viatori nosse. Ista ergo conferendo ad tres rationes, quibus innititur solutio *quaestionis* praecedentis (3), patet, quod Sacra Scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori. — *Oxon.* Prol. q. 2. n. 14.

Origenes, in *Homilia de Arca Noe,* dicit: *Nulla scientia omnia scienda explicavit, sed illa ex quibus possunt alia sufficienter elici.* Unde multae veritates necessariae non exprimuntur in Scriptura, etsi ibi *virtualiter contineantur* sicut conclusiones in principiis, circa quarum investigationem utilis fuit labor expositorum et Doctorum.

Dulcius capitur quod latet sub aliqua sententia *litterali,* quam si esset expresse dictum; et ideo ad devotionem conferunt illa quae expressa sunt in Novo Testamento sub figura velata fuisse in Veteri. — *Ib.* n. 15.

Scripturae Sacrae sensus multiplex. — Sacra Scriptura habet *duplicem* sensum, scilicet: *litteralem,* qui primus est; et *spiritualem* seu *mysticum.* — Et iste dividitur in *tres: allegoricum, tropologicum* seu *moralem,* et *anagogicum.*

Litteralis significat quasi *rem gestam.* — *Moralis* autem seu *tropologicus* est quando ex re gesta significatur quid *agendum* sit in *moribus.* — *Allegoricus* autem quantum ad ea quae *credenda* sunt. —

(1) Vid. *Scripturae Sacrae veracitatem suadendi via multiplex.*

(1) Cap. XIX. v. 17.

(2) Cap. 22.

(3) In qua validissimis argumentis probat contra *rationalistas* « homini viatori pro statu isto esse necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam non possit attingere lumine naturali intellectus ».

Anagogicus quantum ad *speranda.* — Sicut patet in hoc nomine *Ierusalem,* quod in sensu *litterali* significat civitatem unam in terra promissionis; secundum *moralem,* animam sanctam; secundum *allegoricum,* Ecclesiam militantem; secundum *anagogicum,* triumphantem. — *Miscell.* q. 6. n. 4.

Quicumque sensus in una parte Scripturae non est *litteralis,* in alia parte est litteralis; et ideo licet aliqua pars Scripturae habeat diversos sensus, tamen tota Scriptura habet omnes sensus istos pro sensu litterali. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 19.

Scripturae Sacrae veracitatem suadendi via multiplex. — Augustinus, XI *De Civitate,* cap. 3, loquens de Scriptura Canonica, ait: *Cui fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nos ipsos nosse idonei sumus.*

In ista *quaestione* sunt haereses innumerae, damnantes S. Scripturam vel partem eius, sicut patet in libris Damasceni et Augustini *de Haeresibus.* — Quidam vero haeretici *nihil* de Scriptura recipiunt. — Quidam *non Vetus* Testamentum, ut Manichaei, sicut in libro Augustini, *De utilitate credendi,* patet, dicentes vetus Testamentum esse a malo principio. — Quidam vero *tantum Testamentum Vetus* accipiunt, ut Iudaei. — Quidam autem *aliquid utriusque,* ut Saraceni, quibus Mahometus immundus alias immunditias innumeras immiscuit. — Quidam *aliquid* dictum in *Novo Testamento,* puta haeretici diversi, qui diversas sententias Scripturarum male intellectas habentes pro fundamento, alias neglexerunt; verbi gratia, *Iacob.* 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra;* ex hoc erraruut circa Sacramentum Poenitentiae quidam, dicendo illud posse dispensari a quocumque non Sacerdote; vel aliis huiusmodi auctoritatibus innitendo, male intellectis. — *Oxon.* Prol. q. 2. n. 2.

Contra omnes istos *in communi octo* sunt *viae* eos rationabiliter convincendi; quae sunt: *praenuntiatio prophetica, Scripturarum concordia, auctoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorum errorum, Ecclesiae stabilitas, miraculorum claritas.*

De *primo* patet; quia solus Deus potest naturaliter, non ab alio, futura contingentia certitudinaliter praevidere; ergo solus ille vel ab illo instructus potest ea certitudinaliter praedicere: talia autem multa praenuntiata in Scriptura impleta sunt, ut patet consideranti libros prophetales; ex quibus non est dubium quin sequantur pauca quae restant, secundum Gregorium, in *homilia de Adventu.* — Istam viam tangit Augustinum, VIII. *De Civit.* c. 10, ubi ait: *Vera se narrasse praeterita ex his quae futura praenuntiavit, cum tanta veritate implentur, ostendit.* — *Ib.* n. 3.

De *secundo,* scilicet, *Scripturarum concordia,* sic: In non evidentibus ex terminis, nec ex principiis evidentiam habentibus, non consonant firmiter et infallibiliter multi diversimode dispositi, nisi a causa superiori ipsorum intellectus inclinentur ad assensum: sed scriptores sacri Canonis varie dispositi, et diversis temporibus existentes, in talibus non evidentibus omnino consonabant. — Hanc viam pertractat August. XVIII. *De Civit.* cap. 41: *Auctores nostri sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret quod carum religione esse oporteret; nec tamen ita pauci, ut eorum non miranda sit consensio. Neque enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam litterario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facile quis invenerit, quod inter cuncta quae sensere conveniant.* Et hoc Augustinus probat in exemplis ibi. — *Maior* etiam assumpta non tantum probatur per *exemplum* de Philosophis, ut videtur probare Augustinus, sed etiam per *rationem:* quia cum intellectus quantum ad assensum sit natus moveri ab obiecto evidente in se vel in alio, nihil aliud ab obiecto videtur talem assensum posse causare, nisi virtualiter includat evidentiam obiecti: nam si nihil tale moveat intellectum, remanebit sibi Theologia neutra: nihil autem est tale de non evidentibus ex terminis, nisi intellectus superior nostro: nihil autem intelligens superius homine potest hominem effective docere, nisi Deus. — *Ib.* n. 4; * ubi et obiectiones solvit *.

De *tertio,* scilicet, *auctoritate scribentium,* sic: Aut libri Scripturae sunt istorum

quorum esse dicuntur, aut non. *Si sic*, cum damnent mendacium, praecipue in fide et moribus, quomodo est verisimile eos fuisse mentitos, dicendo: *haec dicit Dominus*, si Dominus non fuisset locutus? — Aut si dicas eos fuisse deceptos, non mentitos, vel propter lucrum mentiri voluisse, *primum* improbatur ex dicto Pauli *II. Cor. 12. Scio hominem in Christo*, et subdit ibi: *Verba arcana audisse, quae non licet homini loqui.* Quae assertiones non videntur fuisse sine mendacio, si asserens non fuit certus, quia asserere dubium vel est mendacium, vel non longe est a mendacio. Ex ista revelatione Pauli, et multis aliis revelationibus factis diversis Sanctis, concluditur, quod intellectus eorum non potuerunt induci ad assentiendum ita firmiter illis, quorum notitiam non potuerunt habere ex naturalibus, sicut assenserunt, nisi ab agente supernaturali. — *Secundum* improbatur, scilicet, non fuerunt propter lucrum mentiti; quia pro illis ad quae voluerunt homines inducere ad credendum tribulationes maximas sustinuerunt.

Si autem libri *non sunt illorum*, sed aliorum, hoc videtur inconveniens dicere, quia ita negabitur quicumque liber esse illius auctoris, cuius dicitur esse. Quare ergo soli isti falso adscripti sunt auctoribus quorum non erant? — Praeterea, aut illi qui adscripserunt libros istos eis fuerunt Christiani, aut non. — Si non, non videtur, quod voluerunt tales libros conscribere, et aliis adscribere, et ex hoc magnificare sectam, cuius contrarium tenuerunt. — Si fuerunt Christiani, quomodo illi Christiani mendaciter tales eis adscripserunt, cum lex eorum damnet mendacium? (sicut prius). Et propter idem, quomodo assererent Deum locutum esse multa quae ibi narrantur, et hoc personis quibus libri intitulantur, si talia non acciderunt illis personis? Quomodo etiam libri isti fuissent ita authentici et divulgati esse talium auctorum, nisi fuissent eorum, et ipsi auctores eorum authentici fuissent? — De quo Richardus, *I. de Trinitate* c. 2.: *Certe a summae sanctitatis viris sunt nobis tradita.* — De hoc etiam Augustinus *XI. De Civit. Dei*, cap. 3., loquens de Christo, dicit sic: *Hic*, inquit, *prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse iudicavit, locutus, Scripturam condidit, quae canonica nominatur, eminentissimae auctoritatis*, etc. — *Ib.* n. 5.

Licet enim Apostoli in actibus vel verbis quae dixerunt ut homines potuerunt errare, tamen nullus Apostolus vel Propheta inquantum scriptor alicuius partis Scripturae aliquo modo erravit; quia, secundum Augustinum, in *Epistola ad Hieronymum*, et ponitur in Canone, dist. 9., *Si ad Scripturas divinas admissum fuerit aliquod mendacium, quantumcumque parvum seu officiosum, nihil remanet in ea solidae veritatis, qua convincatur adversarius; quidquid enim contra ipsum allegatum fuerit, respondebit, illud mendaciter esse dictum, iocose vel officiose, ut est illud aliud quod conceditur ita esse dictum.* Unde dicit *ibidem* Augustinus: *His solis libris scriptorum, qui Canonici nominantur, hanc didici ferre reverentiam, quod nullum eorum in scribendo errasse firmissime credam.* — *Oxon.* IV. d. 3. q. 4. n. 14. — d. 33. q. 3. n. 4.

Quartum, scilicet, *recipientium diligentia*, sic patet: Aut nulli credis de contingenti quod non vidisti, et ita non credes mundum fuisse ante, nec locum esse in mundo ubi non fueris, nec istum esse patrem tuum et illam esse matrem tuam; et talis incredulitas destrueret omnem vitam politicam. Si igitur vis alicui credere de contingenti quod tibi non est nec fuit evidens, maxime credendum est communitati, sive illis quae tota communitas approbat, et maxime quae communitas famosa et honesta cum maxima diligentia approbata recipit. Talis est Canon divinae Scripturae; tanta enim apud Iudaeos sollicitudo fuit de libris habendis in Canone, et tanta apud Christianos de libris recipiendis tamquam authenticis, quod de nulla alia scriptura habenda pro authentica tanta sollicitudo fuit inventa, praecipue cum tam solemnes communitates de Scripturis istis curaverunt tamquam de continentibus necessaria ad salutem.

De hoc August. *De Civit. Dei XVIII. cap. 38.*: *Quomodo scriptura Enoch, de qua Iudas in Epistola sua facit mentionem, non recipitur in Canone, et multae aliae scripturae, de quibus fit mentio in libro Regum?* Ubi innuit, quod sola illa recepta sunt in Canone, quae auctores non sicut homines, sed sicut Prophetae divina inspiratione scripserunt. — Et *ibid.* cap. 41: *Illi Israelitae, quibus tradita sunt eloquia Dei, nullo modo Pseudoprophetas cum veris Prophetis parilitate licentiae confuderunt, sed concordes inter se atque in nullo dissentientes, sacrarum litterarum veraces ab eis agnoscebantur et tenebantur auctores.* — *Ib.* Prol. ib. n. 6.

De *quinto*, scilicet, *rationabilitate contentorum*, patet sic: Quid rationabilius quam Deum tamquam finem ultimum super omnia diligi, et proximum sicut seipsum? id est ad idem, ad quod se, secundum Gregorium. In quibus *duobus praeceptis universa lex pendet et Prophetae*, Math. 22. Item Math. 7. *Omnia ergo quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Ex istis quasi ex principiis practicis alia practica consequuntur in Scriptura tradita, honesta et rationi consona, sicut de eorum rationabilitate patere potest singillatim cuilibet pertractanti de praeceptis, consiliis et Sacramentis, quia in omnibus videtur esse quasi quaedam explicatio legis naturae, quae secundum Apostolum *Ad Rom. 2.*, *scripta est in cordibus nostris.* Hoc de *moribus.* — Et de hoc Augustinus, *De Civit. Dei*, lib. II. cap. 28. *Nihil turpe ac flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut praecepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.* — De *credibilibus* patet, quia nihil credimns de Deo quod aliquam imperfectionem importet; imo quidquid credimus verum esse magis attestatur perfectioni divinae quam eius oppositum. Patet de Trinitate Personarum et Incarnatione Verbi, et huiusmodi. Nihil enim credimus incredibile, quia tunc incredibile esset mundum ea credere, sicut deducit Augustinus *De Civit. Dei XXII*, cap. 5; mundum tamen ea credere non est incredibile, quia hoc videmus. — De hac autem lege et honestate Christianorum patet per Augustinum, *De Utilitate credendi*, lib. VI. cap. 8. *Vulgus marium et foeminarum*, etc. — *Ib.* n. 7.

Sed quoad *historias*, in quibus exempla sunt legis declarativa, similiter ex toto processu Scripturae patet ordinata Dei gubernatio respectu hominis et totius creaturae. — *Ib.* n. 16.

De *sexto*, scilicet, de *irrationabilitate singulorum errorum*, patet sic: Quid *Pagani* pro idololatria sua adducent, colentes opera manuum suarum, in quibus nihil est numinis, sicut satis ostendunt Philosophi?

Quid *Saraceni* vilissimi porci, Mahometi discipuli, pro suis scripturis allegabunt, expectantes pro beatitudine quod porcis convenit, scilicet, gulam et coitum? Quam promissionem despiciens Philosophus, qui fuit quasi illius sectae, Avicenna *IX. Metaph.* cap. 7., alium finem quasi perfectiorem et homini magis congruentem asserit dicens: *Lex nostra, quam dedit Mahomet, ostendit dispositionem felicitatis et miseriae quae sunt secundum corpus; et est alia promissio quae apprehenditur intellectu.* Et sequitur ibi: *Sapientibus vero Theologis multo maior cupiditas fuit ad consequendum hanc felicitatem quam corporum, quae quamvis daretur eis, non tamen attenderunt eam, nec appretiati sunt eam comparatione felicitatis, quae est coniunctio primae Veritati.*

Quid *Iudaei*, qui Novum Testamentum damnant, quod in suo Veteri promittitur (*Ierem.* 31), ut ostendit Apostolus, *Ad Hebraeos*, c. 3, et 8? Etiam quam insipidae sunt eorum caeremoniae sine Christo! Christum etiam advenisse, et ita Novum Testamentum ab eo principaliter promulgatum sicut authenticum fore recipiendum, Prophetiae eorum ostendunt: *Non auferetur* (ait Iacob Gen. 49) *sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius*, etc. Et similiter illud Danielis 9: *Cum venerit Sanctus Sanctorum.*

Quid asini *Manichaei* fabulantes primum malum, cum ipsi, etsi non primi, tamen valde mali essent? Nonne vident omne ens inquantum ens bonum esse? Nonne etiam

in Novo Testamento potuerunt videre esse Vetus authenticum et approbatum?

Quid singuli *alii haeretici*, qui unum verbum Scripturae male intellexerunt, secundum August. lib. 83 *quaestionum*, quaestion. 69: *Non potest* (inquit) *error oriri palliatus nomine christiano, nisi de Scripturis non intellectis;* et hoc ideo, quia praecedentia et sequentia non consulerunt? Unde *ibidem* infra: *Solet circumstantia Scripturarum illuminare sententiam, nec etiam alia loca Scripturarum contulerunt. Unde haereses ortae sunt per se legendo, quae conferendo repulsae sunt, quia conferentes diversas sententias adduxerunt, quae ex se invicem mutuo videri poterant, quomodo et qualiter essent intelligendae.* — Contra istos est illud verbum Augustini, *contra Epistolam Fundamenti: Non crederem*, inquit, *Evangelio, nisi quia Ecclesiae Catholicae credo.* Igitur irrationabile est aliquid Canonis recipere, et aliquid non, cum Ecclesia Catholica, cui credendo Canonem recipio, recipiat totum aequaliter. — Item doctrinae Philosophorum aliquid continent irrationabile, prout de Politiis diversis ordinatis a Philosophis probat Aristoteles *II. Polit.;* sed et sua in quibusdam est irrationabilis. — *Ib.* n. 8.

De *septimo*, scilicet, de *Ecclesiae stabilitate*, patet quoad *Caput*, per illud August. *De utilitate credendi, quasi in fine* (c. 17): *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus non eius Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* Et parum post: *Quid est aliud quod tam ingratum potest esse opinioni atque auxilio divino, quam tanto labore praedictae auctoritati velle resistere?* Unde Gamaliel Act. 5. (1): *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare videamini.* Et *Luc.* 22 (1) ait Dominus Petro: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres suos.*

(1) v. 38.

Firmitas enim Ecclesiae in *membris* patet per illud Augustini *De utilitate credendi*, cap. 17.: *Imperitum etiam vulgus marium foeminarumque in tam multis diversisque gentibus et credit et praedicat.* Similem sententiam dicit *contra Ep. Fundamenti: Quis enim tantam multitudinem ad peccata pronam, ad legem contrariam carni et sanguini servandam induceret, nisi Deus?* — *Ib.* n. 9.

De *octavo*, scilicet, de *miraculorum claritate*, sic patet: Non potest esse testis falsus Deus: sed Deus invocatus a praedicante Scripturam, ut ostenderet doctrinam eius esse veram, fecit aliquod opus sibi proprium, utpote miracula, ac per hoc testificatus est illud esse verum quod iste praedicavit. — *Confirmatur* hoc per Richardum, *I. De Trinitatem*, c. 2. ubi supra: *Domine, si est error, per te decepti sumus; nam tantis signis confirmata sunt, quae nonnisi per te fieri possunt.*

Quod *si dicatur* miracula non fuisse facta, aut etiam quod ipsa non testantur veritatem; *contra primum* dici potest illa sententia Augustini, *De Civ. lib.* XXII. cap. 5: *Si ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit: quod iam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* — Nota valde illud capitulum, quia si quidquid quod credimus dicatur incredibile esse, non minus est incredibile, *homines*, inquit, *ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis, persuadere potuisse, ut mundus illud credat, sicut iam credidisse videtur, nisi per illos aliqua miracula fierent, per quae mundus ad credendum induceretur.* Unde subdit: *Qui propterea exiguo numero ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mira-*

(1) v. 32.

bilius Divinitas seipsa persuasit. Quid enim incredibilius quam ut ad legem contrariam carni et sanguini Doctores pauci et rudes, et pauperes possent plurimos potentes ac sapientes convertere? Quod specialiter patet de multis sapientibus, primo fidei rebellibus, postea conversis: ut de Paulo, prius persecutore, postea gentium Doctore; et de Augustino, prius per Manichaeos seducto, postea Doctore Catholico; de Dionysio, prius Philosopho, postea Pauli discipulo; et de Cypriano, prius Mago, postea christianissimo Episcopo, et de innumeris aliis conversis.

Contra idem *secundo* dici potest illud Augustini, *De Civ. Dei*, lib. X. cap. 18: *An dicet aliquis ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? Quisquis hoc dicit, si de istis rebus negat omnino ullis litteris esse credendum, potest etiam dicere, nec deos ullos curare mortalia*, etc. Et *ibidem* de eodem: *Si libris magicis, sive quod honestius putant Theurgicis, credunt, quid causae est cur illis litteris nolunt credere ista facta esse?*

Contra idem *tertio*, quia quaedam facta non nisi a nimis protervientibus negari possunt: ut sunt miracula facta a Sylvestro coram Constantino, tam in curatione leprae eius, quam in disputatione eius contra Iudaeos, quae facta tamquam celeberrima mundum non latuerunt. — *Ib.* n. 11.

Item, potest dici, quod sunt aliqua miracula facta in Lege Christiana, in quibus non potest esse deceptio quin sint facta, nec quin sint testimonia veritatis, quia a Deo facta, scilicet, raptus Pauli et revelatio contingentium futurorum. — *Ib.* n. 12.

Nono quoque loco potest adduci *testimonium eorum qui foris sunt.* Iosephus in lib. XVIIII. cap. 9. *Antiquitatum*, pulcherimum testimonium ponit de Christo, ubi inter alia de Iesu ait: *Christus hic erat*, ubi eius veram doctrinam et resurrectionem ex mortuis confitetur. Item de Prophetia Sibyllae nota illud *De Civ.* XVIII. cap. 23: *Iesus Cristus Dei Filius Salvator.* Item *Contra Epistolam Fundamenti*, nota quomodo singuli haeretici de Catholicis inquisiti, non ad suos mittunt, sed ad veros Catholicos, quasi etiam illi soli ab omnibus etiam haereticis *Catholici* nominentur.

Decimo et ultimo potest adduci, quod Deus non deest quaerentibus toto corde salutem: multi autem diligentissime inquirentes salutem ad hanc sectam conversi sunt, et quanto ferventiores facti sunt in inquirendo, tanto in hac secta amplius confirmati subitoque in ea poenitentes de malitia ad bonam vitam mutati sunt; tormenta quoque pro ea plures in magna exultatione spiritus perpessi sunt; quae non videntur probabilia, nisi Deus hanc sectam sacrae Scripturae innitentem irrefragabiliter approbaret et ordinaret ad salutem. — *Ib.* n. 13.

Scripturam Sacram cognoscendi habitus triplex. — Videndum est *primo* de *habitu* quem homo potest habere *ex sensu litterae* Scripturae sacrae de creditis revelatis: *secundo*, qualem habet *exponendo Scripturam*, et explicando conclusiones, et solvendo ea quae videntur contraria: *tertio*, qualis habitus fuit in mentibus *recipientibus* primo scientiam.

De primo dico, quod notitia quam habet aliquis de his quae traduntur in Canone Bibliae, non est tradita per modum *scientiae demonstrativae*, mendicando, scilicet, notitiam illam, sive habitum de intellectu litterae, ab aliquibus principiis, ex quibus *demonstrative* concluditur. Quod expresse patet per Augustinum, *XVIII. De Civit. cap.* 41. *in fine*, ubi loquens de traditis in Scriptura, dicit, quod illa *commendata sunt nobis propheticis, hoc est, divinis vocibus, quamvis per homines, non argumentorum concertationibus inculcata: ut non hominis ingenium, sed Dei eloquium contemnere formidaret qui illa cognosceret*, scilicet, quae tradita sunt in Scriptura. Habet igitur habitum de sic traditis in sensu litterae, non quidem habitum *scientiae*, sicut descripta est *scientia* (1), sed habitum quo *immediate assentit* omnibus et singulis, et non uni propter aliud, de his quae traduntur in Scriptura; quinimo si aliqua ibi tradita probarentur ex aliis, non assentiret eis quia sic probata, sed cuilibet dicto in Ca-

(1) Vid. *Scientia*.

none assentit, non quia probatur modo dicto, sed *solum propter auctoritatem Dei*, ratione cuius assentit immediate omnibus traditis in Scriptura, non uni propter aliud per syllogisticum discursum. — *Oxon.* III. d. 24. n. 14.

Si dicas, quod Paulus *arguit I. ad Cor.* 15 (1) *Si mortui non resurgent, nec Christus resurrexit:* sed Christus resurrexit; igitur mortui resurgent: et beatus Ioan.: *Diligamus nos invicem, quoniam ipse prior dilexit nos ;* — *respondeo*, quod *argumentum* est de *aliqua re faciens fidem de ea quae alias erat dubia ;* ideo in argumento proprie dicto creditur et consentitur conclusioni *propter argumentum* et eius evidentiam. Sed si Paulus dixisset solum istum, *mortui resurgent*, tantum credidissem ei tunc, sicut modo, nec est maioris firmitatis illa conclusio, quam si simpliciter narrasset eam. Similiter, sicut credo conclusioni vel consequenti, sic et antecedenti, et e converso; sicut enim credo, quod mortui resurgent, ita credo Christum resurrexisse, quia nullam certitudinem habemus de Christi resurrectione, nisi ex testimonio aliorum, sicut patet per Apostolum, *ubi supra*, qui dicit: *Si Christus non resurrexit, invenimur falsi testes;* et ideo tota certitudo, quae habetur de resurrectione Christi et mortuorum, non est nisi *certitudo fidei*, et non ultra. — Similiter quod dixit Ioan.: *Diligamus nos invicem*, etc., hoc dixit ad movendum animos nostros ad Christi dilectionem; quod tamen Christus dilexerit nos tali dilectione de qua loquitur, hoc est nobis *creditum;* et si habet certitudinem de conclusione, non tamen maiorem quam de principio, et ideo cum principium non cognoscatur *ex eviventia rei*, non potest habere scientiam de conclusione; sed si aliquis habet habitum ultra fidem, illo assentit omnibus et singulis quae dicuntur in Canone, et nulli uni propter aliud, quia etsi unum posset sequi ex alio, non habet tamen maiorem certitudinem de illo quod sequitur, quam de illo ex quo sequitur. — *Ib.* n. 15.

Si loquamur de *secundo modo*, ut sciat quis *exponere Scripturam*, et *conclusiones explicare*, et *contraria solvere*, aut exponit Scripturam *per Scripturam*, scilicet, unum locum per alium, et obscurum per manifestum, et sic non habet maiorem certitudinem de Scriptura exposita, quam de exponente. De qua expositione loquitur Augustinus, *De Civit.* cap. 19.: *Quamvis itaque divini sermonis obscuritas etiam ad hoc sit utilis, quod plures sententias veritatis parit, et in lucem notitiae producit, dum alius enim sic alius sic intelligit, ita tamen, ut quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum, vel locis minime dubiis asseratur, sive cum multa tractantur, ad illud quoque perveniatur quod sensit ille qui scripsit;* semper stat tamen, quod non est maior certitudo de exposita quam de exponente, et ideo numquam habet *scientiam proprie.*

Si autem exponit *per alias scientias*, ad quod ultimo devenerunt Doctores immiscendo Philosophiam Scripturae Sacrae (quod sine dubio multum valet, et praecipue metaphysicalia, ut veritas Scripturae de Trinitate, et Intelligentiis, et abstractis intelligatur), tunc dico, quod conclusio non habet maiorem certitudinem, quam altera praemissarum, quae minus certa est; sicut in omni mixtione, certitudo conclusionis est certitudo praemissae minus certae, ut ex *maiore* de necessario et *minori* de contingenti non sequitur conclusio de *necessario*, sed de *contingenti;* et cum praemissa sumpta ex Scriptura non sit *evidens ex terminis*, sed *credita*, igitur nec conclusio erit demonstrata generans scientiam, quamvis possit generare habitum alium a fide.

Et sicut loquor de *expositione*, sic loquor de *contrariorum solutione*, quia solutio habet tantam certitudinem ex quanta procedit in accipiendo, quia si accipiatur de Scriptura, habet certitudinem quam dixi; si aliunde, certitudinem quam habere potest cum Scriptura cui innitur, numquam tamen certitudinem *ex evidentia.*

Si quis autem habeat intellctum exponendi *moraliter* ad aedificationem, ille habet explicatiorem intellectum, quam qui scit sensum *litterae* tantum; sed numquam in tali expositione vel explicatione poterit ali-

(1) v. 13.

quid demonstrare *ex evidentia rei.* — *Ib.* n. 16.

Sed si loquamur de *tertio* modo habendi habitum cum fide, qualem, scilicet, certitudinem habuerunt illi quibus Scripturae veritas primo *revelabatur,* dico, quod omnem effectum, quem potest Deum facere mediante causa effectiva secunda, potest facere immediate. Nunc autem, si res ipsae de quibus Scriptura tractat essent clare apprehensae et intuitive, generarent notitiam certam absque omni dubitatione, et haec notitia, quia *evidens* est, diceretur *scientia.* Sed Deus absque motione obiecti potest sic causare notitiam *certam* absque omni dubitatione, ita quod habens talem notitiam revelatam a Deo non possit dubitare de veritate illius, cuiusmodi notitiam creditur Prophetas habuisse, et multos alios Sanctos in Scriptura, et tales habuerunt habitum praebentem magnum assensum, ita quod, illo stante, non potuerunt non assentire veritati; illa tamen certitudo non fuit *evidens* ex evidentia rei; quia tunc contradictio esset, quod huiusmodi notitia et fides simul starent; fuit tamen certitudo illa *firma,* sicut est certitudo scientialis, quae causatur ex principiis notis ex evidentia terminorum; sed non causabatur a talibus principiis, sed aliunde; ideo *scientia* non potuit dici ex evidentia rei. — *Ib.* n. 17.

Ad omnes auctoritates Augustini, si essent mille de ista materia, quod sit tale lumen, in quo credibilia cognosci possunt, ultra lumen fidei, audiat eum *XV. de Trinitate, cap. ult.: Cum inconcusse crediderint Scripturis Sanctis, tamquam veracissimis testibus, agant orando, quaerendo et bene vivendo, ut intelligant, id est, ut quantum videri potest videatur mente, quod videtur fide;* hoc est, videndo concordiam unius cum alio in Scriptura, sic ex conformitate intelligant utrumque. — *Ib.* n. 20 — *Report.* III. d. 24. n. 17 seqq.

Scripturam Sacram cognoscendi modus duplex. — Sunt *duo modi* cognoscendi sacram Scripturam et intelligendi eam. — *Unus* est *communis,* qui acquiritur per exercitium studii, quo intelliguntur dicta Prophetarum, quomodo sint exponenda et contrarietates solvendae. — *Alius* est *specialis,* qui fuit in Prophetis, qui hanc scientiam scripserunt, quia spiritu prophetico scripta est et divina revelatione. — *Miscell.* q. 6. n. 7.

Scripturam Sacram exponendi regula. — Eo spiritu expositae sunt Scripturae, quo conditae. Et ita supponendum est, quod Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, Spiritu, scilicet, Veritatis edocta; et ideo hunc intellectum eligit, quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiae fuit facere istud verum, vel non verum, sed Dei instituentis; sed intellectum a Deo traditum Ecclesia explicavit, directa in hoc Spiritu Veritatis. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 15.

Secundum. — Haec praepositio, *secundum,* quando fit comparatio ad praedicatum respectivum non semper notat suum causale esse rationem *formalem* ultimatam inhaerentiae praedicati, sed communius, vel saltem communiter, notat ipsum esse rationem *fundamentalem;* dico enim, Socratem *secundum* albedinem esse similem Platoni, cum tamen *albedo* non sit ratio *formalis* propria essendi similem Platoni, sed *similitudo* essendi *similem,* sicut *albedo* essendi *album.* Pro tanto tamen hoc conceditur, quia *albedo* est ratio *fundamentalis* similitudinis. — *Quodl.* q. 6. n. 27.

« Secundum quod » multipliciter accipitur. — *Secundum quod dupliciter* potest accipi: — *Uno* modo *proprie;* et tunc notat, illud quod sequitur esse rationem *formalem* inhaerentiae illius quod praedicatur: ut homo *secundum quod albus videtur,* vel *secundum quod coloratus.* — *Alio* modo *secundum quod* dicit secundum *unam* rationem tantum, non considerando alias rationes: ut cum dicitur *secundum quod homo,* considerando ipsum praecise sub *una* ratione. Et sic accipitur *secundum quod* in definitione *motus,* cum dicitur: *Motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia;* non enim denotat ibi secundum *inhaerentiam,* quia si sic, cuiuslibet entis in potentia esset *motus* actus. Sic vult Aristoteles: *si iustitia est bonum, in eo quod bonum, sequitur, quod est omne bonum.*

— *Report.* III. d. 6. q. 2. n. 3. — *Quodlib.* q. 3. n. 7.

Secundum quod, vel *in eo quod*, quod idem est, dicit quamdam *reduplicationem*; unde distinctio ipsius *secundum quod* potest applicari ad omnes dictiones, vel modos reduplicationis, nam quaelibet reduplicatio potest reduplicare quodlibet genus causae.

Ponit * Philos. * *quatuor* modos ipsius *secundum quod*. — Dicit ergo, quod *secundum quod dicitur multipliciter: uno quidem modo substantia et species cuiuslibet rei*, id est, *forma substantialis rei*. Secundum istum *primum* modum ly *secundum quod* notat et reduplicat causam *formalem:* ut si dicatur, quod *homo, inquantum rationalis*, vel *in eo quod rationalis*, est *homo* et *intelligens*. — *Alio modo* dicitur *secundum quod in quo primum natum est aliquid fieri, ut color in superficie;* et hoc modo ly *secundum quod* notat et reduplicat causam *materialem:* ut si dicatur, quod *corpus* est *coloratum, secundum quod habet superficiem;* nam superficies est *materia* et subiectum primum et proximum coloris.

Universaliter *ipsum secundum quod* tot modis dicitur quot *causa; nam* si quaeratur, *secundum quod venit? idem* est ac siquaeratur, *cuius causa venit?*

Notandum quod *tertius* modus includit *duos priores* et addit alios duos, ex eo quod *secundum quod, vel in eo quod*, notat et reduplicat non solum causam *formalem* vel *materialem*, sed etiam *efficientem* et *finalem:* ut si diceretur, quod homo est *secundum quod ordinatus ad beatitudinem*, quantum ad causam *finalem*, vel *secundum quod generatus ab alio* homine generante, quantum ad causam *efficientem*.

Alio modo *secundum quod* significat quod *secundum positionem dicitur, ut secundum quod stetit, aut secundum quod vadit, haec* omnia *namque positionem significant et locum;* si enim dicatur, *iste stetit secundum quod hunc*, aut *vadit secundum quod hunc*, est sensus, quod stat aut vadit *iuxta hunc*, quae quamdam positionem secundum locum dicunt. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. s. unic. c. 15, nn. 124-125. — Vid. *Inquantum = Reduplicatio.*

« Secundum se » multipliciter sumitur. — *Secundum se* potest sumi *effective*, sive *solitarie*, sive excludendo *aliam causam*. — *Alio modo* sumitur *secundum se* prout *V. Metaph.*, ut, scilicet, opponitur *secundum accidens*, quod aggregat in se diversas essentias, ut *homo albus;* et tunc *ens secundum se* est quodlibet habens unam essentiam. — *Super Praedic.* q. 7. n. 3. — Vid. « *Per se — secundum se* » *quintupliciter dicitur.*

« Secundum substantiam » dupliciter accipitur. — *Secundum substantiam* potest intelligi *dupliciter*. — Nam secundum Philosophum, *V. Metaphys.*, *secundum quod toties dicitur, quoties causa secundum quam;* igitur potest esse nota *causalitatis* in propositione respectu inhaerentiae praedicati dupliciter, vel *perseitatis*. — *Primo* modo, ut cum dicitur, *homo secundum quod homo est animal, vel rationalis;* vel *simile secundum quod simile dicitur secundum relationem;* est enim *per se primo modo* (1), quia in sua ratione quidditativa dicit substantiam vel relationem.
Et sic distinguit Augustinus, *V. De Trinit.* c. 4, quod *quaedam nomina dicta de Deo dicuntur secundum substantiam, et quaedam secundum relationem*, quia isto modo omnis relatio, sive *communis* sive *propria*, sive *rei* sive *rationis*, in hoc quod non potest intelligi sine respectu et habitudine ad alterum, statim exprimit suo nomine et essentialiter habitudinem relativam.

Si autem *secundum quod* notet perseitatem propositionis *secundo modo per se, ut, homo secundum quod homo est risibilis*, ubi notatur in subiecto causalitas inhaerentiae praedicati, tunc nota causalitatis denotat suum determinabile esse causam inhaerentiae passionis illius, vel essentialitatis ad subiectum. — *Report.* I. d. 31. q. 3. n. 8.

Securitas et timor duplex. — *Timor* est *duplex;* est enim aliquando de malo *infligendo*, et interdum de malo *inflicto continuando;* et non est de *dubio* solo, sed de *certo*. Unde in *Gallico* et in omni lingua non idem significat *dubito* et *timeo*.

---

(1) Vid. *Propositio per se primo modo.*

Sicut igitur timor est de malo apprehenso in futuro, vel de malo inflicto, quod est in continuando, sic *securitas* est *duobus* modis: vel de *bono futuro apprehenso,* ita quod sit apprehensio *certa*, et de bono apprehenso et habito *continuando*. — *Report.* IV. d. 49. q. 5. n. 14. — *Oxon.* IV. ib. q. 6. n. 22.

Semen — Ratio seminalis. — Quid est *semen*, et quid *ratio seminalis?* Dico, quod *semen* est corpus quoddam, cuius forma non est intenta propter se, sed propter aliud, ut, scilicet, ex illo generetur aliquid simile generanti.

Et ut hoc melius videatur, potest distingui in natura *duplex processus* in forma: — *Unus ascendendo:* ut a forma *seminis* ad formam *sanguinis*, a forma *sanguinis* ad formam aliam, scilicet, *embrionis,* vel alterius; et iste processus est *ab imperfecto ad perfectum.* — *Alius* processus *descendendo* e converso a *perfectis ad imperfectiora,* resolvendo, scilicet, in cadaver, et in foeces, et sic procedendo usque ad elementa, vel materiam primam.

Illud autem a quo incipit natura in primo processu est *semen;* et constat, naturam in illo non sistere, sed ulterius procedere, et ascendere usque ad ultimam formam perfectam; et e converso est in descendendo, vel resolvendo, scilicet, quod natura non sistit citra ultimam; et tota natura est stricta huic ordini et processui.

Semen igitur est *quoddam corpus imperfectum, productum a generante, ut sit via ascendendi ad ulteriores formas perfectas.*

Quid est *ratio seminalis?* Dico, quod est *aliqua forma seminis*, inquantum semen est; et illud vel est forma *substantialis* seminis, vel *qualitas necessario consequens* formam substantialem seminis: sicut *forma tritici* in tritico, vel *qualitas* consequens formam substantialem eius. — *Oxon.* II. d. 18. n. 8. — *Report.* ib. q. 1. n. 10. — — *QQ. Mataph.* lib. VII, q. 12. n. 5.

Sensibile potentia proxima-remota. — Aliquid potest intelligi esse *sensibile dupliciter:* vel potentia *remota,* vel *propinqua.* — Et dicitur illud esse *sensibile potentia remota* quod in se habet principium activum immutandi potentiam aliquam sensitivam, licet non sit sub modo debito, qui requiritur ad hoc, quod statim possit agere, quia sub illo modo existens dicitur *potentia propinqua.* Unde si habens potentiam visivam haberet pellem supra oculum impedientem actum videndi, talis non haberet potentiam videndi *propinquam* dum maneret illa pellis, quia non posset in actum visus; sed tantum haberet potentiam *remotam* ad videndum. — *Report.* IV. d. 12 q. 2. n. 5. — * *Brevius* *:

Sensibile potest dici vel quod est in potentia *remota* ut sentiatur, vel quod est in potentia *propinqua.* — In potentia *remota* est quidquid habet formam sufficientem, non tamen sub modo convenienti sub quo oportet eam haberi ad hoc quod sentiatur. — In potentia *propinqua* est quod habet eam ut statim, cessante impedimento, possit sequi actus. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 6. — Vid. *Potentia remota — proxima.*

Sensibilia communia. — *Sensibilia communia* media sunt inter sensibilia *propria,* quae immutant sensus proprios *per se* et *primo,* et sensibilia *per accidens,* quae nec per se, nec primo immutant sensus; quia sensibilia communia non immutant per se sensus *proprios*, quia faciunt ad differentiam immutationis; aliter enim immutat magnitudo *magna* et *parva,* et *unum* quam *multa*, et *circulare* quam *triangulare*, et *quiesciens* quam *motum;* sed non faciunt ad substantiam immutationis sensus *proprii,* nisi mediante sensibili proprio; et ideo secundum illa non debet sumi aliqua potentia sensitiva propria. — *De Anima,* q. 6. n. 6.

Sensibilia triplicia. — Illa quae percipiuntur a *sensu* sunt in *triplici* differentia: quaedam enim percipiuntur a sensu *exteriori* solo, sine adminiculo interiorum. — *Alia* sunt quae percipiuntur a sensu exteriori *mediante adiutorio memoriae.* — *Alia* sunt quae percipiuntur a sensu exteriori mediante adiutorio sensus *interioris,* scilicet, tam memoriae, quam *imaginativae.* — *Phys.* III. q. 2. n. 3.

Sensus communis actus. — De ordine *actuum sensus communis* potest sic dici,

quod *primus* actus eius est *reflexivus* super actum sensus particularis; quia ab illo actu immediate immutatur sensus communis. — *Secundus* est *iudicare* de obiecto sensus proprii secundum se et absolute, non tantum unius, sed cuiuslibet sensus; et istum actum attribuit Avicenna, licet non Philosophus. — *Tertius* actus eius est *cognoscere differentiam* plurium sensibilium propriorum ad invicem; et iste actus sequitur alium; prius enim est cognoscere aliquid secundum se, quam cognoscere ut differens ab aliis, quia impossibile est cognoscere differentiam aliquorum, non cognitis extremis. — *De Anima* q. 10. n. 8.

Sensus compositus — divisus. — * Quid dicere velint * *in sensu composito* vel *in diviso,* * hoc exemplo cognosci potest *: *partes sunt totum,* si capiatur in *sensu diviso,* sensus est, quod pars est totum, et alia pars est totum; et hoc est impossibile. Si autem capiatur in *sensu composito,* tunc sensus est, quod partes simul sumptae sunt totum. — *Physic.* I. q. 9. n. 3. — Vid. *Fallacia compositionis et divisionis.*

Sensus quinque. — Ex diversitate *immutationis* organi ab obiecto, et conformationis sumatur sic sufficientia *sensuum:* quia aliquando sensus immutantur tantum *intentionaliter;* aliquando cum hoc *naturaliter.* — *Si primo* modo, sic est *visus.* — Si secundo *modo,* aut est transmutatio *naturalis* ex parte *obiecti,* aut ex parte *organi.* — Si ex parte *obiecti,* aut fit talis immutatio mediante *motu locali,* et sic est *auditus,* qui immutatur a sono se multiplicante in aere usque ad auditum, mediante motu locali; aut fit mediante *motu alterationis;* sic est *odoratus,* qui sentit odorem procedentem ab odorabili, secundum quod est alteratum per calefactionem, unde in hyeme vix odoratur corpus odorabile, praecipue si sit congelatum. — Non autem accipitur aliquis proprius sensus secundum quod immutatur per motum in *quantitate;* quia quantitas est sensibile *commune,* non *proprium;* et ideo secundum eam non debet assignari *sensus proprius.* — Si autem immutatio sit *naturalis* ex parte *organi,* sic habemus *gustum* et *tactum.* Sed differunt, quia organum *tactus* immutatur a calore vel qualitate sensibili, quae est eius obiectum *immediate,* vel saltem potest ab ea immediate immutari; *gustus* autem non potest immediate immutari a sapore, qui est eius obiectum, sed *mediante humore* salivali coniuncto linguae. — *De Anima,* q. 6. n. 3.

Ex praedictis patet ordo potentiarum: quod *visus,* cum immutetur tantum *intentionaliter,* est *nobilior* sensus et *certior.* — Post hunc autem *auditus,* qui *minus materialiter* immutatur; quia mediante motu locali, qui tantum est primus motuum. — Post hunc *olfactus,* quia immutatur materialiter ex parte *obiecti,* quod est remotius a potentia quam *organum.* — Post hunc *gustus,* quia immutatur materialiter ex parte *organi,* sed non immediate cum suo obiecto, sed *mediante humore* intrinseco. — Ultimus autem quoad nobilitatem cognitionis est *tactus,* quia *immediate* ab *obiecto* suo *materialiter* immutatur. Est tamen *primus* ordine *generationis,* vel *imperfectionis,* vel *communitatis,* quia est *fundamentum* omnium aliorum, et *communis* omnibus habentibus sensum, etiam imperfectum. — *Ib.* n. 5.

Sensus spiritualis. — Si quaeratur, quid sit iste sensus? — Aestimo, quod omnis natura creata habet *infimum* et *supremum,* ut secundum hoc in genere *virtutis* et *activi* aliquo modo sit quid compositum omne activum, citra Primum; sicut virtus sensitiva habet unum *infimum* sensum particularem, et suum *supremum,* id est, *imaginationem,* vel quaecumque sit illa sensitiva superior, per quam coniungitur intellectui.

Intellectiva animae nostrae, quamvis se tota sit non organica, habet tamen suum *infimum,* quod tenet se ex parte portionis inferioris. Et illa est, quae exigitur ad cognitionem et experimentationem actuum nostrorum interiorum, sicut sensus particularis corporalis ad cognotionem et experimentationem actualitatis existentiae rerum sensibilium. Et sicut nulla potentia aprehendit rem extra existentem, nisi sensus particularis, vel ipso mediante, et in suo actu existente, sic vis intellectiva non cognoscit actus nostros inti-

mos, utpote, *velle*, *amare*, et similia, nisi ille *sensus intellectualis* et *spiritualis*, vel ipso mediante, et in suo actu existente, ut anima, sic serviat intellectui quoad cognitionem sui et habituum, sicut sensus particularis corporalis exterior quoad cognitionem rerum sensibilium. — *De rer. princ.* q. 15. n. 20.

Sentire extra corpus est multipliciter. — *Sentire extra corpus* potest intelligi *multipliciter:* — *Uno modo* ratione *sentientis*, quod, scilicet, anima *sentiens* sit *extra corpus;* et ita nullum sentiens sentit * naturatiter * extra corpus, quia non sentit, nisi ut coniuncta organis; alioquin organis non indigeret. — *Secundo modo* potest intelligi ratione illius *cuius informatione* sentit, quod est ipsa *species;* et nec isto modo aliquod sentiens sentit extra; quia species oportet quod informet organum et potentiam, sive compositum ex his. — *Tertio modo* potest intelligi *extra* ratione *obiecti* quod sentitur; et isto modo anima sentit extra corpus, aliquando prope, aliquando longe. — *De rer. princ.* q. 12. n. 4.

Septem Sapientes. — Post *Poetas Theologos* (1) dicitur fuisse apud Graecos *septem sapientes*, quorum *primus* fuit Thales Milesius, qui, ut videtur, secundum Magistrum, in *historiis 4. lib. Regum in fine*, fuit in tempore Zedechiae Regis, et tunc est facta eclypsis Solis, quam praedictus philosophus praedixerat esse futuram. Quidam dicunt quod fuit tempore Achaz; non curemus. — *Secundus* fuit Pytacus Mityleneus, tempore etiam Zedechiae. — *Alii quinque* fuerunt, *unus* Solon Atheniensis, *alius* Chilon Lacedaemonius, *alius* Periander Corinthius, *alius* Cleobulus Lydius, *alius* Bias Prienensis, qui fuerunt omnes tempore babylonicae captivitatis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 2. c. 1. n. 39.

Septentrio. — *Septentrio* dicitur locus suppositus Aequinoctiali; unde quanto locus aliquis est prope magis polum Arcticum dicitur *septentrionalior*, et quanto magis prope Aequinoctialem tanto *meridionalior*. — *Meteor.* II. q. 1. n. 8.

(1) Vid. *Poetae Theologi.*

Sermo. — *Sermones* inventi sunt ad hoc, quod nostros conceptus aliis exprimere possimus. — Non tamen quemcumque conceptum indifferenter per quemcumque sermonem exprimere possumus; sed determinatum conceptum per determinatum sermonem. — *Opus prim. sup. I. Perihermenias*, q. 13. n. 2.

Verbo uti contingit dupliciter: vel respectu *alterius*, vel *mei*. — Respectu *alterius*, quia secundum Platonem, *lib. De Recta Nom. ratione*, et Augustinum *in Enchir.* c. 12., ad hoc sunt nomina inventa, ut conceptus nostri *aliis* manifestentur. — *Alio modo*, ut utens uti possit *propter se* et propter indigentiam, vel ad exprimendum quod apud se est. — *Report.* I. d. 22. n. 8.

Sermo audibilis est signum rememorativum respectu conceptus, ita quod facta immutatione sensus ab ipso sermone, et ulterius intellecta natura eius, inquantum talis natura est, intellectus cognoscens ipsum esse impositum ad significandum talem naturam, ex collatione eius ad illud aliud, intelligit illud aliud, non ita quod sermo per aliquam formam causet conceptum de aliqua re, sed sermo est praevius ad conceptum de re, de qua causatur, per propriam speciem rei vel phantasma in anima. Quod patet, quia quantumcumque sermo proferretur, si audiens non haberet in se speciem rei prolatae, nullus conceptus causaretur in eo de illa re. Unde per voces non intelligimus res, nisi quarum habemus species; sed quod actualiter eas consideremus, hoc est propter collationem signi ad signatum. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 5. n. 10.

Sermo duplex. — *Sermo* est *duplex:* quidam tantum *significativus:* quidam vero *operativus*. — *Report.* IV. d. 3. q. 2. n. 9.

Servitus triplex. — * *Una* * quae est ad *malum et subiectionem poenalem servi*, ut, scilicet, possit vendi et arctari, ut instrumentum inanimatum, quia non est sui iuris, de qua loquitur Philosophus *IX Ethicorum*, quibus principantur aliqui principatu tantum despotico vel tyrannico, et non principatu naturali vel politico. — * *Aliter* est *loqui* * de subiectione et servitute *civili* et *politica*, quae non est ut aliquis illa servitute

sit *totaliter* alterius iuris et ad malum suum, ita quod possit vendi et distrahi, ut instrumentum inanimatum, sed tantum sit alterius *ad bonum suum;* ut sic ille qui non pollet ratione, nec potest faciliter mente providere ad bonum suum, regatur ab illo qui potest sic mente faciliter providere, et pollet ratione; et sic cives alicuius civitatis sunt *servi* alicuius Regis et Principis bene regentis eos, non in malum, sed in bonum. — *Alia* etiam est servitus *moralis* et *peccati,* quae incurritur a voluntate propria illius qui peccat, quia ipse se facit servum; de qua loquitur Apostolus *ad Galat.* 5. (1) dicens: *liberi facti estis, iam nolite subiecti esse servituti;* non suadet nisi quod est in potestate nostra. — Et ita patet, quod nulla est servitus *pure naturalis,* sed tantum de lege et iure *positivo* (2), loquendo de *servitute* quae est ad *malum hominis,* nisi voces subiectionem filiorum ad parentes *servitutem,* quae subiectio est *naturalis* (3). Patet per Philos. *IX Ethicorum,* quia a parentibus recipiunt filii *esse,* nutrimentum, et disciplinam, et ideo naturaliter tenentur eos revereri; praeceptum etiam divinum Decalogi, quod fundatur super ius naturae, statuit hanc servitutem, quae non est servitus in malum servientis. — *Report.* IV. d. 36. q. 2. n. 4-5.

Significare. — *Significare* extensive sumitur pro *dare intelligere.* — *Super Praedic.* q. 8. n. 7. — *Significare* est *alicuius intellectum constituere;* illud ergo significatur cuius intellectus per vocem constituitur. — *Opus prim. super I. Periher.* q. 2. — *Ib.* q. 3. n. 2. — *Significare* est *aliquid intellectui repraesentare;* quod ergo significatur ab intellectu concipitur. — *Elench.* q. 16. n. 6.

Significatio. — Vid. *Grammat. Specul.* n. 4.

Significatio duplex. — Vid. *Grammat. specul.* n. 152.

Signum. — *Signum* est, secundum August. *de Doctr. Christiana, quod praeter notitiam quam ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire.* Quod verum est non solum de signo *sensibili* accipiendo *sensum stricte* pro sensu *corporali,* sed verum est etiam de sensu *incorporali,* accipiendo *sensum generaliter* pro *potentia cognitiva.* — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 5. — Omne *signum,* inquantum signum, est signum *signati.* — Eodem actu est aliquid signum *signi* et *signati.* — *Opus prim. super I Periherm.* q. 2 n. 3 — Vid *Grammat specul.* n. 7.

Signum efficax. — Esset possibile in nobis, quod aliquis instituens *signum* effectus sui disponeret se semper cooperari huiusmodi signo, nisi impediret ille cui adhibetur: puta, si quis instituat pro signo *pacis* vel *benevolentiae tactum manus* vel *elevationem digiti,* vel huiusmodi, posset instituens tale signum determinare se ad semper cooperandum ad effectum signatum, nisi indispositio eius cui adhiberetur signum impediret: tale autem signum, cui instituens disponit *regulariter cooperari,* potest dici signum *verax* vel *certum,* ad distinctionem signi *incerti* vel *equivoci,* quod aequaliter habet secum signatum concomitans vel oppositum. Proprie tamen dicitur signum *efficax,* si adhibito signo, sequitur signatum, ordine naturae, et non e converso; quia si signum sequeretur signatum suum ordine naturae, etsi posset esse signum certum, si nunquam careret illo signato praecedente, non tamen esset *efficax,* quia nullo modo eius positio *efficaciam* haberet respectu signati, sed e converso. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. n. 4. — Ultimum autem potentiae *signi* practici est, quod significet *efficaciter,* hoc est, *praevie* et *certitudinaliter;* nam non posset signo, inquantum *practicum* est, competere maior potentia. — *Ib.* q. 5. n. 16.

Signum multiplex. — *Signum* dicitur

---

(1) V. 1; Vulgata habet: *State, et nolite iterum iugo servitutis contineri.*

(2) « Servitus secundum quam dominus potest vendere servum sicut pecudem, de qua loquitur Philosophus *I Politic.*, quod servus non potest exercere actus virtutis, pro eo quod oportet eum ad praeceptum domini exercere actus serviles, ista non est inducta nisi aliqua lege positiva ». — *Oxon.* IV. d. 36. q. 1. n. 2.

(3) « Servitus, vel magis proprie *subiectio filialis* ad patrem, est de lege naturae: puta obedientia filialis pertinens ad disciplinationem, quia, secundum Philosophum, *VIII Ethic., filius habet a patre esse et disciplinam* ». — *Oxon.* IV. d. 36. q. 1. n. 2.

respective ad aliquod *signatum,* ut pater ad filium; et est etiam alicuius necessario ut *fundamenti,* sicut patet per eius definitionem, quam Magister assignat in littera: *Est,* inquit, *signum res aliqua, praeter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire.*

Et cum signum hoc duo importet, vel necessario requirat, scilicet, *fundamentum* et *relationem,* ex hoc sequitur, quod ex parte utriusque potest distingui. — Ex parte autem *relationis,* quam importat *signum,* distinguitur *signum* primo in signum *naturale,* quod naturaliter significat, et importat relationem *realem* ad signata: tum etiam in signum *ad placitum* tantum, et non naturale, quod importat relationem *rationis,* ut sunt *voces,* et *nutus* Monachorum, quia ista possunt significare alia, sicut ista, si placeret institutionibus, etc (1).

Alia est divisio *signi,* in signum quod *semper habet suum signatum* secum, quantum est ex parte sui; et tale signum est *verum* et *efficax:* sicut *eclypsis* est signum *efficax* interpositionis terrae inter Solem et Lunam; et ita est similiter de aliis signis naturalibus. — *Aliud* est signum quod *non habet suum signatum secum:* cuiusmodi signum est *propositio* quam proferimus, quia non est in potestate nostra, quod tale signum, ut propositio, secum habeat rem quam significat; et hoc signum non est semper *verum,* sed aliquando falsum.

Tertia etiam est divisio *signi* in signum *rememorativum* respectu *praeteriti;* et in *prognosticum* respectu *futuri;* et in signum *demonstrativum* respectu *praesentis.* — *Report.* IV. d. 1. q. 2. n. 3. — *Oxon. ib.* n. 4.

Quantum etiam ad suum *fundamentum,* potest *signum multipliciter* dividi. — Potest enim hoc signum institui in *uno* sensibili *unius* sensus, ut in re *visibili,* aut *audibili,* vel aliquo huiusmodi, sicut in suo *fundamento:* vel in *pluribus* sensibilibus *multorum* sensuum; vel in *multis* sensibilibus *eiusdem* sensus; ut *oratio longa,* in qua sunt multa sensibilia, et multae dictiones fundantes istam relationem importatam per huiusmodi signum, potest signum institui in uno sensibili, vel pluribus, ut dictum est. — *Report. Ib.* n. 5.

Signum est relatio ad signatum, et ideo *signum* est *per quod devenimus ad cognitionem signati,* sicut per *fumum* devenimus in cognitionem *ignis.*

Quaedam sunt signa rei *futurae,* et quaedam rei *praeteritae.* — Item quaedam sunt signa rei futurae quae *prope* est futura, et quaedam illius quod a *longinquo* est futurum. — Item sciendum, quod quaedam sunt signa quae *causae* sunt rei signatae. — Alia sunt signa quae sunt *effectus* rei signatae, sicut fumus est signum ignis, et effectus ipsius. Item aliquod est *signum alterius,* quando ista communiter se habent quantum ad sui generationem, ita quod quodlibet poterit esse causa alterius quantum ad sui generationem; ita, ut in pliribus, *ventus* est signum *pluviae* futurae, et e contra; ut in pluribus magnus ventus terminatur per pluviam, et e contra. — *Meteor.* I, q. 24. n. 2.

Signum practicum-certum. — Aliunde signum *practicum* habet quod significet *practice* signatum, et aliunde quod sit *certum* signum. — Quod patet, quia possibile est quandoque aliquem non veracem uti illo signo; *signationem* enim habet ex institutione: sed quod sit *certum,* non habet nisi ex determinatione alicuius causae cooperantis illi signo ad causandum significatum. Verbi gratia: si ab aliquo legislatore instituatur in politia sua pro signo *pacis tactus manus,* vel huiusmodi, etsi ex ista impositione habet istud signum quod *practice* significet pacem; tamen si alius non verax potest uti isto signo, istud signum non est *certum* ex impositione legislatoris, sed remanet *aequivocum,* quandoque, scilicet, verum, quando habet concomitans signatum, quandoque falsum; falsus enim utitur isto signo sine signato, sicut uteretur signo speculativo benevolentiae sine signato, dicendo, *concedo tibi dilectionem meam,* habens oppositum in mente. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 3. n. 4.

Signum universale. — *Signum universale* sumptum *collective* denotat terminum

(1) « Signum *naturale* verius significat quam signum *ad placitum* ». — *Oxon.* I. d. 22. q. 1. n. 5.

cui additur stare pro maiori multitudine suppositorum contentorum sub illo termino. Item denotat, quod nihil sit contentum sub illo termino, quod non sit pars illius multitudinis. Verbi gratia, dicendo, *omnes Apostoli sunt duodecim*, istud signum, *omnes*, denotat idem quod ista copulativa, *Apostoli sunt duodecim, et nullus est Apostolus, quin sit aliquis istorum duodecim;* et tunc sicut ista copulativa est partim *particularis*, et partim *universalis*, ita et ista, *omnes Apostoli sunt duodecim.* — *Prior.* I. q. 4. n. 7. — Vid. *Dici de omni-dici de nullo.* = *Omnis-Unusquisque, etc.*

Similitudo-Dissimilitudo. — *Similitudo* est rerum differentium eadem qualitate. — *De rer. princ.* q. 15. n. 27.

Proportio, quae est relatio, fundat similitudinem, et sic *stricte* accipiendo *similitudinem*, non fundatur *similitudo* nisi super *qualitatem*, sicut *aequalitas* super *quantitatem*, et *identitas* super *substantiam;* non tamen *communiter* sumendo ista. — *Report.* IV. d. 6. q. 9. n. 5.

Similia dicuntur *uno* modo *si non sunt eadem simpliciter entia*, id est, secundum speciem *substantiae*, nec sunt eadem in *supposito*, *sunt tamen eadem secundum speciem qualitatis* (1). — Quandoque *unitas* secundum *rationem perfectam speciei* potest dici *identitas;* quando vero est unitas non secundum *totam* rationem speciei, potest dici *similitudo;* puta si diceretur, quod ea quae sunt *unum* in *genere* sunt *similia*, quae vero sunt unum *speciei* dicuntur *eadem.*

Iste *primus* modus similitudinis correspondet *tertio* modo *eiusdem;* quia enim *qualitas*, sicut et *quantitas*, fundantur in substantia, ideo ubi est unitas *substantiae* est aliquo modo unitas *qualitatis* et *quantitatis;* tamen illa unitas denominatur a substantia, et non a quantitate vel qualitate. — Oportet ergo ad *similitudinem* vel *aequalitatem* adesse *substantiae diversitatem.* Et ideo bene ait Philosophus, quod *similia dicuntur ea quae non sunt eadem simpliciter*, scilicet, secundum speciem substantiae, nec in differentia secundum substantiam, id est, secundum suppositum; sed sunt eadem secundum speciem, scilicet, qualitatis (1). — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. s. 2. c. 1. n. 30.

Alia autem dicuntur *similia* si *habentia*, id est, participantia *eamdem speciem qualitatis*, puta *albedinem*, quae qualitas potest suscipere *magis* et *minus.*

Alia dicuntur esse *similia, si sit una et eadem passio in specie*, esto quod participent illam secundum *magis* et *minus;* dicuntur enim *similia, quia est una species*, id est, una qualitas *ipsorum*, quam participant, licet secundum magis et minus.

Alia dicuntur *similia* non propter convenientiam in *una* qualitate tantum, sed etiam in *pluribus:* puta, si conveniant in pluribus quam differant; et hoc *aut* secundum rem, *aut* quantum ad ea quae in promptu apparent nobis: *ut stannum* dicitur proprie simile *argento*, quatenus in *pluribus* conveniunt — *Ib.* n. 31.

* Insuper * innuit * Philosoph. * *tres* modos *similis*, dicens, quod *similia dicuntur uno* modo *quae sunt omnino idem passa:* puta, duo patientes febrem *similes* dicuntur.

Alio modo dicuntur *similia* aliqua *plura quae sunt passa idem, aut diversa:* sicut duo homines dicuntur *similes*, non solum si patiantur idem, puta, ambo *tertianam*, sed etiam si patiantur *diversa*, puta, unus *febrem*, alius *verberationem.*

Alio modo dicuntur *similia quorum est qualitas una*, puta, duo equi *albi;* et iste est *proprius* modus, ad quem reducuntur etiam praedicti, pro quanto istae *passiones* possunt dici quaedam *qualitates; unum* enim *in qualitate* facit *simile.*

Ostendit *postea* quae debent dici *maxime similia*, dicens, quod cum sint

---

(1) « Nihil enim est sibi simile, sed alteri; similitudo tamen fundatur super unitatem in *qualitate*, secundum Philosophum, V *Metaph.* cap. de *Ad Aliquid.* — Nec igitur sola *diversitas* relativorum, nec sola *unitas* fundamenti sufficit ad *similitudinem*, sed ambo requiruntur per se sicut una causa totalis. Tamen in similitudine est principalior ratio *unitas* fundamenti quam distinctio extremorum, et similiter immediatior ». — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 9 — q. 1. n. 2.

(1) « Similitudo non tantum fundatur super *qualitatem* ut est *genus* distinctum, sed ut generaliter invenitur in omnibus formis ratio eius; hoc enim modo *mentaliter* crucifixus potest dici similis Christo crucifixo *corporaliter* ». — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 17.

multae contrarietates, in quibus fit alteratio, ille qui alteri similis * est * secundum *plures* contrarietates, aut secundum *magis proprias*, est *maxime* illi *similis*. Exemplum *primi:* ut duo homines, quorum uterque *sapiens*, uterque *liberalis*. Exemplum *secundi: aqua* est *magis similis aëri*, quam *ignis*, pro quanto assimilatur sibi in *humiditate*, quae est principalior et *magis propria* qualitas aëris, quam *caliditas*, in qua sibi assimilatur ignis.

Ultimo innuit distinctionem *dissimilis* dicens, quod *dissimilia dicuntur opposita similibus*, et ideo iuxta modos *similis* possunt accipi per oppositum modi *dissimilis*. — *Ib*. l. V. S. un. c. IX. n. 77.

Dissimile absolute sumptum non opponitur *simili* absolute *privative*, sed oportet utrumque sumi secundum idem ad idem, ut similis et dissimilis eidem, ut in albedine; et sic non possunt ista duo dici de eodem. — *Super Praedic*. q. 38. n. 12. — Vid. *Aequalitas* = *Identitas* etc. = *Idem — Simile*, etc. = *Imago — Umbra* = *Quid Quale — Simile*.

Similitudo essentialis — accidentalis. — In creaturis est *duplex similitudo*, scilicet, *essentialis*, secundum differentiam specificam; et *accidentalis*, secundum aliquam qualitatem accidentalem. — *Oxon*. l. d. 31. n. 5.

Similitudo rerum in anima. — *Similitudinem* convenit ostendere *dupliciter:* vel secundum *esse quod habet in anima*, vel secundum quod est *ductivum* in cognitionem. — *Opus secund. super Periherm*. q. 1. n. 6. — Cum *passio* sit *similitudo* rei, potest *dupliciter* considerari: vel inquantum est *signum* rei in mente; vel inquantum consistit in mente sicut accidens quoddam in subiecto: sicut *haec statua* potest *dupliciter* considerari: vel inquantum est hoc quod ei accidit figura; vel inquantum est *similitudo Herculis*. — *Ib*. n. 8.

Similitudines quae sunt apud animam possunt *dupliciter* considerari: vel secundum quod anima unam similitudinem alteri comparat, et sic similitudinum semper est comparatio, vel compositio; sive aliquid velle, et affirmare, vel negare, quod sive sic, sive sic, anima semper comparat similitudinem unius ad alteram. — Si autem considerentur similitudines prout referuntur ad *res*, similitudines distinguuntur sicut res; sicut si dicam: *homo non est albus*, profero similitudinem prout refertur ad *rem*, distinguendo unum ab alio. — *Ib*. q. 3. n. 4.

Simonia. — Vid. *Poena canonica*.

Simplicitas Dei. — Perfecta *simplicitas* Dei consistit in hoc, quod *est quidquid habet ad se*, ut Magister declarat in littera per auctoritates Sanctorum. — *Report*. I. d. 8. q. 5. n. 6. — Quidquid * enim * est in perfecte simplici est idem sibi perfecte. — *Oxon*. I. d. 30. q. 2. n. 15.

Quid Dei *simplex non est punctualiter* simplex, quasi unicam solam perfectionem in se continens; sed haec essentia est simplex et illimitata, quia *illimitata* non tantum *intensive* in una ratione, sed in *omnibus* quae sunt principia propriarum operationum Dei: sicut natura creata est quodammodo illimitata, quia identice est quodlibet principium tale operandi; cum hac tamen illimitatione essentiae divinae quasi extensiva stat *simplicitas;* immo ex *infinitate* sequitur *simplicitas*, quia infinitum nulli est componibile ut pars parti; sed tamen potest esse realiter idem, licet non formaliter cuilibet infinito. — *Oxon*. I. d. 26. n. 56. — Vid. ib. d. 8. qq. 1. et 4 per tot. — *Report*. hac dist. = *Totum — Perfectum*.

Simulatio multiplex. — Aliquis potest *simulare multipliciter:* — *Uno modo* per aliqua signa *probabilia*, ostendendo se habere aliqua bona, quae non habet: ut per *genuflexiones* et *orationes* potest ostendere devotionem sibi inesse, quae non inest; et talis *simulatio* est *hypocrisis*. — *Alio modo* potest aliquis simulare *mala non inesse* sibi; et hoc *dupliciter:* vel ostendendo signa opposita illis malis: vel non ostendendo signa quae communiter consueverunt sequi mala illa. *Primum* istorum videtur pertinere ad *hypocrisim:* puta, si aliquis luxuriosus, audiens loqui de mulieribus, spuat in signum castitatis, ostendens se habere oppositum in corde. *Secundum* non est aliquod malum, imo si qua potest esse laus in malo, est *laudabile;* quia *vituperabile* est praedicare peccatum proprium, eo modo

quo dicitur de quibusdam: *Peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt* (1). Etsi enim malum sit esse malum interius in corde, addere tamen malum signum exterius est addere malum malo.

In *indifferentibus* autem potest aliquis facere aliqua facta quae ex natura sua sunt signa alicuius: sicut *sudare* ex natura rei est signum *fatigationis* vel alicuius resolutionis corporalis; et aliqua quae ex natura rei non sunt signa, sed scit ea concipi a circumstantibus tamquam signa: sicut *spumare*, ita quod saliva decurrat per barbam, ex natura sua non est signum insanae mentis, tamen potest aliquis scire illud iudicari a circumstantibus tamquam signum furiae, puta quia talia consueverunt esse signa furiosorum in terra illa. — *Oxon.* III. d. 38. n. 16.

Universaliter ergo de *prima* et *secunda* simulatione, dico, quod sunt peccata, quia hypocrisis; simulatio *tertia*, dummodo aliud malum non concomitetur, est laudabilis, ita quod homo non ostendat suum malum per aliud malum.

In *indifferentibus* simulatio *prima* in aliquibus, licet esset forte mala, non tamen graviter: puta, si quis posset se facere sudare sine labore praevio, sicut quidam ioculatores utuntur suis corporibus ad aliquos motus significantes aliquas dispositiones, quae non insunt eis, nec praecesserunt. —

Simulatio *quinta*, quae est *secunda* in *indifferentibus*, nullum peccatum est, et talis fuit simulatio David. — *Ib.* n. 17.

Simul esse. — Illa dicuntur *simul * esse ** quae sunt in eodem indivisibili. — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 4. — *Esse simul* quandoque significat *unitatem*, ut cum dicimus aliqua esse *simul* secundum *tempus*, quae sunt in *uno* et in *eodem* nunc temporis: quandoque significat quamdam *propinquitatem* eorum quae consequenter se habent, ut si duo homines dicantur *simul esse* in *loco*, quorum loca sunt *propinqua* et consequenter se habentia. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VI. S. 2. c. 2. n. 31.

Simul esse localiter. — Aliqua possunt dici *simul dupliciter:* — *Uno modo* quia sunt in eodem loco *primo;* et hoc *dupliciter: uno* modo *per se, alio* modo *per accidens*, ita ut unum corpus sit *per se* in loco, et aliud *per accidens*. — *Alio modo* dicuntur aliqua *simul* per *privationem distantiae* intermediae; et sic duo corpora *immediata* dicuntur esse *simul*. — *Physic.* VII. q. 3. n. 2.

Simul — Seorsum — Tangi — Medium — Consequenter — Habitum. — *Simul secundum locum dicuntur quaecumque sunt in uno loco primo* et proprio et adaequato; nam si aliqua sunt in *uno* loco, puta multi homines in *una domo*, non propter hoc dicuntur *esse simul* secundum locum.

Seorsum secundum *locum* dicuntur *quaecumque sunt in alio loco.*

Tangi autem dicuntur quorum ultima sunt simul, puta, duo *ligna*, vel duo *lapides*, quorum superficies iunguntur mutuo.

Intermedium dicitur illud in quod illud quod continue *permutatur prius secundum naturam est natum pervenire quam in ultimum in quod permutatur:* puta, si sit motus continuus ab A in C, prius pervenit mobile in B, quam in C, et ideo B est *medium*.

Contrarium secundum locum est quod *est plurimum distans secundum rectum*, id est, secundum *rectam lineam*.

Consequenter dicitur illud quod est *post aliquod primum principium*, sive attendatur ordo secundum *positionem*, sive secundum *speciem*, sicut *binarius* est *post unitatem;* sive quomodocumque aliter, *et nihil est intermedium eorum quae sunt in eodem genere cuius est consequenter*, id est, quod nihil eiusdem generis sit medium inter illud quod est *consequenter* se habens: *ut lineae* sunt *consequenter* alicui *lineae*, aut *unitates unitati*, *aut domus domo; nihil autem prohibet esse intermedium aliud* alterius generis; puta, si inter duas *domos* sit media *arbor* vel *asinus*, nihilominus domus illae se habent *consequenter*.

Et subdit * Philosophus * ad maiorem declarationem dicti, quod illud *quod est consequenter est respectu alicuius consequenter, et etiam quod sit aliquid posterius;*

(1) *Isai.* c. III. v. 9.

non enim *unum* est *consequenter duorum*, quia *unum* non est *posterius*, sed *prius* quam *duo; nec una nova Luna est* consequenter *secundae* cum sit prior secunda.

Habitum autem dicitur *quodcumque ens consequenter tangit*, ita quod *habitum* addit *tactum* supra *consequenter:* ut si duo corpora sint ordinata, et *tangant* se invicem. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 4. n. 107.

Simultas moralis. — Iudicatur *simultas* * *moralis* * inter *factum* hominis et *verbum* quando incipit unum antequam totaliter finiat aliud, et hoc indifferenter, sive istud prius finierit quam aliud, vel e converso. Vr. gr. si quis dicat illam orationem, *facias hoc*, et fricet barbam, sive incipiat actum suum ante prolationem, sive e converso, dum tamen unum non finiatur complete ante inceptionem alterius, dicetur: ille *simul dixit* hoc, et *fecit hoc*. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 3. n. 4.

Simul totum. — *Simul totum* aliquando * Philosophus * accipit pro *composito ultimate contracto:* aliquando pro composito *in universali: stricte* autem accipit *simul totum* pro *individuo* substantiae compositae; quia illud nihil in sua ratione continet, quare sibi repugnet recipere praedicationem naturae, sive *quod quid est;* imo *quod quid est* hominis praedicatur de *hoc* homine, licet non *primo;* sicut enim substantia composita abstrahit a tempore, et ab *esse* existentiae, ita *hic* homo, et tota coordinatio illius generis, et ita individuum hominis, ut *hic* homo, abstrahit a tempore, sicut *homo;* sed stricte per *simul totum* intelligit *hunc* hominem vel lapidem *exsistentem*. — *Oxon.* III. d. 22. n. 14. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 16. n. 5. — Vid. *Synolon.*

Singulare. — Vid. *Universale — Singulare.*

Singulare duplex. — *Singulare duobus* modis accipitur: *Primo modo* ut dicit *actualem rei existentiam* ad quam sequitur, et non secundum quod singulare dicit terminum operationis. — *Alio modo* secundum quod *singulare* dicit gradum distinctum naturalem *unius individui* a gradu naturae alterius individui *eiusdem speciei*, eo quod numquam natura generat duo individua eiusdem speciei secundum eumdem modum et gradum participantia illam speciem, sicut nec duae species umquam aequaliter participant naturam generis. — *De rer. princ.* q. 13. n. 13. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. q. 15. n. 4. — *De Anima*, q. 22. n. 4 seqq. — *Poster.* I. q. 39. n. 4.

Singularitas dupliciter considerata. — Aliud est *singularitatem* esse conceptam *ut obiectum*, vel ut partem obiecti; aliud est singularitatem esse praecise *modum concipiendi*, sive sub quo concipitur obiectum. — *Exemplum:* cum dico: *plurale est singulare, obiectum* conceptum est *pluralitas;* sed *modus* concipiendi, id est, modus sub quo concipitur, est *singularitas*. — Ita in intentionibus logicis, cum dico: *singulare est universale, quod* concipitur est *singularitas;* sed *modus* concipiendi, sub *quo* concipitur, est *universalitas;* quia quod concipitur habet indifferentiam ad plura. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 7.

Situs. — Vid. *Dispositio = Praedicamenta decem.*

Solum. — Aliter additur dictio exclusiva * solum * *subiecto*, et * aliter * *praedicato;* quia cum additur *subiecto* * dicit * *praecisam mensuram praedicati ad subiectum,* sic quod nunquam praedicatum excedit subiectum; ideo ex parte subiecti non excluditur nisi illud de quo nullo modo hîc dicitur; sicut dicendo: *Tantum Socrates currit*, non excluditur *album*, nec e contra. — Sed ex parte *praedicati* excludit *quodlibet*, quod non est formaliter praedicatum, ut est syncategorema: non tamen *aeque proprie* additur praedicato, sicut subiecto *solus*. — *Report.* III. d. 6. q. 2. n. 4. — *Oxon.* ib.

Solum — Solummodo. — *Solum* potest accipi *categorematice* vel *syncategorematice*. — *Report.* III. d. 9. n. 4.

* Similiter * ly *solummodo* potest accipi *dupliciter*, scilicet, *categorematice* vel *syncategorematice*, et tunc notat exclusionem ab uno extremo respectu alterius extremi. — *Oxon.* III. d. 9. n. 6.

Solus in Divinis. — Potest fieri distinctio, sicut distinguitur communiter, et bene, quod *solus* potest teneri *categorematice*, et *syncategorematice*. *Solus* quippe significat

idem quod *non cum alio*, sicut patet per Philosophum, *I Elenchorum*: ista autem negatio associationis potest intelligi determinare aliquid in se, sive in natura rei; vel determinare aliquid ut est extremum compositionis in habitudine ad aliud extremum: puta, negando associationem alterius ab isto in recipiendo praedicationem talis praedicati. — *Primo modo* non admittitur in Divinis hoc nomen *solus*, quia nihil est ibi *solitarium*. — *Secundo modo* conceditur quandocumque non associatur subiecto aliquid de quo dicatur idem praedicatum. Ita non est praedicando essentiale de personali, quia essentiale convenit alii ab isto incluso, et ideo talis propositio, *solus Pater est Deus*, negatur. — *Oxon.* I. d. 21. n. 2.

Solus — Inquantum. — *Solus* importat *privationem associationis*, quod contingit *dupliciter*: — *Uno modo* prout intelligitur determinare illud cui additur in se *absolute*, ponens rem suam circa suum substantivum, et sic est categorema, cuius res ut sic est significari per *solum* aut *solitarie*. — *Alio modo* intelligitur determinare suum determinabile *in comparatione ad aliud;* et sic est syncategorema, dicens modum circa extremum.

Sed hîc mihi videtur ulterius distinguendum, quod cum *solus* prout syncategorema dicat *praecisionem circa subiectum*, hoc contingit *dupliciter*: — *Uno modo* denotando subiectum *praecise subiici* respectu praedicati. — *Alio modo* subiectum in se *esse praecisum*, et sic dicit modum praecisum circa subiectum, cui sub tali modo significatur praedicatum inesse. — Quod vero haec distinctio sit conveniens, potest apparere in alia dictione syncategorematica, ut in dictione reduplicativa, quae uno modo denotat habitudinem subiecti ad praedicatum, ut quod in subiecto sit causa inhaerentiae praedicati; et sic importat habitudinem causalitatis, ut cum dicitur: *homo inquantum homo est rationalis, vel risibilis;* et sic tenetur *reduplicative*. — *Alio* modo *specificative*, ut quando disponit subiectum specificando unam rationem eius, sub qua inest sibi praedicatum; nec tunc tenetur *reduplicative:* v. g. si dicatur, *materia, inquantum in potentia, ad formam movetur*, non enim tenetur hîc reduplicative; tunc enim importaret universalitatem, et tunc sequeretur, quod materia secundum omnem potentiam moveretur, sicut sequitur, secundum Philosophum; *Iustitia est bonum inquantum bonum; igitur iustitia est omne bonum;* sed tenetur *specificative*, specificando unam rationem tantum, secundum quam movetur ad formam, et non secundum aliam. Sic igitur intelligitur illud Philosophi *IV. Met.* c. 10.: *Est autem scientia quae speculatur ens inquantum ens;* non enim intelligitur *reduplicative*, tunc enim sequitur, quod specularetur quodcumque ens *particulare;* sed tenetur ibi *specificative* ratio *entis*, secundum quam de illo est scientia, quia non sub ratione *mobilis*, nec *quanti*, sed sub ratione *entitatis*, sive quidditatis absolute. — *Report.* I. d. 21. n. 8.

Sic ergo dico in proposito, *solus* uno modo dicit *modum praecisionis* cuiuscumque alterius a subiecto respectu praedicati; et tunc denotat subiectum subiici respectu praedicati: alio modo dicit *praecisionem subiecti in se, secundum unam rationem, praescindendo alias;* et sic denotatur subiectum esse in se praecisum, cui secundum illum modum praecise inest praedicatum. Et hoc apparet in nostro modo loquendi, quod ista distinctio sic habetur; dicimus enim, quod homo *praecise* est Grammaticus, et tunc est idem quod *solus* homo est Grammaticus, ut excludit respectu praedicati; et tamen homo praecise consideratus secundum *rationem hominis* non est Grammaticus; et sic accipitur *solus*, ut dicit rationem praecisam in subiecto, sub qua praedicatum sibi inest. — *Ib.* n. 9.

Somnus. — Sicut habetur *lib. De Somno et vigilia*, *somnus* est passio animalis; non tamen *animal* est *primum* subiectum eius, sed aliqua *pars* animalis, cui primo inest somnus, et per illam convenit toti animali, eo modo quo dicimus, quod hoc est *intelligens* per intellectum, cui primo convenit intelligere, et per intellectum convenit toti homini. — Illa autem pars cui primo convenit somnus non est manifestum quae sit, utrum *cor*, vel *cerebrum*, vel aliquod aliud,

quia de hoc sunt opiniones. *Somnus* autem est *quaedam immobilitas* vel *quies partis sensitivae animae;* nam in somno perfecto omnes sensus quiescunt, et cessant ab operatione sentiendi. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un. c. 5. n. 31.

Sophismatum solutio. — Solutio * sophismatum * est *manifestatio defectus.* — *Elench.* q. 55. n. 4.

Sophistica. — *Sophistica* dicitur *apparens sapientia,* quia procedit ex *apparenter* probabilibus, quae tamen probabilia non sunt. Et non dicitur *apparens sapientia,* quia procedat ex apparenter *veris.* — *Elench.* q. 7. n. 8. — Vid. *Dialectica* — *Sophistica,* etc.

Speciei ad obiectum adaequatio triplex. — Potest intelligi adaequatio simpliciter *entitatis ad entitatem:* vel adaequatio *secundum proportionem repraesentantis ad repraesentantem absolute:* vel *tertio* modo per adaequationem secundum proportionem, *non absolute,* sed *per comparationem ad actum talem,* sicut *materia* dicitur *adaequari formae* secundum *proportionem,* licet non secundum *entitatem,* pro eo quod eorum entitates sunt inaequales; tamen materia est perfectibilis, sicut forma est perfectiva. — *Primo modo* universaliter nullum per se repraesentans (quod est ratio repraesentandi, et non cognitum) adaequatur illi quod repraesentat, sed deficit, sicut patet de albedine, et specie albi. — *Secundo modo* aliqua ratio repraesentat per adaequationem; sicut species perfectissima albi repraesentat illud album, et ipsa est ratio quasi comprehensive videndi album illud. — *Tertio modo* quaecumque albi species etiam in oculo caecutiente, licet non ita perfecte repraesentet album sicut esset repraesentabile, tamen perfecte repraesentat illud per comparationem ad actum sequentem, quia ita perfecte repraesentat sicut requiritur ad habendum talem actum circa obiectum. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 12.

Speciei principium essentiale duplex. — *Essentiale principium speciei* est *duplex:* Quoddam *secundum rem,* quod est pars rei in existentia, cuiusmodi sunt *materia* et *forma*: aliud *secundum rationem,* quod importat eamdem rem sub modo indeterminato, quam species importat modo determinato. — *Super Univer. Porph.* q. 20. n. 3.

Speciei sensibilis triplex esse. — Habet *species sensibilis esse tripliciter,* scilicet: in *obiecto extra,* quod est esse *materiale.* — In *medio,* et hoc est esse quodammodo spirituale et immateriale. — Habet *esse* in *organo;* et hoc adhuc *magis spiritualiter* et *immaterialiter,* quam in medio. Et sic ascendendo ad vires superiores, semper habet *esse* magis spirituale. — *De Rer. Principio* q. 14. n. 20.

Species. — *Ex genere et differentiis species* constituuntur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 6. n. 73. — *Species* est quae *praedicatur de pluribus numero differentibus in eo quod quid est.* — * Haec * definitio conveniens est, sicut supra dictum est de definitione *generis* (1).

Species potest habere *comparationem duplicem* ad *genus:* unam ut *ordinatur sub ipso:* aliam vero ut *genus enunciatur de specie* in propositione. — *Primo modo* datur haec definitio: *Species est quae sub assignato ponitur genere.* — *Secundo modo* haec: *Species est de qua genus in eo quod quid est praedicatur.*

* *Species* * non praedicatur *in quid* tantum, sed *in quid* et *in quale.* — *Super Univers. Porph.* q. 21, *per totam.* — Illa definitio Porphyrii: *Species dicitur quae praedicatur de pluribus in quid,* debet intelligi, quod in illis pluribus plurificetur species secundum naturam. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 30. — Definitio *speciei* debet intelligi cum *praecisione,* scilicet, *differentibus tantum numero.* — *Species* praedicatur *immediate* de differentibus numero; *genus* vero non, quia *mediante* specie — *Super Univers. Porph.* q. 17. n. 2. — De ratione *speciei* est quod sit de pluribus differentibus *numero* praedicabilis — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 7. — *Report.* II. d. 12. q. 4. n. 7.

Species potest dici *habitus, large* sumendo *habitum* pro *forma,* ut est principium operandi, prout distinguitur *habitus* a *privatione,* et a *dispositione* se tenente

---

(1) Vid. *Genus* = *Genus* — *Species.*

ex parte *materiae*, quae est de difficili mobilis. — *De Anima*, q. 14. n. 6. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 29.

Species primo refertur ad *genus*, sed per rationem sui *generis*, quod est universale, refertur ad *individua*, sicut omne *universale* dicitur ad illa de quibus praedicatur; et ita non primo ad utrumque. Et illorum correlativorum alterum, ut *genus*, includit correlativum primum alterius, ut universale, et ita non potest esse non existente reliquo correlativo per se. — *Super Praedic.* q. 29. n. 4. — *Species* dicitur correlative ad *genus;* et ideo necesse est aliquam definitionem eius dari, in qua ponatur genus, et etiam ista: *Species est quae ponitur sub assignato genere.* — Aliam autem comparationem habet species ad *individua*, non secundum quam est genus, quia sic negat Porphyrius, *cap. de Specie*, extrema habere duas habitudines, sed secundum quam est *species;* et ideo necesse est, ipsam habere aliam definitionem in comparatione ad individua. — *Super Univers. Porph.* q. 21. n. 2. — Vid. *Causarum species = Genus — Species = Praedicari in quid — in quale*, etc.

Species in Divinis. — Patet per Magistrum, *dist. 9*, quia * Damascenus * ponit ibi *speciem* pro aliqua similitudine speciei ad individua. Est tamen maior similitudo secundum Augustinum, et ideo Aug., *De Trinitate*, negat ibi *speciem*, sicut et *genus*. Unde illa definitio Porphyrii: *Species dicitur quae praedicatur de pluribus in quid*, debet intelligi, quod in illis pluribus plurificetur species secundum naturam; in Personis autem Divinis non plurificatur natura divina.

Species etiam secundum se habet realitatem correspondentem sibi potentialem ad propriam realitatem individui: essentia divina nullo modo est potentialis ad relationem, sicut dictum fuit supra, *dist. 5. q. 2.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 3, n. 30.

Secundo sic: conceptus *speciei* non est tantum conceptus realitatis et modi intrinseci eiusdem realitatis, quia tunc *albedo* posset esse genus, et gradus intrinseci albedinis possent esse differentiae specificae: illa autem per quae commune aliquod contrahitur ad Deum et creaturam sunt *finitum* et *infinitum*, quae dicunt gradus intrinsecos ipsius; ergo ista contrahentia non possunt esse verae differentiae, nec cum contracto constituunt ita compositum conceptum sicut oportet conceptum *speciei* esse compositum; imo conceptus ex tali contracto et contrahente est simplicior quam possit esse conceptus speciei. — *Ib.* n. 17.

Nulla species per adaequationem potest repraesentare essentiam divinam *secundo* modo, nec etiam *primo* modo (1); quia illa essentia, quae comprehensibilis est ab intellectu suo, non potest comprehendi nisi per essentiam ut per rationem: sed *tertio* modo, comparando ad intellectum creatum, aliquo modo potest habere speciem, quae, scilicet, ita perfecte illam essentiam repraesentat, sicut actus talis intellectus attingit. — *Oxon.* II. d. 3 q. 9. n. 13.

Species infusa-acquisita. — Si dicas species *infusam* et *acquisitam* differre specie, sicut virtutem acquisitam et infusam, quae simul sunt, istud est axioma, de quo in lib. 3. dist. 36. q. 1. Sed esto, quod concedatur eis de virtutibus; non sequitur propositum hic, quia virtus infusa habebit aliam regulam propriam, quam acquisita, et ex alietate regulae poterit poni alia virtus specie, quia virtus in ratione essentiali virtutis dependet a regula, cui conformatur; haec autem non poterit fingi differentia specifica *speciei* infusae, et prius acquisitae, quia non est haec differentia, nisi tantummodo principii effectivi, vel modi efficiendi: talis autem non distinguit effectus specie, secundum quod innuit Aug. *III. De Trin. c. 10.* — *Oxon.* IV. d. 45. q. 2. n. 6.

Species intelligibilis. — Illud *quo* ut principio activo ex parte obiecti speculamur est *species intelligibilis.* Ista species praecedit naturaliter primum actum elicitum circa obiectum circa quod est. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 11. — *Species intelligibilis* vocatur *similitudo obiecti:* non quod illa sit relatio quam per se importat hoc nomen *similitudo*, sed quia ipsa ex natura sua est quaedam forma *imitativa* et repraesentativa obiecti;

---

(1) Vid. *Speciei ad obiectum adaequatio triplex.*

ideo dicitur *similitudo* talis, scilicet, per *imitationem;* et etiam cum significatur per hoc nomen *species*, adhuc non significatur sub ratione *absoluti* praecise, sed includendo illam *relationem*, sub qua communiter intelligitur. Unde etiam *species* dicitur *alicuius obiecti species*. — *Quodlib.* q. 13. n. 32.

Procedendo per divisionem eorum quae sunt in anima, concedo, quod *species* vere potest dici *habitus:* unde *habitus* potest praedicari de ipsa specie tamquam praedicatum universale et per accidens. Quod si debeat per se et in particulari exprimi, recte dicitur *species intelligibilis* talis. — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 18.

Species intelligibilis dupliciter sumpta. — *Species * intelligibilis * dupliciter* potest sumi: — Vel in ratione *repraesentativa* obiecti, propter quod, secundum aliquos, est in notitia species; unde quod inhaereat, hoc accidit ei, quia aliter non posset repraesentare. Loquendo secundum hanc acceptionem est de genere *intelligibilium.* — Vel potest considerari in ratione *informativa;* et quia hoc habet commune cum aliis naturalibus, scilicet, *inhaerere passo*, ideo secundum hoc potest dici de genere *entium.* Sed quia hoc accidit, principalius dicitur *intelligibilium* quam *ens*, licet utrumque sit. — *De Rer. Princ.* q. 14. n. 32. — *Opus prim. super I. Periherm.* q. 2. n. 3.

Species intelligibilis-sensibilis. — Dico *speciem intelligibilem similitudinem intelligibilium*, quae est in *intellectu* ut in subiecto; sicut *species sensibilis* est *similitudo rei sensibilis*, quae est in *sensu* ut in subiecto. — *Opus. prim. super I. Periher.* q. 2. n. 1. — * *Species intelligibilis* * est id *quo* intelligibile intelligitur — *Ib.* n. 2.

Species — Modus. — Est differentia inter *speciem* et *modum*, quia *species* super illud cuius est addit differentiam *essentialem; modus* differentiam *accidentalem* — *Super Praedic.* q. 36. n. 3.

Species propria-aliena. — Vid. *Intelligi in se — in alio.*

Species specialissima. — Vocat * Aristot *. *species specialissimas* quatenus sunt indivisibiles in ulteriores species; unde et vocantur quandoque species *atomae*, id est, *indivisibiles.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 9. n. 82. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 22. seqq.

Cum dicitur, quod species specialissima est *atoma*, dico, quod est atoma, hoc est, indivisibilis in *plures species;* non est tamen *pure atoma*, hoc est, simpliciter indivisibilis, indivisibilitas enim in plures species compatitur secum divisibilitatem in plura *eiusdem* speciei. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 18.

Species tripliciter accepta. — *Speciem* aliquando * Philosophus * accipit pro *forma*, quae est *altera* pars rei compositae: aliquando pro *forma totius*, ut humanitate, de qua in eodem c. (1): *Speciem autem dico quod quid erat esse;* ubi etiam dicit, quod *materia* est pars talis speciei. Aliquando accipit *speciem* pro *universali abstracto*, cuius, scilicet, universalis abstracti primo est ipsum *quod quid est*, sicut *c. de Par. diff.*, quasi in principio, mota quaestione de partibus diffinitionis, dicit, ex quibus est speciei ratio, et accipit ibi *speciei* pro universali abstracto, ut concavitatis, sicut infra *cap.* 9. *Universalis* et speciei est diffinitio. — *Oxon.* III. d. 22. n. 14. — *Report.* ib. n. 13. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 10. n. 76. — *Metaph.* l. VII. q. 16. n. 5.

Specificatio. — Vid. *Solus-Inquantum.*

Spes. — *Spem* exprimit Salvator per illud, *Beati qui lugent;* luctus enim est habitus desiderandi illud. — *Oxon.* III. d. 34. n. 19.

Spes est virtus theologica, unica, et distincta a fide et charitate. — Quod persuadetur sic: Experimur in nobis hunc actum, scilicet, *desiderare bonum infinitum inesse nobis bonum;* et hoc *a Deo seipsum nobis liberaliter conferente: non quidem primo, sed propter aliquid aliud acceptum sibi, ordinatum ad illud, ut propter merita:* iste actus est *bonus*, quia debite circumstantionatus; igitur ad ipsum potest esse *virtus* inclinans.

Assumptum patet per circumstantias omnes discurrendo: nam *obiectum* huius actus est bonum infinitum. — *Prima circumstantia* includitur in hoc, quod est *deside-*

---

(1) *Metaph.* VII. c. 10.

rare, quod est *velle*, non absolute, sed *absentis* (1). Deus enim viatori est absens in ratione obiecti perfecte habendi; igitur *velle* tendens in ipsum, sub tali ratione, habet ex ista parte circumstantiam debitam. — Quod autem additur, *inesse nobis bonum*, est circumstantia debita *cui;* quia istud bonum est debitum illi cui appetitur esse bonum: nullum autem bonum sufficienter quietat appetitum, nisi sit infinitum bonum (2). — Quod additur, *a Deo*, etc., notat circumstantiam debitam ex parte eius a *quo;* non enim potest hoc bonum communicari nisi a Deo liberaliter se conferente. — Quod additur, *non primo*, etc, notat dispositionem ex parte eius, scilicet, *quo* ad istud bonum perveniatur; quod notat dispositionem convenientem, secundum ordinationem divinam ad hoc bonum consequendum; quia disposuit sapientia divina non perfecte communicare se, nisi aliquo praeaccepto.

Patet igitur, quod ille actus est *rectus*, quia *debite circumstantionatus;* igitur ad ipsum potest esse virtus inclinans; et haec virtus est virtus *appetitiva*, quia actus hīc expressus est actus appetitivus, et circumstantia sunt circumstantiae actus appetitivi.

Haec etiam virtus inclinans est virtus *theologica;* quia respicit Deum pro obiecto immediato, nam per omnia alia quae adduntur ipsi obiecto non tollitur ratio obiecti, ut obiectum est; quia enim desidero illud *mihi*, vel *tali*, non tollitur quin desiderem illud ut obiectum; igitur illud circa quod est actus *spei* est bonum infinitum, et ita aeternum; igitur est virtus *theologica*. — *Oxon.* III. d. 26. n. 10-11, *ubi latius haec prosequitur.* = Vid. etiam *Report.* hic = *Beatitudines* = *Spiritus Sancti Dona* = *Habituum divisio.*

Nomina sunt imposita ad placitum. Unde *spes* potest imponi et imposita est ad significandum talem *passionem* impressam appetitui sensitivo ex delectabili praesente, non in se, sed in phantasia, quod si esset in se praesens, natum esset imprimere *delectationem;* sicut ex alia parte malum praesens in imaginatione imprimit *timorem*, praesens in se imprimit *dolorem.* Hoc modo concedo, quod spes non est virtus moralis, nec theologica. Tamen idem nomen potest significare habitum praedictum, cui est inclinare in talem actum, qui est desiderare bonum infinitum esse mihi bonum a Deo liberaliter conferente ex meritis, quae habeo vel mihi spero. — *Oxon.* III. d. 26. n. 23.

Spes-Tentio. — Secundum eamdem rationem formalem respicit *spes* obiectum, et *tentio*, sicut eadem ratio formalis est tendendi in illud, et quiescendi in eo. Sed differentia est, quia illud obiectum est diversimode approximatum: quia absens, vel approximatum imperfecte, *desideratur;* praesens autem, vel perfecte approximatum *amatur.* — *Oxon.* III. d. 26. n. 12.

Spiritus Sancti Dona. — De *donis* dico, quod ibi enumerantur quatuor *virtutes cardinales. Prudentia* per donum *consilii;* prudentia enim est habitus consiliativus; quia est habitus recte syllogizandi practice, et tale syllogizare est consiliari. Unde habitus, quo quis est consiliativus, est prudentia. — *Fortitudo* esprimitur suo nomine inter *dona.* — *Timor* autem est species *temperantiae;* idem enim est omnino timor quod humilitas, licet alio nomine nominetur, sicut patere potest per Augustinum, super illud *Matth.* 5., *Beati pauperes spiritu;* frequenter enim numerantur non nominibus propriis, et ideo Scriptura frequenter commendat timorem. Unde illud, *Initium sapientiae timor Domini*, nihil aliud est nisi *humilitas*, quae est principium virtutum. — Et cum inter dona ponitur *pietas*, haec est quae apud Salvatorem vocatur *misericordia*, et ita est species *iustitiae.*

Esprimuntur ergo inter *dona* quatuor *Virtutes Cardinales:* duae quidem, ut *prudentia*, per consilium; *fortitudo* proprio nomine suo; duae autem aliae non sub ratione illarum specierum intermediarum, quae enumerantur in illo alio septenario; sed in quibusdam speciebus earum, puta, *temperantia* in *timore*, et *iustitia* in *pietate.*

---

(1) « Spes tantum inclinat in bonum commodum absens, iuxta illud *Roman.* 8: *Spes quae videtur non est spes*, accipiendo *spem* pro *sperato*, scilicet, pro *obiecto* ». — *Oxon.* III. d. 31. n. 2.

(2) « Circa Deum ut appetibilem ut commodum mihi sufficienter perficit *spes* ». *Oxon.* III. d. 34. n. 7.

Duae *infusae* exprimuntur ibi: *Charitas* quidem per spiritum *sapientiae;* universaliter enim quando in Scriptura commendatur sapientia, ut *Beatus vir qui in sapientia morabitur*, et huiusmodi, ibi *sapientia* est *charitas;* est enim habitus quo sapit habenti illud obiectum, quod est in se sapiendum, quo, scilicet, placet mihi bonum eius in se, et illud volo mihi. — Per alia duo dona, *intellectum* et *scientiam*, exprimitur *fides infusa*, ita quod illa duo non circumloquuntur duos habitus, sed unum tantum secundum *perfectum* et *imperfectum;* et unus potest dari sine alio, sed non e converso; potest enim *intellectus* dici fides *imperfecta*, quae est notitia articulorum primorum; et *scientia* fides *perfecta*, quae est explicata notitia de articulis; sicut in scibilibus naturalibus intellectus dicitur esse *principii*, et scientia *conclusionis*. — *Spes* autem explicite non enumeratur hic; sed datur intelligi per *charitatem*, quae est *sapientia*; sapientia enim est qua sapit mihi Deus *in se*, et qua sapit *mihi*; nam qui sapit, et saporem in se approbat, et sibi appetit. — *Oxon.* III. d. 34. n. 20 — *Report.* ib., n. 11.

Sapientia quidem est habitus appetitivus, scilicet, *charitas*, licet includat *fidem* tamquam praevium, sicut actus voluntatis actum intellectus. — *Scientia* et *intellectus* circumloquuntur *habitum fidei perfectum* et *imperfectum*, sicut dictum est prius (1). — *Consilium* acceptum pro habitu est habitus *prudentiae.*

Sed *obiicitur*, quod scientia et intellectus non sunt unus habitus: quia in cognitione acquisita alius est habitus principii, qui dicitur *intellectus*, et alius conclusionis, qui dicitur *scientia*; igitur a simili in cognitione infusa alius est habitus cognoscendi articulos, et alius cognoscendi consequentia vel explicita ex articulis. *Respondeo:* consequentia non valet, quia in *acquisitis* assentitur vero complexo propter *evidentiam* ex suis terminis: aliam autem evidentiam habet proprie principium ex terminis suis, et aliam conclusio ex suis, et alterius rationis, licet ista evidentia sit causata ab illa; et ideo potest esse alius habitus respectu huius, et illius, qui respicit formalem rationem veritatis hic, et ibi. Sed in *creditis* non assentitur propter evidentiam crediti, sed propter *veritatem*, * *(veracitatem)* *, revelantis, cui assentitur: et illa est eadem respectu primorum articulorum, et respectu aliorum explicatorum ex illis; et ideo non est alius habitus unius, et alterius, quia est idem obiectum sub eadem ratione formali (1). — *Oxon.* III. d. 35. — *Report.* ib. — Vid. *Spiritus Sancti Fructus* = *Virtutes praecipuae* = *Donum.*

(1) « Unde *intellectus* et *scientia* dicuntur fides *implicita* et *explicita*, et consequuntur se invicem tam in via quam in patria. — *In via* dicitur aliquis habere *intellectum*, qui assentit articulis; *scientiam* vero, quae scit articulos defendere: *in patria* intellectus dicitur visio divinae essentiae, *scientia* cognitio articulorum in Verbo. Ideo intellectus et scientia est unus habitus perfectus divinae cognitionis primi credibilis et expressivi aliorum ». — *Report.* III. d. 35.

(1) « Intellectus et scientia credibilium habitus sunt excedentes facultatem naturalem ». — *Report.* ib.

Spiritus Sancti Fructus. — De *fructibus* dico, quod quidam illorum sunt *virtutes*, secundum illam regulam secundum quam enumeratae sunt in illo septenario (2): quaedam autem sunt *species* virtutum ibidem enumeratarum: quaedam, nec sic, nec sic, sed *delectationes* consequentes actus. Verbi gratia, *charitas* exprimitur ibi proprio nomine, et similiter *fides; spes* autem in hoc quod dicitur *longanimitas;* unde legitur de Patriarchis, *longanimes* in *spe*, quasi in *longum animose* expectantes.

Virtutes *morales* exprimuntur ibi. — *Fortitudo* quidem in *patientia*. — *Iustitia* in sua specie, quae est *misericordia*, in hoc quod dicitur *bonitas*, sicut communiter dicitur *bonus* qui communicat se proximo; et in alia specie, quae est *amicitia*, exprimitur ibi *benignitas*, quae est quasi *benevolentia* et bona *igneitas*. In tertia specie, quae pertinet ad regimen, vel ad subiectionem, ibi *mansuetudo;* vel specialiter exprimitur ibi *obedientia; mansuetus* enim est qui exequitur iniuncta sine murmure. — *Temperantia* exprimitur in duabus speciebus suis, in *continentia*, et *castitate;* si placeat dicere *con-*

(2) Vid. *Virtutes praecipuae.*

tinentiam circa alia delectabilia, et circa venerea *castitatem*; vel potest poni una species *temperantiae*; ut *continentia* dicatur una species, et *castitas* circa quaecumque delectabilia, quo modo Philosophus *VII. Ethic.* ponit *castitatem* esse quemdam gradum in qualibet virtute. — *Prudentia* exprimitur per *modestiam; modestus* enim est qui *modum debitum* tenet in agendo, et *prudentiae* est invenire modum in actione, et praefigere et terminare.

Sic igitur habemus tres virtutes in se; *fortitudinen* in *patientia; iustitiam* in tribus speciebus; *temperantiam* in una specie, vel duabus; *prudentiam* in una specie; et ita omnes virtutes, tam *intellectuales,* quam *morales.*

Alia quaedam enumerantur ibi, quae sunt delectationes concomitantes, vel consequentes actum, ut *gaudium,* quod proprie est delectatio in voluntate, et *pax* quae est securitas habendi obiectum sine repugnantia. — *Oxon.* III. d. 34. n. 21. — *Report.* ib. n. 12.

Spiritus Sanctus. — *Donum* non primo signat proprietatem personalem Spiritus Sancti; nam *in tantum est donum in quantum datur eis quibus datur* *(August. XV. *De Trinit.* c. 19)*; et ita per se significat respectum ad creaturam, connotat tamen proprietatem Spiritus Sancti. — *Oxon.* I. d. 18. n. 8.

Spiritus Sanctus ex vi processionis suae est primus amor et infinitus et procedens per actum amoris a Patre et Filio eum liberaliter producentibus; et ita *donum* si sit essentiale per se signans respectum ad creaturam, connotabit tamen necessario proprietatem Spiritus Sancti, qui est primus amor essentiae procedentis a Patre et Filio per actum amoris. Et sic intelligendae sunt auctoritates Augustini, quod *donum* dicat proprietatem personalem Spiritus Sancti *per connotationem,* et non secundum suam principalem significationem. — *Ib.* n. 7.

Spiritus Sanctus est dilectio bona per essentiam. Omnis perfectio simpliciter formaliter competit Spiritui Sancto, ex hoc quod ipsum est donum simpliciter excellentissimum, ac per hoc Deus, quia Deus potest dare seipsum, et ita excellentissimum donum eius est Deus. Igitur Spiritus Sanctus, ex hoc quod est donum excellentissimum simpliciter, est omnis perfectio simpliciter. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 31. — Vid. *Donum* = *Persona secunda SS. Trinitatis.*

Splendor. — Vid. *Lumen* — *Lux,* etc.

Statensis. — Vid. *Optesis* — *Molynsis,* etc.

Status. — *Status* non videtur esse nisi *stabilis permanentia legibus divinae sapientiae firmata.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 24.

Status perfectionis duplex. — Quaedam est persona perfecta in statu perfectionis *exercendae,* sicut Praelatus: quaedam in statu perfectionis *acquirendae,* ut Religiosus. — *Oxon.* III. d. 38. n. 10. — Vid. *De Perfectione Statuum* n. 1 seqq.

Subdiaconatus. — Vid. *Ordo (Sacramentum).*

Subiecti ad accidens triplex comparatio. — Illud est per se subiectum alicuius accidentis de quo aliquod accidens praedicatur per se *secundo modo.* — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 13.

Subiectum comparatur ad accidens *tripliciter* in ratione *causae* — *Uno modo* comparatur in ratione causae *diminutae.* — *Secundo modo* in ratione causae *superfluae.* — *Alio modo* in ratione causae *praecisae.*

In ratione causae *diminutae* accipitur *subiectum* sicut *figura* respectu *habere tres;* quia licet figura remota, removeatur *habere tres,* tamen figura posita, non ponitur sufficienter *habere tres.* — *Alio modo* comparatur in ratione causae *superfluae,* sicut *isosceles* respectu *habere tres;* licet enim isosceles causam huius passionis in se includat, ex hoc quod includat *triangulum,* tamen *superaddit* differentiam triangulo, quo nihil facit ad *habere tres;* et ita se habet *isosceles* in ratione causae *superfluae.* — Sed *triangulus* se habet in ratione causae *praecisae* respectu *habere tres.* Et huius causa est, quod *habere tres* primo inest triangulo, quia remoto aliquo quod pertinet ad triangulum, ut remota figura vel termino, removetur *habere tres,* et po-

sito triangulo ponitur etiam *habere tres.* — *Poster.* I. q. 28. n. 3. — *Ib.* q. 35. n. 2.

Subiectum magis denominatur a per se conditione sui *accidentis* et *essentiali,* quam a conditione eiusdem *accidentali.* — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 9. — Illud a quo denominatur subiectum inest subiecto ut forma. — *Ib.* IV. d. 12. q. 2. n. 4.

Subiectum locutionis — propositionis. — *Duplex* est *subiectum:* Quoddam est subiectum *locutionis,* et aliud *propositionis.* — *Prior.* I. q. 19. n. 9.

Subiectum multipliciter dicitur. — Hoc nomen *subiectum* est *aequivocum* ad *sex.* — Nam *primo* dicitur *subiectum* de *substantia,* cui inhaeret aliqua forma substantialis vel accidentalis: ut *paries* dicitur *subiectum albedinis,* et *anima subiectum scientiae.* — *Secundo modo* dicitur *subiectum* de *ente in actu;* et sic dicitur *V. Physicorum,* quod *necesse est omne motum esse mutationem de subiecto in subiectum,* et hoc ad differentiam mutationis, quae aliquando est de *negato* in *affirmatum,* ut *generatio,* et aliquando e contra, ut *corruptio.* — *Tertio modo* dicitur *subiectum* de *servo;* et sic dicitur *I. Politicae,* quod secunda combinatio principalis ipsius condivisionis est inter principans et *subiectum,* quae a natura est propter salutem. — *Quarto modo* dicitur *subiectum* de *inferiori per praedicationem,* ut dicitur in Antepraedicamentis; *quando alterum de altero praedicatur ut de subiecto,* id est, de *inferiori.* — *Quinto modo* dicitur *subiectum* in relatione ad *praedicatum;* et sic dicit auctor *Summularum, tract. 1.,* quod *subiectum est de quo aliud dicitur,* scilicet, *praedicatum.* — *Sexto modo* dicitur *subiectum* in relatione ad *rationem:* quemadmodum dicimus, quod in aliqua scientia rationali est *unum subiectum;* et isto modo dicit Auctor in primo *Posteriorum,* quod *scientia una est unius generis subiecti, partes et passiones eius considerans.* — *Prior.* I. q. 2. n. 3. — *Dupliciter* * iterum * potest accipi *subiectum:* — *Uno modo* dicitur *subiectum suppositum* quod est *per se existens;* et illo modo *accidens* non est per se existens, nec *subiectum* respectu alicuius passionis, sed sola *substantia.* — *Alio modo* dicitur aliquid esse *subiectum,* eo quod immediate est *susceptivum* sive medium quo accidens in substantia recipitur; et illo modo unum *accidens* potest esse *subiectum* alterius: sicut *quantitas* est *subiectum* respectu *qualitatis,* et *triangulus* respectu *habere tres.* — *Poster.* I. q. 27. n. 3.

Distinguitur * adhuc * *de subiecto* prout accipitur pro *ultimate terminante* dependentiam alicuius actus per accidens, aut pro quocumque *terminante* illam dependentiam *proxime,* etsi non ultimate, hoc est, pro quocumque cui aliquis actus posset inesse per accidens, tamquam forma eius, non faciens unum *per se* cum subiecto. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 14.

Subiectum — Passio. — *Subiectum* et *passio* sunt duo termini, quorum unus, scilicet, *subiectum,* est terminus absolutus vel *connotatus,* et alter est *connotans:* ut iste terminus, *homo,* est subiectum respectu huius termini, *risibile,* qui est *passio.* Et si ambo termini, scilicet, *subiectum* et *passio,* sint *connotati,* tunc terminus qui est *passio* connotat aliud, vel aliqualiter ultra significationem et connotationem *subiecti,* ut isti termini, *motus velox, vel tardus,* sunt connotativi, et iste terminus *motus* se habet per modum *subiecti,* et totum istud disiunctum *velox vel tardus* se habet per modum *passionis.* et ideo connotat aliud, vel aliqualiter ultra significationem et connotationem subiecti. — *Prior.* I. q. 2. n. 4.

Quia *subiectum* secundum illud quod est in se est susceptivum suae propriae *passionis.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 9. — Unde credo, quod universaliter omne subiectum *virtualiter* continet passionem suam; tamen *formaliter* recipit eam. — *Ib.* d. 25. n. 15. — Non tantum *subiectum* intuitive cognitum, sed etiam abstractive est illud in quo cognoscitur *passio.* — *Ib.* d. 3. q. 9. n. 10.

Subiectum propositionis. — *Subiectum* * in propositione * est *de quo aliud dicitur.* — *Prior.* I. q. 19, n. 2.

Subiectum propositionis — accidentis. — Intelligendum est, quod *subiectum* est *du-*

plex: propositionis, et subiectum respectu *accidentis.* — In quolibet modo *dicendi per se* illud quod *subiicitur* est *subiectum propositionis* respectu *praedicati;* non tamen oportet, quod in quolibet modo *dicendi per se* sit illud quod subiicitur *subiectum* respectu *praedicati*, eo modo quo subiectum *subiicitur accidenti.* — *Poster.* I. q. 32. n. 2.

Subsistentia. — *Subsistentia* est *incommunicabilis existentia.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 6. — Esse *subsistentiae* est *esse actualis existentiae in seipso, non dependentis in subsistendo ad aliud ut ad suppositum* — *Ib.* III. d. 6. q. 1. n. 2.

Subsistentia ultra *existentiam* nihil addit nisi negationem duplicis dependentiae, sicut dictum est de *personalitate* (1). — *Ib.* n. 5. — Vid. *Ens per se tripliciter sumitur.*

Subsistere dupliciter dicitur. — *Subsistere* est *aequivocum:* — *Uno modo* accipitur pro *per se esse;* et sic loquitur Austinus, *VIII. De Trinit.* c. 4.: *omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus?* — *Alio modo* pro *incommunicabiliter per se esse;* siquidem *communicabile* intelligitur non quasi subsistens, sed quasi *inhaerens subsistenti*, et quasi modum inhaerentiae habens.

Primo modo *subsistere* formaliter dicit perfectissimum *esse*, et non dicit nisi essentiam, secundum Augustinum. — *Secundo* modo *subsistere* praesupponit perfecte *esse;* sed non formaliter includit, sed tantum addit *incommunicabilitatem* supra *per se esse* primo modo acceptum; et illud sic est ratio *subsistendi* quod est ratio *incommunicabiliter per se* essendi. — *Quodlib.* q. 5. n. 23. — *Ib.* q. 4. n. 20.

Subsistere in persona alterius naturae. — *Subsistere in persona alterius naturae* non dicit aliquid *absolutum;* igitur necessario *respectum*, quia non dicit nihil. Sed non dicit solam relationem *rationis*, quia subsistens in persona alterius naturae habet habitudinem *realem* ad illam personam, quae non consistit solum in consideratione intellectus; igitur dicit relationem *realem;* sed tamen non dicit relationem realem communem *aequiparantiae*, ut est similitudo, in qua relatione extrema aequaliter dependent a se invicem; sed *disparantiae*, quia non est aequalis dependentia; nec relatio illius naturae ad personam in qua subsistit, et e converso, quia magis dependet illa natura a persona in qua subsistit, quam e converso.

Est igitur ratio nominis eius, quod est *naturam subsistere in persona alterius naturae*, quod sit ordo naturae illius dependentis ad personam alterius naturae: non in ratione *causae* vel *causati;* nec e contra est dependentia causati ad causam, neque ad aliquid ut prius causatum, quia quaelibet dependentia ratione causarum per se consequitur entitatem naturae; sed formaliter ratio entitatis personae est formaliter aliud ab entitate naturae, et dependentia ista est per se ad entitatem personae, ut persona est, non naturae ut natura, et tamen persona non dependet ad naturam. — *Report.* III. d. 1. q. 1. n. 2.

Substantia. — Ab *accidentibus* a nobis sensibilibus abstrahimus conceptum *entis*, dicendo, quod sunt *ens;* et ulterius inquirendo, invenimus, quod sunt tale ens quod est *alteri inhaerens:* id autem alterum oportet esse *subsistens;* et tali *subsistenti* imponimus nomen *substantiae;* et ideo sic cognoscimus substantiam, sic cognoscendo ipsius subsistentiam, dicendo, quod est *ens per se subsistens.* — *De Anima*, q. 21. n. 9. — Modus enim substantiae est *per se esse* naturaliter, hoc est, in essendo *non inclinari naturali aptitudine ad aliud.* — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 5. — *Substare*, unde est potentia *receptiva*, non est per se ratio *substantiae*, quae est maxime substantia; sed illa ratio *substantiae* est *per se existere* separabiliter ab aliis, non dependens ab aliis (1). — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 6.

(1) Vid. *Persona.*

(1) « Substantia non dicitur a *substare* formae vel accidenti, quia tunc Deus non esset substantia ». — *Physic.* II. q. 5. n. 12. — * Verumtamen * « videtur, quod *substantia* potest habere modum *accidentis*, licet non perfecte, scilicet, dependendo et inhaerendo subiecto; tamen modum aliqualiter similem, scilicet: in dependendo actualiter ad suppositum alienum ». — *Quodlib.* q. 19. n. 23.

n. 2. — Probo per Augustinum, *VII. De Trinit.* c. 5.: *Manifestum est Deum abusive substantiam vocari.* Ratio sua ibi est, quia *substantia* dicitur quod *substat* accidentibus; absurdum vero est, quod Deus alicui accidenti *substet.* Haec ratio sic tenet: non enim intelligit, quod ratio *substantiae* sit *substare accidentibus;* sed ut substantia est *genus,* quia praemisit ibi, quod absurdum est, quod substantia *relative* dicatur; sed substantia ut est *genus* est limitata, sicut statim postea probatur: omnis autem substantia *limitata* capax est accidentis; ergo substantia quaecumque quae est in *genere* potest *substare* alicui *accidenti:* Deus non; ergo, etc. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 16.

Substantia — Accidens. — *Non inhaerere,* et *non posse inhaerere,* nec est ratio *substantiae,* ut substantia est genus, nec *inhaerere* est ratio accidentis, vel alicuius generis accidentis, quia inhaerere est dare esse, vel actum *secundum quid* alicui priori *simpliciter enti;* sed *substantia* est illud substractum cui convenit *non inhaerere,* vel cui *repugnat inhaerere:* et *accidens,* vel qualitas vel quantitas, est natura cui *convenit inhaerere.* — *Quodlib.* q. 3. n. 19. — Sicut dicit Comentator in *II. De Anima, com. 3.,* solum *compositum* proprie est *substantia;* et ideo *forma* est actus vel dispositio *materiae,* secundum quam *compositum* dicitur *substantia* et *hoc aliquid.*

Ita similiter dicitur de *accidentibus,* quod accidentia sunt dispositiones seu modi se habendi, quibus res taliter vel aliter se habent, ut *albedo,* quae, secundum Aristotelem, idem est quod esse *album,* est dispositio seu modus se habendi, secundum quem res dicitur *alba.* — *Physic.* I. q. 7. n. 5. — Vid. *Ens — Substantia = Ens per se — per accidens,* etc. = *Pars essentialis — quantitativa = Praedicamenta decem.*

Substantia composita — simplex. — *Substantia* per se existens dividitur in substantiam *simplicem* et *compositam;* sed *composita* non potest esse per se divisa contra *simplicem,* nisi habeat partem realiter differentem et realiter distinctam a forma. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 9.

Duplex est *substantia:* quaedam *composita,* ut *homo;* et quaedam *simplex* (1), ut *forma* vel *materia.*

Modo *substantia composita* potest definiri sub conceptu *quidditativo* vel *connotativo.* — Si *connotativo,* tunc talis definitio debet dari per *additamentum,* scilicet, per *accidentia,* ut patet *VII. Metaph. tex. 12* (2). — Sed si *substantia composita* debet definiri sub conceptu *quidditativo,* tunc etiam definitio debet dari per *additamentum:* ut si iste terminus *pater* definiatur, debet dici: *Pater* est *qui generavit aliquem sibi similem.* — Sed *substantia simplex* semper per *additamentum* definitur. — *Physic.* II. q 4. n. 10. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 9.

Substantia diversimode accipitur. — Vid. *Persona in Divinis.*

Substantiae esse duplex — *Substantia duplex* est *esse,* scilicet, esse *essentiae,* et *existentiae.* — Esse *essentiae* est de essentia; esse *existere* non. — Eodem modo *inesse accidentis est duplex: inesse existere,* et *inesse essentiae.* — *Poster.* I. q. 30. n. 5.

Substantiae materialis unitas. — *Substantia materialis* ex natura sua non est de se *haec;* quia tunc non posset intellectus intelligere ipsam sub opposito, nisi intelligeret obiectum suum sub ratione intelligendi repugnante rationi talis obiecti.

Aliqua est *unitas* in *re realis,* absque omni operatione intellectus, minor unitate *numerali,* sive unitate propria *singularis,* quae unitas est *naturae* secundum se; et secundum istam unitatem propriam naturae, ut natura est, natura est indifferens ad unitatem *singularem;* non ergo de se est sic una unitate illa, scilicet, unitate singularitatis.

Qualiter autem potest hoc intelligi, potest aliqualiter videri per dictum Avicen. *V. Metaphysic.,* ubi vul, quod *equinitas sit tantum equinitas; nec ex se una, nec plures, nec universalis, nec particularis.* Intellige, non est ex se *una* unitate *nume-*

---

(1) « *Simplex* adhuc est *duplex,* scilicet, *materia* et *forma* ». — *Poster.* I. q. 23. n. 5.

(2) Vid. *Exposit. Doctor.* n. 23. seqq.

rali; nec *plures pluralitate opposita illi unitati;* nec universalis *actu*, eo modo quo aliquid est universale factum ab intellectu, non ut obiectum intellectus; nec est particularis *de se;* licet enim numquam sit realiter sine aliquo istorum, non tamen est *de se* aliquod istorum, sed est prius naturaliter omnibus istis. Et secundum istam prioritatem naturalem est *quod quid est*, et per se obiectum intellectus, et per se ut sic consideratur a Metaphysico, et exprimitur per definitionem; et propositiones verae primo modo sunt verae ratione quidditatis sic acceptae, quia nihil dicitur de quidditate per se primo modo, nisi quod includitur in ea essentialiter, inquantum ipsa abstrahitur ab omnibus istis quae sunt posteriora ipsa naturaliter.

Non solum autem ipsa natura est de se indifferens ad esse in intellectu, et in particulari, ac per hoc ad esse universale, et singulare; sed et ipsa habens *esse* in intellectu non habet primo ex se universalitatem; licet enim ipsa intelligatur sub universalitate, ut sub modo intelligendi ipsam, tamen universalitas non est pars conceptus eius primi; quia non conceptus metaphysici, sed logici; Logicus enim considerat secundas intentiones applicatas primis, secundum ipsum Avicennam. Prima ergo intellectio est naturae, ut ei non cointelligitur aliquis modus, neque qui est eius in intellectu, neque qui est eius extra intellectum; licet illius intellecti modus intelligendi sit universalitas, sed non modus intellectus. Et sicut secundum illud *esse* non est natura de se universalis, sed quasi universalitas accidit illi naturae secundum primam rationem eius, secundum quam est obiectum, ita etiam in re extra, ubi natura est cum singularitate, non est natura illa de se determinata ad singularitatem; sed est prior naturaliter illa ratione contrahente ipsam ad singularitatem illam; et inquantum est prior naturaliter ipso contrahente, non repugnat sibi esse sine illo contrahente. Et sicut obiectum in intellectu secundum illam entitatem eius et universalitem habet vere *esse intelligibile*, ita etiam in rerum natura secundum illam entitatem habet verum *esse* extra animam *reale;* et secundum illam entitatem habet *unitatem* sibi proportionabilem, quae est indifferens ad singularitatem, ita quod non repugnat illi unitati de se, quod cum quacumque unitate singularitatis ponatur.

Hoc ergo modo intelligo naturam habere *unitatem* realem minorem unitati numerali; et licet non habeat eam de se, ita quod sit intra rationem naturae, quia *equinitas est tantum equinitas*, secundum Avicen. V. *Metaphysic.*, tamen illa unitas est passio propria naturae secundum suam entitatem primam: et per consequens nec est ex se haec intranee, nec secundum entitatem propriam necessario inclusam in ipsa natura secundum primam entitatem suam. — *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 7.

Substantiae primitas. — Substantia est prior naturaliter omni accidente, secundum Philosophum, *VII. Metap.* Et est intentio sua de *substantia* secundum quod est unum istorum quae dividunt *ens.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 5. — Eodem modo substantia est prior naturaliter omni accidente quo est subiectum omnium accidentium; inquantum enim subiectum probatur esse prius definitione omni accidenti, quia sic ponitur in ordine cuiuslibet definitionis *per additamentum* (1). — *Ib.* n. 6.

Substantia est *primum ens* in genere entium: *primo* primitate *praedicationis:* * quia * praedicatum simpliciter *in quid* est prius quam praedicatum in *quale quid*, vel quam qualitas vel quantitas: sed *substantia* est praedicatum *simplex in quid;* alia autem in *quale quid*, vel in *quantum quid*, et sic de aliis; ergo, etc. — *Maior* patet, quia simplex prius est quam compositum: praedicatum autem *in quid* est simplex respectu praedicati in *quale quid* vel *quantum quid.* — Ratio * *minoris* * est, quia *accidens* praedicatur de substantia denominative et in concreto: *concretum* autem accidentis includit duo, scilicet, ipsum *subiectum*, ratione cuius dicit *quid;* includit etiam ipsam *formam* accidentis, ratione cuius dicit *quale* aut *quantum* et huius-

(1) Vid. *Definitio simplex seu essentialis — per additamentum.*

modi; et propter hoc dicuntur praedicari in *quale quid* vel in *quantum quid.*

Secundo primitate causationis sive *causalitatis:* Illud quod est causa alterius in aliquo genere est prius eo in illo genere, quia causa prior est causato: sed substantia est causa omnium accidentium in genere entis; ergo substantia erit primum ens respectu aliorum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 1. c. 1.

Postquam Philosophus probavit, substantiam esse primum ens, nunc probat, substantiam esse primum ens primitate *temporis,* primitate *definitionis,* primitate *cognitionis* (1).

Probat, quod substantia est primum omnium entium *tempore* tali ratione: Illud quod est separabile ab aliquo, et non e converso, est prius eo *secundum tempus:* sed substantia est huiusmodi respectu omnium aliorum entium; ergo substantia est primum omnium entium secundum *tempus* (2).

Deinde probat, quod substantia est primum omnium entium *definitione:* Illud quod ponitur in definitione alterius, et non e converso, est prius illo *definitione:* sed substantia est huiusmodi respectu omnium aliorum entium; ergo substantia est primum omnium entium *definitione.*

Nihil habet definitionem *primo* nisi substantia, quae non definitur per aliquod *additum,* neque sicut correlativum additur in definitione correlativi, nec sicut subiectum in definitione accidentis; talia enim habent definitionem, sed non *primo.* — Patet *VII. Metaph.* — *Oxon.* IV. d. 3. q. 1. n. 1. — ***Palam igitur est,*** quod ***definitio quae est ratio ipsius quod quid erat esse, aut solum substantiarum est,*** aut primo et ***simpliciter*** est substantiarum, et aliorum per posterius et *secundum quid.*

Ideo *subiectum* ponitur ut additum in definitione *accidentis,* quia accidens, cum sit forma inhaerens et dependens de natura sua, non potest perfecte concipi nisi cointelligatur illud cuius est forma et ad quod dependet: illud autem est *subiectum;* quia igitur definitio propria exprimit perfectum conceptum rei et quietativum intellectus, ideo necessario in definitione *accidentis* additur *subiectum.* — Non sic est de *substantia,* nam substantia in sua natura est ens absolutissimum, non inhaerens nec dependens ad aliud, et ideo in eius definitione non oportet addi aliquod impertinens ad sui quidditatem. — *Exposit.* etc. ib S. 2. c. 5. n. 35.

Ideo in definitione omnium *accidentium* ponitur *substantia,* quia nullius potest haberi conceptus perfectus quietans intellectum sine additione substantiae. Sed non propter hoc substantia est *immediatum* additum in definitione cuiuscumque accidentis, imo in definitione alicuius est immediatum tamquam *proximum* receptivum; in definitione vero alterius est additum ut *mediatum* receptivum mediate terminans eius dependentiam, et immediate dependentiam alicuius alterius, ad quod illud dependet. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 16.

Deinde probat, quod substantia est primum omnium entium *cognitione*: Illud est prius cognitione quod est magis notum et magis rem notificat: sed substantia est huiusmodi respectu omnium aliorum entium; ergo, etc.

Notandum, quod res eo modo quo est *ens* est intelligibilis et cognoscibilis, cum ens sit obiectum primum intellectus; quia igitur alia Praedicamenta non sunt entia nisi per substantiam et quia *taliter entis,* ideo dicuntur cognosci proprie inquantum aliqualiter participant modum cognitionis substantiae, quod est cognoscere *quid* est unumquodque, puta, quid est *quale,* aut quid est *quantum.* Ex quo patet, quod substantia est *primum cognitum* primitate *perfectionis.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 1. c. 2. — Omnis * enim * substantia est simpliciter perfectior omni accidente. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 8. n. 9. — *Quodlib.* q. 13. n. 6.

Substantiae prioritas duplex. — In *substantia,* ut est primum entium, est *duplex*

---

(1) « Substantia est prior accidente tripliciter, secundum Philosophum, *VII. Metaph.*, scilicet, *cognitione, definitione* et *tempore* ». — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 20.

(2) « Et hoc quod est esse prius *tempore* intelligitur sic: quod nullo est contradictio ex parte substantiae, quin prior posset esse duratione omni accidente ». — *Oxon.* ib. — *Ib.* d. 3. q. 4. n. 6.

ordo *prioritatis*: unus in *substando* aliis, quod includit recipere alia et perfici ab eis; alius *actualitatis intensivae;* et secunda perfectio est simpliciter maior quam prima. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 12.

Substantia in Divinis. — Licet Damascenus multa verba dicat in diversis locis quae videntur dicere Deum esse in *genere*, unum tamen verbum quod dicit in *Elementario* c. 8. solvit omnia; ibi enim dicit sic: *Substantia, quae continet supersubstantialiter increatam Deitatem, cognoscibiliter autem et contentive omnem creaturam, generalissimum est genus.* Non igitur dicit: substantia quae est generalissimum continere contentive Deitatem sicut continet creaturam, sed *supersubstantialiter*, hoc est, accipiendo illud quod est perfectionis in substantia quae est genus, et relinquendo illud quod est imperfectionis, quomodo dicit Avic., *Deum esse ens per se.*

Boetius, in libello suo *De Trinitate*, innuit *substantiam* manere in Divinis; sed expresse dicit ibi, quod nec *substantia* quae est *genus*, nec aliquid eius manet ibi; dicit enim: *cum dicimus* DEUS, SUBSTANTIAM significare videmur; sed eam quae sit *ultra substantiam*, quomodo Damascenus substantiam dixit *supersubstantialiter.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 24.

Si *substantiam* abstrahas a *creata* et *increata*, non accipitur ibi *substantia* ut est conceptus generis generalissimi, quia increatae repugnat substantia hoc modo, quia substantia hoc modo includit limitationem; sed accipitur ibi *substantia* pro *ente in se* et non ente *in alio*, cuius conceptus prior est et communior conceptu *substantiae* ut est *genus.* — *Ib.* n. 25.

Substantia ergo, secundum quod habet rationem omnino primi in Divinis, et vocatur a Damasceno *pelagus*, sic ipsa est infinita et interminata. — *Quodlib.* q. 5. n. 4.

Substantia multipliciter accipitur. *Substantia dicitur uno modo ipsa simplicia corpora, ut terra, ignis, aqua et quaecumque talia, et universaliter corpora quaecumque sint*, sive simplicia, sive mixta, et etiam animalia *constantia ex* corporibus simplicibus, vel mixtis, quae sunt homogenea, puta *carnibus*, et *ossibus*, et huiusmodi. — Per istum primum modum intelligit * Aristot. * *primam* substantiam, quae est substantia particularis.

Alio modo dicitur substantia *quaecumque fuerit causa essendi inexistens* in praedictis substantiis *primis*, quae non dicuntur de subiecto. Et dicit *inexistens*, ad removendum causas *extrinsecas;* unde subdit, quod *anima* est causa essendi inexistens *animali*, etenim dicitur esse *substantia animal.*

Alio modo dicitur *substantia* quod *quid erat esse*, id est, *quidditas* rei, quam significat definitio, *et haec dicitur substantia uniuscuiusque.* — Ex quo patet quomodo differt iste modus a *secundo.* Nam secundus modus accipit *substantiam* pro forma *partis;* iste vero pro forma *totius*, quae est ipsa rei totalis quidditas, comprehendens non tantum *formam*, sed etiam *materiam.*

Reducit * Aristot. * omnes dictos modos ad duos, dicens: *substantia* uno modo est secundum quam *dicitur subiectum ultimum*, id est, prima substantia, quae ita subiicitur, quod *non adhuc de alio praedicatur, et quod est hoc aliquid ens*, quasi per se existens, et *separabile fuerit*, id est, distinctum ab omnibus aliis. — *Tale vero*, id est, alio modo dicitur substantia *uniuscuiusque forma et species*, sicut etiam dictum fuit, in quo concludit *secundum* et *quartum* modum; nam tam forma partis quam forma totius dicitur forma et species, sicut etiam dictum fuit in praecedentibus, distinguendo de materia, prout opponitur formae partis vel formae totius. — *Exposit. in Metah.* Aristot. l. V. S. un. c. 8. — *Ib.* l. VIII. S. un. c. 1. n. 3. — *Ib.* l. VII. S. 2. c. 1. n. 12.

Subiectum * autem * *dupliciter subiicitur: Uno modo* ut *subiectum passionibus, alio modo* ut *materia formae.*

Notandum, quod divisio *substantiae*, quae hic resumitur, redit in idem cum illa qua ponitur circa principium *huius septimi;* ibi enim posuit * *Philosoph.* * quatuor, scilicet, *quod quid erat esse*, et *universale*, et *genus*, et *subiectum; subiectum* autem dividitur in *materiam, formam* et *compositum;* sed hic loco *formae* ponitur *quod quid erat*

esse, quatenus *quod quid est* maxime se tenet ex parte formae. Iterum hic *genus* et *universale* sub uno comprehenduntur, quatenus *genus* eadem ratione ponitur substantia *qua*, et *universale*. Remanent ergo *quatuor* modi *substantiae* qui praedicti sunt. — *Ib.* lib. VII. S. 2. c. 14. n. 109.

* In principio autem huius VII dixerat Philosophus *, quod *substantia, si non dicatur multiplicius, dicitur tamen maxime de quatuor; etenim quid erat esse*, id est, *quidditas*, sive *forma* totius, dicitur *uno* modo *substantia*. — *Aliō* modo dicitur *universale* substantia, scilicet, secundum opinionem illorum qui ponunt ideas esse quaedam universalia, et substantias singularium, de singularibus praedicata. — *Alio* modo *genus videtur esse substantia cuiuscumque*, id est, *primum* genus, ut sunt *unum* et *ens*, quae quidam ponebant maxime substantias uniuscuiusque rei. — *Quartum horum est subiectum*, id est, quod *quarto* modo *substantia* dicitur *subiectum*, id est, substantia *particularis*, quo *subiicitur* omnibus superioribus.

Notandum, quod ista divisio *substantiae* est quasi eadem cum illa quae ponitur in *Praedicamentis:* scilicet, quod substantiarum alia est *prima*, et alia est *secunda;* nam per *subiectum* intelligitur *substantia prima;* per *genus* vero et *universale*, quod videtur ad species pertinere, intelliguntur *secundae* substantiae. — In *Praedicamentis* autem praemittitur *primus* modus hic positus, ex eo quod ibi loquitur de substantia *ordinabili* in Praedicamento; haec autem vel est genus, vel est species, vel individuum, vel aliquod principium, quod est in *genere* per reductionem; *quidditas* autem non est ordinabilis in praedicamento, quia ut sic nec est aliquod principium *partiale*, nec est *universale*, nec *particulare*, nec *genus*, nec *species*, nec *unum*, nec *multa*. *Ib.* n. 11. — *Ib.* lib. VIII. S. unic. c. 1. n. 1.

Substantia — Persona in Divinis. — Respondet August. V *De Trinit.* c. 6, quod non omne quod in Deo est secundum *substantiam* dicitur, vel secundum *accidens;* dicitur enim aliquid ibi quod nec secundum substantiam dicitur, nec secundum accidens, utpote illud quod *ad alterum* dicitur — *Quodlib.* q. 3. n. 18.

Prima substantia in Divinis, quoad hoc quod est maxime esse substantiam et per se subsistere, non constituitur formaliter relatione, sed Deitate. — *Oxon.* I. d. 26. n. 51.

August. ib. in VII. *a principio capituli* 4., inquirit quomodo est dictum una *essentia*, et a Graecis *tres substantiae*, a Latinis autem tres Personae, in illa littera, *omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus?*, quae accipitur ex c. 4., quod substantia est ad se, et quod non proprie dicantur *tres substantiae*, quia substantia, sicut conceditur in Divinis, est *ad se*, et ideo eadem est *essentia* et *substantia*, et ita, inquit, non dicendae sunt *tres substantiae*, ut non dicantur *tres essentiae*. Non igitur intendit ipse, quod substantia sicut accipiunt Graeci, scilicet, pro *persona*, sit *ad se*, sed quod ipsi non proprie concedunt *tres substantias*, sed tantum propter necessitatem loquendi. Unde *capitulo eodem* videtur praeferre modum loquendi Latinorum, quod sunt tres *personae;* sed et illud probat consequenter non esse proprium, ostendens personam simpliciter dici *ad se* secundum essentiam. Finalem ergo conclusionem eius de hac materia accipe c. 6: *Volumus*, inquit, *vel unum aliquod vocabulum servire huic significationi, quia intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interroganti, quid tres?* — *Oxon.* I. d. 26. n. 52.

Substantia prima. — Notificatio de *prima substantia*, quod, scilicet, *de nullo dicitur, sed alia de ipsa*, videtur quaedam definitio sive descriptio logica, sumpta penes modum *praedicandi;* sed hoc non sufficit ad sciendum *quod quid est* substantiae, nam per talem descriptionem logicam et communem non exprimuntur essentialia principia rei, sine quibus *quod quid est* non potest perfecte sciri. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. S. 2. c. 1. n. 14.

Substantia sensibilis — intelligibilis. — Substantiarum quaedam sunt *sensibiles:* quaedam *intelligibiles*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VII. l. 2. c. 4 n. 19.

Subtilitas. — *Subtilitas*, vel illa possibilitas * corporis gloriosi essendi cum alio

corpore *, non habet susceptivum *intrinsecum* in corpore glorioso, sed habet causam *intrinsecam* voluntatem suam, et *extrinsecam* voluntatem et potentiam divinam; et sic ille ordo intrinsice est in illo corpore, et debetur sibi quasi de iure, et secundum hoc dicitur *dos*. — *Oxon*. IV. d. 49. q. 16. n. 19.

Successivum — Vid. *Permanens — Successivum*.

Summum dupliciter accipitur. — *Summum* potest accipi *dupliciter: — Uno* modo *positive*, per *excedentiam* ad omnia alia: *alio* modo *negative*, per *non excedi* ab aliquo alio. — *Primo modo* non est nisi unum dictum per superabundantiam * (Deus) *. *Secundo modo* possunt esse multa talia, sicut sunt multa *generalissima*, quorum quodlibet non habet genus superius. — *Oxon*. III, d. 13. q. 4. n. 2. — *Report*. ib. q. 3. n. 5.

Superbia — *Superbia* videtur esse *appetitus excellentiae;* quia, secundum Augustinum, *XIV Civit. Dei, quid est superbia, nisi perversae celsitudinis appetitus?* — *Oxon*. II. d. 6. q. 2. n. 2. — Vid. *Praesumptio*.

Superficies — Vid. *Locus — Superficies = Mensura continua multiplex = Numerus — Linea, etc.*

Supernaturale — Naturale. — Distinguo, qualiter aliquid dicitur *supernaturale*. — Potentia receptiva comparatur ad *actum* quem recipit, vel ad *agens* a quo recipit. — *Primo modo* ipsa est potentia *naturalis*, vel *violenta* vel *neutra*. *Naturalis*, si naturaliter inclinetur: *violenta*, si sit contra inclinationem naturalem: *neutra*, si neque inclinatur ad istam formam, neque ad oppositam(1). In hac autem comparatione nulla est *supernaturalitas*. — Sed comparando receptivum ad *agens* a quo recipit formam, est *naturalitas* quando receptivum comparatur ad tale agens, quod natum est naturaliter imprimere talem formam in tali passo; *supernaturalitas* autem quando comparatur ad tale agens quod non est naturaliter impressivum illius formae in illo passo. — *Oxon*. Prol., q. 1. n. 20.

(1) Vid. *Potentia passiva naturalis — violenta — neutra*.

Ex parte principii *activi naturale* dicitur quod habet naturalem ordinem activi ad passum: et *supernaturale* quod excedit omnem talem ordinem naturalem. Et illo modo quodcumque agens causatum dicitur *naturale*, et solum agens increatum dicitur *supernaturale*. — *Ib*. IV. d. 43. q. 4. n. 2. — Vid. *Naturale multipliciter dicitur*.

Suppositio simplex. — In *suppositione simplici* sumitur significatum pro significato. — *Super Praedic*. q. 13. n. 3.

Suppositio termini communis. — *Terminus communis* in quacumque propositione, sive de *praesenti*, sive de *praeterito*, sive de *futuro*, supponit pro *quibuscumque* suppositis, sive existentibus, sive non existentibus, quando non additur sibi immediate determinatio aliqua contrahens ad supposita unius differentiae temporis — *Op. prim. super I Periherm*. q. 11. n. 3. — *Terminus communis* in omni propositione, quando non additur aliquod contrahens immediatum, distribuitur pro quibuscumque per se suppositis — *Ib*. n. 11. — Et iuxta hoc consequenter est dicendum, quod terminus pro omnibus distribuitur in quacumque propositione in qua absolute sumitur. — *Ib*. n. 3.

Suppositio termini infiniti. — Hoc quod est *terminum infinitum aliquid supponere* potest habere duplicem intellectum: vel quod de suo intellectu essentiali sit aliquid ei subiectum: vel quod exigat de natura sua rem, vel naturam. — Dico, quod *aliquid* multipliciter sumitur, scilicet, pro re et natura quae existit, vel pro omni eo quod ponit per vocem significativam. — Dico igitur, quod *nomen infinitum* non ponit *aliquid*, ita quod in intellectu suo essentiali aliquod ens includatur secundum naturam; includit tamen aliquid indeterminatum ad ens *naturae*, et ens *intelligibile:* sicut dicendo *non homo*, quidquid potest intelligi sub negatione hominis potest dici *non homo*. — *Opus secund. super Periherm*. q. 4. n. 9.

Suppositio terminorum. — Terminum pro alio *supponere* nihil aliud est, quam *intellectum suum pro alio ponere*, in quo tamen salvatur, ut in parte subiecta. — *Elench*. q. 52. n. 3.

Terminus primo supponit suum significatum in omni propositione, et non pro *supposito*, nisi quia suppositum est idem significato, alioquin nulla * propositio * *universalis* esset vera. — *Opus prim. super I. Periherm.* q. 9. n. 2.

Terminus in *una* propositione non habet nisi *unam suppositionem;* quia una propositio est signum unius intellectus compositi; et diversae suppositiones termini sunt diversae rationes intelligendi terminum, respectu tertii, et omnes diversae suppositiones in suo genere sunt oppositae. Cum igitur impossibile sit idem, in eodem intellectu composito, respectu tertii, intelligi sub diversis vel oppositis rationibus intelligendi, impossibile est idem in una propositione habere diversas *suppositiones*. Indifferens est igitur terminus ad diversas suppositiones, licet non in *una* propositione. — *Super Praedic.* q. 13. n. 7.

Suppositum — Vid. *Commune* — *Suppositum* = *Ens per se tripliciter sumitur* = *Individuum* = *Persona* = *Natura* — *Suppositum.*

Suppositum creatum — Natura. — *Suppositum* substantiae in creaturis habet *tres conditiones:* nam suppositum creatum habet *per se esse* ex ultima eius actualitate; *natura* autem, quae divisibilis est, non habet *per se esse*, sed tantum habet *esse* in supposito, quod indivisibiliter est. — *Secundo, suppositum* creatum ex ultima sui actualitate habet *ultimam unitatem;* quam non habet *natura*, quae non est de se *haec*, eo quod non habet ultimam actualitatem. — *Tertio, suppositum* creatum *incommunicabiliter* est, unde habet *esse* incommunicabile; quam incommunicabilitatem non habet *natura*, quia est limitata; et ideo non potest communicari sine sui divisione. — *Report.* I. d. 26. q. 2. n. 11.

Suppositum — Essentia in Divinis. — Dico sine assertione et praeiudicio sententiae melioris, quod ratio qua formaliter *suppositum* est incommunicabile, et ratio *essentiae* ut essentia, habent aliquam distinctionem praecedentem omnem actum intellectus creati et increati. — Et probo sic: Primum suppositum habet realiter entitatem *communicabilem*, alioquin non posset eam communicare; habet etiam realiter entitatem *incommunicabilem*, alioquin non esset positive et in entitate reali suppositum. — Et intelligo sic *realiter*, quod nullo modo per actum intellectus considerantis, imo quod talis entitas esset ibi, si nullus intellectus consideraret; et sic esse ibi si nullus intellectus consideraret, dico esse ante omnem actum intellectus. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 41.

Sursum — Deorsum. — *Sursum* et *deorsum* possunt *dupliciter* exponi. — *Uno modo* sic: patiens dicitur subiici agenti; unde procedere in *agentibus* est ire *sursum;* sed procedere in *patientibus* est ire *deorsum*. *Agere* autem attribuitur *efficienti*, *passio* vero *materiae*. Processus ergo in causis *efficientibus* est processus *sursum;* processus in causis *materialibus* est *deorsum*. — *Alio modo* exponi potest, quod in genere causarum materialium supponitur *unum* principium, quia in *sursum*, quod est basis et fundamentum aliorum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. II. S. un. c. 2. n. 11.

Suscipere maius et minus — magis et minus. — Aliud est suscipere *maius* et *minus* et aliud est suscipere *magis* et *minus;* quia *maius* et *minus* dicuntur secundum *quantitatem;* sed *magis* et *minus* dicunt intensionem et remissionem in *forma* cui adduntur. — Concedendum est tunc, quod quantitas suscipit *majus* et *minus*, sed non *magis*. — *Super Praedic.* q. 24. n. 7. — *Physic.* V. q. 3. n. 8.

Suspensio. — Vid. *Poena canonica.*

Sustentare naturam est dupliciter. — *Sustentare naturam* potest accipi *dupliciter:* *effective*, et *formaliter* sive *terminative*. — *Primo * modo ** Trinitas sustentificat naturam humanam in Christo, id est, facit eam sustentificatam. — *Secundo modo* solum Verbum sustentificat unionem naturae creatae ad ipsum. — *Oxon.* III. d. 1. q. 4. n. 2. — Igitur illa sustentatio per quam Filius per omnipotentiam sustentat naturam istam est communis tribus * Personis *; illa autem substentatio quae est personae unitae est propria Filio. — *Quodlib.* q. 19. n. 15.

Syllogismus. (1) — *Syllogismus est oratio in qua, quibusdam positis, ab his quae posita sunt aliud accidit de necessitate, eo quod haec sunt.*

In * hac * definitione primo ponitur *oratio*, tamquam *genus*, ad differentiam *terminorum incomplexorum;* et debet intelligi, quod sit *oratio* non *categorica*, sed *hypothetica*, facta ex pluribus categoricis, mediante pluribus coniunctionibus, quarum una est inter *praemissas*, et alia inter praemissas et *conclusionem*. — *Secundo* ponitur ista, *in qua quibusdam positis* (2), ad differentiam *consequentiae*, in qua ex *una* propositione infertur alia, cuiusmodi est *conversio*, *aequipollentia*, *entymema*, et huiusmodi, quarum aliquae sunt consequentiae *formales*, et aliquae *materiales* (3). — *Tertio* ponitur *aliud ab his quae posita sunt*, ad differentiam consequentiae quae est a *copulativa* ad alteram *eius partem*, quia in tali consequentia infertur *idem* per *idem*. Similiter ad differentiam consequentiae quae est ab *exponentibus* ad *expositam*, quia exponentibus et expositae correspondet *idem conceptus* in mente, et ideo in tali consequentia infertur *idem* per *idem*. — *Quarto* ponitur ibi *de necessitate accidit*, ad denotandum, quod si praemissae sunt verae, et conclusio formetur, *necesse est* conclusionem esse *veram*. — *Quinto* ponitur *eo quod sunt*, ad differentiam *Inductionis*, quia in syllogismo, *propter hoc* quod praemissae sunt verae, conclusio est vera, si formetur; sed propter hoc quod singulares inducentes sunt verae, non sequitur conclusio universalis, nisi cointelligatur una alia propositio. — *Prior*. I. q. 5. n. 9.

* Haec * definitio *syllogismi* non est *simpliciter quidditativa;* quia definitio *simpliciter quidditativa* non est nisi substantiae *compositae:* modo syllogismus non est substantia composita, etc.

Definitio praedicta *syllogismi* non est definitio *quid rei;* quia syllogismus est *accidens:* modo in definitione Accidentis debet explicari *subiectum:* sed in ista non explicatur; igitur etc. — Ista * autem * est bona definitio *quid nominis;* quia ista definitio *exprimit explicite* quod hoc nomen *syllogismus significat implicite*, convertibiliter, et sine nugatione; igitur illa definitio est bona. Tenet *consequentia* per conditiones prius positas (1); et *antecedens* apparet, quia de ratione *syllogismi* est habere plures praemissas, et unam conclusionem, et quod sit necessaria illatio conclusionis ex praemissis. Modo *praemissae* exprimuntur in ista definitione per hoc quod dicitur *quibusdam positis*. Similiter *conclusio* per hoc quod dicitur *aliud ab his quae posita sunt;* et *illatio utrinque* exprimitur per hoc quod dicitur *accidit de necessitate eo quod haec sunt*. — *Ib*. n. 6.

Non est de ratione *syllogismi* quod procedat ex *veris*, neque ex *necessariis*, neque ex *probabilibus*, quia *veritas*, *necessitas* et *probabilitas* sunt proprietates ipsius *rei*. Cum ergo *syllogismus* secundum suum *formale* sit *ens rationis*, istae proprietates non erunt *syllogismi* inquantum syllogismus est. Unde *syllogismus* sic se habet ad syllogismum qui procedit ex *falsis*, et ad syllogismum *dialecticum* et *demonstrativum*, sicut *circulus* se habet ad circulum *ligneum* et *aeneum*. *Circulus* vero nullam materiam sibi determinat; unde in quacumque materia reperiatur, sive *forti*, sive *debili*, dummodo *forma* circuli ibi salvetur, *circulus* dicitur.

Similiter *syllogismus* pro materia *duas propositiones* sibi determinat et *tres terminos;* unde Aristoteles I. *Priorum* dicit, quod in syllogismo una propositio se habet ut *totum*, alia ut *pars*.

Quod syllogismus ergo reperiatur in materia *necessaria* vel *probabili*, hoc sibi accidit inquantum syllogismus est. Et huius signum est, nam Aristoteles de syllogismo in *communi* non ostendit quod procedat ex *veris*, neque ex *necessariis*, sed istas conditiones ostendit de syllogismo *demonstrativo* (2). — *Elench*. q. 4. n. 3.

---

(1) Vid. *Fallacia accidentis*.

(2) « Syllogismus semper est ex praemissis ad conclusionem » — *Oxon*. IV. d. 46. q. 3. n. 13.

(3) Vid. *Consequentia formalis* — *materialis*.

(1) Vid. *Definitio*.

(2) Vid. *Demonstratio*.

Ad syllogismum tria requiruntur, scilicet: *figura*, quantum ad dispositionem *terminorum*, et *modus*, quantum ad dispositionem *propositionum*, et tertio requiritur *necessaria illatio* conclusionis ex praemissis (1). Et ideo in definitione syllogismi accipitur, quod *per ea quae posita sunt aliquid aliud a positis necesse est evenire*. Unde licet praemissae *falsae* non sint causae in *essendo*, sunt tamen causae in *inferendo*.

Si syllogismus deficiat a ratione *materiae* quae ad syllogismum simpliciter requiritur, quae sunt *tres termini*, et *duae propositiones*, et talis syllogismus a ratione syllogismi deficit, sicut si deficeret in *forma*: tamen syllogismus non dicitur *peccans in materia*, quia peccet in materia quae requiritur ad syllogismum simpliciter, sed quia peccat contra *specialem conditionem* syllogismi. — *Ib.* n. 4. — In quolibet syllogismo necesse est quod una propositio se habeat ut *totum*; reliqua ut *pars* decisa ab illo toto; nam omnis syllogismus concludit virtute *primae figurae*. — Ib. q. 40. n. 4.

* Notandum, quod * *terminus* vel est idem quod *vox* significans conceptum *simplicem*, et tunc non est syllogismus ex tribus terminis, nisi *prolatus*; vel verius, *terminus* significat idem quod *conceptus simplex*, quia transumitur a Geometria ad Logicam, ad significandum *indivisibile* in *propositionibus*, quod potest esse in *mente*; et tunc omnis syllogismus *prolatus*, et *non prolatus*, est ex *tribus terminis*. — *Super Praedic.* q. 1. n. 4. — Vid. *Grammat. specul.* n. 81. = *Fallacia accidentis*. = *Fallacia ignorantiae elenchi*.

Notandum, quod quando dicitur, quod omnis syllogismus tenet in virtute *dici de omni, vel de nullo*, debet intelligi, quod omnis syllogismus est evidens aliquo dictorum principiorum, et hoc quantum ad illationem conclusionis. Et dico notabiliter *aliquo*, quia non oportet, quod ambo principia illa applicentur ad eumdem syllogismum. — Nunc ponuntur *conclusiones:*

Prima est, quod omnis syllogismus in aliquo quatuor modorum *primae figurae tenet directe et immediate* virtute alicuius dictorum principiorum. — *Probatur* exemplificando: quia si *omne B est A*, et *omne C est B*, sequitur, quod *omne C sit A*, et tenet virtute aliquorum quae significant praedicatum dici de *omni* illo de quo dicitur subiectum; et ideo quia subiectum accipitur dici de C, oportet quod virtute significationis *maioris* praedicatum universaliter dicatur de C, et *maior* sic significat virtute huius signi, *omnis*, quod distribuit subiectum. — Similiter potest exemplificari de *negativis*; ostendo sic: *Nullum B est A*: ista est *maior*, et ratione signi significat praedicatum negari de *omni* illo de quo dicitur subiectum. Ideo si subiectum sumatur *dici de aliquo*, ut *omne C est B*, sequitur virtute significationis *maioris*, quod *nullum C est A*. — *Prior.* I. q. 7. n. 3.

Secunda conclusio est, quod syllogimus *secundae* et *tertiae figurae non tenet directe et immediate* virtute istorum principiorum. — *Probatur:* quia ad hoc quod directe sit adiectio dictorum principiorum, oportet quod de aliquo subiecto universaliter sumpto dicatur praedicatum, et quod illud subiectum sumatur *dici de aliquo* alio modo; sic non est in *secunda*, nec in *tertia* figura, quia terminus medius praedicatur in utraque praemissa, et terminus distributus nunquam praedicatur de aliquo in praemissis; ita etiam in *tertia* figura terminus distributus semper subiicitur respectu sui praedicati, et nunquam praedicatur de aliquo alio.

Ex quo sequitur, quod syllogismi *secundae* et *tertiae* figurae sunt imperfecti et inevidentes; fiunt tamen evidentes per *primam* figuram. — *Secundo* sequitur, quod *Inductio* non est consequentia evidens, quia singulares ex quibus infertur universalis non significant istas esse *omnes* singulares istius universalis; igitur ad ipsas non sequitur universalis evidenter. — *Tertio* sequitur, quod consequentia in qua ex esse unius rei sequitur esse alterius, aut ex non

(1) Vel aliis verbis: « Ad syllogismum requiritur *quantitas* debita, *qualitas* et ordo trium terminorum, et etiam ipsa *habitudo* et forma syllogistica » — *Ib.* q. 7. n. 4.

esse unius esse alterius, non est consequentia simpliciter evidens et perfecta. — *Probatur:* quia talis est minus evidens, quam syllogismus factus in *secunda* vel *tertia* figura: et tamen talis syllogismus non est simpliçiter evidens et perfectus. — *Ib.* n. 4.

Tertia conclusio est, quod syllogismi *secundae* et *tertiae figurae mediate et indirecte tenent* virtute *dici de omni,* et *de nullo,* exponendo praedicto modo. — *Probatur:* quia aliter sequitur, quod ex puris particularibus indefinitis et singularibus posset fieri bonus syllogismus in *secunda* et *tertia* figura, quod est falsum. — *Secundo,* quia syllogismi *primae* figurae tenent immediate et directe virtute dictorum principiorum; igitur syllogismi *secundae* et *tertiae* figurae tenent indirecte et mediate. Tenet *consequentia;* quia isti syllogismi in *secunda* et *tertia* figura reducuntur ad illos de *prima* figura. — *Tertio* patet *exemplariter* arguendo in Caesare: *Nullus lapis est animal: omnis homo est animal; igitur nullus homo est lapis.* Certum est, quod nulla fit sumptio sub termino distributo, nisi indirecte, et ideo si convertatur *maior* simpliciter, iam erit sumptio directa sub termino distributo, ut si ista, *nullus lapis est animal,* convertatur in istam, *nullum animal est lapis,* tunc fiet directa sumptio argumentando in *Celarent.* — *Ib.* n. 5.

Quarta conclusio est, quod aliquis syllogismus *expositorius* tenet in virtute *dici de omni* et *dici de nullo;* et non est dubium quin omnis syllogismus expositorius teneat virtute dictorum principiorum, si est bonus; tamen dico specialiter propter syllogismos *expositorios* qui fiunt de rebus illis quarum una est eadem cuilibet diversarum rerum, in quibus syllogismus expositorius non valet nisi reguletur virtute alicuius dictorum principiorum. Verbi gratia, non sequitur: *Iste Deus est Pater: iste Deus est Filius; ergo Filius est Pater;* non valet syllogismus, nisi *maior* reguletur per *dici de omni,* isto modo: *omne quod est iste Deus est Pater,* et tunc *maior* esset falsa. — *Ib.* n. 6.

Syllogismus ad impossibile. — *Syllogismus ad impossibile* dicitur *quando ex opposito conclusionis probandae cum manifeste vero coassumpto aliquo infertur manifeste falsum.* Ex quo falso concluso fit regressus ad interimendam falsitatem unius praemissarum, propter hoc quod *ex veris non potest sequi falsum;* et quia propositio sumpta cum opposito conclusionis probandae erat manifeste vera, ideo ipsa non potest interimi tamquam falsa; sed interimetur opposita conclusionis probandae, et per consequens conclusio probanda concluditur esse vera. V. gr., si opponens intendat probare istam conclusionem, *omnis homo est risibilis,* et respondens neget istam; tunc detur sua opposita, scilicet, *quidam homo non est risibilis,* tunc addatur istud *manifeste verum* et necessarium, *omne animal rationale est risibile,* et arguitur sic in Baroco: *omne animal rationale est risibile: quidam homo non est risibilis; igitur quidam homo non est rationalis.* Conclusio est impossibilis; igitur * et * aliqua praemissarum: et non *maior,* quia maior est manifeste necessaria; igitur *minor,* quae fuit opposita conclusionis probandae; et per consequens conclusio probanda, scilicet, *omnis homo est risibilis,* erat necessaria.

Notandum, quod iste syllogismus quandoque vocatur *ad impossibile,* quandoque per *impossibile;* sed hoc est secundum diversas rationes, quia ea ratione qua infert *conclusionem* impossibilem vocatur *ad impossibile;* sed ea ratione qua una *praemissarum* quam assumit est impossibilis vocatur *per impossibile.* — Item, iste syllogismus quandoque potest vocari *per falsum,* quando neutra *praemissarum* est impossibilis, sed *altera* sit *falsa;* et quandoque *ad falsum,* ex eo quod concludit *conclusionem falsam,* quae non est impossibilis.

Et sic patet quid est *syllogismus ad impossibile,* et quare sic vocatur. — *Prior.* II. q. 5. n. 3. — Vid. *Syllogismus conversivus — ad impossibile.*

Syllogismus ad transsumptum. — Vid. *Syllogismus ex hipothesi.*

Syllogismus circularis. — Syllogismus vocatur *cirçularis* non *absolute,* sed *in habitudine* ad aliquem priorem syllogismum, eo quod *revertitur* ad aliquam praemissam,

unde prior syllogismus processit. Et dicitur *circularis* ad similitudinem *motus circularis*, qui fit *revertendo* ad illud unde venit mobile. — Syllogismus *circularis* potest fieri ex omnibus terminis, dum tamen attendatur an praemissae sint *verae*, vel *falsae*, quia hoc attento, quod praemissae debeant esse verae, non fit syllogismus *circularis*, nisi ex terminis *convertibilibus*, ut dicit Aristoteles. — Syllogismus * autem * *circularis* sic definitur: *Syllogizare circulariter est ex conclusione et conversa praemissarum inferre aliam praemissam.* — *Prior*. II. q. 4. n. 2.

Syllogismus conversivus — ad impossibile. — Attribuitur *conversio syllogismis*, prout facto aliquo syllogismo, arguitur ex opposito suae conclusionis, cum una suarum praemissarum ad reliquam praemissam; et sic dicitur secundus syllogismus conversivus prioris, et definitur sic: *Syllogismus conversivus est ex opposito conclusionis prioris syllogismi et una praemissarum inferre oppositum alterius praemissae.* Ex quo sequitur, quod syllogismus non dicatur *conversivus absolute*, sed *in habitudine* ad syllogismum praecedentem quem convertit. — *Prior*. II. q. 5. n. 2. Syllogismus *conversivus* et syllogismus *ad impossibile* conveniunt, quod in *omni figura*, et in *omni modo*, in quibus potest fieri syllogismus *conversivus*, potest etiam fieri syllogismus *ad impossibile*, et e converso, et ex eisdem terminis. — *Secundo*, conveniunt in hoc, quod uterque syllogizat ex *opposito alicuius conclusionis;* nam syllogismus *conversivus* syllogizat ex opposito conclusionis prioris syllogismi; sed syllogismus *ad impossibile* syllogizat ex opposito conclusionis quam opponens intendit principaliter probare. Et ideo dicit Aristoteles, quod syllogismus *conversivus* est similis syllogismo *ad impossibile*, licet ad invicem differant. — *Ib*. n. 4.

Nam isti syllogismi *differunt, primo*, quia syllogismus *conversivus* praesupponit alium *syllogismum*, quem dicitur convertere, scilicet, ex cuius conclusionis opposito, cum una praemissarum, infert oppositum alterius praemissae; sed syllogismus *ad impossibile* non praesupponit aliquem syllogismum priorem, sed solum praesupponit unam *propositionem*, cuius probatio intenditur, et ex cuius opposito aliquo manifeste vero infertur manifeste falsum. — *Secundo* differunt, quia syllogismus *conversivus* potest esse ex ambabus praemissis *veris* ad conclusionem *veram:* ut si prior syllogismus fuisset ab una praemissa *falsa* ad conclusionem *falsam;* item syllogismus *conversivus* potest esse ex ambabus praemissis *falsis;* sed syllogismus *ad impossibile* non potest esse nisi ex altera praemissa *vera* et altera *falsa;* quia falsitas praemissarum debet interimi per falsitatem conclusionis. — *Tertio* differunt, quia syllogismus *ad impossibile* se habet in *minus* quam syllogismus *conversivus;* quia *omnis syllogismus* de facto potest dici syllogismus *conversivus*, supposito quod sit unus alter syllogismus factus ex opposita suae conclusionis, et una praemissarum ad aliam praemissam; sed non omnis *syllogismus* potest dici syllogismus *ad impossibile*, quia syllogismus *demonstrativus* ostensivus non dicitur *ad impossibile*. — *Quarto* differunt ex parte *finis* ad quem isti syllogismi ordinantur: quia syllogismus *ad impossibile* ordinatur finaliter ad probandam *conclusionem* quae principaliter intenditur; sed syllogismus *conversivus* non ordinatur ad probandum conclusionem, sed alium *syllogismum;* quia si duo syllogismi *conversive* se habeant, quorum unus formae evidentioris sit, quam alter, ut puta, quia fit in *prima figura*, et alter in *secunda* vel in *tertia*, tunc per illum syllogismum qui est *formae evidentioris* concludimus alium syllogismum esse bonum, per illam regulam: *Illa consequentia est bona, ex cuius opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.* — Et ideo, dato quod idem syllogismus sit *conversivus* et *ad impossibile*, hoc tamen est secundum *diversas rationes;* quia dicitur *ad impossibile* inquantum ad praemissam impossibilem infert conclusionem impossibilem, a qua fit regressus ad interimendum praemissam possibilem; sed dicitur *conversivus* in habitudine ad syllogismum praecedentem, quem dicitur *convertere*.

Et sic patet *quid sint* isti syllogismi,

quomodo conveniunt, et *qualiter* ab invicem *differunt*. — *Ib*. n. 5. — Vid. *Syllogismus ad impossibile* = *Conversio multiplex*.

Syllogismus dialecticus — sophisticus. — Sicut syllogismus *dialecticus* addit supra *syllogismum simpliciter* quamdam habitudinem localem, vel maximam veram, super quam decurrit, sic syllogismus *sophisticus*, qui dicitur peccans in forma, decurrit super quamdam habitudinem localem falsam. Verbi gratia, si dicatur: *Quia quae potest miles facere, potest et rex: sed miles potest debellare castrum; ergo et rex*, hic est syllogismus *dialecticus* decurrens super hanc maximam: *quod minus potest, et majus. Exemplum secundi*, si dicatur: *canis currit: coeleste sidus est canis; ergo*, etc.; hic est syllogismus *sophisticus* decurrens super hanc maximam falsam: *uni nomini soli correspondet una res sola*. — Propter quod dico, quod syllogismus *sophisticus* peccat contra utrumque: nam nec est *syllogismus simpliciter*, nec syllogismus *dialecticus*. Inquantum enim innititur isti indebitae habitudini locali, peccat contra *dialecticum:* inquantum autem in isto loco vel in ista habitudine falsa locali non possunt salvari principia *syllogismi simpliciter*, inquantum syllogismus est, quae sunt *dici de omni*, et *dici de nullo*, peccat contra *syllogismum simpliciter;* propter quod omnis fallacia vere variat medium, et in variando medium, arguitur in quatuor terminis; propter quod omnis fallacia contra utrumque peccat. — *Elench*. q. 7. n. 1.

Syllogismus dupliciter accipitur. — Iste terminus *syllogismus* aliquando accipitur *cum determinatione* sibi addita : ut cum dicimus *syllogismus dialecticus*, vel *syllogismus demonstrativus;* sed aliquando accipitur iste terminus *syllogismus* loquendo *simpliciter*, sine aliqua determinatione sibi addita: ut dicendo *syllogismus* — *Prior*. I. q. 1. n. 3.

Syllogismus dupliciter consideratur. — *Syllogismus* potest considerari secundum quod est complexum, sub ratione *complexi* acceptum; et isto modo non habet *quid*. — *Alio modo* consideratur secundum quod est quoddam complexum, acceptum sub ratione *incomplexi;* et isto modo habet *quid* et *definitionem;* ut sic enim significatur per vocem incomplexam, ut per hanc vocem *syllogismus*, et concipitur ab intellectu nostro. — *Poster*. I. q. 5. n. 4.

Syllogismus ex hyphotesi. — *Hypothesis* dicitur quasi *suppositio;* et ideo dicere *syllogismus ex hypothesi* non est aliud quam dicere *syllogismus ex suppositione*. — *Prior*. II. q. 1. n. 2.

Quadrupliciter potest dici aliquis syllogismus *ex hypothesi* vel ex *suppositione:* — *Primo modo*, quia *praesupponit aliud* ad sui formationem; et iste modus est improprius, quia sic quilibet syllogismus diceretur *ex hypothesi*, quia quilibet syllogismus ad sui compositionem et integritatem *praesupponit terminos* et *propositiones*. — *Secundo modo* dicitur syllogismus *ex hypothesi* quando praeter terminos et propositiones ex quibus componitur syllogismus, et praeter ea quae exprimuntur in praemissis, scilicet, praeter figuram syllogisticam, sequitur aliud, scilicet, aliqua *suppositio*, virtute cuius consequentia conclusionis ex praemissis appareat necessaria; et sic omnis *consequentia formalis* diceretur *ex hypothesi*. Et loquor ad praesens de *prima conclusione*, quae debet inferri per praemissas, quia de *secundaria* conclusione et *ultimata* dicetur in aliis duobus modis. — *Ib*. n. 3. — *Tertius modus* istorum ex hypothesi est quando per aliquem syllogismum inferuntur *duae* conclusiones, quarum prima est *falsa*, et secunda *vera:* tunc valet ad primam conclusionem sic consequentia formalis. Attamen ad inferendum secundam conclusionem et ultimatam est indigentia *suppositionis extraneae:* sicut patet in syllogismo ad *impossibile*, per quem licet prima conclusio falsa inferatur formaliter, attamen ad inferendum secundam oportet supponere contradictoriam illius secundae conclusionis. — Et iste modus est *proprius*. — Ex quo patet, quod idem syllogismus qui est *ostensivus* ad unam conclusionem est *ex hypothesi* ad aliam, ut patet de syllogismo *ad impossibile*, qui est *ostensivus* ad *primam* conclusionem, sed est *ex hypothesi* ad *secundam*.

— *Ib.* n. 6. — *Quartus modus* est quando per aliquem syllogismum infertur primo aliqua conclusio vera, quae *non est principaliter intenta*, et postea virtute alicuius *suppositionis* infertur alia conclusio vera *principaliter intenta*. V. gr. volens probare quod *omnis homo est risibilis*, si transferat se ad probandum istam syllogistice, quod *omne animal rationale est risibile*, et postea ex illa probata probat per illam suppositionem, *quidquid praedicatur, de definitione praedicatur de definito* tunc infertur conclusio principaliter intenta, scilicet, quod *omnis homo est risibilis*. — Et istum syllogismum vocat Aristoteles syllogismum *ad transsumptum*, quia quando debemus probare unum, *transferemus* nos ad probandum aliud, ex quo, virtute alicuius *suppositionis*, inferimus intentum. — Et isto modo potest argui per omnes modos dialecticos.

Et sic patet unde syllogismus dicatur *ostensivus* (1), et unde *ex hypothesi*, et per consequens patet quomodo ab invicem differunt. — *Ib.* n. 7.

Syllogismus ex oppositis. — *Syllogismus ex oppositis* vocatur ille *cuius praemissae sunt ad invicem contrariae vel contradictoriae secundum affirmationem et negationem:* arguendo * ex. gr. * sic: *Nullum studium est disciplina : omnis disciplina est studiosa: igitur nulla disciplina est disciplina.* In isto syllogismo *praemissae* opponuntur *contrarie* secundum affirmationem et negationem: et si *minor* quae sumitur *universalis* sumeretur *particularis*, iam opponerentur *contradictorie*. — *Prior.* II. q. 6. n. 2.

Ex ista definitione sequitur *primo*, quod nunquam potest esse *affirmativus* syllogismus *ex oppositis*, scilicet, ad conclusionem *affirmativam ;* quia conclusio affirmativa non potest inferri nisi ex duobus *affirmativis*, et duae *affirmativae* non opponuntur *contrarie* nec *contradictorie*. — *Secundo* sequitur, quod si praemissae opponuntur *subcontrarie* tantum, quod tunc non est syllogismus *ex oppositis;* quia iam ambae praemissae essent *particulares:* sed *ex puris particularibus nihil sequitur*. Item *subcontrariae* non opponuntur secundum *veritatem*, quia ambae *possunt simul esse verae*. — *Tertio* sequitur, quod nunquam in *prima figura* potest fieri syllogismus *ex oppositis ;* quia nunquam sunt praemissae oppositae nisi *idem subiiciatur* in utraque, et *idem praedicetur* in utraque: modo in *prima figura* illud quod *subiicitur* in una *praedicatur* in alia. Verum est tamen, quod in *prima figura* praemissae possunt esse oppositae *virtualiter*, licet non *formaliter* et *expresse*. V. gr. *Nullum studiosum est disciplina : omnis disciplina est studiosa; igitur nulla disciplina est disciplina*. — *Quarto* sequitur, quod ex *oppositis praedicatis* proprie non fit syllogismus *ex oppositis*, cuiusmodi sunt ista praedicata, *bonum* et *malum;* quia talia praedicata non opponuntur secundum *affirmationem* et *negationem*. — *Ib.* n. 3.

Ista *potestas* * seu syllogismus * est modicae utilitatis. — Unde *primo* non valet ad *probandum conclusionem* quae infertur, quia illa *semper est falsa* (1), ut dicit Aristoteles in isto II. Attamen istud dictum debet moderari in ista conditione, quod *termini* conclusionis *pro aliquo supponant*, v. gr. *Omnis Chimaera est homo: nulla Chimaera est homo; igitur nulla Chimaera est Chimaera*. Ista est conclusio syllogismi *ex opposito*, quae tamen est *vera, quia* eius contradictoria est propositio *affirmativa*, cuius *neuter terminus pro aliquo supponit ;* et quaelibet talis est falsa. — *Secundo*, iste syllogismus non valet ad interimendam aliquam praemissarum, per modum syllogismi *ad impossibile ;* quia ex quo praemissae sunt oppositae, notius est alteram praemissarum esse falsam, quam notum conclusionem esse falsam. Et ideo si ex falsitate conclusionis interimeretur aliqua praemissa, esset *petitio principii*. — *Tertio* dico, quod iste syllogismus valet ad concludendum aliquam conclusionem esse falsam. Verbi gra-

(1) Vid. infra *Syllogismus ostensivus*.

(1) « Nec mirum si syllogismus ex oppositis infert conclusionem impossibilem, imo incompossibilem secundum artem *II. Prior* ». — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 21. — *Ib.* I. d. 39. n. 28.

tia, per istum modum: *haec propositio potest esse conclusio syllogismi ex oppositis; igitur haec propositio est falsa;* quia si probetur *antecedens, consequentia* est bona, supposito quod termini illius propositionis pro aliquo supponant. — *Quarto,* valet iste syllogismus principaliter, quod si respondens sophista concesserit unam praemissam, et inde opponens per aliquas rationes probet praemissam oppositam, virtute quarum rationum respondens concedat illam praemissam oppositam, ita quod respondens non reputet inconveniens illas praemissas oppositas separatim concedere, tunc valet syllogismus *ex oppositis* ad arguendum ex illis praemissis oppositis concessis (ad concludendum ex illis praemissis oppositis concessis) ad conclusionem, in qua idem negatur de seipso, ut per hoc forte respondens appareat magis manifeste redargutus, quam concedendo praemissas oppositas separatim. — *Ib.* n. 4. — Dicit Aristoteles, quod non tantum est syllogismus *ex oppositis* ubi aliquid affirmatur et negatur de eodem *simpliciter;* sed et ubi affirmatur de *superiori universaliter* et negatur idem ab *inferiori,* et e converso. — *Opus prim. super I Periherm.* q. 8. n. 12.

Syllogismus expositorius. — *Syllogismus expositorius* est ille *cuius medium est terminus discretus.*

Sed est notandum, quod *triplex* est *terminus discretus: unus* qui significat *unam solam* rem, ita quod suae significationi repugnat significare quamlibet diversarum rerum, sine nova impositione vel demonstratione. — *Alio modo* dicitur *terminus discretus* qui supponit vel significat unam rem *singularem;* cum hoc tamen significat quamlibet diversarum rerum, quibus illa res singularis est eadem. — Et *tertio modo* dicitur *terminus discretus,* ut iste terminus *Sequana* vel consimilis, quae, secundum Grammaticos, est terminus discretus, eo quod est terminus singularis et propriae qualitatis; et tamen iste terminus significat succesive quamlibet diversarum rerum sine nova impositione; quia nunc significat aquam quae nunc est, et postea significabit aquam quae postea erit omnino diversa ab ista; tamen istae aquae habent, vel habuerunt, vel habebunt aliquam unionem ad invicem, propter continuam successionem partium sibi invicem. — *Prior.* I. q. 11. n. 3.

Syllogismus *expositorius* tenet gratia *formae* in omnibus terminis, dum tamen praemissae regulentur debite per *dici de omni* vel *de nullo,* ita quod terminus discretus distribuatur mediantibus istis dictionibus, *quod est:* ut ista, *Socrates currit,* debet resolvi in istam, *omne quod est Socrates currit,* et tunc syllogismus *expositorius* est consequentia formalis. — *Ib.* n. 5.

In speciali de syllogismo expositorio *affirmativo* dico, quod in qualibet *trium figurarum* potest fieri *bonus* syllogismus *expositorius affirmativus.* Exemplum *primae* figurae: *Socrates est musicus: album est Socrates; igitur album est musicum.* Item in Divinis sequitur: *haec essentia divina est Pater: Filius est haec essentia divina; igitur Filius est Pater;* posito quod praemissae regulentur *per dici de omni;* et tunc *maior* est falsa, sicut conclusio; unde ista *est falsa: omne quod est haec essentia divina est Pater,* quia Filius est aliquod quod est haec essentia divina, et tamen Filius non est Pater. Item, flat exemplum de istis terminis *Sequana,* et huiusmodi; *Sequana fuit a centum annis: haec aqua est Sequana;* igitur *haec aqua fuit a centum annis.* Quia si *maior* distribuatur, debet sic distribui: *omne quod est Sequana, vel fuit Sequana fuit a centum annis;* et *maior* esset falsa. Similiter potest dici concedendo istam, *haec aqua fuit a centum annis,* quaemadmodum et ista, *Sequana fuit a centum annis,* quia utrobique est consimilis identitas, scilicet, secundum *continuam successionem* partium. — Exemplum *secundae* figurae, ut *album est iste homo: musicum est iste homo; igitur musicum est album;* reducitur ad *primam* figuram per conversionem *maioris.* — Exemplum *tertiae* figurae, arguendo sic: *iste homo est albus: iste homo est Grammaticus; igitur Grammaticus est albus;* et reducitur ad *primam* figuram per conversionem *minoris.* — *Ib.* n. 7.

Tunc de syllogismo expositorio *negativo* dico, quod syllogismus expositorius ne-

gativus valet in *prima* figura gratia formae, *maiore* existente *negativa*.

Contra; quia non sequitur: *iste Pater non est Filius: haec essentia est Pater; ergo haec essentia non est Filius.* — *Respondeo,* quod consequentia est formalis, et sicut conclusio est falsa, ita similiter et *maior,* si reguletur per *dici de nullo;* unde *maior* est falsa, *nihil quod est iste Pater est Filius,* quia essentia divina est iste Pater quae est Filius. — *Ib.* n. 8.

Secundo dico, quod syllogismus *negativus* non valet in *prima* figura, si *minor* fuerit *negativa.* Et causa est, quia si *minor* fuerit negativa, et *maior* affirmativa, tunc *maior extremitas* non est distributa in praemissis, imo stat determinate, et tamen stat confuse, et distributive in conclusione: modo ex *non distributo* nunquam sequitur *distributum* gratia *formae.* Verbi gratia, non sequitur: *iste homo est animal: quidam asinus non est iste homo; igitur quidam asinus non est animal;* immo stat, quod omnis asinus est animal. — *Ib.* n. 9. — *Tertio* dico, quod talis sillogismus bene valet ad concludendum *indirecte.* V. gr.: *iste homo est animal: quidam asinus non est iste homo; igitur quoddam animal non est asinus.* — Et per idem potest dici de *secunda* et *tertia* figura. — *Ib.* n. 10.

Syllogismus ignorantiae. — *Syllogismus ignorantiae* est ex *immediatis in falsitate,* cuiusmodi est ista, *qualitas est quantitas;* et sic est ex propositionibus *falsis per se;* non tamen ex propositionibus absolute per se. — *Poster.* I. q. 22. n. 3.

Syllogismus ostensivus. — Aliquis syllogismus potest dici *ostensivus dupliciter: Uno modo* ratione *illationis;* et *alio modo* ratione *probationis.*

Si ratione *illationis,* hoc *dupliciter: Uno modo* quia infert *conclusionem;* et sic quilibet syllogismus dicitur *ostensivus,* ut patet per definitionem *syllogismi. Alio modo* quia infert conclusionem de necessitate per illa quae posita sunt in praemissis *sine suppositione extrinseca;* et sic syllogismus *ad impossibile* non diceretur *ostensivus,* quia supponit contradictoriam conclusionis probandae. — *Alio modo* dicitur syllogismus *ostensivus* ratione *probationis.* Hoc *dupliciter,* sicut prius: *Uno modo* quia probat *conclusionem;* et sic *petitio principii* non esset syllogismus *ostensivus,* sed bene quilibet alter syllogismus. *Secundo modo* quia per ea quae expressa sunt in praemissis probat conclusionem, *sine alia suppositione,* quae non ponitur in praemissis; et isto modo *proprie* dicitur syllogismus *ostensivus;* et sic nec syllogismus *ad impossibile,* nec syllogismus *ad transsumptum* dicitur *ostensivus.* — *Prior.* II. q. 1. n. 2.

Syllogismus ostensivus — ex hypothesi. — Differentia est inter syllogismum *ostensivum* et syllogismum *ex hypothesi* (1); quia vocatur *syllogismus ostensivus* qui *immediate infert conclusionem intentam;* sed vocatur *syllogismus ex hypothesi* qui immediate non infert conclusionem intentam, sed unam aliam primo, et postea, *virtute alicuius conditionis suppositae,* ex conclusione quae prius infertur infertur conclusio principaliter intenta. — Et ponit Aristoteles *exemplum,* ut *supponamus* primo, quod idem sit iudicium de istis duabus, *contrariorum est eadem potestas;* et *contrariorum est eadem disciplina.* Tunc si velimus probare, quod *contrariorum est eadem disciplina,* debemus nos *transferre* ad syllogizandum istam: *Contrariorum eadem est potestas,* et tunc ex ista, *virtute suppossitionis factae,* possimus inferre conclusionem intentam, scilicet, quod *contrariorum est eadem disciplina.* — *Prior.* I. q. 34. n. 4. (2).

Syllogismus practicus. — *Syllogizare practice* est consiliari. — *Oxon.* III. d. 34. n. 20. — Discursus et *syllogismus practicus* est ad hoc, quod habeatur actus electivus voluntatis, quo facto, per consequentiam practicam voluntas eligeret. Quando voluntas eligit, ractio practica non discurrit, sed sententiat, facta quaestione practica de eligendo. — *Report.* III. d. 18. q. 1. n. 11.

Syllogismi *practici* conclusio est motus

---

(1) Vid. supra *Syllogismus ex hypothesi.*

(2) N. B. — In omnibus ferme adductis locis circa *syllogismum* eiusque species, pulchre determinat Doctor de *figuris* quae in qualibet illarum habere possunt locum, deque aliis ad syllogismum spectantibus; quae omnia, brevitatis causa, omittenda iudicavimus.

intelligentiae, sed ab ea incipit operatio. — *Oxon.* I. d. 38. n. 2. — Syllogismus enim *practicus* ex fine concludit illud quod est ad finem, ut per illud quod est ad finem deveniatur ad finem. — *Ib.* II. d. 6. q. 1. n. 4.

Syllogismus perfectus. — *Syllogismus perfectus* est *qui nullius indiget ad hoc ut appareat necessarius* (I Prior. c. 1.), id est, ad hoc ut manifestum sit conclusionem sequi ex praemissis. — *Super Univers. Porph.* q. 3. n. 8. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 3. — Cuilibet est naturaliter evidens forma syllogismi *perfecti*, sicut patet ex definitione. — *Ib.* d. 3. q. 4. n. 5. — Qui, scilicet, nullius eget ut appareat necessitas eius, hoc est, ut sit evidenter necessarius ex notitia principiorum et evidentia illationis. — *Ib.* III. d. 14. q. 2. n. 8.

Symphonia. — *Symphonia* est talis *commixtio acuti et gravis*, ita quod acutum et grave sunt ut *materia*, et talis commixtio acuti et gravis ut *forma*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un. c. 2. n. 11.

Synolon. — *Synolon* est *simul totum*, quod est singulare, aut nihil. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 1. c. 2. n. 6.

T

Tactus. — Vid. *Sensus quinque.*

Tangi. — Vid. *Simul* — *Seorsum*, etc.

Tantum. — Ista dictio *tantum*, quae est *exclusio* sive *exclusiva*, facit propositionem in qua ponitur aequipollere uni *hypotheticae copulativae*, ut ista, *tantum animal est homo*, aequipollet isti, *animal est homo, et nihil aliud ab animali est homo.*

Unde *quinque* casibus redditur propositio *impossibilis*, in qua ponitur ista dictio *tantum*. — *Primus* casus est quando additur termino *distributivo*, mediante signo universali, ut dicendo: *tantum omnis homo est;* quia sequitur: *igitur omnis homo est, et nihil aliud ab omni homine est*, quod est impossibile, quia si *omnis* homo est, *aliquis* homo est: et *aliquis* homo est alius ab *omni* homine; igitur *aliud ab omni homine est.* — *Secundus* casus est quando dictio exclusiva additur alicui toti *integrali* respectu praedicati convenientis, tam *toti*, quam *parti*, ut dicendo: *tantum Petrus est*, vel *tantum Petrus est hic mecum;* quia si Petrus est hic mecum, *pars* Petri est hic mecum, quae est *aliud* a Petro. — *Tertius* casus est quando dictio exclusiva additur termino *numerali*, ut dicendo: *tantum tres sunt in domo;* quia si *tres* sunt in domo, *unus* est in domo, et *unus* est *alius* a *tribus.* — *Quartus* casus est quando dictio exclusiva additur termino *relativo;* et sic intelligit Aristoteles in isto I, quod ista est falsa: *tantum principium est;* quia si *principium* est, *principiatum* est: et *principiatum* est *aliud* a *principio*, cum idem non sit principium sui ipsius; ergo, etc. — *Quintus* casus * est * quando alicui termino, qui *non est transcendens*, additur ista dictio *tantum* respectu huius verbi *est;* et sic dicit Aristoteles in *isto 1. text. 15*, quod ista est falsa: *Tantum substantia est*; et similiter ista: *tantum accidens est*, imo de quacumque re mundi demonstrata falsum est, quod ipsa *tantum* sit. — *Physic.* I. q. 6. nn. 8-9. — Vid. *Exclusio dupliciter excludit.* = *Solum* = *Solummodo*, et alias dictiones exclusivas.

Temperantia. — Vid. *Beatitudines* = *Concupiscibile* — *Irascibile* = *Habituum divisio.* = *Spiritus Sancti Dona* = *Spiritus Sancti Fructus.*

Tempus. — Per *tempus* intelligimus illud quod convenienter respondet ad quaestionem quaerentem, *quando*, aut *quantum durabit*, vel *quantum duravit?* ut si quaeratur, *quando venisti?* Respondetur: *hodie*, vel *heri;* vel si quaeratur, *quantum duravit iste morbus?* respondetur: *per duos menses.* — Tunc patet, quod isti termini, *heri, hodie, mensis, annus*, sunt termini significantes *tempus*, quemadmodum dicebatur de *loco*, quod illi termini significant *locum* per quos convenienter respondetur ad quaestionem quaerentem *ubi* (1); ita illi termini significant *tempus*, per quos convenienter respondetur ad quaestionem quaerentem

(1) Vid. *Locus.*

quando. — Ex quibus patet, quod *tempus* est *duratio rei, vel mensura durationis.* — *Secundo,* quod *prius* et *posterius* inveniuntur in *tempore.* — *Tertio,* quod *praesens, praeteritum* et *futurum* sunt partes *temporis.* — *Quarto,* quod *tempus* est *successio,* sive consistit in successione; quia non invenitur *prius* et *posterius* secundum durationem in aliquo nisi in *successivis,* vel in illis quae aliquo modo se habent *successive,* licet ipsa sint vere permanentia.

Et ista sunt quae conceduntur ab omnibus convenire *tempori* tamquam per se manifesta *de tempore.* — *Physic.* IV. q. 15. n. 3.

* Definitio *temporis* ab Aristot. assignata * est ista: quod *tempus* est *numerus motus secundum prius et posterius* (1). — Et potest sic declarari: quod *tempus* est aliquid *motus* secundum *prius* et *posterius,* ut probatum est (2): et manifestum est, quod omnis motus est *mensurabilis* tempore; ideo patet, quod *tempus* est *mensura motus secundum prius* et *posterius.*

Sed dubitatur, quare Aristoteles non definit tempus per *mensuram,* sed per *numerum?* — Respondetur, quod causa est, quia solemus communiter mensurare alios motus per motum corporis coelestis; et hoc non potest esse secundum *totum* motum eius, sed secundum aliquam *partem,* cui motus mensuratos aequamus, vel proportionamus; et ideo in definitione *temporis* ponitur *numerus,* et non *mensura.* — *Physic.* IV. *Exposit. text.* 101. n. 16. = *Ib.* q. 15. n. 4. — *QQ. Metaph.* lib. V. q. 8. n. 2. — *De Rer. Princ.* q. 18. n. 26.

Et dicitur esse *numerus,* ad differentiam *mensurae,* secundum quam in mensurando non exigitur *discretio;* huiusmodi mensurae sunt *ulna, libra,* et consimiles. — Et ponitur ibi *numerus* loco *generis;* et ponitur ibi *motus* tam pro motu, quam pro illo quod consequitur motum; quia omnis duratio successiva est mensurabilis tempore. — Deinde ponitur ibi *secundum prius et posterius;* quia si alio modo mensuramus motus, dicendo, *illi motus sunt duo,* vel *illi motus sunt tres,* tunc ille numerus non diceretur *tempus.*

Et sic patet ex praedictis qualiter *tempus* est *numerus motus secundum prius et posterius.* — *Physic.* IV. q. 17. n. 8.

Beatus Augustinus in libr. *XI. Confessionum,* cap. 13. et seqq. diversis locis expresse vult, quod *tempus sit in anima,* et quod tempus *sequitur motum,* tamquam mensura eius. Non quidem sequitur motum extrinsecus, ut immediatum mensuratum, sed motum, sive *conceptum animae,* ut patet *XI. Confessionum,* cap. 28., ubi videtur velle, quod tempus nihil aliud sit quam conceptus intellectus, vel transitus rerum pertranseuntium simul manens in anima. Vult etiam, quod tempus *futurum* nihil aliud sit quam actualis et praesens conceptus in anima secundum *expectationem* alicuius *praetereundi* in re extra. *Praeteritum* nihil aliud est quam praesens et actualis conceptus secundum *recordationem* alicuius iam pertransiti in re extra. *Praesens* nihil aliud est quam praesens et actualis conceptus in anima secundum *actionem* iam *praesentis.* — Et sicut de aliquibus unitatibus discretis in re intellectus format sibi unicum conceptum unius speciei numeri, sic de partibus in re non existentibus, ut de *praeterito,* et de *futuro,* cum *praesenti* existente ratione durationis, quae est *tempus;* et secundum tales conceptus dicitur, secundum Augustinum, tempus *longum,* vel *breve,* non secundum aliud, quam sit in re extra. — *De Rer. Princ.* q. 18. n. 11.

Alii dicunt magis realiter, ut credo, quod tempus cum sit idem re quod motus, differens *formali ratione* (per quam rationem vocatur vere tempus) secundum suum *esse materiale* est in *rebus extra;* secundum suam vero rationem *formalem* est *ab anima,* et est in ea. — *Ib.* n. 16 (1).

---

(1) Vid. *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 7. — *Quodlib.* q. 11. n. 9.

(2) q. 16, ubi vidend.

(1) *Late et clare naturam temporis per totam quaestionem XVIII perscrutatur, praesertim* art. II, *ubi quaerit:* Utrum tempus habeat esse reale extra animam, *et art. III:* In quibus conformantur motus et tempus? — Cfr. etiam *Physic.* IV. qq. 15 seqq. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 10. — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. — IV. d. 48. q. 2. n. 12, et locis infra citandis ex *Rer. Princ.* — Vid. *Aeternitas — Aevum — Tempus.* = *Aevum — tempus.*

Non est aliud *tempus* quam duratio motus mensurans eius essentiam, et successivam permanentiam; et haec eius duratio *tempus* est. — *Ib.* q. 20. n. 17. — Non aliter potest dici, quod *tempus* secundum rem et in ratione entis sit aliud quam ipsa continuatio, vel duratio, vel successio motus. Ut autem habet perfectam rationem *temporis*, accidit vel addit supra *motum* rationem *mensurae*, ut, scilicet, mensurat motum secundum *prius* et *posterius*, *longius* et *tardius*. — *Ib.* n. 20. — *Ib.* nn. 10. 12. 16. — Vid. *Aeternitas — Aevum — tempus.* = *Numerus* = *Tempus.*

Duratio temporis non accipitur a *praesenti*, *inquantum praesens*, cum idem sit transiens indivisibile, non permanens; sed accipitur *a praesenti*, *ut transit in rationem praeteriti vel futuri;* tota enim mora et duratio temporis consistit in mora et duratione *praeteriti* vel *futuri*. Quamvis igitur a praesenti *nunc* indivisibili dicatur *maior* vel *minor duratio*, secundum quod dicit Aristoteles, quod prius et posterius in tempore, secundum quod ad ipsum *nunc* distantia accipitur, et respective dicamus tempus *longius*, tam ex parte *praeteriti*, quam *futuri*, secundum quod magis distat a *praesenti nunc*, tamen *longitudo* vel *brevitas* temporis non est in ipso *nunc praesenti*, sed in eo quod *distat* ab eo; sicut signato *puncto* in linea, illud non est *longum* vel *breve*, sed indivisibile; sed *longitudo* lineae accipitur secundum maiorem vel minorem *distantiam* ab illo puncto; et sicut linea *cum puncto* non est *longior*, quam *sine puncto* imaginata, sic *praeteritum* cum praesenti *nunc* indivisibili non est *longius*, quam per se sine *nunc* praesenti acceptum. — *Ib.* q. 23. n. 13.

Tempus futurum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 147.

Tempus grammaticale. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 132 et seqq.

Tempus — Motus Forma. — Haec tria, scilicet, *tempus*, *motus*, *forma* introducta per motum, videntur dicere *eamdem rem* absolutam; sed *differentes* dicunt *rationes*, a quibus rationibus eadem res sortitur haec tria nomina. — *Forma* enim per motum introducta, ut *albedo*, potest *dupliciter* considerari: *Uno modo* ut habet *esse* quasi *quiescens* et *permanens*, et est in *facto esse*, et ut respicit subiectum per modum informantis, denominantis, et dantis quoddam *esse* perfectum; et isto modo nominatur nomine *formae*, ut *albedo*, vel *quantitas*. — *Alio modo* considerari potest ut est in *continuo fieri*, non dicens rem quiescentem, nec permanentem, et ut habet respectum non solum ad *subiectum*, ut ad *mobile*, sed etiam ad *agens*, respectu cuius dicitur *actio* et *motus*. Et isto modo illud idem quod est *forma* ut est *quiescens* dicitur realiter *motus* ut est in *fieri*. — Ratio igitur istorum est diversa; quia *forma* dicit essentiam suam per modum cuiusdam *absoluti* inhaerentis et *quiescentis; motus* autem dicit essentiam suam per modum *respectivi continue fluentis*, non quiescentis.

Et si dicas, quod tunc eadem res fluit et quiescit, manet et praeterit, et est et non est, quod est impossibile; *respondeo*, quod res eadem simul non fluit et quiescit; sed res eadem, quae *dum fit fluit*, dum *facta est quiescit* et *manet;* et sicut *idem* sunt *re* quod *fit* et quod *factum est*, sic *idem* sunt *re forma* per motum introducta et *motus*. *Motus* ergo quo *forma* introdicitur non est aliud quam successio et continuitas formae, introductio et eductio et continuum *fieri* ipsius formae. Et eadem res ab ipso actu *informandi* et *inhaerendi* et *perficiendi* dicitur *forma: ab actu vero qui est fluxus* et fieri dicitur *motus*. — *De Rer. Princ.* q. 18. n. 17. — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 2. nn. 8 et 10. seqq. — q. 3. n. 4.

Tempus praesens. — *Praesens* est *cuius pars praeteriit priusquam futura est;* et non est praesens indivisibile, quia tunc non esset tempus. — *Opus secund. super Periherm.* q. 6. n. 3. — Totum tempus quod intelligitur ut distinctum a *praeterito*, ratione praeteriti, et a *futuro*, ratione futuri, dicitur *tempus praesens;* unde quantitas temporis *praesentis* accipitur secundum comparationem ad *actionem*, sicut dicimus, quod in septimana facit aliquis domum, intelligendo, quod in illo *toto* tempore facit *totam* actionem, et non quod immediate agit. Et comparando *partem temporis* ad

partem actionis, distinguimus idem tempus per *praesens* et *futurum;* quia respectu *totius* intelligitur forma *praesens;* et non dicit *praeteritum*, quod *praesens* tempus est, cuius pars praeteriit priusquam futura est; *totum* tamen accipitur ut *unum* tempus per comparationem ad *opus;* et ideo licet *unius praesentis* sint *plures partes*, nulla tamen habet rationem *praesentis*, ut possint dici *multa praesentia* simul; sed illud dicitur *praesens* per comparationem ad unum opus, *praeteritum* ad aliud. Est enim *tempus* accommodatum *verbo*, ut mensurat actum eius. — *Ib.* n. 16. = Vid. *Grammat. specul.* n. 147.

Tempus praeteritum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 147.

Tempus tripliciter consideratur. — *Tripliciter* potest considerari *tempus*. — *Uno modo* secundum *realem* eius *entitatem: secundo modo* secundum *commensurandi proprietatem: tertio modo* secundum *sensibilem variationem* rerum sensibilium, vel ipsorum temporum *immensitatem*. Ut si dicamus, quod tempus consideratur ut habet *esse*, ut habet *mensurare*, ut habet *res sensibiles variare;* sicut dicimus, quod in *vere, autumno, aestate, hyeme, res sensibiles* et ipsa *tempora* variantur. — *De Rer. Princ.* q. 20. n. 16.

Tempus — Velocitas. — Sicut *formae extensae* duplicem habent contrarietatem, unam secundum *intensionem*, aliam secundum *extensionem*, sic et *motus* duplicem videtur habere, unam secundum *durationem*, aliam secundum partium motus *accelerationem*, sive quamdam *condensationem*, sive secundum partium motus *celeriorem generationem*. — Quantitas *motus* quae debetur ei secundum *durationem* vocatur nomine *temporis:* quantitas quae debetur ei secundum *celeriorem* partium *generationem* vocatur nomine *velocitatis*. — *Prima* debetur *motui* secundum rationem *temporis*, et secundum illam non est unus motus alio *tardior* vel *velocior;* quia si tu iveris per decem leucas a mane usque ad tertiam, et ego eodem tempore per mediam solum leucam, comparando utrumque motum ad tempus, *aeque cito* finivi motum meum ego, sicut et tu, et *aeque velociter* (1). — Secundum quantitatem *secundo modo* acceptam, quae est quasi *intensiva*, ubi est partium motus celerior generatio, quae quantitas dicitur *velocitas*, secundum istam unus motus est alio *tardior*, et alio *velocior*. Et secundum istam rationem quantitatis non ponimus, quod idem sit *motus* et *tempus*, sed secundum primam. — *Exemplum* est de duobus corporibus, quorum quodlibet est eiusdem *extensionis*, utpote *palmi*, sed non eiusdem *densitatis*, utpote *ferrum* et *lignum;* eadem enim est quantitas *extensiva* utrobique, sed non *intensiva*. — *De Rer. Princ.* q. 18. n. 35.

Tentio quadruplex. — *Tentio quadrupliciter* accipi potest. — *Uno* quidem modo *proprie*, prout *memoria tenet* obiectum; et hoc vel per *formam* impressam, si est obiectum in specie, vel per *habitum* impressum, vel saltem per *illapsum* vel *inexistentiam*. — *Alio* modo potest *intelligentia* dici *tenere* obiectum in actuali consideratione; et ad hoc potest pertinere, quod *voluntas* dicitur *tenere aciem* intelligentiae conversam ad memoriam. — *Tertio* modo *tentio* pertinet ad voluntatem ut est *concupiscibilis;* et dicitur succedere spei, eo modo quo per *spem* voluntas *desiderat* sibi bonum *habendum*, et per *tentionem amat* illud bonum *habitum;* et illa *tentio* est amor concupiscentiae boni praesentis. — *Quarto* modo *tentio* dicitur esse quidam actus *assecutionis*, vel passio consequens spem passionem; et illo modo est in *irascibili*.

Nullo illorum modorum est *tentio* de *essentia beatitudinis. Primo* modo *praecedit* beatitudinem, immo omnem actum secundum. *Secundo* modo est actus secundus pertinens ad *intellectum*, et *praevium* beatitudini, quae est in voluntate, vel actus voluntatis respectu illius actus praevii. *Tertio* modo est amor boni *commodi* praesentis, et ille amor non pertinet ad beatitudinem, sed amor *boni honesti*, vel boni *in se*. — *Quarto* modo est in *irascibili;* et illo modo magis appropinquat ad securitatem quae succedit spei *passioni*, non spei *virtuti*. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 6. n. 24. — * Seu aliis verbis *:

---

(1) Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 8.

Uno modo *tentio* pertinet ad memoriam, prout tenet in habitu actum primum. — *Secundo* modo est actualis visio obiecti, quod tenet. *Primum* pertinet ad memoriam; sed secundum pertinet ad intelligentiam. — *Tertio* accipitur *tentio* ipse actus amandi, tenens bonum praesens sibi; et ista tentio succedit *desiderio,* quo volo Deum mihi bonum, et ista tentio est amor *concupiscentiae,* quo vult Deum sibi bonum. *Alia* est *tentio,* quae est operatio voluntatis, et amor *amicitiae,* quo vult Deum sibi, non ratione ut bonum *sibi,* sed quia bonum *in se;* alias in Beatis esset usus fruendorum. Et ista tentio succedit *spei,* et est bonum virtutis, et operatio voluntatis, et amor amicitiae, ut dictum est. — *Quarto modo* accipitur *tentio* passio, id est, securitas, quae consequitur operationem quae est *beatitudo,* si securitas sequitur spem *passionem,* sicut *tentio tertio modo* dicta sequitur spem *virtutem,* sequens ex apprehensione boni continuandi semper. — *Report.* IV. d. 49. q. 5. n. 16.

Termini communis significatum tripliciter consideratur. — Significatum *termini communis,* significantis veram naturam, *tripliciter* potest considerari. — *Uno* quidem *modo* secundum esse in *suppositis,* quod dicitur *esse materiale* eius; et hoc modo insunt sibi *accidentia communia.* — *Secundo modo* consideratur absolute secundum *esse quidditativum;* et sic insunt ei *praedicata essentialia.* — *Tertio modo* ut per formam intelligibilem ab intellectu apprehenditur, quod est *esse cognitum;* et sic insunt ei *intentiones.* Intellectus enim considerans * ex. gr. * naturam *hominis* unam in multis et de multis, ab aliqua proprietate reperta in natura sic considerata movetur ad causandum *intentionem,* et illam causatam attribuit illi naturae, cuius est proprietas, et a qua accipitur. — *Super Univers. Porph.* q. 11. n. 2.

Terminus. — Vid. *Grammat. specul.* n. 18 et 81.

Terminus ampliatus — ampliativus. — *Terminus ampliatus* dicitur ille qui ampliatur *passive,* ita quod pro pluribus supponat quam ante; sed *terminus ampliativus* est ille qui *ampliat.* Verbi gratia, praedicatum, vel copula si fuerit *praeteriti* (* praesentis? *) vel *futuri* temporis, aut de *possibili,* ampliat subiectum ad supponendum pro suppositis *praeteriti,* ultra ea pro quibus supponit ratione copulae verbalis de *presenti.* — *Prior.* I. q. 16. n. 2.

Termini *ampliativi* sunt in multiplici differentia: quidam sunt ut *verba* praeteriti, vel futuri temporis: alia sunt ut *participia* praeteriti, vel futuri temporis. — *Item,* alia sunt, ut ista verba, *potest, contingit,* et nomina derivata ab istis. — *Item,* ista verba, *significo, intelligo, promitto,* et huiusmodi; et universaliter omne verbum, cuius actus potest transire indifferenter in rem praeteritam, vel futuram, sicut in rem praesentem, cuiusmodi sunt verba praedicta in *activo* genere respectu accusativorum, quos regunt post se, et in passivo *genere* respectu nominativorum casuum, qui supponunt pro eis, ut dicendo *Antichristus intelligitur.* — *Ib.* n. 3.

Terminus analogus. — Terminus *analogus* quandoque *plura* repraesentat: quandoque tantum *unum,* sed illud *unum* secundum *diversa* esse in diversis reperitur. — Exemplum *primi: Expedire* significat *expeditionem,* quae est in *bonis,* et *utilitatem,* quae est in *malis,* et ista duo in voce significante non se habent secundum *prius* et *posterius.* Et ideo omnia talia *analoga* habent reduci ad primum modum *aequivocationis* (1). Exemplum *secundi: sanum* significat proportionem calidorum et frigidorum, humidorum et siccorum; ista proportio in *animali* reperitur ut in *subiecto,* et in *urina* ut * in * *signo,* et in *dieta* ut in *conservante.* Et talia analoga reducenda sunt ad *univocationem,* cum solum *unum* primo significent. — *Elench.* q. 16. n. 4. — Vid. *Analogia, etc.* = *Univocatio, etc.*

Terminus categorematicus — syncategorematicus. — Notandum, quod in propositione inveniuntur *duplices termini:* quidam qui sunt ut *subiectum* et *praedicatum,* et sunt termini *categorematici:* alii sunt termini *syncategorematici,* ut *signa universalia, particularia, copula universalis,* et co-

---

(1) Vid. *Aequivocationis modus triplex.*

niunctiones, et huiusmodi. Et istis terminis non correspondet aliquod significatum aliud a significatis terminorum *categorematicorum;* sed per ipsos intellectus *aliter* intelligit et apprehendit *eamdem* rem; et ita eadem res significatur per ambo condeterminantia, quia intellectus diversimode concipit propter diversitatem *syncategorematum.* — *Prior.* I. q. 8. n. 7.

Terminus communis duplex. — Quidam sunt termini *communes* qui pro *una sola* re *supponunt*, et *unam solam* rem *designant*, ut iste terminus, *Sol, Deus*, et consimiles. — *Alii* sunt qui *unam* rem *significant*, et pro *pluribus* supponunt, ut isti termini, *homo, animal*, et consimiles. — Et isti termini differunt in hoc, quod ex primis terminis, qui, scilicet, pro *una sola re* supponunt, potest formari affirmativa propositio vera de praedicato distributo affirmative, ut dicendo: *quilibet planeta est omnis sol;* vel dicendo: *Essentia divina est omnis persona divina.* Sed ex terminis qui pro *pluribus* supponunt non potest formari propositio affirmativa vera de praedicato distributo. Verbi gratia: ista est falsa, *omnis homo est omnis homo*, vel etiam sumendo particulariter, vel indefinite subiectum. — *Prior.* I. q. 35. n. 5.

Terminus concretus. — Terminus *concretus* supponit *formam* ut *concernit subiectum.* — Sed hoc *dupliciter* contingit: aut prout *cum forma coniungitur*, aut prout *in se* et *absolute* consideratur. — *Primo modo* supponit in *sensu composito: secundo modo* in *sensu diviso.* — *Elench.* q. 26. n. 4. — Vid. *Abstractio — Concretio = Concretio ad subiectum — ad suppositum = Concretum.*

Terminus connotativus duplex. — Notandum, quod terminorum *connotativorum* quidam sunt qui connotant *dispositionem superadditam* et distinctam a subiecto, ut iste terminus, *album:* alii connotant subiectum *quodammodo se habere*, licet non per dispositionem superadditam, ut, secundum aliquos, iste terminus *figura* supponit pro *re* significata, *connotando* ipsam *aliter se habere*, et non per dispositionem additam. — *Prior.* I. q. 8. n. 6.

Terminus discretus triplex. — Vid. *Syllogismus expositorius.*

Terminus — Finis — Principium. — *Terminus cuiuslibet rei est quod est ultimum eius, et extra quod nihil est accipere primi, et cuius primi omnia sunt infra.* — Vult dicere * Philos., * quod illud est *terminus* rei *extra quod nihil est pertinens ad illam rem, et intra quod sunt omnia pertinentia ad integritatem rei terminatae.* Dicit autem *primi*, id est, *adaequati* et *praecisi*, ad differentiam termini *communis:* puta, si diceretur *coelum* esse *terminus viventium*, nam infra talem terminum multa continentur, quae sunt extra ipsa viventia. Aliter exponitur *primi*, ex eo, scilicet, quod contingit illud quod est *ultimum primi* esse *principium secundi*, sicut nunc quod est *ultimum praeteriti* est *principium futuri.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 15. n. 122.

Finis dicitur *uno* modo *quodcumque fuerit species magnitudinis, aut habentis magnitudinem;* id est, quod in quolibet species magnitudinis, vel habentis magnitudinem dicitur *terminus:* ut si *linea* dicatur *terminus superficiei*, et *superficies * terminus * corporis*, vel etiam hominis, vel asini habentis magnitudinem corporalem.

Terminus dicitur *alio* modo *finis* cuiusque; *tale vero* est illud *ad quod est motus et actus, et non a quo*, id est, terminus *ad quem*, et non terminus *a quo*: sicut si terminus generationis dicatur esse, et non esse; *quandoque* tamen *ambo a quo et ad quem* dicuntur *termini*, secundum quod communiter dicimus omnem *mutationem* esse inter *duos terminos, a quo* et *ad quem.* — *Alio* modo dicitur *terminus cuius causa* aliquid fit; tale enim est motus et actionis ultimum, et sic *terminus.* — *Alio* modo dicitur *terminus substantia cuiuslibet, et quod quid erat esse cuique*, id est, definitio substantialis cuiuslibet rei, indicans quid erat esse rei; *hic enim est terminus cognitionis; si autem cognitionis, ergo et rei.* Definitio enim explicat principia essentialia et intrinseca rei, quibus res cognoscitur; unumquodque enim cognoscitur per sua principia; et ideo

definitio dicitur *terminare* rem, quatenus claudit omnia essentialia rei, per quae res cognoscitur perfecte.


Notandum, quod distinctio modorum *termini* magis est *materialis* quam *formalis;* sumitur enim, sicut patet, penes ipsas *res* quae terminantur — *Ib.* n. 123 — * Concludit Aristot. * ex praedictis, palam esse, quia quoties dicitur *principium,* toties dicitur *terminus,* et adhuc *amplius,* quia *omne principium* est *terminus quidam,* sed *non omnis terminus principium.* Patet enim ex praedictis, quod *uno modo* accipitur *terminus* pro eo ad quod est motus et mutatio, qui dicitur terminus *ad quem,* et tamen non potest dici illud *principium* motus vel mutationis; in aliis autem modis omne illud quod dicitur *terminus* potest dici *principium,* sicut patet inducendo; omne etiam *principium* potest dici *terminus largo modo.* — *Ib.* n. 124.

Terminus infinitus duplex. — *Duplex* est *terminus infinitus:* quidam *substantialis,* quidam *accidentalis.* — Dico autem terminum *substantialem* omnem terminum significantem per modum *substantiae,* ut *albedo, homo.* — *Opus secund. super Periherm.* q. 4. n. 5.

Terminus triplex. — Quidam sunt *termini* qui significant naturas *determinatas,* non tamen sunt de *complexis* dicibiles, ut *homo* de Socrate et Platone, et *animal* de homine et bove, et huiusmodi. — *Alii* sunt termini qui significant *complexa,* sed tamen *non modo complexo,* sed per modum simplicis apprehensionis, quia sunt obiecta intellectus simplicis; cuiusmodi sunt *enunciatio, propositio, loquela,* et multa alia. — *Alii* autem sunt termini qui significant res dicibiles de *complexis* et *incomplexis:* cuiusmodi sunt *ens* et *unum* et *quantum,* etc. — *Elench.* q. 52. n. 3.

Testimonium falsum. — Vid. *Mendacium perniciosum,* etc.

Tetragonismus. — *Tetragonismus* dicitur, secundum Geometram, *superficies quadrati* vel *quadrangularis,* non habentis omnia latera aequalia, sed alteram partem longiorem; cui si velimus invenire quadratum aequale habens omnia



latera aequalia, oportet invenire lineam mediae proportionis, et *tetragonizare,* id est, *quadrare tetragonismum.* — Ad cuius evidentiam notandum, quod regula est in Geometria, quod *quandocumque tres lineae sunt proportionales, illud quod resultat ex prima et tertia est aequale ei quod resultat ex ductu secundae lineae in seipsam;* quod manifestius apparet in *tribus numeris proportionalibus,* ut sunt *duo, quatuor, octo;* nam sicut se habent *quatuor* ad *duo,* ita se habent *octo* ad *quatuor,* et ideo illud quod resultat ex ductu *binarii* in *octonarium* est aequale ei quod resultat ex ductu *quaternarii* in seipsum, nam *bis octo* faciunt *sexdecim.* Similiter *quater quatuor* faciunt *sexdecim.* Similiter in proposito, si accipiantur *tres* lineae proportionales, quarum prima sit *duarum palmarum,* secunda *quatuor,* tertia *octo,* quadrangulus constitutus ex *prima* linea et ex *tertia* erit aequalis quadrato constituto ex ductu *secundae* lineae in seipsam; quia *secunda* linea quae est *quatuor palmarum* est quaedam medietas et proportio media inter lineam *duarum* palmarum, et tertiam quae est *octo* palmarum. *Tetragonizare* ergo, id est, quadrare *quadrangulum,* cuius altera pars est longior, est *invenire mediam proportionem* modo praeexposito, et qui hoc scit scit quid est *tetragonizare,* id est, *quadrangulum quadrare.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 2. c. 1. n. 13.

Theologia. — Augustinus, *VIII. De Civit. Dei, c. 1: Theologia est sermo vel ratio de Deo.* — *Report.* Prol. q. 1. n. 2. — *Oxon.* ib. q. 3. n. 2.

Theologiae obiectum. — *Theologia* essentialiter non tantum continet *necessaria,* sed etiam *contingentia.* Quod patet, quia omnes veritates de Deo, sive ut Trino, sive de aliqua Persona divina ut comparatur *ad intra,* sunt *necessariae:* ut quod *Deus est trinus,* et quod *Filius* dicitur *generari a Patre,* et huiusmodi. Illa vero in quibus comparatur *ad extra* sunt *contingentes:* ut quod *Deus creat,* et quod *Filius est incarnatus,* et huiusmodi. Omnes autem veritates de Deo ut Trinus, sive de Persona determinata, sunt *theologicae.* Similiter veritates *contingen-*

tes, quia ad nullam cognitionem naturalem spectant; ita quod primae partes *integrales* Theologiae sunt duae, scilicet, veritates *necessariae*, et veritates *contingentes*. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 6.

Et primo loquendo de *Theologia in se* quantum ad veritates *necessarias* ipsius, dico, quod *primum subiectum* Theologiae *in se* non potest esse nisi Deus. — *Quod probo* per tres rationes: — *Prima* accipitur ex ratione *primi obiecti;* et arguo sic: primum obiectum continet virtualiter omnes veritates illius habitus cuius est primum obiectum: sed nihil continet virtualiter omnes veritates theologicas nisi Deus; ergo, etc. — *Probatio minoris:* nihil aliud continet eas ut *causa*, sive ut illud ad quod habeant *attributionem*, nisi Deus, quia Deus nulli attribuitur; nec aliquid continet eas ut *effectus* demonstratione *quia*, nam nullus effectus demonstrat *Deum Trinum*, quae est potissima veritas theologica, et similia.

Secundo sic: Theologia est de his quae sunt soli intellectui divino naturaliter cognita; ergo est de aliquo soli Deo naturaliter noto: sed solus Deus est sibi soli naturaliter notus; ergo etc. — *Probatio primi*, scilicet, *antecedentis:* si ista scientia est de aliquibus alicui alii intellectui naturaliter notis, ergo praeter ista aliqua alia sunt cognoscibilia naturatiter soli intellectui divino, quia infinitus est, et ideo plurium cognoscitivus quam intellectus finitus; igitur adhuc alia scientia est superior quam ista, quae erit de naturaliter notis intellectui creato; quia omnis essentia creata alicui intellectui creato potest esse naturaliter nota.

Tertio sic: in nulla scientia traditur ita distincta cognitio de aliquo alio quod non est subiectum eius primum sicut traditur in illa quae esset de illo ut de subiecto eius primo, quia in nulla scientia traditur ita distincta cognitio de non per se subiecto sicut de per se eius subiecto; tunc enim non esset ratio quare illud subiectum esset magis subiectum eius quam aliud; igitur si Deus non sit hic subiectum, tunc non traditur ita distincta cognitio de Deo sicut traderetur de eo in aliqua alia in qua posset esse subiectum: sed potest esse subiectum in alia scientia; igitur illa potest esse prior ista. — *Ib.* n. 7.

Praeter autem istas tres *rationes*, sunt aliquae *persuasiones*... *Tertia* est, quia, secundum beatum Augustinum, *XIV. De Trin. cap. 1 et 4,* ista scientia est de illis quibus fides gignitur, defenditur et roboratur; ergo est de illo eodem subiecto quod est primum subiectum fidei: sed fides est de Veritate Prima; ergo. — *Quarta* persuasio est, quia nobilissima scientia est circa nobilissimum genus, ex *VI. Metaph.* et *I. de Anima:* haec autem conceditur nobilissima; ergo oportet quod sit de Deo ut de subiecto. — *Ib.* n. 8.

Ex istis respondeo ad quaestionem, *utrum Theologia sit de Deo sub aliqua ratione speciali?*, * quod * posset poni aliqua scientia de Deo sub ratione *respectus ad extra*, ut aliqui ponunt sub ratione *reparatoris* vel *gubernatoris* vel *capitis Ecclesiae;* vel posset poni de Deo sub aliqua ratione *attributali*, quae est quasi passio, sicut aliqui ponunt de Deo hanc scientiam esse sub ratione *boni;* vel posset poni de Deo sub ratione *communi et universali*, ut *entis* vel entis *infiniti*, vel *necesse esse*, vel alicuius talis. — *Ib.* n. 9.

Concedo igitur *quartum membrum*, scilicet, quod Theologia est de Deo sub ratione qua est *haec essentia*, sicut perfectissima scientia esset de homine, si esset secundum quod *homo*, non autem sub aliqua ratione *universali* vel *accidentali*. — *Ib.* n. 11.

Quia *Theologia nostra* de *necessariis* est de eisdem de quibus est *Theologia in se*, ideo sibi assignatur subiectum primum, quoad hoc, quod est veritates continere in se; et hoc idem est subiectum Theologiae *nostrae* quod est primum subiectum Theologiae *in se;* sed quia non est nobis evidens, ideo non continet istas ut nobis notum, immo non est nobis notum. — *Ib.* n. 12.

Essentia divina est *primum subiectum* Theologiae *contingentis*, et hoc modo sumpta, quo praedictum est, ipsam esse subiectum primum Theologiae *necessariae;* et hoc tam huius Theologiae contingentis *in se*, quam ut est in intellectu divino et Beatorum. *Totius* igitur Theologiae *in se*, et Dei et Bea-

torum, *primum subiectum* est *essentia divina* ut *haec*, cuius visio a Beatis est sicut in Metaphysica cognitio *entis*. Et ideo beata visio non est Theologia, sed est quasi perfecta incomplexa apprehensio subiecti, praecedens naturaliter scientiam Theologiae.

Subiectum vero Theologiae *nostrae contingentis* videtur idem subiectum primum quod et *necessariae:* non ut continens virtualiter in se habitum, etiam si intuitive videretur, sed ut cognoscibile a nobis proximum illi cui intuitive noto natum esset praedicatum primae contingentis evidenter inesse. — *Ib.* n. 13.

Divina Theologia est de *omnibus cognoscibilibus;* quia obiectum primum Theologiae suae facit omnia alia actu cognita in intellectu suo, ita quod in *primo* signo naturae est essentia sua primo cognita in intellectu suo, et in *secundo* signo naturae quidditates virtualiter continentes veritates proprias; in *tertio* autem signo sunt istae veritates virtualiter contentae in illis quidditatibus sibi notae. Et non est ordo *secundi* ad *tertium* secundum *causalitatem,* quasi illae quidditates causent aliquid in intellectu eius; sed est tantum ordo effectuum *essentialiter ordinatorum* respectu *eiusdem* causae: puta, quod essentia sua quasi prius natura causat illas quidditates sibi notas, quam veritates de eis fiant notae. *Exemplum:* si Sol illuminaret aliquam partem propinquam sibi, et alia pars remotior non esset illuminabilis, nisi a Sole, propter eius opacitatem, Sol illuminaret partem aliam remotam, non autem pars illuminata primo esset *causa* illuminationis secundae; esset tamen *ordo* inter partem propinquam et remotam, sicut ordo effectuum eiusdem causae; et tamen non esset ordo *causae* ad *effectum,* quia pars illuminata nihil agit in partem opacam remotam. Ita in proposito, haec essentia Dei in intellectu suo facit alias quidditates actu notas, et quasi posterius naturaliter facit veritates illas in istis contentas notas intellectui illi; tamen illae quidditates finitae nullam virtutem habent respectu intellectus divini immutandi, quia intellectus divinus non est natus perfici ab illis quidditatibus; quia ille est infinitus, et illae quidditates finitae, et infinitum a finito nullo modo perficitur; ita quod si in *tertio* instanti naturae divina natura non moveret ad ulteriorem notitiam veritatum, numquam intellectus intelligeret eas, quia a nullo alio motivo illam notitiam posset habere.

Sic ergo Deus de *omnibus cognoscibilibus* solum habet cognitionem theologicam; quia tantum virtute primi obiecti theologici actuantis intellectum eius, ita quod *Theologia Dei* non est tantum de omnibus, sed est etiam omnis cognitio possibilis haberi a Deo de eis, et absolute ipsa est de quocumque omnis cognitio, non includens aliquam imperfectionem ex se; quia ipsa sola de quocumque cognoscibili non includit limitationem; quaelibet autem alia, quia est a causa limitata, includit necessario limitationem.

Sed de intellectibus creatis Beatorum aliter est, quia intellectus eorum nati sunt immutari a quidditatibus creatis ad cognitionem veritatum inclusarum in eis: et ideo praeter istam veritatem theologicam quam habent de illis quidditatibus ut ostensis in essentia Dei, possunt habere naturalem cognitionem de eis ex propria motione earum. Theologia igitur *Beatorum* de quibuscumque creatis non est omnis cognitio possibilis de ipsis tali intellectui. — *Ib.* n. 23.

Sed dubium est, an sit de omnibus, licet aliqua alia sit de quibusdam cognoscibilibus. — Hic distinguendum est de Theologia *in se,* et ut est *habitus perficiens* intellectum creatum beatum. *Primo* modo est de omnibus scibilibus, quia omnia alia nata sunt sciri virtute primi obiecti theologici. *Secundo* modo dico, quod possibile est eam esse de quocumque; immo et de omnibus scibilibus, quia scibilia non sunt infinita. De facto autem non habet limitationem, nisi ex voluntate Dei ostendentis aliquid in essentia sua; et ideo actualiter Theologia eorum est de tot quot voluntarie Deus ostendit eis in essentia sua.

De Theologia autem *nostra* dico, quod ipsa non est actualiter omnium scibilium pro statu isto; quia sicut Theologia *Beatorum* habet terminum, ita et nostra, ex voluntate Dei revelantis. Terminus autem praefixus a voluntate divina, quantum ad reve-

lationem generalem, est eorum quae sunt in sacra Scriptura; quia, sicut habetur in Apoc. ult., *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Igitur Theologia nostra de facto non est nisi de his quae continentur in Scriptura, et de his quae possunt elici ex ipsis. — *Ib.* n. 24.

De *possibilitate* Theologiae nostrae dico, quod non potest esse de omnibus: tum propter defectum intellectus nostri non potentis in speciali concipere multas quidditates (revelatio autem secundum communem legem non est nisi de his quorum termini naturaliter possunt concipi a nobis): tum propter defectum Theologiae nostrae, quia non potest esse cum cognitione *evidente* de eisdem cognoscibilibus, secundum aliquos; et per consequens de *naturaliter* nobis cognitis non potest stare Theologia nostra *revelata.*

Tamen omnis Theologia, sive *nostra*, sive *Beatorum*, sive *Dei*, est de omnibus entibus, quantum ad aliqua de eis cognoscibilia, scilicet, quantum ad respectus quos habent ad essentiam divinam ut est haec essentia; quia respectus non potest cognosci sine cognitione amborum extremorum; et ita respectus qui est ad hanc essentiam ut haec non potest cognosci sine cognitione huius essentiae ut haec. Sic ergo (ut vere dicatur) Theologia est de omnibus, et est omnis cognitio non includens imperfectionem. Et ideo in intellectu *Dei*, qui non potest habere aliquam cognitionem imperfectam, est *omnis cognitio;* non tamen est omnis cognitio simpliciter respectu intellectus *creati;* quia praeter eam, potest haberi alia cognitio de aliqua quidditate speciali movente intellectum creatum. Ipsa etiam sola est cognitio de omnibus quantum ad aliqua cognoscibilia, scilicet, quantum ad respectum eorum ad hanc essentiam ut *haec;* si tamen essentia ut *haec* terminet respectum creaturae, et non sub ratione alicuius attributi naturaliter a nobis intelligibilis. — *Ib.* n. 25.

Theologia est *de omnibus* quantum ad aliquas relationes quas habent omnia ad Deum, et e contra, ut sunt relationes *eminentiae* et *excessus*, et relationes *causalitatis*, ut *efficientis*, *formalis* et *finalis*, quae fundantur in Deo ut Deus est, vel terminantur ad ipsum ut Deus est. — *Report.* Prol. q. 3. n. 18.

Theologiae proprietates. — Quaero: *Utrum Theologia in se sit scientia?* — Dico, quod *quatuor* includit *scientia stricte* sumpta, scilicet: quod sit cognitio *certa*, hoc est, absque deceptione et dubitatione, de *cognito necessario*, causata a causa *evidente* intellectui, applicata ad cognitum *per discursum syllogisticum.* Haec apparent ex definitione *scire*, I. *Posteriorum* (1). Ultimum, scilicet, causatio scientiae per *discursum* a causa ad scitum, includit *imperfectionem* ex parte *scientiae*, scilicet, quod sit effectus aequivocus, et etiam *potentialitatem* ex parte *intellectus* recipientis; ergo Theologia *in se* non est *scientia*, quantum ad *ultimam* conditionem scientiae; sed quantum ad alias tres conditiones est scientia *in se* et *in intellectu divino.* — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 26.

Utrum autem *scientia* sit quantum ad *quartam* conditionem *in intellectu Beatorum?* Est dubium, et videtur, quod non... Sed oppositum videtur; quia quidditas subiecti, in quocumque lumine videtur, continet virtualiter veritates quas potest facere notas intellectui passivo a tali obiecto. Si igitur quidditas lineae visa in lumine naturali potest notas facere veritates in se inclusas intellectui nostro, pari ratione et ut visa in essentia divina; sed omnis veritas causata in intellectu nostro per aliquid prius naturaliter notum, causatur per *discursum*, quia discursus non requirit successionem *temporis*, nec ordinem ipsius, sed ordinem *naturae*, scilicet, quod principium discursus sit naturaliter prius notum, et ut sic sit causativum alterius extremi discursus.

Hoc potest concedi, videlicet, quod Beatus vere potest habere scientiam theologicam quantum ad omnes conditiones *scientiae*, quia omnes conditiones scientiae vere concurrunt in cognitione Beatorum. — *Ib.* n. 27.

Sed aliud dubium est in ista *quaestione*, quia sicut ad Theologiam pertinent *necessaria*, sic et *contingentia.* Quod patet de Theologia *nostra*, quia omnes articuli de

---

(1) Vid. *Scientia* = *Scire* — *Scientia.*

Incarnatione sunt de contingentibus. In Theologia etiam *Beatorum* patet, quia omnia cognoscibilia de Deo in *respectu ad creaturas extra* sunt de contingentibus. De *contingentibus* autem non videtur posse esse *scientia*, ex definitione *scientiae;* ergo non videtur, quod Theologia, ut exstendit se ad omnia ista contenta, posset habere rationem *scientiae*, sive cum discursu, sive non.

Hic dico, quod in scientia perfectionis est quod sit *evidens* et *certa;* quod autem sit de *necessario obiecto*, haec est conditio *obiecti*, non *cognitionis;* quia quantumcumque scientia sit de *necessario*, ipsa in se potest esse *contingens* et per oblivionem deleri. Si igitur aliqua alia cognitio est certa et evidens, et quantum est de se perpetua, ipsa videtur in se formaliter perfectior quam *scientia*, quae requirit *necessitatem obiecti.* Sed contingentia ut pertinent ad Theologiam nata sunt habere cognitionem *certam* et *evidentem*, et quantum est ex parte sui, evidentiam *perpetuam.* Hoc patet, quia omnia contingentia theologica sunt nata videri in primo obiecto theologico, et in eodem nata est videri coniunctio istarum veritatum contingentium. Visio autem extremorum veritatis contingentis et unionis eorum necessario causat evidentem certitudinem de tali veritate evidente.

Quantum est etiam ex parte obiecti theologici ostendentis talia vera, nata sunt videri in tali obiecto *perpetuo* quantum ex se est; igitur *contingentia*, ut pertinent ad Theologiam, nata sunt habere perfectiorem cognitionem, quam scientia de *necessariis* acquisita.

Sed numquid eorum cognitio est *scientia?* Dico, quod secundum illam rationem *scientiae* positam in *I. Posteriorum*, quae requirit *necessitatem* obiecti, non potest de eis esse scientia, quia cognoscere contingens ut necessarium non est cognoscere contingens; tamen secundum quod accipit Philosophus *scientiam VI. Ethic.*, ut dividitur contra *opinionem* et *suspicionem*, bene potest esse *scientia*, quia est *habitus quo determinate verum dicimus.*

Magis tamen proprie potest dici, quod Theologia *secundum se* est *sapientia*, quia de *necessariis* contentis in ea ipsa habet evidentiam et necessitatem et certitudinem, et obiectum altissimum et perfectissimum. Quantum autem ad *contingentia* habet evidentiam manifestam de contingentibus in obiecto theologico ut in se visis, et non habet evidentiam mendicatam ab aliis prioribus. Unde notitia contingentium ut habetur in ea magis assimilatur *intellectui principiorum* quam *scientiae conclusionum.* — *Ib.* n. 28.

Haec scientia *nulli subalternatur.* Quia licet subiectum eius possit aliquo modo contineri sub subiecto Metaphysicae, nulla tamen principia accipit a Metaphysica, quia nulla passio theologica demonstrabilis est in ea per *principia entis*, vel per *rationem sumptam ex ratione entis.* — *Nec ipsa aliam sibi subalternat*, quia nulla alia scientia accipit principia ab ipsa; nam quaelibet alia in genere cognitionis naturalis habet resolutionem suam ultimo ad aliqua principia immediata naturaliter nota. — *Ib.* n. 29.

Utrum Theologia sit *practica?* — Quod non, arguitur. . . . Contra ad Roman. 13. *Finis legis est dilectio.* Item, Matth. 22: *In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae.* Item Augustinus, *De Laude charitatis: Ille tenet quidquid latet et quidquid patet in divinis sermonibus, qui charitatem servat in moribus.* Hae autem auctoritates probant, quod ista scientia non est praecise propter *speculari;* speculativa autem ultra speculari nihil requirit, secundum Avicennam, *I. Metaph.* — *Oxon. Prol.* q. 4. n. 1.

* Una * via (1) dicit, Theologiam esse *affectivam.* Quod bene intelligi potest, si *affectiva* ponatur esse quaedam practica. Si autem affectiva ponatur esse *tertium* membrum distinctum contra *practicum* et *speculativum*, sic est contra dicta in primo articulo, ubi ostensum est *dilectionem* esse *veram praxim*, et etiam contra auctoritates multas, quae sentiunt praecise scientias distingui in *speculativam* et *practicam*, et nullum esse tertium membrum. — *Ib.* n. 26.

Ad *quaestionem* igitur respondeo, quod cum actus voluntatis *elicitus* sit verissime

---

(1) S. Bonav.

praxis, etiam si non concomitetur aliquis actus *imperatus*, et extensio cognitionis practicae consistat in *conformitate* ad praxim, et *prioritate aptitudinali* (1), sequitur, quod illa est cognotio *practica* quae est *aptitudinaliter conformis volitioni rectae*, et *naturaliter prior* ipsa: sed tota Theologia *necessaria* in intellectu creato est sic conformis actui voluntatis creatae, et prior ea; ergo, etc. — *Probatio minoris:* quia primum subiectum Theologiae est virtualiter conforme volitioni rectae, quia a ratione eius sumuntur principia prima rectitudinis in volitione. Ipsum etiam determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis determinatae ipsius praxis quoad omnia theologicalia *necessaria*, prius naturaliter quam aliqua voluntas creata velit, alias non esset necessaria; ergo ex primo subiecto sequitur tam *conformitas* quam *prioritas* Theologiae ad volitionem, et ita *extensio* ad praxim, a qua extensione cognitio dicenda sit *practica*. — *Confirmatur* ratio ista, quia cum primum obiectum Theologiae sit ultimus finis, et principia in intellectu creato sumpta a fine ultimo sint principia practica; igitur principia Theologiae sunt practica; ergo et conclusiones sunt practicae. — *Ib.* n. 31.

Sed obiicitur: tunc scientia Dei esset practica, quae est de eodem subiecto primo; et etiam videtur quod ratio solutionis quaestionis possit applicari ad intellectum divinum sicut ad creatum. — *Ib.* n. 32.

Posset concedi, quod Theologia Dei *de necessariis* sit practica; quia in intellectu suo natum est primum obiectum theologicum quasi gignere notitiam conformem volitioni rectae, priorem naturaliter ipsa volitione. — Quod *conformem,* patet. Quod *priorem,* probatur: quia prius naturaliter intellectus intelligit obiectum primum quam voluntas velit illud; igitur prius naturaliter volitione potest habere omnem notitiam sufficienter virtualiter inclusam in intellectione primi obiecti: talis est quaecumque notitia necessaria de primo obiecto. *Consequentia* supposita patet: tum quia per impossibile exclusa omni volitione, posset intellectus habere omnem notitiam sufficienter virtualiter inclusam in intellectione primi obiecti, cum illa intellectio praecedat omnem volitionem: tum quia intellectus divinus non discurrit; igitur non prius naturaliter intelligit primum obiectum quam aliquid virtualiter in illo inclusum quoad notitiam; ergo si prius intelligit primum obiectum quam voluntas velit aliquid, prius intelligit quodlibet inclusum quoad notitiam in primo obiecto quam voluntas velit. — Haec secunda probatio consequentiae *minus valet.*

Si obiiciatur, quia tunc voluntas divina non erit prima regula sui in actibus suis, si eius actum praecedat notitia, cui in agendo debet conformari ad hoc ut recte agat: *consequens* autem videtur inconveniens, quia tollit summam libertatem voluntatis divinae, si ab alio determinetur, et non ex se primo quoad primum actum suum; si autem praecedit omnem actum suum, cognitio practica ab intellectu determinatur ad primum actum, quia non potest ei dissentire, tunc enim posset peccare; *hic videtur* consequenter dictis dicendum, quod, accipiendo *regulam* pro *rectificante in praxi, prima regula* est *finis ultimus,* qui virtualiter includit primo notitiam omnis rectitudinis necessariae cuiuscumque praxis, sicut primum subiectum scientiae speculativae primo virtualiter includit notitiam omnium veritatum speculabilium. Haec autem prima regula, quae est finis, ordinate rectificat intellectum et voluntatem, sicut ipsae potentiae natae sunt agere ordinate, ita quod prius quasi gignit notitiam conformem rectae praxi quam rectificet praxim, et ita potentia practicante alia erit potentia prior et prius recta; ita quod *primum consequens* illatum in *prima ratione* videtur concedendum.

Cum vero improbatur, posset dici, quod sicut universaliter libertas stat cum apprehensione praevia, ita summa libertas stat cum summa apprehensione praevia. Apprehensio autem praxis perfectissima includit notitiam conformitatis, quando ipsa necessario convenit praxi. — *Ib.* nn. 33-34.

Cum ulterius additur, quod determinata fit aliunde; *hoc negandum est,* loquendo de determinatione quae fit per agens suffi-

---

(1) Vid. *Praxis.*

ciens. Licet enim non possit dissentire a notitia rectificativa praxis et priori praxi, hoc tamen non est, quasi intellectus per notitiam sit causa sufficienter activa determinans ipsam ad actum; sed ex perfectione voluntatis est, quod ipsa tantum nata est conformiter agere potentiae priori in agendo, quando illa prior prius perfecte agit circa obiectum, hoc est, tantum novit prius quantum posset nosse. Quod dico pro *contingentibus*, quorum intellectus divinus non habet omnem notitiam sibi compossibilem ante omnem actum voluntatis; ideo circa illa non oportet, quod conformiter agat potentiae priori in agendo, quia ipsa non prius conformiter novit tale obiectum. Sed semper aliter accidit circa cognoscibilia *necessaria ex se*, quia ista perfectissimam sui notitiam habent absque actu voluntatis. — *Ib.* n. 35.

Licet haec responsio videatur evadere argumentum, tamen *aliter posset dici*, quod Theologia *necessaria* in intellectu divino non est practica; quia non est ***prioritas naturalis*** intellectionis ad volitionem, quasi ***conformativi*** ad ipsum ***conformandum***, sive ***directivi*** ad ***dirigendum*** aliquid. Quia posita notitia quacumque rectitudinis ipsius praxis, quamvis ista ex se possit conformare potentiam conformabilem seu rectificabilem aliunde, non tamen voluntatem divinam respectu sui primi obiecti, quae ex se sola rectificatur respectu istius obiecti, ita quod vel talis naturaliter tendit in illud, vel si libere, nullo modo est de se quasi ***indifferens*** ad rectitudinem, et quasi aliunde aliquo modo habens eam, ita quod notitia determinativa rectitudinis non est necessario prior volitione, quasi volitio illam requirat ut recte eliciatur, sed tantum praeexigit ostensionem obiecti. Et istam notitiam ex se directivam non praeexigit ut directivam, sed tantum ut *ostensivam*, ita quod si posset praecedere volitionem sola ostensio obiecti, et sequi notitia rectitudinis necessariae ipsius praxis, sicut dicetur de praxi circa ***contingentia***, aeque recte eliceretur volitio tunc sicut nunc. Nullo ergo modo intellectio est *prior* ut ***conformativa*** seu ***regulativa*** volitionis.

Ad argumentum igitur probans prioritatem rectitudinis ad praxim rectam, *respondēri potest*, quod licet sit aliqua prioritas intellectionis ad volitionem, non tamen est sic prior, ut requirat rationem rectam esse priorem praxi; quia talis prioritas est regulae ad regulatum, qualis esse non potest quando voluntas est omnimoda regula sui in agendo.

Huius controversiae de *scientia* Dei *respectu sui*, an sit *practiva*, summa in hoc consistit: si *notitia* quae de se esset *directiva* in praxi, dato quod potentia practicans in sciente non esset dirigibilis in agendo, sit *practica*, ex hoc solo quod esset sic de se directiva, vel *non practica*, ex hoc quod potentia practicans in sciente non est dirigibilis.

Qui alteram partem tenet, dicat consequenter. — *Ib.* n. 36.

De Theologia *contingentium*, an sit *practica*, dico, quod tantummodo in illo intellectu Theologia contingentium practica potest esse, qui habere potest determinativam notitiam rectitudinis ipsius praxis ante ipsam praxim elicitam, quia solummodo ibi Theologia contingentium potest esse conformis praxi et prior ea: talis est tantum intellectus *creatus*, quia nullius intelligentis creati voluntas primo determinat rectitudinem contingentem convenientem praxi. In intellectu igitur *divino* non potest esse Theologia contingentium practica, tenendo ista duo: *primum*, quod *cognitio practica* et *praxis* ad quam extenditur debent esse necessario respectu ***eiusdem suppositi: secundum***, quod Dei ut operantis nulla sit praxis nisi volitio, non ponendo in Ipso potentiam tertiam aliam ab intellectu et voluntate; nam nulla cognitio conformis volitioni contingenti recte praecedit ipsam volitionem Dei, quia primo volitione determinatur praxi illi talis rectitudo. — *Ib.* n. 37.

Si quaeris, qualis est Theologia contingentium *in se*, non comparata huic vel illi intellectui?; *dici potest*, quod ipsa talis est *in se* qualis est *ex obiecto:* non est autem ex obiecto conformis praxi ante omnem praxim, quia ex obiecto nulla nata est haberi notitia determinatae rectitudinis

contingentis, ideo ex obiecto non est *practica;* igitur speculativa, si sufficienter dividunt notitiam. Huic congruit, quod in intellectu divino negatur esse practica: talis autem videtur esse in se, qualis est in perfecto genere illo, non in imperfecto.

Si vero alterum istorum duorum, quae tenet ista responsio, non teneatur, tunc potest concedi, quod Theologia *contingens,* licet non *in se,* quia non *ex obiecto,* tamen in omni intellectu creato et increato esset *practica per accidens:* quia ut ipsa est in intellectu *divino* potest esse conformis praxi prius quam praxis illa eliciatur a voluntate *creata;* prius enim intellectus Dei novit peccatorem adultum in lege nova debere conteri, quam peccator conteratur. Et sic non tenendo *primum* istorum, cognitio Dei de praxi *alterius* operantis est *practica.* Non tenendo etiam *secundum,* puta ponendo agere Dei ad *extra* esse praxim eius aliam a volitione formaliter, licet intellectus Dei non prius novit A esse creandum quam voluntas sua velit, tamen prius novit A quam creet; ita praxim ad extra praecedit notitia conformis, licet non ex obiecto, sed aliunde conformis. — *Ib.* n. 39.

Hoc saltem teneo, quod Theologia *contingentium* non est *per se practica,* sive *ex obiecto;* potest tamen in intellectu creato esse *practica per accidens;* et hoc in illo intellectu cuius est operari secundum praxim, cui determinatur rectitudo a voluntate divina. An vero intellectui *divino* sit *practica,* patet, tenendo illa duo, vel opposita, quid dicendum est consequenter.

Probabilia tamen videntur haec tria: *Primum,* practica est *rectificativa* in praxi contingentium: *secundum,* quod est rectificativa potentiae practicantis aliunde quam a se *rectificabilis:* et *tertium,* quod in Deo non est potentia *practicans* alia nisi *voluntas.* — Ex *primo* et *tertio* sequitur, quod si divina notitia esset practica, ipsa esset *rectificativa* in volitione divina: hoc autem falsum est ex *secundo* istorum, quia voluntas divina ex se primo recte elicit velle respectu primi obiecti, respectu autem illorum quorum est contingenter ex se sola determinatur, non per aliquam notitiam determinativam rectitudinis praecedentem — *Ib.* n. 40.

Theologia in se — in nobis. — Cognitio quaelibet *in se,* est illa quae nata est haberi de obiecto eius, secundum quod natum est manifestare se *intellectui proportionato.* — Cognitio autem eadem *in nobis* est illa quae nata est haberi in *intellectu nostro* de obiecto illo intellecto. — Theologia ergo *in se* talis est cognitio qualem natum est facere obiectum theologicum in *intellectu sibi proportionato.* — Theologia vero *in nobis* talis est cognitio qualem *intellectus noster* natus est habere de illo obiecto. — *Exemplum:* si aliquis intellectus non possit *intelligere* geometricalia, posset autem alicui *credere* de geometricalibus, Geometria esset *sibi fides,* non *scientia;* esset tamen *in se scientia,* quia obiectum Geometriae natum est facere de se scientiam in intellectu proportionato. — *Oxon. Prol.* q. 3. n. 4.

Theorema. — In demonstrationibus geometricis aliquando proceditur ex suppositione aliarum primarum demonstrationum, ut una demonstratio sit principium alterius, et quod est conclusio unius demonstrationis non est simpliciter immediatum, sed potest demonstrari per aliquod prius. Demonstrationes ergo priores dicuntur *theoremata* et elementa posteriorum, quatenus conclusiones primorum sunt principia posteriorum; et hoc modo procedunt aliquando demonstrativae descriptiones figurarum geometricarum. Unde liber Euclidis dicitur liber *elementorum,* pro quanto in eo demonstrantur aliqua principia geometrica, ex quibus demonstrationes gemetricae procedunt. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. III. S. 2. n. 33.

Timor — Dubitatio. — *Timor* vel est de malo *infligendo,* vel de *inflicto continuando,* praecedente tamen apprehensione talis mali; nec oportet, quod illa apprehensio sit dubia; unde longe distat *dubitatio* et *timor:* non solum quia *dubitatio* pertinet ad *intellectum, timor* ad *appetitum;* sed etiam quia *timor* in appetitu *non necessario praeexigit apprehensionem dubiam mali.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 6. n. 22. — *Report.* ib. q. 5. n. 14. — Vid. *Spiritus Sancti Dona.*

Timor duplex. — *Timor duplex* est: unus *diffidentiae*, qui non cadit in constantem virum. — *Alius* est timor *imminens*. — *Report.* III. d. 15. n. 10. — Vid. *Securitas et timor duplex.*

Totum. — * Haec definitio totius *, *totum est extra quod nihil est* (1), si ly *extra* referatur ad *totum*, vera est, sic exponendo: *totum* est extra quod nihil est *totius;* unde sic *totum* est *cuius nihil est extra.* Si autem ly *extra* referatur ad *locum in quo* est, sic est falsa, quia ipsummet *totum* potest esse extra locum illum, sicut potest dici de anima, quae tota est in toto, extra enim ipsam in digito nihil est eius; tamen ipsa tota bene est extra digitum. — *Report.* I. d. 37. q. 2. n. 11. — *Definitio totius* sic est intelligenda: *cuius nihil est extra*, id est, *cui nihil deest* requisitum ad ipsum; sic naturae animalis nihil deest in homine de natura animalis, non tamen est praecise illa natura in homine. — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 16.

Totum categorematice — syncategorematice. — Hoc nomen *totum* aliquando sumitur *categorematice;* et tunc significat idem quod *habens partes:* quemadmodum *album* significat *habens albedinem.* — *Alio modo* sumitur *syncategorematice;* et tunc additum alicui termino significanti *totum integrale* distribuit pro *qualibet parte* illius totius integralis: quemadmodum istud signum *omnis* distribuit pro omnibus partibus subiectivis *totius universalis*, cui additur. Verbi gratia, ista, *totus Socrates est*, significat quod *quaelibet pars* Socratis est. — *Physic.* I. q. 9. n. 3. — * Seu brevius: * *totum* aliquando tenetur *categorematice*, et significat idem quod *perfectum ex partibus:* aliquando *syncategorematice*, et significat idem quod *quaelibet pars.* — *Quodlib.* q. 10. n. 3.

Totum homogeneum — heterogeneum. — *Duplex* est *totum:* quoddam est totum *homogeneum*, et aliud est totum *heterogeneum.* — Totum *homogeneum* est cuius *quaelibet pars est eiusdem rationis cum suo toto, et habet denominationem sui totius:* sicut quaelibet pars *aquae* denominatur *aqua*, et est *eiusdem rationis* cum *tota aqua.* — Sed totum *heterogeneum* est illud cuius *non quaelibet pars habet denominationem totius, nec est eiusdem rationis cum toto:* sicut *homo.*

Totum *homogeneum* est *duplex:* quoddam habens partes *extensionis* tantum, ut *ignis, aqua:* quoddam habens partes *intensionis*, sicut *caliditas, albedo* et huiusmodi.

Item, totum *heterogeneum* est *duplex:* quoddam cuius partibus est *una forma communis* ipsas informans, ut *homo*, cuius omnes partes informantur anima intellectiva; et tale vocatur *unum per se:* aliud est cuius partibus non est forma communis ipsas informans, sicut *domus*, et tale dicitur *unum per accidens.* — *Physic.* I. q. 10. n. 4.

In *toto* autem *primo modo* dicto est idem *nomen totius* et *partis;* quaelibet enim pars *ignis* est *ignis*, et quaelibet pars *carnis* est *caro.* Et ideo in toto *homogeneo pars* non differt a *toto specie.* — In *toto* autem *secundo modo* dicto nomen *totius* non convenit cuilibet *parti*, quaelibet enim pars *hominis* non est *homo.*

Et sicut *duplex* est *totum*, sic *duplex* est *pars*, scilicet, *homogenea*, et *heterogenea.* — *Pars* autem *primo modo* dicta non differt a suo *toto specie.* — Sed *secundo modo* dicta potest *dupliciter* considerari: aut ut *est per formam totius*, et adhuc talis *pars* a suo *toto* non differt *specie:* aut ut *est quoddam compositum in se, habens esse distinctum ab esse totius;* et talis *pars* potest differe a suo *toto specie* (1). — *Elench.* q. 19. n. 3.

Totum integrale. — *Totum integrale* non significat suas partes, sed *significat compositum ex partibus sub sua forma;* sed partes non significantur uniri sub forma totius, nisi nomine totius. — *Totum integrale* praedicari potest de omnibus suis partibus *ut unitae sunt in forma totius;* non tamen potest praedicari de partibus suis unitis per *copulationem* (2). Unde haec non est vera:

---

(1) Quam definitionem habet Doctor etiam in *Quodlib.* q. 5. n. 2. — *De Rer. Princ.* q. 1. n. 22. — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 8, et alibi passim.

(1) Vid. *Pars homogenea — heterogenea.*

(2) « Nec *totum integrale* praedicatur de *parte* integrali, ut non dicimus, quod *paries est domus* ». — *Oxon.* III. d. 2. q. 1. n. 13.

domus est lapides et ligna; sed haec: *domus est composita ex lapidibus et lignis,* in *forma* tamen *totius unitis.* — *Elench.* q. 31. n. 3.

Totum multipliciter accipitur. — Ponit * Philosoph. * rationem *totius,* quae includit *duo: primum* pertinet ad totius *integritatem: secundum* ad eius *utilitatem;* dicens, quod *totum dicitur cuius nulla pars abest ex quibus totum dicitur,* id est, constituitur *natura,* id est, secundum *naturam propriam;* et hoc fuit *primum;* iterum *totum est continens contenta,* id est, *partes,* quae se habent *ut contenta,* ad hoc, scilicet, ut illa contenta sint aliquid unum in toto; et hoc fuit *secundum.*

Totum est *dupliciter: aut enim unumquodque,* scilicet, contentum a toto est *ipsum unum,* scilicet, totum continens; *aut ex his,* scilicet, *contentis,* constituitur ipsum *unum,* scilicet, *totum.* Et per hoc dat intelligere *duplex totum,* scilicet: totum *universale,* cuius quaelibet pars est ipsum totum, quatenus tale totum praedicatur de suis partibus praedicatione dicente *hoc est hoc:* aliud totum *integrale,* quod ex suis partibus constituitur, tamen nulla eius pars est ipsum totum, quia nullum tale totum de suis partibus praedicatur. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. un. c. 18. n. 144.

Deinde exponit membra praedictae divisionis: et primo *primum* membrum de toto *universali.* — Dicit ergo, quod *universale quidem et quod dicitur totaliter,* id est, praedicatur communiter, dicitur quoddam totum, *et sic est universale quasi multa continens,* scilicet, ut partes subiectivas, ex eo quod *est praedicabile de unoquoque,* id est, de unaquaque illarum partium contentarum, sic quod unumquodque *et omnia* illa contenta sunt *id unum,* scilicet, totum universale: puta si *animal* dicatur isto modo continere *hominem* et *equum,* quae omnia sunt animalia; *animal* enim praedicatur de unoquoque istorum praedicatione dicente *hoc est hoc.* — *Ib.* n. 145.

Deinde exponit *secundum* membrum. — Dicit ergo, quod *continuum et finitum,* id est, perfectum totum *integrale* dicitur *quando fit unum aliquid ex pluribus quae insunt, maxime quidem si* insunt in *potentia; si autem non,* scilicet, sunt in *potentia,* quod insit *energia,* id est, in actu, idem enim significat *energia* quod in *actu.*

Notandum, quod *partes,* ex quibus *totum* constat, possunt accipi *dupliciter,* et possunt esse in toto *dupliciter,* scilicet, vel in *potentia,* vel in *actu.* — In *potentia* quidem sunt in *toto* quod est *vere unum,* ut habetur *VII. huius, text. c. 69 et VII. Physic. circa finem, t. c. 37;* sed partes sunt *actu* in *toto* quod *non est vere unum* nisi sicut *acervus;* magis autem est *unum,* et per consequens *totum,* quod habet partes in *potentia,* quam quod habet in *actu,* licet sit oppositum, aspiciendo ad *partes;* nam *partes* magis habent esse cum sunt in *actu,* quam cum sunt in *potentia.* — *Ib.* n. 146. — Deinde subdividit secundum membrum, postquam ipsum exposuit. — Dicit ergo, quod *horum eorumdem continuorum magis sunt talia,* scilicet, tota *quae sunt* continua *natura quam quae arte.* — Ex his habemus unam divisionem membri illius, scilicet: quod quaedam sunt continua per *naturam,* quaedam per *artem.* — *Ib.* n. 147.

Ex his patet una divisio *trimembris,* scilicet: quod quaedam sunt *continua,* quorum positio partium *non facit differentiam in substantia,* ut sunt *numerus* et omnia humida; et in talibus utimur hac dictione *omnis.* — Et nota, quod de ratione talium sunt *duo: unum* est, quod sint tota *homogenea, eiusdem,* scilicet, *rationis* in *toto* et in *partibus: aliud* est, quod de se non habeant propriam figuram, ut sint retentiva de se alicuius figurae, sed terminentur et figurentur semper termino alieno. — *Quaedam* sunt *continua* quorum positio in partibus *facit differentiam in substantia;* et in talibus utimur hac dictione *totum.* Et nota, quod de ratione talium est quod sint tota *heterogenea,* ut *homo* et *asinus,* et huiusmodi. — *Quaedam* sunt *continua,* quorum positio in partibus *quodammodo facit differentiam,* et *quodammodo non;* et in talibus utimur utraque dictione, scilicet, *omnis* et *totum.* Et nota, quod de ratione talium sunt *duo: unum* est, quod talia sint tota *homogenea,* ut dicebatur de primis:

aliud est, quod sint retentiva figurarum propriarum, et non semper terminentur termino alieno, et per hoc distinguuntur a primis. — Et ex hoc patet causa huius divisionis: quia enim haec dictio *omnis* est distributiva, ideo in termino cui additur requirit multitudinem, vel in *actu*, vel in *potentia propinqua;* quia ergo humida et ea quae sunt *homogenea* sunt divisibilia in partes eiusdem rationis, quia quaelibet pars *aquae* * ex. gr. * est *aqua*, ideo in *una aqua* sunt *multae aquae*, licet in *potentia*, sicut in *uno numero* sunt *multae unitates*, licet etiam in *potentia;* alioquin numerus non esset per se unus; et propter hoc in talibus dicimus *omnis* numerus, *omnis* aqua, etc. — Propter causam vero oppppositam in totis *heterogeneis* non dicimus *omnes;* dicimus tamen *totum*, ex eo quod *totum* perfectum requirit *simultatem* partium; et talia sunt huiusmodi tota, quorum ratio et perfectio non est communicabilis alicui de partibus, et ideo dicimus *totum* nomen, et non *omne*. *Ib.* n. 148.

Totum — Perfectum. — Secundum Philosophum, *III. Physic. textu* 64, *totum* et *perfectum* sunt idem vel consequuntur se; differunt tamen, quia res dicitur *perfecta* cum *non caret aliquo pertinente ad suam perfectionem*, sed habet terminum suae perfectionis. Unde dicitur *perfectum*, quod *pertingit ad finem*. — Sed *totum* non dicitur habere finem, sed quod *contineat aliqua*, respectu quorum est *totum*. — *Stricte* autem accipiendo *totum*, illa quae in toto continentur dicuntur *partes*, et sic *totum proprie* sive *stricte* accipiendo ipsum, est *correlativum partis*. — *Report.* I. d. 19. q. 5. n. 3.

Verumtamen quia *totum* includens rationem *perfecti* non dicit de se *imperfectionem*, sicut *pars*, ideo *generalius* accipiendo *totum* quam ut partem habet pro correlativo, dicitur *totum* non solum continendo aliqua ut partes, sed continendo alia quaecumque sunt aliquid eius. Unde *totum* dicitur respectu quorumcumque quae sunt in ipso, sive sint partes quae non sunt ipsum, sive non sint partes, non tamen sunt ipsum. Et sic *totum* transfertur ad Divina, *generalius* accipiendo *totum* quam ut habet partem pro correlativo; nam correlativa, quae in creatis dicunt perfectionem, possunt transferri ad Divina, licet non e converso eorum opposita. — *Exemplum:* ratio *prioris* transit ad Divina; unde dicitur Pater *prior* esse origine Filio; sed non ita passim transfertur *posterius* ad Divina: non enim ita passim conceditur, quod Filius sit *posterius* Patre origine, sicut et Hilarius concedit Patrem esse *maiorem* Filio, licet non concedat Filium esse *minorem* Patre. — Sed *totum* primo modo, prout habet partem pro correlativo, dicit limitationem, compositionem et dependentiam respectu partium quas continet, quarum nulla est ipsum. Non sic autem concedendum est rationem *totius* esse in Divinis; sed *totum* quod non dicit continentiam partium, sed aliquorum quorum quodlibet est ipsum, ut pelagus infinitum; sic conceditur esse in Divinis. Et ratio est: Deus enim non est simplex simplicitate *punctuali*, sed immensa (1); et quia Deus *simplex* est, ideo *quidquid est in ipso est ipsum;* et quia est quoddam *immensum* sicut pelagus *infinitum* omnia capiens, ideo *plura continet*. Ideo Deus est tale *totum* cui non repugnat simplicitas, quia omnia quae continet sunt ipsum totum, ut sic correlativum eius non sit *pars*, sed *aliquid totius*. Unde omne totum, qualitercumque acceptum, refertur ad aliquid sui, non tamen sicut ad partem. — *Ib.* n. 4.

Si vero quaeratur, cuiusmodi est *totum* illud? Dico, quod non invenitur omnino simile *totum* in creaturis: quia in creatura si inveniatur *simplicitas*, non est ibi *immensitas;* et si in creatura sit aliquo modo immensitas vel *pluralitas*, illa includunt *compositionem*, et non omnimodam simplicitatem. Assimilatur tamen *toti virtuali* in creaturis, quale *totum* est in *anima respectu suarum potentiarum*. Hoc, ut mihi videtur, vult dicere quidam Doctor (2) in illa quaestione huius distinctionis ubi quaerit, si est ponenda in Deo *totalitas integritatis?*

(1) Vid. *Deus multipliciter simplex*.

(2) S. Bonaventura I. d. 19. p. 2. q. 1: *Utrum in Divinis ponendum sit totum integrale?*

Dicit enim in praedicta quaestione, quod *totum* uno modo dicitur *absolute*, et sic *totum* idem est quod *perfectum:* alio modo dicitur *totum* per *comparationem* ad *partem*. *Primo modo* est ponere *totalitatem* in Divinis; *secundo modo* non. Non autem intelligo, quod intelligat *totum* dici *absolute*, ita quod *non referatur*, quia hoc non est esse *totum;* sed dicitur absolute, absolvendo ipsum a respectu ad *partem;* et sic vere dicit quod non ponitur in Deo. — *Ib.* n. 5.

Totum quadrupliciter sumptum. — *Totum* uno modo dicitur *integrum* ex partibus: alio modo pro *qualibet* parte categorematice et syncatogerematice. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 1. n. 2.

Uno modo dicitur *totum* quod continet aliquid, et *plus;* vel melius loquendo, illud dicitur *totum* respectu *alterius* quod continet *illud* et *aliud;* sic in *infinito* bene inveniuntur *totum* et *pars*. — *Alio modo* quod *totum* contineat aliquod, quod *excedat* in *quantitate*, et ad quod habeat proportionem majoris inaequalitatis; et sic *totum* et *pars* inveniuntur solum in quantitatibus *finitis*, et de talibus ponitur illud principium, *omne totum est majus sua parte*. — *Phys.* III. q. 9. n. 11.

Totum universale — quantitativum. — *Totum universale*, quod dividitur in *individua* et in partes *subiectivas*, praedicatur de *qualibet* illarum partium subiectivarum, ita quod *quaelibet* pars subiectiva *est ipsum*. — Partes autem *quantitativae* in quas fit divisio *totius continui* numquam recipiunt praedicationem totius divisi in ipsas. — Et licet concurrant divisio totius *homogenei* in partes *quantitativas* et divisio *speciei* sive divisio totius *universalis* in partes *subiectivas*, quae partes sunt individua, non tamen sunt unius totius divisi; quia *totum quantum* dividitur divisione *quantitativa*, et non pradicatur de aliqua parte dividente, sicut nec *quantum heterogeneum* de suo dividente; universaliter enim nulla pars quantitativa est totum illud cuius est pars; sed cum hoc concomitatur, quod sunt plura individua habentia idem commune, quod commune dividitur in ipsa alia divisione, et illud commune non erat illud quantum quod dividebatur divisione quantitativa. Est igitur *aliud totum* divisum *hac* divisione et *illa*, et tamen in *easdem* partes *per accidens;* sed *formaliter* partes *alterius* rationis respectu *huius* totius et *illius*, quia respectu huius *integrales*, et respectu illius *subiectivas*. Et propter istum concursum duarum divisionum duorum totorum in partes, in quibus concurrit diversa ratio partis, putaverunt aliqui, quod ista duo tota dividerentur in partes *eiusdem* rationis. — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 12. — Vid. *Motus naturalis — violentus* = *Totum multipliciter accipitur.*

Transcendentia. — *Transcendens* quodcumque nullum habet genus sub quo contineatur; sed quod ipsum sit commune ad multa inferiora, hoc accidit. Non oportet ergo *transcendens* ut transcendens dici de quocumque ente, nisi sit *convertibile* cum *prius transcendente*, scilicet, cum *ente*. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 19.

« Transire in essentiam » est dupliciter. — Potest intelligi *transire in essentiam*, *uno* modo, ita quod non habeat propriam entitatem ad alterum. — *Alio* modo, *transire in essentiam*, sic quod non remanet distincta realiter ab essentia. — *Quodlib.* q. 3. n. 21.

Transire — Manere in Divinis. — Non sunt opposita in Divinis, imo nec in creaturis, *transire* et *manere*, si recte intelligatur *transire* propter realem identitatem, et *manere* propter propriam quidditatem. Nec sequitur: *manet, ergo manet realiter distinctum;* sed sicut aliquid manet quando sua propria quidditas non est destructa, sive per corruptionem, sive per resolutionem in separatam potentiam, sive per conclusionem: primo modo transit ignis in aquam: secundo modo, si per potentiam divinam resolveretur ignis in materiam primam secundum se manentem: tertio modo si ex eo et aqua generaretur mixtum, neutrius actualitate manente. Nullo istorum modorum transit aliquid in Divinis; et solummodo sic *transire* infert *non manere*. Non ergo sequitur propter oppositum: *manet*, hoc est propria et perfecta et plena actualitate; *ergo manet realiter distinctum*. — *Quodlib.* q. 6. n. 10.

Translatio rerum duplex. — *Translatio rerum* potest esse, vel quantum ad *dominium*, ut si res a dominio unius transeat

ad dominium alterius: vel quantum ad *usum*, sive ius utendi, manente tamen *dominio* apud eumdem. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 2. n. 9.

Transmutatio passiva — activa. — Transmutatio *passiva* est passio proprie, et *activa* est actio correspondens generi *actionis*, non tantum relatio. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 19. — Transmutatio tam *activa* quam *passiva* est necessario ad aliquem terminum accipientem esse illa transmutatione; quia secundum terminum formalem passum se habet aliter nunc quam prius. — *Quodlib.* q. 13. n. 25.

Transmutatio. — Vid. *Creatio — Transmutatio.*

Transmutatio multiplex. — Dicit * Aristoteles: * *itaque transmutationes sunt quatuor: aut secundum quid,* id est, secundum *substantiam: aut secundum qualitatem, aut secundum quantitatem, aut secundum Ubi. — Generatio quidem et corruptio* simpliciter est mutatio secundum *substantiam. Augmentum vero et decrementum, quae secundum quantitatem. Alteratio, quae secundum passionem,* quae est tertia species qualitatis, in qua est proprie alteratio, ut probatur *VII. Physic. text. c. 14.* et inde (1). *Latio autem,* id est, *loci mutatio,* est *quae secundum locum,* id est, secundum *Ubi.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 1. c. 2. n. 4. — Invenitur * in Angelis * *duplex* modus *transmutationis: unus* ad *situm; alius* secundum *intellectum* et *voluntatem.* — *De Rer. Princ.* q. 7. n. 9. — Secundum Aristotelem, *V Physic., transmutatio naturalis* aliqua est a *non subiecto* in *subiectum,* et illa est *generatio;* aliqua e contra, ut *corruptio;* aliqua a *subiecto* in *subiectum,* ut *alteratio;* et generaliter omnis *motus proprie* dictus. — Sic in *transmutatione supernaturali* aliqua est versio a *non subiecto* in *subiectum,* ut *creatio;* aliqua e converso, ut *annihilatio;* et aliqua a *subiecto* in *subiectum,* ut *conversio totalis unius positivi in aliud.* — *Quodlib.* q. 10. n. 21.

Transmutatio possibilis circa Eucharistiam. — *Transmutationum possibilium circa Eucharistiam* quaedam stant cum Eucharistia manente, quaedam non. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 6. n. 11. — Quae autem *transmutatio* possit fieri manente Eucharistia, patet: quia quaelibet alteratio per quam non inducitur aliquid *incompossibile pani,* si maneret; et transmutatio secundum *quantitatem,* vel *per se,* ut *fractio* et *divisio;* quia partes panis homogeneae natae essent manere sub illis partibus quantitatis divisae; vel secundum *quantitatem concomitanter,* ut est in *rarefactione* vel *condensatione;* dum tamen non inducatur quantitas repugnans substantiae panis iam conversae si esset.

Per oppositum autem transmutatio *corruptiva* secundum *qualitatem* secundum gradum illum, secundum quem *non posset stare cum pane,* si maneret. Et hoc licet quantitas omnino maneat eadem. Talis autem non potest fieri manente Eucharistia, vel saltem non fit de facto. Unde si possibile esset, quod calor ignis induceretur in speciebus consecratis secundum gradum repugnantem pani, si adesset, et tamen quantitas omnino eadem quae prius maneret, corrumperetur Eucharistia, quia Eucharistia non consistit in sola *quantitate,* sed in aliis accidentibus necessario consequentibus substantias conversas; et per consequens in inductione illius caloris incompossibilis rediret substantia de facto. — *Ib.* n. 13. — *Report.* ib. n. 9.

Transubstantiatio. — *Primo* videnda est *ratio nominis: secundo,* an illi rationi possit *aliquid subesse: tertio,* quid sit illud in *speciali,* utpote ad quod genus pertineat, vel cuius speciei in genere rationem possit habere. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 1. n. 2.

De *primo* dico, quod *transubstantiatio,* quantum ad nomen, dicitur esse *totalis transitio substantiae in substantiam.* — Quod expono sic: *transitio totius* in *totum* potest intelligi *dupliciter; totum* enim uno modo potest esse idem quod *perfectum ex partibus; alio* modo *totum* idem est quod *quaelibet pars.* — Et secundum hoc *dupliciter* potest intelligi *transitio* unius in aliud, et *totius* in *totum:* quia *totum perfectum ex partibus* transit in totum, vel quia quaelibet

(1) Vid. *Qualitatis modi seu species.*

pars totius transit in aliud totum. *Primo modo* loquitur Philosophus *I. De Generatione, text. 10 et 24*, cum dicit, quod *generatio est mutatio totius in totum, non cuiuslibet in quamlibet partem;* quia materia manet communis sub utroque terminorum; et ideo, secundum ipsum, generatio est perpetua et semper, quia nunquam est materia sine omni forma, quia cum spoliatur ab una, induit aliam, *et generatio unius est corruptio alterius, et e converso;* et ideo dicitur totum transire in totum, quia una pars unius transit in partem alterius, et sic transit totum perfectum, quia non manet totum perfectum; nec tamen totum perfectum transit *totaliter*, quia pars eius, ut materia, manet communis, et aliud totum fit, quod prius non fuit, nisi tantum secundum unam partem; quod non est in *alteratione*, quia illud totum perfectum per se unum manet, et non transit in aliud per se totum, sed fit ibi transitio unius totius *per accidens* in aliud totum *per accidens*, ut hominis *albi* in hominem *nigrum*. — Ex hoc est differentia inter *generationem* et *corruptionem* et *alterationem*, quia substantia composita (* terminus *generationis* et *corruptionis* *) est *per se*, et vere unum totum; non sic terminus *alterationis*, qui est quoddam totum *per accidens* ex substantia et accidente; et ideo in *generatione* unum *per se* totum transit in aliud *per se* totum unum, ita quod non manet in generatione aliquid per se totum postquam transit in fine alterationis in aliud; sed in *alteratione* manet aliquid *per se* totum, et aliquod totum *per accidens* solum mutatum in totum *per accidens*.

Secundo modo dicitur *totum transire in totum*, quia *quaelibet* pars eius transit in aliud, quia nihil eius manet commune, sed quaelibet pars unius transit in aliam partem alterius, nullo communi remanente; et sic non posuit Philosophus aliquod totum transire in aliud totum, sed semper praesupponit materiam, quia omnis conceptio apud eum erat, quod *ex nihilo nihil fit*. Sed sic loquimur nos in proposito de Eucharistia de *transitione;* et ideo dixi, quod *transubstantiatio* non est *totius in totum* tantum, sed est *totalis transitio substantiae in substantiam* (1).

Sed quomodo haec *totalis transitio* fiat, possumus intelligere per *partialem* transitionem unius in aliud, secundum partem, ut contingit in *generatione. Dupliciter* enim potest intelligi *transitio: Uno modo*, ut *subiecti communis* transeuntis ad formam quam recipit: *alio modo* fit transitio ut *termini a quo corrupti* transeuntis in terminum oppositum, quia, secundum Philosophum, *I. Phys. text 16., dupliciter fit aliquid ex aliquo: Uno modo* sicut ex *subiecto*, sicut *nigrum* in *actu* ex *nigro* in *potentia: alio modo* dicitur aliquid fieri ex alio, sicut ex *opposito*, ut *album* ex *non albo*, et ex *nigro*, et e converso. Sed in *tran-*

---

(1) « De *primo* dico, quod haec est conveniens ratio huius nominis *transubstantiatio*, quod est *transitio totalis substantiae in substantiam*. — *Primo* expono istud vocabulum *totalis; totum* enim uno modo dicitur *integrum ex partibus*: alio modo pro *qualibet parte* categorematice et syncategorematice. — Secundum hoc dupliciter potest esse transitio *totius* in *totum*. Uno modo, accipiendo pro toto *integro ex partibus*, scilicet, quod *uni toti* ex partibus succedat *aliud totum* ex partibus. Et hoc modo dicit Aristoteles *I. De Generatione*, quod generatio est *transmutatio totius in totum*, quia illud totum ex partibus, quod fuit vere totum, scilicet, per se unum, non manet, sed aliud totum succedit; non tamen quaelibet pars succedit, quia materia manet communis, secundum ipsum. Et per oppositum in *alteratione* non transit totum in totum, quia quodlibet totum per se unum, quod praecessit alterationem, manet in termino alterationis, sed tantum transit totum unum *secundum quid* sive *per accidens* in totum aliud *per accidens*, ut lignum *calidum* in lignum *frigidum*, quorum neutrum est *totum proprie* loquendo, sed tantum *per accidens totum*, sicut per accidens *unum*: quodcumque autem totum, quod, scilicet, est per se unum, et per consequens est de genere substantiae, manet idem sub utroque termino transmutationis huius, scilicet, *alterationis*.

Per hoc patet, quod ista auctoritas nihil facit contra positionem de *pluralitate formarum*, quia quantumcumque ponatur prima forma manere secundum rei veritatem in generato et corrupto, tamen non manet totum idem, etiam isto modo loquendo de toto, quia totum simpliciter praecedens corruptionem includebat formam ultimam specificatam; illud autem non manet in termino generationis, sed tantum pars eius; ergo bene dictum est in definitione *transubstantiationis*, eam distinguendo contra *transmutationem*, quod non est transitio *totius* in *totum*, quia ibi posset esse aequivocatio de ly *totius*, sed quod est *totalis* transitio ». — *Oxon.* IV. d. 11. q. 1. n. 2.

substantiatione, cum nihil remanet commune sub utroque termino, quia est *totalis* transitio, non potest ibi intelligi transitio, nisi uno modo, *termini*, scilicet, in *terminum* (1). — *Report.* IV. d. 11. q. 1. n. 2.

De *secundo articulo primo* dico, quod *possibile est huic rationi nominis aliquid subesse: secundo*, quod illud non est possibile alicui *virtuti* activae, nisi *divinae immediate*.

Primum probatur: quidquid potest esse totaliter novum non repugnat sibi succedere alii, quod potest totaliter desinere esse: sed aliqua substantia potest totaliter esse nova, sicut expositum est prius *totaliter*, hoc est, non tantum secundum se totam compositam ex partibus, sed etiam secundum quodlibet eius; et alia potest eodem modo desinere esse; ergo haec potest totaliter succedere illi totaliter desinenti, et per consequens haec potest converti totaliter in illam, et ita transubstantiari. — *Assumpta* patent: quia nec totalis inceptio substantiae, nec totalis desitio includit contradictionem; nec per consequens inceptio huius ad totalem desitionem illius, quae transitio includit transubstantiationem. Ergo vera est *prima conclusio*, scilicet, quod *possibilis est transubstantiatio*.

Secundum probatur, scilicet, quod *soli Deo istud sit possibile:* quia in cuius potentia activa est utrumque extremum, et quantum ad totum esse et quantum ad totum non esse, est hoc praecise in eius virtute activa, ut transitio extremi in extremum, et praecise eius: nunc autem esse totalis substantiae et non esse eius subsunt virtuti activae divinae, et soli illi, quia quaelibet alia requirit subiectum in quod agat; ergo transitio totalis substantiae in substantiam subest illi virtuti, et soli illi. — *Maior* et etiam tota ratio confirmatur per simile de transitione partiali; cuius enim virtuti activae subest esse et non esse partiale utriusque extremi, eius virtuti subest transitio partialis extremi in extremum. Patet de generatione et corruptione. Virtus enim potens super non esse formae praecedentis, et esse formae consequentis, manente illa parte compositi communi, scilicet, materia, potest super generationem huius ex illo, quae est transitio partialis unius partialis in aliud; ergo a simili, virtus potens super esse et non esse utriusque extremi totaliter potest super transitionem totalem extremi in extremum. — *Oxon.* ib. n. 4.

Quantum ad *tertium articulum* dico, proprie loquendo, quod *transubstantiatio* non est *mutatio;* nec circa hoc oportet laborare ad inquirendum genus *transubstantiationis*, quia *mutatio*, etsi det intelligere *subiectum* quod mutatur, et *formam* secundum quam mutatur, et *habitudinem* subiecti ad formam, tamen ultra istam habitudinem formaliter importat *successionem* immediatam informationis ad non informationem, et e converso. Sicut ergo in Baptismo dicitur aliquid *materiale*, ut ablutio, et aliquid *formale*, scilicet, verba, licet ambo sint *materialia* simpliciter respectu eius quod est simpliciter formale, ut est significatio, tamen hoc dicitur, eo quod verba sunt aliquo modo formalia respectu ablutionis; sic in proposito, tam *subiectum* quam *terminus* est *materiale* in mutatione; sed illorum duorum *formalius* est *terminus* quam *subiectum;* ideo dicitur *formalius* etiam importari et verius quam ille *respectus successionis*, licet vere ille respectus sit formalior, quia est aliquid verius in se, quia forma absoluta, vel ad minus ens positivum; ille autem ordo posteritatis vel successionis non est

(1) « De *secundo*, quod additur in hac ratione nominis, id est, *substantiae in substantiam*, dico, quod ponitur ibi *substantiae*, distinguendo contra *accidens*. Manifestum est enim, quod transitio *accidentis* in *accidens* magis diceretur *transaccidentatio* quam *transubstantiatio*. Sed quod dicitur *substantiae in substantiam*, intelligendum est, secundum Philosophum *I. Physic.*, quod dupliciter dicitur aliquid *fieri ex aliquo*, scilicet, ex *subiecto manente*, vel ex *termino corrupto;* aliter enim ignis generatur ex materia ignis, aliter ex aere, sive non igne, secundum ipsum *ibi*. Transitio ergo illa partialis substantiae in substantiam potest esse vel *subiecti* a termino in terminum transeuntis, vel *totius termini* transeuntis in terminum oppositum. Sed in proposito, cum dicitur *transitio totalis*, excluditur primus intellectus, quia nihil commune transit ibi a termino in terminum, tunc enim non esset transitio *totalis*, sed *partialis;* ergo est hic tantum transitio *substantiae* in *substantiam*, sicut termini totaliter desinentis esse in terminum, sicut in substantiam totaliter incipientem esse ». — *Ib.* n. 3.

nisi respectus *secundum quid.* Non haberetur ergo genus transubstantiationis, si esset mutatio, nisi quantum ad illud formale, quod addit ultra terminum respectus, scilicet, qui est ordo immediatus alicuius ad aliud praecedens. — *Ib.* n. 10.

Omnis mutatio, ut Philosophus loquitur de ea, praesupponit aliquid commune: hic non est aliquid commune manens; igitur.

Sed sumendo *mutationem large,* potest dici, quod sicut in naturalibus *triplex* est mutatio, secundum Philosophum, *V. Phys. text. 7. et 17.*, scilicet, a *non subiecto* in *subiectum,* a *subiecto* in *non subiectum,* et a *subiecto* in *subiectum;* et sumitur *non subiectum* privative, sicut *subiectum* positive; sic in *supernaturalibus* quaedam est transubstantiatio de *non esse* ad *esse,* et dicitur *creatio;* et quaedam *ab esse* ad *non esse,* et dicitur *annihilatio;* tertia ab *ente* formaliter in *ens,* et dicitur *transubstantiatio.* Sed in naturalibus sumitur ex parte unius termini *non ens privative;* patet in *secundo* et *primo* modo supponendo subiectum commune. In *transubstantiatione* autem sumendo terminus *a quo* potest sumi *contrarie,* quia nihil eius manet, nec supponitur transubstantiationi. De istis autem diceret Philosophus, quod non sunt *mutationes,* nisi quia termini sunt incompossibiles, quia non negavit eas, imo si concessisset eas, sicut nos concedimus, adhuc non diceret, quod essent *transmutationes,* quia secundum eum in omni mutatione aliquid praesupponitur: hic nihil. — *Report.* ib. n. 8. — *Oxon.* ib. n. 10.

Tres personae sunt unius essentiae. — Quando aliquid est proximum fundamentum relationis communis potest dici in genitivo de suppositis, quorum est illud fundamentum, cum adiectivo significante relationem communem. *Exemplum,* cum dicitur: Isti sunt *linguae unius,* vel *similis conditionis,* vel *dignitatis, unitas* in primo tenetur relative pro relatione communi, et accipitur pro *identitate,* ac si diceretur: Isti sunt *eiusdem* linguae; quia tunc construitur genitivus signans fundamentum relationis cum suppositis vel individuis, quorum est illud fundamentum, ex vi fundamenti relationis communis.

Sic in proposito, cum dico: *Tres personae sunt unius essentiae,* ubi *unitas* in genitivo relative dicitur pro *identitate,* ut sit sensus, quod tres Personae sunt *eiusdem essentiae;* et construitur *essentia* in genitivo cum relatione communi identitatis cum suppositis, quorum est idem fundamentum ex vi fundamenti relationis communis ad illa supposita. — *Report.* I. d. 34. q. 2. n. 4. — Concedi non debet, quod tres Personae sint *de* eadem essentia, quia hae praepositiones *ex, de* denotant circumstantiam causae *extrinsecae,* ut *efficientis,* vel *materiae,* sicut solemus dicere quod fit arca *de ligno,* vel *ex ligno,* vel arca *de aedificatore,* vel *ab aedificatore;* opus vero in *genitivo* notat circumstantiam *formae* ad habentem formam. Unde licet *praepositio* et *genitivus* notent *transitionem,* non tamen aequalem, nec uniformem, quia *genitivus* notat transitionem *formae* ad habentem formam; *praepositio* vero notat transitionem *causae extrinsecae* ad effectum; talis autem causa non convenit Personis divinis, nec transfertur ad eas. — *Ib.* n. 5.

Trinitas. — Vid. *Aequalitas in Divinis* = *Imago SS. Trinitatis in anima humana* = *Persona Prima SS. Trinitatis* = *Secunda* = *Tertia.* = *Tres Personae sunt unius essentiae.*

Tristitia Dolor. — Praemittenda est auctoritas Augustini, *XIV. De Civit. cap. 15.*, ubi dicit sic: *Dolor carnis tantummodo offensio est animae ex carne, et quaedam ab eius passione dissensio, sicut animi dolor, qui tristitia nuncupatur, est eius dissensio ab his rebus quae nobis nolentibus accidunt.* Ex hoc patet distinctio inter *dolorem* proprie dictum, qui, scilicet, inest animae ex carne primo secundum partem *sensitivam,* et *tristitiam* proprie dictam, quae inest animae secundum se et primo secundum partem *intellectivam.* — *Oxon.* III. d. 15. n. 4.

Videtur, quod simpliciter maior sit poena *tristitia* homini, ut distinguitur contra *dolorem,* quam aliqua poena alia sensus; quia sicut voluntas est magis appetitus hominis inquantum homo quam appetitus sensitivus, ita quidquid agit vel patitur se-

cundum voluntatem simpliciter magis agit et patitur inquantum homo, quam secundum aliquem alium appetitum; et ita simpliciter magis patitur si tristatur quam si doleat. — *Ib.* II. d. 33. n. 2.

Praeter illud modum *tristandi*, qui videtur manifestior, quando, scilicet, obiectum sit disconveniens per *nolle voluntatis*, videtur dubium de disconvenientia alia ipsius obiecti, utrum sufficiat ad causandum *tristitiam*, ut si est obiectum disconveniens *naturaliter*, et non nolitum *libere* (1), vel si obiectum est disconveniens appetitui *sensitivo*, et sibi triste, erit per hoc sufficienter disconveniens voluntati propter colligantiam voluntatis cum appetitu sensitivo, dum tamen ostendatur sibi per intellectum. — *Ib.* III. d. 15. n. 14.

Quantum ad *primum* dubium, loquendo de *portione superiori*, de tribus posset tristari talis portio: *Primo*, scilicet, de carentia fruitionis respectu obiecti aeterni: *secundo* de peccato suo, vel alterius voluntatis: *tertio* de aliis malis suo supposito disconvenientibus, vel aliis personis dilectis. — *Ib.* n. 20.

Tristitia duplex. — Videtur, quod est *duplex tristitia*, non sequens actualem nolitionem, nec habitualem sive conditionalem, sed *quasi naturalem*, qualis est ista quae est circa voluntatem ut *natura*, et illa quae est ex coniunctione voluntatis cum appetitu sensitivo patiente; quae quidem duplex tristitia videtur appropriata duplici portioni, ita quod nolle naturaliter et sic tristari convenit voluntati tantum secundum portionem superiorem; tristari vero praecise ex compassione ad appetitum sensitivum convenit voluntati secundum portionem inferiorem. — *Oxon.* III. d. 15. n. 22.

Tristitia. — **Gaudium.** — De *tristitia* quantum ad aliquid est similiter dicendum * ac de *dolore* in appetitu sensitivo (2) *, et quantum ad aliquid non. Nam *appetitui sensitivo* est aliquod absolutum ex natura sua *conveniens*, ut *perfectivum* extrinsecum; et aliquod *disconveniens*, ut *corruptivum* extrinsecum; et quantum ad hoc similiter in *voluntate*. Sed quantum ad aliud, pro eo quod ille appetitus *naturaliter* se habeat ad obiectum, unde secundum Damascenum *ducitur*, et *non ducit*, non sic obiectum comparatum ad voluntatem, quae *libera est*, licet aliquid ex natura sua sit conveniens voluntati, puta, ultimus finis, tamen sit ultimate conveniens sibi per actum voluntatis *acceptantis* et complacentis sibi in illo; et tali convenientia posita, puta, per *velle* obiecti, et disconvenientia per *nolle*, et ita relationibus *convenientis* et *disconvenientis* concomitantibus relationes *voliti* et *noliti*, sequitur aproximatio huius obiecti, scilicet, *apprehensio* circa *volitum* vel *nolitum;* et ex hoc ultimo videtur sequi in voluntate passio ab ipso obiecto sic praesente, scilicet, *gaudium* vel *tristitia*. Quod autem *tristitia proprie* sumpta sit *passio voluntatis*, videtur, quia non est aliqua eius *operatio:* quia non *velle*, patet; nec est *non velle*, vel *nolle;* quia Deus et Beati possunt *summe nolle*, et *non velle:* non *tamen possunt tristari*, quia non possunt evenire illa respectu quorum habent *nolle; tristitia* autem *est de his quae nobis nolentibus accidunt*, secundum Augustinum. Quod apparet, quia Deus *summe nolens* aliquid prohibet ne illud unquam eveniat; sed posito tali *nolle* in viatore, et ponatur illud nolitum evenire, *tristabitur;* et eo magis, quo *magis noluit*, ex difinitione *tristitiae* secundum Augustinum.

Erat igitur in eo aliquid quod prius non fuit, quia prius non *tristabatur:* sed non est in eo aliqua *operatio*, nec *simpliciter*, nec *secundum aliquem gradum*, secundum quem non praefuit. Non est etiam *passio* illa in voluntate ab ipsa voluntate *effective*, quia tunc esset *immediate* in potestate voluntatis, sicut *volitio* et *nolitio:* sed hoc est falsum, quia nolens aliquid, si illud eveniat, non videtur *immediate* habere tristitiam in potestate sua. Si esset etiam a voluntate, ut a causa effectiva, esset eius *operatio*, ut

(1) « Magis enim ex hoc quod obiectum est *nolitum* sequitur *tristitia*, quam ex *ratione obiecti in se;* vel ipsa apprehensio eventus obiecti noliti est principale agens in causando tristitiam hoc modo vel illo; quia obiectum non tantum nolitum, sed *ut nolitum apprehensum* contristat » — *Oxon.* IV. d. 44. q. 2. n. 17.

(2) Vid. *Dolor — Tristitia = Delectatio.*

velle, quod est ab ea et in ea. — *Oxon.* III. d. 15. n. 12.

Posset dici, quod disconvenientia *naturalis* obiecti, sive nolitum ab ipsa voluntate ut *naturali* potentia, absque hoc, quod illud obiectum sit nolitum *nolle elicito*, sufficit ad *tristitiam* voluntatis. Quod declaratur, quia secundum Augustinum in *Ench.*, *Voluntas ita vult beatitudinem, quod non potest velle miseriam:* illud autem *velle* beatitudinis est *naturale;* igitur *velle naturale* alicuius sufficit ad *non posse velle* oppositum illius; per consequens ad *non posse gaudere* de illo opposito, et ad *necessario* tristari de illo, sicut *naturale velle* beatitudinis sufficit ad *tristandum* de miseria *naturaliter*. — *Ib.* n. 15.

Quantum ad *secundum* potest dici, quod etiam illa *connexio voluntatis cum appetitu sensitivo*, praesentato appetibili per intellectum voluntati, sufficit ad hoc, ut conveniens appetitui sensitivo sit conveniens voluntati, et disconveniens sit disconveniens et *triste*. — *Ib.* n. 16.

Praeter duos modos praedictos *tristandi*, vel *tres*, si *secundus* dividatur in duos, videtur posse poni *tertius*, vel *quartus* modus *tristandi*, propter *nolle conditionatum*, quando, scilicet, aliquis nollet aliquid, quantum in se esset, tamen in aliquo casu vult illud. *Exemplum:* mercator periclitans in mari *nollet* proiicere merces, *si* posset effugere periculum. Sed hoc *nolle* est *conditionatum*, quia, scilicet, quantum in se est *nollet simpliciter;* tamen *vult* proiicere, quia *non coactus* proiicit; licet enim propter aliquid non volitum, puta, periculum, eiiciat, tamen non cogitur invitus eiicire. Haec volitio *absoluta* enunciaretur per *volo;* nolitio *conditionata* per *nollem*, si possem aliter. Et talis nolitio conditionata videtur sufficire ad *tristandum* de sic nolito eveniente, sicut ille *tristis* eiicit merces; nec ibi *velle* oppositum facit tantum *gaudium*, sicut *nolle conditionatum* facit *tristitiam*. Talis quidem volitio et nolitio conditionata sufficit etiam ad *peccatum mortale*, quale fuit Angelorum non prius deceptorum, quam peccarent; et ad *meritum*, quale est in miserante ex corde proximo, non potente tamen subvenire in opere; igitur sufficit ad passiones consequentes *velle* et *nolle*, maxime quando actus voluntatis conditionatus est *intensus;* igitur sufficit ad *tristari*.

Sic igitur recolligendo potest dici, *quadrupliciter* esse *tristitiam* ex *disconvenienti proprie: Uno modo* de simpliciter nolito *actu* et *habitu*, eveniente. — *Secundo modo* de *habitu* nolito, et *actu conditionaliter*, licet tamen *absolute volito* contra inclinationem habitualem. — *Tertio modo*, quia disconveniens voluntati, ut *natura*. — *Quarto modo*, quia disconveniens *appetitui sensitivo, cui coniungitur voluntas* non habituata ad oppositum vehementius, quam sit inclinatio eius ad appetitum sensitivum. — *Ib.* n. 17.

Tritostata — Vid. *Parastata* — *Tritostata*.

Tristitia in damnatis — Vid. *Damnatorum punitio*.

Typhon, Ecnephia, Incensio. — *Typhon* est *ventus ille qui directe descendit de nube circulariter usque ad terram super parvam portionem terrae;* mediante quo elevantur pulveres et stramina; et quando est fortior tunc elevatur aliquod aliud magnum. — *Meteor.* III. q. 1. n. 2.

Ecnephia dicitur iste *magnus ventus qui cum impetu magno simul descendit motu recto ad terram;* et prosternit seu percutit quidquid sibi subest prope terram. — *Ib.* n. 9.

Quandoque contigit, quod *typhon* descendens deorsum quandoque incenditur et inflammatur prae velocitate motus et etiam prae intensione suae qualitatis; et tunc materia illa inflammata vocatur *incensio*, et apparet quasi *rotae quadrigae ignitae* circumvolutae. — Quandoque etiam contigit quod materia *ecnephiae* incendatur ex consimili casu; et etiam illa vocatur *incensio*, et apparet quasi *diluvium ignis*, et per tales civitates comburuntur et regiones, et hoc testantur multi auctores et etiam videtur innuere Aristoteles in libro suo *De Mundo*. — *Ib.* n. 10.

U

Ubi — Vid. *Praedicamenta decem.*

Umbra — Tenebrae. — In hoc distinguitur *umbra* in actu a *tenebra*, quia *tenebra* est privatio luminis tam primarii quam secundarii: *umbra* est privatio luminis primarii. — *Oxon.* II. d. 13. n. 5. — Vid. *Imago — Umbra = Lumen essentiale — accidentale.*

Unctio — extrema — Vid. *Extrema — Unctio (Sacramentum).*

Unio hypostatica. — Ista *unio* non dicit per se aliquid *absolutum*, quia quocumque absoluto intellecto in altero extremo, non intelligitur perfecta ratio unionis, quia unio non intelligitur *ad se;* sive igitur concomitetur absolutum in uno extremo, sive in duobus, cum non sit nihil, saltem dicit unio *relationem:* non autem communem, quae sit *eiusdem rationis* in utroque extremo, qualis est *similitudo*, quia non est habitudo eiusdem rationis in natura assumpta et Persona assumente; Persona autem assumens nullam habet relationem *realem* ad naturam creatam, *ex d. 30 I. lib.*; e converso autem, nisi natura assumpta aliquam haberet relationem ad Personam assumentem, nihil intelligeretur per se per istam unionem (1). Nec illa relatio in natura assumpta est tantum res *rationis* (2), quia tunc ipsa unio non esset *realis.* Est igitur ista unio relatio *disquiparantiae realis* in uno extremo, cui in altero nulla relatio correspondet, vel saltem nulla *realis;* et ita relatio ista est *ordinis* in uno extremo relato; non est autem ordinis *causati* ad *causam*, quia illa est communis ad totam Trinitatem; neque causati *posterioris* ad causatum *prius*, quia Verbum non est aliquid causatum. Est igitur relatio *ordinis*, sive dependentiae alterius rationis ab omni dependentia et ordine causati ad causam, et causati posterioris ad causatum prius, quia illa est universaliter ratione naturae in utroque extremo.

Et licet difficile sit videre aliquam dependentiam esse talem, tamen ista potest patere aliqualiter in *subiecto* et *accidente. Accidens* enim ad substantiam, sive ad *subiectum* suum, *duplicem* habet *habitudinem*, scilicet: *informantis* ad informatum, et ista necessario includit imperfectionem in subiecto informato, eo, scilicet, quod potentialitatem habet respectu actus *secundum quid*, scilicet, *accidentalis. Aliam* habet ut *posterioris naturaliter* ad prius, a quo dependet, non ut ab aliqua causa, quia si habet subiectum pro aliqua causa, habet ipsum pro causa *materiali*, et hoc est inquantum informat ipsum. Si igitur istae duae habitudines *accidentis* ad *subiectum* ab invicem distinguantur, altera necessario est ad subiectum sub ratione *imperfectionis* in ipso subiecto, scilicet, *potentialitatis;* altera *nullam imperfectionem* necessario ponit in eo, sed tantum *prioritatem naturalem*, et sustentationem respectu accidentis.

Huic simillima est ista habitudo, quae est *dependentia naturae humanae* ad *Personam divinam*, quae est extra omnem dependentiam causati ad causam. Haec etiam non habet pro termino primo naturam, sed Personam inquantum Persona, ita quod entitas *naturae* est alterius rationis ab entitate propria *personae*, ut persona; ita dependentia ad tale ens et tale est alterius et alterius rationis. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 3. — *Ubi late prosequitur de natura unionis hypostaticae, deque ipsius possibilitate tum ex parte Personae assumentis, tum ex parte naturae assumptae.* — Vid. etiam *Report.* III. d. 1. q. 1. — *Quodlib.* q. 19. n. 2.

Unio hypostatica — per habitum gloriae. — *Cum arguitur* de comparatione duarum unionum in se, quia haec unio * (*hyposta-*

---

(1) « Sed tamen non dicit relationem realem communem *aequiparantiae*, ut est similitudo, in qua relatione extrema aequaliter dependent a se invicem; sed *disparantiae*, quia non est aequalis dependentia nec relatio illius naturae ad personam in qua subsistit, et e converso, quia magis dependet illa natura a persona in qua subsistit quam e converso ». — *Report.* III. d. 1. n. 2.

(2) « Quia subsistens in persona alterius naturae habet habitudinem realem ad illam personam, quae non consistit solum in consideratione intellectus ». — *Ib.*

tica) * maior est unione quae est *per habitum gloriae, respondeo* et dico, quod ista est maior quantum ad actum *primum*, quia per hanc communicatur *esse* personae assumentis naturae assumptae; et etiam modo *de facto* ista includit aliam unionem, quae est ad actum *secundum* et *operari;* sed *de possibili*, si separaretur, illa esset maior, quae esset naturae ad Verbum ut ad terminum quantum ad actum *primum*, licet non quantum ad actum *secundum* et esse *beatificum*, quia beatitudo magis est in operatione, et ideo illa esset maior quantum ad *operationem*. — Vel magis proprie loquendo potest dici, quod neutra est maior alia; quia sunt alterius rationis, et cum neutra necessario includat aliam, potest una esse sine altera. — *Oxon*. III. d. 2. q. 1. n. 19.

Unio triplex. — Omnis *unio* vel est per *informationem*, vel per *aggregationem*, vel est unio *ordinis*. — Et intelligo de *unione* quae est *realiter distinctorum*. — *Quodlib.* q. 19. n. 2.

Unitas aggregationis. — Vid. *Distinctio in Divinis*.

Unitas Dei triplex. — Est ergo *tripliciter* Causa Prima *una:* primo in ratione *efficientis*: secundo in ratione causae *formalis exemplaris:* tertio in ratione *finis*.

Habet etiam *triplicem modum unitatis:* — *Primus* est unitas substantiae *singularis*. — *Secundus* est unitas servans omnem gradum *aequalitatis;* potentia enim aequalis est scientiae et bonitati, et e contrario. — *Tertius* est unitas *simplicitatis*, tollens omnem *diversitatem*, non *distinctionem*. — *De Rer. Princ.* q. 1. n. 28.

Unitas duplex. — Unitas potest esse et *perfectio quidditativa*, et ratio *suppositi*. — *Oxon*. I. d. 1. q. 2. n. 12.

Unitas entis communis — specialis. — In ente *communi unitas* vel est idem quod *ens*, vel est passio immediate consequens *ens;* et ideo non potest demonstrari de ente; quia si demonstraretur, aut hoc esset ex definitione subiecti, scilicet, *entis* vel *unius:* sed ista sunt transcendentia, et non habent definitionem; et ideo *unitas* in communi, vel passio immediata entis, quae est esse *unum*, non potest demonstrari de *ente:* vel si esse unum sit passio mediata, illud tamen per quod inest enti non nobis notum. — Sic etiam dico in *speciali:* unitas entis specialis vel est passio immediata eius, et secundum hoc cuilibet enti speciali immediate inest sua unitas, vel si inest ex natura alterius, illud non est nobis notum. — Quando ergo quaeritur: quare hoc compositum est *per se unum?* non est reddenda alia causa, nisi quia habet *talem* formam qua est *per se ens*, ideo *per se unum;* et ita de composito non est alia causa reddenda. Et ideo sicut *ens* per se potest esse *simplex* et *compositum*, sic nec repugnat per se passioni entis, scilicet, suae *unitati*, esse *simplex* vel *composita*. — *Oxon*. II. d. 12. q. 1. n. 13.

Unitas generis — analogiae. — *Unitas generis est* unitas *praedicationis*, quia natura generis reperitur in omnibus de quibus praedicatur, ut patet in animali. — *Unitas* autem *analogi* est unitas *attributionis;* quare non est nisi *duobus* modis: Vel quia illa de quibus analogicum praedicatur attribuuntur *tertio*, cui *primo* et *per se* inest, ut *sanitas* dicitur de *urina* et *cibo* per attributionem et comparationem ad *animal*, cui *primo* et *per se* inest sanitas: vel quia unum illorum, de quibus analogum praedicatur attribuitur alteri, hoc est, unum illorum de quibus analogum praedicatur recipit praedicationem eius, quia attribuitur alteri de quo illud praedicatur. — *De Rer. Princip.* q. 1. n. 15. — *Ib.* n. 16. — Vid. *Unum genere — specie — numero*, etc.

Unitas in creaturis — in Divinis. — Secundum Damascenum, lib. VIII. cap. 9., *Unitas distinctorum suppositorum in creaturis est unitas secundum rationem*, quia ex consideratione *intellectus*. — Sed *unitas in Divinis* est *communis* et *realis*. — *Report.* I. d. 31. q. 3. n. 33.

Videndum est quae est *unitas* quae videtur requiri, sive per se, sive quocumque modo, in fundamento *aequalitatis* (1). Et est sciendum, quod si unitas *magnitudinis* alicubi sit *realis*, et realiter, hic verissime est *realis;* quia haec unitas est numeralis, sive singularis magnitudinis in duobus; in aliis non est unitas numeralis, licet secundum

(1) Vid. *Aequalitas in Divinis*.

aliquos forte sit unitas aliqua universalis, sive rationis, de quo non curo; tamen certum est, quod nulla unitas verius est realis quam unitas *numeralis;* et quod ista sit proprie in Deo alicuius communis omnibus Personis, dicit Damascenus c. 8.: *In omnibus,* inquit, *creatis hypostasibus quod diversum est re consideratur; in sancta vero et incomprehensibili Trinitate e converso est; illic enim commune quidem et unum re consideratur, unumquodque enim horum se habet ad alterum nihilominus quam ad seipsum, cognitione vero est quid divisum.* — *Quodlib.* q. 6. n. 12.

Unitas in rebus duplex. — Vid. *Propositionum unitas.*

Unitas maxima. — *Unitas* potest dici *maxima,* vel ex privatione *distinctionis,* vel ex privatione *illorum unitorum* in ipsa unitate. — *Oxon.* III. d. 6. q. 1. n. 9.

Unitas naturae. — Cum dicitur *unitas naturae* accipitur *unitas naturae,* ex vi constructionis, pro unitate *identitatis,* vel *compositionis.* — *Oxon.* III. d. 1. q. 2. n. 10.

Unitas ordinis. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Unitas per accidens. — Vid. *Distinctio in Divinis.*

Unitas specifica — individualis. — Sicut *unitas in communi* per se consequitur *entitatem in comuni,* ita quaecumque unitas per se consequitur aliquam entitatem; ergo unitas simpliciter, qualis est unitas *individui,* saepe prius descripta (1), scilicet *cui repugnat divisio in plures partes subiectivas,* et *cui repugnat non esse hoc signatum,* si est in entibus, sicut omnis opinio supponit, consequitur per se aliquam entitatem: non autem consequitur per se entitatem *naturae,* quia illius est aliqua unitas propria, et per se realis; igitur consequitur aliquam entitatem aliam determinatam istam; et illa faciet *unum per se* cum entitate *naturae,* quia totum cuius est haec unitas perfectum est de se. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 9.

Quae sit ista *entitas* a qua sit *unitas* ista perfecta, per simile ad *entitatem* a qua sumitur differentia *specifica* potest declarari: Nam differentia quidem *specifica,* sive entitas a qua sumitur differentia specifica, potest comparari ad illud quod est *infra* se, vel ad illud quod est *supra* se, vel ad illud quod est *iuxta* se.

Primo modo differentiae *specificae* et illi entitati specificae repugnat per se *dividi* in *plura* essentialiter *specie* vel *natura,* et per hoc repugnat *toti* cuius illa entitas est per se pars. — Ita in proposito, huic entitati *individuali* repugnat primo dividi in quascumque partes *subiectivas,* et per ipsam repugnat talis divisio per se *toti* cuius illa entitas est pars. Et tantummodo est differentia in hoc, quia illa unitas naturae *specificae* minor est ista unitate, et propter hoc illa non excludit omnem divisionem quae est secundum partes *subiectivas,* sed tantum illam divisionem quae est partium *essentialium;* ista autem excludit omnem. Et ex hoc confirmatur satis propositum, quia ex quo quaecumque unitas minor unitate ista habet entitatem propriam, quam per se consequitur, non videtur probabile isti unitati perfectissimae negare propriam entitatem quam consequitur. — *Ib.* n. 11.

Comparando autem ad illud quod est *supra se,* dico quod illa realitas a qua sumitur differentia *specifica* est *actualis* respectu illius realitatis a qua sumitur *genus* vel *ratio generis,* ita quod haec realitas non est formaliter illa, alioquin in definitione esset nugatio, et solum *genus* sufficienter definiret, quia indicaret totam entitatem definiti sine differentia. Quandoque tamen illud contrahens est aliud a forma a qua sumitur ratio *generis,* quando, scilicet, species addit *rem* aliquam super naturam generis; quandoque autem non est *res* alia, sed tantum alia *formalitas,* vel alius *conceptus realis* eiusdem rei; et secundum hoc aliqua differentia specifica habet conceptum *non simpliciter simplicem,* puta, quae sumitur a *formali;* aliqua habet conceptum *simpliciter simplicem,* quae, scilicet, sumitur ab *ultima abstractione formae;* de qua distinctione differentiarum specierum dictum est *dist. 3. primi lib.,* qualiter aliquae differentiae specificae includunt *ens,* et aliquae non. — Quoad hoc ista realitas *individui*

(1) Vid. *Individuum.*

est *similis* realitati *specificae*, quod est quasi actus determinans illam realitatem speciei quasi *possibilem* et potentialem; sed quoad hoc *dissimilis*, quia ista nunquam sumitur a *forma addita*, sed praecise ab *ultima realitate* formae. — Quoad aliud etiam est *dissimile*, quia illa realitas *specifica* constituit compositum, cuius est pars, in esse *quidditativo*, quia ipsa est entitas quaedam quidditativa; ista autem entitas *individui* est *primo diversa* ab *omni entitate quidditativa;* quod probatur ex hoc, quia intelligendo quamcumque entitatem quidditativam, loquendo de quidditativa entitate *limitata*, non habetur in quidditate intellecta unde ipsa sit *haec;* ergo illa entitas quae de se est *haec* est alia entitas a *quidditate* vel ab entitate quidditativa; non potest ergo constituere totum, cuius est pars, in esse quidditativo, sed in esse *alterius rationis*. — *Ib.* n. 12.

Et quia apud Philosophum *quidditas* dicitur *forma* frequenter, ut patet *V. Metaph.* cap. *De causa*, et in *VII. cap. De Partibus definitionis*, quod *in quibuscumque non est materia idem est quod quid est cum eo cuius est*, sicut exponitur loquendo de *materia* et *forma;* et *materia* apud eum vocatur quodlibet habens quidditatem *contractam*. Et Boetius vult, quod nulla *forma* potest esse *subiectum accidentis, in lib. De Trinit.*, quia *forma* dicitur *in quid* de quocumque alio, et si *humanitas* sit subiectum, hoc non convenit ei inquantum est forma; *humanitas* quidem non est forma alterius *partis* compositi, ut *formae* vel *materiae*, sed *totius* compositi habentis quidditatem *contractam*, sive in quo est quidditas contracta; ideo omnis realitas *specifica* constituit in esse *formali*, quia in esse *quidditativo*, et realitas *individui* constituit praecise in esse *materiali*, hoc est, in esse *contracto*. Et ex hoc sequitur illa distinctio logicalis, quod ista entitas essentialiter est *formalis*, et illa *materialis*, quia ista constituit in ratione *subiicibilis*, et illa in ratione *praedicabilis* praecise: praedicatum autem *formale* habet rationem *formae*, et *subiicibile* habet rationem *materiae*.

Comparando vero ad illud quod est *iuxta* se, scilicet, differentiam *specificam*, licet quandoque posset esse *non primo diversa* ab alia, sicut est illa entitas quae sumitur a *forma*, tamen *ultima differentia specifica* est *primo diversa* ab alia, illa, scilicet, quae habet conceptum *simpliciter simplicem;* et quoad hoc, dico quod differentia *individualis* assimilatur differentiae *specificae* ultimo sumptae, quia omnis entitas *individualis* est primo diversa a quocumque alio. — *Ib.* n. 13.

Et si quaeras, quae est ista entitas *individualis*, a qua sumitur differentia *individualis?* Estne *materia*, vel *forma*, vel *compositum?* — *Respondeo:* omnis entitas *quidditativa*, sive partialis sive totalis, alicuius *generis*, est de se *indifferens* ut entitas quidditativa ad *hanc* entitatem et *illam*, ita quod ut entitas *quidditativa* est *naturaliter prior ista* entitate ut est haec; et ut prior est naturaliter, sicut *non convenit* sibi esse *hanc*, ita *non repugnat* sibi ex ratione sua suum oppositum. Et sicut *compositum* non includit suam entitatem, qua est *hoc* inquantum *natura*, ita nec *materia* inquantum *natura* includit suam entitatem, qua est *haec* materia, nec *forma* inquantum *natura* includit suam; ergo ista entitas non est *materia*, vel *forma*, nec *compositum*, inquantum quodlibet istorum est *natura*, sed est *ultima realitas* entis, quod est *materia*, vel quod est *forma*, vel quod est *compositum;* ita quod quodlibet commune, et tamen determinabile, adhuc potest distingui, quantumcumque sit *una* res, in plures *realitates formaliter distinctas*, quarum *haec* formaliter non est *illa;* sed haec est formaliter entitas *singularis*, et illa est entitas *naturae* formaliter; nec possunt istae duae realitates esse *res* et *res*, sicut possunt esse *realitas* unde accipitur *genus*, et *realitas* unde accipitur *differentia*, ex quibus *realitas specifica* accipitur; sed semper in eodem sive *parte* sive *toto* sunt *realitates* eiusdem rei *formaliter distinctae*. — *Ib.* n. 15.

Unitas simplicitatis — per se — per accidens — aggregationis — ordinis. — *Philosophus VIII. Meth.* quaerit, quare aliquid est *unum?* et dicit, quod *simplex* est *unum*, quia statim est id quod est. — Sed in *compositis*

est dare aliquam rationem; et nescivit Philosophus aliam dare, nisi quia hoc est *actus*, et illud *potentia;* ita quod hoc est *potentia essentialiter receptiva* secundum totum genus suum, et illud *actus essentialiter perficiens* aliud, et ideo ex his fit *unum per se*, scilicet, ex *materia* et *forma*. — Non sic est de *subiecto* et *accidente*, quia enim tam *materia* quam *forma* sunt causae *intrinsecae* entis compositi, ideo faciunt *per se unum; albedo* vero et *homo* non sunt causae *intrinsecae*, quia homo in ultima actualitate sua potest esse sine albedine, et ideo nec *per se* habet potentialitatem ad albedinem, et ideo tantum faciunt *unum per accidens*. — Aliqua etiam constituunt *unum* tantum *aggregatione;* ideo posset esse *unum aggregatione*. — Aliqua etiam sunt *unum* unitate *ordinis*, quia, scilicet, *ordinantur ad unum*. — *Oxon*. II. d. 12. q. 1. n. 14. — Cf. *ib*. III. d. 1. q. 1. n. 5. — Vid. *Distinctio in Divinis*.

Unitas unionis — identitatis. — Distinguendum est de *unitate:* una est *unionis* partium in toto: alia est *identitatis;* quia cum ex materia et forma fit unum est terminatio ad unionem partium in toto, non ad unionem identitatis. — *Report*. III. d. 1. q. 5. n. 6. — *Ib*. II. d. 12. q. 2. n. 8. — Vid. *Grammatica specul*. n. 75. = *Numerus multiplex*.

Unitas Universi. — Secundum Philosophum, *XII Met.*, *unitas universi* est in *ordine* partium ad *se invicem* et ad *Primum*, sicut *unitas exercitus* est in ordine partium exercitus inter se et ad ducem. — *Oxon*. II. d. 1. q. 4. n. 11. — I. d. 30. q. 2. n. 19. — *Quodlib*. q. 19. n. 6.

Dicit, enim, quod omnia entia *ab eodem* ordinata sunt, et etiam *inter se* sunt ad invicem ordinata, et facta inaequalia *a quo* sunt distincta. Nunc autem res ad invicem sunt distinctae per voluntatem Primi, ut eius bonitas in diversis manifestetur; quia enim nulla causa potest eius bonitatem sufficienter repraesentare, ideo multa producuntur, ut quod per unum manifestari non potest manifestetur per aliud; et ideo eius bonitas sufficientius manifestatur per totum universum quam per unam creaturam; et ideo diversa produxit: non propter aliquam sui utilitatem, sed propter sui bonitatem, et propter idem produxit entia inaequalia. — *QQ. Metaph*. l. XII. q. 27. n. 2. — Entia enim nolunt male disponi; et ideo bonum est, quod *inter se communicent;* et ideo dicit Philosophus, quod universitas entium est sicut *unus principatus* et *unum regnum; unus* igitur est *Princeps*, quod est primum movens, et ideo perfectissime primum intelligibile, et ideo verissimum primum appetibile, et ideo optimum, quod est summe bonum, ipse Deus qui et regnat in saecula saeculorum. Amen. — *Ib*. q. 29. n. 3. — Quia igitur totum universum est sicut unus principatus, unus ergo erit Princeps, scilicet, primum movens et primum intelligibile et primum appetibile, et bonum omnis boni, regens et gubernans totum universum. Qui est Deus benedictus per saecula infinita, trinus in persona et unus in essentia infinita. Amen. — *Exposit. in Metaph. Arist*. l. XII. S. 3. c. 2. n. 92.

Unitatis gradus. — Vid. *Distinctio in Divinis*.

Unitive continere. — Essentia *unitive continet* omnem actualitatem divinae essentiae: *unitive* autem non continentur quae *sine omni distinctione* continentur, quia unio non est absque omni distinctione: nec *unitive* continentur quae simpliciter *realiter distincta* continentur, quia illa multipliciter seu dispersim continentur; ergo hoc vocabulum *unitive* includit aliqualem distinctionem contentorum, quae sufficit ad unionem, et tamen talem unionem quae repugnet omni compositioni et aggregationi distinctorum: hoc non potest esse nisi ponatur *non identitas formalis* cum *identitate reali*. — *Oxon*. IV. d. 46. q. 3. n. 5. — II. d. 16. n. 17. — Cf. *Oxon*. II. d. 3. q. 10. n. 19. — *QQ. Metaph*. l. VII. q. 13. n. 19. — Vid. *Continentia unitiva*.

Universale. — Definitio *universalis* est: *praedicabile de pluribus*, quae ponitur *I. Periherm*. c. 5. — *Super Univers. Porph*. q. 6. n. 2. — *Hoc enim dicitur universale quod natum est inesse pluribus;* nec semper *actu* de pluribus praedicatur, sed hoc *accidit* sibi; sufficit autem quod sit *aptum*,

et non repugnat sibi *ut universale* esse pluribus communicabile, quandoque enim solum habet *unum* suppositum *actu* sub se, ut patet de *sole* et de *luna*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 14. nn. 111-112. — *Universale* * namque * completum est quod est *in pluribus* et *de pluribus non actu*, sed *potentia propinqua*. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 13. n. 19. — * At * *universale*, ex hoc quod *universale*, natum est determinari ad suppositum. — *Report.* l. d. 19. q. 5. n. 11.

Universale est *ens*, quia sub ratione *non entis* nihil intelligitur: quidquid autem intelligitur intelligitur sub ratione *universalis;* ergo illa ratio non est omnino *nonens*. — *Super Univers.* q. 4. n. 2. — *Universale* est ab *intellectu*. — Et *cum dicitur:* ergo est figmentum, *dico*, quod non sequitur, quia figmento nihil correspondet in re extra: universali autem aliquid extra correspondet, a quo movetur intellectus ad causandum talem intentionem; *est enim*, secundum Boetium, *species tenuis similitudo singularium; et genus magis tenuis suarum specierum*. — Dico ergo, quod *effective* est ab intellectu, sed *materialiter*, sive originaliter, sive occasionaliter est a proprietate in re; figmentum vero minime. — *Ib.* n. 4. — *Universale* habet duas conditiones *perfectionis*, et alias duas *imperfectionis:* quia *universale* importat esse *communicabile* et esse *illimitatum;* sicut per oppositum, *suppositum* est *incommunicabile* et *limitatum*. — Alias conditiones *imperfectionis* importat, scilicet, quod sit *divisibile* et *potentiale*, sive determinabile, quia in *isto supposito* determinatur ad hoc. Et utrumque est de per se de ratione *universalis*. — *Report.* I. d. 19. q. 5. n. 10. — *Oxon. ib.* d. d. 1. q. 2. n. 6. — Plus * autem * requiritur ad *rationem universalis* quam quod sit *commune*, et quod *plurificetur* in inferioribus; requiritur enim quod *dividatur* in eis, et distinguatur, non solum secundum diversos conceptus, sed distinctione et divisione *reali*, quia, sicut dictum est alias (1), conceptus *universalis* accipitur ab alia realitate, quam ab illa a qua accipitur conceptus *differentiae*, et non tantum *genus* contrahitur per conceptum, sed etiam alia realitas ab illa a qua accipitur *genus*, et ab illa a qua accipitur ratio *differentiae;* sic enim est de universalitate speciei respectu individui. Quoniam etiam alia est realitas formaliter a qua accipitur *species*, quae est extra naturam *universalis*, ut patebit alias (1), sic etiam est de aliis *universalibus*, quoniam omne *universale* reducitur ad *genus*, vel ad *speciem;* nam illud quod est *proprium* vel *differentia* respectu suorum inferiorum se habet ut *genus* vel ut *species*. Et ideo ad hoc quod aliquis conceptus sit *universalis*, non sufficit quod contrahatur per conceptum, sed requiritur ad *rationem universalis*, quod res concepta contrahatur per aliam *rem* conceptam. — *Report. ib.* d. 25. q. 2. n. 10. — *Universalia* non sunt fictiones intellectus; tunc enim numquam *in quid* praedicarentur de *re extra*, nec ad definitionem pertinerent, nec Metaphysica differret a Logica; imo omnis scientia esset Logica, quia de *universali*. Itaque secundum ordinem *universalium* est ordo *graduum entitatis* in individuo. — *Theor.* IV. n. 1. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 10. n. 3. = Vid. *Accidens* = *Differentia* = *Genus* = *Proprium* = *Species* = *Totum multipliciter accipitur.*

Universale in actu. — *Universale in actu* est illud quod habet unitatem indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia *proxima* ut dicatur de quolibet supposito; quia * ex * *I. Posteriorum, universale* est *quod est unum in multis et de multis;* nihil enim secundum quamlibet unitatem *in re* est tale, quod secundum ipsam unitatem praecisam sit in *potentia proxima* ad quodlibet suppositum, ut dicatur de quolibet supposito praedicatione dicente, *hoc est hoc;* quia licet alicui existenti in re non repugnet esse in alia singularitate ab illa in qua est, non tamen illud vere dici potest de quolibet inferiori, quod *quodlibet* est *ipsum;* hoc est enim solum possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu, quod quidem ut intellectum

(1) *Oxon.* I. d. 3. q. 5.

(1) *Oxon.* II. d. 12. q. 6.

habet unitatem etiam numeralem obiecti, secundum quam ipsum idem est praedicabile de omni singulari dicendo, quod *hoc est hoc.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 8. — *Universale in actu* non est nisi in intellectu; quia non est *actu universale* nisi sit *unum in multis* et *de multis*, ita quod de multis est *aptitudo* proxima *universalis in actu*, quia non potest haberi in actu universale, quo ipsum est dicibile de alio sic, *hoc est hoc*, nisi per intellectum. — *Report.* II. d. 12. q. 5. n. 12.

Universale multipliciter sumitur. — Distinguendum est de *universali.* Sumitur enim vel sumi potest *tripliciter:* quoniam pro *intentione secunda* (1), quae, scilicet, est quaedam relatio rationis in praedicabili ad illud de quo est praedicabile; et hunc respectum significat hoc nomen *universale* in concreto, sicut et *universalitas* in abstracto (2). — *Alio modo* accipitur *universale* pro illo *quod denominatur ab illa intentione*, quod est aliqua res *primae intentionis*, nam *secundae intentiones* applicantur *primis.* — Et sic accipi potest *dupliciter: Uno modo* pro illo quod quasi ut subiectum *remotum* denominatur ista intentione: *alio modo* pro subiecto *propinquo.* — *Primo modo* dicitur *natura* absolute sumpta *universale*, quia non est de se *haec*, et ita non repugnat sibi ex se dici de *multis* (3). — *Secundo modo* non est *universale*, nisi sit *actu determinatum*, ita quod unum intelligibile numero sit dicibile de omni supposito, et illud est *complete universale.* — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 18. n. 6. — *De Anim.* q. 17. n. 14. — *Super Univers. Porph.* q. 3. n. 11.

(1) « Quae sequitur operationem *primam* intellectus, qua intelligitur quidditas absolute; et hoc est quando intellectus considerans istam quidditatem esse *praedicabilem de pluribus*, attribuit sibi rationem *speciei*, vel *generis;* et isto modo est in intellectu tamquam aliquid factum per operationem intellectus; unde de tali dicit Themistius, *l. De Anima*, quod intellectus est qui facit universalitatem in rebus; et Aristoteles *l. De Anima, quod universale aut nihil est, aut posterius est.* — *De Anima*, q. 17. n. 14.

(2) « Et sic loquitur logicus proprie de *universali* ». — *Super Univers. Porph.* q. 3. n. 11.

(3) « Aliquando autem *universale* accipitur pro re subiecta intentioni secundae, id est, pro *quidditate rei absoluta*, quae quantum est de se nec est *universalis*, nec *singularis*, sed de se est *indifferens* ». — *De Anima*, q. 17. n. 14.

* Sumitur etiam universale * pro *aggregato ex subiecto et forma;* et illud est *ens per accidens*, quia aggregat diversas naturas, ex quibus non fit *unum per se.* — *Super Univers. Porph.* q. 3. n. 11.

Universale praedicatione — causalitate. — Est *universale* per *praedicationem*, et illud definitur in *Perihermenias*, t. c. 5; et *I. Poster.* t. c. 25, quod *est unum in multis et de multis.* — *Aliud* est *universale* per *causalitatem*, cuius virtus se extendit ad *plures effectus*, sicut Causa Prima, quae est tamen *singularis*, nec praedicatur de pluribus singularibus. — *QQ. Metaph.* lib. I, 10, n. 2. — *Report.* IV. d. 1. q. 1. n. 7.

Universale — Singulare. — *Universale* vel *commune* dico *cui non repugnat dici de multis.* — *Singulare, cui repugnat.* — Theor. X. — Tota entitas *singularis* non continetur sub *universali.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 11. n. 9. — Sed *singulare* addit aliquam entitatem supra entitatem *universalis.* — *Ib.* d. 9. q. 2. n. 10. — Determinatio *universalitatis* et *singularitatis dupliciter* dicitur: vel universalitate *perfectionis*, vel *praedicationis.* — *Report.* II. d. 3. q. 4. n. 10.

Universalius praedicatione — perfectione. — *Universalius praedicatione* dicitur illud cuius *ratio dicitur de pluribus.* — *Universalius* autem *perfectione* cuius *perfectio est maior in se et perfectionum plurium contentivum.* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 7.

Univocatio. — Vid. *Agens univocum — aequivocum.* — *Conceptus univocus* = *Praedicari univoce* = *Praedicari univoce est dupliciter* = *Praedicatum univocum.*

Univocatio completa — diminuta. — *Univocationem completam* dico quando est similitudo in *forma* et in *modo* essendi formae: *diminutam* quando est similitudo in forma, licet habeat *alium modum* essendi: quomodo domus *extra* est a domo *in mente.* — *Oxon. Prol.* q. 4. n. 45.

Univocatio logica — naturalis — metaphysica. — Est *duplex univocatio.* — Una est *logica*, secundum quam plura conveniunt in uno *conceptu* tantum communi. — Alia est *naturalis*, secundum quam con-

veniunt aliqua in una *natura reali*. *Exemplum*, ut in *specie atoma*, de qua loquitur Philosophus *VII. Physic. tex. 24*, dicens, *illud esse univocum secundum quod aliqua sunt comparabilia*. — Praeter utramque *univocationem* est una *metaphysica*, secundum quam aliqua uniuntur in *genere propinquo;* et est media inter utramque; est enim minor *prima*, et maior *secunda*. — *De Anima*, q. 1. n. 6.

Univocum. — *Univoca dicuntur quorum nomen commune est, et secundum illud nomen eadem substantiae ratio.* (Aristotel. *De Praedic.* cap. 1). * Haec * est notificatio conveniens, et potest convenienter intelligi de *univocatis* sic: *Univoca sunt quorum*, non ut significatorum, *est nomen* univocantis *commune;* quia illud nomen non significat aliquod univocatorum, sed quorum ut contentorum sub univocante est nomen univocantis commune, et *ratio substantiae* univocatorum *eadem secundum illud nomen* univocans; et tunc nullum nomen univocum univocans est *denominativum* respectu eiusdem, quia *denominativi* ratio non est ratio substantialis denominatorum.

Similiter potest intelligi de *univocantibus*, primo sic: *Univocantia sunt quorum nomen* ut partis totius *commune est* univocatis *secundum illud nomen*.

Non autem potuit definitio *aequivocorum* intelligi de *aequivocantibus;* quia illorum non est nomen, cum nihil sit *aequivocans*, nisi sola *vox*. Similiter non habent aliquam definitionem; ergo nec diversam, nec eamdem (1). — Sed neutrum illorum impedit hanc definitionem intelligi de *univocantibus*, quia et istorum est nomen, et etiam ratio, quia non solum nomen univocat, et ista habent eamdem rationem substantiae. Aristoteles tamen magis videtur intelligere de *univocatis;* dicit enim: *ut animal, homo, atque bos: communi enim nomine utraque animalia nuncupantur*, quod manifestum est dici de *univocatis;* et subdit de ratione eadem: *si quis assignet utriusque rationem, quid utrumque sit in eo, quod sunt animalia, eamdem assignabit utriusque rationem*, quod similiter manifeste refertur ad *univocata*. — *Super Praedic.* q. 6. n. 2. — Vid. *Conceptus univocus*.

Univocum — Aequivocum. — *Univocum* est cuius *ratio est in se una*, sive illa ratio sit *ratio subiecti*, sive *denominet* subiectum, sive *per accidens* dicatur de subiecto. — *Equivocum* autem cuius *ratio est alia*, quomodocumque illa ratio se habeat ad subiectum. — *Exemplum: animal* est *univocum*, non tantum ut dicitur de *speciebus* suis, sed ut determinatur per *differentias*, quia habet unum conceptum determinabilem per eas; et tamen non dicitur de *differentiis univoce*, hoc est, *in quid*, ita quod ratio eius sit *ratio differentiarum*, quomodo *univoce* dicitur de *speciebus*. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 14.

Univocum — aequivocum — analogum. — *Quaedam* sunt nomina penitus *univoca;* et illa sunt quorum *ratio* substantiae *eadem* est et *nomen idem*. — *Quaedam* sunt nomina quae proprie dicuntur *aequivoca;* ut illa quae *actu plura significant sub propriis rationibus;* et illa sunt quorum *nomen* est *idem*, et *ratio* substantiae *diversa*. — Et *aliqua* sunt nomina *analoga*, quae significant primo aliquod commune, sed tamen illud commune *diversimode* reperitur in diversis: sicut *infinitum* significat illud *cuius non est terminus;* sed hoc diversimode reperitur in *magnitudine*, et *numeris*, et in *continuis*, et *discretis*. Quia ergo huiusmodi nomina significant aliquid *commune*, ideo proprie non dicuntur *aequivoca;* et quia illud commune *diversimode* reperitur in diversis, ideo talia nomina non dicuntur proprie *univoca*, sed dicuntur proprie *analoga*. — *Elench.* q. 13. n. 5.

Differentia est inter *univocum* et *aequivocum* et *analogum: univocum* enim significat *unum*, *aequivocum* vero *plura*, sed *aequaliter;* ergo *analogum* significat *unum per prius* et *reliquum per posterius*. — *Ib.* q. 15. n. 5. — Vid. *Aequivocatio = Aequivocum*, etc. = *Analogia = Analogum*, etc. = *Nomen aequivocum*.

Univocum ratione — re. — *Univocum* apud *Logicum* dicitur omne illud quod per unam rationem devenit apud intellectum,

(1) Vid. *Aequivocatio = Aequivocum*, etc.

secundum quam dicitur de multis; apud *Naturalem* vero non est omne tale, sed tantum quod est unum secundum *ultimam formam completivam;* unde dicitur *VII. Physicorum: In genere multae latent aequivocationes;* quod tamen Logicus non concedit. — *Super Praedic.* q. 7. n. 3.

Unum. — *Unum* habet rationem *indivisionis,* quia *unum* est quod *in se indivisum est, et divisum ab omni alio.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. III. S. 2. c. 2. n. 40. — *Unum* dicit quamdam *indivisionem* oppositam divisioni quae pertinet ad *multitudinem,* quae *uni* opponitur. — *Ib.* l. IV. S. 1. c. 2. n. 14. — *Unum* est in se divisum, *et ab alio divisum.* — *Oxon.* IV. d. 6. q. 1. n. 4.

Licet *unum* forte dicat aliquid *positivum,* tamen, hoc non obstante, includit aliquam *negationem,* non *formaliter,* sed *quasi consequenter,* quae quidem negatio fundatur super illud quod dicit *positivum.* — Verumtamen sciendum, quod ista negatio vel privatio, quam importat ipsum *unum,* non est privatio *multitudinis;* quia cum *privatio sit posterior habitu,* sequeretur, quod *multitudo* esset *prior* ipso *uno,* quod est falsum, cum *unum sit principium multitudinis,* et ipsa *multitudo* definiatur per *unum,* nam *multitudo* est quaedam *aggregatio unitatum* (1): si autem *multitudo* esset prior quam *unum,* posset ipsum definire, et sic esset circulus in definitionibus. — Idcirco dicendum, quod *unum* importat privationem *divisionis:* non quidem divisionis *quantitativae,* cum ista sit *determinati* generis, sed privationem divisionis *formalis,* quae fit per opposita, cuius radix est oppositio contradictoria; nam illa sic ad invicem dividuntur quae ita se habent, quod *hoc non est illud.*

Primo igitur ex natura rei intelligitur ipsum *ens.* — *Secundo non ens.* — *Tertio* intelligitur *divisio.* — *Quarto* consequenter intelligitur *unum,* quod privat divisionem. — *Quinto* et ultimo intelligitur *multitudo,* de cuius ratione est divisio. — Haec autem divisa dicto modo non possunt habere rationem *multitudinis,* nisi cuilibet illorum attribuatur prius ratio *unius.*

Istam autem privationem vel negationem primam, quae est *indivisio a se,* consequitur secunda negatio, quae est non identitas vel *divisio ab omni alio.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 1. c. 2. n. 15. — Vid. *Numerus multiplex.*

Unum categorematice. — syncategorematice. — *Unus* potest accipi *categorematice;* et sic significat *differentiam entis;* * quod quatuor modis dividitur *, scilicet, *unum numero, unum specie, unum genere,* et *unum propositione.* — Aliter sumitur *unum* ut est *syncategorematicum;* et sic dicit *modum intelligendi* terminum, pro supposito determinato, indeterminate tamen. — *Super Univers. Proph.* q. 22. n. 2-3.

Unum duplex. — *Unum* est *duplex:* — Quoddam est *passio convertibilis cum ente,* de quo loquitur Aristoteles *IV. huius, text.* com. 3. — *Aliud* est *unum* quod est *principium numeri,* quod quidem significat rationem *mensurae* primo et per se; ita quod ex tali *uno* derivatur ratio mensurae ad alia genera, sicut habetur *X. huius, cap. 2. text. com. 2. c. 3. 4.* huius. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 2. c. 3. n. 76. — Alia est natura *unius* qua substantiae cuiuslibet rei est *una;* et est *unum* quod *convertitur cum ente;* alia autem *unius* quod est *principium numeri* proprie dicti; et est in genere *quantitatis.* — *De Rer. Princip.* q. 16. nn. 1-2.

Unum — Ens — Vid. *Ens — Unum.*

Unum genere — specie — numero — proportione seu analogia. — Dicit * Philosophus *, quod *alia sunt unum secundum* NUMERUM; *alia secundum* SPECIEM; *alia secundum* GENUS; *alia secundum* ANALOGIAM. — NUMERO *quidem sunt unum quorum materia est una,* id est, differentia, sive proprietas *individualis,* quae est praecisa causa individuationis. — SPECIE *vero sunt unum quorum ratio,* id est, definitio, *est una;* definitio enim proprie est *speciei,* cum definitio constet ex *genere* et *differentia,* ex quibus proprie constat *species.* Unde si aliquando *genus,* puta, *subalternum,* definiatur, hoc est ut habet aliqualiter rationem

(1) Vid. *Multitudo,* etc.

speciei. — GENERE *vero dicuntur unum quorum eadem est figura praedicationis,* id est, quaecumque sunt in *eodem Praedicamento;* quodlibet enim Praedicamentum habet proprium modum praedicandi, distinctum ab aliis Praedicamentis: sicut omnes *qualitates* praedicantur *de subiecto* per modum *formae informantis.* — *Secundum vero* PROPORTIONEM, id est, secundum *analogiam,* dicuntur *unum quaecumque sic se habent ut aliud ad aliud.* — Quod *dupliciter* exponitur: *uno* modo ut *duo* comparantur ad *unum* secundum *diversas* habitudines, puta, *urina* et *medicina* comparantur ad *sanitatem,* altera ut *signum,* altera ut *causa.* — *Alio* modo exponitur ut comparantur *duo diversa* ad alia *duo diversa,* ut sicut se habet *serenitas* ad *aerem,* sic *tranquillitas* ad *mare;* et ideo *serenitas* et *tranquillitas* sunt *unum proportione,* et utrumque significat *quietem* quamdam, reddendo singula singulis (1). — *Exposit. in Metaph. Arist.* L. V. S. un. c. 6. n. 59. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 20 — *Physic.* V. q. 6. n. 3. — *Poster.* I. q. 29. n. 1.

Divisio * *unius in unum genere, specie, numero, et proportione* * est conveniens; quia intellectus intelligens aliquid sub ratione *unius,* aut intelligit sub ratione *incommunicabilis,* et haec est unitas *numeralis:* aut sub ratione praedicabilis de *pluribus;* tunc dicitur: aut differentibus *numero,* tunc unitas *speciei;* aut differentibus *specie,* tunc unitas *generis.* — Ultra hanc unitatem non est invenire unum conceptum praedicabilem. — Tamen unum conceptum accipiendo communissimum comparando alteri communissimo, invenitur unitas *proportionis* in *similiter se habendo* ad alia, scilicet, sua inferiora in praedicando in *quid* de eis. Sic divisio est sufficiens. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 4. n. 2.

Unum multiplex. — Vid. *Idem unumque multipliciter dicuntur.*

Unum — Multum — Utrum *unum* et *multa* opponantur *contrarie,* vel aliter? — Dicendum, quod *unum* et *multum,* formaliter loquendo, opponuntur *contrarie,* et non aliter, nisi *per accidens.* Cuius ratio est: differentia est inter *contradictionem, contrarietatem* et *privationem. Contradictio* salvatur in *ente* et *non ente; privatio* non salvatur nisi in *ente,* nullam tamen naturam ponit; *contrarietas* est in ente, et *naturam ponit,* aliter contraria non essent in eodem genere. Sed *unum* et *multa* se ita habent, et neutrum dicitur de *non ente.* Cuius probatio satis plana est de *uno,* cum convertatur cum *ente.* Sed quod *multum* dicatur de *ente* videtur, quia quaelibet pars multitudinis oppositae *uni,* quod convertitur cum *ente,* dicitur solum de *ente,* diversitas enim sicut dissimilitudo inaequalitatis, et ita de aliis. Unde Philosophus, *cap. primo,* ait, quod *non esse* dicitur *idem* vel *diversum;* sed omne ens alii comparatum dicitur *idem* vel *diversum.* Tunc idem proportionaliter addit *multum* quod est *unum transcendens;* sed *unum principium numeri* nihil addit super *unum transcendens,* nisi rationem *mensurae,* ita quod circumscripto illo addito, derelinquitur *unum transcendens.* Sic *multum* quod est *numerus* nihil addit super *multum transcendens* nisi rationem *mensurati,* quo circumscripto derelinquitur *multum transcendens:* sed *numerus* nihil addit *non enti;* igitur *multum transcendens* non est *non ens.* Unde dicit *tertio,* quod non potest dici *multum,* nisi de qualibet parte eius possit dici quod sit *unum:* sed unum non de ente; igitur *multum* non reperitur nisi in entibus. — Non igitur opponitur *contradictorie,* nec *privative,* quia *privatio* illud quod est *non ens* est, unde nullam naturam ponit; sed *unum* non est *privativum,* non enim significat indivisionem, imo significat *ens* sub indivisione, vel ut in diversis proprie non significat unitatem; ergo naturam ponit. Non igitur opponuntur *privative;* nec etiam *relative,* quia *unum* et *multum* in se accepta sunt *absoluta.* Cum ergo sic opposita naturam ponant, necessario opponuntur *contrarie.* — Verumtamen sicut *scientia,* secundum illud quod est qualitas, quia tantum qualitatem significat sub quodam ordine ad alterum, ideo dicitur esse *relativum* secundum *dici,* non secundum *esse,* cum relatio non sit de eius

---

(1) Vid. *Unitas generis — analogiae.*

significato, sic *unum* et *multum* possunt considerari secundum illa quae sibi *accidunt;* et quia *multum* significat ens sub *divisione,* et *unum* ens sub *indivisione,* sicut *scientia* significat *qualitatem in ordine ad alterum,* sic possumus dicere, quod *unum* et *multum* sunt *privativa,* quia rationes eorum sunt *privativae,* vel propter rationes eius *accidentales.* Similiter si *multum* consideratur ut mensuratum per *unum,* sic potest dici quod *relative* opponuntur. — Unde dico, quod *unum* et *multa contraria proprie; si privative* vel *relative* opponuntur, hoc *accidit.* — *QQ. Metaph.* l. X. q. 5. n. 2.

Videtur, quod non * opponuntur * *contrarie,* quia *contrarietas* est oppositio secundum *formam:* sed *pars* non habet formam distinctam a *toto;* cum igitur *unum* sit *pars multitudinis,* non erunt *contraria.* — Ad * hoc * argumentum dicitur, quod *unum* potest dupliciter considerari: *uno modo* secundum quod est *pars multitudinis,* non habens formam praeter formam multitudinis; sic non contrariatur *multo,* sicut nec *corpus,* quod est *pars animalis,* contrariatur *animali:* vel potest considerari secundum quod *habet formam diversam a forma multitudinis;* et sic contrariatur *multo,* sicut *corpus,* si consideratur res *perfecta a forma animalis,* opponitur *animali,* sicut *insensibile sensibili.* — *Ib.* n. 3.

* Insuper * *unum* dupliciter potest considerari: aut secundum quod *actu est per suam formam;* et sic opponitur *multo,* nec est principium constituendi ipsum, nec mensura eius intrinseca: vel *unum* potest considerari secundum quod est *potentia ad formam numeri,* et sic non opponitur *multo,* nisi sicut *potentia actui;* et sic est principium *materiale numeri.* — *Ib.* q. 2. n. 3.

Quando * dicitur *, quod *unum et multa differunt sicut unum et una, album et alba,* dicendum, quod hoc verum est quoad aliquid, et quoad aliquid non. Nam *multum* uno modo dicit *materiale multitudinis,* sicut *unum:* alio modo *aliam formam* in illis *a forma unitatis; unum* ergo et *multum* non differunt quantum ad *materialia,* nisi sicut *unum* et *una,* et *album* et *alba.* Tamen quantum ad *formalem* rationem utriusque, secundum quam opponuntur, differunt *formaliter.* Unde sicut patet ex *X. Metaph.* text. 21., *Multitudo secundum suam rationem formalem opponitur uni.* — *Report.* I. d. 24. n. 21. — Licet *unum* et *multa* pluribus modis opponantur, uno tamen modo sicut *indivisibile* et *divisibile* opponuntur. Ea quae sunt *divisa actu,* evidens est quod *multa* sunt; *divisibilia* autem *faciliter,* ut sunt multa *humida,* puta, *aer* et *aqua,* et huiusmodi, quatenus appropinquant *divisioni,* propter facilitatem et aptitudinem ad posse dividi, quamdam *multitudinem* important; unde dicimus *multam aquam,* et *multum aerem,* et sic aliis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. c. 1. n. 26.

Unum et *multa* non opponuntur *contradictorie,* quia nec *unum,* nec *multa* possunt dici de *non ente;* patet; et tamen de *ente,* sive de *non ente,* semper est vera altera pars *contradictionis.* Iterum altera pars contradictionis est *pura negatio:* sed *unum* et *multa,* utrumque dicit aliquid *positivum.*

Similiter patet, quod *unum* et *multa* non opponuntur *relative;* sed ut sic dicuntur *absolute* et *ad se.* — Non etiam opponuntur proprie ut *privatio* et *habitus,* nam *privatio formaliter* nihil ponit; sed *unum* et *multa,* utrumque dicit formaliter aliquid *positivum,* ut iam dictum est. Quare relinquitur a divisione, quia si opponantur, opponuntur ut *contraria,* non enim sunt plures quam *quatuor* species *oppositionis.*

Notandum, quod licet *unum* et *multa,* divisibile et indivisibile, ut sic, non opponantur modo relativo, nihilominus tamèn secundum quod habent rationem mensurae et mensurati, *unum multa,* et *indivisibile, divisibile* ubique opponuntur modo relativo. — *Ib.* n. 27. — Cf. *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 6. — *Multum,* etsi significetur nomine *positivo,* quod est *divisio,* dicit tamen *privationem realiter* illius habitus, qui causatur a forma totius quod partes continet. — *Unum* autem, etsi significetur nomine *privativo,* quantum ad modum significandi, quod qui-

dem nomen est *indivisum*, *realiter* dicit *positionem;* quae positio de ratione sua privat illam privationem, quae importatur nomine *multitudinis;* quia *indivisio* est *negatio divisionis; divisio* autem est *privatio positionis.* Et ideo *indivisionis* ratio, quam includit *unum*, est ratio *privativa*, non privativa *affirmationis*, quia tunc *unum* non diceretur de Deo, sed privativa *privationis*.

Et sic secundum *rem*, *unum* significat *positivum*, secundum vero *modum significandi*, qui sequitur modum intelligendi, significat *privationem*. Et quia *unum* dicit *privationem privationis* importatae per *multum*, *multum* dicit *privationem habitus* importati per *unum*, habitum est quod *unum* definitur per *multa*, et e contrario. *Unum* enim est quod est *principium multitudinis; multitudo* item *quae numeratur per unum.* Quia enim *privatio cognoscitur per habitum*, cum *unum* sit *privatio multitudinis* secundum *rem*, et *multum* sit *privatio unius* secundum *modum*, ideo unum habet per alterum definiri, et e contrario. — *De Rer. Princ.* q. 16. n. 7.

Unum numero. — *Unum numero* dicitur quod est semel tantum; nam *unum numero* et *singulare* idem sunt. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. III. S. 2. c. 2. n. 53.

Unum numero duplex. — Aliquid dicitur *unum numero dupliciter: uno modo*, quia est, et non est plura; et sic solum *indivisibile* dicitur *unum*. — *Alio modo*, quia est *unum*, licet sint *plures partes;* et hoc *dupliciter:* quia vel partes suae sunt *simul existentes* secundum permanentiam, quemadmodum dicimus *Solem* esse *unum:* aut partes sibi invicem *succedunt;* et sic vocatur *unum numero* secundum *continuationem in successione*. Et isti modi identitatis, scilicet, quibus aliqua dicuntur idem numero, differunt a duobus praecedentibus (1) *dupliciter:* quia de illis quae sunt unum *genere*, vel *specie* solum, non dicitur *absolute* quod sint *unum*, sed cum *additione*, quod sunt *unum genere*, vel *specie;* sed de illis quae sunt idem *numero* dicimus absolute, quod sunt *unum*, sicut *Socrates* et *albus* sunt *unum*. — Secundo differunt, quia illi motus non dicuntur idem quia *sunt unum*, sed quia habent idem *genus* vel *speciem;* secus est de *idem numero*. — *Physic. V.* q. 6. n. 3.

Unum per accidens quadruplex. — *Unum per accidens* dicitur *quadrupliciter*. — *Primus* modus est secundum quod unum *accidens* comparatur ad *subiectum:* ut *Coriscus musicus*. — *Secundus* est cum unum *accidens* comparatur ad *aliud:* ut *musicum iustum*. — *Tertius* est cum *accidens* comparatur ad subiectum *complexum* ex *subiecto* et alio *accidente:* ut *Coriscus* et *Coriscus musicus;* vel e converso: ut *musicus* et *Coriscus musicus*. — *Quartus* est *cum complexus* comparatur ad *complexum:* ut *Coriscus musicus* ad *Coriscum iustum.* Haec enim omnia sunt *unum per accidens*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. V. S. un. c. 6. n. 44.

Unum per se. — Si quaeratur de aliquo, quare est *unum per se?* dico: quia habet talem formam, per quam est *per se ens*, ideo *per se* est *unum*. Eadem ratione illud non est *per se unum* quod non habet formam per quam est *per se ens*. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 17.

Unum per se et per accidens metaphysice — logice. — Aliter loquitur *Metaphysicus* de *per se* et *per accidens*, et aliter *Logicus*. Nam Metaphysicus dicit illa facere *unum per se* quae sunt quidditates *unius generis*, quarum una est in potentia ad aliam; et illa esse *unum per accidens* quae includunt quidditates *diversorum generum*, quarum una est aliquo modo in potentia ad aliam, sicut patet ex *V. Metaphys.* c. *De Uno*. — *Report.* I. d. 26. q. 2. n. 14.

Apud Logicum vero *dupliciter* accipitur *per se unum*, et *per accidens:* — *Uno* modo in *compositione* et *divisione* intellectus componentis et dividentis; et secundum istum modum dicitur quod illa complexio est *per se* quando *in subiecto includitur causa praedicati*, ut *homo est animal*, sive *rationalis; per accidens* vero quando *subiectum non includit causam praedicati*, ut *homo est albus*. — Iuxta hanc compositionem, similiter in intellectu *simplici* dicit esse *per se*, et *per accidens;* et secundum

(1) Uno *genere-specie*. — Vid. *Unum genere — specie — numero, etc.*

hoc dicit illum conceptum esse *per se unum*, quando unum natum est determinare aliud in suo genere, ut *homo albus;* et ideo quando determinans importat quidditatem aliam a quidditate determinabilis, non faciunt *unum* conceptum *per se*. — *Ib.* n. 15.

Unum per se quintuplex — Multum. — *Primus* modus est unum *continuitate*. — *Secundus* unum *subiecto*. — *Tertius* unum *genere*. — *Quartus* unum *definitione*. — *Quintus* unum *indivisibilitate*.

* *Primus* subdividitur * in *duo*, secundum *duos* modos *continuitatis*, quorum *primus* est *improprius*, secundum quod se extendit ad *contiguitatem; secundus* vero est *proprie* sumptus. — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. unic. c. 6. n. 46. — *Unum* * igitur * dicitur *continuum, aut simpliciter,* id est, *universaliter*, quocumque modo sit aliquid *continuum, aut maxime quod natura,* id est, quod secundum *naturam* est *continuum, et non tactu aut ligatione,* sicut est *fasciculus lignorum*. Similiter intelligendum est de aliis modis, quibus aliqua *non a natura,* sed *ab arte continuantur,* sive ligantur, puta *clavo,* aut *visco,* aut aliquo huiusmodi. Et subdit * Aristoteles *, quod *horum* quae sunt *continua per naturam illud prius et magis est unum, cuius motus est indivisibilior et magis simplex.* — *Ib.* lib. X. S. 1. c. 1. n. 2. — Ex quo patet, quod ea quae *naturaliter* ligantur magis accedunt ad ea quae vere sunt *continua* quam ea quae *per artem* colligantur. — *Ib.* lib. V. loc. cit.; *ubi diffusius praedicta exponit.*

Secundus modus videtur aliquid addere supra *primum;* nam aliqua possunt esse *continua,* quae tamen in *subiecto* sunt diversa secundum speciem et formam. — *Ib.* n. 50.

Tertius modus convenit in aliquo cum *secundo,* et in aliquo differt. — *Convenit,* quia sicut aliqua dicuntur *unum,* quia *subiectum* est *unum,* ita haec dicuntur *unum,* quia *genus* est *unum,* quod est *subiectum* differentiis. — Sed *differunt* in hoc, quia in illo modo *subiectum* manet *unum indistinctum* secundum *formam;* sed in isto modo *genus distinguitur* per differentias, quasi per diversas formas. — *Ib.* n. 51.

* Quoad *quartum* modum * notandum, quod *definitio* de re potest assignari *duplex,* scilicet, *propria,* quae est *speciei,* et *communis,* quae est *generis*. Aliqua ergo possunt dici *umum definitione,* quia habent *unam* definitionem primo modo, ut *Socrates* et *Plato,* et quaelibet individua eiusdem speciei. Aliqua vero dicuntur *unum definitione,* quia habent *eamdem* definitionem *communem,* puta, *homo* et *asinus,* et quaelibet species sub eodem genere; nam sicut definitio *speciei* est communis omnibus *individuis* eiusdem speciei, sic definitio *generis* omnibus *speciebus* sub genere. Veriori * tamen * modo sunt *unum definitione* quae sunt *unum definitione primo* modo; magis enim sunt *unum* isto modo *Socrates* et *Plato* quam *homo* et *asinus.* — *Ib.* n. 52.

* *Quinto* modo * maxime perfecte * aliqua * dicuntur *unum, quorum intellectus intelligens quod quid erat esse est indivisibilis;* et ea quae sic sunt *unum non possunt separari nec tempore, nec loco, nec ratione, et ideo* sunt *maxime unum*... Notandum, quod ista quae sic dicuntur *unum,* quia eorum intelligentia est *indivisibilis,* sunt proprie *indivisibilia* et *simplicia,* non composita ex aliquibus principiis intrinsecis; et sic intellectus intelligens eorum quidditatentem non componit definitionem de eis ex diversis principiis, sed conceptu irresolubili attingit eorum quidditatem. — *Ib.* et n. 53.

Sufficientia horum *quinque* modorum *unius* potest sic haberi: quia de ratione *unius* est esse *indivisibile*, ut habetur *X. huius, text. com. 2, et inde,* et hic in littera. Aliquid autem esse *indivisibile* potest esse *dupliciter:* vel *simpliciter,* vel *secundum quid.* Si *simpliciter,* sic est *ultimus* modus, qui est principalis, ad quem alii reducuntur. Si *secundum quid,* aut ista indivisibilitas attenditur penes *quantitatem,* aut penes *naturam* et *quidditatem* rei. Si primo modo, sic est *primus* modus; *continuum* enim licet sit divisibile simpliciter, tamen secundum se acceptum est quoddam unum et *indivisibile* ut sic. Si secundo modo, aut ista indivisibilitas in natura rei attenditur penes subiectum *reale,* et sic est *secundus* modus; aut penes subiectum *conceptibile* et

mathematicum; et hoc dupliciter: quia aut penes subiectum conceptibile *commune*, aut *proprium:* si primo modo, sic est *tertius* modus; si secundo modo, sic est *quartus* modus.

Ex hoc patet, quod sic distinguuntur *quinque* modi *unius* qui dicti sunt. — *Ib.* lib. X. S. 1. c. 1. nn. 1-5.

Postquam Philosophus distinxit modos *unius* dicti *secundum se*, reducit omnes illos modos *unius* ad unum principalem, * scilicet *, ad *quintum* modum, * ob * talem rationem: ille modus *unius*, cuius participatione dicuntur *unum* quaecumque sunt *unum*, est modus *principalis*, ad quem omnes alii reducuntur: sed *quintus* modus est huiusmodi; ergo, etc.

Ex his autem modis *unius* oriuntur quidam alii; * sed * illi *quinque* modi prius dicti sunt primi et principales; omnes autem alii sunt consequentes et annexi. — *Ib.* lib. V. n. 54. — Notandum, quod, ut habetur *I, Topic.*, *quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum;* quia igitur *unum* et *multa* opponuntur, ideo iuxta modos ipsius *unius* accepti sunt modi ipsius *multi;* praeterquam de *quinto* modo; cuius ratio asignatur, quia quod opponitur *quinto* modo *unius* non proprie habet rationem *multi*, nisi *secundum quid* et in potentia; *quintus* enim modus *unius* fuit propter aliquid quod dicitur *unum* unitate *indivisibilitatis;* ex hoc autem quod per oppositum est aliquid *divisibile*, non propter hoc est *multa simpliciter*, nisi in *potentia*, et *secundum quid;* sic enim quod est *unum primo* modo est *multa*, ut opponitur *quinto* modo. — *Ib.* n. 62.

Unum — Plura. — Verum est, quod ad hoc, quod aliquid dicatur *plura* neutraliter simpliciter, et sine distinctione, oportet, quod sit plura secundum *supposita* et *naturas;* quia, ut dicitur *V. Metaphys.*, *substantia dicitur duobus modis, scilicet, suppositum, et forma, sive natura speciei.* Propter quod *diversitas* unius solum non sufficit ad hoc, quod aliquid debeat dici *plura* simpliciter, et sine distinctione. Unde in omnibus talibus, in quibus sunt *plura secundum naturam*, et *unum secundum suppositum*, semper respondendum est distinguendo, ut patet *I. Physic.* — *De Rer. Princip.* q. 25. n. 2.

Unum — Simplex. — *Unum significat* mensuram: *simplex autem significat* dispositionem quamdam absolutam, *secundum quam aliquid aliqualiter se habet.* Et ideo *unum* et *simplex* videntur *formaliter* distingui sicut *respectivum* et *absolutum.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 2. c. 2. n. 38.

Unum simplex — compositum. — Non omne *unum* est *unum simplex.* Imo *unum* dividitur in *unum simplex*, et in *unum* quod est *compositum;* ergo non repugnat vere *uni*, quod habet in se *hoc* et *hoc*, id est, plures entitates. — *Report.* II. d. 13. q. 1. n. 15. — Vid. *Ens simplex — compositum.*

Unum simplicitate — per se — per accidens. — *Unum* est *tripliciter.* — *Uno modo* sicut constitutum ex rebus *diversorum generum*, quae tamen sunt idem *identice*, est unum *simplicitate.* — *Alio modo* sicut compositum ex *materia* et *forma* est unum *per se.* — *Tertio modo* sicut *lignum* et *album* faciunt unum *per accidens.* — *Collat.* XXV. n. 4.

Unusquisque. — Vid. *Omnis — Unusquisque*, etc.

Usuarius. — Vid. *Propietarius — Usuarius.*

Usus. — Vid. *Frui — Fruitio = Intendere = Voluntatis assensus duplex.*

V

Vacuum. — *Vacuum*, ut patet *IV. Physic.*, est *locus privatus corpore.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 16. n. 11. — Hoc nomen *vacuum* est nomen *privativum*, et significat tantum quantum haec oratio *locus non repletus corpore;* et ideo quando dicitur *vacuum est locus non repletus corpore*, ibi sumitur *esse* pro *significare.*

Secundum duplicem imaginationem de *loco* est etiam *duplex imaginatio* de *vacuo;*

nam aliqui imaginantur *locum* esse *spatium separatum;* ideo si imaginetur totus mundus annihilari, totum spatium quod isti imaginantur mundum occupare diceretur esse *locus* mundi. Sed alii ponunt *locum* esse *terminum continentis.* — Et ita proportionaliter est duplex imaginatio de *vacuo:* una ponit quod *vacuum* sit *spatium separatum;* et sic *vacuum* esse aliquid implicat contradictionem. *Alio modo* imaginatur *vacuum* esse *superficiem corporis continentis privatam contento:* sicut si totus aer huius domus esset annihilatus, lateribus domus manentibus ut nunc, tunc superficies interior huius domus diceretur esse *vacuum.* — *Physic.* IV. q. 13. n. 3.

Antiqui dabant *quatuor* descriptiones *vacui.* — *Una* erat, quod *vacuum* est *in quo non est corpus.* — *Secunda* erat, quod *vacuum* est *in quo nihil est;* et hoc est pro tanto, quia putabant omne ens esse *corpus,* et dicebant in illo nihil esse in quo non erat corpus. — *Tertia,* quod *vacuum* est *in quo non est corpus grave vel leve.* — *Quarta,* quod *vacuum* est *in quo non est substantia, quae est hoc aliquid in actu;* et ideo ponebant *locum* esse materiam.

Contra *primam* et *secundam* arguitur simul: quia ex illis sequitur, quod *punctus* esset *vacuum:* consequens est falsum, quia de natura *vacui* est, quod sit *susceptivum corporis,* si esset; et tamen *punctus* non est susceptivus corporis. *Consequentia* patet, quia *punctus* est *in quo nihil est,* nec corpus, nec aliquid aliud. — Contra *tertiam* arguitur: quia ex illa sequitur, quod si esset aliquod corpus *sonorum,* quod non esset *grave,* vel *leve,* quod locus repletus illo corpore esset *vacuus;* quod est falsum. Et patet *consequentia;* quia non haberet in se gravitatem, vel levitatem. — Contra *quartam* obiicitur: quia si *vacuum* esset materia corporis, sequeretur quod *locus* esset *materia,* quod est improbatum prius, quia materia non est separabilis * naturaliter * ab illo cuius est materia, sed *vacuum* est separabile, sicut sic ponentes confitentur; igitur *vacuum non est materia.*

Ponit * igitur Aristot. * veram descriptionem *vacui,* scilicet, quod *vacuum* est *locus privatus corpore.* — Primum patet ex *quid nominis vacui.* Unde per *vacuum* omnes intelligunt *susceptivum corporis,* in quo natum est esse corpus; et tamen in illo nullum est corpus. — *Ib. Exposit.* text. 57. 58. 59. 60. n. 24. seqq.

Vapor — Exhalatio. — *Vapor* est *quidam fumus per astrorum et Solis actionem elevatus ab aqua et corporibus aqueis;* cuius naturalis complexio est calida et humida, ex quo natae sunt fieri *nubes, pluviae, grandines, rores,* et *pruinae.* — Sed *exhalatio* est *fumus per actionem Solis et aliorum astrorum calefacientium a terra et corporibus terrestris elevatus;* qui naturaliter est calidus et siccus; et ex quo natae sunt fieri impressiones *ignitae, stellae comatae, venti,* et *terraemotus.* — *Meteor.* I. q. 6. n. 3. — Vid. *Exhalatio.*

Vas. — *Vas* est *locus mobilis,* secundum Aristot. *IV. Physic.* — *Oxon.* IV. d. 13. q. 2. n. 13.

Vectio. — Vid. *Motus naturalis — violentus.*

Vertigo. — Vid. *Motus naturalis — violentus.*

Velle dupliciter accipitur. — *Velle* aliquando sumitur pro *quacumque determinatione* in voluntate, sive innata, sive impressa noviter ab obiecto: alio modo pro actu *elicito* a voluntate. — *Collat.* XIV. n. 2.

Velle et nolle efficax — remissivum — Permissio. — In nobis potest distingui duplex actus voluntatis, *velle,* scilicet, et *nolle;* et uterque est actus *positivus,* et si sint circa *idem* obiectum sunt *contrarii* actus, qui exprimuntur aliis vocabulis, quae sunt *amare* et *odire.* — Et utrumque in nobis potest distingui: ut velle distinguatur in velle *efficax,* et in velle *remissum:* ut dicatur *velle efficax* quo voluntati non tantum complacet esse voliti, sed si posset statim ponere volitum in esse, statim poneret. — Ita etiam *nolitio efficax* est qua non tantum nolens impedit aliquid, sed si possit omnino destruit illud. — *Voluntas* autem *remissa* est qua ita placet volitum, quod tamen voluntas non ponit illud in esse, licet possit ponere illud in esse. — *Nolitio* etiam *remissa* est qua ita displicet nolitum, quod non prohibeat

illud esse, licet possit. — In nobis ergo *permissio* proprie videtur esse *nolitio remissa* alicuius mali quod scio, non enim dicor proprie permittere illud de quo nihil scio, vel illud quod ita fit ab alio, quod placet mihi; sed illud *permitto* quod *scio ab alio male fieri*, et *displicet*, si non prohibeo, hoc permitto, etsi tamen possem prohibere.

Signum autem *efficacis volitionis*, si fiat *immediate* a voluntate, est *adimpletio; si per alterum*, est *praeceptum*; et *volitionis remissae* in nobis forte est *consilium* signum vel *persuasio* sive *monitio*; ita signum *nolitionis remissae* est *permissio* vel *dissuasio*, et signum *nolitionis efficacis* est *prohibitio*.

Si ista distinctio posset poni in Deo, ita quod sicut *unus actus* eius est *velle* et *nolle*, et hoc *sine contrarietate* vel *distinctione* in illo actu in se, ita poneretur super quaedam obiecta volita eius *velle efficax*, et similiter *nolle* suum super obiecta quaedam nolita *efficax*, super quaedam autem non, tunc posset dici *nolitio* Dei *remissa* respectu illorum obiectorum quae ita nollet, quod tamen *non vellet ista prohibere*; et haec nolitio Dei posset dici *permissio* eius; et ita est actus in Deo inquantum transit super obiectum sic se habens ad voluntatem divinam. — *Oxon.* I. d. 47. n. 2.

Si autem istud non placet, pro eo quod *nolitio* cuiuscumque *positi in esse* videtur esse cum aliqua *tristitia* et cum aliqua *imperfectione* ipsius *voluntatis* nolentis, tunc potest dici, quod *permissio extra* vel *signum* est quod *effectus sit*, qui tamen est *contra praeceptum divinum*; et istud est *permissio*, quod est signum voluntatis divinae. — Huic autem non correspondet aliquid in *ipsa voluntate* divina, nisi *non velle prohibere illud*, sive *non nolle*, quod est *negatio actus divini positivi*, et per consequens non est actus positivus. — *Ib.* n. 3. — Vid. *Voluntatis actus multiplex*.

Velle propter volitum — propter volentem. In genere non est nisi duplex actus voluntatis: *velle* et *nolle*. — *Velle* etiam est duplex in genere: aut *propter volitum* sive propter bonum voliti: aut *propter volentem* vel propter bonum volentis. *Primum velle* dicitur esse amoris *amicitiae: secundum* amoris *concupiscentiae*. Et solum primum velle est *frui*, quod est *amore inhaerere propter se*, scilicet, *amatum*. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 5. n. 2.

Velle virtuosum. — Dicitur aliquod *velle virtuosum*, non quia a *virtute* procedit *elicitive*, quia nullus habitus est principium *totale elicitivum* actus, sed dicitur *virtuosus* actus, quia *conformis inclinationi virtutis*, vel quia *elicitus secundum virtutem*. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 10. n. 7. — Vid. *Actus imputabilis — nudus*, etc. — *Actus virtuosus*.

Velocius. — Aristoteles in *isto VI. text.* 12, probat *tres* definitiones *velecioris*. Quarum prima est ista: *Velocius* est *quod in eodem tempore pertransit maius*. — Secunda, *velocius* est *quod in minori tempore pertransit aequale*. — Tertia, *volocius* est *quod in minori tempore pertransit maius*.

Notandum, quod *velox* et *tardum*, aut etiam *velocius* et *tardius*, non dicuntur nisi in comparatione ad alium motum; et ideo si in toto mundo non esset aliquis motus nisi unus, nec aliquis fuisset in praeterito ad quem potuisset comparari, ille motus non diceretur *velox*, nec *tardus*.

Hoc stante, definitiones praedictae sunt bonae, observatis quibusdam conditionibus. — *Physic.* VI. q. 4. n. 2. — *Conf. tot. hanc quest. et seqq. in quibus conditiones explicantur*.

Velocitas. — Vid. *Tempus — Velocitas*.

Venditio. — Vid. *Dominii translatio*.

Verbi compositio. — Vid. *Grammat. specul.* n. 128.

Verbi coniugatio. — Vid. *Grammat. specut.* n. 135.

Verbi definitio. — Vid. *Grammat. specul.* n. 117.

Verbi divini subsistentia — Persona Verbi *subsistit* in duabus naturis: in una a qua habet *primum* esse; in alia quasi *adventitia*, qua habet *secundum* esse; et ita habet *duo esse:* sicut aliquo modo si Sortes diceretur *subsistere* in *humanitate* et *albedine*.

Sed opinio * quae * dicit personam Christi esse *compositam*, non tenetur communiter,

proprie loquendo de *compositione*, scilicet, ex *actu* et *potentia*, sicut ex *materia* et *forma*, vel ex duobus potentialibus, qualia sunt ista quae apud Philosophum dicuntur *elementa* et *integrantia* naturam totalem. — *Oxon*. III. d. 6. q. 3. n. 2.

Auctoritates ergo Damasceni, quae sonant illam personam esse *compositam*, debent exponi, quod ita vere est ibi ista natura tam divina quam humana ac si componerent personam; sed *non componunt*, nec aliquod tertium fit ex eis, sed distincte et inconfuse manent. Et hoc idem dicit ipsemet Damascenus, *lib*. III. *c*. *3*.: *Si secundum haereticos unius naturae compositae Christus exlitit, ex simplici natura versus est in compositam, et neque Deus vocatur neque homo: quemadmodum ex anima et corpore hominem, vel ex quatuor elementis corpus, et neutrum componentium est.* Debet ergo exponi et dici personam compositam propter unionem duarum naturarum, in quibus subsistit; sed verius negari potest compositio, quia una non perficit aliam, nec ex eis est aliqua natura tertia. — *Ib*. n. 3.

Verbi figura. — Vid. *Grammat. specul.* 79 et seqq. et 145.

Verbi forma multiplex. — Vid. *Grammat. specul.* n. 134.

Verbi genus. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 137 et seqq.

Verbi modus. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 131 et seqq.

Verbi numerus. — Vid. *Grammat specul.* nn. 75 et seqq., 145.

Verbi persona. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 94, 145 seqq.

Verbi personatio seu compositio. — *Duplex est compositio:* — *Una* quae est *modus significandi* in verbo, secundum quam actus inclinatur ad substantiam; et illa compositio communiter est in omni verbo personali; unde a quibusdam vocatur *personatio.* — *Alia* est *compositio* quae designatur per hoc verbum *est*, et non est modus significandi, sed est *res verbalis significata.* — Quae compositio differt a prima; quia *prima* non facit compositionem affirmativam vel negativam, sed est in omni verbo personali; *secunda* vero, per hoc quod designat aliquid esse vel non esse de aliquo, facit propositionem affirmativam vel negativam; nam ab hac compositione dicitur *propositio affirmativa* vel *negativa;* et est alia in affirmativa, et alia in negativa; *prima* autem non; et hoc intelligitur de omni verbo, secundum quod est pars propositionis vel enuntiationis. — *Opus Secund. super Periherm.* q. 6. n. 11.

Compositio, quam importat verbum ex sua significatione verbali, est compositio quae significat verum vel falsum. — *Ib.* n. 13.

Verbi qualitas. — Vid. *Grammat. specul.* 140.

Verbi significatio. — Vid. *Grammat. spec.* n. 136.

Verbi tempus. — Vid. *Grammat. specul.* n. 147.

Verbum. — Non quaecumque notitia actualis obiecti est *verbum* eius, sed illa quae de *ipso nascitur tamquam proles*, hoc est, non tantum est naturalis similitudo eius, sed *naturaliter gignitur* ab ipso *nascendo.* — *Quodlib.* q. 14. n. 19.

Quia ratio *verbi* praecipue accipitur ab August. *lib. de Trin.*, supponenda sunt quaedam certa, quae secundum ipsum conveniunt *verbo*, et ex illis investigandum est quid est in intellectu, cui potissime illa conveniant, quae et id ponendum est *verbum.* — Et *secundo* per divisionem sunt illa removenda ab omni eo quod non est verbum, sicut facit Philosophus, *II. Ethic.* ad inquirendum genus *virtutis*, ubi dividit illa quae sunt in anima, ut *potentias* et *passiones*, et *habitum.* — *Tertio*, illis remotis, quae non conveniunt illi, de quo queritur.

Verbum igitur, secundum ipsum, est *actus intelligentiae*, ut patet comparando Trinitatem quam ponit *IX. De Trinit. cap. ult.*, Trinitati quam ponit *cap. 11. lib. X;* notitia enim correspondet intelligentiae. *Verbum* etiam non est sine *actuali cogitatione*, sicut patet *XV. De Trinit. cap. 15. Verbum* etiam genitum est de *memoria*, vel de *scientia in memoria*, vel de *obiecto relucente in memoria*, sive in *scientia*, sicut patet per ipsum *XV. De Trinit. cap. 10: Formata quippe cogitatio ab ea re quam*

scimus VERBUM est; et cap. 14: VERBUM NOSTRUM *de nostra scientia nascitur:* et VERBUM *Dei de Patris scientia natum est.* Et ista omnia sunt eadem, quia secundum ipsum, *IX. De Trinit. cap. ultimo, a cognoscente et cognito paritur notitia:* quae duo sunt una causa integralis respectu notitiae genitae. *Verbum* etiam ab eo inquiritur propter *imaginem in mente;* et ponitur secunda pars imaginis, scilicet, *proles,* sicut patet per ipsum *IX. De Trinit. cap. ultimo: Est igitur quaedam imago Trinitatis ipsa mens et notitia eius, quae est proles eius, ac de seipsa verbum eius, et amor tertius.* — *Oxon.* l. d. 27. q. 3 n. 11.

Posset igitur describi *verbum,* quod *verbum* est *actus intelligentiae productus a memoria perfecta, non habens esse sine actuali intellectione, repraesentans Verbum divinum,* propter illud enim Augustinus inquisivit de verbo nostro.

Ex his apparet, quod *verbum* nihil est pertinens ad *voluntatem,* neque ad *memoriam,* quia est *secunda* pars *imaginis,* nec *prima,* nec *tertia;* et per consequens non est *species intelligibilis,* nec *habitus,* nec aliquid pertinens ad *memoriam.* Est igitur aliquid pertinens ad *intelligentiam;* in intelligentia autem non videtur esse nisi vel *actualis intellectio,* vel *obiectum* terminans illam intellectionem. Vel, secundum alios, *species genita in intelligentia de specie in memoria;* quae species in intelligentia praecedit actum intelligendi. Vel, secundum aliquos, ipsamet intellectio, ut *passio quasi causata a se,* ut *actio.* Et secundum haec *quinque* possunt esse *quinque* opiniones *verbo.* — *Ib.* n. 12. — *Improbatis aliorum opinionibus prosequitur:*

Sequitur igitur per viam divisionis, quod *verbum* est *actualis intellectio.* Et hoc confirmatur per Augustin. *XV. De Trinit., cap. 15: Cogitatio quippe nostra perveniens ad illud quod scimus, atque inde formata,* VERBUM *nostrum est.* Idem etiam habetur ab eodem *XV. De Trinit. cap. 10: formata quippe cogitatio,* etc. VERBUM *est;* sicut supra dictum est.

Et confirmatur istud per simile de verbo *vocali* et *imaginabili;* formatur enim *verbum vocale* ad significandum et declarandum illud quod intelligitur; sed quod vox non statim formatur ab intelligente inquantum intelligens, sed per aliquam potentiam mediam, puta, *motivam,* hoc est imperfectionis in intellectu. Si igitur statim gigneretur, vel formaretur, ut expressivum illius quod latet in intellectu, et hoc virtute intellectus intelligentis, non minus esset *verbum;* obiectum autem habitualiter cognitum latet in memoria: si igitur virtute eius statim causaretur aliqua intellectio actualis, quae genita exprimat et declaret illud obiectum ibi latens, vere est ibi *verbum,* quia expressivum latentis, et genitum virtute eius ad exprimendum ipsum. — *Ib.* n. 14.

Ideo dico, quod non *quaelibet intellectio actualis* est *verbum,* sed tantum *notitia genita;* ideo in Patre non est *verbum formaliter.* Quaelibet autem notitia genita, quam Augustinus vocat *prolem,* est *verbum;* non tamen eo modo quo Augustinus ponit verbum *perfectum,* quod, scilicet, *repraesentet Verbum divinum.*

Primum istorum declaro: quia quaelibet intellectio actualis gignitur de memoria; imperfecta autem de imperfecta, sicut perfecta de perfecta; igitur quaelibet notitia est *proles* et expressiva parentis, et genita ad exprimendum parentem. Et istud confirmatur per Augustinum *IX, De Trinit. cap. 10: omne quod notum est* VERBUM *dicitur, animo impressum, quamdiu de memoria difiniri et proferri potest.* Item *XV. De Trinit.* cap. 12: *igitur nec interest quando illud didicerit, qui quod scit loquitur; aliquando enim statim ut discit, hoc dicit.* Et breviter: quaecumque differentia inveniatur inter notiam primam genitam imperfectam, et illam quae sequitur inquisitionem, non est differentia *formalis,* propter quam haec possit dici *verbum,* et ista non, ut videtur.

Secundum declaro sic, scilicet, quod intellectus noster *non statim* habet perfectam notitiam obiecti: quia, secundum Philosophum, *I. Physic.*, innata est nobis via procedendi a *confuso* ad *distinctum,* et ideo prius ordine originis imprimitur nobis notitia obiecti *confusa,* quam *distincta;* et ideo necessaria

est inquisitio, ad hoc, ut intellectus noster veniat ad *distinctam* notitiam; et ideo necessaria est inquisitio praevia *verbo perfecto*, quia non est *verbum parfectum*, nisi sit notitia actualis *perfecta*.

Sic igitur intelligendum est, quod cognito aliquo obiecto confuse, sequitur inquisitio per viam divisionis differentiarum convenientium illi, et inventis omnibus illis differentiis, cognitio diflinitiva illius obiecti est actualis cognitio perfecta, et perfecte declativa illius habitualis notitiae, quae primo erat in memoria; et ista distincta notitia perfecte declarativa est *perfectum verbum*. — Hoc dicit August. *IX. De Trin.* cap. 10: *Nam placet mihi quod novi*, et *definitio quid sit intemperantia*, et *hoc est* VERBUM *eius;* et ibidem praemissit in *eodem cap.* Augustinus quod iam superius positum est, quamdiu de memoria proferri et diflniri potest, id est, *distincte* et *difinite* actualiter cognosci virtute eius quod est in memoria.

Non igitur de ratione *verbi* est gigni post inquisitionem, sed necessarium est intellectui *imperfecto*, quia non potest statim habere notitiam deflnitivam obiecti; habet enim notitiam talem post inquisitionem; et ideo *verbum perfectum* non est nobis sine inquisitione. Et tamen quando *verbum perfectum* sequitur talem inquisitionem, illa inquisitio non est *generatio* ipsius verbi *formaliter*, sed quasi *praevia*, ad hoc ut generatur *verbum;* quod bene innuit Augustinus, in autoritate praeallegata lib. *IX De Trinit.* cap. 15: *Hac atque illac volubili quadam motione iactamus, cum a nobis nunc hoc, nunc illud, sicut inventum fuerit, vel occurrerit, cogitatur, et tunc fit* VERUM VERBUM, *quando ad illud quod scimus pervenit, atque inde formatur* VERBUM *eius*, etc., innuens, quod illa *iactatio*, id est, *inquisitio*, non est gignitio verbi formaliter, sed eam sequitur gignitio verbi de eo quod scimus, id est, de obiecto in memoria habitualiter cognito. — *Ib.* n. 16.

Et tunc *si obiiciatur*, ad quid tunc *inquisitio* esset necessaria?, *posset dici ad istud*, quod motus est necessarius ad hoc, ut inducatur forma perfecta, quae non posset statim in principio motus induci; vel inductio multarum formarum ordinatarum ad inductionem ultimae formae, et absque illo ordine formarum non posset ultima forma induci statim. Et sic secundum hoc ponitur iste ordo: ita quod primo est *habitualis notitia confusa:* secundo, *actualis intellectio confusa:* tertio, *inquisitio*, et in inquisitione multa *verba* de multis notitiis habitualibus virtualiter contentis in memoria: quam inquisitionem sequitur *distincta et actualis notitia primi obiecti*, cuius cognitio inquiritur; quae notitia actualis distincta imprimit habitualem in memoria perfecta, et tunc est primo *memoria perfecta*, et assimilatur *memoriae in Patre.* Ultimo, ex memoria perfecta gignitur *verbum perfectum*, sine inquisitione mediante inter ipsam et *verbum:* et illa gignitio assimilatur *gignitioni Verbi divini* perfecti ex memoria paterna perfecta.

Nullum igitur verbum est *perfecte* repraesentans Verbum divinum, quod potissime investigat Augustinus, nisi illud quod gignitur de memoria perfecta, sine inquisitione media inter talem memoriam et tale verbum, licet nec illa memoria possit haberi in nobis propter imperfectionem intellectus nostri, nisi praecedat inquisitio. — *Ib.* n. 17. — Cf. ib. d. 2. q. 7. n. 15. — II. d. 1. q. 1. n. 12.

Tria ponit Augustinus de *verbo: quod verbum est actus intelligentiae, IX De Trin.* cap. ultimo; et *XV De Trin.* 12, quod *verbum est genitum a memoria, et mens non est perfecta sine memoria;* et *XV De Trinit.* recitat utrumque. — *Secundo* ponit quod *verbum* non manet, nisi dum est actualis cogitatio, *V. De Trinit.* XV, c. 3, ponit quod est pertinens ad secundam Personam in Divinis genitam a memoria. Est ergo *verbum actus intelligentiae a memoria genitus, non manens, nisi dum est actualis cogitatio, pertinens ad secundam Personam in Divinis.* Et propter similitudinem Verbi *divini*, inquit Augustinus, ad verbum *nostrum*, Verbi generatio non pertinet ad *voluntatem*, neque ad *memoriam praecipue*, quia tunc posset esse permanens, sed *formaliter* pertinet ad *intelligentiam.* — *Report.* I. d. 27, q. 2. n. 4.

Dico ergo, quod *verbum* est *actualis cogitatio*. Si enim intellectus possit statim notificare alteri absque memoria, non assumeret signum; sed assumere signum non est emissio anhelitus sic vel sic, sed iste sonus productus sic articulatus est verbum *vocale*, et sic verbum *imaginabile* quod sibi correspondet est *verbum mentale*, quod est quoddam formatum in actu a memoria. — *Ib.* n. 8.

Notitia actualis intelligentiae non dicit *sufficientem* rationem *verbi*. — Dico tamen *secundo*, quod *omnis notitia actualis* est *verbum*. — *Tertio* dico, quod *non omnis notitia actualis* est *perfectum verbum*.

Primum patet: quia quamvis omnis notitia actualis in intellectu creato sit genita et producta, non tamen *formaliter* importat *rationem producti*; unde non dicit se esse productam; *verbum* autem dicit *rationem producti*, quia includit rationem *prolis*, quae est a parente, sicut patet per Augustinum in multis locis; et ideo non dicit *perfectam* rationem *verbi notitia actualis*.

Secundum patet: quia nihil oportet addere ad notitiam actualem, ad hoc, quod sit *verbum*, nisi quod sit *producta*; sed quaelibet notitia actualis in intellectu creato est producta, quia nulla talis est in intellectu creato, nisi sit accidens ei; et ideo convertuntur in intellectu creato, quod sit *notitia actualis*, et quod sit *verbum*: non autem converterentur si aliqua notitia actualis non esset producta.

Tertium patet, quod non omnis notitia actualis est verbum *perfectum*, quod Augustinus inquirit: quia *verbum perfectum* gignitur virtute memoriae perfectae *sine inquisitione*: non autem omnis actualis notitia sic gignitur in nobis, quia innata est nobis via a *confusis* ad *distincta* cognoscenda. Unde prius habetur in nobis cognitio *confusa*, quae est verbum *imperfectum*; ideo non repraesentat Verbum aeternum. — *Ib.* q. 3. n. 4.

Ultimum dubium istius *quaestionis* est, utrum ad rationem *verbi* concurrat *voluntas*, puta, utrum de ratione eius sit, quod sit notitia *voluntate genita*, vel voluntate *agente*, vel *copulante* eam memoriae, secundum Augustinum in multis locis? Istam quaestionem movet Augustinus *IX. De Trinit. cap, 10. Recte ergo*, inquit, *quaeritur, utrum omnis notitia sit verbum, an tantum amata notitia. Novimus enim et ea quae odimus, sed non concepta, nec parta dicenda sunt animo*. Et respondet: *non omnia quae quoquo modo tangunt concipiuntur, sed aliqua, ut tantum nota sint, non tamen* VERBA *dicantur, sicut illa de quibus nunc agimus. Aliter enim dicuntur* VERBA *quae spatia temporum syllabis tenent, aliter omne quod notum est* VERBUM *dicitur, quandiu de memoria proferri vel definiri potest, quamvis res ipsa displiceat*. Et subdit postea: *Verumtamen cum illa quae odimus recte displicent, recteque improbantur, approbatur eorum improbatio, et placet, et* VERBUM *est, et neque vitiorum notitia nobis displicet, sed ipsa vitia.*

Ita quod de ratione *verbi* non est gigni *amore obiecti* cogniti, sed nec etiam gigni *amore notitiae* quae est *verbum*. Tamen *concomitatur perfectum verbum* duplex actus *voluntatis*: unus *praevius*, quo *imperatur* actus ille et inquisitio praevia, sine qua non perveniretur ad *verbum perfectum*, sicut patet *IX. De Trin. cap. ult.*; et alius quo *intellectus quiescit* in intellectuali notitia iam habita, sine quo non permaneret intellectus in notitia iam habita. Non igitur actus *voluntatis* est de *essentia verbi*, nec *formaliter*, nec ut *causa*, sed *concomitatur* necessario ad *generationem* eius in nobis, propter inquisitionem eius praeviam, et ad continuationem eius similiter, propter hoc quod si intellectio voluntati non complaceret in ista notitia, intellectus non permaneret in ea, et ita ista notitia non haberet rationem *verbi permanentis*; ista tamen *permanentia* non est de ratione *perfecti verbi intensive*, quia non minus perfecta est albedo unius diei quam unius anni. Voluntas autem respiciens obiectum cuius est *verbum* non pertinet ad rationem *verbi*, nisi *stricte* sumendo *verbum*, quo modo Augustinus pertractat capite praeallegato: *Nemo potest dicere Do-*

minus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Hoc *dicere* includit acceptationem obiecti dicti, et addit aliquid ultra rationem *verbi absolute.* — *Oxon.* ib. n. 18. — Vid. *Persona secunda SS. Trinitatis.*

Cum arguitur, secundum Augustinum, IX *De Trinitate,* 10. *Verbum est cum amore notitia, dico,* quod per hoc quod dicit *cum amore* circumloquitur in nobis *notitiam genitam,* quia amor non habet causalitatem respectu verbi, nisi ut *imperat intellectui gignitionem ipsius,* sicut dictum est *quaestione praecedenti.* In Divinis autem verbum est notitia naturaliter expressa, quia quod voluntas in nobis habeat causalitatem respectu verbi gignendi per imperium eius, hoc est *imperfectionis* in intellectu, quia non statim habet verbum perfectum. — *Ib.* n. 21.

Verbum activum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 121 et 138 seqq.

Verbum adiectivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 120.

Verbum adiectivum activum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 121.

Verbum adiectivum neutrum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 123.

Verbum adietivum passivum. — Vid. *Grammat. specul.* n. 122.

Verbum commune. — Vid. *Grammat. specul.* 125, 143.

Verbum deponens. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 125, 142.

Verbum de praesenti quomodo significet. — *Verbum praesens* per se acceptum significat *praesens;* significat autem *verbum de praesenti* rem suam, non prout est aliquid habens esse in praesenti, vel futuro, sed sub modo essendi *praesentialiter* rem suam denotat; quia *praeteriti* nulla pars instat, nec *futuri,* sed *praesens instat,* et *verbum de praesenti* significat rem suam per modum *instantis.* Et est quodammodo simile de nomine *primario* suorum appositorum, vel soppositorum, et de *verbo praesenti;* quia *homo* significat formam hominis, ut hominem in actu, non hominem in potentia, nec hominem qui fuit sub illis nominibus, sed hominem secundum actum et formam, et quodlibet ut intelligitur ut actum habens hominis intelligitur *homo.* Sic *verbum de praesenti* denotat rem suam, prout actum *praesentis* habet; et quodlibet tempus cum intelligitur ut actum habens *praesentis* consignificatur per *verbum de praesenti.* Differentia tamen est in hoc, quod quia *terminus communis* significat sine tempore, nihil prohibet ipsum intelligi simul convenire pluribus quorum quodlibet intelligitur ut habet actum hominis. Sed de *temporibus praesentibus,* quae multa sunt secundum ordinem et successionem, non potest intelligi, quod multa sunt simul, quibus conveniat praesens in actu; propter quod dissimile est de *nomine* ad supposita, et de *verbo* praesentis temporis. — *Op. II. super Periherm.* q. 6. n. 14.

Sciendum est, quod *verbum de praesenti* pro eodem tempore copulat extremum extremo, quod consignificat. Unde sicut consignificat *praesens* tempus, sic discretum, ut distinguitur a praeterito et futuro, pro tali tempore copulat. Unde non potest intelligi, quod copulat pro hoc *nunc* significato, quorum *tunc* transacto, hoc *nunc* significaret verbum praesentis temporis. Nec copulat praesens commune ad praesens quod *fuit,* et ad praesens quod *erit,* et quod *est,* prout nomen cummune significat; nam tunc ista, *tu eris albus,* posset istam verificare, *tu est albus;* copulat igitur pro quolibet tempore *praesenti,* cum fuerit *actu praesens.* — *Ib.* n. 15. — Cf. *Oxon.* IV. d. 8. q. 2. n. 15 seqq.

Verbum duplex. — Eiusdem rei est *duplex verbum:* unum *adaequatum,* quod est definitio eius; et aliud non adaequatum, sed *commune sibi et aliis,* ut *verbum* sui *generis,* quod tamen non est ei adaequatum. — *Report.* I. d. 36. q. 4. n. 24.

Verbum gigni est tripliciter. — Ista tria accipit Augustinus pro eodem: verbum *gigni de memoria,* et verbum *gigni de scientia in memoria,* et verbum *gigni de re nota;* quia per *scientiam* intelligit actum primum, per quem anima est in actu sufficienti ad actum intelligendi, et in virtute illius primi actus gignitur *verbum,* et in illo actu primo relucet obiectum; et pro tanto dicitur gigni *de obiecto.* Igitur de *scientia* gignitur ut

de principio *formali* gignendi; de *obiecto* autem ut *relucente* in illo principio; de memoria vero ut *continente* illud principium. — *Quodlib.* q. 15. n. 11. — Vid. *Verbum.*

Verbum grammaticale. — Vid. *Grammat. specul.* nn. 24. 110 et seqq.

Verbum in Divinis. — Dico, quod Pater *formaliter* est *memoria, intelligentia* et *voluntas.* Augustinus, *V. De Trin.* cap. 7. sive 14. *De Parvis: In illa Trinitate quis audeat dicere Patrem, nec seipsum, nec Filium, nec Spiritum Sanctum intelligere, nisi per Filium, vel diligere nisi per Spiritum Sanctum? Per se autem meminisse tantummodo, vel sui, vel Filii, vel Spiritus Sancti?* Sequitur: *Quis haec in illa Trinitate vel opinari, vel affirmare praesumat? Si enim solus ibi Filius intelligat, ut intelligentia sit et sibi et Patri et Spiritui sancto, ad illam absurditatem reditur, quod Pater non sit sapiens de se, sed de Filio.* Haec ille. — Intelligit igitur, quod Pater *formaliter* est *memoria* sibi, *intelligentia* sibi et *voluntas* sibi; et in hoc est dissimilitudo inter *personas* et *partes imaginis* in nobis, secundum ipsum. — *Cum igitur dicitur,* proprius actus intelligentiae est Verbum, *nego,* imo de ratione *Verbi* est, quod sit *notitia genita.* — *Dices,* sufficit quod sit notitia *declarativa; nego,* intelligendo per *declarativum* relationem *rationis,* ut est *intelligibile* ad *intellectum;* talis enim relatio est notitiae declarativae *actualis* Patris, qua Pater formaliter intelligit, ad notitiam *habitualem* Patris ut est memoria, ita quod obiectum praesens intellectui Patris declaratur aeque perfecte per notitiam actualem Patris, sicut per notitiam actualem quae est Filius, et tamen notitia actualis Patris non est Verbum, quia nihil potest esse formaliter in Patre nisi *non genitum.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 24.

Cum vero dicitur secundo, quod est *notitia de notitia; respondeo,* quod ipsemet Augustinus exponit se *XV. De Trin.* cap. 11. *Simillima est visio cogitationis visioni scientiae;* et eodem cap. 12. sive 32 *De Parvis: Tunc enim est verbum simillimum rei notae de qua gignitur et imago eius, quando de visione scientiae visio cogitationis exoritur.* Istae constructiones sunt *intransitivae;* nam sicut *visio cogitationis* nihil aliud est quam *cogitatio,* ita *visio scientiae* nihil aliud est quam *scientia;* idem est igitur dicere de *visione scientiae* nasci *visionem cogitationis,* quod de *scientia* nasci *cogitationem: scientia* autem est forma habitualis perficiens memoriam, secundum eumdem *XV. De Trin.* cap. 15, ubi dicit: *Si potest esse in anima scientia sempiterna, sempiterna non potest esse eiusdem scientiae cogitatio.* Illud *sempiternum,* secundum eum, pertinet ad *memoriam,* non *sempiternum* ad *intelligentiam.* Nihil igitur aliud vult dicere *visionem* de *visione, notitiam* de *notitia,* nisi *actum secundum,* qui est *visio* vel *cogitatio* in intelligentia, nasci de *actu primo,* qui est *memoria,* quae est visio habitualis vel scientia, secundum eum. — *Ib.* n. 25.

Cum in Divinis *intellectualiter exprimi* sit proprietas secundae Personae, sequitur, quod *Verbum* sit ibi mere personale et *significet proprietatem* personalem. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 20. — Licet *connotet* aliquid *absolutum* in illa persona, quod est quasi terminus formalis productionis illius personae, et mediante illo quasi remotius *connotat respectum* ad omne illud ad quod illud absolutum potest habere respectum *rationis,* scilicet, ad omnia declarata. — *Ib.* n. 23. — Verbum * namque * divinum a Patre exprimitur, et haec expressio est relatio *originis;* huic enim expresso communicatur ex vi productionis suae notitia infinita, quae ex hoc est declarativa omnis declarabilis. Habet igitur relationem *realem* ad *exprimentem* a quo gignitur; sed aliam, scilicet, *declarantis* habet non tantum ad ipsum, sed quia est infinitum habet respectum *declarativi* ad se et ad ipsum et ad omnia alia; et ista est tantum relatio *rationis.* — *Ib.* d. 32. q. 2. n. 7.

Sed tunc ibi est unum dubium: Utrum *declarare formaliter omne declarabile* sit *proprium Verbi?* — Dicunt aliqui, quod sic, quia ex vi processionis suae hoc sibi competit. Sed de hoc dictum est supra *dist.27.quaest.3.* Et generaliter cum istud verbum *declarare* dicat relationem *rationis,* et nulla talis est

propria alicui Personae, nec includitur in *proprio* alicuius personae, sicut probatum est *dist. 18.* de *dono*, hoc *manifestare* non est *proprium* Verbo, nec includitur in eius *proprio*, sed tantum est ei *appropriatum*, pro eo quod Verbum ex vi productionis suae habet notitiam actualem sibi communicatam. — *Ib.* n. 8. — Nec *declarativum* *igitur* est propria ratio *Verbi*, sed notitiam expressam concomitatur *declarativum*, quia illa expressio est notitiae actualis, vel in notitia actuali, et ideo sibi appropriatur declarativum, licet non sit proprium eius. — *Ib.* d. 27. q. 3. n. 24. — Vid. *Persona Secunda SS. Trinitatis.*

Verbum infinitum. — *Verbum infinitum* ideo est infinitum, quia res designata per verbum simpliciter convenit ei quod *est*, et ei quod *non est*.

Verbum infinitum in oratione positum non differt a verbo *pure negativo*. Nam, sicut dicit Boetius, tunc verba infinita sunt infinita, cum sola sunt; cum autem alicui nomini adiuncta sunt, *finita* sunt. — Ratio dicti est haec: verbum aggregatur ex *duobus*, scilicet, ex *re* et *compositione*, qua significatur aliquid esse vel non esse; *verbum* autem *infinitum* fit per *additionem particulae negativae*, quae removet verbum secundum se. Cum ergo additur nomini, removet quod significatur per verbum esse de aliquo; non autem ob aliud est propositio *negativa*, nisi quia removet aliquid de *esse* ad *non esse*; igitur *verbum infinitum* est verbum intellectum *cum negatione*, quod non accidit ex parte nominis; cum enim dicitur *non homo currit* non removetur aliquid esse ab aliquo. Sed *verbum infinitum* extra orationem intelligitur ut *una dictio*; in oratione non; quia verba infinita cum sint sola intelliguntur ut nomina, nec removent aliquid ab aliquo. — *Opus prim. super II Periherm.* q. 1. nn. 3-4.

Verbum — Logos. — August. *LXXXIII QQ. q. 63*, loquens de principio Ioannis, ait quod graece λόγος dicitur latine et *verbum* et *rationem* significat. — Potest dici, quod melius interpretatur λόγος graece per illud quod est *verbum* latine, quam per illud quod st *ratio*; quia *ratio* non ita *significat respectum ad Patrem* sicut *verbum*, nec etiam ita *connotat respectum ad declarata* sicut *verbum*. Non autem vult Augustinus dicere, quod Verbum dicat essentialiter relationem ad creaturam sub ratione declarativi, quia dicit: *ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quae per Verbum facta sunt operativa potentia:* Verbum autem non dicitur *operativa potentia* Patris nisi sicut dicitur *sapientia* Patris et *ars* Patris, quae non sunt eius nisi secundum *appropriationem*. Aut si aliter intendat, quod hoc nomen *verbum* utrumque respectum significet, tunc non significat *praecise* proprietatem secundae Personae, sed cum hoc *alium respectum appropriatum;* et tunc congrua est interpretatio λόγος in *verbum*, et non in *rationem*, quia ratio nec respectum *proprium*, nec *appropriatum* ita significat. Vera est quidem interpretatio in *verbum*, propterea quod plus dicit quam proprietatem Personae; nec Augustinus dicit interpretationem esse in aliquid quod significat proprietatem Personae secundae. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 23. — Vid. *Persona Secunda SS. Trinitatis.*

Verbum neutrum. — Vid. *Grammat. Specul.* nn. 123. 138 seqq.

Verbum nostrum dupliciter est in fieri. — *Verbum nostrum* est *dupliciter* in *fieri:* — *Uno modo* est in *fieri*, quod est propria *gignitio* ipsius verbi. — *Alio modo* est in *fieri*, quod est propria *inquisitio*, praecedens illam gignitionem illius verbi; quam inquisitionem Augustinus vocat *cogitationem volubilem*.

Quod *verbum nostrum* sit in *fieri* hoc *secundo* modo, hoc est *imperfectionis*, et ex parte *verbi*, quia ponit *novitatem*, et ex parte *intellectus* nostri, quia ponit *imperfectam causalitatem;* et hoc modo Verbum divinum non est in *fieri;* et ideo concedit Augustinus verbum nostrum cogitatione *formari*, ita quod prius sit *formabile* quam *formatum*, in illa inquisitione prima. — Sed quod *verbum nostrum* sit in *fieri* quantum ad *gignitionem*, non est imperfectionis, imo est *necessarium* ad per se rationem *verbi*, et erit etiam in *patria;* et ita non est imperfectionis in Verbo aeterno semper esse

in *fieri*, id est, *gigni absque omni inquisitione praevia.* — *Oxon.* I. d. 9. n. 5.

Verbum — Participium. — Vid. *Grammat. Specul.* n. 115.

Verbum passivum. — Vid. *Grammat. Specul.* nn. 122. 138 seqq.

Verbum substantivum. — Vid. *Grammat. Specul.* n. 118.

Verbum — Suppositum. — Vid. *Grammat. Specul.* n. 133.

Verbum vocativum. — Vid. *Grammat. Specul.* n. 119.

Veritas. — *Veritas* est *adaequatio rei ad intellectum,* sive *conformitas.* — *Collat.* 19. n. 1. — *Super Univer.* q. 35. n. 7.

Veritas complexi — incomplexi. — *Prima* est relatio actus *simplicis apprehensionis* ad obiectum; et est realis, scilicet, *mensurati* ad *mensuram* — *Secunda,* licet videatur similis relatio, videtur tamen, quod actus secundus non est alicuius *absolute,* sicut primus; sed est actus *comparativus* unius conceptus simplicis ad alterum, ut alterum, ut *eiusdem* in * propositione * *affirmativa,* vel *diversi* in *negativa.* Hunc autem necessario sequitur vel concomitatur relatio *rationis* in utroque extremo ad alterum; quam habitudinem videtur signare hoc verbum *est,* ut est nota compositionis, scilicet, prout est *tertium adiacens;* et sic verum est illud *Perihermenias,* cap. 3. lib. I: *esse* significat quamdam compositionem, quam sine compositis non est intelligere, sicut nec relationem sine relativis; et sic etiam verum est illud *V. huius,* in cap. *de Ente, text. com. 14,* quod *esse* uno modo significat *verum,* hoc est, habitudinem rationis inter extrema, quae nata est esse vera. Ulterius, ista habitudo rationis conformis est rei: non quod oporteat in re esse relationem aliquam inter extrema, ut in re, similem isti relationi quae est inter extrema *ut intellecta,* imo ut ab intellectu invicem comparata; nam tunc esset haec falsa: *homo est homo.* — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 3. n. 13. — *Verum* in intellectu est *duplex,* scilicet, verum *incomplexum,* et verum *complexum,* secundum *duplicem operationem* intellectus (1), secundum quarum utramque natus est conformari obiecto ut *mensuratum mensurae.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 2. c. 6. n. 57.

Veritas dupliciter accipitur. — *Veritas* aut accipitur pro *fundamento* veritatis in re, aut pro *veritate* in actu intellectus componente aut dividente. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 8.

Veritas incomplexa — complexa. — *Veritas incomplexa* est *passio entis: complexa* est *veritas propositionis.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. II. S. un. c. 2. n. 8.

Veritas in re — in intellectu. — Distinguendum est de *vero;* est enim veritas *in rebus,* et veritas *in intellectu.* — In *rebus dupliciter* in genere, videlicet, per comparationem ad *producentem,* et per comparationem ad *cognoscentem,* sive intelligentem. — *Primo modo* dicitur *veritas absolute conformitas producti ad producens,* aut *determinate* conformitas *talis* secundum *adaequationem,* aut *determinate* conformitas secundum *imitationem.* — Et licet *primus* istorum trium modorum videatur esse communis *secundo* et *tertio,* tamen si nomen *veri* imponatur ad significandum quodcumque trium praedictorum secundum propriam rationem erit *aequivocum.*

Secundus modus invenitur in Filio Dei, qui *Veritas* est, quia est, secundum Augustinum, *summa similitudo principii;* haec enim est *conformitas cum adaequatione.* — *Tertius modus* invenitur in creatura, quae imitatur exemplar, cui aliquo modo assimilatur; *defective* tamen, alias non diceretur *imitari.*

Secundo modo, scilicet, per comparationem ad *intellectum* dicitur res *vera tripliciter: Primo,* quia *sui manifestativa,* quantum est de se, cuicumque intellectui potenti manifestationem cognoscere. — *Secundo,* quia *assimilativa* intellectus assimilabilis, qui non est nisi intellectus creatus. — *Tertio,* quia facta manifestatione vel assimilatione, res in intellectu est sicut cognitum in cognoscente.

Pro istis *sex* conceptibus exprimendis potest accipi *aequivoce veritas in re.* Patet enim, quod tres *primi* distinguuntur a tribus

---

(1) Vid. *Intellectus operatio triplex.*

aliis; quia habitudo ad *producentem* et ad *intelligentem* alia et alia est, licet idem sit intelligens et producens. Nam si per impossibile Deus esset productivus similis, et aequalis, et simili imitanti, et non esset intelligens, esset *primus* modus *tripartitus* sine *secundo*, et e converso, si esset alius Deus intelligens creaturas, non producens.

Distinctio etiam *primorum trium* inter se patet.

Aliorum *trium* ostenditur differentia: quia si nullus esset intellectus, adhuc quaelibet res secundum gradum suae entitatis esset *nata se manifestare;* et haec notitia est, qua res dicitur *nota naturae:* non quia natura cognoscat illam, sed quia propter manifestationem maiorem vel minorem nata esset, quantum est de se, perfectius vel minus perfecte cognosci. Esse autem *assimilativum* dicit rationem *activi* respectu *assimilabilis,* et sequitur naturaliter esse *manifestativum,* vel *disparatum* est non habens ordinem ad ipsum, sed semper assimilativum, et assimilatio respectu intellectus passivi praecedit hoc quod est esse in intellectu, quia illud esse est posterius natura ipso actu intelligendi, nam non est nisi relatio *rationis* fundata in obiecto ad actum. Relatio autem est posterior absoluto ad quod, est ex V.; assimiliatio autem formaliter est ipse actus intellectus, aut prior ipso. Comparando *secundum* et *tertium* ad intellectum non assimilabilem, non habent ordinem *essentialem,* sed *accidentalem,* respectu, scilicet, alicuius intellectus tantum.

Sequitur videre de *vero in intellectu. Verum* autem *in intellectu duplex* est, secundum eius *duplicem operationem,* secundum quarum utramque natum est conformari obiecto ut *mensuratum mensurae,* secundum Aristotelem in V. cap. de *Ad aliquid,* text. com. 20. et X. cap. 2. text. c. 3. l. 3. t. 3. c. 26.

Est autem inter istas veritates differentia una: quod *primae* falsitas non opponitur, sed *ignorantia* tantum; et sic intelligitur illud *De Anima,* quod *intellectus circa quod quid est semper est verus,* sicut *sensus* circa *proprium sensibile;* et hoc est intelligendum praecisse circa conceptum *simpliciter simplicem;* nam *intellectus simplex* circa conceptum *non simpliciter simplicem,* licet non possit esse *formaliter* falsus, potest tamen esse *virtualiter* falsus, apprehendendo aliquid sub determinatione sibi non conveniente; et hoc modo dicitur in cap. *De Falso, text. comment.* 34, quod est aliqua ratio *in se* falsa, non solum *de aliquo* falsa, et tamen ratio illa in se falsa *simplici apprehensione* intelligibilis est, sed illa non includit vel exprimit aliquod *quid,* nisi forte *quid nominis.* Eodem modo potest exponi ultimum capitulum *IX. text. com. 21. et 22.,* ubi videtur Aristoteles distinguere de intelligentia *simplicium,* inquantum est circa *quid simplicium,* et circa *quid compositorum,* quod circa *quid compositorum* cadit deceptio *per accidens,* quia, scilicet, eorum *quid* natum est facere conceptum *non simpliciter simplicem,* in quod potest cadere falsitas *virtualiter;* non sic in *quid simplicium;* si enim intelligeret *per accidens,* scilicet, in attribuendo alteri illud *quid,* non esset differentia, quia ita in *quid simplicium* potest intellectus simplex esse *falsus per accidens. Secundae* autem veritati opponitur ignorantia *privative,* et falsitas *contrarie,* quando, scilicet, uniuntur quae in re non sunt unita.

Secunda differentia est in *modo essendi veritatis,* in hac operatione et illa; licet enim sit in utraque operatione *veritas propria formaliter,* non tamen *obiective,* sed tantum in *secunda.* Nam neutra veritas est in intellectu *obiective,* nisi reflectente se super actum suum, comparando illud ad obiectum, quae reflexio, scilicet, in cognoscendo quod *actus talis* est *similis* vel *dissimilis,* non est sine *compositione* et *divisione.* — Patet autem distinctio istorum modorum essendi veritatis in intellectu, scilicet, *formaliter* et *obiective,* quantum ad *primam* operationem. — Quoad *secundam* declaratur: quia intellectus multas propositiones format et apprehendit actu secundo, quae tamen sunt ibi *neutrae,* ex *I. Topic.* Licet igitur in illo sit *formaliter* veritas vel falsitas, aut quia est conformitas rei extra, aut non, tamen non est ibi *obiective,* quia *non apprehenditur* ista conformitas.

Contra illud videtur, quod *principia* statim cum apprehenduntur, cognoscuntur esse vera. *Respondeo:* propter evidentem habitudinem terminorum, intellectus componens statim percipit actum componendi esse conformem entitati compositorum. Posset ergo dici, quod ibi est alius actus et *reflexus*, sed imperfectus, quia *simul tempore;* in aliis, ut in conclusionibus, differunt tempore.

Contra, quo modo actus *primus* circa principia erit *reflexus?* — *Respondeo*, non primus, qui est *compositio*, sed *secundus* qui est *assensus*, et circa *iudicabilia* posset dici *iudicare*. — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 3. n. 5-7. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. nn. 12. et seqq. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IX. S. 2. c. 6. p. 57.

Veritas in re — in signo. — *Verum in re* est illud quod apparet, et veritas non est *conformitas* sive *similitudo* quae est inter diversa, sed *identitas* ut *manifestati* ad *se*, ut declarans sive manifestans, sive apparens; non ergo est veritas ratio declarantis sive manifestantis, sed illa est ad alterum extremum, ad quod significat non conformitatem, sive similitudinem, sed identitatem, accipiendo eam in communi. — Sed *verum in signo* dicit significatum esse id quod manifestatur per signum, et in hoc signum manifestare illud quod est, et ita *conformitatem signi* ad *signatum*. — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 3. n. 8. — *Veritas* et *falsitas* non sunt in *signo* nisi per *signatum; veritas* enim *signi* est *conformitas eius cum signato*, et *falsitas difformitas*. — *Opus prim. super. I. Periher.* q. 2. n. 4.

Veritas principii — conclusionis — propositionis contingentis. — Illam complexionem cognosco esse *veram*, cognoscendo conformitatem eius ad illam habitudinem virtualiter inclusam in extremis, quae quandoque includitur in extremis *ex natura extremorum*, non per aliud prius: quandoque per *aliud prius* includens: quandoque nullo modo ex natura terminorum vel includentium ipsos, sed *a causa extrinseca* coniungente ipsa vel disiungente. — *Primo modo* est in *principio* demonstrationis. *Secundo modo* in *conclusione*, cuiuscumque terminorum habitudinem realem, praecedentem actum intellectus, includit virtualiter ipsa habitudo intrinseca in terminis principiorum, et ex sui ipsorum natura. *Tertio modo* est in *propositione contingente*.

Itaque in *primo* modo extrema absolute intellecta extatim nata sunt facere ex se in intellectu illius notitiam habitudinis ipsorum, sicut et alia absoluta relationis necessario consequentis. Quando ergo intellectus coniungit terminos illos componendo, *statim videt conformitatem* actus sui ad illam habitudinem, quam prius natura habuit notam ex terminis. — Quando autem componit terminos *conclusionis*, non videt actum illum esse conformem habitudini reali terminorum, donec videat illam habitudinem terminorum, cuius notitia non fuit impressa sibi ex terminis conclusionis, nec imprimitur, nisi ex notitia habitudinis terminorum principii, quae includit illam. — Quando autem componit terminos *propositionis contingentis*, non videt actum esse conformem, nisi videndo habitudinem terminorum *in re*, quia causa extrinseca si facit eam, facit circa terminos ut in re, non ut in conceptu, et tunc oportet videre intellectualiter terminos in re coniungi vel dividi. — *QQ. Metaph.* lib. VI. q. 3. n. 10. — Cfr. *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 7. — IV. d. 47. q. 1. n. 3. — *Quodlib.* q. 15. n. 19. Vid. *Conclusio.*

Veritatem in regulis aeternis videri potest esse quadrupliciter. — Propter verba Augustini oportet concedere, quod *veritates infallibiles videntur in regulis aeternis*. — Ubi primo nota, quod potest ly *in* accipi *obiective*, et hoc quadrupliciter: vel sicut in *obiecto proximo*, vel sicut in *continente obiectum proximum*, vel sicut in eo *virtute cuius obiectum proximum movet*, vel sicut in *obiecto remoto*.

Ad intellectum *primi* dico, quod omnia intelligibilia actu intellectus divini habent esse intelligibile, et in eis omnes veritates de se relucent, ita quod intellectus intelligens ea, et in virtute eorum intelligens necessarias veritates de eis, videt in eis *sicut in obiectis* istas veritates necessarias. Illa autem, inquantum sunt obiecta secundaria intellectus divini, sunt *veritates*, quia

conformes suo exemplari, intellectui, scilicet, divino; et sunt *lux*, quia manifestativae; et sunt *immutabiles* ibi et *necessariae;* sed *aeternae* sunt *secundum quid*, quia aeternitas est conditio existentis, et illa non habent existentiam nisi *secundum quid.* — Sic ergo primo possumus dici videre ea in *luce aeterna*, hoc est, in *obiecto secundario* intellectus divini, quod est veritas vel lux aeterna modo exposito.

Secundus modus patet similiter: quia intellectus divinus continet istas veritates *quasi liber*, sicut dicit illa auctoritas Aug. *De Trin.* XIV. c. 15, quod *istae regulae scriptae sunt in libro lucis aeternae*, id est, in intellectu divino, inquantum continet veritates istas. Et licet ille liber non videatur, videntur tamen illae quidditates vel veritates quae sunt scriptae in illo libro. Et eatenus posset dici intellectus noster videre veritates in *luce aeterna*, hoc est, in illo libro, sicut in *continente obiectum*, et hoc secundum unum modum; vel etiam in illis veritatibus quae sunt lux aeterna *secundum quid*, sicut in obiectis videmus, et hoc secundum *primum modum*. Et alter istorum modorum videtur esse de intellectu Augustini XII *de Trin.* cap. 14, quod *ratio quadrati corporis manet incorruptibilis et immutabilis*, etc.; non autem manet talis nisi ut est obiectum secundarium intellectus divini.

Contra tamen *primum* modum est dubium: Si enim non videmus istas veritates *ut in intellectu divino*, quia non videmus intellectum divinum, quomodo dicemur videre in *luce increata*, ex hoc quod videmus in tali luce aeterna *secundum quid*, quae habet esse in luce increata, sicut in intellectu cognoscente? — Huic respondet *tertium membrum*, quod illa, ut sunt *obiectum secundarium* intellectus divini, non habent esse nisi *secundum quid;* operatio autem *vere realis* non competit praecise alicui enti *secundum quid* virtute sui; sed si aliquo modo competit sibi, hoc oportet esse virtute alicuius cui competit esse *simpliciter*. Igitur istis obiectis secundariis non competit movere intellectum praecise, nisi in virtute esse intellectus divini, quod est *esse simpliciter*, et per quod ista habent esse *secundum quid.* — Sic igitur in luce aeterna *secundum quid* sicut in *obiecto proximo* videmus; sed in *luce increata* videmus secundum *tertium* modum, sicut, scilicet, in *causa proxima*, cuius virtute obiectum proximum movet.

Iuxta hoc etiam potest dici, quod quantum ad *tertium modum* videmus in luce *aeterna* sicut in *causa proxima obiecti in se;* nam intellectus divinus producit ista actu suo in esse *intelligibili*, et actu suo dat huic obiecto esse tale et illi tale, et per consequens dat eis talem rationem obiecti, per quam rationem primo movent intellectum ad cognitionem talem certam. — Et quod proprie posset dici intellectum nostrum videre in *luce aeterna;* quia lux est causa obiecti, apparet per simile: quia proprie dicimur intelligere in lumine intellectus agentis, cum tamen illud lumen non sit nisi causa activa, scilicet, vel faciens obiectum in actu, vel virtute cuius obiectum movet, vel utrumque. Ista igitur duplex causalitas intellectus divini, qui est vera lux increata, videlicet, quod producit obiecta secundaria in esse intelligibili, et quod est illud virtute cuius obiecta secundaria etiam producta movent actualiter intellectum, potest quasi integrare unum *tertium membrum* de causa propter quam dicamur vere videre in *luce aeterna* — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. nn. 18-19.

Ultimo modo potest concedi, quod cognoscuntur veritates sincerae in luce aeterna sicut in *obiecto remoto cognito:* quia lux increata est primum principium entium speculabilium, et ultimus finis rerum practicarum, et ideo ab ipsa sumuntur principia tam speculabilia quam practica. Et ideo cognitio omnium, tam speculabilium quam practicabilium, per principia sumpta a luce aeterna ut cognita, est perfectior et purior cognitione sumpta per principia in genere proprio, et est eminentior alia quacumque. Et hoc modo cognitio omnium pertinet ad Thelogum. Cognoscere enim *triangulum habere tres*, ut est quaedam participatio Dei, et habens talem ordinem in universo, quod quasi exprimit perfectionem Dei, hoc est nobiliori modo cognoscere triangulum habere tres quam per rationem trianguli; et ita co-

gnoscere, quod *temperate vivendum* sit propter beatitudinem ultimam consequendam, que est attingendo Dei essentiam in se, est perfectius cognoscere istud cognoscibile practicum, quam per principium aliquod in genere moris, puta per hoc, quod *honeste vivendum sit.* — Secundum aliquem dictorum modorum videndi exponi possunt auctoritates Augustini quae occurrunt de ista materia. — *Ib.* n. 23.

Veritates multiplices. — Sunt quaedam *veritates necessario venientes* * *in mentem, cognitis terminis* *, sicut prima principia, et multa principia *naturalia* et *moralia,* sicut quod *ignis naturaliter calefacit stupam.* In *moralibus,* quod *pater est honorandus.*

Aliae sunt veritates de quibus *neutro modo opinamur,* scilicet, ad cuius neutram partem contradictionis potest adduci aliqua probatio, cum altera pars sit vera et necessaria, sicut in his, *stellae sunt pares, stellae sunt impares;* et circa tales non accidit variatio opinionum.

Aliae sunt quarum utraque pars est *aliqualiter probabilis,* vel una modicum magis quam alia. Et circa tales veritates solum accidit variatio opinionum in opiniones contrarias, non propter mutationem ex parte *rei,* quia illa eodem modo se habet, sed solummodo propter mutationem in *hominibus,* et *rationibus,* secundum quas homo ducitur ad assentiendum uni parti vel alteri.

Aliae sunt veritates circa quas contingit variatio opinionum propter mutationem ex parte *rei:* verbi gratiae, secundum diversitates temporum competunt diversa *cibaria,* diversus modus *aedificandi, fingendi, armandi,* et quia in omnibus actibus humanis accidit talis variatio, et in talibus est principaliter mutatio *rerum,* et consequenter mutatio *opinionum.* — *Meteor.* I. q. 5. n. 2.

Veritatis contingentis obiectum primum. — Dicitur *primum subiectum* primae *veritatis contingentis* quod visum ut tale natum est primo videri coniungi cum praedicato illo, quia primum notum in contingentibus non est nisi per intuitionem extremorum; ergo primum intuibile, cui insit primum praedicatum primae veritatis contingentis, est primum subiectum omnium veritatum contingentium ordinatarum. — *Oxon.* q. 3. *Prol.* n. 13.

Verum — Falsum. — *Verum* non est aliud quam *dicere esse quod est,* et *non esse quod non est.* — *Falsum* autem *dicere esse quod non est,* aut *non esse quod est.* — Ex quo patet, quod *verum* est dicere illud *esse,* quod *falsum* est dicere *non esse;* vel *verum* est dicere *non esse,* quod *falsum* est dicere *esse;* similiter autem *falsum* est dicere illud *esse,* quod *verum* est dicere *non esse;* vel *falsum* est dicere *non esse,* quod *verum* est dicere *esse.* Ex quo patet per definitionem *veri* et *falsi,* quod nec omnia sunt vera, nec omnia sunt falsa. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 2. c. 6. n. 93. — *Ib.* n. 85. — *Opus sec. sup. Periherm.* q. 8. n. 2.

Verum et *falsum* sunt circa *compositionem* et *divisionem* intellectus tantum sicut in *cognoscente.* Ad quod notandum, quod *verum* dicitur unumquodque ex hoc quod est *adaequatum suae mensurae: mensura* autem cuiuslibet rei est *intellectus;* ideo quaelibet res aliquo modo dicitur *vera per comparationem ad intellectum.* — *Op. II. sup. Periherm.* q. 3. n. 2.

Sed secundum, quod *duplex* est *intellectus:* quidam est *mensuratus* a rebus, quidam est *mensura* rerum. — Intellectus *noster* per comparationem ad res *naturales* est *mensuratus,* et dicitur *verus* ex hoc quod est *conformis rei,* quae est sua *mensura; artificialia* autem comparantur ad intellectum nostrum sicut *mensurata* ad *suam mensuram;* igitur *artificialia* dicuntur *vera* ex hoc quod *attingunt per suam formam perfectionem formae artificis. Domus* enim * ex. gr. * dicitur *vera* ex hoc, quod secundum formam eius in materia *assimilatur formae domus in mente artificis.*

Et dicuntur res *naturales verae* per comparationem ad intellectum *divinum.* Nam quaelibet res naturalis secundum suam formam *imitatur quodammodo speciem eius in mente divina;* unde *vera* dicitur secundum quod ad rationem illius speciei at-

tingit. Et secundum hunc modum dicitur *unumquodque ens verum*, ut *aurichalcum*, licet dicatur falsum aurum, est tamen verum aurichalcum. Similiter *sensus* dicitur *verus* ex hoc, quod *est conformis suae mensurae*, quae est suum *proprium sensibile*. *Intellectus noster* similiter dicitur *verus*, quia *est conformis suae mensurae*.

Unde patet, quod unumquodque dicitur *verum* in *conformitate suae mensurae: mensura* autem cuiuslibet est *ratio formata ab intellectu aliquo;* ideo quaelibet res dicitur *vera* ex *comparatione ad aliquem intellectum;* sed primo ex comparatione eius ad suam *mensuram*.

Licet autem *sensus* dicatur *verus*, et *intellectus* similiter, propter conformitatem ad suam mensuram, tamen *sensus* secundum se *non cognoscit conformitatem* sui ad id quod cognoscit, nec cognoscit se conformem suo cognoscibili. Similiter est de intellectu *simplici*. Sed intellectus *componens cognoscit* illam conformitatem sui ad rem. Unde *intellectum componere* vel *dividere* non est nisi *intellectum iudicare ita esse in re*, vel *ita non esse, sicut res conformatur intellectui*. Non enim intellectus *componit* per hoc, quod dicit unam *speciem* intelligibilem esse aliam; sed per hoc, quod iudicat ita esse in *re*, sicut intellectus conformatur rei. Quidquid enim iudicat esse, componit ut in re est; et ideo nullus intellectus nisi *componens* cognoscit *verum*.

Sed intellectus *simplex* est *verus*, licet *non cognoscat verum;* quia cognoscere *verum* est cognoscere *conformitatem* intellectus ad rem. Intellectus autem hoc non facit, nisi quia iudicat ita esse in re, et propter hoc *componit*, vel *dividit*, propter quod nullus intellectus, praeter *componentem* vel *dividentem*, *verum* cognoscere potest. — Et ideo dicit Aristoteles *VI. Metaphys.*, quod *verum* et *falsum* sunt in *mente*. Et per hoc dico, quod *verum* et *falsum* sunt in intellectu *componente* vel *dividente* sicut in *cognoscente;* non sunt in intellectu componente vel dividente sicut in eo *quod est verum*, quia intellectus *simplex* est *verus*, quia conformis suo intelligibili; et sensus similiter, quia conformis suo sensibili: sed neutrum *intelligit* verum; et hoc intelligit Aristoteles. — *Ib.* n. 3.

Verum de iure naturali. — Illud est *verum de iure naturali* cuius *veritas est nota ex terminis*, et tale est principium in lege naturae: sicut et in speculabilibus principium notum est ex terminis: sive *quod sequitur evidenter ex tali vero sic noto*, cuiusmodi est conclusio practica demonstrata; et *stricte* loquendo nihil aliud est de *lege naturae*, nisi *principium* vel *conclusio demonstrata;* sic tamen *extendendo*, quandoque dicitur illud esse de *lege naturae* quod est verum practicum *consonum principiis et conclusionibus legis naturae*, in tantum quod statim notum est omnibus illud convenire tali legi. — *Oxon.* IV. d. 17. n. 3.

Vestigium — Utrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis? — *VI. De Trin.* cap. ultimo: *Oportet igitur, ut et Creatorem per ea quae facta sunt intellecta conspicientes, intelligamus Trinitatem, cuius in creatura, quo modo dignum est, apparet vestigium.*

In ista quaestione *tria* sunt videnda: — *Primo*, quia, secundum Philosophum, omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt, videndum *primo* est de *ratione vestigii* in *corporalibus*, unde translatum est nomen eius ad propositum. — *Secundo*, videndum est, quae sit *ratio vestigii*, secundum quam transfertur ad propositum, et *in quo consistat*, et *respectu cuius in Deo* sit ratione vestigii in creatura. — *Tertio* videndum est, in *quibus fundatur* respectus vestigii, sive creaturae ad Deum, sive e converso, cuius dicitur *vestigium*. — *Oxon.* I. d. 3. q. 5. n. 1.

Quantum ad *primum dicitur*, quod *vestigium* est *impressio derelicta ex transitu alicuius super vacuum vel plenum, ipsum imperfecte repraesentans;* et ideo imperfecte quia *vestigium* repraesentat aliquid *confuse* et sub ratione *speciei*, *imago* perfecte, quia sub ratione *individui:* sicut per *vestigium* distinguitur *equus* a *bove*, et cognoscitur quod transiens est equus, non bos, non autem distinguitur *hic* equus ab *illo;* sed *imago* distinguit sub ratione *individui*, quia imago *Iovis* non repraesentat *Caesarem*.

Quantum ad *secundum articulum* dicitur, quod creatura habet ad Deum *triplicem relationem* sicut ad triplicem causam, et hoc secundum *tres modos* relativorum quos ponit Philosophus *V. Metaphysicae.* — Quantum ad *primum modum* refertur ad Deum relatione fundata super *unum*, scilicet, relatione *similitudinis*, et hoc inquantum creatura est *exemplata* et refertur ad Deum inquantum est causa *exemplaris.* — Quantum ad *secundum modum*, scilicet, *potentiae*, refertur creatura ad Deum ut *productum* ad *producentem.* — Quantum ad *tertium modum*, scilicet, modum *mensurae*, refertur ad Deum ut ordinata ad ipsum sicut ad *causam finalem.* — Isti igitur *tres respectus* integrant rationem *vestigii*, quia unus non sufficit sine aliis, ut colligitur ab Augustino, LXXXIII. QQ. q. 74: *De duobus ovis*, etc. — Habetur hic igitur in quo consistit *ratio vestigii* in *creatura.*

Sed respectu cuius est ex parte *Dei?* — Respondeo, respectu *appropriatorum* tribus Personis divinis; nam creatura per *primum* respectum, scilicet, *similitudinis*, repraesentat *artem exemplantis*, quae appropriatur *Filio:* per secundum repraesentat *potentiam producentis*, quae appropriatur *Patri:* per tertium repraesentat *bonitatem finientis*, quae appropriatur Spiritui sancto. — *Ib.* n. 2.

Quantum ad hoc igitur *dico*, quod *vestigium* est *similitudo illius partis animalis a qua imprimitur in aliquid sibi cedens;* sed similitudo expressa *partis* non est similitudo *totius*, quia neque secundum rationem *totius in se*, nec etiam qua totum *immediate* cognoscitur, sed *arguitive* tantum, ex hoc quod cognoscitur illud repraesentatum esse *aliquid illius;* et ideo si illud suppositum sit falsum, puta, quod illud imprimens est *separatum* a toto, ut si *pes amputatus* a corpore *imprimeret vestigium*, erraret quis circa *totum*, cuius nata est esse talis pars impressiva *vestigii.*

Patet etiam, quod si *totum* corpus esset ita impressum pulveri, sicut modo pes est impressus, illa impressio derelicta vere esset *imago* et *similitudo totius*, sicut modo *vestigium* est *similitudo partis.*

Hoc etiam ad propositum applicando, non videtur, quod *prima differentia* posita inter *vestigium* et *imaginem* sit vera; quia nulla creatura repraesentat Deum nisi secundum conceptus *communes*, et non secundum conceptus *speciales*, scilicet, speciei specialissimae; ergo non est differentia creaturae ad creaturam in repraesentando Deum in ratione *communi* et *non communi.*

Quod etiam dicitur in *secundo membro*, quod *vestigium* consistit in istis *tribus relationibus*, non videtur verum, quia licet ratio *vestigii* dicat respectum, quemadmodum *similitudo*, *realiter* tamen non est *respectus tantum*, sicut non dicitur *similitudo* esse in *respectu praecise*, sed in aliquo *absoluto*, in quo fundatur relatio *similitudinis.* Ita videtur etiam ratio *vestigii* non esse in *respectu praecise*, sed in aliquo *absoluto*, in quo fundatur ille respectus. Et hoc probatur sic: quia *vestigium* est similitudo vestigiati, ex quo *cognito* cognoscitur illud; ergo *vestigium* potest *praecognosci* naturaliter illi cuius est vestigium: sed *relatio* non potest praecognosci termino naturaliter. — *Ib.* n. 3.

Item, quod dicitur, quod illi *tres respectus* pertinent ad illos *tres modos relativorum*, hoc videtur falsum; quia Philosophus, *V. Metaph.*, ponens differentiam *duorum* modorum ad *tertium*, vult quod in *duobus primis* modis sit *mutua* relatio, in *tertio* autem non, sed tantum unum dicitur ad aliud, quia aliquid est eius: omnis autem relatio creaturae ad Deum est *non mutua*, sed tantum dicitur Deus ad creaturam, quia creatura ad ipsum; ergo omnis respectus creaturae ad Deum est secundum *tertium modum.*

Quod autem adducit de *primo modo* de *similitudine* non valet, quia illa similitudo quae est *exemplati* ad *exemplar* non est de *primo modo*, quia non est similitudo *univocationis*, sed *imitationis;* imo pertinet ad *tertium modum*, sicut manifeste patet per Philosophum, qui in *tertio modo* ponit relationem *scientiae* ad *scibile*, et universaliter *mensurati* ad *mensuram: exemplar* autem habet relationem *mensurae* re-

spectu mensurati vel exemplati; ergo etc. (1). — *Ib.* n. 4.

Quantum ergo ad *secundum articulum*, concedo, quod omnis respectus creaturae ad Deum pertinet ad illum *tertium modum* relativorum. — Nec in *solis respectibus* consistit *vestigium*, sed in aliquibus *absolutis*, et forte in aliquo respectu, sicut in *tertia* sui parte, secundum quod assignat Augustinus *partes* vestigii, *VI. De Trinit.* cap. 10., ubi dicit de creaturis: *Haec igitur omnia, quae arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt, et speciem et ordinem; unitas* autem est perfectio *absoluta*, sicut patet per exempla sua *ibi: Unum aliquid est sicut sunt naturae corporum ingeniaque animarum*, etc. *Species* etiam seu forma *absolutum* aliquid est, sicut patet per exempla sua *ibidem*, sicut sunt qualitates corporum et doctrinae animarum. *Ordo* autem aliquem *respectum* dicit, sed non ad *finem* ultimum, sed ad *operationem*, unde dicit: *aliquem ordinem tenet, sicut sunt pondera et collocationes corporum, et amores aut delectationes animarum*, quare, etc.

Haec *tria* sic sumpta repraesentant sub ratione *similitudinis* tria correspondentia eis in Deo; quia *unitas* repraesentat summam *unitatem* primi Principii, a quo est origo; et quoad hoc ait: *In illa Trinitate summa origo est rerum omnium. Species* in creatura repraesentat summam *pulchritudinem* in Deo; unde et subdit: *et summa pulchritudo. Ordo* sive operatio in creatura repraesentat *operationem* perfectissimam in Deo, et quoad hoc subdit: *et beatissima delectatio.*

Possunt et alia multa in creaturis assignari, quae velut *similia* repraesentant in Divinis aliqua *appropriata* Personis, puta: *unum, verum, bonum. Unum* in creatura repraesentat *unitatem* appropriatam Patri: *Verum veritatem* appropriatam Filio: *Bonum bonitatem* appropriatam Spiritui sancto; et istae omnes perfectiones substantiae sunt *absolutae*, et repraesentant *absolutas* Dei perfectiones, Personis appropriatas.

Aliter multipliciter assignatur *vestigium*, sive in illis quae per rationem *similitudinis* repraesentant aliqua appropriata Personis, sive per rationem *proportionalitatis*. Dico autem *proportionaliter repraesentare* quando ratio illius repraesentantis *non est formaliter in Deo*, sed aliquid *proportionale* illi rationi, sicut de illa assignatione, *modus, species* et *ordo*, cum qua videtur esse eadem illa assignatio, Sapientiae 11: *In numero, pondere et mensura.*

Augustinus, *Super Gen.* lib. IV: *Mensura omni rei modum praefigit. Numerus omni rei speciem praebet, et pondus ad quietem ac stabilitatem trahit.* Et post: *fateamur ergo dictum esse, omnia in mensura, et numero, et pondere disposita, tamquam dictum esset, ita disposita, ut haberent proprias mensuras suas et proprios numeros, et proprium pondus, quae in eis pro sui cuiusque generis mutabilitate mutarentur augmentis et diminutionibus, multitudine et paucitate, levitate et gravitate.* — *Ib.* n. 5.

Modus accipitur pro *limitatione*, et pro eodem accipitur *mensura* in illa assignatione *Sapientiae* 11. *Pondus* autem accipitur ibi pro *ordine*, et *numerus* pro *specie. Numerus*, sive species, et *pondus*, sive ordo, exponantur sicut in prima assignatione; sed *mensura*, quae est idem quod *modus*, non repraesentat aliquid sub ratione *similitudinis*, sed sub ratione *proportionalitatis;* quia *limitatio* producti repraesentat potentiam *illimitatam* producentis.

Et sic patet quibus in creatura consistit *vestigium*, et respectu quorum in *Divinis*, quia respectu *appropriatorum* Personis divinis.

Sed quomodo accipitur ratio *vestigii* in Divinis, cum sit *similitudo partis*, cum in Divinis non sit pars? — Respondeo, ut Trinitas est quasi quoddam *totum numerale*, saltem in conceptu intellectus nostri, *persona* est ibi *quasi pars* huius totius, ita etiam *appropriatum* personae inquantum appropriatum est ibi *quasi pars* eiusdem, quia accipitur pro illo cui appropriatur. Nec tantum hoc, sed etiam *appropriabile*, licet non acceptum ut appropriatum, adhuc est ibi *quasi pars* eiusdem, quia eius ratio ut est

---

(1) Vid. *Relationis per se modus triplex.*

et ut concipitur complete salvatur in una persona, et per consequens ratio eius non ponit Trinitatem, sed ponit concomitanter unitatem alicuius personae in qua sit. Licet igitur creatura communiter non repraesentet nec *personam* ut persona, quae est in intellectu nostro *quasi pars* Trinitatis, nec *appropriatum* ut appropriatum, non enim sic cognoscitur appropriatum nisi cognoscatur illud cui appropriatur, repraesentat tamen *appropriabile*, in quo salvatur quasi ratio partis, modo praedicto, respectu Trinitatis. — *Ib.* n. 6.

Per *vestigium distincte* investigatur illud cuius est *imago*, scilicet, *pars totius;* sed *totum* non investigatur nisi *indistincte* et *arguitive*, sicut *totum* cognoscitur *ex parte;* ita in proposito per creaturam investigatur *appropriatum*, non tamen inquantum *appropriatum*, sed ipsum quod est *appropriabile* cuicumque Personae, sed non *propria* Personarum; et ideo Trinitas, cuius conceptus est in intellectu *quasi totalis*, investigatur quasi per *similitudinem partis*. — *Ib.* n. 15. — *Report.* ib. q. 3.

Viator. — Per *viatorem* intelligo hominem nihil in se habentem, nec simpliciter, nec pro aliquo instanti, quod repugnet statui viae, vel ponat hominem extra statum viae. — *Miscell.* q. 5. n. 21. — *Quodlib.* q. 7. n. 7.

Vindicta. — Vid. *Correctio* — *Punitio.*

Violentum. — * Ex * *III. Ethicorum*, *violentum* est *cuius principium totaliter est extra, non conferente vim passo*, ac passo non inclinato ad formam illam quae ab agente extrinseco inducitur, sed magis quantum est ex se resistit illi, quia est contra inclinationem eius; et ita passum est non conferens vim violentiae, non tantum *negative*, sed etiam *contrarie*, quia inclinatur *naturaliter* ad formam contrariam illi quam recipit *violenter*. — *Report.* IV. d. 29 n. 9. — *Vim* debet construi cum *passo*, non cum *conferente*, nisi *non* intelligatur *privative*, sive *contrarie*, non *negative* tantum. — *QQ. Metaph.* lib. VII. q. 12. n. 10.

Illud de *violento*, quod est, *ab extra non conferente vim passo*, debet exponi *non conferente*, id est, non *praebente* inclinationem et tendentiam, immo magis contrariam inclinationem; non autem debet exponi, *non conferente*, id est, non *coagente*, agenti exteriori. — *Oxon.* II. d. 18. n. 6. — Quod est dictu: *violentum* est *quod est totaliter a principio extrinseco, quod est contra inclinationem passi.* — *Ib.* IV. d. 29. n. 6.

Licet autem forma, contra quam inclinatur receptivum, non inducatur nisi per agens per se *violentans passum*, tamen per se ratio *violenti* est ex habitudine passi ad formam, quia passo et forma manentibus in sua ratione, puta, quod forma sit receptibilis, tamen contra inclinationem passi quomodocumque variatur agens, passum *violenter* recipit. Hoc etiam apparet, quia non tantum in *induci*, sed etiam in *permanere* dicitur, quod aliqua forma *violenter permanet* in passo, et diu, aliqua autem *naturaliter;* ita quod circumscribendo agens, quod, scilicet, non habet actionem post inductionem formae, ibi est *naturalitas* vel *violentia* praecise comparando *formam* ad *receptivum.*

Concedo ergo, quod in descriptione *violenti* ponitur *agens* tamquam per se *complens*, nec tamquam per se *constituens rationem violenti;* sed tantummodo *completur* per illud, *passo vim non conferente;* et tamen modo maneret *violentum* post omnem actionem agentis, sicut si lapis posset quiescere sursum sine continua actione detinentis; additur tamen *principium* in descriptione *violenti*, tamquam *causa extrinseca.* — *Oxon.* IV. d. 43. q. 4. n. 4.

Violentum — Naturale. — Illud est *simpliciter violentum* quod opponitur *simpliciter naturali*, et *magis violentum* quod opponitur *perfectiori naturali*, et *minus* quod *minus naturali.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 13. n. 13. — *Violentum* opponitur *naturali*, sicut *violentum* est lapidi *sursum* esse, quia *naturale* est sibi esse *deorsum.* — *Ib.* III. d. 16. q. 2. n. 14. — Ex parte autem passi opponitur *naturale* uno modo *violento*, prout *naturaliter* dicitur moveri vel pati quod patitur *secundum* propriam inclinationem *passi; violenter* vero quod patitur *contra* inclinationem *passi.*

Et ex hoc sequitur, quod *naturale* et *violentum* non sunt opposita *contraria immediata*, imo est inter ea medium, quando, scilicet, passum neutro modo se habet, neque inclinatur ad illud quod recipit, neque ad oppositum: sicut *superficies* ad *albedinem*, vel *nigredinem*, vel ad *medium*. — *Oxon.* IV. d. 53. q. 4. n. 3. — Vid. *Motus naturalis — violentus = Naturale multipliciter dicitur.*

Virginitas. — Possumus per *virginitatem* intelligere aliquid absolutum in *anima*, ut velle integritatem carnis, et non carnaliter peccare: vel aliquod absolutum in *corpore*, ut integritatem carnis. — Vel potest intelligi per *virginitatem* negatio *positivi*, et revocatio rationis transiens in praeteritum, ut *numquam velle sic peccasse*. — *Report.* IV. d. 1. q. 5. n. 5. — *Oxon. ib.* q. 6. n. 5.

Virtus. — *Virtus*, cum omnibus quae sunt de per se ratione *virtutis*, generatur ex actibus *conformibus rectae rationi*, ita quod ultra naturam *actus* vel *habitus*, ratio actus vel habitus *virtuosi* non requirit nisi *conformitatem ad rectam rationem*. — Ex II. *Ethic. Virtus est habitus electivus in medietate existens quoad nos, determinata ratione, et ut utique sapiens determinabit.* — *Oxon.* III. d. 36. n. 5. — d. 33. n. 2. — *Prol.* q. 4. n. 19. — Definitio *virtutis* est„ quod sit *habitus electivus determinatus recta ratione*. — *Collat.* I. n. 10. — Quia *VI. Ethic.* dicit Philosophus, quod non est *electio recta* sine ratione recta et habitu virtutis; ergo *virtus* per se requiritur ad electionem rectam. — *Oxon. Prol.* q. 4. n. 21. — Est enim *virtus habitus electivus medii ut determinatur a recta ratione*. — *Ib.* I. d. 17. q. 3. n. 2. — *Virtus* moralis non addit super substantiam *habitus*, ut est forma de genere *qualitatis*, nisi conformitatem habitualem ad rationem rectam. — *Ib.* n. 4.

Intelligendum est autem, quod illud quod generatur de *virtute morali* est quaedam qualitas, de cuius ratione, ut est absolute talis qualitas, non est conformitas eius ad prudentiam; posset enim eadem qualitas generari ex actibus similibus in eadem specie elicitis sine prudentia, imo cum ratione erronea, si inesset. Sed ista qualitas, quae generatur ex istis actibus secundum speciem *naturae*, non est *virtus* ex hoc quod est quaedam qualitas, sed ad hoc necessario requiritur *conformitas eius ad prudentiam*, vel quod est expressius, ipsius *coexistentia cum prudentia in eodem operante*. Semper quidem sive prudentia insit, sive non, habitus iste est *natus esse conformis prudentiae*, si inesset: sicut habitus *abstinendi* generatus ex actibus factis ex ratione erronea semper, quantum ex se est, *natus est esse conformis prudentiae*, licet prudentia non insit, quemadmodum alius habitus generatus ex actibus *excessivis* non est natus esse conformis. Quando igitur qualitas, quae nata est esse conformis prudentiae, *coexistit* cum ea, tunc non solum habet conformitatem *aptitudinalem*, sed *actualem* ad prudentiam, quia ad similia inclinat uterque habitus, et actus elicitus secundum inclinationem istorum duorum habituum est bonus moraliter; qui si esset elicitus secundum inclinationem illius solius *qualitatis* quae est materialiter virtus moralis, prudentia non coesistente in eodem operante inclinante ad actum, non esset actus ille bonus moraliter. — *Ib.* n. 13.

Sic igitur patet, quod ista *qualitas*, quae est materialiter virtus moralis, quae per hoc habet completive rationem virtutis moralis, quia *coexistit prudentiae*, se habet ad *prudentiam* quando inest sicut causa *secunda* ad *primam*, et hoc respectu eiusdem effectus communis eliciendi ab eis; tunc enim *prudentia* est quasi causa *prior*, et *habitus moralis* est quasi causa *posterior;* istae autem duae causae simul concurrentes ad actum eliciendum possunt ei tribuere *bonitatem moralem*, quam non posset solus habitus secundus sibi tribuere, si esset sine prudentia vel sine ratione recta. *Tribuere* quidem *moralem bonitatem* est tribuere *conformitatem ad rationem rectam*, et hoc tribuit *qualitas* illa, non ex hoc quod qualitas solum, sed quia in causando *coexistit prudentiae* simul inclinanti. — *Ib.* n. 14.

Per *Arist.* II. Ethic. *Virtus est quae habentem perficit et opus eius bonum reddit:* vel *reddit* inclinando, et hoc sibi competit in eo quod *haec* qualitas in specie *naturae;* vel si hoc non sufficit, sic enim inclinaret *sine prudentia, reddit* igitur unde *virtus* est, id est, unde coexistens prudentiae. *Reddit* quidem in suo genere causae, quia ut causa *secunda,* et hoc virtute causae superioris, quae est *prudentia.* — *Ib.* n. 15. — Quia ad hoc ponuntur virtutes in potentiis: ut potentiae, quae de se possunt recte et non recte agere, regulentur per virtutes. — *Ib.* III. d. 33. n. 5. — Eadem virtute *recte* ago, quia *virtus* est *rectitudo* potentiae; et *perfecte* ago, quia virtus est *perfectio* habentis in se, et qua opus eius perfectum redditur; et *expedite,* quia virtus est *habitus* faciens *expedite* et *faciliter* operari. — *Ib.* d. 34. n. 4.

Virtus heroica. — In omni bonitate assignantur *quatuor* gradus, qui sunt eiusdem habitus in specie, scilicet, *perseverantiam, continentiam, temperantiam,* et *heroicam.* Perfectissima igitur virtus in eadem specie manens est *heroica;* et sic metaphorice loquuntur aliqui, quod perficit modo *inhumano,* quia, scilicet, non est communiter *hominis* ad illum gradum, licet eiusdem speciei, attingere. — *Oxon.* III. d. 34. n. 22.

Virtus moralis. — Secundum Philosophum, *II. Ethic., virtus moralis* dicitur esse ex hoc, quod est ex *more* vel ex consuetudine generabilis. Et hoc modo *paupertas, humilitas, castitas* et huiusmodi sunt *virtutes morales,* quia secundum perfectam et rectam rationem, licet *non pure naturalem,* ex *more,* id est, *frequenter* sic eligere generantur. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 3. n. 5.

Non est idem *virtutem* esse *moralem,* et posse acquiri ex *puris naturalibus;* nam secundum Philosophum, *II. Ethicorum,* c. 1, *virtus dicitur moralis a consuetudine et more,* et ex istis acquiritur; acquiri autem ex *more* et *assuefactione* potest aliquid, etsi *non mere ex naturalibus* acquiratur, sed uno *supernaturali* praesupposito acquiritur; et illo modo virtutes evangelicae, ut *paupertas, virginitas, obedientia, humilitas,* et huiusmodi dicuntur virtutes *morales* innitentes consilio divino *supernaturali;* et in isto vere dici possunt *virtutes morales,* quia quaecumque operabilia dictat regula supernaturalis esse facienda, si, ista regula praesupposita, acquirat quis ex actibus conformibus illi regulae habitum inclinantem faciliter ad sic conformiter agendum dictamini istius regulae, iste esset habitus electivus determinatus ad operandum secundum dictamen rectae rationis: sed omnis talis habitus est *virtus moralis,* ex definitione virtutis moralis *II. Ethic.;* igitur quilibet talis vere est *virtus moralis.* — *Report.* ib. — Vid. *Spiritus Sancti Fructus.*

Virtus sensitiva. — In appetitu *sensitivo* est quaedam qualitas, quae potest dici *virtus,* licet minus proprie quam illa quae est in *voluntate* inclinans ad electionem. — *Oxon.* III. d. 33. n. 20.

Virtus theologica. — *Tres conditiones* ponuntur pertinere ad *virtutem theologicam.* — *Prima,* respicere Deum pro primo obiecto. — *Secunda,* habere pro regula primam regulam humanorum actuum, non autem regulam *acquisitam.* — *Tertia,* immediate infundi a Deo, sicut a causa efficiente. — Haec distinguuntur, sicut alia est ratio *obiecti,* alia *regulae,* alia *efficientis.* — *Oxon.* III. d. 26. n. 14. — Vid. *Spiritus Sancti Fructus.*

Virtus — Vitium. — *Virtus* est * qualitas * secundum quam aliquis se *bene* habet ad agendum, vel patiendum: *vitium* autem secundum quam *male.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* lib. V. S. un. c. 13. n. 108. — *Virtus* enim est quae habentem perficit et eius opus *bonum* reddit. — *Ib.* c. 14. n. 118.

Virtus et *vitium dupliciter* possunt considerari: aut secundum rationem *boni* et *mali;* et sic *virtus* contrariatur *vitio,* quia ab utroque vitio opposito virtus maxime distat; et tunc utrumque extremum habet rationem unius extremi, quia utrumque est *malum.* — Si vero *virtus* consideratur secundum *propriam rationem,* ut medium inter duo, sic non contrariatur perfecte alteri, quia sic *duo vitia* sunt *magis contraria,* quia maxime distant magis

quam *vitium* et *virtus*. — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 12. n. 3.

Virtutes praecipuae. — In connumeratione omnium *virtutum* sunt *tres theologicae*, et *quatuor cardinales*. — De *theologicis* habetur ab Apostolo, *I. Corin. 13* (1). — De *moralibus Sapient. 8.* (2).

Iste numerus septenarius simpliciter perficit viatorem, ita quod secundum gradus istarum in specie sua est ipse perfectus; secundum enim quod istae sunt intensiores et remissiores, secundum hoc est magis vel minus perfectus; et si sint *intensissimae*, quantum possunt esse in via, est homo *simpliciter perfectus*, quantum potest esse in via. Per istas quippe septem virtutes, intelligendo de iis et de *speciebus* earum necessariis, si sint in se perfectissimae, est homo simpliciter perfectissimus, et circa Deum in se, et circa omnia alia a Deo, ut intelligibilia ratione practica, et ut appetibilia vel sibi, vel alteri, et hoc in ordine *ad se*, in quem possunt virtutes acquisitae ex se; vel in ordine ad *finem ultimum*, in quem possunt virtutes acquisitae cum charitate. — *Oxon.* III. d. 34. n. 14.

Connumerando species satis communes possunt haberi tres, scilicet, *fides*, *prudentia* et *scientia practica*. *Scientia* autem *speculativa*, quia non perficit hominem ad *bene operandum*, ideo non connumeratur inter virtutes *cardinales;* minus enim est homini necessaria ad recte vivendum *humane*, quam *prudentia*, et etiam quam *fides* ad recte vivendum *politia Ecclesiae*. — *Ib.* n. 8.

Appetitivae etiam possunt poni *quatuor:* duae *acquisitae*, et duae *infusae*, stando in ipsis speciebus sub *habitu appetitivo infuso* et *acquisito*. Sub *infuso* quidem primo sunt *spes*, et *charitas:* sub *acquisito* autem virtus disponens appetitum *ad se*, et *ad alterum*. Quae ad *alterum* vocatur uno nomine communi, quod est *iustitia;* quae autem *ad se ipsum* non habet nomen commune; et forte illa est ratio, quare non statur in illa numeratione virtutum cardinalium, sed descenditur sub illa ad alias proximas sub eis.

Appetibilium enim *ad seipsum* quaedam sunt appetibilia *ex se*, quae scilicet, nata sunt ex se statim *convenire;* et quaedam etiam sunt *primo* fugibilia, quae, scilicet, nata sunt ex se statim *disconvenire*. Alia sunt *appetibilia non primo*, et alia *non primo fugibilia*, sed *secundario*, propter illa primo appetibilia, et primo fugibilia. Virtus in communi, quae disponit circa prima, vocatur *temperantia;* quae circa secunda, *fortitudo:* et prima pertinet ad concupiscibilem, et secunda et irascibilem. — *Ib.* n. 9. — *Report.* ib. n. 6. — Vid. *Beatitudines* = *Concupiscibile* — *Irascibile* = *Habituum divisio* = *Spiritus S. Dona* = *Spiritus S. Fructus.*

Virtutum connexio. — *Virtutes morales* nec secundum genera sua, quae communiter assignantur, *iustitia*, *fortitudo*, et *temperantia;* nec secundum illa generaliora, quae sunt virtutes disponentes affectum ad *seipsum*, vel ad *alium*, sunt necessario *connexae*. — *Oxon.* III. d. 36. n. 8.

Sicut *sorores*, etsi iuvent se mutuo ad convivendum, una tamen non est altera, nec essentialiter perficit alteram, ita istae virtutes bene iuvant se ad salvandum se mutuo; et in hoc potest intelligi dictum quorumdam, quod una non est *tota* sine alia, quia non *ita bene* salvatur sine alia; nam homini exposito multis tentationibus circa diversas materias imperfectio circa unam materiam est una occasio imperfecte agendi circa aliam, et perfecta dispositio agendi circa unam iuvat ad recte se habendum circa aliam. Iuvant ergo se mutuo sicut sorores; sed nulla est requisita ad perfectionem essentialem alterius. — *Ib.* n. 10.

Virtutes *theologicae* non sunt *connexae* inter se, sicut patet in Patria, ubi manebit habitus et actus *charitatis* sine habitu et actu *fidei* et *spei;* sicut etiam patet in via, ubi in peccatore manet *fides* et *spes* sine charitate; igitur ex ratione habituum in existendo non est necessaria connexio earum. — *Ib.* n. 30. — De habitibus *intellectualibus* planum est, quod non est neces-

---

(1) V. 13: Nunc manent *fides, spes, charitas*, tria haec; maior autem horum est *charitas*.

(2) V. 7. *Sobrietatem, prudentiam, iustitiam* et *virtutem* (seu *fortitudinem*).

saria eorum *connexio*, nisi forte sint habitus subordinati, quales sunt habitus *principiorum* et habitus *conclusionum*; et in talibus prior potest esse sine posteriori, licet non e converso. — *Ib.* n. 31.

Visibile duplex. — Exponit Linconiensis, quod *duplex* est *visibile:* quoddam *involutum;* et tale confuso modo se offert visui: aliud *evolutum* et *expansum;* et tale se distincte offert sensui. — Similiter *audibile* quoddam est *confusum,* et quoddam est distinctum. — *Poster. I.* q. 20. n. 3.

Visio. — — *Visio est cognitio intuitiva rei in se.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 9. — *Report.* ib. q. 10. n. 8. — Notitia * etenim * cuiuscumque obiecti nata est gigni ab ipso sicut a causa proxima, et maxime illa quae est *visio* sive *intellectio intuitiva.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 30. — *Videre* autem importat intellectionem *intuitivam* ut distinguitur contra intellectionem *abstractivam;* et quidem, ut dictum est alibi, *intellectio intuitiva* est *cognitio rei ut in se est praesens; abstractiva* potest esse eius secundum quod relucet in aliqua *similitudine,* quae potest esse *existentis,* et etiam *non existentis,* sive praesentis sive non. — *Ib.* IV. d. 10. q. 8. n. 5. — Vid. *Cognitio intuitiva.*

Visio dupliciter accipitur. — Aequivoce accipitur hoc nomen *visio:* primo pro *actu videndi:* secundo pro ipsa *similitudine rei visae.* — *Quodlib.* q. 15. n. 8.

Visio et auditio angelica. — Vid. *Angelorum auditio-visio.*

Visio in Verbo. — *Visio in Verbo* est perfectissima illuminatio; et intellectus habens illam dicitur perfecte *luminosus,* vel *illuminatus.* — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 26.

Visio scientiae — cogitationis. — Vid. *Verbum.*

Visio — Species. — August. dicit, *XII. super Genesim,* quod *quia imago corporis est in spiritu, qui est praestantior corpore, ideo est praestantior imago corporis in spiritu, quam ipsum corpus in sua substantia.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 2. — *Imago,* quae ponitur ab eo esse in spiritu, oportet quod intelligatur esse in *anima,* vel in aliquo animae ut in subiecto, et non praecise in *corpore* sic mixto, aliter non concluderetur illam imaginem esse nobiliorem omni corpore, sicut dicit ipse *XII. super Gen.* Quod autem est in anima, vel in aliquo animae ut in subiecto, non est illa species quae communiter dicitur *species,* sed illa recipitur in parte organi, quae est corpus sic mixtum; sed illud quod recipitur in anima vel potentia animae est *actus cognoscendi;* ergo per *imaginem* intelligit ipse talem actum. Ista glossa arguitur ex dicto eius *XI. De Trin. cap. 2.*, ubi vult, quod informatio sensus quae fit a solo corpore *visio* dicitur; illa autem informatio est propria species, quae recipitur in parte organi, scilicet, in corpore sic mixto. Hoc patet ex hoc quod dicit, quod gignitur a solo corpore quod *videtur;* sicut ergo illud quod est proprie *imago* dicitur *visio,* ita e converso visio potest dici *imago* et multo verius, quia *visio* secundum veritatem est quaedam *similitudo obiecti,* et forte perfectior quam illa similitudo prior, quae dicitur species. — *Ib.* n. 24.

Vis spirativa. — Vis *spirativa* est principium producendi Spiritum Sanctum in Divinis, qui est amor essentiae divinae, et etiam amor notitiae genitae, licet forte secundum aliquem ordinem; sed non est vis illa spirativa aliquo modo principium productivum notitiae genitae, quia etsi Pater in primo signo originis sit volens, et in secundo gignat, tamen voluntas Patris non habet rationem principii respectu illius gignitionis Verbi. — *Oxon.* I. d. 6. n. 8.

Visus. — Vid. *Sensus quinque.*

Vitium. — Vid. *Virtus — Vitium.*

Vituperabile. — Vid. *Imputabile.*

Vivere dupliciter accipitur. — *Vivere* aliquando nominat *primum* actum, eo modo quo loquitur Aristoteles *II. De Anima,* quod *vivere viventibus est esse* (1), et significat *ipsum esse* rei, in tali gradu qui est *vivere.* — Aliquando nominat *secundum* actum, qui est *exercere opera vitae,* cuiusmodi sunt actus *sensitivae* partis et *intellectivae.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. I. S. 1. c. 1. n. 8.

---

(1) Cf. *Oxon.* III. d. 6. q. 1. n. 3.

* *Vel aliter* *: *Vivere uno modo* significat actum *primum*, sicut *vita*, tamen verbaliter, sicut *lux* et *lucere* idem significant, et utrumque significat actum primum, nisi quod *lucere* significat actum primum *verbaliter*. — *Alio modo* accipitur pro actu *secundo*, ut pro operatione vitali intelligendi aut volendi, quae non dicunt actum primum formaliter, sed illum praesupponunt. — *Report.* I. d. 8. q. 1. n. 1.

Vivere et intelligere dupliciter accipiuntur. — Sicut *vivere* potest sumi pro *primo* actu, qui est essentialiter, vel pro *secundo*, qui est opus vitae, puta *sentire* et *movere se*, et huiusmodi, sic et *intelligere*. Nam *intelligere*, quantum ad *primum* actum, est quidam *gradus essendi* perfectissimus in entibus; ut sicut *vivere*, quantum ad *primum* actum, *viventibus est esse*, ex *II. De Anima, text. c. 37*, sic *intelligere intelligentibus est esse*. *Intelligere* pro *secundo* actu est ipse intellectus actus, qui est quaedam vita et quoddam perfectum quod est in vita, quia *actus perfectior est potentia;* et intelligens actu perfectius vivit quam dormiens. Licet autem in omni alio a Primo *actus* intelligendi distinguatur realiter a *substantia* intelligentis, cum sit quaedam qualitas et accidens per accidens, tamen ipse Deus est realiter et essentialiter suum intelligere, alioquin haberet se ad ipsum sicut *potentia* ad *actum*, et tamen eius substantia est actus, nec aliquod accidens potest sibi evenire. Bene ergo dicitur, quod substantia Primi Entis est *essentialiter vita*, et quod actus eius *intelligendi* est eius vita aeterna et optima. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XII. S. 2. c. 2. n. 46.

Vocativus. — Vid. *Grammat. specul.* n. 91.

Volendi actus duplex. — Distinguendum de *actu volendi;* est enim duplex, *simplex*, et *cum conditione*. — *Simplex*, qui est *efficax*, quando quis credit volitum sibi esse *possibile*, et *eligit media* ad consequendum illud, et importat executionem. — *Velle cum conditione* est velleitas intensa aliquando ad finem habendum; non tamen est *velle efficax*, quia non importat media ad consequendum finem, quando scit istum finem esse simpliciter sibi impossibilem, vel quando desperat consequi finem; et illud sufficit ad *peccatum mortale maximum*, et ad *maximum praemium*. Non enim ex hoc est volitio bona, quod potest esse efficax, et quod importat executionem, ex qua procedunt operationes, sed ex hoc, quod est cum debitis circumstantiis, est volitio bona, vel mala, sive possit consequi obiectum velleitatis, sive non. — *Report.* II. d. 6. q. 1. n. 5.

Volitio. — *Volitio* qua * quis * dicitur *volens* est quaedam qualitas spiritualis, libera tamen per participationem, vel quia in *subiecto libero* essentialiter, quod est voluntas, vel quia a *principio elicitivo* libere, scilicet, voluntate. — *De Anima*, q. 12. n. 11.

Volitio absoluta — comparativa. — Vid. *Intellectio volitioque absoluta*, etc.

Volitio efficax — simplex. — *Duplex* est *volitio: Una* est *efficax*, quae est respectu finis per media ordinata ad illum finem consequendum. — *Alia* est *simplex*, seu *conditionalis*, quae est respectu alicuius finis, non exequendo media ad illum finem consequendum, sed simpliciter appetitur finis ille, et vellet tendere in ipsum, si posset, et si obiectum esset secundum se praesens.

Primo modo non est volitio alicuius apprehensi sub ratione *impossibilis*, sed tantum ratione *possibilis*: *exemplum* de *sanitate* ostensa diversis infirmis. — *Secundo modo* potest esse respectu *impossibilis*, et maxime intensa, et in tali volitione potest esse meritum, vel demeritum: ut si aliquis appetat fornicari quando ipsum impossibile est habere opportunitatem. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 10. n. 13. — *Report.* ib. q. 9. n. 15.

Vel sub aliis verbis: est volitio *efficax*, et volitio *complacentiae*. — *Exemplum:* alio modo infirmus *sperans* sanitatem vult sanitatem, et alio modo infirmus *desperans* de sanitate; vult enim sanitatem primus, quia sperat sanitatem sibi possibilem, et habet respectu eius volitionem *efficacem* et *imperativam* mediis inducentibus sanitatem; sed desperans vult volitione *complacentiae*, sed non volitione *efficaci*, quia non quaerit media inducentia sanitatem, pro eo

*

quod non existimat illam posse sibi acquiri. Et ista volitio secunda, quae est solum *complacentiae*, potest esse *impossibilis;* et hoc sufficit ad *meritum* et *demeritum*, quia etsi sit impossibile, tamen potest consentire illi pleno consensu. — *Oxon.* II. d. 6. q. 1. n. 3.

Alio modo dici potest: duplex est volitio: una *simplex*, quae est quaedam *complacentia* obiecti: alia *efficax*, qua, scilicet, volens prosequitur ad habendum volitum, si non impediatur. — Sola autem secunda est proprie *electio*, eo modo quo Philosophus loquitur *III. Ethicorum: voluntas est impossibilium, electio non;* nullus enim eligit impossibile, id est, *efficaciter* vult, ex qua volitione prosequatur illud, licet aliquis posset *simplici* volitione velle impossibile. — *Oxon.* III. d. 33. n. 17. — *Ib.* d. 15. n. 17. — d. 26. n. 20. — Vid. *Velle* et *Nolle*, etc.

Volitio — Intellectio. — *Volitio* non est eiusdem speciei cum *intellectione;* possunt enim isti actus *formaliter* distingui, licet non habeant obiecta formaliter distincta; et possunt etiam distingui *causaliter* aliunde quam ab obiectis, quia ab ipsis potentiis tamquam a causis suis essentialibus. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 6.

Volitionis rectae principium totale — partiale. — De *principio* activo respectu *rectae volitionis* possumus loqui aut de principio *totali* volitionis, aut principio *partiali*. *Voluntas* quidem respectu *rectae volitionis* est principium activum *partiale*. Sed istud principium non est *totale*, quia non sufficit solum voluntas ad *meritorie* volendum; sed requiritur *gratia* tamquam principium *cooperans*. Nec ista voluntas est partiale principium *principale*, vel sufficiens ad ponendum partiale principium, scilicet, *gratiam* in *esse*. Quamvis enim gratia iam habita voluntas utens sit *principale* agens respectu *actus*, tamen gratia non habita, ipsa non est sufficiens ad ponendum gratiam in *esse;* quia gratia non potest inesse nisi a solo Deo creante. — *Exemplum* istius esset, si quis habens *visum* esset in *tenebris*, licet tunc habeat principium *partiale* actus videndi, et *principale* principium videndi, quando concurrunt lumen et potentia visiva, non tamen habet tunc *totale* principium, nec principium *principale* sufficiens ad ponendum illud quod requiritur ad effectum istorum duorum principiorum partialium: nec etiam posset amovere impedimenta; et ideo licet iste habeat potentiam visivam, pro quanto habet principium diminutum respectu visionis, non tamen in potestate eius esset *videre*. — *Oxon.* II. d. 7. n. 15.

Volitum. — Vid. *Voluntarium subiective*, etc.

Volitum quadruplex. — Scilicet *volitum* a voluntate *causante*, a voluntate *detestante*, a voluntate *acceptante*, et a voluntate *patienter ferente*. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 14.

Voluntarium. — *Voluntarium* potest accipi vel pro eo quod est *in voluntate*, vel prout communiter sumitur, et magis proprie, pro eo quod est in *voluntatis potestate* ut est *activa*. — *Oxon.* II. d. 32. n. 14. — Vid. *Involuntarium — Voluntarium.*

Voluntarium contingenter — necessario. — Aliquid potest dici *voluntarium dupliciter:* — *Uno* modo *contingenter*, sicut voluntas nostra, quae est libera contingenter ad eliciendum aliquem actum, vel eius oppositum *positive*, vel *privative;* et dicitur oppositum *positivum* quando elicitur actus *contrarius*, ut *nolitio* contrariatur *volitioni;* sed dicitur oppositum *privativum* quando voluntas suspendit suum actum. — *Alio modo* dicitur *voluntarium necessario*. — *Physic.* II. q. 4. n. 5.

Voluntarium simpliciter — secundum quid. — Vid. *Dissentire — Non consentire = Tristitia — Gaudium = Violentum.*

Voluntarium subiective — participative seu volitum — proprie. — *Voluntarium* potest dici illud quod est *subiective* in voluntate, vel illud quod est volitum *a voluntate*, vel illud quod est *imperatum a voluntate*. — *Primum* non facit complete quod aliquid sit *voluntarium*, quia habitus potest esse in voluntate, tamen non *voluntarie* voluntas habet illum; quia *tristitia* * ex. gr. * est in voluntate *subiective*. — *Secundum* dicitur voluntarium *participative;* quia ac-

ceptatio eius ut obiecti est voluntaria; ipsum enim magis diceretur *volitum* quam *voluntarium*. — *Voluntarium* enim *proprie* dicitur *quod est in potestate voluntatis;* et sic dicitur *tertio* modo: et sic actus *exterior* est voluntarius, sicut actus *interior* simpliciter, non tamen est *aeque primo,* sed illo praesupposito. — *Voluntarium* ergo debet dici illud *quod est causaliter a voluntate,* et hoc *eliciente,* vel *imperante,* licet per prius dicatur *voluntarium* illud quod est *elicitum* quam quod est *imperatum*. — *Quodlib.* q. 18. n. 21. — Vid. *Dissentire — non consentire,* etc.

Voluntas. — Communiter *voluntas* accipitur pro *appetitu* cum *ratione;* et sic *appetitus dupliciter* potest accipi: pro appetitu *cum ratione,* vel pro appetitu *sensitivo,* pro tanto quia est *appetitus rationalis per participationem.*

Dices: voluntas est alia ut est *natura,* et ut est *libera*. — *Dico,* quod si loquamur de voluntate ut *natura, praescribendo supernaturalia,* sic adhuc non est nisi *una* voluntas. Si accipitur ut *inclinatio naturalis,* adhuc non est aliud a voluntate primo modo; quia sic non est actus elicitus, sed vel ipsa voluntas *secundum se,* vel ipsa *inclinata in commoda. Tertio,* si accipitur ut *elicit actus naturales,* adhuc non est nisi ipsamet potentia ut inclinatur ad actum eliciendum, et idem est ipsamet ut *libera* realiter. — *Report.* III. d. 17. q. 2. n. 3. — Vid. *Imago SS. Trinitatis in anima = Natura — Principium — Causa = Potentia irrationalis — rationalis = Potentia naturalis — libera.*

Voluntas — Appetitus. — *Voluntas* potest accipi sub *propria* ratione, vel sub ratione *generali* et nomine, scilicet, pro *appetitu.* Sed *voluntas* addit super *appetitum,* quia est *appetitus cum ratione liber.* — *Oxon.* III. d. 17. n. 2. — Ratio autem formalior *voluntatis* est magis *libera* quam ratio *appetitus.* — *Ib.* II. d. 25. n. 16.

Voluntas creata dupliciter recta. — *Voluntas creata* potest intelligi conformis voluntati divinae, vel quoad *volitum,* vel quoad hoc quod est *regula volendi.* Ad hoc quod sit *recta* voluntas nostra requiritur obiectum cum omnibus circumstantiis. — Voluntati Dei nostra conformatur, non per *similitudinem,* sed *imitando* eam ut *regulam.* — *Report.* I. d. 48. n. 2.

Voluntas Dei antecedens — consequens. — Propter illud Apostoli, *vult omnes homines salvos fieri,* distinguo de voluntate *antecedente* et *consequente.* — Voluntas *antecedens,* qua vult * Deus * omnes salvos fieri, est illa qua vult illa bona eis quibus possunt pervenire ad salutem: voluntas vero *consequens* est qua vult alicui propter merita sua beatitudinem. — *Report.* I. d. 46. n. 2.

Voluntas Dei efficax. — Voco *voluntatem* * Dei * *efficacem* quae dat *esse* et *efficere,* non quae *complacet.* Verum enim est, quod bonitas divina est ratio qua Deus vult alia voluntate *complacente,* sed non necessario voluntate *efficaciae.* — *Report.* I. d. 8. q. 3. n. 23. — Vid. *Voluntas in Deo multipliciter accipitur.*

Voluntas dupliciter consideratur. — *Voluntas* potest *dupliciter* considerari: vel prout est *activa* actus sui: vel prout est *passiva,* non inquantum recipit actum, sed inquantum est *receptiva passionum spiritualium;* de quibus passionibus loquitur Augustinus, *De Moribus Ecclesiae,* ubi omnes passiones voluntatis reducit ad *amorem.* — *Report.* IV. d. 49. q. 6. n. 4. — *Oxon.* ib. q. 7. n. 4.

Voluntas fruens multiplex. — Voluntas *divina* fruitur *simpliciter* et *necessario* et *per se primo.* — Voluntas *creata beata* fruitur *simpliciter* et *perpetuo* et *per se,* sed non *primo.* — Voluntas *viatoris iusti* fruitur *simpliciter* et *per se,* sed non *immobiliter,* neque *primo.* — Voluntas *peccantis* mortaliter fruitur *simpliciter,* quantum est ex parte *voluntatis* quietantis seipsam, quoniam quietatur in obiecto quod propter se amat; sed non simpliciter quietatur quantum est ex parte *obiecti;* nec *frui* illud requirit; sed quia obiectum non est de se quietativum, sicut potentia actu suo se quietat in ipso,, ideo est fruitio *inordinata.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 4.

Voluntas in Deo multipliciter accipitur. — Distinguo de *voluntate in Deo;* accipitur

enim *voluntas* in Deo pro *potentia nuda.* — Aliquando vero accipitur pro *actu voluntatis,* et sic frequenter accipitur in Scriptura Sacra. — Aliquando vero accipitur pro actus voluntatis *signo.*

Primo modo, scilicet, ut accipitur pro *potentia,* voluntas remanet indivisa. — *Secundo modo* accepta, scilicet, pro *actu,* subdistinguitur: nam actus voluntatis divinae habet perfectionem omnium actuum voluntatis creatae; actus autem voluntatis creatae, ut patet in nobis, distinguitur per *velle* et *nolle; velle* autem *uno modo* accipitur pro actu *simplici* voluntatis, quo quis vult aliquid *simplici complacentia,* non tamen movet ad consequendum illud: sicut aliquis desperans de *sanitate* vult quidem sanitatem, et habet *simplicem complacentiam* respectu sanitatis; quia tamen desperat de ea, non laborat ad consequendum eam. — Aliud est *velle efficax,* quo quis non solum vult aliquid, sed *movet* ad obtinendum volitum. — Et illud *velle* est *duplex:* quoddam *intensum:* ut cum aliquis *perfecte* vult aliquid, *movet perfecte* ad illud consequendum. Aliud est *velle remissum:* ut cum aliquis vult aliquid, non tamen operatur *quantum potest* ad illud consequendum: sicut si vellem aliquid portare, quod bene possem, non tamen volo portare, nisi alio mecum concurrente ad portandum. — Et sicut distinctum est de *velle,* ita potest distingui de *nolle,* quod quoddam est *intensum,* et quoddam *remissum.* — *Report.* I. d. 47. q. 2. n. 1.

Signum *efficacis* voluntatis et *intensae,* si *immediate* ab ipsa fiat, est *impletio* voliti; si vero *per alium* fit, est *praeceptum* et *mandatum.* Signum vero volitionis efficacis, sed *remissae,* est *consilium* vel *admonitio.* Et sic sunt *tria signa positiva* voluntatis *efficacis.*

Similiter ex parte *nolitionis,* si sit *efficax* et per se ipsam, signum est *destitutio,* vel *obduratio;* si vero fit *per alterum,* et est *intensa,* est *prohibitio;* si vero est *remissa,* signum eius est *dissuasio,* et potest dici *permissio;* et haec non est idem quod *licentia. Permissio* igitur potest dici signum volitionis *remissae* in Deo. Sed hoc non est intelligendum, quod *in se* sit actus remissus, sed respectu *obiecti;* aliter nunquam aliquid fieret a causa secunda nisi Deus haberet *velle* remissum respectu effectus, quia si eius *velle* esset *efficax* immediate respectu effectus, prius poneret effectum in *esse,* quam causa secunda ageret; sed non est probabile, quod *permissio* sit talis volitio in Deo, quia non permittitur aliquid fieri, nisi quod scitur fieri: sed qui scit aliquid fieri, quod nolit fieri, tristatur. Ideo aliter, quod *permissio* est signum *nolitionis* divinae: non quidem signum actus recti, sed *reflexi,* quo vult se non velle illud, vel non nolle illud quod fit. — *Ib.* n. 3. — *Oxon.* I. d. 47. n. 2.

In Deo est *velle complacentiae simplicis* respectu *possibilis,* et sequitur intellectionem simplicium; *efficax* vero non est in Deo nisi respectu eorum quae *vult fieri;* non autem vult fieri nisi ea quae imitantur ipsum: mala autem non imitantur ipsum; ergo non vult mala fieri (1). Si igitur non vult mala fieri ista prima volitione, igitur nulla aliarum, quia illa praesupponunt istam. Et per hoc etiam patet, quod voluntas Dei *efficax semper impleatur,* licet non volitio eius *simplicis complacentiae,* quia per illam non determinatur ad producendum aliquid, sed sequitur solum simplicem apprehensionem. — *Report.* I. d. 47. q. 2. n. 2.

Acceptatio respectu secundi obiecti * voluntatis divinae * potest intelligi *tripliciter:* — *Uno* modo *simplici complacentia,* et haec est necessaria respectu cuiuslibet possibilis esse; sicut enim intellectus divinus necessario videt omnem entitatem possibilem, ita vult eam, et per consequens *complacet* sibi in volitione illius *simplici complacentia;* et ista potest esse respectu eorum quae nunquam erunt. — *Secunda* acceptatio potest intelligi qua voluntas divina vult aliquid esse *volitione efficaci,* quae distinguitur a volitione divina *simplici,* sicut

---

(1) « Quaedam * namque * diligit dilectione *efficaci:* puta, illa quae aliquando producit in esse: quaedam volitione quadam *complacentiae,* non *efficaci,* quae tamen nunquam producet in esse; ostenduntur tamen ab intellectu suo ut possibilia habere tantam bonitatem sicut illa quae diligit dilectione efficaci ». — *Oxon.* III. d. 32. n. 2.

in nobis; voluntas enim nostra potest velle bene alicui voluntate *benevolentiae*, quasi volitione *simplici*, licet *non cooperetur* ad bonum eius; et tunc non vult bonum sibi voluntate *efficaci*. Voluntas igitur Dei *efficax* tantum est respectu eorum quae aliquando erunt, et ad quorum *esse* cooperabatur. Sic acceptatur actus *substractus malitiae* in omni peccato, quia talem actum secundum substantiam actus vult Deus esse voluntate *efficaci*, quia ad eius esse cooperatur, sicut ad esse cuiuslibet positivi. — *Tertia* est acceptatio divina, quae non solum vult rem esse, sed *acceptat* eam *respectu maioris boni;* et talis est volitio divina quae acceptat aliquod bonum, ordinando ad maius bonum, vel ad bonum completivum suae perfectionis, ut ad beatitudinem; et talis acceptatio divina est respectu creaturae rationalis. — *Report.* I. d. 17. q. 2. n. 4.

Voluntas — Natura. — *Natura* et *voluntas* habent oppositos modos principiandi: quia alterum inclinatur ex se ad agendum *naturaliter;* alterum *libere*, et in potestate sua habet producere, ita quod ad hoc ex se naturaliter non inclinatur. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 18.

Voluntas naturalis — libera. — *Duplex* est *appetitus*, sive *voluntas*, scilicet, *naturalis*, et *libera*. Potest enim voluntas considerari ut est quaedam natura, et inquantum habet *inclinationem* et appetitum *naturalem ad suam propriam perfectionem*, sicut quaecumque aliae naturae — *Report.* IV. d. 49. q. 9. n. 1. — *Naturalem* solum dico potentiam voluntatis *absolute;* sicut enim quaelibet natura habet inclinationem naturalem ad suam perfectionem, sic etiam natura intellectualis, scilicet, voluntas, habet naturalem inclinationem ad suam perfectionem. — *Oxon.* ib. q. 10. n. 2.

Quid ergo est? Dico, quod est inclinatio ad ipsam perfectionem, sicut in aliis non habentibus appetitum liberum. Et de isto appetitu loquitur Philosophus *I. Physic.*, *text. 81*, quod *materia appetit formam*, sicut imperfectum appetit suam perfectionem — *Report.* ib. n. 5. — *Oxon.* ib. 3. — *Alius* est *appetitus liber*, quod est *velle liberum*. — *Oxon.* ib.

Voluntas *naturalis* non est de se *immoderata*, sed tantum inclinat per modum naturae; et in hoc non est immoderatio, quia inclinat sicut accepit inclinari, nec est in potestate sua aliud. In potestate autem voluntatis ut *libera* est in eliciendo actum est *tantum* inclinari, vel *minus*. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 10.

Voluntas *naturalis* non est voluntas, nec *velle* naturale est *velle;* sed *naturale* distrahit ab utroque, et nihil est nisi relatio consequens potentiam respectu propriae perfectionis. Unde eadem potentia dicitur voluntas *naturalis* cum tali respectu necessario consequente ipsam respectu propriae perfectionis; et dicitur *libera* secundum rationem *propriam* et *intrinsecam*, quae est voluntas *specifice*. — *Aliter* potest dici voluntas *naturàlis* ut distinguitur contra potentiam vel voluntatem *supernaturalem;* et sic ipsa in puris *naturalibus* exsistens distinguitur contra seipsam *ut informatam donis gratuitis*. — Adhuc *tertio* dicitur voluntas *naturalis* ut elicit actum *conformem inclinationi naturali*, quae semper est ad *commodum*. Dicitur autem *libera* inquantum in potestate eius est ita elicere actum oppositum inclinationi, sicut conformem, et non elicere, sicut elicere. — *Oxon.* III. d. 17. n. 3. — Cf. ib. d. 15. n. 37.

Voluntas * igitur * *naturalis*, ut sic, non est voluntas, neque potentia, sed tantum dicit inclinationem potentiae ad *recipiendum* perfectionem, non ad *agendum;* et ideo ut sic est *imperfecta*, nisi sit sub illius perfectione, ad quam illa tendentia inclinat potentiam. Unde *naturalis* voluntas non tendit, sed est *ipsa tendentia*, qua voluntas absolute tendit, et hoc *passive*, ad *recipiendum*. — Sed est alia tendentia in eadem potentia, ut *libere* et *active* agat et tendat eliciendo actum; ita quod in *una* potentia est *duplex* tendentia, *activa* et *passiva*. Voluntas * itaque * *naturalis* secundum *formale* quod importat non est potentia vel *voluntas*, sed *inclinatio voluntatis* et tendentia qua tendit in perfectionem. — *Ib.* d. 17. n. 5. — Vid. *Intellectus potentia naturalis — voluntas libera.*

Voluntas practica — speculativa. — Voluntas intellectualis *duplex* est, scilicet, *pra-*

Actus est intensior habitu coagente quam non coagente. — Concedo, quod potentia operante ex aequali conatu, semper *actus sit intensior habitu coagente quam non coagente;* quia tota intensio attribuitur duobus causis, et potentiae quidem ex maiori vel minori conatu, habitui autem semper aequaliter quantum est de se. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 9.

Actus est nobilior passione. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 7. n. 7. — Cum dicis, quod *actus sunt laudabiliores passionibus,* dico, quod verum est loquendo de actu *virtutis,* quae distinguitur contra passionem quae non accidit ex virtute: et sic loquitur Philosophus *II. Ethicor.* c. 5. *Passionibus nec laudamur, nec vituperamur.* Tamen passiones poenales, et maxime mors, qnando est ex actu virtutis accepta et imperata, est laudabilior quam actus virtutis circa delectabile separatim. Unde actus virtutis circa tristabile est magis meritorius quam actus virtutis circa delectabile, et passiones voluntarie concomitantes actum virtutis simul acceptae sunt magis meritoriae quam actus tantum. Unde Salvator de Paulo dixit: *ostendam ei quanta oporteat eum pati:* non dixit quanta oportuit eum *agere.* — *Ib.* III. d. 20. n. 11. — *Report.* ib. n. 13.

Actus est perfectio potentiae. — Unde ad ipsam naturaliter ordinatur. — *De Rer. Princ.* q. 3. n. 17. — Vid. *Actus est finis potentiae.*

Actus est prior habitu. — Habitus non disponit potentiam ad recipiendum actum, imo actus est natus prius recipi quam habitus. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 3. — Nec modo per habitum recipitur actus, quia cum habitus generetur ex actibus, sequitur actus ipsos. — *Ib.* IV. d. 49. q. 11. n. 8.

Actus est prior potentia. — Ex intentione Philosophi, *IX. Metaph.* c. 7. * text. 13 *, *actus est prior potentia* definitione, quia potentia definitur per actum. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 9. — Ubi vult, quod actus est prior potentia, non solum *tempore* et *ratione,* sed etiam *substantia,* hoc est, *perfectione.* Unde in probatione illius membri, quod *actus prior est substantia,* exemplificat ipse: ut vir puero, et homo spermate; et conclusionem sic intellectam ibi probat, quia gratia actus, tamquam finis, sunt alia ordinata ad actum, sicut declarat ibi in multis exemplis. — *Quodlib.* q. 13. n. 4. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 1. n. 4. — Actus * autem * praesupponit potentiam, loquendo de ordine *originis.* — *Ib.* d. 12. q. 6. n. 8.

Postquam Philosophus determinavit de potentia et actu *absolute,* determinat de eis *comparate,* * et * comparat potentiam et actum penes ordinem *prioris* et *posterioris.* Dicit ergo, quod *actus est prior potentia, non solum illa quae dicitur principium permutationis in alio* (1), sed universaliter de omni *principio motivo, aut immobilitativo,* id est, sive sit principium motivum, sive principium immobilitatis, puta, *quietis,* aut actionis quae est sine motu, puta, *intelligere* et *velle. Omni itaque* tali *potentia prior est actus ratione,* id est, definitione, *et substantia,* id est, perfectione: *tempore vero quidem est ut sic, est autem ut non,* sicut patebit infra.

Primo probat prioritatem *definitionis,* * et * intendit talem rationem: illud est prius alio ratione et definitione per quod aliud habet definiri, et non e converso: sed potentia habet definiri per actum, et non e converso; ergo, etc.

Deinde probat quomodo actus sit prior potentia et *tempore* et *generatione,* et quomodo non. — Dicit ergo, quod actus *est prior* potentia *tempore, specie idem agens, sed non numero,* id est: agens vel ens actu quod est idem specie, sed non idem numero, est prius quam ens in potentia. Vult dicere, quod respectu *eiusdem in numero* potentia praecedit actum tempore; prius enim materia fuit *in potentia ad hominem* quam esset *actu homo.* Non tamen hoc est verum simpliciter; unde subdit: *sed his,* scilicet, quae existunt in potentia, *sunt priora tempore altera entia in actu,* scilicet, agentia *ex quibus facta sunt haec,* id est, per quae ista reducta sunt ad actum; et ideo simpliciter loquendo *ens in actu* est prius *ente in potentia.* — Ex his ergo patet, quod licet *idem numero* prius tempore sit in po-

---

(1) Vid. Distinctiones: *Potentia,* etc.

tentia, tamen simpliciter aliquod ens actu est prius tempore quam ens in potentia. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. IX. S. 2. c. 2. per tot.

Postquam probavit Philosophus de *actu* prioritatem *rationis* et prioritatem *temporis* sive *generationis*, nunc probat prioritatem substantiae sive *perfectionis*. Intendit talem rationem: illud quod est posterius generatione est prius substantia et perfectione (1): sed actus est huiusmodi respectu potentiae, prius enim est generatione aliquid in potentia quam sit in actu; ergo, etc. — Ponit secundam rationem: illud quod habet rationem finis est perfectius his quae sunt ad finem: sed actus habet rationem finis, et potentia habet rationem eius quod est ad finem; ergo, etc. — *Ib.* c. 3. nn. 36 et 37. — Cf. *De Primo Princ.* c. 1. n. 2. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 30.

Actus et generationes omnes circa singulare sunt (Aristot. I. Metaph.). — Dicendum, quod propositio est vera de actibus *transeuntibus in extrinsecum*, et hoc de illis secundum quod existunt *extra in rebus*, non de illis secundum quod considerantur *a ratione*.

Duo dicuntur in glossando propositionem. — Probatio *primi:* quia cum actio transiens in extrinsecum sit per se singularis, et existat in aliquo sicut in subiecto, oportet, quod illud in quo existit sit per se singulare; singulare enim non existit in subiecto universali. — Non sic de actu *manente in agente;* quia non est in obiecto circa quod est; et ideo talis actus singularis est quia est in singulari subiecto, sicut patet de *intelligere*, licet obiectum circa quod est sit per se universale — Propositio * igitur * non intelligitur de actibus manentibus in agente. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 6. n. 2. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. n. 11.

Actus et potentia opposita sunt. — Prout dicunt modos cuiuslibet entis, prout, scilicet, idem est ens *in potentia* antequam actu sit, et ens in *actu* quando iam est. Et isto modo nulli eidem conveniunt, nec *formaliter*, nec etiam *denominative*, quod, scilicet, idem dicatur ens denominatum simul ab aliquo in aliquo *actu*, et ab eodem in *potentia*. — Ut tamen *actus* accipitur pro principio *activo*, et *potentia* pro principio *passivo*, quae cadunt infra essentiam cuiuslibet definibilis vel definiti, sic non sunt opposita, nec sic dividunt *ens*, nec repugnant alicui eidem. — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 12. — Cf. ib. d. 12. q. 1. n. 16. — q. 2. n. 7. — d. 25. n. 12. — IV. d. 11. q. 3. 11.

Actus nobilior habitu. — *Actus omnis est nobilior habitu;* et de habitibus acquisitis potest demonstrari; et de infusis est probabile; universaliter enim species sua, scilicet, actus, est nobilior specie habitus. — *Report.* IV. d. 49. q. 1. n. 9.

Actus non est immediatum principium recipiendi actum. — Falsum est, quia essentia et substantia, quae est *actus*, est receptiva actus alicuius *accidentalis*, scilicet, potentiae, que est forma quaedam et actus in anima, secundum eos * qui hoc ponunt effatum *. — Praeterea, si actus non potest recipere actum, cum omnis potentia naturalis animae sit quidam *actus*, nulla recipiet actum. — *Oxon.* II. d. 16. n. 6.

Actus rectus perfectior reflexo. — Omni actu reflexivo potest haberi aliquis actus rectus perfectior; quia actus rectus intellectus quo intelligit quidditatem est perfectior eo actu quo intelligit intellectum intelligere, quia habet obiectum nobilius. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 5. — Actus rectus potest esse perfectior quam aliquis reflexus; quia actus ille quo quis videt Deum habet obiectum perfectius, puta, essentiam divinam, quam aliquis actus reflexus. — *Report.* ib. q. 9. n. 3. — Idem autem est habitus actus recti et reflexi. — *Oxon.* III. d. 28. n. 2.

Actus separat et distinguit. — Unumquodque enim distinguitur ab alio per proprium actum et formam. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 14. n. 117. — Actus distinguit eo modo quo est actus; sed actus accidentalis distinguit accidentaliter, sicut actus essentialis essentialiter. — *Oxon.* II. d. 3. q. 3. n. 3.

Actus specificantur per obiecta. — Dico, quod etsi *obiectum* distinctum *specie* concludat distintionem *actus specie*, non qui-

(1) Vid. *Posterius generatione est prius perfectione.*

ctica et *speculativa*. — *Speculativa* est *universalis; practica singularis*. — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 18. n. 4.

Voluntas ut natura. — Voluntas *ut natura* dupliciter accipitur: — *Uno modo* ut tendit naturaliter in obiecta propria huius potentiae, ut hic universaliter circumscribendo alia, ut, scilicet, inclinatur tamquam perfectibilis ad sua propria obiecta; et sic inclinatur naturaliter ad obiecta ordinate secundum naturalem ordinem obiectorum, inquantum sunt ipsius aliqualiter perfectiva. — *Alio modo* dicitur voluntas *ut natura,* includendo omnem ordinem eius ad quodcumque consequens naturam voluntatis; et hoc proprie non ut libera, sed ut tantum appetitus intellectivus, sive ut habens affectionem commodi, non iustitiae.

Breviter: voluntas *ut natura primo* modo est voluntas ut naturaliter inclinata tantum ad *sua propria obiecta. Secundo modo* est voluntas inclinata ad obiecta *alterius* appetitus cui coniungitur mediante inclinatione illius. — *Primo modo* est tantum portio *superior: secundo modo* tantum *inferior.* — Generaliter autem potest accipi voluntas *ut natura,* secundum quod includit utrumque; et sic pertinet ad utramque portionem. — *Oxon.* III. d. 15. n. 23.

Voluntatis actus multiplex. — Est in communi *duplex actus* voluntatis, scilicet, *velle,* et *nolle. Nolle* enim est actus positivus voluntatis, quo *fugit* disconveniens, seu resilit ab obiecto disconveniente; *velle* est actus quo *acceptat* obiectum aliquod conveniens. — Et est ulterius *duplex velle,* quod potest nominari *amicitiae,* et *concupiscentiae;* et dicatur *velle amicitiae* esse istius obiecti *cui volo bonum;* et velle *concupiscentiae* esse istius obiecti quod *volo alicui alii amato.*

Istorum autem actuum patet ordo: quia omne *nolle* praesupponit aliquod *velle;* a nullo enim refugio nisi quia non potest stare cum aliquo quod accepto tamquam conveniens. Et hoc dicit Anselmus, *De casu diaboli, capitulo 3.,* ponens exemplum de *avaro, nummo* et *pane.* — Et istorum duorum *velle* patet ordo: quia *concupiscentia* praesupponit illud *velle amicitiae;* cum enim amatum sit respectu concupiti quasi finis, cui volo bonum, nam propter amatum concupisco sibi bonum, quod sibi volo, et cum finis voluntatis habeat primam rationem obiecti voliti, patet, quod *velle amicitiae* praecedit *velle concupiscentiae* (1).

Ex isto probato sequitur ulterius, quod similis est processus in *velle* et *nolle deordinatis.* Nullum enim *nolle* est actus primus deordinatus voluntatis, quia non posset habere *nolle* nisi in respectu vel in virtute alicuius *velle.* Et si *velle* esset ordinatum acceptando obiectum cum circumstantiis debitis, *nolle,* quod habetur consequenter, similiter esset sibi ordinatum; nam si ordinate amo, ordinate odio nociva amati. Eodem modo si *velle amicitiae* esset ordinatum, *velle concupiscentiae* consequens ad illud esset ordinatum; nam si ordinate amo illud cui volo bonum, ordinate concupisco sibi bonum. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. nn. 3. 4. — *Ib.* d. 21. q. 2. n. 2. — *Ib.* d. 42. q. 4. n. 13. — *Ib.* IV. d. 49. q. 5. n. 2. — *Report.* IV. d. 49. q. 4. n. 2. — *Ib.* II. d. 6. q. 2. nn. 4-5.

Duplex * iterum * est actus voluntatis: unus *perficiens* voluntatem: alius qui *perficitur* a voluntate. — *Primus* actus est respectu *finis,* et est operatio perfecta, quam intra se voluntas elicit, et qua fini ultimo se unit. — *Secundus* actus est respectu eorum *quae sunt ad finem;* unde est actio bona qua voluntas extra se in aliud tendit, sicut est quaelibet actio directiva in finem. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 16.

Voluntatis assensus duplex. — Sicut in intellectu sunt *duo actus assentiendi* alicui vero complexo, unus quo assentitur alicui vero complexo *propter se* sicut principio, *alius* vero quo assentitur alicui vero non

---

(1) « Quia velle *concupiscentiae* praesupponit velle *amicitiae;* nullus enim concupiscit nisi *magis* amet illud cui concupiscit bonum concupitum quam amet ipsum concupitum, et *prius* aliquo modo; ergo prius amat quis amore *amicitiae,* quam aliquid bonum sibi ». — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 10.

« Voluntatis * etenim * sunt duo actus: scilicet, *complacentiae* et *concupiscentiae;* et actus *complacentiae* prior est, quia prius complacet voluntati ex dilectione in illo cui concupiscit, quam concupiscat aliquid sibi ». — *Ib.* d. 42. q. 4. n. 13.

propter se, sed *propter aliud* verum, sicut conclusioni propter principium, ita in *voluntate* sunt *duo actus assentiendi bono: unus* quo assentitur alicui bono *propter se; alius* quo assentitur bono *propter aliud bonum*, ad quod illud bonum refertur, sicut *conclusioni* assentitur propter *principium*, conclusio enim veritatem suam habet a principio. Ista similitudo accipi potest a Philosoph. *VI. Ethic.*, ubi dicitur: *Quod in mente est affirmatio et negatio, hoc in appetitu est prosecutio et fuga*, et ita ultra, sicut in mente est *duplex affirmatio, propter se* et *propter aliud*, ita in appetitu est *duplex prosecutio*, vel *adhaesio, propter se* et *propter aliud*.

Est tamen hic duplex differentia — *Prima*, quia illi duo assensus intellectus distinguuntur ex *natura obiectorum;* sunt enim alteri propter evidentiam alteram huius vel illius veri, et ideo habent distincta obiecta sibi correspondentia et ipsos causantia; hic autem huiusmodi assensus non sunt distincti ex distinctione obiectorum, sed ex *distincto actu* potentiae liberae sic vel sic acceptantis obiectum eius, quia in potestate eius est sic vel sic agere, referendo, vel non referendo; et ideo non correspondent istis actibus propria obiecta distincta, sed quodcumque bonum volibile potest voluntas habere obiectum secundum hunc actum, vel secundum illum.

Secunda differentia est, quia illi duo assensus intellectus sufficienter dividunt assensum intellectus in communi, nec inter ipsos est aliquod medium, quia nulla est evidentia media ex parte obiecti, a qua possit accipi aliqua alia veritas, quam veritas principii, vèl consequentis. — Praeter autem istos duos assensus voluntatis est aliquis *alius assensus medius;* quia voluntati potest ostendi aliquod obiectum bonum absolute apprehensum non sub ratione propter se boni, nec propter aliud bonum; voluntas autem circa tale sic ostensum potest habere aliquem actum, et non necessario inordinatum; ergo potest habere aliquem actum volendi illud absolute, absque relatione ad aliud, aut absque fruitione propter se; et ulterius potest imperare intellectui ut inquirat, quale illud bonum sit, et qualiter volendum, et tunc illi potest assentire sic vel sic. Tota ratio differentiae hinc et inde est *libertas* voluntatis, et *necessitas naturalis* ex parte intellectus.

Ex his ultra, actus assensus bono propter se est actus perfectus: actum autem perfectum propter se consequitur delectatio, ex *Ethic. XI.;* ergo actum volendi bonum propter se consequitur aliqua delectatio.

Habemus igitur ad propositum *quatuor* distincta: actum imperfectum volendi bonum *propter aliud*, qui vocatur *usus:* et actum perfectum volendi bonum *propter se*, qui vocatur *fruitio:* et actum *neutrum:* et *delectationem* sequentem actum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 3. n. 2.

Voluntatis divinae libertas. — Vid. *Voluntatis libertas.*

Voluntatis indifferentia. — Voluntas nostra est *indifferens* ad *actus diversos*, et etiam per actus ad *obiecta diversa*, et ad *effectus diversos*. Et *prima* et *tertia* indifferentia est *imperfectionis; secunda* vero est *perfectionis*, et ponenda est in Deo. — *Report.* I. d. 40. n. 9. — Vid. *Indeterminatio contradictionis — illimitationis.*

Voluntatis libertas. — Voluntas inquantum est *actus primus libera* est ad *oppositos actus; libera* etiam est mediantibus illis actibus oppositis ad *opposita obiecta* in quae tendit; et ulterius ad *oppositos effectus* quos producit.

Prima libertas habet necessario aliquam imperfectionem annexam, quia *potentialitatem* passivam voluntatis et mutabilitatem. — *Tertia libertas* non est prima, quia si per impossibile nihil efficeret extra, adhuc inquantum voluntas posset *libere* tendere in *obiecta*. — *Media* autem ratio *libertatis* ipsa est *sine imperfectione*, imo necessaria ad perfectionem; quia omnis potentia perfecta potest tendere in omne illud quod est natum esse obiectum talis potentiae; ergo voluntas perfecta potest tendere in omne illud quod natum est esse volibile. *Libertas* igitur *sine imperfectione*, inquantum est *libertas*, est ad *opposita obiecta* in quae tendit, cui ut sic accidit ut oppositos *effectus* producat. — *Oxon.* I. d. 39. n. 15.

Voluntas *divina* non est indifferens ad diversos *actus nolendi* et *volendi*, quia hoc in voluntate *mea* non erat *sine imperfectione* voluntatis; voluntas enim nostra erat *libera* ad *oppositos actus*, ad hoc, ut esset libera ad *obiecta opposita*, et hoc propter *limitationem* utriusque actus respectu sui obiecti; ergo posita *illimitatione* eiusdem voluntatis ad diversa obiecta, non oportet propter libertatem ad opposita *obiecta* ponere libertatem ad oppositos *actus*. — Ipsa etiam voluntas divina *libera* est ad oppositos *effectus;* sed haec non est *prima* libertas, sicut nec in nobis. — Remanet ergo libertas illa quae est *per se perfectionis*, et sine imperfectione, scilicet, ad *obiecta opposita;* ita quod sicut voluntas nostra potest *diversis* volitionibus tendere in diversa volibilia, ita illa voluntas potest *unica* volitione simplici illimitata tendere in *quaecumque volibilia*, ita quod si voluntas illa, vel illa volitio esset tantum unius volibilis, et non posset esse oppositi, quod tamen est de se volibile, hoc esset *imperfectionis* in voluntate, sicut deductum est prius de voluntate nostra. — Et licet in nobis posset distingui voluntas ut est *receptiva*, et ut est *operativa*, et ut *productiva;* ipsa enim est *productiva actuum*, et ipsa est qua habens *operatur*, formaliter volendo, et ipsa est *receptiva volitionis* suae, tamen *libertas* videtur esse eius inquantum est *operativa*, inquantum, scilicet, habens eam formaliter *potest ea tendere in obiectum*.

Ita igitur ponitur *libertas* in voluntate divina *per se* et *primo*, inquantum est potentia *operativa*, licet ipsa non sit *receptiva*, nec *productiva volitionis* suae; et tamen potest salvari in ea *aliqua libertas* inquantum *productiva* est; licet enim *productio* in *esse existentiae* non concomitetur necessario operationem eius, quia operatio est in aeternitate, et *productio esse existentiae* est in tempore, tamen operationem eius necessario concomitatur *productio* in *esse volito;* et tunc non potest potentia illa voluntatis divinae *primo* quidem *esse* ut productiva, sed *secundum quid*, scilicet, in *esse volito;* et ista productio concomitatur eam ut *operativa*. — *Ib.* n. 21.

Voluntatis motio duplex. — *Motio voluntatis* quasi est *duplex*, scilicet, ad *amare simplex*, et etiam ad *amorem procedentem*. — Et haec *duplex motio voluntatis* correspondet *duplici motioni naturali* quae est in *intellectu*, ad *intelligere* et *dicere*. — *Quodlib.* q. 14. n. 15.

Voluntatis portio inferior — superior. — Vid. *Voluntas ut natura*.

Voluntatis quietatio. — Vid. *Quies multiplex*.

Voluntatis rectitudo. — *Cum dicis*, quod voluntas *libera* erit *recta*, si *consonet voluntati naturali; dico*, quod non semper, sed tantum quando cum hoc *consonat voluntati superiori*, scilicet, voluntati divinae, quando vult quod Deus vult eam velle. Quandoque autem Deus vult voluntatem *libere* velle quod vult appetitum *naturalem* appetere velle; quandoque autem non, sed vult voluntatem liberam velle esse consonam voluntati suae, et dissonam appetitui naturali; et ideo beatitudo recte appetitur libere, quia Deus vult naturalem appetitum hoc appetere et voluntatem liberam esse sibi consonam. — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 16.

Vorago — Vid. *Hiatus — Vorago*.

Votum continentiae duplex. — *Votum continentiae*, cui in aliquibus annectitur Ordo, est *duplex;* quoddam enim est votum *simplex*, quoddam *solemne*.

Nec ista divisio voti est eadem illi divisioni voti, *votum* aliud est *publicum*, aliud *privatum;* quia et votum *simplex* et *solemne* potest esse *publicum* et *privatum* (1); et ita unum unius divisionis complectitur utrumque alterius divisionis.

(1) « Dicitur ergo *solemne*, non quia *publicum*, sed quia in se habet aliquid annexum ut *in publicum debeat venire*, et per quod vovens ponitur *sub alterius* hominis *potestate*. Et sic est praecise in susceptione sacri Ordinis, per quem suscipiens constituitur Minister Ecclesiae, et aliter quam prius sub Episcopi potestate, quia Episcopus potest eum cogere ad statum clericalem servandum et ad vitandum ea quae repugnant statui clericali. Unde si praedictum Ordinem susciperet in *secreto*, adhuc esset *solemne*, propter rationem iam dictam: sicut et professio religionis facta in manu eius qui potest recipere habet in se aliquid annexum unde *debeat in publicum venire*, quia oportet talem vitam saecularem dimittere, et cum aliis in claustro sui Ordinis conversari, et ideo est *solemne*, etiamsi fieret in *occulto* ». — Oxon. IV. d. 38. n. 3.

De *voto* autem *solemni* et eius differentia ad *votum simplex*, habetur *Extra De votis, etc. Qui Clerici, cap. 1. Rursus in glossa.*

Votum autem *continentiae* quatuor modis solemnizatur. Sed duo modi sunt, ad quos modi alii duo habent reduci: — *Uno modo* solemnizatur per *Ordinis susceptionem.* — *Secundo modo* per alicuius *Religionis approbatae assumptionem* vel professionem — *Tertio modo* per *habitum professi* in aliqua Religione, ubi distinguitur habitus *Novitii* ab habitu *Professi;* et iste *tertius modus* habet reduci ad *secundum*, quia haec professio Religionis tantum est praesumpta, sicut habetur *Extra, De praesumptionibus.* — *Quarto modo,* si aliquis steterit in aliqua Religione approbata per annum, vel annum complete sine contradictione, vel remurmuratione; tunc praesumitur quod *tacitam* professionem fecerit (1); et sic solemnizatur *votum* eius *praesumptive*, ac si realiter profiteretur, sicut habetur *Extra, De voto, et voti redemptione, cap. Notum, et Extra, De Regularibus, cap. Ex parte in textu, et in glos. etc.;* et iste etiam modus continetur sub *secundo.*

Omnes igitur isti modi *voti solemnis* reducuntur ad duos primos modos, ubi *votum* vel solemnizatur per *susceptionem sacri Ordinis*, vel per *professionem expressam*, vel *praesumptam Religionis.* — Et de istis omnibus habetur *Extra, De voto*, ubi prius.

Et sic patet *quomodo*, et *quot modis* flat *solemnizatio voti continentiae.* — *Report.* IV. d. 42. n. 11. *Oxon.* ib. d. 38. nn. 2-3.

Vox. — *Voces sunt notae earum passionum quae sunt in anima.* — *De Anima*, q. 22. n. 5. — Dicit Boetius, quod voces significativae *uno modo* considerantur ut imponuntur ad signicandum: *secundo modo*, ut eis significantibus insunt proprietates causatae ab intellectu. *Primo modo* considerantur in Logica: *secundo modo* in Grammatica — *Super Praedic.* q. 1. n. 5. — In termino sunt duo: *vox* et *significatum.* *Vox* repraesentatur *sensui: significatum intellectui;* vox enim est *signum*, et signum se offert sensui, aliud derelinquens intellectui. — *Post.* I. q. 1. n. 1.

Licet magna altercatio flat de *voce*, utrum sit signum *rei* vel *conceptus*, tamen breviter concedendo, quod illud quod significatur per vocem proprie est res, sunt tamen signa multa ordinata eiusdem significati: *littera, vox* et *conceptus.* — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 19. — (Cf. *Op. prim. super I Periherm.* q. 2., ubi *late hanc tractat quaestionem*) — * Notandum autem, quod * *passiones * (seu conceptus) ** inquantum sunt *signa*, et *res* inquantum sunt *significata*, sunt eaedem apud omnes; nam eadem passio in anima apud quoscumque concipientes repraesentat eamdem rem, quia eadem similitudo in anima semper est eiusdem repraesentativa, sicut est similitudo sensibilis in sensu litterae; et *voces* in se eaedem non sunt eaedem apud omnes, inquantum sunt *signa*, quia nec eadem littera apud omnes repraesentat eamdem vocem, sed vel aliam, vel nullam; nec eadem vox apud omnes significat eamdem passionem, sed vel aliam, vel nullam.

Ex hoc patet *res* et *passiones* esse signa *naturaliter*, quia apud omnes uniformiter significant, et significantur: et quod est a natura est idem apud omnes; *littera* autem et *vox* non sunt signa *a natura*, quia non sunt eaedem apud omnes, inquantum significant, aut significantur. — *Super Periherm.* ib. q. 4. n. 2.

Impositio ad significandum nullam qualitatem voci tribuit, nec aliquam intentionem, nec aliquem conceptum. Unde nihil valet quod dicunt aliqui, quod vox significativa continet in se conceptum rei quem causat in animo audientis. Si enim hoc esset verum, tunc vox significativa audita movere posset intellectum audientis, secundum illam intentionem, inquantum, scilicet, est sic significativa; et tunc vox latina significativa moveret intellectum Graeci audientis eam ad conceptum quem exprimit, quod falsum est. Unde per hoc, quod est *significativa*, nulla qualitas sibi imprimitur, nec aliquem conceptum in se continet.

(1) Post Concil. Trid. non amplius viget professio *tacita* seu *praesumpta.*

dem *formaliter*, quia obiectum non est forma alicuius actus, sed *causaliter*, quia causa essentialiter prior necessario requisita inquantum distincta concludit distinctionem in causato; non tamen *unitas obiecti* specifica concludit *unitatem actus* specifice, quia idem obiectum est obiectum omnis intellectus beati et etiam omnis voluntatis beatae, nec tamen *volitio* est *eiusdem speciei* cum *intellectione;* possunt enim isti actus formaliter distingui, licet non habeant obiecta formaliter distincta; et possunt etiam distingui causaliter aliunde quam ab obiectis, quia ab ipsis potentiis tamquam a causis suis essentialibus; et ita, dato quod ab obiecto indistincto secundum speciem haberent indistinctionem, tamen ab alia causa partiali distinguerentur specie.

Nec Philosophus II *De Anima*, dicit, quod actus habent unitatem ab unitate obiecti, sed *distinctionem;* et hoc nisi esset aliquod obiectum ita adaequatum actui, quod excederet, nec posset excedi. *Exemplum* huius est in *motu* et *termino*, quia distinctio termini motus concludit distinctionem in motu, prout motus est forma fluens, si illa forma sit eiusdem rationis cum forma terminante motum; sed idem non oportet unitatem termini motus concludere unitatem motus, quia *ubi* omnino idem potest acquiri diversis motibus secundum speciem, ut motu circulari et motu recto, qui sunt incomparabiles secundum Philosophum, *VII. Physic.* — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 6. — *Report.* ib. n. 13. — Vid. *Actus distinguuntur per obiecta.*

Actus unius unum est obiectum. — Actus aliquis unus non post habere simul *duo obiecta adaequata.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 2. — Quia eiusdem actus non videtur duplex formalis ratio obiectiva. — *Ib.* III. d. 27. n. 6. — * E contra * respectu *eiusdem obiecti*, et sub eadem ratione formali, possunt esse *multi actus;* et non solum potentiarum ordinatarum, sed eiusdem potentiae, differentes secundum *perfectum* et *imperfectum;* nec tantum secundum quod perfectum et imperfectum se habent sicut magis et minus in eadem specie, sed sicut se habent diversae species in eodem genere, puta, media et extrema. — *Ib.* d. 31. n. 4. — Licet igitur distinctio obiectorum sufficiat ad distinctionem actuum, *unitas* tamen non sufficit ad *unitatem.* — *Report.* ib. d. 14. q. 2. n. 13. — *De Anima*, q. 11. n. 7.

Aeternum est necessarium. — Aeternum sicut est totum simul actu, ita caret potentia non essendi. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 6. n. 16. — Propter terminos *esse* post *non esse* repugnat generationi mutationi aeternitas, quia non possunt simul esse, sed alterum ante alterum. — *Ib.* I. d. 9. n. 2.

Affectio iustitiae nobilior est affectione commodi. — *Nobilior* secundum rationem *est affectio iustitiae affectione commodi*, quia regulatrix eius et moderatrix, secundum Anselmum, et propria voluntati inquantum *libera* est, cum affectio commodi esset eius, etiamsi voluntas libera non esset. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 5. n. 3. — Nobilior * itaque * est affectio iustitiae, non solum intelligendo de acquisita et de infusa, sed etiam de *innata*, quae est libertas ingenita, secundum quam aliquis potest velle aliquod bonum non in ordine ad se; secundum autem affectionem commodi non potest velle nisi in ordine *ad se.* Amare aliquid in se est actus liberior et magis communicativus quam desiderare illud sibi. — *Ib.* III. d. 16. n. 17. — Vid. Distinctiones: *Affectio iustitiae — commodi.*

Affirmatio (de quolibet) vel negatio est vera. — Illud principium, *de quolibet affirmatio vel negatio*, etc., valet istam: *de quolibet cuiuslibet contradictionis altera pars est vera, altera falsa.* Ubi duplex est distributio ex parte subiecti, scilicet, *de quolibet*, et *cuiuslibet;* et sub utroque distributio licet descendere; igitur de hoc: *huius contradictionis altera pars est vera, altera falsa.* Sed sub praedicato stante confuse tantum non licet descendere; quia non sequitur: *de quolibet cuiuslibet, altera pars etc.;* ergo *haec* pars. Et ita in aliis principiis semper praedicatum universalis affirmativae stat confuse tantum, sive sint ibi duae distributiones in subiecto, sive una. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 31. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. exposit. text. 13. n. 45 seqq. — *De Rer. Princ.* q. 1. n. 24. — *Miscell.* q. 2. n. 1.

Affirmatio et negatio non praedicantur simul de eodem. — Si *affirmatio* et *negatio* sunt verae de eodem, aut hoc erit verum de *omnibus*, vel de *quibusdam*. — Si de *quibusdam*, non videtur ratio quare in quibusdam sit verum magis quam in aliis. — Si de *omnibus*, vel hoc erit verum *convertibiliter*, scilicet, quod de quocumque sit vera affirmatio sit vera negatio, et e converso, vel *non convertibiliter*, scilicet, quod de quocumque est vera affirmatio sit vera negatio, sed non e converso. — Si *secundo* modo, sequitur, quod negatio erit certior et notior affirmatione, quod est falsum. — Si *primo* modo, adhuc dupliciter: quia vel hoc erit *divisim*, vel *coniunctim*. — Si *coniunctim*, sequuntur duo inconvenientia: *primum* est, quod ille non asseret affirmationem et negationem, et quod ambo erunt falsa: *secundum* est, quod omnia erunt unum. — *Si dicas*, quod verum est *divisim*, sequuntur quatuor inconvenientia: *primum*, quod omnia erunt unum, sicut prius: *secundum*, quod omnes verum dicent, et omnes mentientur, et idem homo confitebitur se dixisse falsum: *tertium* est, quod tollitur omnis perscrutatio et disputatio: *quartum*, quod probatur ex definitione *veri* et *falsi*, scilicet, quod affirmatio et negatio sint verae simul, quod est impossibile. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. IV. S. 2. cap. 2. n. 56.

Affirmatio quibus repugnat convenit negatio. — Negatio est *unius rationis* per hoc, quod repugnat affirmationi unius rationis. *Quibuscumque* igitur *repugnat affirmatio unius rationis convenit negatio unius rationis*. — *Oxon.* I. d. 23. n. 6.

Affirmatio si causa affirmationis, et negatio negationis. — An haec sit vera: *Si affirmatio est causa affirmationis, et negatio negationis?* — Dicitur, quod duplex est causa: quaedam *praecisa*, alia *non praecisa*. — Loquendo de causa *primo modo*, tunc illa propositio est vera, *si affirmatio*, etc., ut patet in exemplo Aristotelis: *Si enim habere pulmonem est causa respirandi, tunc non habere pulmonem est causa non respirandi, quia habere pulmonem est causa respirationis.* — In aliis causis non tenet. — *Poster.* I. q. 45. n. 2. — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 15. — *Oxon.* I. d. 43. n. 3. — II. d. 37. q. 1. n. 19.

Affirmativa de praedicato infinito sequitur ad negativam de praedicato finito. — Per Philosophum, *II Periherm.*, *affirmativa de praedicato infinito sequitur ad negativam de praedicato finito*; et e converso cum constantia subiecti. — Dico, quod illa consequentia Philosophi tenet per virtutem primi principii, huius, scilicet: *A quocumque removetur unum contradictoriorum, de eodem dicitur reliquum.* Ut sic autem non potest concludi affirmativa de praedicato *infinito* sequi ad negativam de praedicato *finito*, nisi ubi illud praedicatum infinitum significat negationem *extra genus* contradictoriam affirmationi, quia negatio *in genere* non contradicit affirmationi. Et tunc non sequitur: *non est genitum*; ergo est *non genitum*, nisi in negatione *extra genus*; et hoc modo *non genitum* non convertitur cum *ingenito*, licet convertatur in accipiendo *non genitum* prout dicit negationem *in genere* (1). — *Oxon.* I. d. 28. q. 2. n. 8.

Quamvis illa regula sit vera, sicut potest probari per naturam *contradictionis*, nunquam tamen tenet in praedicatis *compositis*; non enim sequitur: *lapis non est lignum album; igitur lapis est lignum non album*; in secunda enim affirmatur aliquid quod non affirmabatur in prima. — *Report.* I. d. 4. q. 1. n. 7. — *Oxon.* ib. n. 5.

Affirmativae sicut se habent ad affirmativam, ita negativae ad negativam. — Dico, quod non est simile, quia ista est vera: *quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem*; et ideo ex affirmativis bene sequitur affirmativa. Sed ista regula est falsa: *quaecumque differunt ab eodem illa a se invicem differunt;* et ideo ex negativis nulla sequitur negativa. V. g., licet *homo* et *risibile* differant ab *equo*, non propter hoc sequitur, quod differant a *se invicem*. — Item ista regula est falsa: *quaecumque ab aliquo differunt, inter se sunt eadem*; et ideo licet *homo* et *equus* differant ab *asino*, non propter hoc sequitur,

(1) Vid. Distinctiones: *Negatio extra genus — in genere.*

Ideo dico, quod vox significativa solum est signum rememorativum *ad placitum*. Unde vox tantum immutat sensum auditus, nec habet causare in sensu, vel in phantasia, vel in intellectu, nisi conceptum vocis ex se; auditu tamen immutato a voce significativa, immutatur phantasia et memoria, et memoratur rei cui tale nomen fuit impositum; et sic excitat intellectum ad considerationem illius rei, cuius prius habuit notitiam. Aliter enim nihil moveret, nisi res cui imponitur prius fuerit sibi nota, et quod ad rem illam significandam imponebatur, et sic reducit intellectum ad actualem intellectionem rei prius notae habitualiter. — *Oxon*. II. d. 42. q. 4. n. 17.

Sed formare voces articulatas est actus potentiae motivae, licet non possit elici, nisi praecedente actu imaginationis vel intellectus; ergo sermo est in potestate voluntatis, si lingua non sit impedita, sed disposita ad motum — *Ib*. n. 16.

Sed quod vox non statim formatur ab intelligente inquantum intelligens, sed per aliquam potentiam mediam, puta motivam, hoc est imperfectionis in intellectu. Si igitur statim gigneretur vel formaretur, ut expressivum illius quod latet in intellectu, et hoc virtute intellectus intelligentis, non minus esset verbum. — *Ib*. I. d. 27. q. 3. n. 14.

* Quoad *distinctionem* vocum, notandum quod * in nominibus significativis haec vox *homo* * (ex. gr.) * quotiescumque prolata dicitur *una* vox *numero*, et distingui ab hac voce *lapis* numero, cum tamen non possit eadem vox numero bis proferri, ita quod quot sunt prolationes, tot sunt voces distinctae numero; et haec vox *homo*, et haec vos *lapis* non tantum numero, sed etiam *specie* distinguuntur; tamen quia ad finem vocis, scilicet, ad exprimendum conceptum per aequivalentiam, sunt idem numero *homo* et *homo*, *lapis* et *lapis*, quotiescumque prolata, ideo dicuntur esse *una* vox numero respectu illius finis. — *Ib*. II. d. 2. q. 6. n. 9.

Vox aequivoca duplex. — * *Nempe primo modo*, et * sic *aequivoca* important *multa;* * et *secundo modo*, et * vox sic aequivoca significat *unum proprie*, et ex *impositione; aliud* vero *transumptive*, et ex *usu*, sicut dicit Aristoteles *I. Elenchorum*, cap. 2: *Secundus modus est ex eo quod soliti sumus sic dicere*. — *Super. Univers. Porph*. q. 23. n. 2. — Vid. *Aequivocationis modus triplex*.

Vulneratio — Mutilatio. — Differentia est inter *vulnerationem* et *mutilationem* in hoc quod *vulneratio* dicit *divisionem* continui, et non *ablationem* alicuius partis, sicut *mutilatio*. — *Report*. II. d. 35. n. 7.

LEXICON SCOTISTICUM

PARS TERTIA

EFFATA

A

Abscondita cordium solus Deus novit. — Illud dictum, quod *solus Deus novit abscondita cordium*, verum est universaliter, * scilicet, quoad *omnia* abscondita cordium *, et ex propria * Eius * perfectione, ita quod impossibile est, quod per aliquid impediens sibi lateant. Novit etiam ut iudex universalis omnium talium occultorum, illo modo quo nec Angeli boni, nec mali, nec animae separatae noverunt. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 4. n. 7. — *Report.* ib. n. 5.

Absoluta distinguuntur per intrinseca. — Cum dicitur, quod *absoluta distinguuntur per intrinseca*, verum est tamquam per *formalia distinctiva.* — Si autem acciperetur, quod non distinguuntur per *extrinseca,* concedendum esset, sic intelligendo: *sicut per correlativa* et *per se terminos relationis;* quia absolutum non requirit extrinsecum ut per se correlativum, nec per se terminum relationis. Possunt tamen absoluta distingui per aliqua extrinseca, sicut *causata per causas proprias*, sive per illa ad quae habent propriam dependentiam in entitate et unitate. — *Quodlib.* q. 13 n. 31.

Absoluto aliquo multiplicato multiplicatur omne aliud absolutum circumstans illud. — * Haec est falsa * in omnibus ordinatis essentialiter, ex *forma,* licet gratia *materiae* quandoque sit vera; et similiter in omnibus non aeque illimitatis; in nullo enim ordine essentiali, ex propria ratione *prioris* et *posterioris,* opertet ipsa commultiplicari, sed potest stare multiplicatio posterioris sine multiplicatione prioris, sed non econverso. Similiter quandocumque aliqua duo comparantur ad aliquod tertium quod est illimitatum, eo modo quo illa duo non sunt illimitata, non oportet condistingui in eis. — *Exemplum:* anima intellectiva comparatur ad partes, quia quodammodo est illimitata eo modo quo partes non sunt illimitatae; non oportet animam distingui in distinctis partibus. — *Oxon.* I. d. 26. n. 38.

Absolutum (ad) in causa sequitur absolutum in effectu. — Dico, sicut dictum est *dist.* 35, I et alias frequenter, quod *ad absolutum in causa* immediate *sequitur absolutum in effectu;* et in effectu primo consequitur respectus ad causam; et tunc si aliquis est respectus causae ad effectum, ille respectus ad effectum est ultimus, et aliquando nullus. — *Oxon.* II d. 1. q. 2. n. 8. — Non est aliquis respectus prior ex parte causae quam ex parte causati, imo

quod sint idem *inter se*. — *Prior*. I. q. 21. n. 7.

Affirmativa exclusiva infert universalem affirmativam. — *Affirmativa exclusiva infert universalem affirmativam de terminis transpositis.* — Regula ista probatur ex ratione *exclusionis*, quae, videlicet, notat *praecisionem* in illo cui additur respectu alterius extremi, sive *praecisam commensurationem*, scilicet, quod alterum extremum non excedat illud. Et hoc notat ista universalis affirmativa de *terminis transpositis*, et maxime in terminis communibus, ubi potest utrumque extremum accipi universaliter. — *Probatur* etiam *logice* per unam propositionem, quae exprimit totum intellectum *exclusivae*. Ista enim, *tantum homo est risibilis*, licet ponatur communiter habere duas exponentes, sufficienter tamen exprimitur per istam: *Nullus non homo est risibilis*. Ex qua sequitur: *nullum risibile est non homo*, per conversionem; et ultra: *igitur nullum risibile non est homo*, per illud *II. Perihermenias: Ex negativa de praedicato finito* (1) *et negativa de praedicato negato;* quod probatur per primum principium: *De quolibet affirmatio vel negatio*, etc. (2), et hoc in praedicatis simplicibus, quia negando istam consequentiam, negantur utraque opposita ab eodem; et ultra: *ergo omne risibile est homo*, per *aequipollentiam*. — *Oxon*. I. d. 21. nn. 2-3. — Cf. *Report*. ib.

Agens agendo non perficitur. — Agens actione de genere *actionis* (3) nunquam est simpliciter perfectius per illam, imo ex perfectione sua complete agit communicando alteri perfectionem. — *Quodlib*. q. 13. n. 25. — Agens non est perfectius ex hoc quod *agit*, sed ex hoc quod *producit*. — *Report*. IV. d. 49. q. 1. n. 9.

Agens agit inquantum est actu. — Agens creatum naturale non agit inquantum est imperfectum, quia agere sibi competit inquantum est in actu. Licet agens creatum ad aliquid dependeat, non tamen videtur dependere ad aliquid quod causat, nec inquantum potentiale et mutabile et imperfectum causat illud, sed inquantum est in actu. — *Oxon*. I. d. 30. q. 2. n. 7. — Nihil enim formaliter agit quod non est in actu secundum illud quod est proxima ratio agendi. — *Ib*. II. d. 1. q. 1. n. 5.

Agens inquantum est in actu agit, ita quod perfectius ens in actu perfectius agit; quod ex hoc patet, quia alias non attribueretur ratio actionis Deo in summo, quia nihil attribuitur Deo in summo, nisi quod est perfectionis simpliciter, vel sequitur perfectionem simpliciter, sic quod si magis, magis, et maxime, maxime. — *QQ. Metaph*. l. IX. q. 7. n. 3. — Cf. *De Anima*, q. 5. n. 5.

Agens assimilat sibi passum. — Agens particulare ex *forma sua* habet unde assimilet sibi passum, et generans genitum, et ex *materia* habet quod sit distinctum a genito, non principaliter. — *Oxon*. II. d. 3. q. 6. n. 22. — Quando est causa efficiens similitudo est inter causam et causatum, licet remota in causis aequivocis. — *Ib*. d. 37. q. 2. n. 19. — Dico, quod * propositio * est vera *aequivoce*, non *univoce*, quod omne agens intendit sic vel sic assimilare sibi passum, loquendo de agente. — Aliter potest dici, quod est vera de actione quae in passo causat passionem. — *Report*. IV. d. 44. q. 3. n. 21. — Potest * igitur * dici, quod causa aequivoca aequivoce assimilat, secundum aliquid quod habet in se non *formaliter*, sed *virtualiter*. — Alio modo potest dici, quod illa propositio est vera de agente *principali*, non *instrumentali*. — *Oxon*. ib. q. 2. n. 17. — Vid. *Agens omne agit sibi simile*. = *Causa assimilat sibi effectum quantum potest*. = *Generans generat aliud propter materiam*.

Agens et forma non coincidunt. — Philosophus dicit *II Physicorum*, quod *agens et forma non coincidunt in idem numero*, quia nihil facit se, nec secundum partem, nec secundum totum. — *Report*. IV. d. 43. q. 3. n. 16.

Agens et passum eiusdem speciei, ubi sunt idem, ibi est idem effectus. — Est vera de agente *inducente* formam, et agente *naturali;* sed si *voluntarie* agat et *contingen-*

(1) Vid. supra: *Affirmativa de praedicato infinito*, etc.

(2) Vid. supra: *Affirmatio (de quolibet)*, etc.

(3) Vid. DISTINCTIONES: *Actio duplex*.

ter, non est verum, quod idem agat, sed poterit non agere. — Si autem *non inducat*, sed tantum facit quemdam actum ad quem alius inducat * formam *, qui voluntarie inducit in illud passum in quo proponit inducere, * propositio * non est vera. — *Oxon.* IV. d. 25. q. 2. n. 5. — *Report.* ib. n. 8.

Agens et patiens communicant in materia. — Ista propositio *I. De Generatione, agens et patiens oportet communicare in materia,* exponi potest de communicatione *aptitudinali*, vel *actuali*. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 38. — Dico, quod sufficit communicatio *aptitudinalis*, et non necessario requiritur *actualis*. — *Report.* ib n. 23. — Vel aliter, quod non est vera nisi de agente *univoco;* nam Deus non communicat in materia cum istis inferioribus. — *Oxon.* ib.

Agens et patiens sunt contraria, ex *I De Generatione* et *II De Anima*. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 2. — Quod utique verum est de actione *univoca* eorum quae sunt in principio dissimilia et contraria, et in fine sunt similia. — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 4. — De *contrarietate agentis* et *patientis,* licet ibi stricte sumitur *actio,* quo etiam modo nihil agit in se, potest tamen dici, quod sicut agens assimilat sibi passum in fine, ita contrariatur sibi in principio actionis. Quando autem aequivoce agit non assimilat in fine formaliter, sed virtualiter tantum; quantum enim ad *esse formale* effectus talis *imitatur* causam, non proprie *assimilatur;* ita in principio contrariatur passo virtualiter, pro quanto habet in virtute formam aliam formaliter contrariam formae passi; et talis contrarietas sufficit ad actionem. Sic tantum contrariantur actus vitiosi habitui virtuoso, quem tamen corrumpunt. Patet *II Ethic.* — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 19.

Agens et patiens sunt proportionata. — *Agens et patiens sunt proportionata,* ita quod aspectus unius non excedit aspectum alterius, ut patet de potentia et eius obiecto. — *De Rer. Princ.* q. 12. n. 3. — Agens et patiens sunt aequalis ambitus. — *Ib.* q. 8. n. 40. — Agens et passum sunt *proportionalia,* non autem *proprie convenientia,* nisi extendendo *convenientiam* ad proportionem; imo proportio eorum requirit disconvenientiam, quia requirit quod unum sit in *actu* tale, et aliud in *potentia* tale. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 2. n. 7. — Illa enim sunt proportionata in hoc quod istud est *actu* tale quale illud est in *potentia,* ubi illa duo sunt extrema unius proportionis. — *Ib.* d. 46. q. 4. n. 16. — In agentibus autem *aequivoce* agens non est tale *formaliter* in *actu* quale passum est *formaliter* in *potentia,* sed agens *virtualiter* est tale in *actu* quale *formaliter* est in *potentia* patiens. Et quod idem sit virtualiter tale in actu et formaliter tale in potentia, nulla est contradictio. — *Ib.* I. d. 3. q. 7. n. 27. — In *univocis* * vero * agentibus verum est, quod tale est passum in potentia quale agens in actu, et ideo impossibile est, quod idem sit in actu formaliter tale, et in potentia tale simul. — *Ib.* II. d. 25. n. 13.

Agens inferius se conformare debet agenti superiori. — Agens inferius tenetur in agendo conformare se agenti superiori; quia si in potestate eius sit se conformare illi, non conformari illi est peccatum. — *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 3. — Cf. I. d. 44. per tot. — Vid. Distinctiones: *Potentia ordinata-absoluta.*

Agens naturale agendo debilitatur. — Falsum est per se; verum per accidens, *quando repatitur*. — *Theor.* XXII. concl. 3. — Omne * autem * agens physice agendo repatitur, *III Physicor.* — *Oxon.* IV. d. 10. q. 7. n. 1. — *Report.* ib. — Et repatiendo debilitatur. — *Oxon.* II. d. 19. n. 4. — Quia quanto agens mere naturale magis continuat actionem in contrarium, tanto magis debilitatur eius virtus. Quod probatur: quia omne tale agens repatitur in agendo, et ita quia agit in contrarium, patitur ab ipso: quam actionem vocat Philosophus corruptivam. — *Ib.* IV. d. 44. q. 1. n. 8. — Cf. ib. d. 48. q. 2. n. 15. — Agens * vero * morale vel intelligens fortificatur per frequentiam actionis. — *Theor.* XXII. ib.

Agens naturale non impeditum agit secundum ultimum suae potentiae. — Agens *naturale* vel naturaliter dicitur quod opponitur *libero*, quia agit necessitate naturali. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 4. n. 2. — Agentia

ab ipsa causa sub ratione absoluti est ipsum causatum sub ratione absoluta: et postea tertio sequitur respectus in causato ad causam: et quarto in causa ad causatum. — *Ib.* I. d. 43. n. 4.

Absolutum et relatio non possunt includi in aliquo per se uno. — Sic *per se uno*, quod sit *unius generis*, et ipsius sit proprius conceptus per se unus(1), et quod ipsum sit per se in uno genere; quia sicut in rebus non potest fieri unum per se ex distinctis, nisi illa se habeant sicut proprius *actus* et propria *potentia* in eodem genere, ut patet per Philosophum VIII *Metaph.* * text. 15 et circiter * (2), sic non potest aliquid esse habens per se conceptum unum, et cum hoc per se includens distincta, nisi conceptus unius sit per se *potentialis* et alterius *actualis* per se determinans illum potentialem. *Relatio* et *absolutum* non possunt habere tales conceptus, quorum unus sit per se determinans. — *Quodlib.* q. 13. n. 24.

Absolutum inter et relativum non datur medium existens. — Entitatem enim aliquam esse singularem, quae nec sit entitas *ad se*, nec *ad aliud*, non videtur esse intelligibile. — *Oxon.* I. d. 28. q. 3. n. 2.

Abstractio quo maior eo difficilior. — Abstractio maior est difficilior, quia est a minus sensibilibus. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 27.

Abstractum de abstracto si concretum de concreto. — Non potest inferri: *abstractum de abstracto, si concretum de concreto;* quia talis consequentia non tenet, nisi quando in antecedente est praedicatio concreti de concreto *per se primo modo* (3). — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 28. — Vid. *Concretum de concreto*, etc.

Abstrahentium non est mendacium. — *Abstrahere* non est *decipere;* sic *abstrahentium non est mendacium;* sed est considerare hoc sine illo, hoc est, non considerando illud. — *Report.* III. d. 14. q. 2. n. 12. — Potest enim intellectus abstrahere obiectum inclusum in aliquo primo movente, et considerare illud abstractum, non considerando illud a quo abstrahit. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 19. — Abstrahens enim non intelligit rem aliter quam est, licet intelligat rem aliter esse quam est; ita quod *alietas* in abstractione determinat suam intellectionem, sive dicit modum *intelligendi;* non autem determinat obiectum, nec dicit modum *obiecti.* — *Ib.* III. d. 14. q. 2. n. 5. — * Sic igitur * *abstrahentium non est mendacium;* quia quantumcumque praecise acciperetur in intellectu, nihil tollitur in re. — *Report.* I. d. 5. q. 1. n. 3. — Nec talis consideratio est falsa, quia non est abstractio vel determinatio *realis*, sed *secundum considerationem solum.*

Secundum autem istum modum abstrahendi, priora et universalia abstrahuntur a posterioribus, quia posterius etsi sit idem re cum priori, et universale cum particulari, non tamen posterius vel singulare est de ratione prioris vel universalis. Et secundum istum modum potest considerari Socrates inquantum *homo*, et inquantum *Socrates;* quia potest considerari inquantum homo, quamvis non consideretur inquantum Socrates, et non ex contrario. Sic dicit Aristoteles *II. Physicorum, text. com. 18*, quod *abstrahentium non est mendacium.* — *De Rer. Princ.* q. 13. n. 30. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. III. S. 2. c. 1. n. 31. — Vid. Distinctiones: *Abstractio sine cum mendacio.*

Accidens (1). — **In creaturis quidquid non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur** (August. *V. De Trin.* c. 5). — Concedo, quod *relationes* in creaturis sunt *accidentia*, loquendo de relationibus creaturarum ad illa ad quae *non dependent essentialiter;* ad quaecumque autem essentialiter dependet A, ipsa *dependentia* eius *essentialis* non est sibi *accidens*, hoc est, non est aliud realiter, et tunc illud primum quod adducitur de *V. Trin. c. 5.* quod *in rebus creatis illud quod non secundum sustiantiam dicitur, restat*, etc.,

(1) « Quia *absolutum* et *respectivum* non faciunt aliquem unum conceptum per se ». — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 11. — II. d. 16. n. 13. — *Quodlib.* q. 11. n. 12.

(2) Vid. *Actu (ex duobus in) non fit per se unum.*

(3) Vid. Distinctiones: *Praedicatio per se primo modo.*

(1) Vid. Distinct. *Accidens* in suis diversis acceptionibus.

exponendum est *secundum accidens dici*, quod non *per se* praedicatur *in quid*, et cum hoc est etiam mutabile; non tamen manente fundamento, sed per mutationem fundamenti. — Et *prima conditio* deficit in praedicatis *essentialibus* dictis de creaturis. — *Secunda conditio* deficit in *relationibus divinis*. — Sed ambae concurrentes sufficiunt; et ita potest exponi ultima auctoritas, de 16. c. (1): quia illa sunt *accidentia* in his ad quae dicitur Deus, hoc est, sunt simpliciter *mutabilia*, non tamen *amissibilia*, et sunt dicta *accidentaliter*, hoc est, non *essentialiter*, de substantiis; et una conconditio deficit in relationibus divinis. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 26. — Vid. *Creaturis* (in) *quod non secundum substantiam*, etc.

Accidens non est subiectum accidentis. — Dico, quod *accidens non est subiectum primum*, quod est subsistens et suppositans ac ultimate terminans dependentiam eius, nam tale est sola *substantia;* potest tamen accidens esse *proximum* et *immediatum* subiectum accidentis; quia est ratio susceptiva, per quam aliud inest substantiae; ut *superficies* est subiectum respectu suae propriae passionis. — *Super. Univers. Porph.* q. 6. n. 5. — Distinguo * enim * de *subiecto* prout accipitur pro *ultimate* terminante dependentiam alicuius actus per *accidens*, aut pro quocumque terminante illam dependentiam *proxime*, etsi non ultimate, hoc est, pro quocumque cui aliquis actus posset inesse per accidens tamquam forma eius, non faciens unum per se cum subiecto. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 14. — Accidens potest esse subiectum accidentis *secundo* modo accipiendo *subiectum*, licet non *primo* modo. — *Ib.* n. 16.

Ad Philosophum, *IV. Metaphys.*, dicentem, quod *unum accidens non accidit alteri, nisi quia utrumque tertio* ut subiecto, dico, quod potest *uno modo* exponi ut ly *quia* non sit nota *causalitatis*, sed *concomitantiae*, sic, scilicet, quod unum accidens non accidit alteri nisi *quando* utrumque accidit tertio ut *substantiae*. Et hoc quidem verum est secundum intentionem eius; quia negat accidens posse esse sine subiecto: non propter dependentiam ad subiectum, vel imperfectionem accidentis, sed propter *necessarium ordinem causarum* quae sunt in universo, quem reputavit ita necessarium, quod praeter illum non posset aliquod agens agere, et ita quod Deus non posset agere praeter ordinem causarum mediarum.

Aliter potest dici, quod dictum suum est verum de accidentibus *disparatis*, quae non ordinantur ad invicem essentialiter, ut de *albo* et *musico;* sed de accidentibus quae *habent ordinem ad invicem*, sive in *eodem genere*, ut qualitate de *secunda* specie ad qualitates *primae* speciei, sive *diversorum generum*, ut *quantitatis* et *qualitatis*, non dicitur verum, ut sic habet intelligi. — *Report.* IV. d. 12. q. 2. n. 14.

Tertio potest dici, quod illud non est dictum tamquam verum, quod accidens non accidat accidenti; sed est dictum tamquam quoddam sequens *ex hypotesi* quam intendit ibi probare; arguit enim sic: si contradictoria sunt simul vera; ergo omnis praedicatio est per accidens, et per consequens necesse est praedicationem in infinitum ire: sed in infinitis non est ordo, *II. Metaphys.*, quia ubi non est aliquod primum non est aliquod habitum; ergo nullum accidens habebit ordinem per se ad aliud accidens, et per consequens non magis accidet hoc accidens illi, quam e converso. — *Oxon.* ib. n. 16. — Et huic modo exponendi consonat littera; non enim ait: accidens *non accidit accidenti* nisi quia ambo eidem, sed *accidens non accidenti accidet*, nisi quia (1) etc.; per quod innuit se illam propositionem asserere, non tamquam veram, sed ex *prioribus*. — *Ib.* n. 17. — — Cf. *ib.* d. 49. q. 2. n. 16. — *Quodlib.* q. 19. n. 14.

Accidens nullum aliud perficit accidens. — * Haec * est falsa, sicut patet per Avicennam, *II. Metaph.*, quod *velox* et *tardum*

(1) *Illa sunt accidentia relativa quae cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur accidunt.*

(1) Doctor legit: « Accidens enim non accidenti accidet, nisi quia ambo eidem accidunt » et: « Non accidit accidens accidenti, nisi... ». — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. S. 2. c. 2. n. 46.

naturalia in toto processu usque ad ultimum intentum agunt mere necessitate naturali. — *Ib.* I. d. 1. q. 4. n. 5. — Omne agens ex necessitate naturae necessario agit nisi impediatur, vel ab alio dependeat in agendo. — *Ib.* d. 2. q. 7 n. 3. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 10. — Omne * autem * *agens necessario* de necessitate *agit secundum ultimum suae potentiae,* quia sicut non est in potestate eius actio, ita nec intensio eius, ergo nec modus agendi, scilicet, intense vel non intense agere. — *Ib.* IV. d. 12. q. 6. n. 15. — *Ib.* n. 9. — *Theor.* XXII. — Alia * agentia * mere naturalia determinantur sic ad unum, quod non possunt in oppositum contrarie, vel saltem contradictorie. — *Ib.* III. d. 33. n. 7. — Cf. II. d. 12. q. 1. n. 5.

Agens non datur sine patiente. — Quod agens creatum non requirat passum, nec aliquid supplens vicem passi, videtur destruere fundamenta Philosophiae Naturalis, *I Physic.*, *I De Generat.*, et alibi saepe; quia non oporteret aliquid idem subesse termino transmutationis. Videtur etiam illa destruere quae apparent ad sensum; nam agens quod habet in virtute sua activa complete terminum potest ponere illum in esse, si non impediatur; ergo agens creatum posset ponere terminum in esse sine quocumque passo, et sic posset facere accidens sine subiecto, et formam substantialem sine materia; quod patet manifeste contra sensum. Unde agens creatum propter duo requirit passum, scilicet: propter se, quia passum est concausa cum agente creato, quia habet virtutem limitatam in agendo, et ideo requirit causam aliam, scilicet, materialem, concurrentem in *fieri:* propter effectum etiam, quod est compositum ex materia tamquam parte adveniente. Ergo non poneretur agens creatum agere omnino sine materia, vel in se, vel in aequivalente. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 4. n. 22.

Agens omne agit sibi simile. — Haec est vera simpliciter in *univocis,* quia simile *formaliter;* aliquo modo in *aequivocis,* quia simile sibi secundum *virtutem* qua agit. — *Theor.* XXII. concl. 6. n. 2. — Agens intendit assimilare sibi effectum, ita quod effectus nulli assimilatur nisi propter aliquam actionem eius. — *Oxon.* III. d. 4. n. 3.

Notandum, quod agens *naturale,* si intendit sibi simile generare, hoc est quia aliquod superius agens per intellectum ipsum determinat, dando sibi talem formam, per quam possit et intendit sibi simile generare. Natura enim licet agat propter finem, non tamen cognoscit finem, sed dirigitur ad finem ab aliquo cognoscente finem; opus enim naturae est opus intelligentiae, qui est Deus omnia cognoscens. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. s. 3. c. 3. n. 92. — Vid. *Agens assimilat sibi passum* = *Causa assimilat sibi effectum quantum potest.*

Agens omne naturale actione sua perficitur. — Omne agens naturale aut actione sua perficitur *in se,* aut in *suo simili,* aut in *toto,* aut per suam productionem natura eius accipit esse in alio; hoc enim apparet inductive in omnibus; intellectus enim agens naturaliter perficitur sua actione; ignis naturaliter perficitur in simili, et natura sua habet esse in alio, in quo posset illa natura esse, etiam igne generante corrupto. Sol generat vermem, licet non perficiatur in se, nec natura sua accipiat esse in alio, tamen perficitur in suo toto, inquantum est pars universi, cuius universi aliqua pars producitur, et perfectio totius videtur esse aliquo modo perfectio partis. Deus Pater naturaliter producendo Filium, licet non perficiatur in se, nec in toto cuius sit pars, quia nullius est pars, tamen sua natura accipit esse in alio supposito, vel aliud suppositum accipit esse naturae. — Patet igitur *inductive ista maior* divisim, licet difficile sit assignare *propter quid* istius. — *Oxon.* l. d. 8. q. 5. n. 14.

Agens omne per se agit propter finem. — Patet, quod procedit de *intendere,* prout dicit tendentiam alicuius determinati et terminati ab alio. — *Oxon.* II. d. 38. n. 3. — Concedo * ergo *, quod *omne agens per se agit propter finem,* et similiter ex intentione finis. Sed aequivocatur *intentio;* quia naturaliter activa vel passiva non proprie tendunt in finem, sed tenduntur vel ducuntur ab Intelligentia cognoscente finem; ideo non oportet, quod proprie intendant finem,

sed dirigantur ab intendente. — *Report.* ib. n. 4. — Nam, ut habetur *II Physic.*, *omne agens per se agit propter finem;* vel igitur per se agit propter finem quem cognoscit, vel quia dirigitur a cognoscente finem. — *Ib.* d. 1. q. 3. n. 11. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 24. — * Et hoc sensu * omne agens *naturale* agit propter finem; quia illa operatio naturaliter fit propter finem ad quem media sunt eo modo ordinata et disposita, qualiter per ipsa natus est consequi finis intentus: sed agens naturale ordinat media sua illo modo ad effectum, qualiter per ipsa natus est consequi effectus seu finis intentus; ergo, etc. — *Physic.* II. q. 15. n. 2.

Finis non est causa finalis *efficientis*, sed *effectus*. Unde quod dicitur, quod *agens agit propter finem*, non est intelligendum *suum*, sed *sui effectus*. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 3. — Cf. *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. V. s. un. c. 2. n. 11. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 20. — *Report. ib.* n. 8. — Vid. *Finitum quod non est non est effectum* = *Finis est causa causarum.*

Agens per essentiam semper agit. — Ad * hoc * dicit unus Doctor, quod nihil agit *per essentiam*, nisi solus Deus, et ipse semper agit. — Vel potest dici, quod *per essentiam* potest accipi dupliciter: aliquando ut distinguitur contra illud quod est *per participationem:* aliquando ut distinguitur contra *per accidens.* — *Primo* modo dico, quod nihil est *per essentiam* nisi solus Deus, quia omnis veritas et entitas creata est talis *per participationem:* et isto modo *agens per essentiam semper agit.* — *Secundo* modo agens *per essentiam*, hoc est, non *per accidens*, non semper agit necessario. — Ad hoc est Avicenna, *VI Metaph.* cap. 2, dicens, quod *quaedam sunt virtutes activae secundum essentiam suam, quaedam non.* — *Report.* II. d. 16. n. 8.

* Vel aliis verbis * dico, quod *agere per essentiam* est dupliciter: uno modo idem est quod *in agendo non dependere ab alio*, et non habere essentiam per participationem, et secundum hoc est vera. — Alio modo idem est quod non per accidens, sive per additum, licet dependeat; et secundum hoc est falsa. — *Oxon.* ib. n. 10.

Agens potens in partem motus potest in totum motum. — *Agens quod potest in partem motus potest in totum motum* et terminum: quando non magis repugnat una pars motus ipsi susceptivo quam alia. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 6. n. 4.

Agens potens in transmutationem potest in terminum illius. — *Omne agens potens in transmutationem aliquam potest in terminum illius:* si habet susceptivum non magis repugnans termino quam motui. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 6. n. 11.

Agens praesens passo sit oportet. — Hoc universaliter verum est, quod *oportet agens esse praesens patienti*, saltem secundum virtutem activam; et ex hoc sequitur: ubi praesentia proportionata non potest haberi nisi per contactum, sequitur contactus; ubi autem verior potest haberi, illa multo magis sufficit ad actionem. — *Oxon.* IV. d. 44. q. 2. n. 17. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 5. — Sufficit * vero * quod agens et patiens sint simul, vel secundum *contactum*, vel *mediante aliquo medio.* — *Oxon.* II. d. 14. q. 3. n. 7. — *Report.* ib. — Aliter potest dici, quod requiratur contactus *virtualis*, non *materialis*. Contactus autem virtualis est, quod aliquid in isto possit esse terminus virtutis in illo, quod nihil est aliud quam illud habere virtutem causativam alicuius in illo. — *Ib.* IV. loc. cit. — Agens enim est immediatum passo proximo, et hoc immediatione correspondente tactui *mathematico*, quando medium est receptivum actionis eiusdem rationis vel alterius rationis respectu cuius agens habet formam: vel immediatione correspondente tactui *virtuali;* quia ita est agens praesens distanti mathematice ad effectum causandum in eo sicut si esset praesens sibi secundum essentiam suam; et hoc modo esse praesens per potentiam suam est sic, non quod potentia sua sit ibi, sed quod potentia sua possit causare ibi effectum ac si esset ibi, licet nec ipsum, nec potentia sua sit ibi. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 18.

* Philosophus * in *VII. Physic.* vult ex intentione, quod *agens et patiens sunt simul:* quod vel intelligitur de simultate per *contactum*, ubi non potest esse maior, sicut

sunt passiones *motus*, et *curvum* et *rectum* passiones *lineae;* et per *rationem:* quia quidquid per se secundo modo convenit alicui est accidens eius, nam in illo modo subiectum ponitur in definitione praedicati tamquam additum, quod non competit respectu accidentis, nisi de subiecto suo: multa autem sunt accidentia quae per se secundo modo insunt accidentibus, et nulli substantiae, sicut patet de omnibus passionibus scientiarum mathematicarum, quarum nulla est de substantia aliqua ut de primo subiecto. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 16. — Vid. supra: *Accidens non est subiectum accidentis.*

Accidens supernaturale perfectius naturali. — Omne *accidens* reale *supernaturale* est simpliciter *perfectius* quocumque *accidente naturali.* — Probatur: quia in illud non potest causa naturalis; in istud potest; et ista impotentia non videtur esse nisi propter eminentiam effectus. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 5. n. 1.

Accidentia non sunt entia nisi quia entis. — Communiter corrumpitur textus Philosophi; nam Philosophus numquam ponit alicubi istam negativam: *accidentia non sunt entia, nisi quia entis;* sed dicit, quod *accidentia sunt entia, eo quod taliter*, vel *totaliter entis;* ubi non videtur accipi totalitas *universalitatis,* quia tunc esset sui ipsius ut entis, cum sit quoddam ens, quod est falsum; sed accipitur totalitas *perfectionis,* ut sit sensus: quod accidentia sunt entia, eo quod sunt *perfecti entis,* ut substantiae. Unde non est intelligendum, quod nota reduplicationis *eo* reduplicet causam *formalem* accidentis ad subiectum, quia tunc denominaret substantiam esse formaliter accidens; sed reduplicat causam *extrinsecam,* ut efficientem, quia subiectum est causa extrinseca effectiva accidentis, vel *materialis.* Sed ex hoc non sequitur ultra, quod subiectum sit *de essentia* accidentis. Peccat enim argumentum *per consequens* inferendo ex propositione Philosophi propositionem eorum: accidens est ens, *eo quod* taliter vel totaliter entis; igitur non est ens *nisi quia* talis entis; sicut: creatura non est ens, nisi quia Dei creantis; ergo nullo modo est ens, non valet. — *Report.* IV. d. 12. q. 1. n. 8. — Nam *eo quod* sicut potest denotare causam illius quod praecedit, ita potest denotare quamcumque causam illius quod praecedit talem causam, non tamen praecisam; et per consequens non demonstrat talem *praecisionem.* — *Oxon.* ib. n. 15.

* Ad pleniorem praedictorum intelligentiam * distinguitur primo de *accidente:* quia accidens si accipitur pro illo quod per se significat nomen, ut pro concepto quem importat nomen *accidentis* per se, qui est ipsa accidentalitas, synonymum videtur cum hoc quod est *inhaerentia;* et tunc nulla est quaestio. — Si accipiatur pro illo quod denominat hoc concretum *accidens,* puta pro *quantitate,* sic quaestio habet locum, et sic fiat deinceps sermo.

Tunc distinguitur secundo de *inhaerentia,* quod *inhaerentia* est duplex: una est actualis unio accidentis existentis cum obiecto existente, ut actus aliqualis cum potentiali: alia est dependentia sive essentialis ordo accidentis secundum quidditatem suam ad substantiam secundum quidditatem suam.

Tertio exponitur illud quod dicitur *de essentia;* non enim idem est esse *de essentia* A, et esse *idem essentialiter* vel realiter ipsi A. Primum quidem infert secundum; sed non e converso; quia *de essentia* A praecise est illud quod includitur per se in concepto quidditativo A, et ideo ponitur in ratione eius quidditativa, non ut additum; potest autem esse realiter ipsi A idem, licet sit extra conceptum eius, puta, *unitas, veritas,* etc., extra conceptum *entis,* qui prior est illis, secundum Avicennam, V; non tamen illa dicunt rem aliam ab *ente.* Quaere in IV, quaestione de *Uno.* — *QQ Metaph.* l. VII. q. 1. n. 2.

Ad quaestionem ergo, *utrum inhaerentia sit de essentia accidentis,* primo dico, quod neutra inhaerentia est de essentia accidentis *secundo modo* sumpti, scilicet, accipiendo *accidens* pro eo quod hoc nomine denominatur, ut *quantum, quale,* et huiusmodi: tum quia fundamentum respectus est aliquid praeter respectum, respectus utriusque inhaerentiae in substantia non fun-

datur, quia tunc substantia inhaerens esset et non esset terminus respectus; ergo in accidente absoluto, et non in aggregato ex absoluto et illo respectu, quia non est ratio fundamentalis respectu sui; igitur in absoluto praecise; ergo est extra conceptum eius quidditativum, cum respectus sit posterior natura fundamento: tum quia inhaerentia videtur eiusdem rationis in quantitate et qualitate; ergo si est de essentia utriusque, potest ab utroque abstrahi conceptus dictus *in quid* de ipsis, inferior conceptu *entis*, et superior eis, et ita non erunt generalissima.

Secundo dicitur, quod inhaerentia *secunda* est eadem essentialiter sive realiter accidenti *secundo* modo sumpto: tum quia passiones entis dictis de inferioribus non dicunt aliud ab *ente* in eis; ergo cum substantia dicitur prima, accidens posterius, quae prius et posterius dividunt ens ut passiones, primum non dicit aliud a substantia, nec posterius aliud ab accidente sive ab ente inhaerente: *per se* autem *ens*, sive *in se ens*, et *inhaerens*, sive *in alio existens*, pro eodem accipio, sicut *prius* et *posterius*: tum quia ille ordo abstrahit ab existentia, et fundatur super quidditatem possibilem: ista fundamenta sunt immutabilia, quia Deus necessario exemplat quidditates possibiles; stantibus autem fundamentis ordinatis immutabilibus, non videtur ordo mutabilis in altero, et ita nec differentia potest concludi per viam separationis possibilis. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 1. n. 3.

Tertio dicitur, quod inhaerentia *prima* non est idem realiter accidenti *secundo* modo sumpto, nec etiam existentiae accidentis, si ponatur illa aliud ab accidente: tum quia idem realiter non manet et corrumpitur: accidens etiam existens manet, non manente inaerentia prima, alias si illa maneret, cum propter ipsam subiectum denominabatur prius ab accidente et dicebatur panis *quantus*, diceretur ita post transubstantiationem panis, quod est falsum: tum quia extremum unum ordinis illius mutabile est, alio manente; quia actus voluntatis divinae respectu cuiuscumque existentiae extra se contingens est; ergo ordo non manebit, altero extremo tantum manente; et sic per viam separationis concluditur aliud esse ab illo. — *Ib.* n. 4.

Ad primum in oppositum (quo aliquid formaliter est ens est de eius essentia: sed accidens est ens, quia entis), non notat causam *formalem* praedicationis *entis* de *accidente*, sed extrinsecam; licet enim aliquid secundum quodlibet sui sit causatum a causa extrinseca, tamen potest praedicationem alicuius immediate recipere formaliter, ac si non esset causatum, quia causa extrinseca non est medium de quo prius illud dicatur, et inde de causato. *Exemplum:* formaliter creatura est *ens*, licet totaliter a Deo.

Quod allegatur ab Aristotele, ipse non dicit *eo quod entis*, sed *eo quod taliter entis*, id est, substantiae. Fit ergo fallacia *consequentis*, arguendo ab inferiori ad superius negative cum nota causae praecedente, sicut cum *inquanto*, *I. Poster.* l. c. 35. et inde. Debet tamen intelligi in *eo quod* pro causa *extrinseca*. Similiter quod aliqui accipiunt *non est ens nisi quia entis*, adhuc fallacia *consequentis*, sicut *hic huius; ergo solum huius.* — *Ib.* n. 5.

* Igitur * quod *accidentia sunt entia quia entis*, verum est *effective*, quia ab aliquo efficiuntur et causantur; cum hoc tamen stat, quod sint entia in se *formaliter*, alia a substantia. — *Coll.* XXXIV. n. 5. — Cf. *Poster.* I. q. 6. n. 3. — *De Rer. Princ.* q. 1. n. 15. — q. 17. n. 1. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 1. c. 1. n. 4.

Accidentia plura eiusdem speciei simul in eodem subiecto esse nequeunt. — Illa propositio non est vera de relationibus etiam realibus. — *Oxon.* IV. d. 24. n. 11. — Sed plures relationes eiusdem rationis possunt esse in eodem subiecto: ut plures paternitates in eodem patre; et multo magis plures relationes rationis. — *Report.* ib. n. 15. — Cf. *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 6. — III. d. 14. q. 3. n. 2.

Accidentis esse est inesse. — Secundum Avicennam, *II. Metaphys.*, *non inhaerere* et *non posse inhaerere* nec est ratio *substantiae*, ut substantia est genus, nec *inhaerere* est ratio *accidentis*, vel alicuius generis accidentis; quia inhaerere est dare

est in corporibus secundum eum; vel ubi ista esse non potest, sed alia maior, puta praesentia mutua, de illa intelligatur. — *Ib.* IV. d. 45. q. 2. n. 16.

Illud dictum Philosophi, *agens est praesens passo*, verum est de agentibus *naturalibus*, quae agunt per qualitates naturales vel formas naturales activas, quae non sunt principia agendi in remotum, nisi sint aliae formae concurrentes, quae sunt principia agendi in propinquum; ita autem non est de voluntate, qua Omnipotens agit.

Agens creatum potest agere ubi non est; tamen communiter oportet, quod sit immediatum cuilibet sibi proximo passo, in quod agat, licet quandoque non agat in illud passum actione eiusdem rationis actioni qua agit in remotum. — Quandoque autem agens in proximum passum non agit eadem potentia activa qua agit in remotum, licet agat alia potentia activa. Sed hoc accidit vel propter *coniunctionem* istarum potentiarum duarum activarum in eodem, quarum utraque est activa, et una habet proximum pro passo proportionato, et alia potentia activa habet reliquum passum remotum proportionatum: vel accidit propter *imperfectionem* ipsius agentis, in quo est defectus virtutis activae, propter quem defectum prius agit secundum formam imperfectiorem, quam secundum perfectiorem: sicut generans corruptibile prius alterat quam generat, propter illius agentis imperfectionem, a quo prius origine est imperfectius.

Si igitur primo tollamus talem duarum potentiarum *concursum* ab agente creato, et secundo tollamus ab eo istam *imperfectionem*, quod non oportet eum prius producere imperfectius, non videtur aliqua ratio, quare non erit praesens remoto secundum potentiam, secundum quod est modo praesens sibi in ratione potentiae activae, et tamen non aget in propinquum, nec illa potentia, sicut nec modo, nec alia, et hoc maxime si illa potentia secundum quam agit in remotum sit simpliciter potentia activa perfecta; quanto enim perfectior forma est in creaturis, tanto videtur esse ratio agendi in remotius. — Ex his videtur, quod cum Omnipotentia, quae est simpliciter perfecta potentia activa, non requirat actionem in unum passum prius quam in aliud, nec propter diversas potentias concurrentes in agente, nec propter priorem generationem imperfectioris, quod talis Omnipotentia sit ratio agendi in quodcumque, et producendi quodcumque possibile, licet per impossibile ipsum, cuius est omnipotentia, non esset ubique. — *Oxon.* I. d. 37. *per tot.* — *Report.* ib. q. 2. — Cfr. II. d. 2. q. 6. n. 3. — *Theor.* XXII. concl. 19.

Ipse * Philosophus * concedit in *I De Generatione* aliquod agens non communicare cum passo, sicut nec medicinam cum corpore sanato. — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 4.

Agens praestantius est passo. — *Agens* inquantum huiusmodi *est nobilius patiente* inquantum huiusmodi. — *De Anima*, q. 12. n. 7. — *QQ. Metaph.* l. II. q. 3. n. 21. — Quod est sic intelligendum: non quin aliquando nobilius patiatur ab ignobili, si totum passum comparetur, sed quia nunquam pateretur passum ab agente, nisi aliquod principium ignobilius esset in eo illo per quod agens agit. — *De Rer. Princ.* q. 8. n. 4.

Agere est formae, *pati* materiae (1), id est, alicuius inquantum habet formam vel materiam: forma nobilior, *VII Metaph.*, sic igitur sequitur: *omne agens praestantius*, etc. — *Theor.* XXII. concl. 5.

Illa propositio, scilicet, quod *agens est praestantius patiente*, non est immediata, sed dependet ex istis tribus, scilicet, *agens est praestantius effectu*, et *effectus agentis est actus et forma patientis*, et *actus est nobilior potentia*; ergo *agens* inducens huiusmodi formam *est nobilius patiente*. Ubi igitur istae propositiones sunt verae, ibi propositio Augustini (2) est vera. Ista autem, quod *agens est praestantius effectu*, non est vera nisi de causa *aequivoca totali*; potest enim aliqua esse causa *partialiter* agens ad aliquem effectum nobiliorem se. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 25. — *Ib.* II. d. 9. q. 2. n. 34. — *Quodlib.* q. 15. n. 13.

(1) Vid. *Materiae est pati, formae agere.*

(2) *Omni enim modo praestantior est res quae facit illa re de qua facit (XII Super. Gen.).*

— Et illa propositio, *omne agens est praestantius patiente*, non est *prima*, sed dependet ex ista: *causa est nobilior effectu;* quod maxime est verum de causa *aequivoca*, vel agente *aequivoco*, et hoc quando causa aequivoca vel agens aequivocum est *totalis* causa respectu talis effectus, vel saltem *principale* agens respectu illius effectus*;* non autem est vera de agente *instrumentali* vel *secundario*. — *Report.* IV. d. 44. q. 3. n. 26.

Illa propositio Augustini pendet ex ista, quod *agens est praestantius termino formali actionis*, et *terminus formalis actionis est praestantior suo receptivo*. Secunda autem istarum non est vera, nisi inquantum hoc est *actus* et illud *potentia*, et sic concedendum est agens inquantum in *actu formali* vel *virtuali* esse praestantius passo inquantum est in *potentia* ad illud. Unde illa propositio, *agens est praestantius passo*, vera est quantum ad hoc, quod patiens recipit ab agente : et quantum ad hoc non potest se facere in actu per se, sicut secundum id fit in actu per agens. Sed ex hoc non sequitur, quod sit praestantius *absolute* natura illius quod est susceptivum, sicut nec de termino formali respectu eiusdem. — Potest * etiam * dici, quod est vera de agente *aequivoco* et *totali* seu principali, aliter non. — *Oxon.* IV. d. 44. q. 2. n. 17. — *Report.* ib. q. 3. n. 20. — Cf. *Oxon.* IV d. 12. q. 2. n. 13.

Licet agens sit nobilior passo *de quo* aliquid agit, non tamen oportet, quod sit nobilius passo *in quo* agit. — *De Rer. Princ.* q. 15. n. 28. — Vid. *Causa nobilior effectu.*

Agens primum agit propter finem. — Primum agens est *per se agens*, quia *omni causa per accidens prior est aliqua causa per se, II Physic.:* sed omne *agens per se* agit propter finem, ex *II Physic.*, ubi hoc Philosophus vult de natura, de qua minus videtur; ergo *primum agens agit propter finem.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 20. — * Verum * primum agens non naturaliter amat finem alium a se, tunc enim esset aliquo modo *ad finem*, quia inclinatur ad illum. — *De Primo Princ.* c. 4. n. 5.

Agens primum agit propter primum finem. — Cum dicitur*; primum efficiens agit propter primum finem*, * dico, quod * Theologi non possunt ponere, quin Primum Movens simpliciter sit ultimus finis simpliciter. Dico igitur, quod si *finis* accipitur pro *causa finali*, tunc Deus non agit propter finem *suum*, quia sicut est efficiens sui effectus, sic est finis sui effectus, et sic movet propter finem sui effectus, sed non propter finem suum. Si tamen accipitur *finis* pro *perfectione obiectiva*, sic ipse est finis sui ipsius; sed non est hoc proprie esse *finem sui*, accipiendo pro *causa finali*, sed est metaphorice *finis.* — *Report.* II. d. 1. q. 1. n. 23. — Cf. *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 18.

Agens quale in actu, tale passum in potentia. — Cum dicis: *quale est agens in actu tale est passum in potentia*, dico, quod si accipiantur *actus* et *potentia* ut sunt duae primae differentiae *entis*, sic dividunt omne ens; unde et hoc ens idem numero dividunt. Et isto modo est contradictio, quod *idem* sit in *actu* et in *potentia* simul respectu eiusdem: quia *potentia*, ut est differentia entis distincta contra *actum*, est necessario includens oppositionem vel negationem eius respectu cuius ponitur potentia: ut *album in potentia* non est *album in actu* quamdiu est in potentia; et isto modo est impossibile, quod aliquid sic existens in potentia faciat se in actu. Non tamen est necesse omne passum vel motum esse sic in potentia, et agens suum in actu. — *Alio* vero *modo* possunt considerari *actus* et *potentia*, prout, scilicet, dividunt potentiam vel principium *activum* et *passivum* per *univocum* et *aequivocum.* In *univocis* enim agentibus verum est, quod *tale est passum in potentia quale agens in actu;* et ideo impossibile est, quod idem sit in actu formaliter tale, et in potentia tale simul. Tamen in actione *aequivoca* nunquam oportet hoc esse verum, quia ibi agens oportet esse nobilius et virtualiter tale. — *Oxon.* II. d. 25. n. 12-13. — *Report.* ib. d. 25. n. 10. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 27. — II. d. 2. q. 10. n. 12. — *Quodlib.* q. 15. n. 24. — Vid. *Agere-Nihil idem agit in se.*

Agens quanto immediatius passo tanto efficacius agit. — Agentia habentia eamdem

esse vel actum *secundum quid* alicui priori simpliciter enti: sed substantia est illud substractum cui convenit non inhaerere, vel cui repugnat inhaerere; et accidens, vel qualitas vel quantitas, est natura cui convenit inhaerere. — *Quodlib.* q. 3. n. 19. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. q. 6. n. 2.

* Notandum vero *, quod hoc vocabulum *accidens* potest accipi pro *per se significato eius*, vel pro eo *quod denominatur* ab isto per se significato (ista distinctio est universalis in omnibus concretis). Ulterius accipiendo pro illo quod denominatur a significato istius nominis *accidens*, potest accipi vel pro *absoluto*, vel pro *respectivo* sive respectu accidentali.

Secundum hoc ergo habentur tria membra, scilicet: de accidente quantum ad *per se rationem quam importat* accidens: secundum de eo *quod denominative dicitur* accidens, et est *absolutum:* tertium membrum de eo quod denominative dicitur accidens, et est *respectivum.*

Praeterea hoc praedicatum, *esse in subiecto,* vel *non esse in subiecto,* potest accipi secundum *aptitudinem,* vel secundum *actualitatem.*

Sit ergo *prima conclusio:* quod loquendo de *per se significato accidentis,* contradictio est, ipsum intelligere non esse in subiecto; et hoc intelligendo uniformiter in subiecto et praedicato, scilicet, si in actu, actu; si aptitudine, aptitudine.

Secunda conclusio: quod loquendo de eo *quod denominatur* a per se accidentis significato, et est per se *respectus,* contradictio est, quod sit sine subiecto, et hoc actu, ita, scilicet, quod non actu inhaereat subiecto, extendendo *subiectum* ad fundamentum, quod potest dici proximum subiectum respectus.

Tertia conclusio: quod illud quod denominatur a per se significato accidentis, et est quid *absolutum,* potest esse, et non inesse subiecto *actualiter,* sed necessario inest *aptitudinaliter.*

Prima conclusio probatur: quia per se significatum huius nominis *accidens* est quidam respectus ad illud cui accidit, et forte idem respectus quem importat haec dictio *inhaerens* ad illud cui inhaeret: et idem significatum est *accidentis* et *accidentiae,* ut ita loquar, et *inhaerentis* et *inhaerentiae;* sicut ergo impossibile est accidentia esse, quin sit inhaerentia, si actu, actu, si aptitudine, aptitudine, ita impossibile est aliquid esse accidens, loquendo de per se significato et primo huius nominis, quin sit inhaerens proportionaliter, hoc est, si actu, actu, si aptitudine, aptitudine. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 6.

Secunda conclusio probatur: quia respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema; et ideo sicut tollere terminum ad quem est respectus est tollere vel destruere respectum, ita tollere illud cuius est respectus est tollere respectum et destruere rationem respectus. Non ergo quia accidens respectivum est accidens, ideo requirit subiectum vel fundamentum, sed quia respectus est respectus, ideo requirit *cuius* sit et *ad quod* sit, etiam in Divinis. — *Ib.* n. 8.

Tertia conclusio probatur: quia accidens absolutum, unde absolutum, non requirit terminum, nec terminos, quia tunc non esset absolutum. Si igitur requirit subiectum, oportet quod hoc sit propter aliam dependentiam ad ipsum essentialem: sed nulla est dependentia simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliquid quod non est de essentia eius, sed tantum causa extrinseca, nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam, scilicet, ad Deum. Subiectum autem non est de essentia accidentis, quia tunc *homo albus* non esset ens *per accidens,* quod est contra Philosophum, *V. Metaphysic.* cap. *de Ente,* quia addendo alicui illud quod est de essentia eius non habetur *ens per accidens,* praecipue si illud in se sit *ens per se*: accidens autem secundum se est ens per se, secundum Philosophum, *V. Metaphysic.* cap. *de Ente,* unde et per se est in genere. Nec subiectum est causa extrinseca simpliciter prima, sed Deus praecise est huiusmodi causa, qui non est subiectum accidentis. Ergo dependentia accidentis absoluti ad subiectum non est simpliciter necessaria. Voco *simpliciter necessarium* cuius oppositum includit contradictionem. — *Ib.* n. 9. — Cf. ib. q. 2. nn. 8 et 14.

Maior probatur: quia causalitatem cuiuscumque causae extrinsecae perfecte supplere potest Prima Causa, quia habet in se omnem talem causalitatem eminentius quam secunda causa. — *Ib.* q. 1. n. 9.

Ex ista ratione patet, quare Philosophi dicerent, quod accidens non potest esse sine subiecto: non quidem quia ponerent subiectum *de essentia* accidentis, imo ex eis *(accidente et subiecto)* constituitur *ens per accidens;* nec quia de essentia accidentis absoluti ponerent inhaerentiam vel respectum quemcumque ad subiectum, quia contradictio est, quod in per se ratione absoluti includatur aliquis respectus, quia tunc esset absolutum, et non absolutum; sed tantummodo quia ponerent ordinem causarum simpliciter necessarium, ita quod prima causa *secundum eos* non potest causare causatum causae secundae sine causa secunda: subiectum autem habet aliquam causalitatem respectu accidentis, loquendo de ordine naturali causarum; et ideo sine ista causa in ordine suae causalitatis posita negarent accidens esse; et pro tanto dicitur *I. Physic.*, quod intellectus quaerens segregationem passionum a subiectis erit quaerens impossibile, quasi includat aliquid repugnans primae rationi seu quidditati accidentis absoluti. — *Ib.* n. 10. — *Ib.* n. 15. — Cf. III. d. 6. q. 1. n. 4. — *Quodlib.* q. 9. n. 3. — *Poster.* I. q. 30. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 1. c. 1. n. 4.

Accidens potest habere *modum substantiae,* licet non perfecte, scilicet, quod sibi repugnet dependere ad subiectum, tamen aliqualiter similem, scilicet, in *non dependendo* actualiter, sicut apparet in accidente separato. — *Quodlib.* q. 19. n. 23.

Accidentis unius unum est subiectum. — Idem accidens potest esse in duobus subiectis. — *Nego* assumptum de accidente et subiectis. — *Oxon.* III. d. 1. q. 2. n. 7. — *Report.* ib. q. 5. n. 9. — Quia ita impossibile videtur unum accidens esse in duobus subiectis, sicut unam formam substantialem esse in duobus materiis. — *Oxon.* ib. n. 4. — *Nihilominus* licet unum accidens esset in pluribus subiectis, illud esset definibile proprie, sicut aliud accidens; quia illa plura non pertinent per se ad rationem *accidentis,* sed tamquam additamenta. — *Ib.* IV. d. 1. q. 2. n. 6.

Accidentium variabilitas differentiam in numero facit. — *Boetius De Trinit.: In numero differentiam variabilitas accidentium facit; nam tres homines nec specie, nec genere differunt, sed suis accidentibus.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 1. — *Ad Boetium* concedo, quod *variabilitas accidentium facit in substantia differentiam numeralem,* eo modo quo forma dicitur facere differentiam, quia omnes distinctae formae faciunt aliquam differentiam in eis in quibus sunt; accidentia autem non possunt facere differentiam *specificam* in substantia in qua sunt, ex *X. Metaph. cap. penult.*, sed faciunt in substantiis differentiam, et hoc *numeralem;* sed non faciunt primam differentiam; sed alia est prior differentia numerali, nec illa sola faciunt differentiam numeralem. — *Ib.* n. 18. — *Vel aliter* auctoritas Boetii est sic intelligenda: quod facit diversitatem in numero, id est, *ostendit* nobis diversitatem numeralem, quia faciunt nobis innotescere. — *Ib.* IV. d. 49. q. 16. n. 5. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 17. n. 4. seqq.

Actio agentis non est in potestate patientis. — In potestate patientis non est quod ipsum patiatur, inquantum patiens; quia patiens non patitur nisi quia agens agit: sed prius non est in potestate posterioris; igitur *actio agentis non est in potestate patientis* inquantum patiens; igitur nec passio eius; quia si agens agit, patiens necessario patitur. — *Oxon.* II. d. 25. n. 2. — *Report.* ib. — Vid. *Patiens necessario patitur.*

Actio circa finem ultimum est perfectissima. — *Actio circa finem ultimum est actio perfectissima,* et in tali actione libertas in agendo est perfectionis; igitur necessitas in ea non tollit, sed magis ponit illud quod est perfectionis, cuiusmodi est libertas. — *Quodlib.* q. 16. n. 8.

Actio citius deficit quam esse. — Citius deficit alicui *actio* propter imperfectionem quam *esse.* — *Oxon.* IV. d. 44. q. 1. n. 9.

Actio est actus potentiae activae. — Verum quidem est simpliciter. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 6.

virtutem et aequalem, licet possent in idem passum eamdem formam inducere, tamen *agens quanto habet patiens sibi immediatius coniunctum, tanto*, caeteris paribus, *efficacius* et immediatius *agit*. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 27.

Agens quod in agendo fatigatur quandoque deficiet. — Agens *voluntarie* potest cessare ab agendo, licet non fatigetur in agendo. Unde haec esset concedenda, quod omne *agens quod in agendo fatigatur quandoque deficiet;* sed si non fatigatur, non oportet quod non deficiat, quia est alia causa deficiendi vel cessandi quam fatigatio. — *Oxon.* IV. d. 48. q. 2. n. 15. — *Report.* ib. n. 20.

Agens sufficiens et producens per modum naturae habet productionem sibi coaevam. — *Agens* omnino *sufficiens*, hoc est, a nullo dependens, *et producens per modum naturae habet productionem sibi coaevam*, et etiam productum perfectum, si non agit per motum. — *Oxon.* I. d. 9. n. 2. — Quando dicitur, quod agens non causans per motum, et non impedibile, potest habere effectum sibi coaevum, diceretur, quod ubi agens et effectus possunt habere essentiam unigeneam, vera est * propositio *; sed ubi non possunt esse unigenea, sed prioritas naturae in causa de necessitate requirit prioritatem durationis eius respectu effectus, est falsa. — *Ib.* II. d. 1. q. 3. n. 22.

Agens superius prius agit. — *Superius agens prius* naturaliter *agit;* et si est naturale agens, agit quidquid vel quantum potest. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 10.

Agente (ab eodem) est dispositio ad formam et ipsa forma. — *Ab eodem agente est dispositio ad formam et ipsa forma,* licet alio modo: quia *dispositionem* aliquando per *alium* inducit, *formam* per *se:* sicut patet de architecto, qui disponit ligna per manum artificis, sed formam inducit per se ipsum. — *Miscell.* q. 6. n. 3.

Agentia diversa genere non possunt producere eumdem effectum. — Cum accipitur, quod duo *diversa genere non possunt esse causa unius effectus,* dico, quod hoc est universaliter falsum; nam essentialis ordo causarum non est individuorum *eiusdem speciei;* patet per Avicennam, *VI. Metath.;* individua enim eiusdem speciei non sunt ad invicem ordinata; neque ordo essentialis causarum est *diversorum specie;* talia enim sunt contraria vel media, quae non ordinantur essentialiter ad causandum idem; ergo omnes causae efficientes diversae essentialiter ordinatae sunt *diversae genere.* — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 31. — Vid. *Causae distinctae genere non possunt causare effectum eiusdem rationis.*

Agenti per cognitionem necessaria est distincta cognitio finis. — Hanc probo: quia omne agens propter finem agit ex appetitu finis: et omne per se agens agit propter finem; ergo omne per se agens suo modo appetit finem; ergo sicut agenti naturali est necessarius appetitus finis, propter quem debet agere, ita *agenti per cognitionem,* quod etiam est per se agens, *ex II. Physic., necessarius est appetitus sui finis,* propter quem debet agere, qui sequitur *cognitionem.* — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 6. — Omni cognoscenti agenti propter finem necessaria est *triplex* cognitio. — *Primo,* quomodo et qualiter finis acquiratur. — *Secundo,* cognitio omnium quae sunt necessaria ad finem. — *Tertio,* est necessarium cognoscere, quod omnia ista sufficiant ad talem finem. — *Primum* patet; quia si nesciat quomodo finis acquiratur, nesciet qualiter ad consecutionem illius se disponat. — *Secundum* probatur; quia si nesciat omnia necessaria ad ipsum finem, propter ignorantiam alicuius necessarii, poterit a fine deficere. — Et etiam quantum ad *tertium,* si nesciat ista necessaria sufficere, dubitando se ignorare aliquod necessarium, non efficaciter prosequetur illud quod est necessarium. — *Ib.* n. 8. — Cfr. I. *Ib.* d. 2. q. 2. nn. 17. et 26.

Agentis ad passum diversa approximatio variat effectum. — Ex diversa approximatione agentis ad passum variatur effectus; aliter enim agit agens quod per lineam rectam opponitur et approximatur passo, quam quod per reflexam vel fractam. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 5. n. 5.

Agentis superioris est superior finis. — * Hoc * dictum debet intelligi de *fine effe-*

ctus; quia agens superior ordinat non se, sed effectum ad finem universaliorem vel superiorem; et ita ille finis superior est agentis, non ut finis eius, sed ad quem ordinat illud quod agit. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 6.

Agere (ad) et pati non est motus. — *Secundum agere et pati non est per se motus:* quia nulla est mutatio quam de necessitate consequatur variatio praedicatorum de genere *agere* vel *pati;* igitur secundum nullum illorum generum est per se motus. — Et istam conclusionem diffuse probat Aristoteles in littera. — *Physic.* V. q. 5. n. 6. — Vid. *Actionem* (ad) *et passionem non est motus.*

Agere — Nihil idem agit in se. — Illa propositio, *nihil idem agit in se,* non est vera nisi de aliquo agente *univoco.* Nec ista probatio eius, quod tunc idem esset in actu et in potentia, concludit, nisi quando agens agit *univoce,* hoc est, inducit in passum formam eiusdem rationis cum illa per quam agit; si enim aliquid sic ageret in se, sequeretur, quod simul haberet formam eiusdem rationis, ad quam moveretur, et dum moveretur ad illam careret illa; igitur simul haberet illam, et non haberet: saltem hoc sequitur de duabus formis eiusdem speciei, vel de eadem. — In agentibus autem *aequivoce,* id est, in illis agentibus quae non agunt per formam eiusdem rationis cum illa ad quam agunt, propositio illa, quod *nihil movet se,* non habet necessitatem; nec probatio eius, quod aliquid sit in potentia et in actu respectu eiusdem, aliquid concludit; non enim ibi agens est tale *formaliter* in actu quale passum est *formaliter* in potentia; sed agens *virtualiter* est tale in actu quale *formaliter* est in potentia patiens: et quod idem sit virtualiter tale in actu et formaliter tale in potentia, nulla est contradictio. — Ista glossa de agentibus univocis et aequivocis necessaria est, quia Philosophus posuit *motum* non tantum in genere *qualitatis,* sed *quantitatis* et *ubi.* In *quantitate* autem et *ubi* nulla est forma quae sit principium inducendi similem formam; imo, ut generaliter dicatur, quicumque motus est ad formam non activam non est ab agente univoco, quia ex quo forma talis terminans non est activa, nulla eiusdem rationis est principium agendi. Sunt igitur apud Philosophum multi motus ab agente non univoco, sed aequivoco; et ibi agens est virtualiter tale in actu quale patiens formaliter in potentia. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 27. — Cfr. *Theor.* XXII. concl. 31. n. 14. — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 12. — d. 25. n. 12. — *Report.* ib. n. 10.

Et ita tenendum est regulariter, quod solum et universaliter tunc potest aliquid in se agere quando duo ista concurrunt, scilicet: quod habet formam quae est principium agendi aequivoce, et quando cum hoc est capax termini talis actionis. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 6. *ubi plura videnda.* — Vid. *Agens quale in actu,* etc. = *Movet nihil se primo.*

Agere praesupponit esse. — Omne agere praesupponit esse — Respondeo: *esse* in Divinis potest accipi vel pro esse *simpliciter,* vel pro esse *incommunicabili.* — *Simpliciter* non est ibi nisi unicum esse, ut *essentiae.* Esse autem *incommunicabile,* sive hypostaticum, est ibi aliud et aliud, sicut alia et alia *Persona.* — Si ergo accipias in proposito, quod *agere* praesupponit *esse simpliciter,* quod est esse ad se, concedo. Si autem accipias, quod *agere* praesupponit esse *hypostaticum,* quod in proposito non est nisi esse ad alterum, falsum est, quia ipsum *agere* est primum *esse ad alterum,* sicut ipsa actio productiva est prima habitudo ad alterum. — *Quodlib.* q. 4. n. 30. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 6. n. 23. — q. 11. n. 9. — *Oxon.* II. d. 1. q. 1. n. 5. et 10. — Vid. *Esse prius est quam operari.* — IV. d. 1. q. 1. n. 26.

Alterans per alterationem subiectum non corrumpit. — Quia prius naturaliter non corrumpitur per aliquid posterius naturaliter: quidquid est inductum ab alterante ut alterans est posterius naturaliter forma substantiali rei alterabilis; ergo per nihil tale inductum ab alterante corrumpitur substantia alterabilis. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 21.

Amans exit extra se. — Istud dictum *exire a se* est metaphoricum, sicut apparet

Actio et passio sunt idem. — Vult * Aristoteles *, quod *actio et passio sunt idem*, sicut via ab Athenis ad Thebas, et e converso. Non intelligo, quod intelligatur ibi una via pro ipsa magnitudine super quam fit motus, sed pro ipso motu hinc illuc, et e converso, ut patet per aliud exemplum, quod ponit de *distantia* hinc illuc, et illinc huc, super idem spatium, ubi vult, quod illa sint eadem *materialiter* propter identitatem spatii, sed alia *formaliter*. Ita hic, motus est illud per quod dicitur agens per respectum *ab hoc*, intelligendo per *ab hoc* respectum *a quo;* in mobili etiam fundatur e converso respectus ad agens. Et isti duo respectus habent aliquid idem *materialiter*, ut motum, sed *formaliter* sunt alii, et in aliis subiectis. Praemisit enim ibi in principio illius capituli de *actione*, quod oportet inesse actum utrisque, scilicet, *motivo* et *mobili:* mobile enim est in ipso *posse*, movens autem in *operari;* ergo illum actum moventis, quem ponit *operari*, vult inesse moventi.

Et si obiicias quod in fine capituli dicit, quod cui insunt haec, scilicet, *actio* et *passio*, supple *motus est*, potest dici, quod alia littera habet: motus *inest*. — Vel ista littera potest sic exponi: non cui insunt ut *subiecto* vel *fundamento*, quia nec *passio* de genere *passionis* inest motui vel fundamento, quia respectus fundatus super motum ad agens est intrinsecus adveniens, cum motus sit forma ipsa inducta vel educta; sed cui insunt haec, alterum *terminative*, scilicet, *actio*, et alterum quasi *subiective*, quia concomitanter in eodem subiecto, ut *passio*. — *Oxon*. IV. d. 13. q. 1. n. 14-16.

Actio naturalis potest subesse imperio voluntatis. — Sicut omnis actio naturae subest voluntati Dei. Similiter voluntarie quis se praecipitat, vel cadit, et tamen naturaliter. — Similiter naturaliter quis videt praesente obiecto et medio illuminato, et tamen voluntarie.

Hic sunt tres gradus: In *primo* actio naturalis unius, licet necessaria respectu eius, et nullo modo sub eius potestate, est sub voluntate alicuius superioris. — In *secundo* idem voluntarie imperat, et naturaliter exequitur, ita quod non exequi non est in potestate sua, cum incepit exequi. — In *tertio* semper actus et continuatio est in potestate voluntatis.

Nota, actio *naturalis* dicitur naturalis a forma executiva; per accidens est *libera*, si subest imperio liberi. — *Nota* etiam, quod nulla actio quomodocumque omnino subsit voluntati non necessario imperanti eam, est necessaria; ergo naturalis actio quae subest voluntati mutabili tantum est *ut in pluribus* impedibilis. — *Nota*, actio naturalis quae subest voluntati non sic est libera sicut *velle;* non enim potest impedire voluntas illam actionem, activo et passivo non impeditis et aproximatis, quantumcumque tunc imperet oppositum (1). Sed potest facere imperando, agens non esse aproximatum patienti, vel alterum impediri, et per haec actionem illam impediri. Suum autem actum proprium potest emittere voluntas non tantum sic, faciendo agens non approximatum patienti, vel alterum impediri, sed sine utroque istorum. Sic salvatur illud Augustini, *I. Retractationum, cap*. 9. et 22. *Nihil in tam potestate volentis, quam velle* (2), et illud *XIV. Civit. cap. 23: Animus imperat corpori facilius quam sibi.* Primum intelligitur quantum ad *actum in se:* secundum quantum ad *praecedentia* actum. Facilius enim animus palpebras imperat claudi, ac sic rem non videri, quam imperet sibi non amare quod amat, vel e contra: magis tamen est in potestate eius non amare, quia illa actio semper dum est est in potestate volentis in se, ita ut obiecto aproximato, puta actu intellectivo, et nec ipso nec voluntate impedita, dimittatur amatio; non sic visio, stantibus omnibus praeexactis ad *videre*. — *Theor*. XXII. n. 3.

Actionem (ad) et passionem non est motus. — Aristoteles, *V. Physicorum*, probat, quod

---

(1) « Non video, quod aliqua actio naturalis subsit voluntati creatae; nulla enim voluntas creata potest impedire actionem ignis, ne agat in aquam sibi approximatam; potest tamen haec amovere ab invicem; sed hoc non est impedire per actum voluntatis ». — *Oxon*. IV. d. 49. q. 15. n. 5. — Vid. *Activo et passivo sufficienter approximatis, sequitur effectus.*

(2) Vid. *Voluntatis in potestate nihil tam est quam ipsa voluntas.*

ad actionem non potest esse motus. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 5. — *Conclusio* est ista: *ad actionem et passionem non est motus:* quia ad nullum motum est motus (1): sed omnis actio est motus vel mutatio; igitur ad nullam actionem vel passionem est motus. — *Physic.* V. exposit. text. 11. n. 14. — Vid. *Agere* (ad) *et pati non est motus.*

Actiones sunt suppositi existentis. — Actio est *singularis per se existentis;* non oportet autem esse alicuius singularis *incommunicabilis* per se existentis. — *Oxon.* I. d. 12. q. 2. n. 15. — Hoc modo forte est ista vera, *Deus creat,* et similes, intelligendo subiectum pro *hoc Deo existente in natura divina,* non intelligendo aliquod *suppositum* vel aliquod *incommunicabile* in illa natura, quia incommunicabilitas non est ratio talium actuum.

Exemplum huius: *color hic singularis existens* non determinat sibi rationem *suppositi,* quia ratio suppositi proprie non reperitur in accidentibus; et licet sit in supposito substantiae, tamen inquantum intelligitur absque ulla subsistentia in supposito, ut *hic color existens,* potest esse principium operationis realis, sicut si eadem albedo esset existens in tribus soppositis vel superficiebus haberet actum realem, scilicet, unam rationem disgregandi. — Et si quaeras a me de veritate huius propositionis, *color disgregat,* pro quo supponit ibi ly *color?* Dico, quod supponit pro primo significato suo, puta pro *hoc colore existente;* non autem pro aliquo colore inferiori ad hunc colorem; puta pro hoc colore in *hac superficie* vel *illa,* quia ista contrahentia colorem non sunt causa veritatis huius propositionis, sed est vera propter prima extrema. Multo magis esset hoc verum si hic color ut hic esset per se existens. — *Ib.* d. 4. q. 2. n. 3.

Et cum accipitur, quod *actio praesupponit suppositum,* respondeo, quod prima entitas incommunicabilis non praesupponit aliquod ens incommunicabile, nec per consequens praesupponit suppositum, quia suppositum est ens incommunicabile: actio autem productiva sive productio prima vel originatio activa est prima entitas incommunicabilis in Divinis, quia illam nihil praecedit nisi memoria perfecta vel essentia, et totum hoc est communicabile. Sed primum producere non potest communicari, quia tunc productum per illud produceret se, quod est impossibile, nulla enim mens hoc capit, secundum Augustinum, *I. De Trin. c. 1.*

Cum ergo accipitur, quod actio non potest esse nisi suppositi *existentis,* si intelligatur hoc de esse *hypostatico,* potest intelligi, vel soppositi existentis aliqua entitate *priori* ipsa actione, vel suppositi existentis hypostatice *ipsa actione formaliter;* et sic dupliciter potest intelligi: primo modo est falsa, quia non est ibi entitas hypostatica, quia nec incommunicabile, ante actionem: secundo modo est vera, quia ipsa actione est ens hypostatice, quia incommunicabiliter. — *Quodlib.* q. 4. n. 30

Nullum *tamen* suppositum formaliter agit nisi sit actu per illud quod est sibi formaliter ratio agendi. Et intelligo sic: vel quod habet illud tamquam formam informantem, ut est in creaturis: vel sic quod illud quod est principium agendi sit omnino idem supposito agenti, sicut est in forma simplici subsistente, quae est tota statim illud quod est, ex *VIII. Metaph.,* et ita se tota agit. — *Ib.* q. 8. n. 4.

Actiones sunt suppositorum. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 14. — *Agere* in creaturis *primo* convenit supposito toti, id est, non sibi quia *parti.* — *Ib.* d. 19. q. 2. n. 7. — Ista propositio, *actio est* TANTUM *suppositi,* non habetur a Philosopho, *I. Metaph.;* sed ibi habetur, quod actio est *circa singularia* (1). Sed unde locus: est *circa* singulare ut *obiectum,* ergo est *solius suppositi* ut *agentis?* — *Actio* tamen *est suppositi* ut *ultimate* denominati ab actione, sed non ut *solius* denominati ab ipsa. Non accipitur ab actione communiter, nisi denominativum denominans *ultimum* denominabile ad quod terminetur tota dependentia illius formae.

---

(1) Vid. *Motus non est ad motum.*

(1) Doctor legit: « Actus et omnes generationes circa singulare sunt ». — *Exposit.* etc. n. 12.

per Philosophum in *Politicis, lib. II. cap. 3. et in VII. cap. 5.: Nihil enim minus aliquid est id quod fuit, quia amat aliud.* Ratio autem huius metaphorae et omnium talium haec est: quia in attingendo vel acceptando vel appretiando verius est amans amatum, quam ipsummet, et quiescendo in illo. Et hunc intellectum plane dicit Hugo: *Qui solum*, inquit, *appetit quod amat seipsum despicit in comparatione illius quod amat.* — Et hoc est quod dicit Augustinus, *IV de Civit. Dei, cap. ult.: Civitatem Dei fecit amor Dei usque ad contemptum sui*, scilicet, amantis. Pro tanto ergo *amans exit extra se,* quia suum esse parvipendit in comparatione amati, ita quod magis appetit destrui esse suum quam amati. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 7.

Amicabilia ad alterum mensurantur ex his quae sunt ad ipsum. — Illud principium Philosophi, *IX Ethic.*, habet intelligi quantum ad *innotescentiam;* innotescit quippe amicitia ad alterum quando appeto alteri similia his quae mihi; sed non quantum ad *per se rationem,* quasi non sit alia amicitia. In amicitia tamen stricte accepta, quae est inter aequales, est mensura amicitiae ad alterum, et non e converso. — *Oxon.* III. d. 27. n. 21. — Unde sensus huius, *amicabilia ad alterum,* etc., est: *signum* amicitiae ad alterum est si facio quod volo mihi fieri. — *Report.* ib. n. 17. — Cf. ib. II. d. 6. q. 2. n. 5. — Vid. DISTINCTIONES: *Amicitia.*

Amo eodem quo concupisco. — Sicut charitas in actu *recto* habet pro primo obiecto Deum ut *in se,* ita etiam in quocumque actu *reflexo* est quodammodo principium tendendi in Deum ut *in se;* principium enim actus recti est principium omnium actuum reflexorum tendentium in finem ultimum sub eadem ratione. Sicut ergo ex charitate diligo Deum in se, ita ex charitate diligo me diligere Deum in se. — Concedo igitur, quod *eodem quo amo concupisco* bonum amato; sed non concupisco quodcumque bonum, sed bonum commodi quod principaliter terminatur ad illud bonum quod ex charitate diligo in se, hoc est, quod cuicumque amato concupisco amare Deum propter se, id est, inquantum est bonum in se. — *Oxon.* III. d. 26. n. 21. — *Report.* ib. n. 22.

Amores duo fecerunt duas civitates. — Dicit Augustinus, XIV. *De Civit. Dei,* quod *duo amores fecerunt duas civitates: civitatem Dei amor Dei usque ad contemptum sui; civitatem diaboli amor sui usque ad contemptum Dei.* Prima igitur radix civitatis diaboli inordinatus amor amicitiae sui; quae radix germinavit usque ad contemptum Dei, in quo est consummata ista malitia. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 4. — *Report.* ib. n. 5. — I. d. 1. q. 4. n. 5.

Amor est primum donum. — Inter enim omnia dona dantis primum donum quod dat, et quisquis dare potest, est amor eius, quem primo dat amato, qui est ratio cuiuscumque alterius doni; nihil enim habet rationem *doni,* nisi inquantum cadit sub actu *amoris;* non enim cultellus vel rosa * ex. gr. *, neque aliquod exterius habet rationem *doni,* vel meretur nomen *doni,* nisi quia communicatum amicabiliter actu amatorio voluntatis: ideo omnia dona dicuntur talia ratione amoris *dantis,* etsi non recipientis. — *Oxon.* I. d. 18. n. 7.

Amor meus pondus meum. — Essentia divina est centrum quod est ubique et cuius circumferentia est nusquam, in quam dirigitur voluntas, quae per charitatem ut per pondus quoddam allevians, quia *amor meus pondus meum,* tendit in ipsam. Et tam voluntatem quam actum eius acceptat Deus pro quanto habet charitatem, qua tendit in ipsum, ut sic charitas sit rato obiectiva acceptabilitatis in obiecto, sine qua nec persona, nec actus eius essent acceptata. — *Report.* I. d. 17. q. 2. n. 8.

Amor mutuus iucundior non mutuo. — In nobis *amor mutuus est iucundior,* quia per talem mutuitatem habetur in dilecto amplior ratio diligibilitatis. Quicumque enim dilectus potens diligere, si rediligat, amabilior est; quia non tantum bonitas quaecumque sit in eo est ratio diligibilitatis, sed *redamatio* est aliqua ratio diligibilitatis; et propter hoc ipse habens illam bonitatem, quae est prima ratio diligibilitatis, et similiter redamationem, est amabilior. — *Oxon.* I. d. 12. q. 1. n. 10.

Amor mutuus iucundior si sciatur. — *Amor mutuus* in nobis *non est iucundior nisi sciatur*, sicut non amatur bonitas nisi cognita, sic nec amatur redamans *inquantum redamans*, nisi cognoscatur eius redamatio. — *Oxon.* I. d. 12. q. 1. n. 10.

Amor omnia onera facit levia. — *Amor* et praecipue finis, si ille quaeratur in omnibus, *facit omnia onera levia*, ut verum sit quod dixit Salvator, Matth. 21 : *Venite ad a me;* et sequitur: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Cui sit laus, honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen. — *Oxon.* III. d. 40. n. 8.

Analogantur quando aliqua in aliquo, illud tantum est in uno istorum. — Cum dicitur, *quando aliqua analogantur in aliquo illud tantum est in uno istorum*, dico, quod ista propositio universaliter sumpta impossibilis est; si enim habet unum singulare verum, habet mille falsa; quia *ens*, *unum*, *bonum*, non dicuntur de creaturis nisi in attributione ad Deum, et quadam analogia; igitur sequeretur, quod nulla creatura esset magis *ens*, magis *unum*, magis *bonum*, quam *urina* sit *sana*, et non plus sanitas est in *urina* quam in *lapide*. — Item, *ens* dicitur de *accidente* in attributione ad *substantiam;* non igitur propter hoc, quod dicitur analogice de substantia et accidente, debet dici accidens nihil. — *Report.* II. d. 12. q. 2. n. 10.

Praeter haec, uno modo potest propositio assumpta esse vera, alio modo non; quia si *sanitas* intelligatur *proportio humorum*, tunc ab hoc abstracto *sanitas* accipitur unum concretum *sanum*, et dicitur de diversis in attributione ad sanitatem; et licet vox sit una, conceptus tamen *sani* est aequivocus in quocumque signato, secundum quod dicitur, quod *animal* est *sanum formaliter*, *urina* non, sed *signum*, et *diaeta conservans*. Si tamen intelligatur sanitas vel analogia *sani* secundum quod est *attributio conceptuum*, ita quod sit proportio non humorum tantum, sed absoluta, ita quod proportio sit analogatum, tunc significativum sanitatis et effectivum et conservativum habent attributionem et analogantur in proportione et quodlibet habet formaliter illud analogatum. — *Ib.* 11.

Anguli duo recti quicumque sunt aequales quibuscumque duobus rectis. — Ex tertia petitione I Euclidis. — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 10.

Anima amore fertur. — Sicut corpus pondere, animus et voluntas amore fertur quocumque fertur, ut ait Augustinus, *XI. De Civit. Dei*, cap 28. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 3.

Anima est quodammodo omnia. — Aristoteles, *III de Anima* * text. 37 *, volens quod *anima sit quodammodo omnia*, exponit se, quod est *per sensus sensibilia*, et per *intellectum* vel scientiam *scibilia*. Sicut antiqui posuerunt, animam esse omnia *realiter*, ut omnia cognosceret, sic Philosophus ponit, eam esse omnia non realiter, sed per *quamdam similitudinem*. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 13. — *Anima est omnia intelligibilia* per actum *sciendi*, sicut *sensibilia* per actum *sentiendi*. Unde dicit * Aristot. * in eodem libro, quod idem est scientia secundum actum rei scitae, sicut idem sensibile in actu et sensus in actu. — *De Anima*, q. 17. n. 15. — Vid. *Intellectus est omnia intelligibilia*.

Anima est tamquam tabula rasa. — Philosophus, *III. De Anima*, t. c. 14: *Anima de se est sicut quaedam tabula rasa et nuda, in qua nihil depingitur;* ergo secundum se et per naturam suam non habet aliquam cognitionem. — Dicendum, quod non habet aliquam cognitionem naturalem, secundum naturam suam, neque simplicium, neque complexorum, quia *omnis nostra cognitio ortum habet a sensu*. Primo enim movetur sensus ab aliquo simplici, non complexo; et a sensu moto movetur intellectus, et intelligit *simplicia;* quod est primus actus intellectus. Deinde post apprehensionem simplicium sequitur alius actus, qui est *componere* simplicia ad invicem. Post illam autem compositionem habet intellectus ex lumine naturali quod *assentiat* illi veritati complexorum, si illud complexum sit principium primum.

Pro tanto dicuntur *prima principia nobis naturaliter nota* sive cognita, quia praescita compositione terminorum, statim ex

Et sic illa propositio, *solius suppositi est agere*, breviter exponitur: vel alicuius *habentis modum suppsiti*. In hoc autem quod dico ***habere modum suppositi*** nihil positivum intelligo ultra essentiam formae, sed tantum negationem *informandi* aliquod quod per istam formam agat. — *Ib.* IV. d. 12. q. 3. nn. 34-35.

Aliter dici potest, quod actio non denominat ultima denominatione nisi soppositum, vel *habens modum suppositi*. Dico *modum suppositi* pro anima separata, et pro accidentibus separatis per miraculum, quae denominantur ab actione ultima denominatione, quia per se existunt, licet non incommunicabiliter, quia nata sunt communicare se suppositis; dum tamen nihil communicant illis nihil denominatur ab actione eorum, nisi ipsa, ultima denominatione. Sed omnis forma existens in alio ut forma, sicut dat *esse* illi, ita dat illi aliquo modo *denominari* a sua actione; et licet forma in supposito denominetur ab actione sua, non tamen *ultima* denominatione, sed ulterius denominatur suppositum ab eadem actione. Si tamen aliqua forma per se existens nata esset habere aliquam actionem propriam, si ipsa daret idem *esse* pluribus, ex quo supposita non denominantur actione formae, nisi quia habent *esse* per formam, denominarentur ab eadem actione, sicut haberent idem esse illius formae activae. — *Ib.* I. d. 12. q. 1. n. 16. — *Report.* IV. d. 12. q. 3. n. 22.

Dicendum * ergo *, quod non solum *suppositum* denominatur ab actione, sed etiam *forma* prius, cum sit per se principium actionis; si enim illa forma per se esset sine supposito, per se ageret. — Verumtamen *actio primo est suppositi*, sicut eius quod *ultimo* denominatur ab actione; quod enim ultimo ab actione denominatur est *suppositum*, vel habens *modum suppositi*; quod dico propter formam separatam, cuius est agere quasi habentis modum suppositi. Unde nihil ultimate donominatur ab actione, nisi habens *modum suppositi*, vel sit ut suppositum, quia suppositum nulli est ratio essendi; igitur actio quae est eius non potest per ipsum ulterius aliquid denominare. Non sic est de forma, quae denominavit aliud; et ideo actio attributa sibi ulterius per ipsam potest aliquid denominare, ut si *anima* intelligat, cum ipsa sit forma hominis, *homo* per ipsam dicitur intelligere. — *Report.* I. d. 26. q. 5. n. 5.

Quando igitur dicitur *actio est suppositi*; ergo plurium suppositorum plures actiones; *nego consequentiam*, nisi quando plurificatur in eis illud quod est ratio agendi, per quod ista dicuntur denominative *agere*. — *Oxon.* l. c.

Aliter potest dici, quod quando aliquod abstractum respicit plura, ab illo possunt accipi plura denominativa denominantia plura ad quae cadit illa forma, et secundum ordinem: sicut ab hoc abstracto *potentialitas* accipitur hoc contractum proximum quod est *potentia*, et dicitur de *calore*, qui est potentia calefactiva; et ulterius hoc concretum quod est *potens*, et dicitur de *igne* habente calorem. Eodem modo in proposito, actio respicit plura, scilicet, formam, quae est principium *quo* actionis, et suppositum *quod* agit; et ideo si haberemus concreta appropriata, posset forma ab actione denominari, sicut modo suppositum denominatur ab actione; tale autem concretum non habemus in usu. Et forte huiusmodi ratio est, quia secundum Philosophum, *in Praedicamentis*, dicuntur *a casu*, sive *a cadendo* denominativa; et per consequens quanto magis est cadentia alicuius formae ad extrinsecum, tanto magis est in usu. Et ideo magis habemus in usu denominativum quo soppositum denominatur ab actione, ad quod ultimate cadit illa forma, quam denominativum alicuius alterius, vel actionis, vel formae, vel principii. — Quando igitur dicitur quod *actio est solius suppositi*, verum est *ultimate* ab ista denominari; immediatius tamen et prius est ipsius *formae*, quae est *totalis* causa illius actionis quando est separata, et causa *formalis* quando est coniuncta. — *Report.* IV. d. 12. q. 3. n. 22.

Actioni correspondet passio. — *Actioni correspondet passio* proprie dicta, quae, scilicet, est rerpectus extrinsecus adveniens, sicut et ipsa actio. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 14.

Actionis non est actio. — Nec ut *subiecti*, nec ut *termini*. — *Oxon.* I. d. 3. q. 9. n. 1 et 10. — Vid. *Actionem* (ad) *et passionem non est motus.*

Actionis unius unum est principium. — Dico, quod *unius actionis est unum principium per se*, et hoc in *uno ordine principiandi;* tamen possunt esse multa principia in diverso ordine principiandi, quorum non sit unitas nisi unitas ordinis, licet quandoque cum unitate ordinis concurrat unitas accidentis et subiecti inter haec ordinata; sed hoc accidit. — Ita *habitus* et *potentia* sunt duo principia alterius ordinis, et utrumque in suo ordine est unum per se; et cum ista unitate ordinis concurrit unitas accidentis et subiecti inter haec ordinata; sed hoc accidit, quia si ita posset coniungi causa prima cum secunda, sine informatione tali unius ab altera, sicut coniunguntur quando informatur una ab altera, eodem modo possent habere unitatem sufficientem ad causandum unum effectum. — Quando igitur dicitur, quod *unius actionis per se est una causa activa*, concedo in *uno ordine;* sed in alio ordine principiandi bene potest esse alia et alia causa, et hoc sive haec et illa constituant *unum per accidens*, sive non, sed tantum *unum* unitate *ordinis;* et licet sit ibi *unitas per accidens*, adhuc tamen semper salvatur *unitas ordinis* principii ad principium.

Per hoc apparet ad illam *confirmationem* de *unitate principii formalis* (*quod* una actio requirit principium formale, quo eliciatur, *per se unum*): concedo talem unitatem in illo quod est principium *quo* in *uno ordine principiandi.* — *Oxon.* I. d. 17. q. 3 n. 8.

Actio non est in agente, sed in patiente. — Omnis actio et omnis passio est in patiente, loquendo de actione *naturali cui supponitur subiectum.* — Probatur: quia in illo est actio in quo est effectus productus ab agente: sed hoc est in patiente; ergo, etc. — *Secundo* arguitur ratione Aristotelis: quia nisi omnis actio esset in patiente, sequeretur, quod omne agens pateretur, vel habens motum vel mutationem non moveretur, quod est impossibile: quia si primum esset verum, iam esset processus in infinitum in causis: similiter, si secundum esset verum, iam esset aliquis motus quod nihil moveretur; quod est impossibile. — *Physicor.* III. q. 8. n. 7.

Concedens *autem* Aristoteles actionem esse in passo, et non in agente, quia tunc agens moveretur, loquitur de *actione* secundum hanc significationem; pro respectu transmutantis ad transmutatum, iuxta illam descriptionem lib. *Sex Princ.*: *Actio est secundum quam in illud quod subiicitur agere dicimur;* non autem secundum quod *actio* est genus distinctum contra *passionem;* illo enim modo accipiendo *actionem* actione formaliter aliquid est agens, sicut relatione est relatum; et sic necesse est illud *quo* esse intrinsecum illi quod dicitur esse tale per ipsum: sicut similitudinem esse in simili. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. nn. 12 et 14. — Cf. ib. d. 6. q. 2. n. 4.

Dico *ergo*, quod actio secundum quod est *praedicamentum* est in agente *subiective.* — *Probatio:* relatio non separatur a fundamento suo, vel a ratione fundandi: aliqua autem relatio, ut de *secundo modo*, fundatur super actionem et passionem, sicut relatio patris ad filium, vel saltem rationes fundandi istas relationes sunt actio et passio; ergo talis relatio non potest separari ab actione et passione subiecto: sed talis relatio est in agente, ut est agentis ad patiens, vel in patiente, quae est patientis ad agens; paternitas enim est in patre, filiatio in filio; ergo et actio est in agente. — *Praeterea*, omnis respectus realis est in eo quod realiter refertur per eum: actio autem est respectus realis agentis ad patiens; ergo est in agente sic relato. — Dicendum est ergo secundum praedicta, quod actio est respectus quidam agentis ad passum, in agente existens; et passio respectus quidam patientis ad agens, in patiente existens. — *De Anima*, q. 7. n. 3. seqq. — *Oxon.* l. c. n. 9. — Vid. DISTINCTIONES: *Actio.*

Actio non perficit agentem, sed passum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 31. — Nec ulla actio de genere *actionis*, nec passio de genere *passionis* est perfectio ultima agentis vel operantis. — *Quodlib.* q. 13. n. 25. —

lumine naturali intellectus acquiescit vel adhaeret illi veritati. Tamen cognitio terminorum acquiritur ex sensibilibus. Et iste intellectus dicitur *habitus principiorum*, quo adhaeret primis principiis (1).

Ratio procedit de principiis simpliciter primis, cuiusmodi sunt *impossibile est idem simul esse et non esse*, et *omne totum est maius sua parte*, et huiusmodi, circa quae impossibile est errare, secundum Philosophum, in *IV. huius, t. com. 8.*; non autem procedit de principiis quae possunt esse conclusiones respectu principiorum primorum; talibus enim potest unus homo assentire magis quam alius, inquantum assentire talibus subest imperio voluntatis, visa connexione istorum ad prima principia. — *QQ. Metaph.* l. II. q. 1 n. 2.

Anima format in se imaginem. (Ex Aug. *X. De Trinit.* c. 5). — *Formal anima in se imaginem*, hoc est, *sensationem*, et *de se*, hoc est, ipsa est in potentia *naturali* ad sensationem, et non in potentia *neutra*, sicut superficies ad albedinem est in potentia neutra, et non naturali. Et istam naturalitatem ostendit * Augustinus * cum dicitur *de se*, et loquitur ibi tantum de sensationibus, ut apparet quia dicit ibidem, quod illas partes animae, quae corporum similitudinibus informantur, habemus communes cum bestiis; hoc verum est de illis quae informantur imaginibus, hoc est, *sensationibus*, extendendo nomen *imaginis* ad *sensationem*. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 25.

Anima idearum visione fit beatissima. (Aug. LXXXIII QQ. q. 46). — Auctoritas Augustini, *harum visione fit anima beatissima*, si ideae ponuntur esse quidditates ut cognitae, tunc exponenda est auctoritas Augustini de beatitudine quae potest haberi in creaturis ut in obiectis, quia certum est, quod non est perfectissima beatitudo in creatura absolute, secundum ipsum, *V. Confessionum: Beatus est qui te et illa novit, nec propter illa beatior:* sed est intelligendum *beatissima*, hoc est, totali beatitudine possibili beato, non quidem in eis formaliter, sed in obiecto, cuius cognitio praesupponitur istis et quasi concomitanter in istis, in quibus aliqua beatitudo est, licet non prima. — *Oxon.* I. d. 35. n. 13.

Anima (in) est imago Trinitatis. — Imago * SS. Trinitatis in anima * non consistit in aliquibus tribus *potentiis* realiter distinctis, sed consistit in aliquibus tribus realiter distinctis, puta in *actibus*. Ubi sciendum, quod differt *imago* a *vestigio*, ut dictum est in *primo Libro* (1); quia imago repraesentat per modum *totius* primo; vestigium autem primo repraesentat *partem*, licet arguitive repraesentet *totum*, ut patet de pede in pulvere. Trinitas autem in Divinis est quasi quoddam totum numerale, et ideo quod repraesentat ipsam *totam*, dicitur *imago*, sed quod repraesentat quasi *partes* dicitur *vestigium*. Anima autem repraesentat *totam* Trinitatem; inquantum enim est *una essentia*, habens intellectum et voluntatem, repraesentat *divinam essentiam;* non sic autem tres Personas, quia essentia et intellectus et voluntas sunt in qualibet Persona. Repraesentat autem tres Personas, ut potentiae suae sunt sub *actibus* suis, quia unus actus est ab alio per modum originis, sicut Personae inter se originantur; sicut enim a Patre Verbum, et ab utroque Spiritus Sanctus, sic quodammodo a *memoria* actus *intellectus*, et *velle* ab utroque originantur. Dico * igitur *, quod imago Trinitatis non est *complete* in anima *absolute considerata sub potentiis suis*, nisi in radice, sed ut est sub *actibus suis cum unitate essentiae* repraesentat Trinitatem; et sic consistit imago in tribus realiter distinctis; non autem in *potentiis*, quae realiter non distinguuntur; imago enim ut est perpetua solum est *virtualiter* in anima, et *formaliter* ut est sub actibus. — *Oxon.* II. d. 16. n. 20. — *Report.* ib. n. 22. — Quia essentia animae repraesentat *unitatem* et *distinctionem:* unitatem respectu *essentiae*, distinctionem respectu *potentiarum* ut suae potentiae sunt *sub actibus*, quia tunc consideratur ibi origo quasi unius potentiae ab alia, ut dictum est. —

(1) Vid. *Principia prima sunt omnibus nota = Foribus (in) quis delinquit?*

(1) Vid. DISTINCTIONES: *Imago-Umbra, etc. = Vestigium.*

Oxon. II. d. 24. n. 5. — Cf. *Report.* I. d. 3. q. 7. — Vid. Distinctiones: *Imago SS. Trinitatis in anima humana.*

Anima (in) est Trinitas. — Ad dictum Augustini, quod *in anima est Trinitas*, explico quomodo in anima nostra est trinitas: non quod ibi sint tres partes in actu secundo, sed tantum una pars in actu secundo, ut memoria, et duae aliae partes, scilicet, intelligentia et voluntas, sunt ibi in virtute et in potentia propinqua ad actum secundum; et sic potest esse memoria in actu, et non exire in prolem in actu. Et quod Aristoles vocavit *intellectionem* Augustinus vocat *cognitionem*. Et posuit Aristoteles, quod anima intelligit se sicut alia quae posuit quod non intelligit se nisi mota a phantasmatibus. — *Report.* II. d. 3. q. 3. n. 15. — Ideo tota ista trinitas, quae, scilicet, nata est esse trinitas, tantum est in memoria quantum ad realitatem eius actualem. — *Oxon.* ib. q. 8 n. 13. — Cf. *Report.* I. d. 3. q. 7.

Anima intellectiva est forma hominis specifica. — Dicitur, quod est *ratione naturali nota;* quod ostenditur dupliciter: *uno modo* per *auctoritates* Philosophorum, qui hoc asserebant, et non nisi tamquam ratione naturali notum: *alio modo* adducendo *rationes* naturales, ex quibus istud concluditur.

De *prima:* Aristoteles definit animam, *II. De Anima*, quod est *actus corporis physici*, etc. Et in *principio III: de parte autem animae, quae cognoscit et sapit;* ubi videtur ponere animam *intellectivam* partem saltem *subiectivam animae* prius definitae in communi. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 5.

Sed haec *non videtur* propositio nota ratione naturali: quia Averroes, qui fuit maximus philosophus, negavit eam. Ipse enim formam hominis ultimam et propriam posuit quamdam formam *sensitivam* nobilem, cui unitur intellectus separatus *ut motor*, vel forma intellectiva, mediantibus quibusdam phantasmatibus; quia ipse ponit *unum intellectum* esse *omnium hominum*, sicut patet *I De Coelo et mundo;* et ita dicitur homo *intelligere*, secundum eum, quia motus ad actum proprium per intellectum separatum. — *Sed iste est vilissimus et irrationabilissimus inter errores* omnes Philosophorum, et manifeste contra intentionem Magistri sui — *Irrationabilissimus* est, quia magis vilificat naturam humanam, quam aliquam aliam, ubi non est necesse, et natura humana secundum principia Magistri sui, *III. De Anima et I De Coelo et mundo*, semper dignificanda est quantum potest sine contradictione (1). — *Report.* IV. d. 43. q. 2. n. 6.

Dico igitur, quod propositio, *anima intellectiva est naturalis forma hominis secundum quod homo*, est manifesta et nota lumine naturali; non tamen bene potest probari *a priori*, sicut nec aliqua forma substantialis in esse suo perfectibili potest sic probari *a priori*, sed tantum *a posteriori* ex sensu et operatione eius; quia sic arguentes innotescunt nobis tales formae, quia nihil est in re prius quam forma, ex quo posset accipi praemissa alia ad concludendum aliquid demonstrative de ipsa. Et ideo forma non potest probari de re nisi *a posteriori;* igitur etc. — *Ib.* n. 7.

Formo igitur rationem de *operatione propria hominis*, ut homo est, sic: *intelligere* convenit homini *formaliter*, quia homo formaliter intelligit; haec enim est ita manifesta, quod qui negat eam non est homo. — *Ib.* n. 8. — Ergo *anima intellectiva est propria forma hominis.* — *Antecedens* videtur satis esse manifestum, secundum auctoritatem Philosophi, *III. De Anima* et *I Ethic. cap. 9.*, quia *intelligere* est propria operatio hominis: *operatio* autem, ut distinguitur contra *actionem* seu *factionem*, formaliter inest ipsi operanti, et non est ab ipso altero. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 6.

Sed tentandum est probare *antecedens* per *rationem* contra protervum, si neget; et hoc intelligendo in antecedente *intelligere proprie* acceptum; per quod intelligo *actum cognoscendi transcendentem totum genus cognitionis sensitivae.* — *Probatur* ergo illud *antecedens* uno modo sic: Homo cognoscit actu cognoscendi *non organico;*

(1) Vid. Distinctiones: *Homo.*

Dico *ergo*, quod operatio agentis non est perfectio agentis, sed est perfectio recipientis. Verbi gratia, *calefactio* non est perfectio solis calefacientis, sed illius quod calefit. Verum est tamen, quod nos dicimus, quod operatio agentis est sua perfectio, eo quod est *signum* suae perfectionis. — *Physic.* III. q. 8. n. 8.

Activo et passivo sufficienter approximatis sequitur effectus. — Activum potest agere in passivum quando non est impeditum a receptione formae ad quam agit tale agens; sed dum est impeditum non potest agere potentia propinqua, licet possit agere potentia remota. — *Oxon.* II. d. 11. n. 8. — Activo et passivo naturaliter approximatis, necesse est sequi consumptionem, si alterum habeat dominium. — *Ib.* III. d. 16. q. 2. n. 7. — Activo sufficienti et passivo sufficienti sufficienter approximatis, potest sequi effectus; et si agens sit naturaliter agens, sequitur effectus. — *Ib.* IV, d. 45. q. 2. n. 12. — Naturaliter activo approximato naturaliter passivo, non impeditis per causam superturalem impedientem, activum naturaliter agit in passivum, et passivum naturaliter patitur. — *Ib.* III. d. 21. n. 3. — d. 15. n. 9. — Cf. IV. d. 6. q. 10. n. 4. — *Physic.* II. q. 12. n. 5.

Activum et passivum sunt correlativa. (*Ex *V. Metaph.* text. 20*). — Dico, quod activum et passivum *in communi* necessario ad invicem referuntur: non necesse est ita esse de *hoc* activo et *hoc* passivo, quia aliud activum vicem huius activi supplere potest. — *Oxon.* III. d 4. n. 16. — *Report.* ib. q. 2. n. 16. — Cf. *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. V. S. un. c. 14. n. 109.

Activum summe est summe diffusivum sui. — Cum arguitur, quod *summe activum est summe diffusivum sui*, responsio, quod verum est quantum possibile est aliquid diffundi. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 3. — Cf. *ib.* IV. d. 12. q. 3. n. 25.

Actu (ex duobus in) non fit unum. — Impossibile est ex pluribus existentibus in actu fieri unum; quia actus distinguit et separat (1). — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 14. n. 117. — *Haec autem* est vera quando illa duo sunt in actibus *ultimatis*, ita quod illa actuata non sunt capacia ulterioris actualitatis. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 20. n. 6. — Cf. ib. l. VIII. q. 4. per tot. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 39. — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 5. — q. 17. n. 9. — *Coll.* XXXVIII. n. 1. — Vid. *Unum per se ex actu fit et potentia.*

Actus actui non unitur. — Actus actui, inquantum talis, non unitur; non enim ex duobus actu potest fieri unum, nisi alterum sit in potentia respectu alterius, *VII. Metaph. text. 42 et 49;* actus enim est principium divisionis et distinctionis, *VII. Metaph.* — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 5. — Cf. *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 2. c. 13. n. 99. seqq. — c. 14. n. 117.

Actus bonitas a fine desumitur. — Dico, quod bonitas actus potest esse triplex: *naturalis, moralis* et *gratuita.* — *Prima* bonitas est ab *operante.* — *Secunda* bonitas in actu est moralis, et dicitur talis unde est vituperabilis vel laudabilis. Haec autem est a causa *efficiente libere.* — Et ibi est bonitas triplex: prima bonitas moris in actu est bonitas *ex genere* post bonitatem ab *efficiente;* et istam habet ex *obiecto,* quia si transit super tale obiectum, circa quod natus est esse bonus actus ex genere, potest dici actus *bonus* ex genere. Et ista bonitas potest dici *materialis* in genere moris. — Et ista habet universaliorem bonitatem ex *circumstantiis;* et talis bonitas se habet sicut pulchritudo ad corpus; pulchritudo enim in corpore non est ex una qualitate tantum, sed ex proportione multarum ad invicem et ad subiectum in quo sunt, ita quod talis sit ibi et talis ibi. Bonitas igitur moralis *completa* est ex correspondentia ad rationem rectam secundum omnes circumstantias. Et prima bonitas ex circumstantia est ex *fine:* quod actus sit circa *talem finem,* et quod *finis recte intendatur,* circa quem natus est esse bonus actus. — Secunda bonitas est ex *modo,* videlicet: quod agens habeat modum convenientem tali agenti; modus enim qui convenit nobiliori non competit nobili.

Tamen prima bonitas simpliciter in actu morali est a causa *efficiente*: secunda ex

---

(1) Vid. infra, ***Actus distinguit,*** etc.

obiecto, quae est bonitas ex genere: deinde bonitas ex *circumstantia finis:* quarta bonitas ex *modo;* sed *completa* est ex *omnibus circumstantiis.*

Tertia bonitas in actu, quae est *gratuita*, addit supra istas bonitates *acceptationem divinam;* et ista est *ex fine* alio modo quam prius, ex hoc quod charitas inclinat ad *finem supernaturalem.*

Patet igitur, quod aliqua bonitas actus est ex *fine*, sed non omnis. — *Report.* II. d. 40. n. 2-3. — *Ib.* d. 7. q. 3. n. 27. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. nn. 3 et 12. — II. d. 7. n. 11 seqq. — d. 40. nn. 2-3. — *Quodlib.* q. 18. n. 8. — *Miscell.* q. 3. nn. 10. et 15. Non * itaque * omnis actus bonus est *primo* bonus a circumstantia *finis;* imo est aliquis bonus a circumstantia obiecti, puta, ubi *finis* est obiectum; et ibi circumstantia *finis ut obiecti primo* tribuit rectitudinem actui; ille enim actus ex obiecto solo est simpliciter bonus, ut *amare Deum*, sine aliis circumstantiis, est simpliciter bonum. Falsum est igitur, quod a fine, ut *finis* est, prout, scilicet, distinguitur contra *obiectum*, accipiatur *primo* bonitas actus moralis. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 44.

Actus cui repugnat, et potentia. — Cuicumque necessario repugnat actus, eidem necessario repugnat potentia ad illum actum, licet non cuicumque contingenti. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 11. — Vid. *Potentia cuius est, et actus.*

Actus differunt specie qui eliciuntur a principiis differentibus specie. — * Haec propositio *, *actus illi differunt specie qui eliciuntur a principiis differentibus specie*, vera est de principiis *totalibus* * univocis *, quia ab illis habent totaliter actus entitatem suam, et per consequens unitatem suam et distinctionem. Vera est etiam de principiis *partialibus*, dum tamen sint principia disparata et per se requisita, inquantum disparata; quia si sint subordinata, vel non per se requiratur quod sint disparata, non oportet quod actus specie distinguantur. — *Quodlib.* q. 17. n. 13.

Actus distinguuntur per obiecta. — *Actus distinguuntur per obiecta* quantum ad *manifestationem*, quia manifestior distinctio obiectorum quam actuum, et ex illa tamquam ex manifestiori innotescit ista. — Et *confirmatur* hoc, quia *II. De Anima*, * text. 33, 36 et inde *, sicut vult Philosophus, quod actus distinguuntur per obiecta, imo magis, quod obiecta sunt praevia ipsis actibus; propter quod oportet prius tractare de distinctione *obiectorum* quam *actuum*, ita etiam vult, quod *potentiae distinguuntur per actus.* Hoc autem non est *essentialiter;* quia actus est essentialiter posterior potentia (* in eodem individuo *), et posterius non est per se ratio distinguendi prius; igitur nec ibi illud aliud, scilicet, de obiectis in comparatione ad actus, debet intelligi de distinctione essentiali. — Concedi * itaque * potest, quod actus distinguuntur per obtecta sicut per aliqua *extrinseca*, a quibus actus dependet dependentia essentiali et propria; non tamen distinguuntur per illa sicut per *formalia* distinctiva. — *Quodlib.* q. 13. nn. 30-31. — Vid. *Potentiae distinguuntur per obiecta.*

Actus est finis potentiae. — Bene dictum est, quod *actus est finis potentiae;* non enim animalia vident ut visum habeant, id est, potentiam visivam, sed visum habent ut videant, id est, quod potentia ordinatur ad actum ut ad *finem*, et non e converso. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IX. S. 2. c. 3. n. 37. — *Similiter homines* habent *scientiam aedificandi ut aedificent, et* scientiam speculativam *ut speculentur; sed non e converso.* — *Amplius materia est in potentia donec veniat ad* formam; *quando vero actu est, tunc est* sub forma. — *Similiter est in aliis* quae moventur propter finem; nam omnia ordinantur ad actum ut ad finem motus. — Patet ergo ex his, quod *actus est finis potentiae.*

Deinde ostendit * Philosophus * propositum *a signo* dicens: *quapropter*, quia sic est quod actus est finis potentiae, *ideo docentes putant* se ad finem pervenisse cum instruxerunt discipulum *operantem* actum artis; *et natura similiter* pervenit ad finem quando consequitur et attingit actum; et hoc est signum quod *actus* habet rationem *finis.* — *Ib.* n. 38. — Vid. *Actus est perfectio potentiae.*

ergo *intelligit* proprie. *Consequentia* patet ex ratione iam posita, quia *intellectio* proprie est *cognitio transcendens omne genus sensationis:* omnis autem *sensatio* est cognitio *organica*, ex *II. De Anima*. — *Antecedens* huius ethymematis probatur: quia omne organum determinatur ad *certum* genus sensibilium, ex *II. De Anima;* et hoc ideo quia consistit in media proportione extremorum illius generis: sed aliquam cognitionem experimur in nobis quae non competit nobis secundum *tale* organum, quia tunc determinaretur ad sensibilia *determinati* generis, cuius oppositum experimur, quia cognoscimus per talem actum *differentiam cuiuscumque* generis sensibilium ad aliquid quod *non est* aliquid *illius* generis; ergo cognoscimus utrumque extremum. Patet illa *consequentia* secundum Philosophum sic arguentem, *II. De Anima*, cap. de *Sensu communi*. — *Ib.* n. 7.

Praeterea, habemus in nobis aliquam cognitionem obiecti sub aliqua ratione sub qua non potest esse actus eius aliqua cognitio sensitiva; ergo etc. — *Antecedens* probatur: quia experimur in nobis, quod cognoscimus *actu universale;* experimur enim, quod cognoscimus *ens*, vel *qualitàtem* sub ratione aliqua *communiori* quam sit ratio primi obiecti *sensibilis*, etiam respectu supremae sensitivae. Experimur etiam, quod cognoscimus *relationes* consequentes naturas rerum, etiam *non sensibilium;* et experimur, quod distinguimus *omne genus sensibilium* ab aliquo quod non est illius generis. Experimur, quod cognoscimus *relationes rationis* quae sunt *secundae intentiones*, scilicet, relationem *universalis*, *generis*, et *speciei*, etc. et *oppositionis*, et aliarum intentionum logicalium. Experimur, quod cognoscimus *actum* illum *quo cognoscimus* ista, et illud, secundum quod inest nobis ille actus, quod est per actum *reflexum* super actum rectum susceptivum eius. Experimur, quod assentimus complexionibus sine possibilitate contradicendi vel errandi, utpote primis principiis. Experimur denique, quod cognoscimus *ignotum ex noto* per discursum, ita quod non possumus dissentire evidentiae discursus, nec cognitionis illatae. — Quodcumque istorum *cognoscere* est impossibile alicui *sensitivae* potentiae attribuere; ergo etc. — *Ib.* n. 10.

Si quis autem proterve neget illos actus inesse homini, non est cum eo ulterius disputandum, sed dicendum sibi, quod est *brutum;* sicut nec cum dicente, *non video colorem ibi*, non est disputandum, sed dicendum sibi: *tu indiges sensu, quia caecus es.* Ita quodam sensu, id est, *perceptione interiori*, experimur istos actus in nobis; et ideo si quis istos neget, dicendum est, eum non esse hominem, quia non habet illam visionem interiorem, quam alii experiuntur se habere.

Assumptum, scilicet, quod nullus istorum actuum potest esse secundum aliquam potentiam *sensitivam*, probatur: quia *actu universale* cognoscitur sub tanta indifferentia, sub quanta ipsum sic cognitum est simul *dicibile:* est autem simul dicibile de *omnibus* singularibus, in quibus salvatur: sic non cognoscit sensus. — Sed de *secunda* est evidentius, quia nulla potentia potest cognoscere aliquid sub ratione universaliori ratione sui proprii obiecti: sicut *visus* non cognoscit aliquid sub ratione indifferenti ad *colorem* et ad *sonum;* ergo cognitio illa quae est alicuius sub ratione communiori quocumque primo obiecto, etiam *supremi sensus*, non potest esse aliqua sensatio. — *Tertium* probat idem, quia nulla sensatio potest esse *distinctiva* primi obiecti sensibilis, id est, communissimi, ab eo quod non est tale, quia non potest esse utriusque extremi. — De *relationibus* consequentibus alia non sensibilia inter se, vel insensibilia ad sensibilia, patet per idem, quod sensus non potest in illas. Multo magis patet de relationibus istis quae dicuntur *rationis*, quia sensus non potest moveri ad cognoscendum aliquid, nisi quod includitur in obiecto sensibili ut sensibili: habitudo *rationis* non includitur in aliquo ut *existens* est: sensus autem *existentis* est ut existens est. — Et per hoc posset probari principium etiam de *actu universali*, quia *universali in actu* repugnat esse existens ut existens. — Aliud de *reflexione* super actum et potentiam, probatur per hoc, quia

quantum non est reflexivum super se. — Alia duo, de *compositione* et *assentire compositioni*, et de *discurrere* et *assentire evidentiae* discursus, probantur ex relatione *rationis*, quia illa non sunt sine relatione *rationis*. — *Ib.* n. 11.

Consequentia primi enthymematis probatur sic: si talis actus est in nobis *formaliter*, cum non sit substantia nostra, quia quandoque inest, quandoque non inest, ergo oportet dare sibi aliquod receptivum proprium: non autem aliquod *extensum*, sive sit *pars organica*, sive *totum compositum*, quia tunc ista esset extensa, nec posset esse talis qualis dicta est circa obiecta qualia dicta sunt; ergo oportet, quod insit secundum aliquid *inextensum;* et quod illud sit *formaliter* in nobis: illud non potest esse nisi anima *intellectiva*, quia quaecumque alia forma est *extensa*. — Vel aliter potest probari ista consequentia, eundo ad *conditiones obiecti* illius actus: quia quaelibet forma inferior intellectiva, si habet operationem, habet praecise respectu obiecti sub rationibus oppositis istis rationibus dictis; ergo si habemus operationem circa obiectum sub istis rationibus, illud non inerit nobis secundum aliquam formam aliam ab intellectiva; ergo inest nobis secundum intellectivam; ergo *intellectiva formaliter inest nobis*, alioquin aliter non essemus formaliter operantes secundum illam operationem.

Ex *secunda operatione humana*, scilicet, *voluntate*, potest probari idem: quia homo est *dominus suorum actuum*, ita quod in potestate eius est determinare se ad hoc vel oppositum, sicut dictum est *dist. 25, 2. quaest. 1.*, et etiam non tantum ex *fide*, sed etiam per *rationem naturalem*. Illa autem *indeterminatio* non potest poni in aliquo appetitu *organico* vel *extenso*, quia quilibet appetitus organicus vel materialis determinatur ad *certum* genus appetibilium sibi conveniens, ita quod illud apprehensum non potest non convenire, nec appetitus non approbare; ergo *voluntas* qua sic *indeterminate* volumus est appetitus non alicuius talis formae, scilicet, *materialis;* et per consequens est alicuius excedentis omnem talem: huiusmodi ponimus *intellectivam;* et tunc si appetitus ille sit formaliter in nobis, quia et appetere, sequitur, quod forma illa sit forma nostra. — *Ib.* n. 12.

Tunc arguo ultra sic: quicumque est *formaliter intelligens* intellectione *formaliter habet intellectionem*, non quia causat eam, sed quia *recipit* eam. Si igitur homo *formaliter intelligat*, oportet in eo esse aliquod *receptivum intellectionis:* huiusmodi receptivum non potest esse *corpus*, neque *pars corporis*, ut probatum est, nec aliquod *organum;* igitur vel erit tantum *anima*, vel *totus homo* mediante anima; igitur si ista operatio est formaliter in homine, sequitur, quod *anima intellectiva est forma hominis;* si enim *forma intellectiva* non est in nobis, nec receptivum esset formaliter in nobis; si enim color non est in corpore nisi mediante superficie, sicut immediato receptivo coloris, si superficies non est in corpore, nec color. — ***Report.*** l. c. n. 9.

Dico ergo, quod * praefata propositio * est *naturaliter nota*, et error ei oppositus, qui proprius est et solius Avverois, pessimus est, non tantum contra veritatem Theologiae, sed etiam contra veritatem Philosophiae; destruit enim scientiam, quia omnes actus *intelligendi*, ut distinctos ab actibus *sentiendi*, et omnes actus *electionis*, ut distinctos ab actibus *appetitus sensitivi;* et ita omnes *virtutes*, quae non generantur sine electionibus factis secundum rationem rectam; et per consequens talis errans esset a communitate hominum et naturali ratione utentium exterminandus. — ***Oxon.*** l. c. n. 26. — Cf. ***Quodlib.*** q. 9. n. 9. — ***De Rer. Princ.*** q. 9. et seqq.

Animam intellectivam (circa) non cadit alteratio. — Anima nostra alterari potest ab ignorantia in scientiam; sed tamen ab una qualitate in aliam qualitatem alterari non potest. Et hoc intelligit Aristoteles *VII Physicor.* text. Com. 20. — ***Poster.*** I. q. 3. n. 6.

Anima principium est vitae et operationis. — Nec est simile de *dare vitam* et *operari*, quod, scilicet, sicut est principium *vi-*

vendi per essentiam, ita est principium *operandi* per essentiam, etc.; quia anima est principium *formale* quo vivum est *vivum*, quia ipsa formaliter dat esse vivum; sed anima est principium *operationis* secundum quod reducta ad genus causae *efficientis*, et sicut ars se habet ad effectum, scilicet, in genere principii effectivi. — *Oxon.* II. d. 16. n. 6. — Cum * ergo * dicitur: anima secundum essentiam est actus; igitur sicut est principium *vivendi*, est principium *operandi*, verum est uno modo sic, et alio non sic, quia quantum ad *immediationem* simile est; quantum ad aliud dissimile, quia est principium *operandi* non formaliter, sed *effective*, et est principium *vivendi formaliter*. — *Report.* ib. n. 5.

Anima quia immaterialis, ideo intellectualis. — Anima, quia immaterialis est, est receptiva cuiuslibet intellectionis. Ipsa etiam est activa cuiuscumque intellectionis obiecti alterius a se ut causa partialis, et activa intellectionis de se ut totalis causa, quia ut cognoscens et ut cognita, secundum Augustinum, *IX. De Trinit., cap. ult.* — Sed ex immaterialitate eius non sequitur, quod ipsa sit *totalis* causa cuiuscumque intellectionis obiecti alterius ab ipsa. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 41. — Vid. *Immateriale omne est supra se conversivum.*

Anima rationalis medium est inter substantias corporeas et pure intelligibiles. — Potest intelligi de *medio* in *essendo*, et verum est, quia quodammodo anima coniuncta habet esse medium inter substantiam separatam et esse corporeum; et tunc conclude: ergo anima separata quando recedit a corpore in essendo magis accedit ad substantiam separatam in modo essendi. Sed ex hoc * non sequitur *, quod magis accedat in recipiendo influxum eius pertinentem ad *operationem*; et si ad hoc deduceretur ratio, manifestum est, quod non concludit, tunc enim anima separata magis esset capax talis influentiae quam ipsa coniuncta corpori glorioso, quia coniuncta corpori glorioso magis accedit ad corpus secundum *esse* quam ipsa separata, imo magis, hoc est, *perfectius*, quam ipsa coniuncta corpori corruptibili. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 2. n. 9. — *Report.* ib. n. 14. — Ex hoc patet quomodo anima separata dicitur imperfecta in *essendo*, quia eo modo quo ipsa est unita potest dici perfecta in *essendo*, non *essentialiter* et *primarie*, sed *participative;* suo quidem proprio esse est aeque perfecta separata et coniuncta, sed coniuncta perfecta est esse totius *participative*, licet non *primarie*. — *Quodlib.* q. 9. n. 18.

Anima semper novit seipsam. — Cum dicit Augustinus *animam semper nosse se*, dico, quod non intelligit quod ille actus sit actus *secundus* elicitus, quia inconveniens esset ponere actum secundum semper in nobis, et perfectum, et tamen quod lateret nos. — Sed dicitur pro tanto quod semper novit, quia semper est in actu *primo* ad intellectionem immediate et ultimate dispositum, quantum est ex parte sui, ad intellectionem; et non sic est semper actu ad aliud a se, licet haberet speciem lapidis concreatam, quia *X. De Trinitate, cap. ultimo*, dicit, quod mens est in actu primo perfecto et immediato ad intellectionem sui, quomodo non est in actu respectu alterius intelligibilis, quia non ita ex natura sua immediate se haberet ad intellectionem lapidis sicut ad intelligendum se, quia perfectum intelligibile et intellectivum actu unita semper causant intellectionem in actu, quolibet impedimento ablato; et ita anima, quantum est de se, semper per se cognosceret, nisi esset iste ordo immediatus ad phantasma in isto statu miseriae. — *Report.* II. d. 3. q. 3. n. 14. — Concedo * ergo *, quod anima de se actu intelligibilis est et praesens sibi; et ex hoc sequitur, quod possit intelligere se, si non esset impedita; nihil enim deficit actui *primo*, neque ex parte unius causae, neque ex parte ambarum, neque a parte unionis earum, et ita totus actus *primus* de se perfectus est, ad quem debet sequi iste actus *secundus*, qui est *intellectio*. Et forte propter hoc dicit frequenter Augustinus, quod *anima novit semper se*, propter istam propinquitatem ad actum noscendi, ubi nulla est imperfectio in actu primo. Hoc autem modo anima non semper novit lapidem, quia etsi semper habeat actum perfectum intelligendi lapidem ratione suae propriae cau-

salitatis partialis, non tamen semper habet aliam causam partialem in actu praesentem; et ideo potest dici, quod quandoque est in potentia essentiali ad intelligendum lapidem, quando, scilicet, caret ista forma, qua tamquam alia partiali causa nata est esse in actu et in actu uniri sibi. — *Oxon.* ib. q. 8. n. 13. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 15. per tot.

Anima sensitiva est in intellectiva sicut trigonum in tetragono. — Philosoph., *II. De Anima,* vult, quod *sensitiva est in intellectiva sicut trigonum in tetragono.* — Dico, quod Philosophus loquitur ibi specialiter de sensitiva et vegetativa et intellectiva. — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 17. — Sensitiva autem et vegetativa in homine eadem anima est cum intellectiva. — *Ib.* IV. d. 44. q. 1. n. 4. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 9. seqq.

Anima separata et coniuncta habent idem obiectum naturaliter. — Idem est obiectum naturaliter correspondens *potentiae* in anima coniuncta et separata; sed anima coniuncta pro statu isto viae non potest exequi actum suum. Et ideo si loquimur de obiecto circa quod *potest* coniuncta et separata *exequi* actum suum, non est idem obiectum. Quod patet in anima coniuncta, cuius pro statu isto ligatur potentia, ut non possit nisi circa quidditatem sensibilem vel sensibilium. Sed hoc non est ratione potentiae; alias nunquam intelligeret nisi tales quidditates, et sic non posset intelligere, nec cognoscere Deum, nec substantias separatas, quod nullus ponit. Igitur quod nullo modo possit huiusmodi intelligere, non est ratione *potentiae,* sed ratione *status* et modi intelligendi. — *Report.* IV. d. 45. q. 4. n. 2. — Vid. *Intellectu (in) nihil est quin prius fuerit in sensu = Intellectus separati et coniuncti idem est obiectum primum = Phantasma se habet ad intellectum sicut sensibilia ad sensum.*

Annihilare solius Dei est. — *Solius Dei est annihilare,* quia annihilare non est agere positive, sed non agere, id est, non conservare; solius autem Dei est conservare totam creaturam et totaliter. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 33.

Annihilari praestat quam peccare. — Anselmus, *Cur Deus homo,* lib. 1. cap. 21: *Fateri me necesse est, quia pro tota creatura nihil deberet * homo * facere contra voluntatem Dei, sed annihilari eligendum esset;* arguit de miseria *culpae,* et hoc concedo. — *Oxon.* IV. d. 50. q. 2. 13.

Antecedente volito, non ideo quis vult consequens. — Non oportet, quod velit *consequens,* etsi vult *antecedens,* quando consequens non est de *per se intellectu* antecedentis; cuius ratio est ista: quia sicut ad *scire antecedens* non sequitur *scire consequens,* nisi sciatur consequentia huius ex illo, ita ex *velle antecedentis* non sequitur *velle consequentis,* nisi sit velle huius consequentiae. Si enim vel nesciatur consequentia, vel non sit velle consequentiae, non oportet propter velle *antecedens* velle *consequens.* — *Oxon.* II. d. 6. q. 1. n. 7.

Appetibile primum causa est omnium appetibilium. — Primum appetibile *in se* est causa omnium appetibilium; non tamen *in ordine ad potentiam,* nisi sit potentia talis, quae non potest nisi ordinate velle, vel tendere in obiectum: talis autem non est voluntas ut est libera. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 10. n. 16. — *Report.* ib. q. 9. n. 19.

Appetibilium est aliquod supremum et infinitum. — Inter omnia naturae intellectualis appetibilia aliquod essentialiter et simpliciter est supremum. Hoc probatur . . . Et sequitur *corollarium:* quod istud est infinitum; quia cuicumque non repugnat infinitas, illud non est simpliciter supremum nisi sit formaliter infinitum: appetibili vel volibili non repugnat infinitas, cum illud vel sit perfectio simpliciter, vel concomitetur convertibiliter aliquam perfectionem simpliciter: perfectioni autem simpliciter non repugnat infinitas, quia tunc in aliquo, puta simpliciter infinito, esset simpliciter melius non ipsum quam ipsum, quod est contra rationem *perfectionis simpliciter.* Patet *Monol.* 14 et 15.

Ex hoc autem *corollario* potest e converso inferri, * quod * si aliquod appetibile vel volibile potest esse infinitum, et infinitum non potest excedi, ergo aliquod potest esse volibile simpliciter supremum; et si potest esse, ergo est; quia si non esset, et posset esse, non posset esse nisi ab alio in

essentia, et ita non esset simpliciter supremum in aliqua perfectione simpliciter. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 19.

Appetitui naturale est ferri in suum appetibile. — Naturale est unicuique appetitui ferri in suum appetibile; et si est appetitus non liber, naturale est ei summe ferri quantum potest, quia sicut talis appetitus, secundum Damascenum, 24, ducitur et non est in potestate sua ejus actus, ita non est in potestate eius intensio actus, quin agat quantum potest. — *Oxon.* II. d. 29. n. 3. — Cf. ib. d. 25. n. 22.

Appetitus est in anima ad corpus et e converso — *Aliquis appetitus est in anima ad corpus* tamquam ad proprium perfectibile, vel saltem e converso in materia, sicut in proprio perfectibili, ad formam illam, scilicet, animam. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 3. n. 9.

Appetitus inhiantis fit amor fruentis. — Frequenter evenit, quod tam in bonis quam in malis actus desiderii qui est respectu absentis est remissior actu illo qui est praesentis, quem Augustinus vocat amorem, *IX. De Trinit.* cap. ult., dicens, quod *appetitus inhiantis fit amor fruentis.* — *Quodlib.* q. 18. n. 2. — Cf. *Oxon.* III. d. 26. n. 2. — IV. d. 49. q. 6. n. 6. — *QQ. Mataph.* l. I. q. 2. n. 8. — *Report.* I. d. 1. q. 5. n. 4.

Appetitus naturalis non est frustra *(De Rer. Princ.* q. 10. n. 6). — Licet illud sit frustra quod caret perfectione sua et frustratur ea secundum *totam speciem,* non tamen est frustra si caret illa in *aliquo individuo,* ut patet in orbatis et monstruosis. Illi autem qui ponunt omnes Angelos differre specie habent ponere appetitum secundum speciem esse frustra, quia impossibilis est eis * (Angelis damnatis) * consequi perfectionem suam. — *Oxon.* IV. 49 q. 10. n. 11. — *Report.* ib. q. 9. n. 13.

Appetitus sensitivus naturaliter appetit. — Sicut sensus naturaliter sentit, ita *appetitus sensitivus naturaliter appetit.* Unde secundum Ioannem Damascenum lib. II, * cap. 29. *, bruta in suis actionibus non agunt, sed aguntur. — *Oxon.* I. d. 3. q. 9. n. 8. — Ex hoc movetur appetitus sensitivus sic * (effective ab appetibili), * quia non est liber, sed alius * (intellectivus) * est liber. Unde Damascenus lib. II. c. 22 e 23. dicit, quod *sensitivus ducitur et non ducit, sed intellectivus ducit et non ducitur.* — *Ib.* II. d. 25. n. 21. — Sicut * igitur * in potestate appetitus sensitivi non est delectari, quia non ducit, sed ducitur, ita nec modus delectandi; ergo summe quantum potest delectatur in summo delectabili sibi praesenti. — *Ib.* d. 32. n. 4.

Appetitus sensitivus non est persuasibilis. — *Appetitus sensitivus non est persuasibilis* a ratione, *sed obedibilis* rationi; et haec verba bene possunt ponderari, quia *liberum* bene *est persuasibile, non* proprie *obedibile;* appetitus autem sensitivus, quia non est liber, non est persuasibilis, *sed obedibilis* imperio voluntatis. — *Oxon.* III. d. 33. n. 4.

Appetunt omnia suum finem. — *Omnia appetunt suum finem.* — Dicendum, quod perfectiones omnium entium sunt quaedam imitationes Primi Principii; et ideo cum unumquodque appetat suam perfectionem, quodammodo appetit suum principium, et hoc sive appetat appetitu naturali, sive rationali, sive sensitivo. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 28. n. 4.

Approbare vera pro falsis est naturae lapsae, non institutae. — Loquendo de ignorantia quae est error, sic non peccavit * Adam * ex ignorantia, quia error non praecessit, ita, scilicet, quod crederet illud factum esse bonum, vel bonum ex hoc sequi; quia, ut dicit Augustinus, *III. De Lib. Arb., approbare vera pro falsis est naturae lapsae, non istitutae.* — *Oxon.* II. d. 22. n. 2.

Arbor bona non potest malos fructus facere. — Salvator * (*Matth.,* c. VII) * intelligit per *arborem* actum *interiorem,* et per *fructum* actum *exteriorem;* et increpat hypocritas, id est, Pharisaeos, monens eos, ut conforment actus exteriores interioribus, et e converso, ut, scilicet, appareant quales sunt, et e converso. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 19. — *Arbor bona* vocatur *voluntas interior* vel *actus interior; opera exteriora* vocantur *fructus.* Et boni actus interiores non causant mala opera, nec e contra; quam-

quam mala voluntas possit causare quaedam opera exteriora *similia* bonis operibus. — *Report.* II. d. 34. n. 16.

Ars est circa factibilia quod prudentia circa agibilia — Sicut ars se habet ad factibilia, sic prudentia ad agibilia, quia ars est recta ratio factibilium. — *Coll.* I. n. 19. — Dicendum, quod in aliquo est similitudo, scilicet, quod sicut *prudentia* est habitus cognoscitivus circa *agibilia,* sic *ars* circa *factibilia;* et est in aliquo dissimilitudo, scilicet, quod ipsa *prudentia* non generatur in anima nisi ex actibus nostris, ideo nullus est prudens quin fuerit expertus; *ars* autem generatur per experimentum et per doctrinam sine experimento, et sic potest aliquis habere artem, qui non est expertus, et sic minus certe operari quam expertus, cum minus certe cognoscat operabile per se. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 5. n. 3. — Potest dici, quod *sicut ars respicit factibilia, ita prudentia agibilia;* nec erit maior connexio agibilium ut respiciantur ab unò habitu quam factibilium; sicut ergo diversa factibilia requirunt diversas artes proprias, ita diversa agibilia diversas prudentias proprias; et sicut aliquis potest esse moraliter bene affectus circa aliqua agibilia et male circa alia, etiam in dictando potest esse habituatus ad recte dictandum circa ista, et non circa illa, cum nec circa illa habeat principia ad dictandum de illis, nec conclusiones sequentes ex eis. — *Oxon.* III. d. 36. n. 22. — Cf. Prol. q. 4. n. 4 et 44.

Quia *prudentia est habitus cum vera ratione activus,* sicut *ars est habitus factivus,* ex *VI. Ethicorum,* ubi etiam Philosophus separat prudentiam a *sapientia* et *scientia* et ab intellectu, per hoc quod prudentia est activa. — *Coll.* VI. n. 1. — Dicendum, quod prudentia dicitur activa et ars factiva, non quia sit principium agendi aut faciendi proprias actiones potentiae in qua sunt, tunc enim scientia et alii habitus speculativi essent principium activum respectu propriarum operationum; sed ideo dicuntur isti duo habitus speculativi, quia dirigunt circa operationes exteriores, quomodo non faciunt habitus speculativi; prudentia enim dirigit circa habitus virtutum moralium, qui actus sunt in voluntate aut in appetitu sensitivo; ars autem dirigit circa operationem transeuntem in exteriorem materiam. — *Ib.* n. 12.

Ars imitatur naturam. — Ut dicitur *II. Physicor.* text. c. 22, *ars imitatur naturam;* nam, ut ibi dicitur, si natura faceret domum vel navem, faceret eam sicut facit ars; sicut enim natura est agens intrinsece, sic ars extrinsece. — *De Rer. Princ.* q. 8. n. 17. — Cf. ib. q. 17. n. 28. — *Physic. II., exposit.* text. 22. n. 16, et text. 79. n. 16.

Auctore nullo sapiente fit homo deterior. — Augustinus, in libro *LXXXIII Quaestionum,* q. 3: *Nullo sapiente auctore fit homo deterior;* igitur multo magis Deo auctore, cum Deus maior sit omni sapiente, non fiet homo deterior. Sed qui addit malum * poenae * malo * culpae * facit totum deterius, sicut addens bonum bono facit totum melius, *Topic.* 3. — *Report.* IV. d. 46. q. 1. n. 1. in *argum.* — Ad * istud * argumentum, quando dicitur quod *nullo sapiente fit homo deterior,* dicendum, quod Augustinus loquitur ibi de malo *culpae,* non de malo *poenae.*

Sed dices, quod iste damnatus, et sic punitus, est simpliciter deterior propter poenam damnationis. — *Respondeo,* quod, stante primo malo, scilicet, *culpae,* iste non est simpliciter deterior, loquendo de bonitate in ordine ad bonum *universi,* non tamen loquendo de bonitate *sibi propria.* — *Exemplum* patet in natura: nam defectus visus in caeco nato maius bonum fuit in ordine *universi,* quam si vidisset in nativitate; tunc enim non fuisset factum miraculum a Christo in illo caeco nato, nec per eum aliqui credidissent fideles; licet caecitas non esset *sibi* tantum bonum simpliciter sicut visus. — Ista igitur stant simul, scilicet: quod aliquid sit *malum isti,* et quod *simpliciter* sit *bonum* in ordine *universi.* Sic autem est in proposito; nam iste sic punitus et damnatus habet modo bonum, id est, poenam debitam et convenientem pro peccato, et prius non habebat hoc quod congruebat illi; modo tamen habet, quando est ei poena inflicta, licet *sibi* non sit bonum, est tamen bonum in ordine *universi.* —

Report. IV. d. 46. q. 4. n. 24. — *Oxon.* ib. n. 19.

* Vel * intelligit Augustinus, quod *sapiente auctore non fit homo deterior;* quia sapiens, inquantum sapiens, nunquam potest esse *primum* subtrahens rectitudinem; sed bene potest esse *secundum* subtrahens propter demeritum primi subtrahentis. — *Report.* II. d. 37. q. 2. n. 14. — Cf. *Oxon.* ib. n. 12 et 16.

B

Beati omnes esse volumus. — Ultima perfectio naturae viventis a tali natura summe desideratur desiderio *naturali;* de quo intelligi potest illud Augustini, *XIII. De Trinit.*, cap. 4: *Beati omnes esse volumus* (1); quod semper verum est, sive de beatitudine actu cogitemus, sive non; et tamen sine *actuali* cognitione non est in nobis *actuale* velle voluntatis. — *Quodlib.* q. 13. n. 3. — Augustinus non intelligit de volitione *actuali*; loquitur ergo de volitione *habituali* et *aptitudinali,* qua, videlicet, ipsa voluntas prona est, ut statim inclinetur ad actum volendi beatitudinem, si actualiter offeratur sibi ab intellectu. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 19. — Quando dicitur, * secundum Augustinum *, (*XIII. De Trinit.* cap. 8): *Beati omnes esse volumus*, verum est appetitu *naturali,* vel appetitu *libero ut in pluribus.* — *Report.* IV. d. 49. q. 9. n. 17. — Si intelligitur de appetitu *naturali,* verum est; si autem pro appetitu *libero,* actu, scilicet, *elicito,* non est verum universaliter, sed *in pluribus.* — *Oxon.* ib. q. 10. n. 14. — Duplex est * enim * appetitus sive voluntas, *naturalis* et *libera.* Potest enim voluntas considerari ut est quaedam *natura,* et inquantum habet inclinationem et appetitum naturalem ad suam propriam perfectionem, sicut quaecumque alia natura, * vel * inquantum appetit *libere.* — De appetitu non *libero,* sed *naturali,* apparet, quod voluntas *necessario,* sive *perpetuo,* et *summe* appetit beatitudinem, et hoc in particulari. — *Report.* IV. d. 49. q. 9. n. 5.

De appetitu *libero* dico, quod contingenter vult finem et beatitudinem, tam in universali, quam in particulari, quamvis *ut in pluribus* appetat beatitudinem in universali, et etiam beatitudinem in particulari, quando intellectus prius non dubitat, quod beatitudo consistat in illo particulari. Unde si aliquis appetat beatitudinem, et simul credat quod beatitudo simul consistat in fruitione essentiae divinae ut in tribus Personis, pro tunc vult illum finem in particulari appetitu libero, sed non eodem vult media quibus attingitur ille finis, quia non vult virtuose vivere. — *Ib.* n. 8. — *Oxon.* ib. q. 10. n. 6. Vid. *Voluntas in beatitudinem tendit.*

Beatitudinem ardentissime omnes appetunt. — Natura rationalis summe diligit beatitudinem, sicut colligitur ab Augustino, *XIII. De Trinit. cap. 5.* — *Oxon.* III d. 27. n. 11. — * Hoc * non est verum, nisi loquendo de ipsa in universali, non determinando illud in quo consistit. — *Ib.* n. 12. — Inter concupita ipsi amanti beatitudo maxime concupiscitur, sed non maxime diligitur. — *Ib.* — Quando arguitur, quod *omnes ardentissimo amore beatitudinem appetunt,* dicendum: appetitu *naturali,* vel *libero ut in pluribus.* — *Report.* IV. d. 49. q. 9. n. 17. *Oxon.* ib. q. 10. n. 14. — Cf. *Coll.* XIX.

Beatitudinem (propter) omnia appetuntur. — Loquendo de appetitu *naturali,* voluntas quidquid appetit, appetit propter beatitudinem: quia secundum appetitum naturalem appetit secundum quod est perfectio eius: sed quaecumque perfectio appetitus naturalis est eius perfectio in ordine ad ultimatam eius perfectionem, et ideo cum appetitu naturali appetat quidquid appetit, in ordine ad bonum appetit, et hoc est beatitudo eius, sequitur, quod quidquid voluntas appetit naturali appetitu, illud appetat propter beatitudinem.

(1) « Dicimus, quod voluntas necessario appetit beatitudinem, sicut finem. Unde Augustinus, *XIII. De Trinit.* c. 5, dicit: *omnes beati esse volunt, idque unum ardentissime appetunt, et propter hoc caetera quaecumque appetunt* ». — *De Rer. Princ.* q. 4. n. 26.

Si autem quaestio quaerat de appetitu voluntatis, prout est actus *elicitus*, sic dico, quod non oportet, quod voluntas appetat quidquid appetit propter finem ultimum, et propter beatitudinem *negative* et *contrarie*. — *Negative*, quia potest appetere aliquid, et non considerare de fine ultimo beatitudinis, et per consequens tunc non appetit propter beatitudinem, cum non cognoscat eam tunc. Similiter potest appetere aliquid non ordinando illud ad aliud; igitur tunc non appetit propter beatitudinem. — Potest etiam appetere aliquid non propter beatitudinem *contrarie*, quia potest appetere aliquid quod habet contrarietatem ad beatitudinem, vel non ordinatur ad beatitudinem, quia potest aliquis fidelis concipere beatitudinem in particulari, ut quod sit respectu fruitionis essentiae divinae, quae una est in tribus Personis, et potest concipere aliquid quod nullo modo ordinatur ad illam beatitudinem, ut fornicationem; stante igitur ista apprehensione de fornicatione, quod nullo modo sit ordinabilis ad beatitudinem, potest appetere fornicationem; sed sic appetendo fornicationem, non appetitur in ordine ad beatitudinem; potest igitur voluntas appetere aliquid non propter beatitudinem. — *Report*. IV. d. 49. q. 9. n. 18. — *Oxon*. ib. q. 10. n. 15.

Beatitudo est finis omnium desideriorum. — Potest accipi *beatitudo* pro aliqua perfectione permanente et intensa, non tamen praecise sistendo in perfectione *intensionis*, sed includendo etiam perfectionem *extensionis*. — *Oxon*. IV. d. 49. q. 6. n. 19. — Beatitudo primo modo accepta est finis omnium desideriorum, sic quod unitive ex parte obiecti includit omne desiderabile, sicut saepe dictum est, quod in definitione Augustini *quidquid vult*, etc. (1), *quidquid* non accipitur ibi *distributive*, sed pro uno *unitive* continente omne recte volibile. — Beatitudo secundo modo includit finem desideriorum, non tantum sic unitive intensive, sed etiam extensive quantum ad durationem, intelligendo extensionem vel realem vel virtualem, hoc est, indeficientiam in essendo. — Breviter tamen argumentum *hoc*, licet sit cuiusdam Doctoris, peccat in forma: est finis omnium desideriorum; ergo includit per se omnia desiderata, non sequitur; sed sequitur: ergo includit vel praeexigit quodcumque requisitum necessario in ordine desideriorum complendorum. — *Ib*. n. 20.

Beatitudo est gaudium de vita beata. — Illa propositio Augustini *(*X Confess.*)*, et consimiles propositiones sunt verae *causaliter*, non *per essentiam*. Beatitudo autem est causa quietationis et delectationis quae consequitur actus beatificos. Est autem quaedam vita, et beata, quia est in voluntate ut est passionum receptiva. — *Oxon*. IV. d. 49. q. 7. n. 4. — Unde in vita beata gaudium et fruitio erunt simul; et sic intendit Augustinus, quod gaudium erit vita beata, scilicet, cum fruitione, quam consequitur gaudium et delectatio. — *Report*. ib. q. 6. n. 5.

Beatitudo in operatione consistit. — Dico, quod *beatitudo consistit in operatione*: vel *essentialiter*, si beatitudo accipiatur pro *perfectione* quae est ratio coniunctionis ad obiectum beatificum; vel *proxime fundamentaliter*, si beatitudo accipiatur pro ipsa *coniunctione*, ita quod excepta relatione ad obiectum beatificum, ultimata perfectio intrinseca beati et proxima obiecto beatifico est *operatio*.

Hoc probatur: quia nulla perfectio intrinseca beati est beatitudo, nisi pro quanto immediate coniungit perfectivo extrinseco, quod est obiectum beatificum: sed excepta relatione, immediatissimum coniungens est operatio; ergo etc. — *Maior* patet: quia non potest alicui esse complete et ultimate bene, nisi habendo illud quod est summe volendum: illud est quasi perfectivum extrinsecum, vel quasi extrinsecum. *Quasi* dico, pro Deo, ubi obiectum beatificum est idem cum ipso beato. Non autem habetur perfectissime illud summe volendum, nisi immediate coniungatur illi: beatum esse est summe sibi bene esse; ergo nullius beatitudo consistit in aliquo, nisi quo perfectius et immediatius coniungitur illi summe volendo. — *Minor* probatur: quia nec essentia, nec potentia coniungitur illi extrinseco perfectivo, nisi per *operationem*, quae talis

(1) Vid. DISTINCTIONES: *Beatitudo*.

perfectio intrinseca est; quod tamen non sistit in se et ad se, sed per se tendit in obiectum, etiam immediate excludendo quamcumque formam absolutam mediam.— *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 27.

Breviter: sic beato est simpliciter perfecte bene: nulli est sic bene, nisi in simpliciter perfecto bono perfecte habito, ut est sibi possibile; nulli alii ab illo potest sic esse bene in illo, nisi immediate attingendo illud: illud non potest attingere, nisi per operationem; ergo in ista attingentia immediata illius boni, seu in coniunctione immediata ad illud bonum consistit beatitudo completive; in ista autem operatione tamquam in proximo fundamento. — *Ib.* n. 31. — *Report.* ib. q. 1. n. 6 seqq.

Beatitudo non est nisi quia satiat et quietat beatum: haec quietatio non potest esse nisi per coniunctionem ad obiectum beatificum: coniunctio autem non est nisi per actum aliquem, qui tantum est potentiae. — Et haec est sententia Philosophi ponentis, quod beatitudo est in actu. — *Oxon.* II. d. 26. n. 4.

Beato est simpliciter perfecte bene. — Quia beatitudo est perfectio rei secunda, non prima: perfectio autem secunda proprie exprimitur per hoc quod est *bene esse,* nam *bene esse* praesupponit bonitatem primam alicuius, cui bene sit. Ita quod beatitudo dicit perfectionem secundam excludentem imperfectionem, et privativam et negativam, tamquam perfectio secunda suprema, saltem in genere. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 32.

Beatus nemo falsa opinione est. — Quia stultius nihil potest dici quam quod falsa opinione anima sit beata, secundum Augustinum, *XI. De Civit. Dei, cap. 4.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 3. — IV. d. 44. q. 2. n. 3.

Benefaciens plus afficitur beneficiato quam e converso. — Unusquisque naturaliter diligit suum opus quam e converso, ex *VIII. Ethicor. et IX;* et pro hoc assignatur ratio quod *benefaciens plus afficitur beneficiato quam e converso.* — *Oxon.* III. d. 4. n. 3.

Bono per essentiam est fruendum. — Vid. Distinctiones: « *Per essentiam* » *dupliciter accipitur.*

Bonum bono additum facit maius bonum. — Per hoc, quod plura bona excedunt in bonitate idem bonum unum, et hoc quando in quolibet istorum plurium est aequalis bonitas sicut in uno illorum. — *Et si dicas,* quod sic argueretur, quod Deus et creatura excedunt Deum, *non valet:* quia quodlibet illorum plurium non est aeque bonum cum uno illorum, et inde est, quod bonitas cuiuscumque illorum alterius ab illo uno eminenter continetur in illo uno, et ideo ipsum cum illo bono acceptum non auget, neque excessum facit super illud bonum in se. — *Quodlib.* q. 5. n. 8. — Duo vero bona aequalia sunt meliora altero; ergo in eis est maior bonitas. — *Ib.* q. 20. n. 9. — Sunt enim singulorum corporum animatorum singulae animae, et illae habent bonitatem naturalem magis extensive quam una ex eis, imo aequivalentem bonitati magis intensae, secundum illud *VII. De Trinit.* vel 24: *Plus aliquid sunt duo homines quam unus homo.* — Et per hoc distinguitur pluralitas in Divinis a pluralitate in creaturis, quia plus aliquid sunt hic duo quam unum; non sic ibi; unde suddit: *Non maior est Pater et Filius simul, quam solus Pater.* — *Ib.* q. 20. n. 8.

Bonum commune praeferendum particulari. Semper *bonum commune praeponendum est bono particulari;* et si unum alteri repugnat, magis debemus velle bonum particulare non esse quam commune. — *Report.* III. p. 30. n. 7. — *Oxon.* ib. n. 6. — Probatur evidenter, quod bonum commune, secundum rectam rationem, est magis diligendum quam bonum proprium; quia totum bonum proprium debet homo exponere destructioni simpliciter, etiamsi nesciat animam immortalem, propter salvationem boni communis: et illud magis diligitur simpliciter, propter cuius salutem esse alterius contemnitur vel negligitur. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 22.

Bonum diuturnius est melius. (Philos. III Topicor.). — Intelligenda est illa consideratio *caeteris paribus.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 31. — Non quod *diuturnitas* addat de se aliquam rationem bonitatis, etsi ex ratione sua dicitur diuturnum. — *Report.* ib. q. 1. n. 9.

Bonum est potentius quam malum. (Dionys. *De Divin. Nom.* cap. 4). — Dico,

quod licet bonum est efficacius quam malum, quia parum facere de bono est maioris potentiae et virtutis quam multa mala facere, tamen malum aliquod potest pluribus obesse quam bonum aliquod prodesse. — *Oxon.* II. d. 20. q. 1. n. 4. — *Report.* ib. n. 5.

Bonum et finis idem. — Vid. DISTINCTIONES: *Bonum honestum-utile*, etc. — Cf. *Oxon.* IV. d. 31. n. 4. — *De Rer. Princ.* q. 1. n. 25. — *Exposit in Metaph. Arist.* l. V. 1. un. c. 15. n. 120.

Bonum et malum non sunt in genere, sed sunt aliorum genera. (Per Philosophum, in *Praedicamentis*, tract. 2. cap. 1). — Potest dici, quod quia Philosophus dicit, in text. 15 (1), quod *habitus* et *privatio* sunt prima contrarietas, eo quod inter omnia contraria unum est privatio alterius, et *imperfectum*, respectu boni, cuius est privatio, quoddam *malum* est, ideo dicit Philosophus, quod *bonum* et *malum* sunt genera, non quorumcumque, sed *contrariorum;* non tamen quia vere sunt genera, sed quia *communiora* sunt quam contraria. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 15. n. 3.

Bonum et malum sunt opposita. — Non sunt *privative* opposita circa actum, loquendo de bonitate et malitia morali, vel etiam loquendo de bonitate et malitia meritoria et demeritoria; non enim est actus malus ex hoc solo quod caret bonitate tali vel tali, sed quia caret bonitate quam debet habere; non autem omnis actus debet habere talem bonitatem. — *Oxon.* II. d. 41. n. 5. Vel dicam, quod bonitas et malitia, et moralis et gratuita, sunt contraria *mediata* circa actum humanum. — *Report.* ib. n. 4.

Bonum et perfectum idem. — Vid. DISTINCTIONES: *Bonum-perfectum*, etc.

Bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu. — Dionysius, *De Divinis Nominibus*, part. 4: *Bonum est ex una et tota causa, malum autem ex particularibus defectibus:* tota, inquit, causa, hoc est, integra ex omnibus circumstantiis. — *Quodlib.* q. 18. n. 6. * *Ubi circumstantias describit et explicat.* * — Secundum Dionysium et secundum Philosophum, *II. Ethicor.*, oportet simul omnes circumstantias concurrere in actu quocumque morali ad hoc, ut sit bonus moraliter: sufficit tamen defectus unius et cuiuscumque circumstantiae ad hoc, ut sit malus moraliter. — *Oxon.* I. d. 48. n. 2.

Bonitas actus volendi potest esse triplex: vel bonitas *naturalis;* et illa est secundum gradum naturae cuius est ille actus, ita quod in genere naturae melior est unus actus alio bonitate naturali. — Alia est bonitas actus volendi *gratuita*, secundum inclinationem charitatis et illorum coagentium, ad hoc quod actus sit gratuitus. — Tertia bonitas actus volendi est bonitas *moralis*, quae est media inter bonitatem naturalem et gratuitam; quia bonitas moralis est in actu quando est conformitas ad finem secundum rectam rationem; sed tamen secundum inclinationem ultimam naturae suae deficit a bonitate *gratuita*, in hoc quod non sufficit quantumcumque fiat secundum dictamen rationis ad hoc, quod sit actus acceptus Deo, nisi adsit charitas; ideo non sufficienter ex nobis possumus habere actum gratuitum. — Bonitas ista moralis duplex est: vel ex bonitate actus ex *genere*, vel ex bonitate completa in *specie*. — Primo modo dicitur actus bonus ex genere ab *obiecto*, non absolute, sed bonitas ex genere est ex obiecto conveniente actui *secundum rectam rationem*. Tamen huiusmodi actus non semper est bonus moraliter *complete* vel formaliter; quia si aliquis ametur secundum rectam rationem quantum ad circumstantias finis, non tamen accipiendo omnes alias circumstantias requisitas, ut *quomodo, quando* et *quare*, tantum est bonus moralis ex genere; et hoc non sufficit ad hoc quod sit *complete* bonus; sed est ad hoc in potentia ad ulteriores perfectiones, sicut genus in potentia ad differentias per quas contrahitur; et ideo est potentialis, vel bonus ex genere, vel bonus ex obiecto. — Sed quando est ex *omnibus circumstantiis* quae dictantur a recta ratione, dicitur bonus *formaliter* et *complete*, licet non sit *gratuitus*. — *Report.* II. d. 7. q. 3. n. 27. — *Ib.* d. 40. n. 2. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3.

(1) Cf. Exposit. Doctor. in *Metaph. Arist.* n. 41.

nn. 3 et 12. — II. d. 7. n. 11. seqq. — d. 10. n. 2-3. — *Quodlib.* q. 18. n. 8. — *Miscell.* q. 3. nn. 10 et 15. — Una igitur causa non sufficit ad bonitatem actus, imo oportet ut sit unus actus bonus ex bonitate multarum causarum. Unde bonitas est ex causa *integra,* et propterea requiritur quod sit a *voluntate,* et *debito obiecto,* et quod habeat *finem debitum,* et similiter *modum,* et consequenter etiam *alias circumstantias* quae requiruntur. — *Report.* II. d. 40. n. 4. — Vid. Distinctiones: *Actus bonus naturaliter-moraliter,* etc. = *Bonitas et malitia triplex.*

Bonum duntaxat infinitum voluntatem quietare potest. — Est contra rationem boni, quod sit infinitum, et non quietativum cujuslibet voluntatis. — *Oxon.* t. d. 2. q. 3. n. 4. — Nullum autem bonum sufficienter quietat appetitum, nisi sit infinitum bonum. — *Ib.* III. d. 26. n. 10. — I. d. 31. n. 2. — Licet * vero * solum infinitum bonum quietet voluntatem, et hoc inquantum infinitum bonum, non tamen oportet, quodlibet bonum finitum secundum gradum suum in bonitate magis et minus quietare, quia isti gradus sunt accidentales per comparationem ad extrinsecum quietandum. — *Ib.* III. d. 27. n. 22. — Vid. *Voluntas solo infinito bono quietatur.*

Bonum maius est magis diligendum. — Quando dicitur *maius bonum est magis diligendum,* dico, quod verum est *caeteris paribus.* Excluso igitur simpliciter Optimo, falsum est, quod omne melius sit magis diligendum, nisi sit aequalis unitas utriusque boni ad diligentem, quia dilectio fundatur in unitate. — Aliter potest dici, quod verum est *extensive,* non *intensive.* — *Oxon.* IV. d. 50. q. 6. n. 9. — *Ib.* III. d. 27. nn. 4-5.

Bonum non habet contrarium. — Vid. Distinctiones: *Bonum perfectumque duplex-Malum.*

Bonum opus intentio facit (Aug.). — *Intentio recta facit bonum opus* tamquam circumstantia *principalis,* non tamen ut *causa totalis.* — *Report.* II. d. 40. n. 4. — Quia etsi *finis* sit conditio principalior pertinens ad bonitatem actus, non tamen est sufficiens simpliciter. Loquendo etiam de bonitate *meriti,* quae addit super bonitatem *moralem,* illa est principaliter ex fine, quia supposita completa bonitate morali, superadditur bonitas meritoria ex relatione debita istius actus ad finem; quae relatio debita fit inquantum elicitur a charitate. — *Oxon.* ib.

Bonum primum si necessario ageret, nullum esset malum. — Cum dicitur, quod *nihil contrariatur primo bono,* et ideo nullum malum formaliter sibi oppositum est in natura, dico, quod illud non sufficit; quia si aliquid est infinitum, ita bene destruit repugnans *sibi virtualiter* sicut *formaliter,* et destruit omne repugnans *effectui suo,* si agat *necessitate naturali.* Ideo dico, quod si Primum sic ageret, omnino *nullum malum esset in entibus;* quia tunc induceret quantum bonum posset in quodcumque causatum: sed nullum causatum est natum recipere maiorem perfectionem quam posset Deus in ipso causare; igitur si Deus causat omnem perfectionem in entibus quam potest causare, quodlibet habebit tantam perfectionem et bonitatem quantam natum est recipere; igitur nihil erit malum in entibus, cum quodlibet sit ita bonum et perfectum sicut natum est esse. — Nunc autem Deus agit *voluntarie;* ideo non destruit omne malum quod posset destruere, nec inducit omne bonum quod posset inducere. — *Report.* II. d. 34. n. 15. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 19.

Bonum spirituale est indivisibile. — Bonum spirituale communicatur sine divisione quantitativa; secundum extensionem tamen communicatur cum distinctione, scilicet, aliud alteri, et ita requirit distinctum meritum propter quod reddatur; et hoc dico *aequale intensive.* — *Quodlib.* q. 20. n. 8. — Non ergo illud bonum spirituale realiter per partes datur in multis bonis minoribus, quae respectu illius boni habent partialem valorem. — *Ib.* n. 9.

Bonum summum est summe diffusivum sui. — Bonum dicitur communicativum sui, secundum Augustinum, I. *De Doctrina Christ.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 4. n. 11. — Cum arguitur, quod *summe activum est summe diffusum sui,* respondeo, quod verum est: quantum possibile est aliquid diffundi. —

Oxon. I. d. 2. q. 7. n. 8. — Summe bonum est summe communicativum, verum est: summi boni communicabilis. — *Report.* I. d. 2. q. 5. n. 2. — Bonum infinitum non potest communicari, nisi a Deo liberaliter se conferente. — *Ib.* III. d. 26. n. 10.

Bonum summum prae omnibus aliis bonis amandum. — Diligere Deum super omnia est actus conformis rationi naturali rectae, quae dictat optimum esse summe diligendum; aliquid enim est summe diligendum, et non nisi summum bonum, sicut nihil aliud a summo vero est maxime tenendum vel credendum tamquam verum apud intellectum. — *Oxon.* III. d. 27. n. 2. — August. VIII. *De Trinit.* cap. 3: *Pudeat cum alia non amentur nisi quia bona sunt, eis inhaerendo, non amare bonum ipsum unde bona sunt.* * Hoc * bene probat, quod ipsum *summum bonum magis amandum quam bona participata;* non tamen probat, quod sit primum amatum primitate *adaequationis,* quia etsi ipsum sit ratio bonitatis in aliis, et ideo ratio amabilitatis eorum, non tamen ipsum ut amatum est ratio aliorum amatorum. Potest enim aliquid aliud amari, non ipso amato; sicut in fruendo utendis patet, et utendo fruendis. — *Ib.* I. d. 3. q. 3. n. 27.

Bonum summum unicum est. — Dicendum, quod *summum bonum est unum.* Et hoc patet primo ex sui *simplicitate:* quia illud quo Socrates est *iste* homo non communicat multis, licet *homo* quo est *homo* communicet multis. Unde si idem esset illud quo Socrates est *iste homo* et quo *homo* est, sicut non est plures Socrates, vel sicut non sunt plures homines *hic homo,* sic homo non esset in pluribus: sed in Primo idem est quo est *suppositum* et quo est *natura;* et ideo necessario est unum.

Secundo patet idem ex eius *infinitate:* infinitum in se omnia comprehendit, quia extra infinitum nihil est; cum ergo Primum Principium sit infinitum, omnes perfectiones in se comprehendit: sed si aliud esset Primum Principium, aliquid conveniret uni quod non conveniret alteri, vel quod deficeret alteri, alioquin non essent duo; et per consequens in utroque esset aliqua imperfectio. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 29. n. 2.

* Praeterea *, voluntas ordinata potest appetere maius bonum et magis amare maius bonum: sed plura bona infinita, si sint possibilia, plus bonitatis includunt quam unum infinitum; ergo voluntas ordinate posset plus amare plura bona infinita quam unum, et per consequens in nullo uno bono infinito quietaretur; sed hoc est contra rationem boni, quod sit infinitum, et non quietativum cuiuslibet voluntatis. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 4. — Cf. ib. q. 2. n. 19 seqq.

* Seu aliter *: plura bona sunt meliora uno, quando unum alteri addit bonitatem: infinito nihil melius. — Iuxta hoc sic arguitur: quaecumque voluntas omnino in bono infinito unico quietatur: sed si esset aliud, posset rationabiliter velle magis ambo esse quam unicum; ergo non omnino quietaretur in unico summo bono. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 40. — Vid. ***Ens necessarium unicum est.***

C

Casus (quod est) Angelis, hoc est hominibus mors. — Damascenus, l. II. cap. 4.: *Quod est Angelis casus, hoc est hominibus mors.* — Est similitudo quoad hoc, quod Angelus cadens est in *termino,* non in via; sic et homo in morte. — Sed non oportet similitudinem esse quantum ad *stabilem permanentiam* in quocumque, sed in illo quod est *principale* in eo qui iam attingit terminum, cuiusmodi est *vita spiritualis* per gratiam, vel *mors spiritualis* per peccatum mortale; et sic qui moritur in vita gratiae semper vivet; qui vero moritur in peccato mortali semper permanebit. — Sed de peccato *veniali* non oportet esse talem stabilitatem, quia illud non est aliquid secundum quod per se attendatur status *bonus* vel *malus* viae vel termini, quia potest stare cum bono statu, et cum statu malo, tam viae quam termini; sed quando est cum

bono statu termini, oportet quod deleatur, antequam plene habeatur ultimus terminus. — *Oxon.* IV. d. 21. q. 1. n. 13.

* Vel aliis verbis *: Dico, quod verum est quantum ad *meritum* et *demeritum*, quod idem est in Angelis *casus*, quod hominibus *mors*, et e converso. Sed non sequitur ultra: igitur sicut casus Angelis est *irremissibilis*, ita et peccatum hominis; dico, quod non est simile, nisi concludat de peccato *mortali* in quo quis moritur, quia tunc sicut Angelus malus non est in via, sed in *termino*, sic et moriens in peccato *mortali* est in *termino*, et lignum aridum ubicumque ceciderit, ibi erit, ex statuto divino; moriens autem in peccato *veniali* non est in termino statim, quia tunc esset beatus cum peccato veniali; et ideo ad hoc quod habeat illum terminum, oportet per aliquam viam illud deleri; sic tamen est talis in termino, quod est securus de vita aeterna, et quod ultra non possit mereri vel demereri. Moriens autem in peccato *veniali* est *vivens* vita spirituali; moriens vero in peccato *mortali* est *mortuus* vita spirituali. — *Report.* IV. d. 21. q. 1. n. 11.

Causa ab aliqua non libera quidquid evenit frequenter est effectus eius naturalis. — *Quidquid evenit ut in pluribus ab aliqua causa non libera est effectus naturalis illius causae.* Quae propositio nota est intellectui, licet accepisset terminos eius a sensu errante; quia causa non libera non potest producere *ut in pluribus* effectum, ad cuius oppositum ordinatur, vel ad quem ex forma sua non ordinatur: sed causa *casualis* ordinatur ad producendum oppositum effectus casualis, vel non ad istum producendum; ergo nihil est causa casualis respectu effectus *frequenter* producti ab eo; et ita si non est *libera* est *naturalis*. Quod autem iste effectus evenit a tali causa producente *ut in pluribus*, hoc acceptum est per experientiam; quia inveniendo nunc talem naturam cum tali accidente, nunc cum tali, inventum est, quod quantumcumque esset diversitas accidentium talium, semper istam naturam sequebatur talis effectus; ergo non per aliquod accidens per accidens illius naturae, sed per naturam ipsam in se consequitur talis effectus. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 9.

Causa aeque determinata ad effectum semper aeque agit. — Fallit imaginatio, quia semper videtur, quod causa sit *indeterminata* usque ad illud instans quando causat, et tunc quod aliqua relatio *determinans* ipsam ad effectum primo requiratur a parte eius; quod falsum est: illud enim idem *absolutum* quod in causa praecessit, tam *natura* quam *duratione*, ipsum effectum productum vel causatum, est etiam in ea in illo instanti prius naturaliter quam causet, et secundum illud absolutum, secundum quod prius fuit *causativum*, est nunc *causans*, et non secundum aliquid additum, neque absolutum, neque respectivum. Quia causa aeque determinata ad producendum aliquod productum, quantum est ex parte sui, potest quandoque producere et quandoque non producere; quia sicut in *naturalibus* causam determinari ex parte sui est ipsam *habere formam qua causet*, ita in *liberis* causam esse determinatam est ipsam *habere volitionem* respectu volibilis; et sicut ibi forma haberi potest antequam effectus causetur, si tunc est impeditum extra vel absentia passi, ita quoque hic potest *volitio* haberi antequam *volibile* habeatur, et prius natura et duratione. — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. nn. 8-9.

Cum * itaque * dicitur, *causa aeque determinata ad effectum aeque agit nunc et prius*, dico, quod agens voluntarium potest esse determinatum ultimata determinatione, et tamen non aequaliter agere nunc et tunc, quia licet nunc sit ultimate determinatum, non tamen pro *hoc*, sed pro *alio*. Ideo non statim causatur effectus, quia ultimata determinatione potest velle in *hoc quando* rem esse pro *illo quando*, quando vult eam ponere in esse, etsi praesupponitur passum summe dispositum. — *Report.* ib. q. 3. n. 14.

Causa aequivoca perfectior et nobilior univoca. — Causa aequivoca eminenter continet in se perfectionem effectus. — *Oxon.* I. d. 17. q. 2. n. 10. — Ubicumque ad productionem eiusdem effectus concurrunt causa univoca et aequivoca, aequivoca est simpli-

citer perfectior. Patet per Philosophum, *VII. Metaph.*; propter hoc enim oportet totum ordinem accidentalem reducere in aliquam speciem essentialiter superiorem in causando, quia difformitas uniformis oportet, quod reducatur ad causam uniformem, et ideo omnibus generabilibus et corruptibilibus oportet esse aliquam causam superiorem, quae sit causa uniformitatis in continuatione generationis et corruptionis. Ex hoc habeo istam propositionem: quod ubi ad idem concurrunt causa univoca et aequivoca, aequivoca est perfectior; sed quod non possit sine univoca, hoc est aliqualis imperfectionis in ipsa aequivoca. Patet, Deus enim potest sine causa univoca. Ergo quaecumque aequivoca sola sine univoca potest in effectum, ipsa est simpliciter perfectior quam illa aequivoca, quae posset concurrere cum univoca ad idem causandum. Et per consequens aequivocatio talis habet duplicem praeeminentiam causalitatis super effectum: unam, quam habet universaliter aequivoca concurrens cum univoca; et aliam, quia habet illam perfectionem quam univoca adderet in causando, qua carent multae causae aequivocae, licet longe perfectiores univocis. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 14. — *Ib.* d. 43. q. 3. n. 21. — *Report.* ib. d. 12. q. 3. n. 9. — *Quodlib.* q. 7. n. 19.

Causa assimilat sibi effectum quantum potest. — Effectus formaliter magis assimilatur causae proximae inferiori quam remotae et principali et perfectiori. Principalius agens communiter est aequivocum, et eminentius habet in se perfectionem effectus quam causa *univoca*, et ideo non magis assimilatur sibi *formaliter*, quia hoc esset imperfectionis in causa sic assimilari effectui. Sed assimilat *magis*, hoc est, *dat magis formam effectui*, per quam sibi assimilatur aequivoce, quam det agens particulare; et ista assimilatio activa est ex perfectione causae, licet non sit *magis assimilatio formaliter*. — Similiter causa perfectior magis assimilat effectum ei cui est assimilabilis quam imperfectior. Magis enim causat effectum, qualis est causabilis et assimilabilis: assimilabilis autem est effectus *formaliter* causae propinquae; ideo ipsa causa remotior magis assimilat effective ipsum effectum causae proximae quam ipsamet causa proxima sibi. — *Oxon.* I. d. 9. q. 8. n. 4. — *Ib.* IV. d. 44. q. 2. n. 17. — Cfr. ib. II. d. 37. q. 2. n. 19. — *Report.* II. d. 34. n. 17. — Vid. ***Agens assimilat sibi passum*** = ***Agens omne agit sibi simile.***

Causa causae est causa causati. — *Quidquid est causa causae est causa causati.* In hac propositione sunt tres causae; si variatur causa prima respectu mediae, et media respectu ultimae, erit *accidens* * (fallacia *accidentis*) *, unde in talibus sic variatis non est propositio vera. Sed si una causa sit prima causa respectu secundae in genere causae efficientis, et illa respectu tertiae in eodem genere causae, tunc bene tenet, et est propositio vera. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 1. n. 5.

Quidquid est causa causae est causa causati. — Intellige *causam mediam* in eodem genere *causam causati*, et *causatum primae causae.* Et convertitur, *quidquid est causatum causati est causatum causae.* Et ita quodlibet causatum in aliquo genere est causatum a causa *prima* illius generis. Et non convertitur, quia non quidquid est causa *causati* est causa *causae.* — Hoc verum est de *efficiente* et *fine;* de *materia* et *forma* falsum: de primo *simpliciter*, sed verum de primo *in hoc;* non enim in quolibet composito ex materia et forma est *prima forma simpliciter;* igitur nec *prima materia simpliciter*, cum magis dependeat materia a forma quam e converso. — *Theor.* XIX, concl. 22. n. 8. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. XII. s. l. c. 4. n. 19.

* Tamen * quod est causa prioris non propter hoc est causa posterioris, nisi illud medium sit causa tertii, et hoc aliquo modo in *eodem genere* causae. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 5. nn. 13. — *Physic.* III. q. 7. n. 6. — * Ideo * non omne causatum causae propinquioris est causa causati remotioris ab eadem causa. *Exemplum:* quantitas est propinquius causata qualitate; non tamen est eius causa. Patet discurrendo per causas. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 8.

Causa destructa, destruitur effectus. — *Ad destructionem causae sequitur destru-*

ctio causati. — *Oxon.* I. d. 26. n. 42. — Ista propositio tantum intelligenda est de causa rei in *esse* et in *fieri.* — *Opus. prim. super 1 Periherm.* q. 3. n. 5. — Et isto modo causa impedibilis dum est impedita non ponit effectum; dum vero est non impedita ponit. — *Oxon.* IV. d. 21. q. 1. n. 8.

Causa eadem diversorum effectuum est causa. — *Eadem est causa diversorum effectuum,* imo etiam quandoque *oppositorum,* secundum diversas dispositiones, sive etiam contrarias: ut *nauta* per sui *praesentiam* est causa salutis navis, et per sui *absentiam* est causa periclitationis. Et non debet intelligi, quod absentia nautae faciat ad periclitationem; sed si nauta fuisset praesens, navis non periclitata fuisset. — *Physic.* II. q. 7. n. 6, — Nauta per eius absentiam est causa submersionis; sed per hoc non datur intelligi nisi *habitus privationi* contrarius, sicut si nauta fuisset praesens, fuisset causa salutis. — *Ib.* exposit. text. 30. n. 24.

Causae creatae comparatio ad duos effectus essentialior est quam unius effectus ad alium. — In creaturis, si comparetur causa ad duos effectus ordinatos, *essentialior est eius comparatio ad effectum utrumque quam unius effectus ad alterum:* propter dependentiam enim eorum ad causam eamdem, ordinate dependent ad invicem, et non e converso propter dependentiam unius ad alterum dependent ordinate ad causam eamdem; igitur si per impossibile destruatur ibi ordo effectuum inter se ordinatorum, non propter hoc adhuc est negandus ordo et dependentia utriusque ad causam, quia propter minus impossibile non est concedendum maius impossibile, nec propter minus necessarium est negandum maius necessarium. — *Exemplum:* si ponatur *ignem* habere istos duos effectus ordinatos, scilicet, *calefacere* et *ignire,* si essentialius se habeat *ignis* ad utrumque quam *ignire* ad *calefacere,* quamvis *ignire* praesupponat *calefacere,* non propter hoc negandum est ipsum posse *ignire.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 1. n. 20.

Causae distinctae genere non possunt causare effectum eiusdem rationis. — Dico, quod illa propositio est falsa de causis *partialibus* quomodocumque ordinatis ad eumdem effectum, hoc est, quod sit ordo *essentialis* earum, et non sint omnino *eiusdem* rationis; tales enim quae sunt alterius rationis non sunt tantum distinctae *specie,* quia huiusmodi non concurrunt communiter ut causae ordinatae ad eumdem effectum; nec tantum distinctae *numero,* quia tunc non essent alterius rationis vel generis; igitur distinctae *genere.* — *Oxon.* II, d. 3. q. 8. n. 12. — Quia in unoquoque ordine causae oportet ponere respectu *unius* effectus *unam per se causam* et *unam per se rationem* causandi. Ita *intellectus* in suo ordine causalitatis est *unus,* et habet *unam formalem rationem* causandi; et *species* vel *obiectum* in suo ordine causandi est *una causa,* et habet *unam rationem causandi.* Sed non oportet talem causam, prout complectitur omnes causas *partiales,* habere *unam rationem* causandi nisi unitatem *ordinis;* quia si cum unitate *ordinis* concurrat unitas *per accidens,* hoc accidit, sed *unitas ordinis* est *per se.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 23.

Qualiter autem hoc sit intelligendum, distinguo de pluribus causis concurrentibus ad eumdem effectum. Quaedam enim *ex aequo* concurrunt, sicut aliqui duo trahentes aliquod idem corpus. Quaedam vero non ex aequo, sed *habentes ordinem essentialem;* et hoc dupliciter: vel sic, quod *superior moveat inferiorem,* ita quod inferior non agat nisi quia movetur a superiore, et tunc inferior habet a superiore virtutem illam qua movet. Quandoque autem superior non movet inferiorem, nec dat ei virtutem qua movet, sed *superior* de se habet virtutem *perfectiorem* agendi, et *inferior* habet *imperfectiorem* virtutem agendi; nec tamen recipit virtutem istam imperfectiorem a superiore, quae est perfectioris virtutis. — *Exemplum primi membri* huius secundae divisionis: de *potentia motiva* quae est in *manu,* et *baculo,* et *pila. Exemplum secundi membri:* si *mater* ponatur virtutem *activam* habere in generatione prolis, illa et potentia *activa patris* concurrunt ut duae causae *partiales, ordinatae* quidem, quia altera *perfectior* reliqua, non tamen imperfectior recipit suam causalitatem a causa perfectiore; nec tota illa causalitas est emi-

nenter in causa perfectiori, sed aliquid addit causa imperfectior, in tantum quod effectus non solum non potest esse perfectior a causa perfectiori, plusquam ab imperfectiori, imo non potest plus esse a perfectiori tantum quam ab imperfectiori tantum. — *Ib.* n. 21.

Duae causae *partiales* continentes unam causalitatem completam, sive sint *eiusdem rationis*, ut duo trahentes navem, sive sint *alterius rationis*, ut intellectus agens et phantasma, secundum aliquos, in movendo intellectum possibilem, in talibus neutra causa potest dici *complete* facere, sed ambae faciunt complete et totaliter; utraque autem per se non nisi diminute et partialiter; unde magis proprie dici potest utraque alteri *coagere* quam *facere* effectum; similiter tales duae causae non omnino similiter causant effectum. — *Quodlib.* q. 8. n. 4.

Nec ista cavillatio valet, quia causae *duae partiales* non ponuntur respectu *eiusdem* effectus quando altera praecise habet *totum* effectum in virtute sua, *univoce* vel *aequivoce;* si enim altera haberet in virtute sua totum effectum, sequitur quod totum potest producere; igitur alia causa partialis nihil potest producere, vel idem bis produceretur. — *Oxon.* ib. n. 31. — Vid. *Agentia diversa genere non possunt producere eumdem effectum.*

Causae formales si sunt infinitae, nihil contingit scire. — Quia ad cognitionem rei oportet cognoscere *formam* rei; si ergo in formis proceditur in infinitum, non contingit eas intelligere. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. s. un. c. 2. n. 19. — Dicit enim Philosophus, quod si *causae essent infinitae, nihil contingeret cognoscere;* et exemplificat tam in causis *materialibus*, quam in aliis. Et ratio sua est: quia tunc cognoscimus rem cum *causam* eius cognoscimus: infinitae autem causae, si essent, non possent pertransiri; igitur nihil posset cognosci. — *Oxon.* III. d. 22. n. 10. — *Report.* ib. n. 9.

Causae non coincidunt necessario, possunt tamen coincidere aliquae aliquando. — *Prima* pars probatur *inductive.* — *Secunda pars* exponitur *II. Physic. text. Com. 70 et circiter.* — *Theor.* XIX. concl. 10. n. 4. — Quia *efficiens* et *finis* multoties coincidunt cum *forma;* nam *forma* et *finis* coincidunt in idem *numero;* quia illud quod est *forma* rei *genitae* est *finis generationis;* sed *efficiens* et *finis* coincidunt idem *specie*, ut quando homo generat hominem, tunc forma *generans* et forma *generata* sunt *eiusdem speciei.* Et dicit Aristoteles *multoties,* quia non semper *efficiens* et *forma* coincidunt in idem *specie.* — *Physic.* II. *exposit.* text. 70. n. 10. — Nunquam *materia* inquantum materia coincidit cum aliis, nec aliae inquantum aliae; sed aliae tres possunt: *forma* et *finis* in idem *numero,* finis, inquam, *motus,* non finis *formati.* Unde *non eiusdem* est *forma* et *finis,* nec *intrinsecus,* nec *extrinsecus; efficiens* tamen eisdem in idem *specie.* — *Theor.* XIX. ib.

Cum arguitur ex *II. Physic.* de causa *materiali* et *efficiente,* quod *non coincidunt,* verum est de materia quae est in *potentia pura,* sed non de materia *secundum quid,* qualis est subiectum respectu accidentis: necesse est enim aliquid idem quandoque esse materiam * (causam *materialem*) * et efficiens * (causam *efficientem*) * respectu eiusdem; quia alias *passio* non praedicaretur *per se secundo modo* de *subiecto,* quia si praedicetur per se secundo modo de eo, est eius causa materialis, sicut materia est in accidentibus, quia ponitur in definitione eius ut additum; si etiam est praedicatio *per se,* igitur et necessaria: sed quod est sola causa *materialis* respectu alicuius non habet necessitatem respectu eius; ergo oportet, praeter causalitatem *materiae,* ponere in subiecto causalitatem *efficientis* ad salvandam necessitatem. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 29. — *Ib.* II. d. 25. n. 16. — *Report.* ib. n. 14.

Causa materialis et efficiens non concurrunt in eodem, loquendo de efficiente per *transmutationem;* et hoc intelligit Aristoteles. — Sed alio modo est causa efficiens per quamdam *emanationem;* et sic subiectum includit causam efficientem respectu passionis, quia passio emanat de subiecto; et de tali causa efficiente per emanationem non intelligit Aristoteles ibi; quia sic possi-

bile est unum et idem sub diversa ratione; homo enim habet rationem causae *materialis* respectu visibilis, inquantum recipit et subiicitur tali passioni; inquantum tamen illa passio a subiecto egreditur, sic habet subiectum, ut *homo*, rationem causae *efficientis* per emanationem. — *Poster.* q. 25. n. 4.

Causae coincidunt in idem numero; quia quatuor sunt genera causarum; igitur *sex* possunt fieri *combinationes;* ideo combinando videbitur quae coincidunt et quae non. Et *primo* est *efficiens* et *forma*, quae coincidunt in idem *numero*, sed diversimode: quia illud idem quod est *forma compositi* est *finis transmutationis.* — Secundo est *materia* et *forma.* — *Tertio materia* et *finis.* — *Quarto materia* et *efficiens*, quae non coincidunt nisi capiendo *materiam* large pro quocumque subiecto receptivo alicuius dispositionis; quia sic coincidunt *materia* et *forma;* nam anima, quae est forma compositi, est receptiva accidentium ipsius animae. — *Physic.* II. q. 1. n. 5. — Cf. *QQ. Metaph.* l. XII. q. 9. n. 3.

Causae non sunt sibi invicem causae. — Philosophus in littera: *Causae non sunt sibi invicem causae in eodem genere causae.* Et probo sic: tunc idem prius et posterius secundum idem et univoce; et similiter idem (et diversum?) respectu suipsius secundum idem, prius et posterius. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 1. n. 6. — *Causae* * autem * possunt *sibi esse invicem causae in diverso genere causalitatis, non in eodem.* — *Theor.* XIX. concl. 9. n. 3. — Nam materia est causa *receptiva* formae, et forma causa *perfectiva* materiae. *Labor* est causa *effectiva sanitatis:* et *sanitas* causa *finalis* laboris. — *Physic.* II. q. 7. n. 5. — *Exposit.* text. 30. n. 24.

Aliquae * igitur * *sunt causae ad invicem sibi ipsis, ut laborare est causa evexiae*, id est, bonae dispositionis quae est in sanitate; *et haec* evexia est causa *laborandi; sed non eodem modo; verum haec quidem*, scilicet, *evexia* est causa *ut finis; illud vero*, scilicet *laborare ut principium motus*, id est, causa *efficiens;* labor enim moderatus causat bonam dispositionem effective, malos humores corporis consumendo; ista autem dispositio est id ad quod labor ordinatur ut ad *finem.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. s. un. c. 2. 10.

Notandum, quod sicut *efficiens* et *finis* sibi hoc modo correspondent, sic etiam *materia* et *forma; efficiens* enim est causa *finis*, et e converso; tamen differenter: nam *efficiens* est causa *finis* quantum ad *esse*, nam producit formam quae est *finis;* sed *finis* est causa *efficientis*, non quantum ad esse, sed quantum ad *causare*, quatenus *finis* movet *efficiens* ad causandum, et *efficiens* agit *ex appetitu finis.* Similiter *forma* est causa *materiae* et e converso, etiam quantum ad *esse*, quatenus *forma* dat *materiae esse* et *actum specificum*, *materia* vero *sustentat formam;* nam, loquendo *naturaliter*, sicut est impossibile *materiam* existere sine *forma*, sic et *formam* sine *materia.* — Qualiter autem aliqua duo possunt *sibi invicem esse causae*, non obstante quod *causa sit prior* simpliciter quam *causatum*, ex quo videtur sequi, quod *idem* respectu *eiusdem* sit *prius* et *posterius* simpliciter, et secundum naturam, patebit in quaestione inferius ponenda. — *Ib.* n. 11.

Causae omni in genere est status. — *In omni genere causae est status.* — Hoc intelligatur sic: primum efficiens non proximum, ultimus finis non proximus, prima materia non proxima, sunt ad quae est status, in istis tribus generibus causae; quae tamen *IX. Metaph.* c. 6. ponitur proprie materia, et simpliciter in potentia ad formam, intelligitur de potentia *propinqua.* De *forma* est dubium, utrum stetur ad ultimam in *resolvendo*, quae, scilicet, est proxima materiae, vel ad ultimam in *componendo*, quae est remotior a materia; sed cum causalitas formae sit actuare et perficere, ultima autem magis actuat secundo modo, primo modo minime statur ad ultimam, sed secundo modo. — *Theor.* XIX. concl. 14. n. 6. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. s. un. c. 2. n. 9. seqq. — Vid. *Causarum infinitas est impossibilis.*

Causae omni per accidens prior est aliqua causa per se. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 20. — Dico, quod *omnis causa per se est prior*

causa per accidens, vel *natura*, vel *perfectione;* non autem semper *origine* prior, quia prius *origine* est amotio prohibentis quam motus gravis deorsum, tamen ipsummet est prius, sed non prius movet se quam amoveatur prohibens. Nunc autem modo non oportet, quod causa respectu *eiusdem* finis semper praecedat causam *per accidens*, sed sufficit quod respectu *alterius* finis, ut *foditio* est causa *per accidens* inventionis thesauri, et non praecessit actio *per se* inventionem, nisi propter *alium* finem. — *Report.* II. d. 25. n. 19. — *Oxon.* ib. n. 21.

Causa et causatum in eodem repugnant. — Nihil est *causa* et *causatum* respectu *eiusdem* in *eodem* genere causae. — *Theor.* XIX. concl. 8. n. 3. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IX. S. 1. c. 5. n. 19. — *Causa* et *causatum* in *eadem natura sive supposito repugnant:* quia si non, tunc idem dependeret a se. — *Producens* et *productum* non repugnat in eadem *natura*, quia natura potest communicari sine divisione sui, qualis est natura divina; repugnant tamen in eodem *supposito*. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 30. — * Itaque * oppositae relationes *causae* et *causati* non possunt esse in eodem, quia magis repugnant quam relatio *produducentis* et *producti*, quae tamen non possunt esse in eodem *supposito*, licet sint in eadem natura. — *Ib.* d. 30. q. 2. n. 8.

Causa et effectus nihil idem est respectu eiusdem. — Verum est *secundum idem*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IX. s. 1. c. 5. n. 19. — Vid. supra *Causa et causatum in eodem repugnant.*

Causa et effectus proportionantur. — Per Philosophum, *V. Metaph.* cap. *De Causa*, et *II. Physic.*, *causae et effectus proportionantur:* si genere, genere; si numero, numero. Et hoc expressius dicit Philosophus et Commentator *XII. Metaph.* — *Oxon.* III. d. 22. n. 7. — Ita quod causarum singularium sunt effectus singulares, et causarum universalium effectus universales. — *Report.* ib. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 16. n. 3. — Id est, quod sicut terminorum qui significant causas quidam sunt generales, ita eis correspondent termini generales significantes effectus, et terminis singularibus significantibus causas correspondent termini singulares significantes effectus. — *Physic.* II. *exposit. text.* 38. n. 14.

Causa et effectus simul sunt et non sunt. — Intelligitur maxime de causa *conservante;* sed de *producente* exponitur sic: quod dum effectus actu producitur causa actu producit. — *Physic.* II. q. 8. n. 14. — Omnis * enim * effectus quando in actu causatur habet causam in actu. Hoc patet per Aristotelem, *II. Physic.* et *V. Metaph.* c. de Causa: *efficiens in actu et causatum in actu simul sunt et non sunt.* Patet etiam, si nulla esset auctoritas, per *rationem* manifestam: quia quod non est, quando non est, non producit aliquid ad esse. — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 5. — Causae * vero * effectus accepti *in potentia* non semper simul sunt et non sunt; patet enim, quod aedificium potest manere corrupto aedificatore, et e converso; sed impossibile est aliquid aedificari *actu*, nisi sit aliquis aedificans *actu*. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. V. S. un. c. 2. n. 20. — Cf. *QQ. Metaph.* l. V. q. 2. — Vid. *Causa prior est causato.*

Causa extrinseca cuius non est, eius non est causa intrinseca. — *Cuius non est causa extrinseca, eius non est causa intrinseca.* — Quia causalitas causae extrinsecae dicit perfectionem sine imperfectione; causalitas autem causae intrinsecae necessario requirit imperfectionem annexam, quia causa intrinseca est pars causati; ergo ratio causae extrinsicae est naturaliter prior ratione causae intrinsecae; negato ergo priore, negatur posterius. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 16.

* Vel aliter *: *Quod non est causatum a causis extrinsecis non est causatum a causis intrinsecis.* — Quia causalitates causarum *extrinsecarum perfectionem* dicunt, cui non est annexa necessario imperfectio; causae *intrinsecae* ex necessitate habent *imperfectionem* annexam; ita quod causae *extrisecae* sunt *priores* in causando *intrinsecis*, sicut perfectum imperfecto. — *Secunda ratio* est ista: quia causae *intrinsecae* possunt esse in se *causatae* respectu *extrinsecarum;* ergo sunt *posteriores* in causando respectu earum. — *Antecedens* patet de *forma;* patet etiam de *materia*

inquantum *pars*. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 6. — Igitur cuiuscumque causati oportet ponere primum simpliciter extrinsecum simpliciter incausatum. — *Report.* II. d. 34. n. 7.

Causa finalis cuiuscumque est, eius est causa efficiens. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 6. — Nullius est causa finalis aliqua, nisi respectu cuius est causa efficiens, quia causalitas causae finalis est movere efficiens ad agendum. — *Ib.* d. 1. q. 5. n. 6. — Quia causa finalis non causat, nisi quia metaphorice movet ipsum efficiens ad efficiendum. — *Ib.* d. 2. q. 2. n. 16. — Vid. *Finis est causa causarum = Finis movet efficientem.*

Causa instrumentalis per aliquid sibi proprium agit. — Non debet intelligi, quod instrumentum habeat *actionem propriam*, sed quod per aliquid *sibi proprium* agat. Nec tamen per illud proprium agit nisi in virtute principalis agentis; quia in quacumque actione quam haberet non in virtute principalis agentis, in illa non esset *instrumentum*, sed *principale agens*. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 9. — *Report.* ib. n. 8.

Causalitas habitus alterius rationis est a causalitate potentiae. — In quantocumque gradu *habitus* non posset supplere totam vicem *potentiae:* quia etsi causalitas eius sit diminuta, et causalitas potentiae diminuta, tamen *alterius rationis est causalitas habitus quam causalitas potentiae,* quia ex ratione sui habitus est causa *secunda,* qua, scilicet, potentia potest uti; et ita si in infinitum augeretur, nunquam posset fieri principium *utens.* Non igitur eiusdem rationis est causalitas habitus cum causalitate potentiae, ut illa intensa possit ascendere ad istam, sed semper sunt alterius rationis, et tamen hic cum illa causans causat actum perfectiorem, quam si solum causaretur ab una illarum. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 10.

Causalitas primi finis est penitus incausabilis. — *Causalitas* et *causatio causae finalis est simpliciter prima,* secundum Avicenam, *VI. Met.,* dicentem, quod *si de qualibet causa esset scientia, illa quae esset de causa finali esset nobilissima.* Ipsa enim quantum ad *causalitatem* praecedit causam *efficientem,* quia movet eam ad agendum; et ideo *causalitas primi finis et eius causatio est penitus incausabilis,* secundum quamlibet causationem in quolibet genere causae. Causalitas autem primi finis est movere efficiens primum sicut amatum ab ipso, quod est idem quod primum efficiens amare primum finem, quia nihil aliud est obiectum amari a voluntate quam voluntatem amare obiectum; ergo primum efficiens amare primum finem est penitus incausabile, et ita ex se necesse esse, et ita erit idem naturae primae. Et quasi convertitur ratio ex opposito conclusionis, quia si primum amare est aliud a natura prima, ergo est causabile, et per consequens effectibile; ergo ab aliquo per se efficiente amante finem; ergo primum amare se esset causatum ab aliquo amore finis, priore isto causato, quod est impossibile. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 22. — Cf. *De Prim. Princ.* c. 4. n. 10.

Causa naturalis est determinata ad unum. — *Omnis causa naturalis activa est determinata ad unum effectum.* — *Oxon.* II. d. 25. n. 22. — De causis *naturalibus* dico, quod istae non possunt causare nisi secundum illam inclinationem quam acceperunt a Causa superiori, et conformantur illi. — *Ib.* d. 37. q. 2. n. 20. — Hoc enim patet per Augustinum, *III. De Lib. Arb.;* causa enim naturalis, secundum eum, non agit nisi secundum quod accipit ut agat ab alio. — *Ib.* d. 42. q. 4. n. 1. — Nec aliqua causa naturalis potest, quantum est de se, esse unius effectus ad quem ordinetur naturaliter, et non alterius. — *Ib.* d. 9. q. 2. n. 12. — Cf. ib. I. d. 3. q. 4. n. 9.

In universali dici posset, quod causa naturalis, licet ex se determinetur ad effectum, potest tamen impediri; impedimento autem amoto, statim agit ad productionem effectus, sicut a principio egisset, si non fuisset impedita. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 10. — Vid. *Potentia activa naturalis est determinata ad unum.*

Causa necessario agens agit secundum ultimum potentiae suae. — Causa naturalis agit ad effectum suum secundum ultimum potentiae suae, quando non est impedita. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 23. — Omnis causa necessario agens agit secundum ultimum

potentiae suae; quia sicut non est in potestate sua agere et non agere, ita nec intense * (intensius) *, nec remisse * (remissius) * agere. — *Ib.* d. 8. q, 5. n. 20.

Causa nobilior effectu. — Non omnis causa est prior et nobilior suo effectu: quia in causis est talis ordo secundum *perfectionem:* quod primo est causa *finalis*, secundo *formalis*, tertio *efficiens*, et quarto *materia.* — *Physic.* II. q. 7. n. 6.

Causa *aequivoca est simpliciter nobilior effectu* (1). Et probatur auctoritate Augustini, LXXXIII. QQ. q. 2: *Omne quod fit ei a quo fit par esse non potest; alioquin iustitia, quae sua unicuique tribuere debet, de rebus auferatur necesse est.* Intelligit autem de causa *aequivoca;* quia *iustitia* in causa *univoca* requirit *aequalitatem*, sed in *aequivoca eminentiam.* Idem vult Avicenna, *IV. Metaph.* cap. 3. Idem vult Augustinus, *Super Genes.* 12, quod *agens est praestantius passo;* quae propositio, ut alias dictum est (2), dependet ex illa: *agens est simpliciter perfectius suo effectu formali.* — *Oxon.* IV. d. 43. q. 3. n. 21. — *Report.* ib. n. 16. — Cum * itaque * dicitur: *causa aequivoca* TOTALIS *est nobilior suo effectu*, vel *producens aequivocum est nobilius producto*, verum est, quod est nobilius termino *formali* productionis. — *Oxon.* II. d. 25. n. 2. — Non est autem inconveniens causam *partialem* aequivocam esse minus nobilem suo effectu, et maxime de *partiali secundaria*, licet causa *totalis aequivoca* vel *partialis* principalis sit nobilior suo effectu. — *Ib.* IV. d. 49. q. 2. n. 31. — I. d. 3. q. 7. n. 2. — Si enim sit causa *univoca*, non oportet, quod excellat effectum suum in perfectione; si autem est *aequivoca* * creata *, non oportet *in infinitum* excellere effectum, sed in aliquo *gradu determinato.* — *Ib.* II. d. 37. q. 2. n. 4. — Quia omnis causa totalis *finita* potest intelligi habere effectum *adaequatum* vel effectus adaequatos; non enim ex totali causa finita potest procedere effectus adaequatus *infinitus* vel effectus adaequati infiniti. — *Ib.* III. d. 14. q. 2. n. 15.

Causa non dicitur per se ad effectum. — Ex definitione; sed ad *causatum.* — *Efficiens* vero ad *effectum*, sicut *materia* ad *materiatum*, *forma* ad *formatum*, *finis* ad *finitum.* — *Theor.* XIX. concl. 4. n. 2.

Causa non potest causare effectum oppositum suo effectui proprio. — Verum est *efficiendo;* tamen *deficiendo* potest. — Causa *naturaliter* activa non causat per se malum oppositum *suo* effectui; bene tamen potest causare malum oppositum *alteri:* sicut cum *ignis* corrumpit aquam causat malum *aquae*, sed non malum *ignis.* Sed voluntas est causa mali, id est, illius privationis in actu secundo. Ideo licet non assimilet sibi effectum in hoc, causa tamen *sufficiens*, non *deficiens*, semper assimilat sibi effectum in rationibus *communibus.* — *Report.* II. d. 34. n. 17.

Causa non simpliciter necessaria, quocumque amoto extrinseco, non fit necessaria. — Igitur nulla causa impedibilis *necessario* causat, amoto impedimento; quia nihil est *necessario* causa, nisi propter perfectionem *intrinsecam* sibi. — Similiter aliter nulla esset causa *ut in pluribus* * (al. *impedibilis*) *, nam A causa *impedibilis* non causat nisi quando non est impedita, et tunc nenessario, * ex hyppothesi *; igitur similiter amotio impedimenti, si est B, per naturale agens est per ipsum non impeditum, et ita tunc necessario. Similiter si B non est impeditum, *necessario* agit; et sic usque ad primum omnia necessaria; * quod est absurdum *. — *Theor.* XIX. concl. 13. n. 5. — Cf. *Oxon.* I. d. 8. q. 5.

Causa perfectior causato. — Falsum est in *materia;* in aliis verum, ubi causalitatem comitatur perfectio; et forte falsum est de *forma*, quia pars; et *fine intrinseco*, quia accidens; et *efficiente univoco;* igitur falsum simpliciter; sed accidentaliter verum in efficiente *aequivoco*, et *fine extrinseco.* — *Theor.* XIX. concl. 7. n. 3. — Vid. supra *Causa nobilior effectu.*

Causa enim inquantum causa nullam perfectionem accipit a causato, quia naturaliter

(1) Seu « suo causato ». — *Oxon.* II. d. 15. n. 7. — « In productione aequivoca semper causa est perfectior effectu ». — *Ib.* I. d. 27. q. 3. n. 4.

(2) Vid. *Agens praestantius passo.*

(3) « Universaliter causa aequivoca est nobilior suo effectu ». — *Report.* IV. d. 43. q. 3. n. 13.

est prior eo. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 11. — Dico ergo, quod propter nullas instantias particulares neganda est ista propositio universalis, quae nota est ex terminis: quod *totale* causans non potest esse imperfectius causato suo, loquendo de causa *effectiva*, et quod totale causans *aequivocum* est perfectius. — *Ib.* IV. d. 12. q. 3. n. 16. — Effectus non potest esse perfectior causa sua efficiente, sive sit efficiens aequivocum, quia tunc est perfectius effectu, sive univocum, quia tunc est aeque perfectum cum effectu. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 7. n. 2. — Cf. *Report.* Prol. q. 1. n. 13.

Causa Prima contingenter et volens causat. — Aliquid causatur contingenter; ergo *Prima Causa contingenter causat;* ergo *volens* causat. — *Probatio primae consequentiae:* quaelibet causa secunda causat inquantum movetur a prima; ergo si prima necessario movet, quaelibet necessario causat; ergo si aliqua secunda causa contingenter movet, et prima contingenter movebit, quia non causat secunda causa, nisi in virtute primae causae inquantum movetur ab ipsa. — *Probatio secundae consequentiae:* nullum est principium operandi contingenter, nisi *voluntas,* vel aliquid concomitans voluntatem, quia quolibet aliud agit ex necessitate naturae, et ita non contingenter; ergo. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 20.

* Vel aliter *: Aliquid fit contingenter in entibus; ergo Prima *Causa contingenter causat.* — *Antecedens* concedunt Philosophi. *Consequentiam probo* sic: Si Prima Causa *necessario* se habet ad causam proximam, sit illa B; B igitur necessario movetur a Prima Causa; B autem eodem modo quo movetur a Prima Causa movet proximam sibi; igitur B *necessario* causat movendo C, et C movendo D, et sic in omnibus causis procedendo nihil *contingenter* erit, si Prima Causa necessario causat.

Praeterea, et redit in idem: aliquod malum fit in universo; ergo Deus *non necessario* causat. — *Antecedens* concedunt Philosophi. *Probo consequentiam:* quia agens necessario producit effectum suum in susceptivo quantum potest produci in eo: effectus Primi est bonitas et perfectio; ergo si *necessario* agit, producit bonitatem in quolibet quantum ipsum susceptivum potest recipere: sed habens bonitatem tantam quantae ipsum est capax nullam habet malitiam; ergo, etc. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 19.

Item, omnis causa *necessario* agens agit secundum *ultimum potentiae suae,* quia sicut non est in potestate sua agere et non agere, ita nec *intense* et *remisse* agere; ergo si Prima Causa *necessario* causat, causat quidquid potest causare: potest autem causare ex se omne causabile; ergo causat omne causabile; ergo nulla causa secunda aliquid causat. — Istam *secundam consequentiam probo:* quia causa prior prius naturaliter respicit causatum quam causa posterior, ex *prima propositione De Causis;* ergo in illo priori, si totaliter causat totum illud quod in secundo signo deberet causari a causa secunda, in secundo signo in quo deberet causa secunda causare nulla est possibilis actio causae secundae, quia iam praeintelligitur totus effectus causatus a causa prima.

Assumptum in argumento, quod *possit causare omne causabile, probo*: quia habet potentiam cuiuscumque causae secundae, totam etiam quae est in causa secunda, quantum ad quodlibet perfectionis quod est in quacumque causa secunda. Non requiritur autem cum causa efficiente aliqua imperfectio, sed tantum perfectio, quia causare effective est perfectionis simpliciter; ergo Primum, habens in se causalitatem omnem causae secundae, quantum ad quodlibet quod est perfectionis, potest immediate causare ex se omne causabile, sicut et cum causa secunda.

Et si *consequens ultimum,* quod, scilicet, *causae secundae priventur actionibus suis,* non habeatur pro inconvenienti, duco ad maius inconveniens, quod causabit et *omnia* et *unum solum,* ita quod omnia erunt tantum unum; quia sicut causabit omnia causabilia, propter hoc quod causat omnia quae potest causare, ita etiam in quacumque causatione causabit quantum potest causare, et ita perfectissimum, et ita omnia illa erunt illud unum causatum, et tunc *omnia* erunt *unum.* — *Ib.* n. 20.

Ens absolutum quod est ex se necessarium perfecte, quantum potest cogitare ali-

quid esse necessarium, non potest non esse, quocumque alio a se non existente: Deus est summe necessarium secundum illum intellectum praeacceptum; ergo quocumque alio a se non existente, non propter hoc sequitur ipsum non esse. Sed si necessariam haberet habitudinem ad primum causatum, illo causato non existente, non esset; ergo non habet ad illud necessariam habitudinem. Quia habens necessariam habitudinem ad aliquid non est, illa habitudine non existente: non existente autem extremo, non existit illa habitudo; non existente igitur extremo habitudinis, non existit fundamentum. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 17.

Praeterea, quidquid producitur a causis posterioribus potest immediate produci a Prima, et tunc haberet eamdem entitatem quam modo habet, et tunc esset *contingens* sicut et modo est contingens; habet ergo contingentiam suam etiam modo a Causa Prima, et non tantum a causa proxima.

Praeterea, Deus multa produxit immediate et producit, sicut creavit mundum, et nunc creat animas; et tamen omnia *contingenter*. — *Oxon.* I. d. 39. n. 12.

Et dico, quod nulla causatio alicuius causae potest salvare contingentiam, nisi Prima Causa ponatur immediate contingenter causare; et hoc ponendo in Prima Causa perfectam causalitatem, sicut Catholici ponunt. — *Ib.* n. 14. — *De Primo Princ.* c. 4. n. 9. — Vid. *Efficiens primum est intelligens et volens.*

Causa prima eminenter continet perfectionem causarum secundarum. — *Totae perfectiones causarum secundarum eminentius sunt in Primo,* quam si ipsae formaliter sibi inessent, si possent inesse. — *Quod probatur:* quia causa secunda proxima Primae totam perfectionem causativam habet a sola Prima; ergo totam perfectionem illam eminentius habet Prima Causa quam causa secunda habens formaliter ipsam. — *Consequentia* patet: quia prima respectu illius causae secundae est totaliter causa et *aequivoca* (1). — Similiter arguitur de *tertia* causa respectu *secundae* vel respectu *primae.* Si respectu primae, habetur propositum; si respectu *secundae,* sequitur *secundam* eminenter continere totalem perfectionem quae est formaliter in *tertia:* sed *secunda* habet a prima quod sic continet perfectionem *tertiae,* ex praeostensis; ergo Prima eminentius habet continere eminenter perfectionem *tertiae* quam *secunda* habeat; et sic de omnibus causis usque ad ultimam, concluditur *Primam* habere *eminenter* totalem perfectionem causativam omnium, et perfectius quam si haberet causalitatem omnium formaliter, si esset possibile. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 28. — *Report.* ib. q. 3. n. 6. — Cf. *Oxon.* I. d. 42. n. 2. — * Et * quod potest prima causa cum secunda potest prima per se. — *Poster.* I. q. 30. n. 2.

Causa Prima est mensura omnium substantiarum. — Dicitur, quod *Prima Causa est mensura omnium substantiarum,* quia per approximationem ad ipsam et remotionem ab ipsa aliae substantiae dicuntur magis et minus perfectae. — *Et si dicatur,* quod mensura est principium cognoscendi mensurata: sed Prima Causa non est principium cognoscendi alia, sed magis e converso; *dicendum,* quod non eadem sunt *nobis* nota et *naturae;* et ideo licet * ipsa * principium non sit causa cognoscendi *quoad nos,* est tamen causa cognoscendi *simpliciter.* — *QQ. Metaph.* l. X. q. 2. n. 4.

Propter hoc dici potest, quod *Prima Causa* est illud primum et maximum quod *est mensura omnium substantiarum;* Prima Causa enim est primum intelligibile et primum appetibile, eo quod est prima substantia, et primum est mensuratio omnium posteriorum; et ideo Prima Causa, cum sit prima substantia, est etiam mensura omnium substantiarum. — *Ib.* q. 3. n. 3.

Sed notandum, quod *mensura* est duplex: scilicet, *intrinseca* et *extrinseca.* — *Intrinseca* est pars rei, per quam cognoscitur *primo:* talis est forma. Mensura vero *extrinseca* est, verbi gratia, finis et efficiens. — Sed utraque mensura potest esse dupliciter: aut enim potest esse in *eodem* genere, vel *extra* genus, et sic est Prima Causa, eo quod ista substantia simplicissima

(1) Vid. *Causa nobilior effectu* = *Causa perfectior causato.*

est et perfectissima, per comparationem ad quam omnes substantiae habent additionem. Unde Prima Causa non est mensura *intrinseca*, sicut unitas numeri, vel forma compositi, sed pro eo dicitur mensura, quia entitas et gradus cuiuslibet substantiae cognoscitur per comparationem ad ipsam; per hoc enim est aliqua substantia perfectior, quod est sibi propinquior, et imperfectior, quia est sibi remotior. Mensura simpliciter notior debet esse mensurato; et quia licet Prima Causa minus nota sit nobis, notissima tamen est in se, ideo maxime convenit sibi ratio mensurae simpliciter. — *Ib.* n. 4.

Causa prima non est in genere. — *Prima Causa non est in aliquo genere:* quia tunc esset aut *genus*, aut *species*, aut *individuum*, aut *principium generis*. Non tamquam *genus*, quia tunc praedicaretur de pluribus. Non tamquam *species*, quia tunc esset in ipsa compositio generis et differentiae, cum tamen Prima Causa simplex sit. Nec *individuum*, per eamdem causam seu rationem. Nec *principium*, quia principium unius generis non est applicabile ad res alterius generis: sed Prima Causa est aequaliter principium omnium generum; ergo non est nec potest applicari uni generi ut principium eius, et ideo *extra omne genus est*. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 2. n. 4. — Vid. *Deus non est in genere.*

Causa prima plus agit quam secunda. — Causa superior et inferior agit per *diversas* formas, et forma superior est *perfectior*, ideo plus influit. — In Divinis neutrum est verum, quia nec forma Patris est *perfectior* quam forma Filii, nec etiam est *diversa*. — *Report.* I. d. 12. q. 3. n. 3.

Dico, quod illa propositio est vera de *causa* et *causato*, propter hoc, quod in causis ordinatis est *alia virtus* causandi et *principalior* in *priore;* non autem in *principio* quod non est causa, quia ibi non est alia virtus principiandi; et ideo non plus principiat primum principians quam secundum, sicut nec causa superior plus causaret quam causa secunda, si eadem virtute causativa causaret cum causa secunda. — *Oxon.* ib. q. 2. n. 4.

Ista propositio veritatem habet propter *aliam virtutem* sive vim causandi in causa *priori* et *posteriori;* illa quae est *prior* est *principalior*. Et hoc fallit in *principio* priori secundum originem, et posteriori, in quibus est *eadem vis* vel virtus causandi respectu tertii. — *Ib.* d. 20. n. 13. — Vid. *Causa prior plus influit in effectum quam causa secunda.*

Causa prior est causa plurium causatorum. — Accidit quantum ad plura supposita; sed verum est quantum ad plura *causata*. — *Theor.* XIX. concl. 26. n. 9.

Causa prior est causato. — *Causa prior est suo effectu* in sua natura. — *Poster.* I. q. 9. n. 2. — Avicenna, *VI. Metaph.* * c. 2. *, videtur velle, quod *causa* inquantum causa *prior* sit *natura causato* inquantum causatum; et tamen causa inquantum causa est *simul* causato *simultate requisita ad correlativa*. Ista autem *prioritas naturae* quae est *causae* ad *causatum* videtur magis repugnare simultati naturae correlativorum, quam prioritas *originis* tantum. — *Oxon.* I. d. 28. q. 3. n. 10. — * Igitur * *causa naturaliter est prior causato*, non intelligitur de relationibus quae prius sunt natura, sed de his quae *subsunt*. — *Theor.* XIX. concl. 2. n. 2. — Causa non causat inquantum praecedit effectum *duratione*, sed est causa inquantum praecedit effectum *natura*. — *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 17. — Nam etsi non sit *duratione* prior *causa* quam *causans*, tamen prior fuit *natura*. — *Ib.* d. 5. q. 2. n. 6. — Cf. *QQ. Metaph.* l. V. q. 2.

Causa * igitur * secundum quod causa *prior est causato*, et *causa* secundum quod causa *simul est cum causato;* utraque vera est; sed *prima*, si reduplicaretur illud absolutum quod est immediatum fundamentum relationis; secunda si reduplicetur relatio: sic si reduplicetur respectus cum dicitur *secundum quod respectum habet ad effectum*, sicut videtur propositio sonare, negatur simpliciter illa propositio. — *Ib.* l. IX. q. 5. n. 5.

Causa *finalis* est prior effectu secundum intentionem, licet sit posterior in executione. — *Poster.* II. q. 10. n. 1. — Vid. *Finis est primum in intentione*, etc.

Causa prior et posterior eiusdem totius causati sunt causae. — Quia si *secunda* nullius *totius* est causa, nullius est causa; si *prior* non *eiusdem*, in hoc non est causa *prior*, quia immediate illud producit, nec respectu illius habet secundum; igitur respectu illius non est causa prior. — *Theor.* XIX. concl. 23. n. 8.

Causa prior plus influit in effectum quam secunda. — Intelligi habet illud de Causa simpliciter Prima tantum. — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 21. — *Report.* ib. q. 2. n. 14. — Causa prior prius naturaliter simpliciter respicit effectum suum quam causa posterior. — *Ib.* I. d. 39. n. 12. — d. 8. q. 5. n. 19 et 20. — Causa prior et posterior immediate attingunt idem passum, ita quod neutra causa agens in passum est medium per quod alia attingat illud commune passum; tamen prior causa immediatius attingit, quia intimius et perfectius, quia tota attingentia posterioris est in virtute prioris. — *Ib.* IV. d. 49. q. 3. n. 6. — *Report.* ib.

Prioritas quae includit * eas duas causas * posse esse sine se invicem absque contradictione, non est *ordo* in causis ut causant effectum communem, sed *simul* causant; sicut enim loquendo de diversis generibus causarum, non *prius natura materia* materiat quam *efficiens* efficiat, quasi sine contradictione possit esse *materiatum*, et *non effectum*, vel e converso, sed tantum *prius natura*, hoc est, *perfectius* una causat quam alia, ita in eodem genere causae diversae causae ordinatae licet habeant ordinem secundum *perfectius* et *imperfectius* causare, non tamen habent *prioritatem naturae*, quae dicat posse esse *sine se invicem* respectu tertii; imo sicut in *uno instanti naturae* materia materiat et efficiens efficit, ita duae causae efficientes ordinatae *in uno instanti naturae* causant *effectum communem*, ita quod neutra tunc causat sine altera. Sed quod effectus *non rectus* causetur, hoc non est nunc propter causam *priorem*, quae, quantum est ex se, recte causaret, si secunda causaret, sed propter defectum *secundae*, quae in potestate sua habet concausare causae primae, vel non concausare, et si non concausat illi, ut tenetur, non est rectitudo in effectu communi ambarum. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 15. — Vid. *Causa prima plus agit quam secunda.*

Causa quando corrumpitur non est causa. — Quia quod non *est* nullius est *causa*. — *Oxon.* I. d. 17. n. 11. — Quod non est nullam rationem *causae* habet respectu geniti quando generatur, *II. Physic.* t. 37. (1) et *V. Metahys.* t. 3.; quia *causa* in actu et *effectus* in actu *simul sunt* (2). — Patet etiam *ratione:* quia non ens quando non est nihil causat in quocumque ordine causae. — *Ib.* IV. d. 12. q. 3. n. 6. — Omne causans verum ens oportet, quod habeat aliquod esse *existentiae* inquantum est causa. — *Ib.* I. d. 13. n. 7.

Causa quanto prior tanto pauciora praesupponit. — *In illo genere causae: in alio genere hoc accidit.* — *Prima pars* probatur: quia non praesupponit nisi *priora.* — *Pars secunda* forte vera est in *fine* et *efficiente*, quod *priora* secundum ultimum sui non oportet tot in aliis causis praesupponere, quot oportet *posteriora;* et hoc loquendo de *priori* et *posteriori*, de *natura* et *arte*. In *materia* non tenet. In *forma* falsum est. Breviter non videtur probari alicui *per se*, ex ratione *prioritatis.* — *Theor.* XIX. concl. 17. n. 6.

Causa quanto prior tanto perfectior. — Ubi enim causalitatem concomitatur perfectio, ibi in ordine causalitatis concomitatur ordo perfectionis. — Hoc non est in *materia*, nisi sit perfectius in potentia, non propinqua, sed remota, et hoc est simpliciter imperfectius. — *Theor.* XIX. concl. 18. n. 6. — Cf. *Oxon.* I. d. 39. n. 12.

Causa quanto superior tanto perfectior in causando. — *Causa effectiva quanto superior tanto perfectior in causalitate;* ergo si supra istam datam est alia in infinitum superior in causando, illa erit in infinitum perfectior in causalitate, et per consequens habebit causalitatem infinite perfectam.

Causalitas autem causata vel dependens in causando non est infinite perfecta, quia

(1) Vid. *Causa et effectus simul sunt et non sunt.* = *Causa prior est causato.*

(2) Cf. exposit. Doctoris, n. 14.

est imperfecta respectu illius a quo dependet; ergo si in infinitum ascendatur in causis, aliqua erit omnino incausata, nec dependens in causando; et per consequens in illa erit status, sic quod ipsa erit effectiva, non causata, nec dependens in causando, et ab ipsa est omnis causalitas causae inferioris, vel saltem in virtute eius causat. — *Quodlib.* q. 7. n. 27. — Superior * igitur * causa est perfectior in causando; ergo in infinitum superior est in infinitum perfectior, et ita infinitae perfectionis in causando, et per consequens non causans in virtute alterius, quia quaelibet talis in virtute alterius causans est imperfecte causans, quia est dependens ab alia in causando. — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 14.

Causa quia dat esse, ideo effectus recipit esse, et non e contrario. — Dico, quod si intendas per ly *quia* reduplicationem *relationis* in causa, vel aliquam *realitatem novam* in causa, sive relativam, sive absolutam, propositio est falsa. Si autem intelligas reduplicare *actum primum* causae, qui praecedit *naturaliter* causatum, illo modo propositio est vera; absolutum enim in causa praecedit naturaliter causatum. — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. n. 8. — Vid. *Causa prior est causato.*

Causarum infinitas est impossibilis. — Philosophi non posuerunt infinitatem possibilem in causis *essentialiter ordinatis,* sed tantummodo in *accidentaliter ordinatis,* sicut patet per Avicennam, *VI. Metaph. cap. 5,* ubi loquitur de infinitate individuorum in specie.

Et ad propositum melius ostendendum, est sciendum quae sunt causae *essentialiter ordinatae,* et quae *accidentaliter ordinatae* (1). — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 11.

Ex his ostenditur propositum sic: *Infinitas essentialiter ordinatorum est impossibilis.* — Similiter secundo: *Infinitas accidentaliter ordinatorum est impossibilis,* nisi ponatur status in essentialiter ordinatis. — Ergo omni modo est impossibilis infinitas in essentialiter ordinatis. — Tertio, *si etiam negetur ordo essentialis, adhuc infinitas est impossibilis.* — Ergo omni modo est aliquod simpliciter primum effectivum.

Istarum trium propositionum assumptarum, propter brevitatem, prima dicatur A, secunda B, tertia C.

Probatio istarum: primo A, scilicet, quod *infinitas essentialiter ordinatorum est impossibilis:* tum quia universitas causatorum essentialiter ordinatorum est causata; ergo ab aliqua causa, quae non est aliquid illius universitatis, quia tunc esset causa sui; tota enim universitas dependentium dependet, et a nullo illius universitatis. — Tum *secundo,* quia causae infinitae essent simul in actu, ex *tertia differentia:* sed *consequens* nullus Philosophus ponit. — Tum *tertio, quia prius est quod est primo propinquius, ex V. Metaph.;* ergo ubi nullum primum, nihil essentialiter prius. — Tum *quarto,* quia superior causa est perfectior in causando, ex *secunda differentia;* ergo in infinitum superior est in infinitum perfectior, et ita infinitae perfectionis in causando, et per consequens non causans in virtute alterius, quia quaelibet talis in virtute alterius causans est imperfecte causans, quia est dependens ab alia in causando. — Tum *quinto,* quia *effectivum* nullam imperfectionem ponit necessario; ergo potest esse in aliquo sine imperfectione: sed si in nullo est sine dependentia ad aliquid prius, in nullo est sine imperfectione; ergo effectivitas independens potest inesse alicui naturae, et illa est simpliciter prima; ergo effectivitas simpliciter prima est possibilis; et hoc sufficit, quia inferius ex hoc concludetur, quod tale efficiens primum, si est *possibile,* est *in re* (1). — Et sic patet A quinque rationibus. — *Ib.* n. 14.

Probatur sic B, scilicet, quod *infinitas in accidentaliter ordinatis sit impossibilis,* nisi ponatur status essentialiter ordinatorum: quia infinitas *accidentalis,* si ponitur hoc, non est simul, patet, sed successive tantum, ut alterum post alterum, ita quod si secundum fluat aliquo modo a priore, non tamen dependet ab ipso in causando; potest enim causare ipso non existente, sicut filius ita generat

(1) Vid. Distinctiones: *Causae essentialiter et accidentaliter ordinatae.*

(1) Vid. *Effectivum primum actu existit.*

patre mortuo sicut ipso vivo: talis infinitas successionis est impossibilis, nisi continuetur vel perpetuetur ab aliqua natura infinite durante, a quo tota successio et quodlibet eius dependeat; nulla enim difformitas perpetuatur nisi in virtute alicuius permanentis, quod nihil est illius successionis, quia omnia successiva sunt eiusdem rationis, sed est aliquid prius essentialiter, quia quodlibet successionis dependet ab ipso, et hoc in alio ordine quam a causa proxima, quae est aliquid illius successionis. — Patet ergo B.

Probatur etiam C, quod, scilicet, *si negetur ordo essentialis, adhuc infinitas est impossibilis:* quia cum ex *prima ratione* hic adducta, scilicet, quod a nihilo non potest esse aliquid, sequitur quod aliqua natura sit effectiva, si negatur ordo essentialis activorum, igitur illa in nullius alterius virtute causat; et licet ipsa in aliquo singulari ponatur causata, tamen in aliquo erit non causata, quod est propositum de natura; si enim in quolibet ponatur causata, statim implicatur contradictio, negando ordinem essentialem, quia nulla natura potest poni in quolibet causata, ita quod sit ordo *accidentalis* sub ipsa sine ordine *essentiali* ad aliam naturam. Sic patet ex B. — *Ib.* n. 15. — *De Primo Princ.* c. 3 n. 2. seqq. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. S. un. c. 2. n. 9. — *QQ. Metaph.* l. II. q. 4. — q. 6. n. 9. seqq. — *Report.* I. d. 2. q. 2. n. 4.

Causarum quatuor genera in causando idem essentialiter ordinantur. — Videtur rationabile, quod multa a quibus aliquid dependet essentialiter ordinem habeant, secundum quem, scilicet, illud ab eis ordinate dependet: nam ex quibus non sit unum ut ex *actu* et *potentia,* si omnino nullam habent *unitatem ordinis,* non causant aliquid idem essentialiter. Cum igitur quatuor genera causarum non sunt partes alicuius compositi ex ipsis sicut ex *actu* vel *potentia,* si etiam omnino nullam habeant unitatem ordinis, inquantum causant, quomodo tunc aliquid idem causarent in causando causatum, quo ordine omnes sunt unum respectu tertii, scilicet in causando? Si inter causas sit ordo *dependentiae;* igitur una causat aliam inquantum causa: non enim potest ibi poni causatum prius; ergo *finis* causat *efficientiam;* quae tamen non efficitur propter processum in infinitum; igitur est falsa. Item, si una causa causat *causationem* alterius, ut finis ipsius efficientis, et sic ultra, tunc illa vel erit immediate causatum a quatuor causis, et sic causatum a quatuor causis non erit proximum causatum, nisi unius vel duarum; * si * omnino nullam habent *unitatem ordinis* inquantum causant, quomodo tunc idem aliquid causarent? Ergo habent *unitatem ordinis,* inquantum causant causatum; quo ordine sunt omnes unum respectu tertii, scilicet, in *causando,* sicut multa in universo per ordinem sunt unum in *essendo.*

Et *qualis* sit *ordo* istorum generum, patet ex dictis: de *fine* et *efficiente* inter se ex *secunda* probatione *quartae* (1) et *secunda* probatione *sextae* (2); et *intrinsecarum* ad extrinsecas ex eisdem et ex *octava* (3). *Qualis* autem sit *ordo intrinsecarum inter se,* nolo multum prosequi inquirendo, quia parum illis utar in processu; videtur tamen *materia* prior secundum *independentiam;* quia *concernens* * (a. *contingens*) * et *informans* videtur *dependere* a *permanente* et *informato,* quia formatum praeintelligitur informabile. Et ita exponunt quidam August., *Confess.* lib. XII. c. 4. et *De Gen. ad lit.* c. 14, de prioritate *materiae* respectu *formae.* — Et si quaeras, *quo ordine est prior?* Respondeo: sicut causatum propinquius, inquam, necessario, secundum istum ordinem, secundum quem nunc forma causatur de materia prius causata ab ipso. — Tamen forma est prior secundum *eminentiam* (4), quia *perfectior,* quod tamquam planum accipit Aristoteles *VII. Metaph. text. com. 7.,* ubi comparat ea; licet ex dictis eius alibi, *IX. Metaph. text. com. 13 et inde,* de *actu* et *potentia,* posset probari. Intellige autem, quod aliud est causas *in causando* sive *secundum causationem* esse essentialiter ordinatas, et aliud

---

(1) Vid. *Finitum quod non est non est effectum.*

(2) Vid. *Effectum quod non est non est materiatum.*

(3) Vid. *Causa extrinseca cuius non est eius non est causa intrinseca.*

(4) Vid. *Forma prior materia et composito.*

est ea quae sunt *causae* esse essentialiter ordinata; sicut patet per Avicennam, *VI. Metaph. c. 5.* Nam *primum* verum est et ostensum, alias istae essent falsae: *quia amat finem, ideo efficit effectum:* et *quia efficit, ideo forma informat, et materia materiat;* quae tamen communiter admittuntur. *Secundum* autem falsum est: nam illud quod est *finis* non est causa eius quod est *efficiens,* nec quandoque e converso. Communiter autem illud quod est *efficiens* non est causa eius quod est *materia,* quia eam supponit. *Causationem* autem unius causae esse essentialiter ordinatam ad aliam est ipsam non esse causam eiusdem nisi virtute alterius, suo modo causantis: quod quidem *causare in virtute* nullam dependentiam ponit in ipso quod est causa posterior; nec aliquid absolutum a priori receptum in ipso, sed tantum aliquid ab eis esse *ordinate,* prius ab uno quam ab alio, et unum prius causatum alterius quam causatum amborum, sicut alibi de *causis essentialiter ordinatis* diffusius explicavi. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 6. — * Nam * **A** agere in virtute **B** potest intelligi dupliciter: vel quod **A** recipiat ab ipso **B** *formam* qua agat, vel quod habita forma, recipiat ab ipso ipsam *actionem* vel *motum ad actionem.* — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 34.

Diceretur, quia licet sit aliquando ordo causarum principalium et minus principalium, quarum neutra movet aliam, sicut se habent obiectum et potentia cognitiva respectu actus cognoscendi, ex *dist. 3. primi libri,* aliquando autem sit ordo, ita quod principale movet minus principale vel ad actum *secundum* vel *primum,* ita tamen quod si istae duae causae sint *partiales,* et integrent per se unam causam totalem, sicut manus et baculus respectu motus pilae, tamen in causis *totalibus,* respectu suorum effectuum immediatorum potest etiam esse *ordo essentialis,* ita quod causa secunda sit causa totalis immediata respectu sui effectus, sicut causa prima respectu sui effectus, et tamen essentialiter sit secunda, quia secundum suam causationem, sicut secundum suum esse, essentialiter dependet a prima, non tamen ita quod ista dependentia sit immediata effectus sui ad ipsam et ad causam priorem. — Et cum dicit illa propositio, quod *causa prima plus causat,* verum est, quia causat secundam. *Exemplum* huius poni posset in causis essentialiter ordinatis alio modo causando. Si enim ponamus plures materias ordinatas in composito respectu ultimae formae, non quaelibet istarum materiat respectu ultimae formae, ita quod quaelibet earum perficiatur ab ultima forma, sed solum ultima materia; quaecumque autem prior sit perficietur ab aliqua forma priore, quae constituit materiale respectu posterioris. — *Ib.* d. 37. q. 2. n. 7. (1).

Causas per quas aliquid nascitur, per easdem dissolvitur. *(Extra, De Reg. Iur.).* — Illa regula *praecise* vera est de dissolubilibus. — *Oxon.* IV. d. 33. q. 3. n. 9. — *Report.* ib. n. 12.

Causa sufficienter agente sequitur effectus. — Illud quod sufficienter est in *actu primo* respectu alicuius effectus potest illum causare in receptivo proportionato approximato. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 15. — *Causa* enim *sufficiente agente, sequitur effectus,* maxime quando passivum est debite approximatum. — *Ib.* d. 39. q. 2. n. 3. — * Et * posita causa totali efficacius operante, sequitur perfectior actio. — *Ib.* I. d. 3. q. 7. n. 20.

Causa superiore non agente, nec inferior agit. — Potentia activa causae inferioris est *remota* quando causa superior non agit, ita quod numquam est causa inferior in potentia *propinqua* ad effectum, nisi causa superiori agente, quia illa superior primo determinatur, et ipsa determinata, inferior necessario cooperatur, si inferior sit causa naturalis. — *Oxon.* III. d. 4. n. 12.

Causa suiipsius nihil est. — Ex definitione *causae* probatur (2). — *Theor.* XIX. concl. 1. n. 1.

Causati eiusdem duas esse causas totales est impossibile. — Non possunt esse duae causae *totales* causantes idem causatum: quia vel illud bis acciperet esse, vel non

(1) Ubi tamen non ex mente propria loquitur Doctor, sed in aliorum hypothesi, negantium Deum influere immediate in actum liberum.

(2) Vid. Distinctiones: *Causa.*

utraque ut distincta ab alia esset causa completa. — *Quodlib.* q. 7. n. 35. — * Ideo * *eiusdem causati duas esse causas totales* vel perfectas *in eodem ordine* est impossibile: tunc enim esset aliquid in aliquo ordine *per se causa,* quo non posito, nihil minus esset id perfecte causatum. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 19. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 11. — * Bene vero * eiusdem effectus diversae sunt causae * *partiales* *, non solum loquendo de causis *per accidens,* imo etiam loquendo de causis *per se:* ut statuae *aes* est causa *materialis,* sed statuae *factor* est causa *efficiens.* — *Physic.* II. exposit. text. 30. n. 24. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. V. s. un. c. 2. n. 10. — Vid. *Effectus eiusdem non sunt plures causae totales.*

Causatum prius non potest posterius causari. — Quod dicitur, quod *prius causatum non potest posterius causari,* concedatur, referendo *prius* et *posterius* ad ipsum *causari;* sed non propter hoc est negandum quin *prius* habens virtutem causandi, et *posterius origine* habens eamdem, possint per ipsam *simul natura* habitam in utroque *simul* effectum causare. — *Quodlib.* q. 8. n. 19.

Causa universalior perfectior. — Quando sunt duae causae subordinatae, ambae causant effectum; sed aliter et aliter, quia superior plus causat. — *Oxon.* I. d. 36. n. 15. — Quia quando causarum ordinatarum altera est indeterminata ad multos effectus et quasi illimitata, altera autem quasi secundum ultimum virtutis suae determinata ad certum effectum, illa quae est illimitatior et *universalior* videtur esse principalior et perfectior. — *Ib.* d. 3. q. 8. n. 2.

Charitas quae deseri potest nunquam vera fuit. (August. in serm. *De Operib. miseric.*). — Quod dicitur de *charitate* oportet exponi: quia aliquis vere fuit in charitate, qui postea peccavit mortaliter; sed non fuit vera charitas, id est, *vere coniungens* fini, scilicet, *beatitudini.* — *Oxon.* III. d. 36. n. 10.

Circulus in ordine essentiali est impossibilis. — *In quolibet ordine essentiali est circulus impossibilis.* — Quia quidquid est prius priori est prius posteriori. Sequitur oppositum primae ex secunda negata. Idem etiam erit prius et posterius eodem, et perfectius et minus perfectum eodem, et dependens et independens respectu eiusdem; quae longe sunt a vero. Hunc circulum excludit Aristoteles a demonstrationibus, *I. Poster. text. com. 6 et inde.* Nec minus impossibilis est in rebus. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 1. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 7. — Nam circulum in causis esse est inconveniens. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 11. — In causis *eiusdem ordinis* non est circulus. — *Ib.* IV. d. 49. q. 16. n. 13. — * Sed * non est inconveniens esse circulum ubi causa superior non est simpliciter necessaria, sed contingenter concurrit cum inferiori, et potest effectus inferioris esse sine illa. In causis autem *naturalibus* et *necessariis ordinatis* simpliciter illa propositio est vera. — *Ib.* II. d. 42. q. 4. n. 12. — Cf. ib. III. d. 36. n. 12.

Cognitio dependet a potentia et ab obiecto. — *Cognitio dependet ab anima cognoscente et obiecto cognito;* quia, secundum Augustinum, *IX. De Trinitate,* cap. ult., *a cognoscente et cognito paritur notitia.* Licet ergo anima habeat sufficiens activum et passivum intra se pro quanto *actio* respectu cognitionis *convenit animae,* non tamen habet intra se sufficiens activum pro quanto *actio convenit obiecto;* quia sic est ut tabula nuda, ut dicitur *III. De Anima.* — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 25. — Vid. *Anima est tamquam tabula rasa.*

Cognitio fidei eminentior est omni cognitione naturali. — Dicendum, quod *cognitio fidei est nobilior et excellentior* aliquo modo *omni cognitione naturali,* et aliquo modo minus nobilis et minus excellens. Nam cognitio fidei per comparationem ad *causam suam* est excellentior omni alia cognitione, quia non potest causari nisi a solo Deo et causa supernaturali. — Si tamen consideremus ut aliquid *in se formaliter,* et ut aliqua *perfectio intellectus,* et etiam in comparatione ad *subiectum suum formale,* sic est propositio falsa; Angeli enim possunt habere perfectiorem notitiam, quia *magis evidentem* et claram in se, et respectu *ob-*

iecti perfectioris, quam sit obiectum fidei, quia respectu obiecti supernaturalis *in se visi*. Patet hoc in nobis, quia tantum habemus cognitionem fidei de passione Christi, quam ipsi et Christum passum intuitive viderunt, et ideo simpliciter nobiliorem cognitionem habuerunt, quam sit illa *fidei*. — *Report.* IV. d. 10. q. 9. n. 12. — *Oxon.* ib. d. 9. q. 8. n. 12.

Cognitio intuitiva perfectior abstractiva. — Nulla cognitio abstractiva alicuius obiecti perfectior est cognitione intuitiva; quia cognitio abstractiva per speciem potest esse de re non existente in se praesentialiter, et ita non perfectissime cognoscitur nec attingitur. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 19.

Cognitio omnis fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum. — Dicitur, quod *omnis cognitio fit per assimilationem* tamquam per aliquam *habitudinem mediam* cognoscentis ad cognitum: non quod assimilatio sit *obiectum* ipsum, sed aliquid communicans ipsum, sicut quaedam relatio. — *Exemplum:* color omnis est *visibilis:* non quod *visibilitas* sit *ratio obiectiva*, sed est quaedam relatio media communicans colorem prout comparatur ad potentiam visivam. Et ita ly *per* potest dicere circumstantiam *modi* obiecti referentis unum ad aliud obiectum et ad potentiam. — *Collat.* XIX. n. 2.

Cognitio practica nobilior speculativa. — * Dicitur * *omni practica aliqua speculativa est nobilior;* quia speculativa est *sui* gratia; practica vero gratia *usus*. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 1. — *Dico*, quod *nobilitatis* est in inferiori attingere suum superius, secundum Philosophum, *VII. Polit.;* unde sensitiva hominis est nobilior, quia ordinatur ad intellectivam, quam sensitiva bruti; nobilitatis igitur est in scientia ordinari ad actum nobilioris potentiae. Sed Philosophus non ponit aliquam scientiam esse conformem praxi voluntatis circa finem; quia non ponit voluntatem circa finem habere praxim, sed quamdam motionem simplicem naturalem; ideo nullam posuit posse esse nobiliorem per conformitatem ad finem. Si tamen posuisset aliquam praxim circa *finem*, non negasset, ut videtur, scientiam practicam respectu istius praxis esse nobiliorem speculativa scientia circa idem: puta, si aliqua esset speculativa circa illa, circa quae est scientia Moralis, non diceret istam speculativam esse nobiliorem Morali scientia. Nos autem ponimus esse *veram praxim* circa *finem*, cui nata est esse cognitio conformis, et ideo ponimus cognitionem *practicam* circa *finem* nobiliorem esse omni *speculativa*. — Igitur propositio * praedicta * quae videtur posse sumi ex *I. Metaphysicae*, quamvis eam expresse non dicit Philosophus, neganda est.

Ad primam probationem eius, (quia speculativa est *sui* gratia, practica vero gratia *usus*). dico, quod scientia illa est nobilior quae est *sui* gratia, quam quae est gratia alicuius actus *inferioris* se. Quaelibet autem scientia quam ipse posuit *practicam* est gratia alicuius inferioris se, quam sit consideratio speculativa, quia saltem circa obiectum aliquod inferius quam quod ponit esse obiectum speculativae, et ideo qualibet practica quam ipse ponit est nobilior aliqua speculativa. Quae autem est gratia alterius actus *nobilioris* suo proprio actu non est ignobilior propter talem ordinem: tunc enim sensitiva nostra esset ignobilior sensitiva bruti. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 42. — Cf. *QQ. Metaph.* l. I. q. 8.

Cognitio speculativa certior practica. — Cum dicitur, quia *speculativa est certior, dico*, quod quaelibet cognitio scientifica respectu sui obiecti est *aeque certa* secundum *proportionem*, quia utraque resolvitur in sua principia immediata; sed non *aeque certa* secundum *quantitatem;* quia haec sunt cognoscibilia certiora illis, sicut obiecta, de quibus ponit Philosophus scientias *practicas*, sunt minus perfecte cognoscibilia in se quam de quibus ponit aliquam *speculativam*, ideo aliqua *speculativa* secundum Philosophum ponitur *certior* omni *practica* secundum *quantitatem*. Nos autem ponimus *cognoscibile operabile*, hoc est, attingibile per operationem, quae est vere *praxis*, in se esse *maxime cognoscibile;* et ideo ponimus scientiam de ipso, nec secundum *quantitatem* certitudinis, sicut nec secundum *proportionem*, ab aliqua alia excedi. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 42.

Cognitio substantiarum separatarum est nobilissima. — Quia est circa nobilissimum genus; ergo cognitio eorum quae sunt propria eis est maxime nobilis et necessaria; nam illa propria eis sunt nobiliora et perfectiora cognoscibilia, quam illa in quibus conveniunt cum sensibilibus. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 14.

Cognoscens oportet esse denudatum ab eo quod cognoscit. — Ratio istius propositionis in potentiis *sensitivis* est vera, eo quod omnis potentia *sensitiva* requirit *determinatum* organum; unde ex determinato numero potentiarum organicarum concludit Philosophus, *II. De Anima*, determinatum numerum actionum vel obiectorum. — Istud autem organum oportet ita esse dispositum, ut possit recipere ipsum sensibile sine materia, et in corporalibus quidquid est receptivum formae sine materia non est receptivum formae communiter cum materia; ideo dico *communiter*, quia non est modo sermo de organo *tactus*, de quo est difficultas specialis. Organum igitur *sensus* oportet esse tale, hoc est, *carens obiecto* secundum suum esse materiale et sensibile, non tantum in actu, sed etiam potentia, quod non sit receptivum istius secundum esse materiale, secundum quod esse ipsum est obiectum sensus, sicut bene apparet de *colore*, cuius receptivum secundum esse *materiale* est *superficies* corporis *terminati;* receptivum autem eius *sine materia* est corpus *perspicuum*, sive non determinatum. Et ita *oppositae* dispositiones requiruntur in organo sensus, quod debet esse receptivum sensibilis *sine materia*, et in eo quod debet recipere obiectum *secundum esse materiale;* ideo oportet organum denudari a forma quam recipit, et per consequens sensum qui est in tali organo. Ex quo sequitur propositum Philosophi, *III. De Anima*, quod, scilicet, *intellectus* non sit potentia *organica*, et ideo separatur ab omni materia, sicut ab omni organo quo operatur. Si enim requireret aliquod, illud esset determinatae dispositionis, sicut est omne organum corporeum, et ideo, ex hoc, quod esset receptivus aliquorum secundum esse materiale determinatum, propter determinatam dispositionem corporis, non esset receptivus omnium formarum corporalium secundum esse immateriale, et ita intellectus non posset recipere formas omnium materialium ut obiectorum, si esset virtus materialis et organica. Tamen hoc habito, quod sit non organica, non oportet ipsum esse *non tale realiter*, quale illud cuius debet esse receptivus *intellectualiter*. Non enim oportet oppositam esse dispositionem in receptivo alicuius realiter et intellectualiter, supposito quod intellectus non sit virtus organica, quod tamen requireretur, si esset virtus organica; idem enim intellectus potest esse ipsemet realiter et in actu per habitum realiter, et tamen receptivus intellectualiter, et sui, et habitus, et cuiuscumque informantis eum realiter. Et est tota ratio, quia talia sic recepta *intellectualiter* non requirunt in recipiente *determinatam* dispositionem *oppositam* enti intelligibili *reali.*

Ista igitur propositio, quae dicit quod oportet *cognoscens esse non tale*, vel *esse denudatum ab eo quod cognoscit vel recipit*, et a *ratione cognoscendi*, si generaliter accipiatur, concludit omnem intellectum esse *nihil*, quia omnis intellectus secundum se est *totius entis*, et ita ipse nihil erit entium. Et intellectus iste est falsus. Sed tantum non est *materiale* vel *organicum*, ut sit capax *omnium*, quia si esset materiale vel organicum, esset tantum capax aliquorum sine materia, quorum talis receptio non repugnaret suae entitati materiali; suae autem entitati intellectuali non repugnat receptio intellectualis quorumcumque. — *Oxon.* II. d. 3. q. 8. n. 16.

Cognoscibilia quo perfectiora eo priora. — De ordine *perfectionis* distinguo: quod *perfectius intelligibile* a nobis potest intelligi dupliciter: aut *simpliciter*, aut *secundum proportionem*. Ista distinctio habetur a Philosopho, *II. De Animalibus*, ubi vult, quod licet de *immaterialibus* habeamus minimam cognitionem, quod est intelligendum *proportionaliter*, tamen illa est desiderabilior cognitione magna quae potest haberi de *materialibus*, quae est magna in comparatione ad illa cognoscibilia.

Loquendo ergo de ordine *perfectionis simpliciter*, dico, quod *perfectissimum cognoscibile a nobis etiam naturaliter est*

Deus. — Unde in hoc etiam ponit Philosophus felicitatem naturalem, *X. Ethic.* — Et post ipsum *species specialissima perfectior* in universo; et deinde *species proxima* illi; et sic usque ad ultimam speciem; et post omnes species specialissimas *genus proximum* abstrahibile a specie perfectissima; et sic semper resolvendo. Et ratio omnium istorum est, quia attingere *actualius* obiectum est intellectio *perfectior* simpliciter, quia habet aequalem perfectionem ex parte *intellectus* cum quacumque alia intellectione, vel non minorem, et habet perfectionem multo maiorem ex parte *obiecti;* quae duo, scilicet, perfectio *potentiae* et perfectio *obiecti,* sunt causa perfectissimae cognitionis sive intellectionis.

Si loquamur de notitia *perfectiore secundum proportionem* ad cognoscibile, dico, quod *perfectiora sensibilia* et sensus efficacius moventia sunt perfectius cognoscibilia *secundum proportionem,* quia intellectus noster plus attingit ad illa secundum gradus cognoscibilitatis eorum; et quae sunt remotiora ab illis sunt minus cognoscibilia *secundum proportionem* suae cognoscibilitatis. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 29.

Cognoscibilia quo superiora eo prius distincte cognita. — Quia primum sic conceptum est communissimum, et quae sunt propinquiora sibi sunt priora, et quae sunt remotiora posteriora sunt. — *Hoc sic probo:* quia nihil concipitur *distincte,* nisi quando concipiuntur omnia quae includuntur in ratione eius essentiali: *ens* includitur quidditative in omnibus conceptibus quidditativis inferioribus; ergo nullus conceptus inferior *distincte* concipitur nisi concepto *ente.* Ens autem non potest concipi nisi *distincte,* quia habet conceptum *simpliciter simplicem;* ergo potest concipi distincte sine aliis, et alii non sine eo *distincte* concepto; ergo *ens* est primus conceptus *distincte* conceptibilis. — Ex hoc sequitur, quod ea quae sunt sibi propinquiora sunt priora, quia cognoscere *distincte* habetur per definitionem, quae inquiritur per viam divisionis, incipiendo ab *ente* usque ad conceptum definiti. In divisione autem prius concurrunt conceptus communiores, deinde genera et differentiae, in quibus concipitur distincte conceptus inferior. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 24.

Cognoscitur nihil nisi per hoc quod cognitum est in cognoscente per modum cognoscentis vel per modum naturae suae. — Quando dicitur, quod *nihil cognoscitur nisi per hoc, quod cognitum est in cognoscente,* concedatur suo modo *essendi in,* scilicet, per *speciem obiecti,* vel per *habitum* secundum alios, vel per *actum;* non curo. — Quando autem additur, quod cognitum est in cognoscente per *modum naturae suae,* ex hoc habemus tantum, quod cognitio est perfectio *proportionata* naturae cognoscentis, et quod per cognitionem obiectum est proportionatum naturae cognoscentis. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 4. — *Report.* ib. q. 10. n. 4. — Quia cognitio potest esse obiecti alicuius habentis in se modum essendi superiorem quam sit modus essendi ipsius cognoscentis. — *Oxon.* loc. cit. — Quia licet *cognitio* non sit supra naturam cognoscentis, est tamen obiecti habentis modum cognoscibilis et modum naturae ultra modum naturae cognoscentis; aliter nunquam imperfectius cognosceret perfectius naturaliter; nec tunc Angelus infimus posset cognoscere naturaliter Angelum supremum. — Similiter, tunc intellectus Beati cum lumine et cum quocumque habitu claritatis non posset pertingere ad visionem essentiae divinae; quia modus cognoscentis cum omnibus illis exceditur a *modo rei cognitae;* igitur totum illud non esset adhuc sufficiens principium cognoscendi. — *Report.* loc. cit. — Tunc nec cum lumine gloriae vel quocumque habitu esset possibile creaturae videre Deum; quia esse Dei excedit modum essendi ipsius, imo totum istum intellectum, et habitum et lumen. — *Oxon.* ib. et n. 5.

Commune omnibus in eadem specie est naturale. — Secundum Damascenum, lib. III. c. 14., *quod commune est omnibus in eadem specie naturale est.* — Auctoritas Damasceni intelligenda est de eo quod est commune omnibus in specie a principio *intrinseco* vel a causa *naturali.* Et patet quod sic intelligit, quia propositionem sic intellectam applicat ad operationem duplicem de Christo, qui est in omnibus in specie hu-

mana a causa *intrinseca* vel saltem *naturali*. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 4. n. 6. — *Report.* ib.

Communiora prius cognoscuntur. — Quantum ad notitiam *habitualem* vel *virtualem* (1), dico, quod *communiora sunt prius nota* via *originis* vel *generationis*. — *Quod probatur:* quia sicut diversae formae perficientes idem perfectibile ordine quodam natae sunt mediatius et immediatius informare illud vel perficere, ita si eadem forma contineat in se virtualiter perfectionem illarum formarum ordinatarum, quasi consimili ordine naturae perficiet illud perfectibile: sicut si forma *corporis, substantiae*, etc. essent aliae formae in aliquo, per prius informaret forma *substantiae*, et deinde forma *corporis*, etc.; ita si una forma includat virtualiter omnes illas, ipsa quasi prius perficiet *materiam* sub ratione *substantiae* quam sub ratione *corporis;* et semper in illa via *generationis imperfectius* erit *prius*, quia proceditur a *potentia* ad *actum;* ergo sicut conceptus plures communiores et minus communes, habituales vel virtuales, nati sunt perficere intellectum via *generationis* vel *originis*, ita quod imperfectior semper prius, ita si unus conceptus virtualiter includit omnes istos, prius perficiet sub ratione conceptus prioris et *universalioris*, quam sub ratione conceptus *particularis*. Hoc de ordine *originis* sive *generationis*. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 28.

Comparabile non quodlibet est cuilibet in quolibet. — *Non quodlibet cuilibet est comparabile in quolibet.* — *Probatur:* quia aliquid est quod de aliquibus duobus dicitur *aequivoce*, ut *longitudo* de *linea*, et de *tempore;* igitur in illo ipsa non sunt comparabilia. — *Secundo* aliquid est quod non recipit comparationem; igitur in illo nulla sunt comparabilia. Tenet *consequentia* per conditiones prius positas (2). — *Tertio*, patet *exemplariter*, quia *homo* et *Angelus* non comparantur ad invicem in *albedine*. — *Physic.* VII. q. 5. n. 5.

Comparabile quodlibet est cuilibet in aliquo. — *Quodlibet est comparabile cuilibet in aliquo.* — *Probatur:* quia de quibuscumque dicitur aliquid *univoce* denominative, quod suscipit *magis* et *minus;* igitur quodlibet est comparabile cuilibet in aliquo. — *Consequentia tenet;* quia hoc sufficit ad hoc, quod aliqua comparentur. — Et *antecedens patet;* quia de quibuscumque duobus dicitur *perfectum, notum, durans*, et huiusmodi, quorum quodlibet dicitur secundum *magis* et *minus:* Verbi gratia, *substantia* est comparabilis *accidenti* in *perfectione*, quia, ut patet *VII. Metaph. text. 4.*, substantia est *perfectior* accidente, natura, tempore, et definitione. — Modo minus videtur, quod ista sint ad invicem comparabilia in aliquo, quam de aliis; et tamen ista comparantur; multo fortius sunt comparabilia ad invicem. — *Physic.* VII. q. 5. n. 5.

Comparatio omnis est secundum aliquod univocum. — Notandum, quod ad *comparationem* requiruntur *tria:* primo illa *duo* quorum unum alteri comparatur; et *tertio* illud in quo fit *comparatio;* et illud debet recipere comparationem, ita ut possit praedicari cum istis adverbiis *magis* et *minus*.

Vult igitur Aristoteles probare, quod illud *in quo fit comparatio* unius ad alterum debet dici *univoce* de quolibet illorum. Et ista conclusio *probatur*, quia *stylus* et *vox* non comparantur ad invicem in acutie, sed *stylus* et *cultellus* bene comparantur; et non propter aliam rationem, nisi quia *acutum* dicitur *univoce* de *stylo* et *cultello;* sed dicitur *aequivoce* de *stylo* et *voce*. Igitur ad hoc, quod aliquorum sit comparatio in aliquo tertio, requiritur, quod illud tertium dicatur de quolibet illorum *univoce*. — *Physic.* VII. exposit. text. 24. n. 11. — Ponit *secundum rationem* ad conclusionem: quia aliqua sunt comparabilia, et aliqua non; et non est ratio, nisi quia de ipsis aliquid dicitur *univoce*, et aliquid *aequivoce;* igitur in hoc non sunt aliqua comparabilia, quod dicitur de eis *aequivoce*. — *Ib.* n. 12.

Aristoteles intelligit ibi de *comparatione* quae est secundum aliquam naturam *participatam ab utroque extremo* secundum *magis* et *minus;* quia *magis* et *minus* non faciunt *aequivocationem*. — *Super Praedic.* q. 4. n. 10.

(1) Vid. Distinctiones: *Notitia habitualis-actualis.*
(2) Vid. Distinctiones: *Comparatio.*

Sicut enim *comparatio simpliciter* est in *simpliciter univoco, VII. Physic.*, ita *omnis comparatio* est in *aliqualiter univoco.* Quando enim dicitur, *hoc est perfectius illo,* si quaeratur *quid perfectius,* oportet ibi assignare aliquid *commune utrique,* ita quod omnis comparativi *determinabile* commune est utrique extremo comparationis; non enim *homo* est *perfectior homo* quam *asinus,* sed *perfectius animal.* Et ita si aliqua comparantur in *entitate,* in qua est attributio unius ad alterum, *hoc perfectius* est *illo. Quid* perfectius? *Ens* perfectius. Ergo oportet *entitatem* esse aliquo modo *communem* utrique extremo. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 12.

Ponit *secundam conclusionem:* ad hoc, quod aliqua sint comparabilia in aliquo, non sufficit, quod illud tertium dicatur de illis univoce, sed requiritur, quod illud tertium sit *species specialissima,* et non genus. — Quod patet *exemplariter:* quia non comparamus aliqua invicem secundum *coloratum,* sed secundum *album* et *nigrum;* et causa huius est, quia huiusmodi genera non recipiunt comparationem. — *Physic.* ib.

Vel aliter: *univocum* apud Logicum dicitur omne illud quod per unam rationem devenit apud intellectum, secundum quam dicitur de multis: apud Naturalem vero non est omne tale, sed tantum quod est unum secundum ultimam formam completivam; unde dicitur *VII. Physic., In genere multae latent aequivocationes* (1), quod tamen Logicus non concedit. Unde si dicatur, secundum *omne* univocum fieri comparationem, intelligendum est tantum de univoco secundum Naturalem, quod est tantum *species specialissima;* non de omni univoco quoad Logicum, quomodo genus est univocum. — *Super Praedic.* q. 7. n. 3.

Quia, secundum Philosophum, *VII. Physic.*, in specie *ultima* fit comparatio, quia est una natura; non autem in *genere,* quia genus non habet talem unitatem. Philosophus intendit naturam specificam ibi esse *unam* unitate naturae specificae; non autem intendit ipsam esse unam unitate *numerali,* quia in *unitate numerali* non fit comparatio. — *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 3.

Complexio contingens non est nata cognosci ex terminis. — Quia tunc non tantum esset *necessaria,* sed etiam *prima* et *immediata.* Ergo rationes cognoscendi terminorum, quantumcumque perfecte repraesentent eos, non sunt sufficientes causae cognoscendi illam complexionem contingentem. — *Oxon.* I. d. 39. n. 7. — Quia ex cognitione terminorum non potest cognosci veritas complexorum contingentium de illis terminis, quia illarum complexionum veritas non includitur in terminis. — *Ib.* III. d. 14. q. 3. n. 6. — Cf. II. d. 3. q. 11. n. 11. — d. 9. q. 2. n. 20. — *Report.* I. d. 38. n. 3.

Componibile caret perfectione illius cum quo componitur. — Omne *componibile caret perfectione illius cum quo componitur,* ita quod illud aliud componibile non habet in se omnem perfectionem et omnimodam identatem cum illo, quia tunc non posset cum illo componi. — *Oxon.* I. d. 8. q. 1. n. 5.

Compositi cuiuslibet naturalis sunt quatuor causae. — *Cuiuslibet compositi naturalis sunt quatuor causae.* — Probatur: quia quodlibet compositum naturale vel est *compositum,* vel de *novo genitum.* Si de *novo genitum,* igitur est productum ab aliqua *causa,* cum nihil efficiat seipsum, et sic est causa *efficiens;* et cum omne agens agat propter *finem,* sequitur quod talis compositi est aliqua causa *finalis;* et cum sit compositum, sequitur quod habeat *materiam* et *formam.* — *Physic.* II. q. 7. n. 4.

Compositi uniuscuiusque est aliquis proprius actus uniens et simplex. — Ab illo namque est unitas compositi in se, et distinctio ab alio; actus enim distinguit; igitur est *proprius.* — Sed et *unicus,* quia quodlibet compositi respectu eius est potentiale, et ita non est actus huius compositi, licet respectu alicuius in composito possit dici actus. — Propter idem *simplex;* alias aliquid eius erit ultimus actus. — *Theor.* XII.

Compositum ideo per se unum quia ex actu et potentia. — Nihil est compositum sine unione partium componentium, ita quod partibus separatis non manet compositum. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 11. — Quia *compo-*

---

(1) Vid. *Genere (in) latent aequivocationes.*

situm non est illud quod est nisi ex partibus; et hoc non ut divisis, sed ut unitis, ut patet ex *VII. Metaph.*, respectu huius syllabae *ab*, de *a* et *b*, et ita universaliter de *partibus* in *toto*. — Nec solum est hoc verum de partibus *materialibus*, quas vocat *ibi* Philosophus *elementa*, sed etiam de partibus *essentialibus*, quae sunt *materia* et *forma; compositum* enim *ex hoc unum est, quia hoc est potentia et illud actus*, sicut vult *VIII. Metaph.*, hoc est, quia una pars quae est *potentialis* informatur, et alia quae est *actus* informat ipsam. — *Quodlib.* q. 9. n. 8. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 15.

Sed quaero de *partibus compositi*, unde habent quod istae dant esse per se unum, et aliae non? — Respondeo: Philosophus, *VIII. Metaph.*, quaerit, quare aliquid est *unum*, et dicit, quod *simplex* est *unum*, quia *statim* est *id quod est*. — Sed in *compositis* est dare aliquam rationem, et nescivit Philosophus aliam dare, nisi quia *hoc* est *actus*, et illud *potentia*, ita quod hoc est potentia *essentialiter receptiva* secundum totum genus suum, et illud actus *essentialiter perficiens* aliud; et ideo ex his fit *unum per se*, scilicet, ex *materia* et *forma*. — Non sic est de *subiecto* et *accidente;* quia enim tam *materia* quam *forma* sunt causae *intrinsecae* entis *compositi*, ideo faciunt *per se unum; albedo* vero et *homo* non sunt causae intrinsecae, quia homo in ultima actualitate sua potest esse sine albedine, et ideo nec per se habet potentialitatem ad albedinem, et ideo tantum faciunt *unum per accidens*. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 14. — *Report.* ib. n. 15. seqq. — Oportet enim ad *unitatem per se compositi* materiam recipere formam et subesse formae: non quod tunc materiae detur aliqua actualitas nova quando non est sub forma. — *Ib.* q. 2. n. 9. — Quando ergo quaeritur, quare *hoc compositum* est *per se unum?*, non est reddenda alia causa, nisi quia habet *talem formam*, quae est *per se ens*, ideo *per se unum;* et ita de *composito* non est alia causa reddenda. — *Ib.* d. 1. n. 13. — Quod Philosophus innuit *VIII. Metaph.*, ubi respondens ad quaestionem de *unitate compositi*, quomodo fiat *unum per se* ex *materia* et *forma*, assignat pro causa, quia *hoc per se actus, illud per se potentia;* et sicut *hoc* est *actus per se, illud potentia per se*, ita *hoc totum* est *unum per se;* et sicut hoc est *actus per accidens* et *illud potentia per accidens*, ita *hoc totum* constitutum est *unum per accidens*. Quare autem *ista* entitas est *per se* actus respectu unius, et *alia* tantum *per accidens* respectu alterius, non est ratio, nisi quia haec entitas est haec entitas. — *Oxon.* III. d. 2. q. 2. n. 19. — Cf. ib. d. 22. n. 6.

Est autem advertendum, ad *explanationem omnium dictorum*, quod quamvis compositum essentialiter sit unum, ex essentiali unione formae ad materiam, illa tamen unitas compositi *principalius* surgit *ex unitate formae* quam ex unitate materiae, et magis est ei attribuenda tamquam actuanti vel determinanti, quam materiae suscipienti.

Si enim materia ut pars compositi, ens actu prope nihil, aliquid haberet in sua actualitate formae, nunquam ex eis fieret unum, nisi per aggregationem, sicut quia hic lapis habet aliquo modo materiam alterius actu, quia uterque est lapis, numquam ex eis fit unum, nisi per aggregationem. Nunc autem materia, ut est actu et pars compositi, in illa actualitate quam habet ut est effectus Dei, cum illa sit indivisa, omnino indeterminata, nihil habet omnino de actualitate alicuius formae; sed est in potentia passiva et receptiva omnium formarum universaliter, circa quod tamquam ex parte potentiali *pure* (dico ita ad excludendum omnem formam et actum eius) et pure primo actuali fit unum per essentiam, ex materia, scilicet, et forma, ut dicit Commentator super *IX. Metaphys. comm. 16. Materia*, inquit, *dum est in potentia non est perfecta, neque habet esse quod habet forma; et cum venerit ad actum, tunc perficietur per formam, et habebit esse, quia habet formam.*

Quamvis autem unitas compositi essentialis surgat ex unione talium principiorum, sic de ratione sua unibilium essentialiter, unitas tamen illa, quia est unitas *determinata*, utpote lignum, vel simile, magis est attribuenda formae quam materiae: non quod materia ita et essentialiter et intime non sit unibilis formae, sicut e contrario; sed illa uni-

tas est determinati generis, quam determinationem habet a forma, non a materia. Et hoc est quod dicit Commentator, super illud Philosophi circa principium *II. de Anima, text. comment. 7.*: *Unde non oportet quaerere si unum est anima et corpus, sicut neque ceram et figuram, neque omnino uniuscuiusque materiam, et id cuius est materia; unum enim et esse cum multipliciter dicatur, quod proprie est actus est.* Est autem sensus verborum, quod quamvis *unum* et *ens* dicantur de materia et forma, forma magis et principalius est unum et ens: forma enim *actum* vocat. Si enim materia aequaliter esset ens cum forma, aliquod ens *determinatum* esset, et tunc, sicut ostendi, non posset facere unum essentialiter cum materia.

Patet igitur, * quod * cum actualitas compositi sit actualitas *determinata*, et hanc determinationem habet a forma, non a materia, quod *unitas* compositi magis est attribuenda formae quam materiae, ut sit verum dicere: compositum est *unum* per formam, et non per materiam, quia est *unum* unitate determinata, quam a forma, non a materia habet. — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 8 seqq.

Compositum per se generatur. — Philosophus vult, quod *solum compositum generetur per se.* — Sed distinguendum est de generatione inquantum comparatur ad *subiectum* in quo est, vel inquantum comparatur ad *terminum.* Et sic *generari* dictum a *generatione* denominat *aequivoce.* — Si *primo modo* accipiatur, tunc generatio potest *denominare subiectum,* sicut motus mobile; nulla enim forma alicui subiecto inhaeret, quae non possit denominare illud, si significetur eo modo quo nata est comparari ad subiectum. Unde sic haec vera est: *Materia generatur.* — Unde de *subiecto* supponit Philosophus, quod generatio fundatur in materia, et quaerit *quid* generatur ut *terminus,* et illud est *compositum.* — Et est ratio Philosophi talis: omne quod fit fit ex *materia* quae est pars: solum compositum habet materiam quae est pars. — *Probatio maioris:* omne quod fit possibile est esse, et non esse, de potentia *intrinseca* loquendo; quod per se ergo fit habet per se principium quo potest esse, et non esse: illud principium est *materia:* sed solum compositum habet materiam partem sui. — *Probatio minoris,* quoad partem *affirmativam:* ex hoc compositum est tale, quia habet partem *potentialem* et *actualem.* — *Probatio secundae partis;* quia forma non habet formam, nec materia habet materiam, quia iretur in infinitum, sicut probat Philosophus. — Item, eiusdem est *fieri* et *esse:* sed *esse* est *compositi* solum; ergo et *fieri,* cum *fieri* sit per se *via* ad *esse.*

Contra hanc rationem, quaero qualiter *esse* est eius quod *fit;* si *fieri* sit alicuius, quia *esse* est eiusdem, tunc comparatur eodem modo ad id quod per se fit. Sed *esse* est actus compositi perfectus; ergo et *fieri* est actus eius imperfectus: hoc falsum est, quia *fieri* est materiae ut actus. — Item, forma est magis *ens* quam compositum; ergo *esse* est magis formae quam compositi.

Ad *primum* horum * dico *, quod eadem ratione comparantur a parte illius *cuius sunt* illa, quia *fieri* est compositi ut *via;* sed non sunt illius secundum eamdem rationem a parte *ipsorum fieri* et *esse,* quia *fieri* est solum compositi ut *via,* et *esse* ut *actus.* Ita debet intelligi *maior* rationis. — Ad *aliud:* quod esse *formae* per se non terminat generationem, sed esse *compositi;* et tamen forma secundum esse suum proprium, et per se, est prior composito, et magis *ens* uno modo.

Unde nota, quod *generatio* cum sit *mutatio,* primo est *potentialis* ad actum, non primo alicuius esse ut *termini,* nisi illíus quod consurgit ex hoc, quod materia mutatur ad formam: hoc est esse *compositi.* — *Exemplum:* figuratio est transmutatio materiae ad figuram, non factio figurae. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 10. n. 3.

Concedo * ergo *, quod *materia* generatur *denominative,* sicut *subiectum* generationis, non sicut *terminus* generationis. — *Ib.* n. 4.

In producto oportet distinguere terminum *primum* et terminum *formalem.* Terminus *primus* est *totum compositum,* ex *VII. Metaphys. text. Comment. 26;* sed

terminus *formalis* est *forma tantum, II. Physic. cap. 6.* Et *uterque* per se est terminus *generationis*, quae est *via in naturam;* et *forma* et *finis* generationis coincidunt. — *Report.* I. d. 5. q. 1. n. 9. — Et *compositum generatur primo*, licet nulla pars generetur primo. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 6.

Productio habet productum pro *termino* suo *primo*, et dico hic *primum* terminum *adaequatum*. Et hoc modo dicit Philosophus *VII. Metaphysicae*, quod *compositum primo generatur*, quia est quod *primo* habet esse per productionem, hoc est, *adaequate;* in composito tamen *forma* est *formalis* terminus generationis; non autem terminus *per accidens*, sicut apparet per Philosophum, *II. Physicorum*, ubi probat *formam* esse *naturam*, per hoc, quod generatio est *naturalis*, quia est *via in naturam:* est autem via in formam, ergo, etc. Quae ratio nulla esset, si *forma* esset tantum terminus *per accidens* generationis. Et in *eodem* etiam vult, quod *forma* et *finis* coincidunt in idem, quod non est verum de fine *geniti*, sed *generationis;* ergo *terminus formalis* generationis vere est ipsa *forma*. Ipsum igitur generans unam habet habitudinem ad *primum terminum*, qui dicitur *productus* sive *genitus*, et aliam habitudinem habet ad *formalem terminum*. — *Oxon.* I. d. 5. q. 1. n. 9.

Generatio dicitur *naturalis primo*, quia est *via in* ens, scilicet, *compositum naturale;* et ex hoc *secundo* dicitur *naturalis*, quia est *via in naturam*, sed non *primo*. Unde *compositum* est *naturale*, quia *forma* eius est *natura*. Unde ly *quia* non dicit causam *immediatam*, sed *remotam*. Sed quia est *via in* ens *naturae*, ideo dicitur generatio *naturalis* primo, et secundario quia est in *formam*, quae est *natura*. Unde concedo, quod *forma* est *finis* generationis, quia est illud *quo* compositum finit generationem.

Et *cum dicitur:* sola forma est *post non esse;* dico quod totum *compositum* ex partibus habet esse *post non esse;* unde *esse* inquantum *formae* non acquiritur per generationem, sed inquantum est *compositi*. — *QQ. Metaph.* ib. n. 4. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 5.

In creaturis * igitur * *compositum* habet *materiam* aliquid sui, et vere habet, licet non sit *terminus formalis* generationis; idem etiam *compositum* habet *formam* ut aliquid sui, et vere habet, licet non sit *subiectum* generationis. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 9. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 4. — l. XII. S. 1. c. 3. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 4. n. 25. — d. 13. q. 1. n. 27. — II. d. 12. q. 1. nn. 7. et 10. — III. d. 2. q. 2. n. 7. — *Report.* I. d. 3. q. 6. n. 9. — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 3. — Vid. *Forma per se non generatur.*

Comprehensibile quod non est nisi ab intellectu infinito est formaliter infinitum. — Est vera, sic intelligendo: quod si obiectum est incomprehensibile *propria* incomprehensibilitate, est etiam infinitum propria infinitate. — *Quodlib.* q. 5. n. 20.

Conceptum nullum unum in quid de caeteris omnibus praedicatur. — *Nullum conceptum unum in quid de caeteris omnibus praedicatur: tum* quia tunc nullus alius simpliciter simplex, et ita in eodem includerentur conceptus *infiniti*, vel idem *infinities;* quicumque enim alius includeret illum unum, et aliquem alium, et ille alius illum unum, et aliquem alium, et sic in infinitum. *Tum*, quia nulli duo conceptus essent primo *diversi*, quia in uno conceptu convenientes, ac per hoc nulli distincti; omnis enim distinctio reducitur ad distinguentia primo diversa; per quid enim essent distincti? non per id in quo conveniunt; igitur aliis, et redit *infinitas* quae in *prima probatione*. *Tum* tertio, quia in omni conceptu alio esset nugatio; quia illud quod commune ponitur frequenter conciperetur; semel namque ut pars una conceptus illius, et iterum ut inclusum in alia parte, et iterum in parte illius partis in infinitum, et sic nugatio sequeretur. — *Theor.* IX. concl. 2. n. 1. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. n. 6. — *De Anima*, q. 21. n. 3.

Conceptus communis est neuter respectu illorum quibus est communis. — *Conceptus communis* duobus est neuter formaliter; et ita concedo, quod conceptus *entis* non est formaliter conceptus *creati*, nec *increati*. — Si autem intelligatur, quod iste conceptus

est ita neuter, quod neutrum contradictorium dicatur de eo, falsum est. Ita est in *rationali* et *irrationali*, quod conceptus *animalis* neuter est formaliter; et tamen illud quod concipitur non est neutrum, sed vere est alterum istorum; alterum enim contradictoriorum dicitur de quolibet: et tamen non oportet quemlibet conceptum esse formaliter alterum conceptum contradictoriorum. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 11.

Conceptus omnis resolubilis primo resolvitur in determinabilem et determinantem. — Quia in *potentialem* et *actualem*, seu *materialem* et *formalem*. Ex conceptione itaque determinabilis dicatur *quidditativus;* determinans *qualitativus;* itaque essentialis excedit quidditativum. — *Theor.* XIII. concl. 2. n. 1.

Determinabilis et determinans nihil idem essentialiter includunt, nec unum alterum. — Ac per hoc sunt primo diversa; alias *nugatio* in omni conceptu resolubili, et *processus in infinitum,* quia illud commune in utroque determinabitur, et ipsum et determinans aliquid includunt, quod iterum determinabitur in infinitum. — *Ib.* concl. 3.

Conceptus quidditativus communissimus tantum unus. — Quia si duo, uterque in quolibet alio includeretur. Aut igitur alter in altero; et tunc alter non communissimus; aut neuter in alio, et tunc unus determinabilis, alter determinans; et ita tantum alter quidditativus. — *Theor.* XIII. concl. 8. n. 3.

Sub primo quidditativo immediate continentur aliqui conceptus quidditativi. — *Quot* igitur sunt? Tantum *decem* famose ponuntur, qui ideo *immediati* primo, quia in quolibet alio quidditativo conceptu aliquis istorum includitur, et nullus istorum in alio: nec alius quidditativus in eorum aliquo, nisi prius haec generalissima genera, seu prima genera dicuntur. — *Ib.* concl. 9.

Conceptus sunt iidem apud omnes. — *I. Periherm.;* et communiter in qualibet lingua est unum nomen impositum tali conceptui *communi*, qualiscumque sit illa *communitas,* sive *analogiae*, sive *univocationis.* — *Quodlib.* q. 3. n. 2.

Conceptuum resolutio statum habet. — Alias nihil perfecte cognoscibile; non enim uno actu *infinita* concipientur a nobis; nec *infinitis* * actibus *, quos non erit pertransire. — *Theor.* XIII. concl. 1. — * Quia * *infinita* primo concipere intellectui *finito* est impossibile: sive *simul,* quia tunc infiniti actus simul eiusdem potentiae finitae: sive *successive,* quia infinita non est pertransire. — *Theor.* IX. concl. 1.

Conceptuum simpliciter simplicium non est error, nec dubitatio. — Conceptus simpliciter simplex non potest secundum aliquid *concipi*, et secundum aliquid *ignorari*, sicut patet per Philosophum, *IX. Metaphys. in fine*, de *conceptibus simpliciter simplicibus,* quod non est circa eos *deceptio,* sicut est circa quidditatem complexorum; quod non est intelligendum quasi intellectus *simplex* formaliter decipiatur circa intellectionem quidditatis, quia in intellectione *simplici* non est *verum* vel *falsum;* sed circa quidditatem *compositam* potest intellectus simplex *virtualiter* decipi; si enim ista ratio est in se falsa, tunc includeret virtualiter propositionem falsam; quod autem est simpliciter simplex non includit virtualiter nec formaliter propositionem falsam; et ideo circa ipsum non est *deceptio.* Vel enim totaliter attingitur, vel non attingitur, et tunc totaliter ignoratur. De nullo igitur *simpliciter simplici* conceptu potest esse certitudo secundum aliquid eius, et *dubitatio* secundum aliud. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 12.

Conceptuum stabit resolutio ad aliquos primos. — Ita quod quilibet conceptus per se unus aut erit aliquis illorum, aut per se includet aliquem illorum. At *quot,* inquirant respicientes. Per quid etiam essent distincti? Non per illud in quo conveniunt; igitur per alia. Et illa quibus distincta? Non illis quibus conveniunt; igitur aliis, et redit *infinitas.* — *Theor.* IX. concl. 3. n. 2.

Concessum quod non est est prohibitum. — Illa regula Iuris, *quod non est concessum est prohibitum*, est vera de his quae non conveniunt regulariter nisi alicui ex aliqua concessione speciali. — *Oxon.* IV. d. 19. n. 16. — *Report.* ib. n. 20.

Concipitur perfecte omne et solum cuius nihil latet. — *Omne illud et solum illud perfecte concipitur, cuius nihil latet.* — Quod, scilicet, in ipso essentialiter includitur. Hic intelligitur *perfecte* non actus inquantum *elicitur a potentia,* sed inquantum *comparatur ad obiectum,* ita, scilicet, quod nihil intrinsecum obiecto sit ignoratum, quocumque modo cognoscatur. — *Theor.* VIII. concl. 4.

Conclusione cognita non ideo perfectius cognoscitur principium. — Causa enim inquantum causa nullam perfectionem accipit a causato, quia naturaliter est prior eo; ergo cognitio *principii* ut est causa cognitionis *conclusionis* nullo modo perficitur per cognitionem conclusionis. — *Confirmatur ratio:* accipiatur aliquod principium ut notum in aliquo gradu; et quaero, utrum per ipsum potest aliqua conclusio cognosci, ita quod maneat cognitio principii in intellectu praecise non aucta, aut non? Si *sic,* habetur propositum, quia cognoscens conclusionem ex principio non perfectius cognoscit principium; et sicut de una conclusione, ita de quibuscumque inclusis in ipso principio. Si *non,* ergo istud principium, ut in hoc gradu cognitum, non est principium, quia respectu nullius conclusionis; quod est falsum. Item, tunc esset circulus inter illa. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 11.

Istud etiam confirmatur per Philosophum, *I. Poster.*, ubi vult, quod oportet maxime cognoscere de subiecto *quid est.* Et ratio est quia in ratione et quidditate *subiecti* virtualiter includitur tota ratio *scientiae;* nec per ipsam demonstrationem acquiritur aliquo modo de subiecto *quid est,* imo totaliter praesupponitur; sed tantum per demonstrationem acquiritur cognitio *passionum* inhaerentium sibi. Et ita erit de *conclusione* respectu *principii,* quod cognitio *principii* totaliter praesupponitur demonstrationi, et in nullo perfectior acquiritur per demonstrationem. — *Ib.* n. 12.

Dico igitur, quod cognoscens principium perfecte cognoscit conclusionem; sed e contra est fallacia *consequentis,* convertendo *consequentiam;* quia causa secundum quod est causa effectus non capit aliquam perfectionem ab illo effectu, quia sic idem esset causa sui ipsius: sed principium ut notum *causat* notitiam conclusionis; igitur non propter hoc, quod conclusio est nota, perfectius cognoscitur principium intensive. Nunc autem, licet perfectius cognoscere principium *intensive* concludat conclusiones plures *extensive* cognosci, nunquam tamen e contra ex pluritate conclusionum cognoscitur principium intensius; quia accipiatur principium in gradu **A**, et sit *nonus* gradus, sit *decimus* gradus comprehensivus principii; quaero, an cognito principio sub gradu **A**, possit cognosci aliqua conclusio, vel non? Si *sic,* qua ratione una, sic *secunda* et *tertia,* cum quaelibet aequaliter contineatur virtualiter in principio. Si *non* possit cognosci aliqua conclusio cognito principio in gradu **A**, vel igitur sic cognoscere ipsum non erit aliqua cognitio principii, et tunc nulla conclusio posset cognosci citra gradum ultimatum comprehensivum principii, si non possit aliqua notitia haberi de conclusione per principium in illo gradu; vel si sub illo gradu possit aliqua cognitio haberi de conclusione una, potest aliqua haberi de qualibet conclusione virtualiter contenta; igitur ex pluribus conclusionibus cognitis non habetur perfectior cognitio extensiva principii, sed solum quod ad plura se extendit, cum ex pluribus conclusionibus homo considerat perfectius quidditatem terminorum simplicium principiorum, et tunc intensius cognoscitur principium, quia perfectius cognoscitur quidditas incomplexorum, et haec est praecisa cognitio principii ut principium. — *Report.* III. d. 14. q. 2. n. 21.

Conclusio peiorem semper sequitur partem. In omni mixtione certitudo conclusionis est certitudo praemissae minus certae: ut ex *maiori* de *necessario* et *minori* de *contingenti* non sequitur *conclusio* de *necessario,* sed de *contingenti.* — *Oxon.* III. d. 24. n. 16. — *Ib.* I. d. 3. q. 4. n. 5. — *Report.* ib. n. 20. — *Quodlib.* q. 5. n. 5.

Concreta non plurificantur nisi plurificentur tam forma quam suppositum. — Sola enim plurificatio *formae* non sufficit, maxime ubi plures formae, sive eiusdem rationis sive eodem nomine expressae, possunt esse in

eodem; quemadmodum Christus non est *plures volentes*, licet habeat *plures voluntates*, secundum Damascenum; unde in forma arguendi, * ex. gr. *: filiatione est filius; ergo alia filiatione est alius filius est fallacia *consequentis* a destructione *antecedentis*. — *Oxon*. III. d. 8. n. 18. — Quia concretum non numeratur ad solam numerationem *formae*, sed oportet, quod cum hoc sit numeratio *suppositi* habentis formam. — *Quodlib*. q. 11. n. 11.

Concretum de concreto, si abstractum de abstracto. — Cum dicitur, quod *si abstractum de abstracto, et concretum de concreto*, hoc est verum ubi abstractum differt ab abstracto, et non concretum. — *QQ. Metaph*. l. X. q. 19. n. 5.

Concretum omne est denominativum. — Cum dicitur, *omne concretum est denominativum*, distinguendum est: quod sicut est duplex *abstractum*, unum, scilicet, quod abstrahit a *subiecto*, aliud vero quod abstrahit a *forma* ut est in supposito, ita *duplex* est *concretum* per oppositum: unum, videlicet, quod concernit *subiectum*, quod est alterius naturae a forma significata; aliud quod concernit *suppositum*. — De *primo* vera est dicta propositio; de *secundo* vero falsa. — *Super Univers. Porph*. q. 16. n. 11.

Conservatio est continua creatio. — Et fundatur ratio super auctoritatem Augustini, *Sup. Gen. ad Litter*. l. VIII. cap. 19., ubi vult, quod *sicut aer respectu solis non est factus lucidus, sed fit lucidus, ita se habet creatura respectu Dei*. — *Oxon*. II. d. 2. q. 1. n. 4. — *Dico*, quod utraque via * (S. Bonav. et Henrici) * salvat dictum Augustini; nam sicut *prima via* dicit creaturam semper essentialiter aeque dependere a Deo, ita quod sit quasi una continuata causatio, vel infinitae causationes sint conservatio rei, ac per hoc semper ita actualiter causat rem sicut in primo instanti causavit, licet ista causatio ut consideratur in primo instanti dicatur *creatio*, in aliis *conservatio*; ita *secunda positio*, non videns rationem *continuationis* in hac causatione, quia nullam formam continuatam, nec videns tantam rationem *distinctionis*, quia non videns illam distinctionem nec in creante, nec in creato, quantum ad *terminum formalem*, dicit, quod una actio, semper manens respectu creaturae, est *creatio* inquantum intelligitur coexistere *primo nunc* temporis, quia *nunc temporis* praecessit *non esse* illius creati; et illa eadem actio manens dicitur *conservatio* inquantum coexistit *aliis partibus* temporis, non immediate sequentibus *non esse*, sed *esse praehabitum* cum illis partibus temporis; et ita illa actio est quasi continuatio esse praehabiti, non comparando ad *esse*, ubi non est *prius* nec *posterius*, sed comparando ad *partes temporis*, quibus coexistit. — *Oxon*. II. d. 2. q. 1. n. 19.

Constitutivum constituto est ratio differendi vel conveniendi. — Quocumque formaliter aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur; quia eodem est aliquid *ens* et *unum*, unitate convenienti tali entitati, et si *unum*, igitur in se est indistinctum, et *ab aliis distinctum*. — *Oxon*. I. d. 11. q. 2. n. 6.

Constitutivum est constituto ratio differendi vel conveniendi; non autem ipsum ut *conveniens* vel *differens*, sed *secundum se constituit*, sicut *rationale secundum se*, non ut conveniens, nec ut differens, *constituit hominem*, licet homo constitutus per *rationale*, per ipsum *distinguatur formaliter*, vel *conveniat*. *Distinctio* ergo vel *convenientia* convenit constituto per rationem formalem constitutivam; non autem includitur in ipsa ratione constitutiva. — *Quodlib*. q. 4. n. 20. — *Per formale constitutivum distinguitur constitutum ab omni alio*, etiam si per impossibile quodcumque aliud ab illo circumscribatur, quia per illud distinguitur *primo*, id est, adaequate, ab omni non tali; sed quodcumque non habens illam formam constitutivam est non tale; igitur per illam distinguitur ab omni alio non habente illam. — Ista ratio declaratur: quia licet *homo* non tantum per *rationale* distinguatur a *lapide*, sed etiam per *animalitatem*, non etiam *primo* distinguitur per *rationabilitatem*, id est, non *adaequate*, quia tunc quodlibet distinctum a *lapide* esset *rationale;* sed *adaequate* in genere *corporis* primo distinguitur a *lapide* per *animatum;* tamen circumscribendo per in-

tellectum ab *homine* quodcumque aliud a *rationale*, per illud solum distingueretur essentialiter a quocumque *non rationali*, et ita a *lapide*, qui non est *rationalis*. — Non igitur tantum illud distinguit *realiter* quod distinguit *adaequate*, sed etiam illud quod solum si poneretur, esset incompossibile illi a quo distinguitur. — *Oxon.* I. d. 11. q. 2. n. 7.

Consuetudo est quaedam natura. — *Consuetudo est quaedam natura*, et vertitur in naturam; unde habitus qui ex consuetudine generatur, ut habetur *II. Ethic. cap. I*, inclinat per modum *naturae;* propter quod illud videtur unicuique ad quod secundum habitum inclinatur. Et ideo quae sunt secundum habitum videntur homini notiora. Verbi gratia, homines nutriti et habituati in opinione alicuius Doctoris nihil dignantur audire vel suscipere quod repugnat opinioni illius, et quidquid consonat illi opinioni reputant verum, et suscipiunt libentissime et gratanter. — Notandum, quod leges humanae, quae ad civilem conversationem ut ad finem ordinantur, institutae sunt ab hominibus, ut cives ad bonum civile inducantur, et a malis retrahantur: secundum autem diversitatem nationum sic sunt multa instituta et frivola et vana, quae homines a pueritia in eis nutriti, propter consuetudinem, magis approbant, quam notitiam veritatis. Et hoc est signum quantam efficaciam habeat *consuetudo*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. S. un. c. 3. n. 22.

Continuum est immediatum suo termino. —. *Immediatum* potest accipi dupliciter: *Uno modo* inter quod secundum se totum et aliud non est medium: *alio modo* quod secundum se totum est cum altero statim vel post alterum. — *Primo* modo *continuum* est *immediatum suo termino*, quia inter indivisibile terminans et divisibile terminatum nihil cadit medium. — *Secundo modo* indivisibili terminanti continuum nihil est immediatum; nihil enim secundum se totum statim sequitur illud indivisibile, sed pars illius totius, quod est immediatum totum *primo modo*, sequitur indivisibile secundum partem ante partem in infinitum. — *Oxon. II.* d. 2. q. 9. n. 35.

Contingentium non est scientia. — Vid. Distinctiones: *Theologiae proprietates.*

Contradictionem includens est nihil. — Verissime *illud est nihil quod includit contradictionem*, et solum illud, quia illud excludit omne esse, extra intellectum, et in intellectu; quod enim est sic includens contradictionem, sicut non potest esse extra animam, ita non potest esse aliquid intelligibile, ut aliquod ens in anima, quia nunquam contradictorium cum contradictorio constituit unum intelligibile, neque sicut *obiectum* cum obiecto, neque sicut *modus* cum obiecto. — *Quodlib.* q. 3. n. 2. — Nam in cuius cogitatione includitur contradictio illud dicitur *non cogitabile*, quia tunc sunt duo cogitabilia opposita, nullo modo faciendo unum cogitabile, quia neutrum determinat alterum. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 32.

Contradictoria distant infinite. — Qualiter salvabitur dictum commune, quod *inter contradictoria est distantia infinita?* — Respondeo, simpliciter falsum est, accipiendo *infinitum* pro excedenti simpliciter quantumcumque finitum in infinitum. — Sed alio modo *infinitum* potest acccipi pro *indeterminato;* et sic verum est, nulla enim distantia est ita parva, quin sufficiat ad contradictionem, quantumcumque enim modicum aliquid recedat ab uno contradictoriorum, statim est sub altero. Nec est distantia aliqua tam magna, etiamsi posset esse in infinitum maior maxima, quin ad illam et eius extrema se extendat contradictio. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 12.

Sed inter extrema contradictionis nulla est media *positiva* distantia, quia contradictoria non habent medium; ergo tanta est distantia inter contradictoria, quantum est extremum nobilius, ut inter terminos creationis *esse* et *non esse*, *gratiae* et *non gratiae*, extremum nobilius, ut *esse gratiae*, est *finitum;* ergo et distantia inter illa erit *finita*. Et ideo licet sit aequalis *incompossibilitas* inter omnia contradictoria, non tamen aequalis *distantia;* quia non est aequalis omnium extremorum contradictionis; dicitur enim distantia inter contradictoria *infinita*, id est, *indeterminata*, quia non determinat sibi maximam, neque minimam.

Sequitur oppositio *contradictionis* ad *minimam* oppositionem, quia non potest ita parum recedi ab uno contradictoriorum, quin statim fiat sub alio extremo. Permittit etiam distantiam *maximam*, quia si esset maior maxima possibili, adhuc contradictoria dicerentur divisim de illa. — *Report.* IV. d. 1. n. 10. — *Oxon.* ib. n. 13.

Quod * igitur * dicitur communiter, *contradictoria distare in infinitum*, potest intelligi, id est, *indeterminate;* quia sicut nulla est ita parva distantia quae non sufficiat ad contradictoria, ita nulla est ita magna, etiamsi esset maior maxima possibili, quin ad illa contradictoria se extendant. Est igitur eorum distantia *infinita*, id est, *indeterminata* ad quamcumque magnam vel parvam. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 29.

Contradictoria nec simul vera nec simul falsa esse possunt. — *Quaecumque vero tamquam affirmatio et negatio*, etc. (Cap. *De Oppositis*). — Assignat Aristoteles differentiam inter *contradictorie* opposita et omnia alia: quia in omnibus aliis non oportet alterum extremum esse verum, alterum falsum; in his autem oportet: vel quia nullum aliorum necessario vere inest, et aliud false; sed in contradictoriis alterum vere inest, alterum false; et sic loquitur de contradictoriis incomplexis: vel quia nullum aliorum oppositorum est verum, vel falsum, quia incomplexum, et contradictoria sunt complexa. Secundum istum sensum magis videtur intelligere ibi: *Omnino autem eorum quae sine complexione dicuntur nihil verum, neque falsum est*, et omnia alia quae dicta sunt sine complexione dicuntur, alia, scilicet, a *contradictoriis;* et tunc intelligendum, quod *contradictio*, de qua hic loquitur, non tantum sit in incomplexis, quamvis hic loquatur principaliter de oppositione incomplexorum, quia contradictio forte univoce invenitur in propositionibus, et in terminis: non sic forte in aliis oppositionibus, quia ista est magis *intentionalis*, est enim simpliciter intentionalis. — Adiungit postea, quod licet subiecto existente oporteat alterum *contrariorum* immediatorum esse verum de illo, non tamen hoc oportet subiecto non existente: sed in *contradictoriis*, sive subiectum sit, sive non sit, semper alterum est verum de subiecto, et alterum falsum; quia sive Socrates sit, sive non, semper haec est vera, *Socrates languet*, vel *Socrates non languet.* — *Super Praedic.* q. 41. n. 5. — Cf. *Poster.* I. q. 13. n. 5. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 24. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. S. 2. c. 2. n. 37 seqq.

Contradictoria referuntur ad idem nunc naturae et originis. — Illa propositio qua dicitur, quod *contradictoria referuntur ad idem nunc*, non solum in ordine *durationis*, sed etiam *naturae* et *originis*, est vera, intelligendo de *per se* contradictoriis, prout affirmatio comparatur ad negationem; non est autem vera, intelligendo de affirmatione et negatione comparando ad *tertium*, de quo dicuntur. *Exemplum: Album* pro **A**, et *non album* pro **B**, non contradicunt inter se, nec ad quodcumque comparantur, et hoc intelligendo de **A** et **B**, sive signa *durationis*, sive signa *naturae* vel *originis.* Sed si ista comparantur ad aliquid cui conveniunt, vel convenire possunt, non oportet, quod si *album* conveniet ipsi C pro **A**, quod *non album* conveniret ipsi C pro **A**; nihil enim est quod non omnino primo ipsum sit ipsum, sicut *homo* omnino *primo* est *homo*, et si *homo* esset *lapis*, esset omnino *primo lapis*, sicut *lapis* est *lapis;* tamen non omnino *primo* est *non lapis*, quia nulla negatio potest esse eadem alicui primo, sicut ipsum est ipsum primo. Concedo ergo, quod intelligendum est *esse ab aliquo*, et *non esse ab aliquo*, referri ad *idem instans* sive *nunc* cuiuslibet ordinis, ad hoc quod sint contradictoria, ut, scilicet, pro quo *nunc* affirmatur esse ab alio quod ponit pro eodem *nunc*, non esse ab ipso, neget illud idem. Sed non oportet, quod illi, de quo ista dicuntur, conveniat aeque primo *non esse ab*, sicut illi conveniret *esse ab*, si *esse ab* sibi conveniret; et per consequens supposito cui convenit negatio *ordinis* ad prius prioritate *originis*, non aeque primo convenit ista negatio, sicut conveniret affirmatio *ordinis*, si illum ordinem haberet. — *Quodlib.* q. 4. n. 9. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 24. n. 4 seqq.

Contradictorio (a) ad contradictorium nunquam est transitus sine mutatione. — Patet

ex definitione *mutationis;* si enim nulla mutatio esset in aliquo, non esset ratio quare magis unum falsum quam aliud, et ita vel ambo simul falsa, vel ambo simul vera. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 11. — d. 39. n. 29.

Contradictoriorum alterum necesse est esse verum. — Pro communi modo loquendi intelligendum, quod *alterum* communiter sumitur pro *hoc,* vel *illo.* Et illud est distinguendum secundum *compositionem,* et *divisionem,* cum sic dicitur: *Necesse est hoc vel illud inesse subiecto,* in sensu *compositionis* est propositio vera, et est propositio de disiuncto praedicato; in sensu *divisionis* est falsa; et sic sumitur quando ly *alterum* sumitur ut est signum particulare. — Primo modo intelligit Aristoteles, et est communis intellectus, quando dicimus, *necesse est alterum contradictoriorum esse verum,* et huiusmodi. — *Sup. Praedic.* q. 39. n. 3.

Dicendum * igitur *, quod contradictio est tam in *complexis,* quam in *incomplexis.* — Et loquendo de contradictoriis *complexis,* semper verum est, quod *altera est vera* et *altera falsa.* — *Oxon.* I. d. 4. q. 1. n. 4. — Et in contradictoriis *incomplexis,* licet de quolibet dicatur alterum illorum, non tamen dicitur de quolibet quodcumque praedicatum determinatum per alterum illorum, quia nec ipsum determinabile dicitur de quolibet. — *Ib.* n. 5.

Contradictoriorum non est medium. — Concedo, quod inter contradictoria non est medium. — *Miscell.* q. 2. n. 5. — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 4. — III. d. 3. q. 1. n. 11. — Quia per Philosophum, *I. Poster. text.* 5., *Contradictio est oppositio cuius non est medium secundum se.* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 11.

Medium inter *opposita* dupliciter potest intelligi: *uno modo* secundum *formam: alio modo* secundum *subiectum.* — *Primo modo* est medium inter quaedam *contraria. Exemplum:* inter *albedinem* et *nigredinem* est aliqua forma media, puta *rubedo* et *palledo.* — *Secundo modo* est medium inter *privative* opposita, et etiam inter *contraria immediata;* non autem *primo modo. Exemplum: lapis* est quoddam subiectum quod nec est *videns,* nec *caecus;* iterum nec est *pater,* nec est *filius,* nec est *sanus,* nec *aeger;* et tamen non est dare aliquam formam mediam inter *visum* et *caecitatem,* nec inter *paternitatem* et *filiationem,* nec inter *sanitatem* et *aegritudinem.* — *Contradictoria* vero *utroque* modo carent medio; non enim est aliqua forma media, nec aliquod subiectum, de quo non verificetur alterum contradictoriorum. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. S. 2. c. 3. n. 44.

Cum dicitur, quod *inter contradictoria non est medium,* intelligendum est de his quae subsunt intentioni contradictionis, ut de complexis, sicut de quolibet subiecto verum est praedicatum affirmari, vel negari, et non est medium: de incomplexis etiam sic alterum illorum dicitur de quolibet, et non est medium. — *Super Praedic.* q. 25. n. 4.

Ita *contradictoria* non distant per aliqua media, quia contradictoria sunt *immediata,* ita quod quantumcumque parum recedit aliquid ab uno extremo, statim est sub altero; sed distant propter ipsa extrema inter se. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 29. — * Verum * contradictoria non sunt immediata circa quodcumque praedicatum ut *per se dictum de subiecto;* nec enim homo *per se* est *albus.* Tamen inter contradictoria *absolute sumpta* vel *absolute dicta* de quocumque non est medium. — *Ib.* q. 7. n. 52. * Ideo * dico, ut saepe praedictum est, quod inter contradictoria est medium cum ly *inquantum,* ita quod neutrum inest cum *inquantum:* sicut nec homo *inquantum homo* est *albus,* neque *inquantum homo* est *non albus.* Tamen non sunt duo contradictoria complexa simul falsa; ista enim contradictoria est vera: homo *non inquantum homo est albus.* — *Ib.* d. 5. q. 1. n. 14. — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 35. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IV. q. 4. *per tot.*

Contraria intensa incompossibilia, remissa non. — *Contraria in summo sunt incompossibilia in eodem; in gradibus vero remissis non.* Hoc non est nisi aliquid est in contrario *intenso* quod non est in *remisso;* si enim tota realitas est in remisso quae est in intenso, non est repugnantia intensi ad intensum, sicut nec remissi ad remissum. —

Oxon. I. d. 17. q. 5. n. 3. — *Report.* ib. q. 4. n. 2.

Contraria nata sunt fieri circa idem. — Illa definitio est vera, secundum generalem rationem *contrariorum;* quia quantum est ex hoc, cui inest unum contrarium, natum est ei inesse reliquum. Sed non oportet, quod sit idem de quibuscumque contrariis; comparatis ad quodcumque subiectum, nisi forte loquendo de ipso subiecto secundum *genus;* quia licet subiectum aliquod secundum propriam rationem determinet sibi contrarium unum, hoc non est ex ratione *contrariorum,* nec ratione generis talis subiecti. — *Super Praedic.* q. 40. n. 3. — Illa * igitur * definitio *contrariorum,* quod *nata sunt fieri circa idem,* debet intelligi secundum *speciem,* et non secundum *individuum;* quia natura unius nata est succedere naturae alterius in eodem susceptivo, et quodlibet individuum unius secundum naturam repugnat cuilibet individuo alterius. — *Report.* IV. d. 49. q. 12. n. 4. — Vid. DISTINCTIONES: *Contraria.*

Contraria maxime inter se distant. — Dicendum, quod *contrarietas est maxima distantia:* quia contrarietas est quaedam differentia: sed quaecumque differunt *genere* aut *specie* differunt: sed in differentibus *genere* non est invenire maximam distantiam, quia ubi est reperire *maximum,* ibi est reperire *magis* et *minus:* sed magis et minus important comparationem: sed in *genere* diversa non sunt comparabilia, per Aristotelem, *VII. Physic.* text. 24 (1); igitur inter genere diversa non est reperire *magis* et *minus,* nec per consequens *maximum.*

Item, *magis* et *minus* reperiuntur solum in his quae sunt ad invicem transmutabilia: sed transmutatio est quidam processus ab uno in alterum; in quo quidem processu unum extremum maius prius distat ab alio, minus deinde, quousque transmutatur unum in alterum. Ergo inter genere diversa non est maxima distantia; solum ergo inter specie diversa. — Istud patet: quia genere diversa possunt esse in eodem, sicut *quale* et *quantum,* et non convenit de maxime differentibus: sed inter diversa specie est proprie transmutatio; solum ergo maxima distantia est inter specie diversa. — Sed tamen non quaecumque specie diversa maxime distant, sed solum *ultima;* si enim perveniatur ab *albo* ad *pallidum,* procedere convenit ulterius; cum pervenitur ad *nigrum,* non est procedere ad aliquid ulterius.

Cum ergo maxima distantia non sit diversa genere, sed solum inter diversa specie, et hoc dico inter ultima; illa vero quae sunt ultima sunt contraria, sequitur, quod *con- contrarietas est maxima distantia.*

Ex hoc sequitur, quod *contraria sunt in eodem genere;* et quia *genus* accipitur a *materia,* sequitur ulterius, quod *contrariorum sit una materia;* et quia *materia* est *in potentia,* vel quia materiae debetur potentia, sequitur, quod *contrariorum sit una ars* et *una scientia.* — *QQ. Metaph.* l. X. q. 10. n. 2. — Cfr. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. S. 2. c. 2. n. 37.

Contraria non possunt esse simul. — Contraria non quia *diversa,* id est in nullo convenientia, ideo sunt incompossibilia; nam hoc modo *diversa genere* sunt magis diversa quam contraria; sed quia in illis est *repugnantia,* licet in multis conveniant, qualis repugnantia non est in illis quae in nullo vel in paucis conveniunt. Natura igitur *divina* et *humana,* licet sint magis *diversa,* quam contraria, non tamen magis *repugnantia.* Exemplum: *superficies* et *albedo* magis sunt diversa, quam *album* et *nigrum;* et tamen superficies potest esse alba, non tamen *album* potest esse *nigrum* formaliter, vel e converso, propter eorum repugnantiam formalem. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 16. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 24.

Contraria sunt in eodem genere. — Contraria proprie accepta conveniunt in genere, sed differunt specie. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 21. n. 4. — Vid. *Contraria maxime inter se distant.*

Contrarietatis unius sunt tantum duo extrema. — Unius distantiae sunt tantum duo ultima: sed contrarietas est quaedam distantia ultima, cum sit maxima; ergo habet tantum duo ultima, et per consequens unum uni contrariatur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. q. 2. n. 39.

---

(1) Cf. *QQ. Metaph.* l. XII. q. 10. n. 4.

Contrariis (in) tenet consequentia in seipsis (*II. Topic.* c. 20). — Illa regula non intelligitur nisi de contrariis *praecisis*, hoc est, ubi non ambo contraria ex una parte subsunt uni extremo alterius contrarietatis; si enim *color* haberet contrarium, puta A, non sequitur: *album est coloratum; igitur nigrum est* A. — *Oxon.* III. d. 30. n. 14. — Quia quando ratio est eadem in utroque antecedente non tenet locus *a contrariis*, sicut sequitur: *album, ergo coloratum;* similiter sequitur: *nigrum, ergo coloratum;* quia quod est praecise ratio oppositionis in contrariis non est ratio omnis consequentiae, sed solum quando ratio consequentiae oppositioni est opposita. Unde consequentia in *contrariis* tenet quando illud quod est ratio consequentiae in alio non sit. — *Report.* ib. n. 10.

Contrariorum eadem species. — Arist. et Comment. *VII. Metaph.* volunt, quod rationes oppositorum non sunt oppositae in intellectu. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 17. — Dicit ergo, * Arist, *, quod *ab arte fiunt quorumcumque species*, id est, exemplar *est in* anima, scilicet, artificis. Et subdit: *species autem dico quod quid erat esse et primam substantiam* cuiusque, scilicet, artificiati. Et addit: quod *modo quodam est eadem species contrariorum*, scilicet, in anima. Quia substantia, id est, species *privationis est eadem substantiae*, id est, speciei *quae est opposita, ut sanitas infirmitatis;* nam per eamdem speciem cognoscitur sanitas et infirmitas, *quia absentia illius*, id est, *sanitatis, erit infirmitas: sanitas autem quae est in anima est quaedam ratio et scientia*, scilicet, obiectiva, per quam cognoscitur utrumque.

Notandum, quod *speciem artificiati* vocat Aristoteles ipsum exemplar sive ideam artificiati, quae est ipsa res artificialis posita in intellectu obiective et in esse cognito: puta ipsa sanitas vel domus intellecta vel imaginata. Et haec vocatur *prima substantia*, quia ab ea ut a causa factiva sumitur principium ad producendum in re extra ipsum artificiatum tamquam aliam secundam substantiam. Vocatur etiam *quod quid erat esse*, quia ipsa est quidditas et substantia rei fiendae, posita in esse ideali et in esse cognito obiective. — Haec autem *species est eadem contrariorum;* per quod differt a specie sive a forma *naturali*, quae non est una contrariorum. Cuius ratio est, quia forma naturalis est propter dare *esse;* forma cognita est propter *cognitionem.* Quia igitur unum contrarium perdit *esse* propter aliud, non tamen perdit *cognosci*, quoniam *unum contrariorum per aliud cognoscitur*, hinc est, quod formae reales naturales sunt contrariae contrariorum, sed forma in esse cognito potest esse una contrariorum. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. s. 2. c. 6. n. 52.

Contrariorum si unum est in natura, et reliquum. — Illa propositio non est vera de esse in *actu tantum*, sed de esse in *actu*, vel esse in *potentia*, et de contrariis quae mutuo se expellunt circa idem subiectum; quia tunc si unum contrarium est, subiectum eius est; si subiectum eius est, igitur reliquum contrarium est in potentia; quia illud subiectum est in potentia ad alterum contrarium. — *Super Praedic.* q. 42. n. 4.

Contrariorum unum cognoscitur per alterum. — Notitia *simplicis apprehensionis* utriusque contrarii est propria sibi et per speciem propriam; notitia tamen *discursiva*, quia unum est prius naturaliter alio, potest esse principium cognoscendi aliquid de illo; et sic potest exponi illud *I. De Anima, rectum est iudex sui et obliqui;* iudicium enim non pertinet ad simplicem apprehensionem, sed ad collationem complexorum; quantum enim ad notitiam *secundum quid* unum potest simplici apprehensione apprehendi per speciem alterius, quantum, scilicet, ad privationem quam includit, non quidem intra suam essentialem rationem, sed *concomitanter.* — Primo ergo modo *contrariorum est notitia eadem*, unius *formaliter* et alterius *virtualiter*, sicut *principii* et *conclusionum.* Et si aliqua volitio, puta forte electio, praeexigat iudicium aliquod de eligendo, potest unum contrariorum per alterum cognosci quoad illam notitiam, licet contra illud iudicium quandoque eligat. — Secundo modo *est eadem notitia contrariorum*, unius *secundum quid*, alterius *sim-*

pliciter. Et ista sufficit ad hoc, quod voluntas velit alterutrum contrariorum inquantum ostenditur per illam notitiam, et sic potest in contraria; ergo et simpliciter, quia non repugnant absolute, nisi ratione privationis *talis*, non autem in ratione volibilis, ut videtur, quia utrumque inquantum positivum videtur volibile. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 15. n. 11.

Conveniens delectat, disconveniens tristat. — Quod communiter dicitur, quod *conveniens delectat*, et *disconveniens tristat*, hoc non debet intelligi *causaliter*, quasi convenientia et disconvenientia sint rationes causandi delectationem et dolorem in potentia; sed abstrahimus quasdam rationes generales ab ipsis absolutis distinctis, quibus convenit effectus ille qui est *delectare*, et ab illis quibus convenit effectus ille qui est causare *dolorem;* et illas rationes *conveniens* vel *disconveniens* vocamus, sicut cum dicimus: *omne activum aproximatum passo agit in illud, activum* et *passivum* non sunt rationes agendi nec patiendi, loquendo de istis relationibus, sed ut per illas circumloquimur absoluta. — *Oxon.* III. d. 15. n. 9.

Convenit (quod) toti secundum partem dicitur de toto. — *V. Physic.*: *quod convenit toti secundnm partem dicitur de toto:* sicut *homo sanatur, quia thorax sanatur.* — *Oxon.* III. d. II. d. 11. q. 2. n. 1. — Dico, quod si opposita possunt inesse secundum *diversas* partes, neutrum denominat totum ex vi sermonis, sed utraque est falsa; ut patet de scuto, cuius una medietas est alba, et alia medietas est nigra; falsum est enim enuntiare sive album sive nigrum simpliciter. — Nec Philosophus *V. Physicorum* curavit de Logica, sed de ipsa *realitate*, secundum quod aliquid dicitur tripliciter moveri, quando aliquod praedicatum natum est inesse toti per aliquam partem, quia, scilicet, sibi praecise inest; tunc ex hoc quod denominat partem, sequitur, quod denominat totum, quia denominat ipsum sic ut natum est ipsum denominare: quemadmodum visio nata est inesse animali praecise secundum oculos, et ideo si secundum illos insit, de virtute sermonis inest toti. — Ita si *sanari* natum est praecise vel principaliter inesse homini secundum thoracem, hoc est, secundum cor, quod intelligo per thoracem, potest sic dici animal sanum simpliciter, quia thorax est sanus. Si tamen secundum aliam partem aeque sit natum inesse hoc et oppositum, secundum quod denominat hanc partem, non dicitur simpliciter animal sanum, quia tunc duo opposita possunt simul enuntiari de eodem. — *Ib.* n. 8. — *Report.* ib. n. 11.

Convertibilia, eodem addito utrobique, adhuc sunt convertibilia. — Haec propositio, *convertibilia, eodem addito utrobique, adhuc sunt convertibilia,* est intelligenda quando illud additum non facit extraneitatem, et ita quod non includit universalitatem vel necessitatem impedientem conversionem, sed per se licet non sit universalitas, tamen praesupponit universalitatem. -- *Poster. I.* q. 18. n. 4.

Correlativorum uno multiplicato, multiplicatur et reliquum. — Quando dicitur, quod *multiplicato uno correlativorum, multiplicatur et reliquum,* dicendum, quod hoc verum est secundum *relationes,* non secundum *absoluta;* ut, quot sunt filiationes, tot sunt paternitates, sed non tot absoluta supposita, in quibus fundantur illae paternitates; et ideo tot sunt primitates in primo ente, quot posterioritates, sed non tot essentiae primae, in quibus illae primitates fundentur. -- *Report.* l. d. 2. q. 2. n. 13.

Correlativorum unum sine altero sciri non potest. — Per Aristotelem, in libro *Praedicamentorum,* Cap. *De Relatione,* unum correlativorum non potest definite sciri sine altero. — De relativis *per accidens* non intelligitur dictum Aristotelis, sed tantum de relativis *per se;* quia scibile potest cognosci, non cognita scientia, cum sit naturaliter prius ea. — *Super Univers. Proph.* q. 35. n. 7.

Corruptibilium non est demonstratio. — Dicit Philosophus, *VII. Metaph.* text. 53 et *I. Poster.*, text. 21: *Corruptibilium non est demonstratio.* — *Report.* Prol. q. 1. n. 4. — *Propter hoc autem,* quia substantiae sensibiles singulares sunt generabiles et corruptibiles, *ideo substantiarum sensibilium et singularium nec est definitio,*

nec demonstratio. — Notandum, quod Aristoteles in ista littera loquitur de singulari contracto ad existentiam; et de tali verum est, quod non est de eo nec scientia, nec demonstratio, nec definitio; quia ibi immanifestum est, cum abscesserit a sensu, utrum existat, vel non existat. Et ad hoc facit ratio quam tangit Philosophus: *demonstratio,* inquit, *est necessariorum* et definitio et scientia; et non contingit sicut nec scientiam quandoque scientiam, quandoque ignorantiam esse, ita nec demonstrationem, nec definitionem quandoque contingit esse talem, quandoque non esse talem. Et ex hoc concludit: *palam autem ipsorum* singularium corruptibilium neque scientiam, nec definitionem esse: *non enim sunt manifesta corrupta scientiam habentibus cum e sensu abscesserint.* Vult dicere, quod si de contingenti vel de corruptibili ut tale esset definitio vel demonstratio, cum illud tale possit quandoque esse, quandoque non esse, sequitur, quod esset quandoque scientia de isto obiecto, et quandoque ignorantia, quandoque demonstratio et quandoque non demonstratio; quod est impossibile. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. s. 2. c. 15. n. 124 et 125. — Cf. *Report.* Prol. q. 2. n. 16. — Vid. *Singularium non est definitio, nec demonstratio.* = *Singularium non est scientia.* = *Demonstratio est necessariorum.*

Corruptio non est terminus generationis. — Cuius ratio est, quia cum corruptio sit mutatio de esse ad non esse, oportet illud quod corrumpitur esse, et per consequens inter generationem, quae est mutatio ad esse, et corruptionem, quae est ad non esse, necesse est cadere quietem mediam inesse, et per consequens non erit mutatio de generatione in corruptionem, ut in terminum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 3. n. 104.

Corruptio unius generatio alterius. *(I. De Gener.).* — Quamvis ista sit aliquo modo probabilis, *corruptio unius est generatio alterius,* quod pro tanto verum est, quia nullum agens naturale *per se* intendit corrumpere aliquid, sed *per accidens corrumpit* illud quod est incompossibile generato, quod per se intendit, tamen ex illo non sequitur *perpetuitas generationis,* quia ultima corruptio potest concomitari ultimam generationem: puta, quando omnia mixta resolventur in elementa, et tunc erit status tam generationis quam corruptionis, licet illa ultima corruptio non sit annihilatio, quia est ad materiam. Philosophus tamen supponit cum ista propositione, unam aliam propositionem, scilicet, quod tale *generabile est iterum corruptibile,* et quod eius *generatio alterius sit corruptio,* quod est verum. Sed arguendo in *praeteritis* oportet accipere istam: *generatio unius est corruptio alterius:* et ista non est ita vera ex per se intentione agentis naturalis, sicut illa praecedens. *Accidit* enim quod generans corrumpat propter incompossibilitatem termini corrumpendi cum termino quem intendit, quia non potest producere formam quam intendit, nisi in materia praexistente; et illa materia praeexistens communiter est sub forma incompossibili formae quam intendit: et ideo oportet ipsum corrumpere compositum praeexistens ut generet illud quod intendit. Et dato quod ex hoc sequeretur, quod nulla esset generatio, nisi quando producitur totum, non tamen oportet quod pars eius praeexistat sub forma incompossibili; et ideo talem productionem alicuius entis non oportet esse destructionem alicuius alterius *entis,* sed tantum destructionem *nihili* sive *non entis* praecise; et tunc non oportet illam primam productionem praecessisse aliam, quia terminus *a quo* huius productionis non fuit terminus *ad quem* alterius productionis, quia nihil nulla productione producebatur. — *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 21. — d. 15. n. 8. — Cf. ib. IV. d. 43. q. 2. n. 23. — Vid. *Generatio unius corruptio alterius.*

Creabile prius erat possibile. — Concedo, quod omne *creabile prius erat possibile* creare ex parte sui. Sed ista possibilitas non fundatur in aliquo *esse simpliciter,* sed in *esse cognito,* ita quod *esse cognitum* concomitatur *possibilitas* ad *esse simpliciter:* licet formaliter *esse cognitum* non sit *esse possibile,* quia esse *cognitum* est esse in *actu,* licet *secundum quid;* sed *esse possibile* est esse *potentia* ad *esse simpliciter,*

et non in *actu;* nec tamen esse in *potentia* est esse *simpliciter,* sed est fallacia *secundum quid* et *simpliciter;* sicut nec *futurum* esse est *esse simpliciter,* nec esse *praeteritum* est *esse simpliciter;* sicut enim *praeterisse* in *esse simpliciter* non infert *esse simpliciter,* sic nec *futurum esse* in *esse simpliciter* infert *esse simpliciter;* igitur nec multo magis *posse esse simpliciter* infert *esse simpliciter,* quia *posse esse* videtur esse remotius ab *esse simpliciter* quam *fore.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. n. 10.

Creatis (in) quod non secundum substantiam dicitur, secundum accidens dicitur. *(August. V. De Trinit. c. 1).* — Augustinus vocat quodlibet mutabile *accidens* aliquo modo, quod est sic mutabile, quod proprie est amissibile, quia quaelibet creatura aliquo modo mutabilis est, sed non sic amissibilis, sicut accidens, quod potest destrui, manente subiecto; ideo dicitur accidens secundum ipsum *ibidem,* quod neque dicitur in *quid,* et est mutabile, hoc est, destructibile, manente natura in qua est. — *Report.* II. d. 1. q. 6. n. 15. — *Oxon.* ib. q. 4. n. 20. — Vid. *Accidens: In naturis quidquid,* etc.

Creatura nihil est respectu Dei *(Anselm. Monolog. c. 21).* — Cum dicitur *creatura nihil est in comparatione ad Deum,* dico, quod ista debet sic intelligi: quod negetur comparatio, si affirmetur *nihil* de creatura in comparatione ad quodcumque, quia respectu *nullius* pure *nihil* est; sed sic intelligendo, quod creatura non est aliquid in comparatione ad Deum, quia non est *comparabilis* Deo; et hoc est verum, quia secundum quamcumque proportionem determinatam accipitur, semper secundum ampliorem excedit Deus creaturam. Tamen creatura *aliquid* est, cuicumque comparetur, et non sola dependentia. — *Report.* II. d. I. q. 6. n. 9.

Creatura non potest beatificari in se. — Quia non est bonum infinitum: in bono autem infinito beatificatur ut in obiecto quod attingitur per operationes *potentiarum,* non ut tale bonum est perficiens essentiam eius quantum ad actum primum. — *Oxon.* III. d. 2. q. 1. n. 14.

Creatura non potest creare. — Creatura non potest creare *principaliter* per formam intrinsecam activam respectu termini. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 28, *ubi hoc pluribus demonstrat.* — Dico etiam, quod nec instrumentaliter, ita quod sit instrumentum proprie *activum.* Non enim potest esse *activum,* nisi vel ad *dispositionem praeviam,* vel ad ipsum *terminum:* in *creatione* nihil potest *praecedere* quod disponatur; non potest autem agere ad *terminum,* nisi habeat formam activam in suo ordine: talis autem non est aliqua virtus activa alicuius creaturae. — *Ib.* n. 31. — Cf. *Report.* ib. q. 1 per tot. — Augustinus, *Super Gen.* lib. IX. c. 21: *Angeli nullam omnino possunt creare naturam.* — Et ibidem, *cap. 22: Creare naturam tam nullus Angelus potest, quam nec creare seipsum.* — Idem Damascenus, *cap. 18: Qui dicunt Angelos esse creatores alicuius naturae, sunt omnes filii patris sui diaboli.* — Item Augustinus, *XII. De Civit.*, cap. 24., loquens de Angelis: *Tam nec eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum.* — Item, *III. Trin. cap. 8. et 9: Ita non possumus dicere Angelos creatores fuisse, sicut nec possumus dicere homines esse segetum creatores.* Et post cap. 9. et 10: *Non est creator nisi qui principaliter ista formabat, penes quem primitus sunt omnium, quae sunt, mensurae, numeri et pondera.* — *Oxon.* ib. n. 4. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 6. per tot.

Creatura quaelibet composita est et componibilis. — Aliqua creatura est simplex, hoc est, non composita *ex rebus;* tamen nulla creatura est *perfecte simplex,* quin aliquo modo sit composita vel componibilis.

Et quomodo *composita,* declaro sic: quia habet *entitatem* cum *privatione* alicuius gradus entitatis; nulla enim creatura habet entitatem secundum totam perfectionem quae nata est esse entitatis in se; et ideo caret aliqua perfectione quae est nata competere entitati in se; et ideo *privatur. Componitur* igitur: non ex re et re *positivis,* sed ex *re positiva* et *privatione,* id est, ex *entitate* aliqua quam habet et ex *carentia* alicuius *gradus perfectionis* enti-

tatis, cuius ipsum non est capax, tamen ipsum *ens* est capax. Nec tamen ista compositio ex positivo et privativo est in *essentia* rei, quia *privatio* non est de essentia alicuius *positivi*.

Ad istam sequitur compositio *actus* et *potentiae obiectivae;* quidquid enim est ens, et caret aliqua perfectione entis, est simpliciter *possibile*, et terminus potentiae simpliciter, cuius terminus non potest esse ens infinitum, quod est necesse esse.

Est etiam quaelibet creatura *componibilis;* quod patet de *accidente*, quod est componibile cum *subiecto;* in *substantia* enim patet tam de *forma* quam de *materia*. De substantia etiam per se *generabili* et *corruptibili* patet, quod est receptiva *accidentis*. — *Oxon.* I. d. 8. q. 2. n. 2. — Cf. d. 36. n 5.

Creatura quaelibet in nihilum tendit. — Dico, quod *omnis creatura potest tendere in nihil* et in *non esse*, eo quod *de nihilo* est; et sua *actio* similiter *tendit in non esse*, et huiusmodi tendentia surgit necessario ex *natura rei;* sed ex hoc non potest poni defectus culpabilis. — *Oxon.* II. d. 23. n. 5.

Creatura semper a Deo dependens. — Philosophus, *III Phys.*, dicit, quod aliqua sunt in *fieri*, quae non habent completum esse, sicut successiva; et per oppositum aliquid dicitur in *facto esse*, quando sic habet esse completum, quod non dependet in essendo ab aliquo extrinseco. Creatura autem semper in essendo aeque dependet a Deo in esse, quia aeque semper ab ipso per idem velle ipsius habet in esse. — *Quodlib.* q. 12. n. 6. — Quia nulla creatura est a Prima Causa independens, sed semper dependens a causa. — *Oxon.* II. d. 2. q. 1. n. 24. — Omnes * enim * creaturae dependent dependentia causati ad causam ad tres Personas ut sunt unum in natura. — *Ib.* III. d. 1. q. 2. n. 8. — Omnis creatura dependet ad Deum; et hoc in ratione causae *effectivae*. — *Ib.* IV. d. 12. q. 2. n. 18.

Curam habe de bono nomine. — Quilibet debet diligere secundum rectam rationem famam propriam. — Probatur per Scripturam: Ecclesiastici 41: *Curam habe de bono nomine*. Et reddit rationem de hoc: *Hoc enim magis remanebit tibi, quam mille thesauri magni et pretiosi*. Probat etiam per aliud, subdens: *Bonae vitae numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in aeternum*. Proverb. 22: *Melius est nomen bonum quam divitiae multae*. — Item *per rationem* probatur: quilibet enim secundum rectam rationem debet sibi velle vitam civilem: hoc autem tollitur per ablationem famae, quia in hoc aliquis vivit vita civili, quod idoneus est ad actus aliquos competentes sibi in illa civilitate: sed fama amissa privatus est habilitate ad tales actus, quia amisit statum dignitatis illaesae, scilicet, habilitatem ad actus, quibus alias dignus esset. — *Oxon.* IV. d. 21. q. 2. n. 8-9. — *Report.* ib. n. 7.

Dico de dilectione famae propriae, quod quilibet, cui potest iuste competere in se fama, debet magis diligere illam quam alteri, cui non potest iuste competere. Sed si sibi non potest competere nisi iniuste, alteri autem iuste, magis debet diligere alteri, cui iuste convenit, quam sibi cui iniuste. Et ita accusato de falso crimine iuste convenit fama; accusanti autem, post talem accusationem, iniuste, non solum quia mentitus est in accusando, sed quia publice mentitus est; in quo sufficienter et iudicabiliter se diffamavit. Et ideo postea directe ostendens innocentiam alterius, cui tenetur in hoc, et indirecte nocentiam sui, non tunc proprie diffamat se, sed tunc amovet falsam laudem, qua iste post accusationem mendacem indignus est. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 4. n. 2.

Dico igitur, quod licet magis sit salvanda et diligenda fama propria quam aliena, magis tamen salvanda est fama alterius iuxta quam hypocrisis propria iniusta. Unde bene debent se homines custodire in lingua ab omni mendacio et detractione, quia *detractores sunt Deo odibiles*, secundum Apostolum, *Roman.* 1. — *Report.* ib. n. 48.

D

Definitionem (ad cuius) non pertinet consequens, nec antecedens. — Neque illa regula, *ad cuius definitionem non pertinet consequens, nec antecedens,* vera est nisi de consequentia superioris et inferioris in *eodem* genere, qualis consequentia non est inter contradictorie opposita et relativa; quia negatio ex parte contradictoriorum non est superius in genere ad alterum relativum: sicut *non pater* non est Superius ad *filium. Super Praedic.* q. 28. n. 4.

Definitiones multae eiusdem non sunt. — *Non sunt multae definitiones eiusdem,* per Aristotelem *VI. Topic.* — Dicitur, quod unius absoluti, cuius est definitio indicans eius esse in se, non sunt multae definitiones. — *Super Univers. Porph.* q. 21. n. 2. — Unius rei una est definitio, sicut et una scientia. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. III. S. 2. c. 2. n. 36.

Definitionis quaelibet pars de definito praedicatur. — Potest dici, quod omnis pars definitionis *eo modo quo ponitur in definitione* potest praedicari de definito, et ita unum relative oppositum non ponitur in definitione sui correlativi *in recto,* secundum quod ei opponitur, sed *in obliquo,* ut *huius* vel *huic;* et sic de eo praedicatur; licet enim pater non sit filius, est tamen *filii.* — *Super Praedic.* q. 28. n. 4.

Definitio omnis indicat essentiam definiti. — * Haec * est vera tantum de definitione quae datur *sine additamento,* cuiusmodi non est definitio *relativi,* neque alicuius *accidentis.* Tamen in definitionibus aliquorum *accidentium* tantum additur *subiectum* praeter essentiam definiti: in definitionibus *relativorum* est *subiectum* et *correlativum;* et hoc quia relativum ad plura dependet, quam aliud accidens quod dicitur absolute. — *Super Praedic.* q. 28. n 4.

Definitio prior et notior est definito. — * Haec * est vera de definitione quae datur tantummodo per *essentialia,* cuiusmodi est definitio *substantiae,* vel ad minus absoluti, non *respectivi;* quia enim respectiva essentialiter mutuo dependent, ideo mutuo se definiunt, licet neutrum sit prius altero. — *Super Praedic.* q. 28. n. 4. — Partes definitionis uno modo sunt notiores definito; alio modo e converso, ut patet per Aristotelem, *I. Physic.* t. 4. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 1. n. 4.

Definitum sine eo quod pertinet ad eius definitionem impossibile est esse. — Cum dicitur quod *nihil potest esse sine eo quod pertinet ad eius definitionem,* verum est, nisi pertineat tantum ad eius definitionem ut *additum,* tunc enim potest esse sine eo illo.

Contra: unum correlativum cadit in definitionem alterius ut *additum,* et non ut aliquid de essentia correlativi; et tamen relativum non potest esse vel intelligi sine suo correlativo. — *Respondeo,* quod definiens vel est de essentia definiti, ut *animal* et *rationale* de essentia *hominis;* et ita est propositio vera necessario, quia nihil potest esse sine eo quod cadit in definitione eius: vel ipsum definiens est ut *additum* in definitione eius. Sed hoc contingit dupliciter: vel ut additum *necessario requisitum* ad intellectum eius, et sic necessario coëxigitur, atque ita requiritur correlativum in definitione relati, et sic adhuc est illa propositio vera: vel illud additum ponitur in definitione alicuius ut *causa* eius *propinqua* et *extrinseca,* et sic potest definitum esse sine definiente tali, et accidens sine subiecto, quia causalitatem tunc omnis causae extrinsecae proximae potest Deus eminenter supplere. — *Report.* IV. d. 12. q. 1. n. 10. — *Oxon.* ib. n. 27.

Deitas est bonitas. — In ista, *Deitas est bonitas,* remanet *infinitas* non tantum in uno extremo, sed in utroque; ideo est hic veritas propter identitatem * (infinitatem?) * inclusam virtualiter in utroque extremo. — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 26.

Deitas est Pater, Filius et Spiritus Sanctus. — Propositio, *Deus est Pater, Filius*

et Spiritus Sanctus, est vera: quia terminus subiectus quod primo significat, hoc primo ponit in oratione, et si aliud extremum quod praedicatur sit idem, propositio affirmativa denotans talem identitatem vera est. *Deus* autem significat *naturam divinam ut est nata praedicari de supposito*, et illud significatum est idem tribus personis; ideo propositio hoc significans est vera.

Sed numquid eadem est veritas illius et huius, *Deitas est Pater, Filius et Spiritus sanctus?* Respondeo: sicut praedicatio in Divinis distinguitur in veram *formaliter* et in veram *per identitatem*, hoc est, quod illa sit *formalis* quando praedicatum convenit *formaliter* subiecto, *per identitatem* vero quando propter infinitatem divinam praedicatum est *idem* subiecto, licet non *formaliter*, ita haec, *Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt Deus*, vera est *formaliter;* et haec *per identitatem: Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt Deitas;* non autem *formaliter:* ergo et ista, *Deus est Pater*, etc., habet aliquam veritatem, loquendo de praedicatione *formali*, quam non habet ista, *Deitas est Pater*, etc. — *Oxon.* I. d. 4. q. 2. n. 2.

Sed pro quo supponit *Deus*, intelligendo istam esse veram, quasi praedicatione *formali?* Respondeo: unicuique *quo* correspondet proprium *quod* vel *quis;* et ideo Deitati ut Deitas est correspondet *quod* et *quis* est primo Deitate ens ut Deitas est, et sicut Deitas est de se *haec*, ita Deus, qui Deus est Deitate, est de se *hic;* et in isto conceptu non includitur *incommunicabilitas*, nec ratio *personae*, quia Deitas communicabilis est; et ideo Deus ut Deitate est Deus non includit aliquid *incommunicabile* formaliter. Isti termino sic intellecto, absque conceptu personarum seu personalium proprietatum, vere possunt competere aliqua praedicata realia, quae videlicet non competunt naturae ut existenti in ratione suppositi, sed existenti in hac natura inquantum existens in ea. Et ita potest poni quod ista, *Deus est Pater et Filius et Spiritus Sanctus*, est vera, quatenus *Deus* stat pro *hoc* Deo, inquantum est per se ens Deitate, non autem pro aliquo *supposito* proprie dicto in quo est natura divina; quia quando est veritas pro primis significatis terminorum, non oportet quaerere veritatem in aliis in quibus includuntur ista significata: sicut quando *consequens* habet propriam veritatem, non oportet quaerere veritatem eius praecise pro aliquo *antecedente*.

Deitas autem est per se ens, et ideo *Deus*, inquantum est Deus Deitate, est per se ens; quia *VII. de Trinitate* Augustinus dicit: *Pater eodem est quo Deus est, licet non eodem sit, et Pater sit;* et ideo huic Deo, non intelligendo aliquam rationem suppositi sive personae, imo ratione huius Dei potest attribui *Pater* et *Filius* et *Spiritus Sanctus*. — Ib. n. 3. — Cf. d. 8. q. 7.

Delectatio intellectus maior quam sensus. — Ratio est: delectatio provenit ex coniunctione convenientis cum convenienti: sed propria operatio uniuscuiusque sibi est conveniens; igitur unumquodque delectatur in propria operatione: sed intelligere est operatio non transiens in extrinsecum; ergo maxima est delectatio circa intelligere. Quanto igitur intellectus eminentior est quam sensus, tanto delectatio circa intellectum maior est quam circa sensum. Et ideo dicit Philosophus, quod delectatio in speculativis scientiis affert mirabiles speculationes et sinceras. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 10. n. 2. — Delectatio tanto est maior in intellectu quanto intelligibile certius est et cum maiori certitudine apprehenditur; magis enim nos quaerimus delectationem alicuius immaterialis; etsi cognitionem probabilem habeamus, quam cognitionem multorum variabilium. — *Ib.* n. 3.

Delectatio vehemens excludit tristitiam. — Gaudium de obiecto beatifico replet totaliter capacitatem Beati; et ideo non est capax tristitiae; quia, secundum Aristotelem, *VII. Ethic.*, *delectatio vehemens excludit quamcumque tristitiam*, non solum contrariam, sed etiam contingentem. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 24. — *Ib.* d. 50. q. 3. n. 6. — III. d. 15. n. 35. — Et per consequens non sinitur appetitus sensitivus habere tristitiam circa passionem. — *Ib.* IV. d. 49. q. 12. n. 4.

Demonstratio est necessariorum. — Ex intentione Philosophi *VII. Metaph.* c. 13.,

Demonstratio est necessariorum, et definitio scientifica; et non contingit, sicut nec scientiam quandoque scientiam, quandoque ignorantiam esse, ita nec demonstrationem, nec definitionem, quandoque contingit esse talem, quandoque non esse talem. Ex hoc concludit: *palam autem ipsorum,* scilicet, *singularium corruptibilium, neque scientia, neque definitio. Neque enim sunt manifesta corrupta scientiam habentibus, cum a sensu abscesserint, et salvatis in anima rationibus eisdem, non erit determinatio neque definitio.* Intelligo sic rationem Philosophi: quod si de *contingenti,* sive de corruptibili, ut tale, esset definitio vel *demonstratio,* cum illud tale possit quandoque esse, quandoque non, salvata tamen ratione in anima, sequitur, quod esset quandoque scientia de illo obiecto, quandoque ignorantia, et quandoque *demonstratio,* et quandoque non, quod est impossibile. — *Quodlib.* q. 7. n. 9. — *Oxon.* III. d. 22. n. 9. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 2. c. 15. n. 124 seqq. — Vid. *Corruptibilium non est demonstratio.*

Demonstratio est per causam. — *Habere causam* dicitur vel in *inferendo,* vel in *essendo.* — Modo dicitur, quod accidit scientiae, inquantum scientia est, et demonstrationi, quod sit ex causis in *essendo.* — *De Cognit. Dei,* q. 2. n. 11.

Demonstratio est universalium. — Dico, quod *demonstratio sit de universalibus,* et similiter scientia, hoc accidit scientiae inquantum scientia est, quia scientia potest esse de omni eo quod potest habere propriam passionem: talia sunt aliqua singularia, sicut est essentia divina; et sic oporteret dicere, si quilibet Angelus faceret unam speciem. — *De Cognit. Dei,* q. 2. n. 11.

Demonstrationis principii non est demonstratio ut patet *IV. Metaph.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 10. — Secundum Philosophum, *IV. Metaph.,* non est quaerenda ratio eorum quorum non est ratio, *demonstrationis* enim *principii non est demonstratio.* — *Quodlib.* q. 16. n. 9. — Indisciplinati est quaerere omnium demonstrationem, secundum Philosophum, *IV. Metaph., principiorum enim demonstrationis non est demonstratio,* et eodem modo in contingentibus; alioquin esset processus in infinitum. — *Oxon* II. d. 1. q. 2. n. 9. — *Est enim ineruditio non cognoscere quorum oportet demonstrationem quaerere, et quorum non oportet; omnium enim esse demonstrationem est impossibile, nam in infinitum procederet* demonstratio, vel esset circulus in demonstratione, quorum utrumque est impossibile; ideo subdit * Aristoteles *: *quare nec ita fieret demonstratio;* oportet igitur aliqua esse indemonstrabilia. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. S. 2. c. 2. n. 35. — Ars enim demonstrandi ostendit omnium non esse demonstrationem, ad vitandum processum in infinitum in demonstrationibus. — *Ib.* c. 4. n. 81. — Cf. ib. III. S. 2. c. 1. n. 17.

Notandum, quod principia demonstrationis non semper sunt indemonstrabilia simpliciter; sed quod est conclusio unius demonstrationis potest esse principium alterius demonstrationis; et quoniam sic est demonstrare talia principia, quandoque pertinet ad eamdem scientiam, quandoque ad aliam. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. III. S. 2. c. 1. n. 20.

Demonstratio semper aeque concludit. — Verum est, *eamdem conclusionem,* et in practicis *eodem modo circumstantionatam;* sed si concludit *pro nunc,* ut *nunc* dicit circumstantiam conclusi, non sequitur: ergo *pro semper,* quia non est eadem conclusio eodem modo circumstantionata; nec sequitur: ergo *pro tunc,* nisi ut *tunc* determinat illationem vel illatum. — *Oxon.* III. d. 15. n. 25.

Denominat (quod) unam partem denominat totum. — Dico, quod aliqua nata sunt praecise inesse toti secundum partem *principalem,* sicut *crispitudo:* aliqua vero secundum *omnes partes,* vel secundum *principaliores* partes. — Primo modo *quod denominat unam partem denominat totum;* sed secundo modo vel tertio non, nisi insit secundum *omnes* partes vel plures. Nunc autem, si *sanitas* nata est inesse omnibus partibus, non tamen aequaliter, sed principaliter *thoraci,* si accipitur pro corde; quia si nata esset simpliciter inesse multis aeque principaliter, cum uni parti possit inesse sa-

nitas, alteri infirmitas, simul possent contraria inesse eidem supposito absolute. — *Report.* III. d. 11. q. 2. n. 11.

Vel aliter dico, quod Aristoteles non curat de *Logica* in illo exemplo, sed de re, cum dicit aliquid tripliciter moveri, hoc est, realiter inest, sive denominet totum, sive non; videtur, si debeat salvari de virtute vocis, quod ex hoc quod inest tali parti, sequitur, quod inest toti, oportet, quod per *thoracem* intelligat partem principalem, cui si inest sanitas, non est compossibile quod infirmitas inest alicui parti, a qua potest totum denominari. — *Ib.* n. 12. — *Oxon.* ib n. 6.

Deo nihil impossibile. — Ubicumque non invenitur contradictio, illud ponitur absolute possibile. — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 5. — Dico ergo, quod est maxima mihi certissima, quod Deo est possibile omne quod non includit evidenter contradictionem et ad quod non sequitur necessario contradictio. — *Ib.* IV. d. 10. q. 2. n. 11.

Dependens ab eo a quo dependet habet entitatem, unitatem et distinctionem. — Quodcumque *dependens ab illo a quo dependet essentialiter habet entitatem, unitatem, et per consequens distinctionem;* causatum igitur sicut habet entitatem a quacumque causa per se, ita unitatem et distinctionem, et etiam quodcumque dependens ab illo a quo dependet essentialiter; et maxime verum est hoc quando dependet ab aliquo tamquam a causa propria, sive termino proprio suae dependentiae, quia quando communiter terminat dependentiam eius et alterius, non ita accipitur unitas eius, et distinctio secundum unitatem et distinctionem talis termini dependentiae. — *Quodlib.* q. 13. n. 31.

Dependens naturaliter a posteriori non est idem priori. — Impossibile est aliquid dependens a posteriori naturaliter esse idem priori naturaliter; quia tunc esset prius et non prius — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 9.

Dependens quodcumque intrinsecam habet rationem dependendi. — Arguitur sic: *Omne dependens habet intrinsece aliquid quod est sibi ratio dependendi.* — Respondeo: aliquid potest esse ratio dependentiae dupliciter: uno modo, sic quod ipsum necessario consequatur vel concomitetur dependentia *actualis:* alio modo, quod licet ipsum necessario concomitetur *aptitudo* ad dependendum, non tamen necessario dependentia actualis; sed ipsum, quantum est ex natura sua, dependeret, et quando est actualis dependentia convenit secundum ipsum ut proximum fundamentum. — *Primo modo* est dependentia creaturae ad Deum, quia necessario fundamentum dependentiae est in actuali dependentia semper. — *Secundo modo* est dependentia *causati* ad *causam secundam,* sine qua posset ipsum immediate causari a *prima,* et ita posset ab illa secunda non dependere actualiter, licet semper haberet *aptitudinem* ad dependendum. *Maior* igitur rationis vera est, intelligendo de ratione dependendi non praecise primo modo, sed indifferenter primo modo vel secundo; nihil plus concludit prima probatio maioris, inducendo de dependentiis *causati* ad *causam.* — *Quodlib.* q. 19. n. 24.

Dependens habet aliquam rationem dependendi, quam non habet non dependens; quod necessarium est, intelligendo per *rationem dependentiae* rationem formalem dependendi, quae est ipsa dependentia, quia sine illa non posset aliquid dependere; sed intelligendo rationem fundamentalem dependentiae, secundum quam inest dependentia, sicut secundum albedinem similitudo, non oportet quod illa ratio sit magis in dependente quam in illo quod non dependet actu, est tamen aeque aptum ad dependendum. *Exemplum:* accidens quando est in subiecto non magis habet talem rationem dependendi, quam quando ipsum est separatum, quia ipsamet natura est isto modo proxima ratio dependendi; nec oportet ad hoc quod *actu* dependeat, superaddi actu talem rationem dependendi, sed sola ratio formalis, scilicet, actualis dependentia. — *Ib.* n. 25.

Dependentiam alicuius totaliter terminare unius solum est. — Quia in omni dependentia essentiali unum dependens non dependet praecise nisi ad unum, quod totaliter terminat eius dependentiam. — *Oxon.* III. d. 1. q. 2. n. 5. — Quia *nulla duo possunt esse terminantia totaliter dependentiam ali-*

cuius eiusdem; quia tunc illud terminaret dependentiam, quo substracto, non minus terminaretur illa dependentia, et ita non esset dependentia ad illud. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 19. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 7.

Dependentia omnis est causati ad causam. — Ista propositio est falsa, scilicet, quod *omnis dependentia est causati ad causam* vel *ad causatum prius;* est enim aliqua dependentia alterius rationis ab illa, quae non est ad aliquid inquantum habet quidditatem, sed inquantum *quid,* vel ens subsistens vel suppositum: talis est ista dependentia * naturae humanae ad Verbum * — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 21. — Ista dependentia non est propria *causati* ad *causam,* quia secundum Augustinum, *V. de Trin. 14., ad creaturam Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unum principium.* — *Quodlib.* q. 19. n. 2.

Dependere essentialiter impossibile est ad duo, ad quorum utrumque dependentia terminetur totaliter. — *Impossibile est idem ad duo essentialiter dependere, ad quorum utrumque eius dependentia terminetur totaliter.* Haec probatur sic: una causa *totali* causante aliquid in aliquo genere causae, impossibile est aliam causare idem in eodem genere causae, quia tunc *idem bis causaretur,* vel *neutra esset causa totalis.* Similiter illud tunc causaret, quo non causante, nihilominus esset causatum, quod est absurdum. Et ita impossibile est idem quacumque dependentia dependere a duobus, quorum alterum eius dependentiam terminaret totaliter; iam enim alterum non sufficienter terminaret, si adhuc ad reliquum dependeret. Similiter tunc dependeret ad aliquid, quo non existente, nihilominus esset secundum eumdem ordinem essendi, quod est contra rationem dependentiae, intelligendo quod nihilominus esset secundum eumdem ordinem. — *De Prim. Princ.* c. 3. n. 11. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 4. — Vid. *Effectus eiusdem non sunt plures causae totales.*

Destruere facilius est quam construere. — Nec conceditur, quod si quis potest aliquid ministerialiter *conferre,* quod sic possit ministerialiter *auferre,* quia Deus non sic eum instituit ministrum in amotione, sicut in collatione. Et tunc illa regula, *facilius est detruere quam construere,* non conceditur de ministerialiter agente in Sacramentis. Pro quo adduci potest illud Pauli, *II. Corinth.* c. ult: *Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in aedificationem.* — *Oxon.* IV. d. 13. q. 2. n. 4.

Deum esse est per se notum. — Propositio illa est *per se nota* quae coniungit ista extrema: *esse* et *essentiam divinam* ut est haec, sive *Deum* et *esse* sibi proximum. — Quia illa ex terminis suis habet evidentem veritatem, in tantum, quod illa propositio non est *per se secundo modo,* quasi praedicatum sit extra rationem subiecti, sed *per se primo modo,* et immediata, et ex terminis evidens, quia est immediatissima, ad quam resolvuntur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo, qualitercumque concepto. — Est igitur ista, *Deus est,* vel *haec essentia est, per se nota; quia extrema nata sunt facere evidentiam de ista complexione cuilibet apprendenti perfecte extrema istius complexionis, quia esse nulli perfectius convenit, quam huic essentiae.* Sic ergo intelligendo per nomen *Dei* aliquid quod nos non perfecte cognoscimus, nec concipimus, ut hanc essentiam divinam, sic haec est *per se nota: Deus est*(1). — Sed si quaeritur, an *esse* insit alicui conceptui quem *nos concipimus de Deo,* ita quod sit propositio per se nota, in qua enuntiatur *esse* de tali conceptu, puta, in tali propositione cuius extrema possunt a nobis concipi; potest enim in intellectu nostro esse aliquis conceptus de Deo dictus, non communis sibi et creaturae, puta *necessario ens,* vel *ens infinitum,* vel *summum bonum,* et de tali conceptu possumus praedicare *esse,* eo modo quo a nobis concipitur, dico, quod nulla talis est per se nota. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. nn. 4-5; *ubi praedicta fusius exponit et demonstrat.*

Deum omnia immediate attingunt ut finem suum. — Quando arguitur, quod *omnia immediate attingunt Deum ut finem suum,* dico, quod *finis* dupliciter accipitur: uno modo pro *causa finali:* alio modo accipitur

———

(1) Vid. Distinctiones: *Propositio per se nota.*

pro *ultima perfectione* rei. — *Primo modo* Deus est immediatus finis omnium, sicut est immediata causa finalis omnium; nam causa finalis non est nisi per quam amatam producens producit effectum: Deus autem universa propter se creavit; unde Deus diligens se propter se fecit haec. — Non autem propter finem *secundo modo.* — Quando igitur arguitur: Deus est *immediatus finis omnium*, verum est de *causa finali.* — Et quando dicitur: igitur *omnia immediate attingunt Deum ut finem*, verum est, arguendo uniformiter. — *Report.* IV. d. 49. q. 7. n. 10. — *Oxon.* ib. q. 8. n. 6. — Vid. DISTINCTIONES: *Deus finis.*

Deus agit propter finem. — Ratio *finis* non est proprie ratio *fruibilis*, sed ratio illius boni absoluti, cui convenit ratio *finis.* Licet igitur Deus non sit finis sui, tamen respectu voluntatis suae est illud obiectum, cui nata est competere ratio finis, quia est summum bonum. Non tamen potest sibi competere ratio *finis* respectu sui, sicut nec respectu sui est finis, sed respectu omnium finibilium, qualia sunt bona ordinabilia ad aliud. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 6. — Deus * enim * est causa finalis omnium, et hoc non aliter nisi propter quem amatae sunt res; Deus enim omnia producit propter seipsum; et sic est finis immediatus omnium, ut *propter se* et *ad se.* — *Ib.* IV. d. 49. q. 8. n. 7.

Si obiiciatur, quomodo ergo *Deus* dicitur *agere propter finem? Responsio:* respectu nullius est causa *finalis* aliqua, nisi respectu cuius est causa *efficiens*, quia causalitas causae finalis est movere efficiens ad agendum; Dei igitur ineffectibilis nihil est causa finalis. Sed illud primum dictum vulgatum debet intelligi, quod agit propter finem *effectus*, non propter finem *sui*, quia non est agens sui. — *Oxon.* I. d. 1. q. 5. n. 6.

Deus charitas est — Deus est *formaliter* dilectio et formaliter charitas, et non tantum *effective*, sicut dicitur *spes* vel *patientia mea*, quia efficit patientiam tamquam *non perfectionem simpliciter*, et ideo non convenientem sibi formaliter: sed charitatem efficit in anima, et dilectionem tamquam *perfectionem simpliciter*, et ideo sibi formaliter convenientem, quemadmodum alio modo facit *bonitatem*, alio modo *humanitatem*, ex hoc quippe quod facit humanitatem, non sequitur quod sit *formaliter homo*, sed tantum *causa effectiva* hominis; sed ex hoc quod efficit bonitatem, sequitur quod sit *formaliter bonitas.* Et ratio est, quia omnis *perfectio simpliciter* quae est in causato reducitur ad causam formaliter habentem istam perfectionem; non sic de perfectione limitata. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 31.

Deus distat in infinitum a creatura. — Quando inter extrema nulla est distantia media, sed ipsa dicuntur praecise distare ratione extremorum inter se, tanta est distantia quantum est maius extremum. Exemplum, *Deus distat in infinitum a creatura*, etiam suprema possibili, si qua daretur, non propter aliquam distantiam mediam inter extrema, sed propter infinitatem unius extremi. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 29.

Deus est ens. — In hac, *Deus est ens*, est praedicatio formalis et *in quid.* — *Report.* I. d. 8. q. 5. n. 18.

Deus est homo. — Ad quaestionem, *utrum haec sit vera: Deus est homo?* dico *primo* declarando quae sit *causa* veritatis huius: *Deus est homo. Secundo, quomodo Verbum est homo?*

De primo: terminus semper ponit signatum suum in oratione, et sic intellectus componens ipsum componit cum alio pro significato; non tamen semper est identitas primo ad signatum, cum propositio affirmativa est vera; quia si sic, tunc diceretur de quolibet, in quo salvatur significatum illius, de quo dicitur; igitur potest esse unio rei alicuius, in quo salvatur significatum; sic est in proposito; solum enim est vera, quod *Verbum est homo.*

Illud confirmatur per regulam communem generalem, quando propositio est primo vera propter hoc, quod est identitas primo ad significatum extremi de extremo, nunquam est illa vera propter aliam causam veritatis; quando vero est vera, quia est identitas ratione alicuius in quo salvatur, tunc habet causam veritatis aliam; sic est in proposito; habet enim hanc causam veritatis, quia *Verbum est homo.*

Secundo declaro *quomodo* haec est vera, *Verbum est homo.* — Et dico, quod non cognoscitur eius veritas per rationem naturalem, quia ista est contingens *Verbum est homo;* et quaelibet contingens aut est mediata, aut immediata; status enim est in propositionibus contingentibus, quia inter illas est ordo per se. Igitur oportet ponere primum; illud non potest esse propositio *necessaria,* quia ex necessario non sequitur contingens; igitur oportet stare ad *contingentem immediatam.* Si autem ista, *Verbum est homo,* est *mediata,* non cognoscitur certitudinaliter nisi ex immediata. Si autem ex immediata non cogniscitur certitudinaliter, sicut *me sedere,* nisi ex *intuitiva* notitia extremorum et unionis eorum; sed de Verbo non habet viator cognitionem intuitivam, sed tantum abstractivam; igitur non potest viator habere cognitionem huius propositionis verae, *Verbum est homo,* intuitivam.

Ex hoc habetur, quod veritas huius *sola fide* tenenda est, vel declaranda ex credito magis noto sic: Omne suppositum subsistens in aliqua natura est tale secundum illam naturam; sed Verbum est suppositum subsistens in natura humana; igitur *Verbum* dicetur *homo.* — *Maior* propositio est metaphysicalis: Sed *minor* est credita, quia Verbum subsistens in natura humana, est dans personationem naturae humanae. — *Report.* III. d. 7. q. 1. n. 3. — *Oxon.* ib.

Deus est in Deo. — Concedo, quod *Deus est in Deo;* et hoc concedit Hilarius, *VII De Trinit.* Sed cum infertur: ergo Deus *distinguitur* a Deo; nego *consequentiam,* propter fallaciam *consequentis;* haec enim praepositio *in* non notat virtutem confundendi suum casuale, nec hoc habet; et ideo petest causale eius stare pro supposito aliquo determinato indeterminate; *distingui* autem distribuuit terminum huius relationis confuse et distributive, propter negationem inclusam; et ideo causale huius praepositionis non infert terminum huius relationis, sicut non sequitur: *Deus generat Deum; ergo Deus distinguitur a Deo,* propter similem rationem. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 14.

Deus est magnus sine quantitate. — August. V. *De Trinit.* c. 1. — Non est illa magnitudo *molis,* sed *perfectionis;* et sic Deus est *magnus,* secundum Augustinum: non sine quacumque magnitudine, quia esset contradictio; nec per consequens sine quantitate quacumque, sed est magnus uno modo sine quantitate, alio modo non. — *Quodlib.* q. 6. n. 34. — Vid. Distinctiones: *Magnitudo in Divinis.*

Deus est Pater, Filius et Spiritus Sanctus. — Utrum *Deus sit Pater, Filius et Spiritus Sanctus?* — Dico, quod sic: quia quando illud quod ponit unum extremum in propositione est per se idem illi quod ponit aliud extremum, propositio affirmativa est vera: sed *Deus* significat essentiam, quae est eadem tribus; igitur, etc. — *Report.* I. d. 14. q. 2. n. 1. — Vid. *Deitas est Pater, Filius et Spiritus Sanctus.*

Deus est perfectior omni effectu. — Et ita perfectissimum omnium entium, et summum in omni differentia entis quae simpliciter importat perfectionem, cuiusmodi sunt verum, bonum, necessarium, etc. quia quodlibet tale est simpliciter perfectio aliquo modo communis, tam Primo quam aliis. — *Theor. XV.* concl. 3. n. 2.

Deus et creatura sunt contradictoria. — * *Dicitur :* * *Deus et creatura sunt totaliter et immediate sub extremis contradictionis,* scilicet, *dependere, non dependere.* — * Si * intelligit, quod illa sunt sub extremis contradictionis totaliter, hoc est, quod praecise sunt illa extrema contradictionis, sic est falsa; Deus enim non est praecise hoc, scilicet, *non ab alio,* quia ista negatio dicitur de chimaera; nec creatura est praecise ista negatio, scilicet, *non necesse esse,* quia hoc etiam convenit chimaerae; sed tam Deus quam creatura est aliquid cui convenit alterum extremum contradictionis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 11.

Deus factus est homo. — Circa istam quaestionem, *utrum haec sit vera: Deus factus est homo?,* ponuntur multae distinctiones: quod *factum* potest determinare *subiectum* vel *predicatum;* et distinguendo secundum *compositionem* et *divisionem.* — Quibus omissis, dico, quod haec est simpli-

citer vera: *Deus factus est homo*, ut patet in Symbolo Niceno. — Istud probo, *realiter* loquendo et *logice*. Loquendo *realiter* sic: *factio passiva* simpliciter non importat nisi habitudinem ad causam *facientem* et ordinem ipsius *facti* ad *non esse praecedens;* in *factione* vero *secundum quid* forte est assignare tertium cum his duobus, scilicet, quod subiectum *factionis passivae secundum quid* praecedit natura terminum formalem, licet non totum. Ex his arguo: sicut quod fit simpliciter fit ab agente, et habet habitudinem ad praecedens, sic fit tale *factione secundum quid*, quod ab agente accipit esse, et habet habitudinem ad oppositum praecedens, et praecedit naturaliter terminum formalem; sed *Deus factus est homo*, quantum ad hoc quod *fit homo* ab agente, et postquam non fuit homo, et praecedet naturaliter terminum formalem. — Primum patet, scilicet, quod *ab aliquo faciente*, quia ista unio est a tota Trinitate effective: et *postquam non fuit homo*, quia ante primum instans incarnationis non fuit Deus homo: et *praecedit* Deus natura *terminum formalem*, quia duratione praecessit; ita quod ita proprie *Deus factus est homo*, sicut *Socrates factus est albus*. — *Report*. III. d. 7. q. 3. n. 3.

Similiter *logice* loquendo, est haec vera: *Deus factus est homo:* quia aliter praedicatur *tertium adiacens*, et aliter *secundum*. Cum *lignum fit album*, verum est dicere quod tunc *lignum factum est album;* non tamen tunc factum est *lignum*. Cum enim specificatur *fieri* per *albedinem*, vera est propositio. Sic licet haec sit falsa: *Deus factus est*, haec tamen est vera: *Deus factus est homo*, cum specificetur *fieri* per naturam *humanam*. — *Ib*. n. 5. — *Oxon*. ib. q. 2. n. 3 seqq.

Deus hoc solo privatur: ingenita facere quae facta sunt. — Philosophus, *VI. Ethic*. c. 3., commendat dictum Agathonis recte dicentis: *hoc solo privatur Deus: ingenita facere quae facta sunt*. Et ratio est, quia nulla factio potest esse *non entis* de aliquo *non ente*, quia (maxime extendendo *factionem*) quaelibet est vel *entis* de *non ente*, vel *non entis* de *ente*, sicut in *annihilatione*, vel *entis* de *ente*: *praeteritum* autem non est *ens*, et ipsum non *praeterisse* est aliud *non ens;* ergo non potest ex praeterito fieri quod non sit praeteritum. — *Oxon*. IV. d. 1. q. 6. n. 5. — *Ib*. d. 6. q. 10. n. 10.

Quia, secundum Aristotelem, *VI. Ethicorum*, c. 3., *hoc solo privatur Deus: ut ingenita faciat quae facta sunt:* sicut nec potest facere de *furto non furtum*, quia non potest facere quin ille qui furatus est sit furatus, nec de *praeterito non praeteritum*.

Et huius ratio est, quia impossibile est simpliciter, ut aliquod agens faciat de *non ente non ens*. Contingit enim *positive* facere de *non ente ens*, ut patet in *creatione*, et *privative* de *ente non ens*, ut patet in *annihilatione* et *corruptione;* similiter de ente *in potentia* ens *in actu;* sed impossibile est, sive *privative*, sive *positive*, facere de *non ente non ens*, quia termini factionis sunt impossibiles et contrarii. Facere autem *praeteritum non esse praeteritum*, est facere quod praeteritum non praeteriit, quod est *non ens non esse non ens;* et hoc est impossibile; et hoc est facere *nihil*, quod est impossibile. — *Report*. IV. d. 1. q. 5. n. 5. — Vid. *Ingenita facere quae facta sunt non potest Deus*.

Deus non aliter novit facta quam fienda. — Secundum Augustinum, V. *Super Gen*. 7., *non aliter novit Deus facta quam fienda*. — *Oxon*. I. d. 36. n. 6. — Et ita perfecte sunt praesentialiter cognita ab intellectu divino fienda sicut facta. — *Ib*. d. 39. n. 35. — Praecognoscit igitur esse *existentiae* sicut esse *essentiae*. — *Ib*. d. 36. n. 6. — Quia intellectus divinus nullam certitudinem accipit ab obiecto aliquo alio ab essentia sua; tunc enim vilesceret. — *Ib*. d. 39. n. 9.

Deus non eo Pater quo Deus. — *Non eo Pater quo Deus, sicut nec eo Verbum quo Sapientia*. (Aug. VII. *De Trinit*. c. 5). — Ex verbis Augustini dico, quod dupliciter vel tripliciter eodem Deus est *sapiens* et *magnus*, et tamen *non* sic *eodem est Deus et Pater*. — *Uno modo*, quia *sapientia* et *magnitudo* sunt perfectiones *eiusdem* rationis, hoc est, *quidditative*, quia quidquid perficitur istis perfectionibus perficitur non ut rationibus *suppositi*, sed ut rationibus

quidditativis; non sic autem *Paternitas* et *Deitas* sunt *eiusdem* rationis. Sunt etiam alio modo *eiusdem* rationis *sapientia* et *bonitas,* quia perfectiones *simpliciter;* non sic autem *Paternitas* et *Deitas.* — *Secundo modo,* quia *magnitudo* est eadem Deitati in *quolibet;* Paternitas non, sed tantum in *uno* supposito. — *Tertio modo,* quia *bonitas* et *magnitudo,* etc. huiusmodi sunt eadem quasi identitate *mutua,* quia utrumque est formaliter infinitum, propter quam infinitatem utrumque est idem alteri; sed *Paternitas* et *Deitas* non sunt eadem sic mutuo, quia unum eorum non est formaliter infinitum, sed tantum *Deitas* est formaliter infinita, et propter istam infinitatem Paternitas est sibi idem, non e converso sic.

Concedo, ergo quod eo modo eodem est *bonus* et *sapiens,* quo modo non eodem est *Deus* et *Pater;* quia eodem est *bonus* et *sapiens;* eodem, scilicet, in *quolibet supposito* et eodem quasi identitate *mutua;* non sunt autem sic eadem in quolibet *Paternitas* et *Deitas: Eodem* similiter, id est, *perfectione eiusdem rationis* est *bonus* et *sapiens;* non sic eodem est *Deus* et *Pater,* quia non est utrumque *quo* ibi essentialis perfectio illius *cuius* est, quia licet quidditas Paternitatis maneat ibi, tamen illa quidditas non est ratio *quidditativa* simpliciter suppositi alicuius, sed ratio *personalis* eiusdem. — *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 23. — d. 2. q. 7. n. 45. — d. 4. q. 2. n. 3.

Deus non est definibilis. — Aliquid limitatum quale exprimitur per definitionem repugnat Deo, ideo definitio non est ipsius; quia nihil est in ipso limitans, vel determinans ipsum esse. — *Report.* Prol. q. 1. n. 51. — Vid. *Deus non est in genere* = DISTICT.: = *Deus qualiter nominabilis.*

Deus non est in genere. — Quaero, utrum cum simplicitate divina stet quod *Deus* vel *aliquid formaliter dictum de Deo sit in genere?* — Contra est Magister in littera, et adducit Augustinum, et ostendit per eum, quod removentur a Deo illa praedicamenta Artis dialecticae. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 1. — Additur in titulo *formaliter,* propter illa praedicata quae *transumptive,* et non formaiter, dicuntur de Deo. — *Report.* ib. q. 5. n. 1.

Dicitur ad *quaestionem,* quod aliquid dictum de Deo formaliter est in genere, et Deus similiter. — *Ib.* n. 2. — Contra istam viam arguo primo sic: quidquid est in genere habet aliquam realitatem in se quae secundum se est *potentia* ad aliam realitatem, quae est ipsius *differentia:* sed in Deo nulla est talis realitas quae sic est in potentia ad aliam realitatem; ergo, etc. — *Minor* patet; tanta enim est simplicitas in Deo, quod nulla realitas in ipso est in *potentia* ad aliam, quia quaelibet in ipso est infinita, et nulla finita, et per consequens nulla est ibi *partialis* realitas, quae ibi sit in potentia ad aliam. — *Ib.* nn. 4 et 5.

Item arguitur *probabiliter* sic: nam perfecta simplicitas Dei consistit in hoc, quod *est quidquid habet ad se,* ut Magister declarat in littera per auctoritates Sanctorum: sed nil quod est in genere est huiusmodi, scilicet, quod ipsum est quidquid habet ad se; quia natura eiusmodi entitatis quae est in genere habet perfectionem *generis* et *differentiae;* nec etiam perfectio generis continet perfectionem *speciei;* igitur quod est in genere non est quodlibet quod habet ad se. — *Report.* ib. n. 6. — Ex parte *infinitatis* arguo sic: conceptus speciei non est tantum conceptus realitatis cum *modo* sive *gradu* eius *intrinseco;* tunc enim albedo habens gradum posset esse genus, et gradus eius differentia; et ideo conceptus rei cum modo intrinseco realitatis suae est conceptus simplicior quam conceptus speciei: sed in Deo infinitas, sive quidquid aliud ponatur determinare realitatem eius, non dicit nisi modum et gradum intrinsecum suae quantitatis virtualis, sive suae quidditatis; igitur conceptus Dei non potest esse conceptus speciei habentis genus et differentiam. — *Ib.* n. 7. — *Oxon.* ib. n. 17.

— * Item * arguo sic: conceptus habens indifferentiam ad aliqua ad quae non potest conceptus *generis* esse indifferens non potest esse conceptus generis: sed quidquid dicitur communiter de Deo et creatura est indifferens ad finitum et infinitum: nullum autem genus potest esse indifferens ad finitum et infinitum; ergo, etc. — Prima pars *mi-*

noris patet: quia quidquid est in Deo perfectio essentialis est formaliter infinitum; in creatura vero finitum. — Secundam partem *minoris* probo: quia genus sumitur ab aliqua realitate quae secundum se est *potentialis* ad realitatem a qua accipitur differentia: sed nullum infinitum est *potentiale* ad aliquid.

Igitur cum in Deo quaecumque realitas essentialis sit formaliter infinita, nulla est a qua formaliter possit accipi ratio generis. — *Oxon.* ib. n. 16.

Arguo ex ratione *necesse esse*, et est argumentum Avicennae, *VIII. Metaph.* c. 4. Si *necesse esse* habet genus, ergo intentio generis vel erit ex se *necesse esse*, vel non. Si primo modo, tunc non cessabit quousque sit ibi differentia. Hoc intelligo sic: quod genus tunc includeret differentiam, quia sine illa non est in actu ultimo, et *necesse esse* ex se est in actu ultimo. Si autem genus includat differentiam, tunc non est genus. Si detur secundum membrum, sequitur, quod *necesse esse* est constitutum ex eo quod non est *necesse esse*. — *Ib.* n. 17. — *Report.* ib. n. 9.

Praeterea juxta viam istam potest sic argui *probabiliter:* quidquid est in genere abstrahit ab *actuali existentia*, quia illa tota coordinatio potest salvari in intelligendo illa coordinata intellectione abstractiva, quae non includit existentiam obiecti, quia sic esset intellectio intuitiva: *necesse esse* veri includit *existentiam* ex ratione qua est *necesse esse*, imo forte nihil ita per se convenit *necesse esse* sicut ipsum esse aut *existere*.

Sic igitur probatum est per tria media quae pondero, quod *Deus non est in genere, nec aliquid formaliter dictum de Deo*, et etiam per alia media *probabilia*. — *Report.* ib. n. 9.

Probatur etiam: quia natura in genere tota exprimitur per definitionem, ubi non importatur omnino idem per *genus* et *differentiam*, propter nugationem: oppositum in sic simplici invenitur (1). — *De Primo Princ.* c. 3. n. 1. — *Oxon.* l. c. n. 16. — *Report.* l. c. n. 4.

Ex istis vero rationibus aliae rationes antiquorum habent evidentiam, sicut ratio Augustini, quam Magister adducit in littera, *VII. De Trinit.* c. 2. et c. 6., quae est ista: substantia ut est genus generalissimum *substat:* Deus autem non; ergo, etc. Ista ratio tenet ex *infinitate* Dei, qua via processit secunda ratio. Expono autem sic rationem Augustini: non intelligit autem Augustinus, quod *ratio formalis* substantiae quae est genus sit *substare* accidentibus, quia haec ratio est *respectiva*, quae non includitur in formali conceptu *absoluti:* ratio autem *substandi* accidentibus necessario *concomitatur* substantiam quae est genus generalissimum. Quare autem aliquid non possit substare accidentibus, non convenit nisi duplici de causa: aut propter *imperfectionem* in entitate sua, quae non sufficit terminare dependentiam accidentis, vel propter sui *excellentiam*, qua non potest actuari alia actualitate superveniente. Manifestum est autem, quod substantia quae est genus potest determinare dependentiam accidentis, et ad hoc habet sufficientem perfectionem. Igitur quod aliqua substantia non sit capax accidentis substando ei, hoc est quia est *infinita;* igitur quod Deus non possit accidentibus substare, hoc est ex infinita perfectione sua, quia existens in *ultima actualitate* non potest ulterius aliquo accidenti actuari. Et ideo tenet ratio sua * (Augustini) * ex ratione actualitatis. — *Ib.* n. 10. — *Oxon.* ib. n. 16.

Item arguit Avicenna, *VIII. Metaph.* c. 4., quod Deus non est in genere, quia genus est pars: Deus autem simplex est non habens partem et partem; ergo Deus non est in genere. — *Oxon.* ib. — *Report.* l. c.

Istae duae rationes sunt simul per *auctoritatem* et per *rationem*. — *Oxon.* ib.

Quo autem ad illud quod additur in *quaestione* de quocumque *formaliter dictum de Deo*, dico, quod nihil tale est in genere, proter idem; quia nihil dicitur de Deo formaliter quod est limitatum: quidquid autem est alicuius generis, quomodocumque sit illius generis, est necessario limitatum.

Sed tunc est dubium: qualia sunt illa praedicata quae dicuntur de Deo *formaliter*, ut sapiens, bonum, etc.? Respondeo, quod

---

(1) Vid. *Deus non est definibilis.*

ens prius dividitur in *infinitum* et *finitum* quam in decem genera; quia alterum istorum, scilicet, ens finitum, est commune ad decem genera; ergo quaecumque conveniunt enti ut indifferens ad finitum et infinitum, vel ut est proprium enti infinito, conveniunt sibi non ut determinatur ad genus, sed ut prius, et per consequens ut est transcendens et extra omne genus: quaecumque sunt communia Deo et creaturae sunt talia quae conveniunt enti ut est indifferens ad finitum et infinitum; ut enim conveniunt Deo sunt infinita, ut creaturae sunt finita; ergo illa per prius conveniunt enti quam ens dividatur in decem genera; et per consequens quodcumque tale est transcendens. — *Oxon.* ib. *n.* 18. — *Report.* ib. n. 13.

Dico * ergo *, quod nihil alicuius generis dicitur de Deo; et sicut absoluta, ita relationes, quae formaliter dicuntur de Deo non sunt alicuius generis, sed transcendentia et passiones entis in communi, quia quidquid convenit enti inquantum est indifferens ad infinitum et finitum convenit ei prius quam dividatur in genera et ita est transcendens. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 15. — Sicut nullum genus, nec aliquid alicuius generis dicitur de Deo formaliter, ita nec passio alicuius generis, et per consequens nec aliqua relationum communium, secundum quod stricte sumuntur, ut, scilicet, sunt passiones generum determinatorum. — *Ib.* I. d. 19. q. 1. n. 4. — Cf. ib. d. 28. q. 1. n. 5.

Ex praedictis patet, quod *ens* contrahitur ad Deum et creaturam per *infinitum* et *finitum*. Non tamen sequitur, quod ens sit genus; quia minus distat hoc contrahens a contrahibili quam differentia a genere, quia contrahens, ut infinitum, sive finitum, non dicit nisi *intrinsecum gradum* sive modum entitatis; differentia autem non sic, sed dicit *aliam realitatem* a realitate generis, ad quam realitas generis est in potentia ut actuetur. — *Report.* ib. n. 18. — Vid. *Causa Prima non est in genere.* = *Ens non est genus.*

Deus non habet actionem circa materiam. — Quod ipsi dicunt, quod *Deus non habet actionem in eam,* dico, quod falsum est. Et si dicunt hoc doctores periti, non tamen in hoc sunt periti; imo, secundum eos habet eam pro termino actionis suae; ergo potest aliquid circa eam agere. Et hoc concedunt alii: quod nullum agens naturale potest attingere essentiam materiae; Deus tamen potest. — *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 8. — *Report.* ib. n. 10.

Deus non prius ultor quam aliquis sit peccator. — Secundum Augustinum, *XI. Super Gen. c. 24. Non prius est Deus ultor, quam aliquis sit peccator.* Videtur enim esse crudelitatis punire aliquem, non praeexistente in eo culpa. Igitur a simili non vult prius aliquem punire quam videat aliquem esse peccatorem. Non igitur primus actus voluntatis divinae circa Iudam est velle damnare Iudam, prout Iudas offertur in puris naturalibus, quia tunc videretur velle damnare sine culpa; sed videtur, quod oportet Iudam offerri voluntati divinae sub ratione peccatoris, antequam velit ipsum damnare; ergo cum reprobare sit velle damnare, reprobatio habebit ex parte obiecti rationem aliquam, scilicet, peccatum finale praevisum. — *Oxon.* I. d. 41. n. 11. — Cf. ib. II. d. 5. q. 1. n. 7.

Deus quaecumque voluit fecit. — Voluntas Dei quantum ad omnia semper debet impleri; quia sicut omnipotens potest omne possibile, ita quando voluntas divina determinat se ad ponendum aliquid in *esse* ultima determinatione, illud erit. Velle autem illud voluntate *beneplaciti* est ultima determinatio quae potest poni ex parte voluntatis ipsius Omnipotentis volentis ponere effectum in esse; ergo respectu cuiuscumque effectus, si Deus est sic volens, illud erit. — Et posset ratio confirmari, quia si causa ultima determinatione ad aliquid determinata non poneret effectum in *esse,* hoc non videretur nisi propter impotentiam eius, ut puta, quia non sufficeret ex se, vel quia esset impedita ab aliquo alio, vel propter mutabilitatem eius, antequam intelligatur effectus poni in *esse:* sed Omnipotens nec est impotens, nec impeditus, nec mutabilis; ergo, etc. — *Oxon.* I. d. 46. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.

Deus sic res quas condidit administrat, ut eas agere proprios motus sinat. — Theologus bene concederet, quod Causa Prima potest

ista causata non solum *privare* suis actionibus, sed etiam *propriis entitatibus*, quia ea potest annihilare.

Aliter, licet Deus privet entia secunda *actionibus suis*, praeveniendo causalitatem eorum, et causando effectus quos illa possent causare, non oportet, quod privet illa suis *entitatibus*; manent enim, et non causant suos effectus, quia alia causa immediate causat illos; possent tamen illos causare. Sicut manet iste *ignis*, et tamen non causat ignem in *hoc ligno*, si aliud agens fortius praeveniat in igniendo; posset tamen causare, quia formam, quae est principium igniendi, habet. — *Quodlib.* q. 7. n. 23.

Moderni * autem * ponunt, unum agens omnia entia sine medio; sed non sicut Christiani, quia secundum Augustinum, *VII. De Civ.* c. 30., *sic Deus res quas condidit administrat, ut eas agere proprios motus sinat.* Licet enim posset agere omnia, et sic agendo, *entitatem* quidem rerum non destrueret, sed eas quasi otiosas et vanas relinqueret; maluit tamen eis, sicut *entitatem*, sic et *virtutem activam* et *propriam* tribuere *actionem*; non enim universaliter perfectionem rebus subtraxit, cuius sunt capaces. — *Ib.* n. 24.

Signanter dicit Augustinus *proprios motus*, id est, qui sunt virtute propria eorum. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 6. n. 15. — Cf. ib. d. 49. q. 13. n. 9. — *Quodlib.* q. 21. n. 16. — *Report.* IV. d. 49. q. 11. n. 8.

Deus solus novit secreta cordium. — Quando dicitur, quod *Deus solus novit secreta cordium*, et nemo alius novit quae sunt hominis, respondeo, quod Deus, tamquam iudex reservans sibi universale iudicium, non vult, quod alteri hoc concedatur, quia hoc est tamquam proprium iudici universali, scilicet, *cognitio omnium secretorum.* Sicut igitur Deus non vult tribuere alicui iudicium universale, ita nec alicui vult concedere scientiam vel notitiam universalem meritorum vel demeritorum; et ita non permittuntur Angelo bono scire omnes cogitationes cordis, neque malo, nisi valde pauca. — *Report.* IV. d. 45. q. 4. n. 5. — *Oxon.* ib. n. 7.

Deus subiectum fieri non potest. — Dicit Augustinus, V. *De Trinit.*, c. 2, et IV., item lib. VII. c. 5, * quod * nunquam Deus subiectum fieri potest. — *De Rer. Princ.* c. q. 3. n. 9. — Quia Deus ex natura rei vere est actus purus et sapiens et bonus, videtur absurdum, quod illud quod in creaturis necessario habet imperfectionem annexam, vel est imperfectio, sicut ratio potentiae *passivae*, quia semper dicit imperfectionem prout dividit *ens* contra potentiam *activam*, quod ponatur in Deo. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 10. — * Ergo * impossibile est, Deum vel in se vel in quocumque habere rationem *receptivi* formae. — *Ib.* IV. d. 12. q. 4. n. 24.

Deus vult omnes homines salvos fieri. — Licet illud dictum Apostoli, *I. ad Timoth.* c. 2., posset exponi de distributione *accommodata*, pro *omnibus qui salvi fient*, tamen multo melius posset exponi de *voluntate antecedente* sic, id est: vult omnes homines salvare et salvos fieri, quantum, scilicet, est ex parte sui et voluntate sua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia et leges rectas et adiutoria communia sufficientia ad salutem. Sicut de Rege statuente bonas leges et praefigente ministros ad custodiam istarum legum potest dici, quod vult omnes subditos suos pacifice vivere et quiete; et tamen si videret aliquem tribulari iniuste, non statim oporteret, quod Rex intromitteret se ad faciendum illum quiete vivere, nisi devolveretur causa ad ipsum per querimoniam de facto; ergo vult quidem iste quemlibet pacifice vivere et quiete *antecedenter*, non tamen vult quemcumque immediate ita vivere. Ita dico in proposito, quod etsi Deus non habeat voluntatem *beneplaciti* ad istum salvandum, tamen vult isti illa adiutoria communia *antecedentia* ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter bene vivere et salvari; propter quae dici potest, quod, quantum est ex parte sui, *vult omnes salvos fieri.* — *Oxon.* I. d. 46. n. 3.

Tamen propter illud Apostoli, *vult omnes homines salvos fieri*, distinguo de voluntate *antecedente* et *consequente.* — Voluntas *antecedens*, qua *vult omnes salvos fieri*, est illa qua vult illa bona eis, quibus possunt pervenire ad salutem; voluntas vero

consequens est qua vult alicui propter merita sua beatitudinem. — *Report.* ib. n. 2.

Diabolus homicida fuit ab initio. — De auctoritate Ioan. VIII. c., *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit,* respondet Augustinus *XI. Super Gen.* c. 31. Deinde qualiter verba dominica, ubi dicit sic: quod *ab initio homicida fuit et in veritate non stetit, quia ex quo homo conditus fuit, ipsum per invidiam in mortem praecipitavit;* unde post initium temporis cecidit, ut et ibi dicitur, patet quod homicida non fuit in primo instanti suae creationis respectu hominis, quem tentavit. Et quamvis etiam in primo instanti suae creationis malus non fuit, sed satis cito post, tamen bene nunc dicitur, quod in veritate non stetit, simpliciter loquendo. — *Oxon.* II. d. 5. q. 2. n. 17.

Dicere nihil aliud est summo Spiritui quam quasi cogitando intueri, secundum Anselmum, *Monol.* 63. — *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 2. — Anselmus accipit ibi *dicere* mere *essentialiter*, scilicet, pro *actualiter intelligere,* sicut expresse vult *cap. eodem*, ubi vult, quod sunt *unus dicens,* sicut sunt *unus intelligens,* et licet quilibet dicat etiam quemlibet, tamen sunt *unus* in ratione *dicentis* et *dicti,* sicut sunt *unus intelligens* et *unum intellectum.* Et iste modus est valde extensivus huius nominis quod est *dicere,* quia nec significat illam relationem originis, nec connotat eam, sicut nec *intelligere* vel *sapere.* — *Ib.* n. 10. — Vid. DISTINCTIONES: *Dicere in Divinis.*

Dictum omne ex contingenti et necessario est contingens. — Regula est, quod *omne dictum ex contingenti et necessario est contingens.* Unde illuminatio domus dependet a sole lucente et existente in directa oppositione ad illuminandum tamquam a causa necessaria, quia sic existens necessario, quantum est ex se, semper illuminat. Dependet etiam ab aperitione fenestrae, tamquam a causa contingente, quia possum fenestram aperire, vel non aperire, ac per hoc possibile est domum non illuminari; et sic illuminatio domus simpliciter est contingens. — *De Rer. Princ.* q. 4. n. 36.

Dictum omne ex temporali et aeterno est temporale. — Regula est, quod *omne dictum ex temporali et aeterno est temporale.* Unde creatio, quamvis ex parte Dei dicat actionem aeternam, quia tamen includit creaturam, quae est temporalis, est temporalis simpliciter. — *De Rer. Princ.* q. 4. n. 36.

Differentia aliqua datur maxima. — Quia ea quae differunt *contingit ab invicem differre plus et minus,* sequitur, quod *est aliqua maxima differentia.* — Ratio huius assignatur: quia aliter esset procedere in infinitum, nisi esset dare aliquam maximam differentiam, qua maior nequit esse; ubicumque * enim * est maius et minus, ibi est dare maximum. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. s. 2. c. 2. n. 36. — Cf. *QQ. Metaph.* l. X. q. 10 per tot.

Differentiae formales mutant speciem. — *X. Metaph. cap. penultimo* dicit Philosophus, quod *differentiae formales mutant speciem,* vocando differentiam *formalem* differentiam *quidditativam.* — *Oxon.* I. d. 17. q. 5. nn. 1 et 8. — Philosophus intelligit ibi, quod si differentia sit *formalis,* variat speciem; sed non oportet, quod omnis differentia *formarum* sit *formalis.* — *Report.* ib. q. 4. n. 4. — *Differentia* * igitur * *formalis* potest accipi pro differentia *in forma,* et hoc videtur proprie significare hoc quod dicitur *differentia formalis:* vel potest accipi *differentia formalis* pro differentia *formarum,* licet non sit in forma ut in ratione differendi. Aliud enim est aliquid *distingui,* et aliud ipsum *esse primam rationem distinguendi* vel distinctionis; quia cum hoc quod ipsum sit distinctum stat quod ipsum non sit ratio distinguendi: cum hoc autem quod ipsum sit prima ratio distinguendi non stat ipsum non esse distinctum. Et ratio logica est ad hoc, quia negatio inclusa in nomine *differentiae* non tantum confundit terminum huius relationis confuse et distributive, sed etiam illud quod specificat differentiam, ut in quo notatur esse differentia; hoc quippe confunditur quantum ad negationem inclusam in hoc nomine *differentia,* quia si Socrates differt a Platone in albedine, non est idem sibi, nec in hac albedine, nec in illa albedine. — *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 7.

Dico * itaque *, quod differentia formalis potest accipi dupliciter: *proprie*, et sic concedo, quod differentia formalis est *specifica*, quia quae differunt per *formam*, hoc est quod *quidditas* sit principium distinguendi, quia differre negat respectum et terminum respectus; vel potest accipi differentia formalis *minus proprie*, pro differentia *formarum*, et dico, quod non semper per differentiam formarum est differentia formalis proprie, nec specifica. — *Report.* II. d. 3. q. 1. n. 8.

De *X Metaph.*, *Masculus et foemina non differunt specie, quia masculinitas et foemineitas sunt differentiae materiales formae humanitatis*, dico, quod est fallacia *consequentis* inferendo ex textu omnes formas differre *specifice;* vere enim Philosophus vult ibi, quod differentia non est specifica; sed ex hoc non sequitur, quod *omnis* differentia formalis sit specifica =, sicut non sequitur in affirmativis aequipollentibus istis, quia universalis affirmativa non convertitur, terminis eodem modo se habentibus. A Philosopho igitur accipi potest, quod *sola* differentia *formalis* est *specifica*, non quod *omnis* differentia formalis est specifica, quia licet exclusiva inferat affirmativam de terminis transpositis, non tamen eodem modo de terminis non transpositis; sed est fallacia *consequentis*, sicut convertendo indefinitam in universalem affirmativam; imo ex illo loco magis videtur accipi oppositum huius propositionis, *omnis differentia formarum est specifica;* differentia enim *hominis albi* et *equi nigri* est differentia formarum, et aliquo modo per formas; non tamen *specifica* differentia, secundum eum ibi, quia illae formae respectu naturarum in quibus sunt non sunt formales, imo consequentes *individua*, non autem per se consequentes vel per se determinantes esse *quidditativum*. — *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 9.

Differentiae non est differentia. — Concedo, quod *differentiae non est differentia* respectu cuius differentia habet rationem *differentiae;* sed potest habere differentiam respectu cuius ipsa est *species:* sicut hoc quod est *praedicari in quale*, per quod constituitur differentia in sua specie, sicut *homo* per *rationale*. — *Super. Univers. Porph.* q. 26. n. 2.

Differentia formalis non suscipit magis et minus. — Porphyrius *in cap. de differentia*, vult, quod *differentia* per se *non recipit magis neque minus.* Et probat ibi: *esse enim unicuique unum et idem est, nec intensionem nec remissionem suscipiens.* Accipit *esse* pro *quidditate.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 19. — * Et * loquitur de *differentia* inquantum est per se pars definitionis; et hoc modo consistit in indivisibili: hoc est accipiendo illam indifferentiam secundum quam abstrahitur ab individuis, quae indifferentia talis est gradus eius, ut *differentia specifica*, sic *non recipit magis et minus;* quia quaecumque magis et minus possunt competere individuis hoc modo, et sunt omnia intra istam indifferentiam differentiae specificae, et non addunt differentiae secundum hanc indifferentiam. — *Ib.* I. d. 17. q. 5. n. 8.

Differentia ultima substantia rei est et definitio. — Quod *finalis differentia erit terminus et definitio*, nullo modo potest intelligi, quod *tota* ratio quidditativa sit in *ultima differentia*, tunc enim omnino *genus* superflueret in definitione, quia sola ultima differentia totam essentiam rei exprimeret; sed debet intelligi, quod *completive* est tota substantia rei, sicut a forma ultima est completive tota essentia habentis formam. Eodem enim modo assignat ipse * (Aristot.) * hic *unitatem definitionis*, quomodo dixit se praemisisse in *Analyticis*, et quomodo in *VIII. Metaphys. c. penult.* assignat *unitatem rei*, quia sicut ibi dicit, quod *ex duobus* constituitur compositum reale, quia hoc *actus*, illud *potentia*, ita hic dicit, quod *ex duobus conceptibus* componitur unus conceptus quidditativus seu definitivus, quia iste conceptus est potentialis, et ille actualis; et sicut ibi *actus* est principalior quam *potentia*, et per consequens principalior ratio unitatis, sicut et entitatis, ita et hic, quia conceptus ultimae differentiae est conceptus actualior et principalior ratio unitatis et definitionis. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 47. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 2. c. 13. n. 103 seqq.

Distantia nulla maior quam inter nihil et ens. — Cum dicitur, quod non contingit intelligere maiorem ista, dico, quod falsum est *positive*, verum est autem *permissive*. Hoc est dictu, quod alia distantia *ponit* maiorem remotionem quam ista, et una contradictio quam alia; sed ista *permittit* quamcumque maximam, quia in maxima salvatur. *Exemplum:* plus perfectionis *ponit* asinus *intensive* quam animal; tamen animal plus *permittit*, sive salvari potest in aliquo perfectiori, quam sit asinus, quia in homine; et quod sic est maximum, scilicet, *permissive*, non est formaliter maximum. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 12.

Distat (quod) ab aliquo est aliud ab eo. — *Quod distat ab aliquo est aliud ab eo*, quia nihil distat a seipso. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 3. n. 1. — Dico, quod accipiendo *distantiam* pro distantia *locali*, *maior* est falsa. — Ad *probationem* dico, quod aliquid non est *idem* sibi quia *continuum* sibi, sed veriori unitate; quia *continuitas* est *unitas partis* ad *partem* in toto, sed *unitas totius* ad *seipsum* est vera *identitas*. — Dico ergo, quod etsi totum ut distans non continuetur sibi ipsi ut distanti, tamen in utroque termino distantiae est vere idem habens eamdem continuitatem partium in toto. — Et *cum dicitur*, quod unitas totius continui est continuitas eius, verum est, *unitas* ut est ex *partibus*; sed *identitas* eius ad seipsum non est continuitas eiusdem totius ad seipsum, eo modo quo pars est continua parti. — *Ib.* n. 7.

Cum arguitur, quod si corpus distaret a se, esset *aliud* a se, *respondeo*, quod non sequitur, sicut patet de anima existente in capite et in pede, et distante a se per medium, scilicet, in totum corpus, et tamen est eadem, ex illimitatione sua ad omnes partes, et tota in qualibet. Similiter *esse* quod *habet* homo modo, et *esse* quod postea *habebit* in fine vitae suae, distant ab invicem secundum durationem mediam; nec tamen sequitur, quod est *aliud* et *aliud* esse, sed omnino idem esse. Unde *consequentia* non valet, quia diversitas in posteriori non concludit diversitatem in priori, ut: sunt duo loca, igitur duae quantitates. — *Report.* ib. n. 35.

Distincta formaliter non sunt eadem formaliter. — *Quae distinguuntur formaliter non sunt idem formaliter* et praecise; quia distinguerentur formaliter, et non distinguerentur formaliter, quia nihil essent nisi illud distinctum formaliter. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 19.

Distincta sunt realiter illa quorum unum manere potest sine altero. — Hanc propositionem, *illa sunt distincta realiter, quorum unum potest manere sine altero*, negaret protervus. Negata vero ista, perit tota doctrina Philosophi *VII. Topicorum*, qua docet, quod propositio, vel problema, faciliter destruitur per contradictionem inventam, sed difficulter construitur; si autem negatur propositio ista, non videtur posse destrui: quia si non destruitur per contradictionem, nec per aliquam aliam oppositionem, aut saltem non faciliter; et facillime videtur posse substineri, quia nullus locus secundum eum vel ab eo assignatus videtur efficax ad destruendum aliquid, si iste locus destruatur. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 5.

Distinctio in posteriori non arguit distinctionem in priori. — Maior * enim * unitas semper debet esse in priori quam in posteriori. — *Oxon.* II. d. 24. n. 4. — Quia unitas posterioris naturaliter dependet ab unitate prioris; quia ad distinctionem in priori sequitur distinctio in posteriori, et non e contra. — *Ib.* d. 3. q. 10. n. 8. — III. d. 8. n. 9.

Diversa genere sunt quorum materia genere diversa est. — Philosophus dicit, quod *subiecta sunt diversa quorum materia non est una, nec transmutatio eorum ad invicem.*

Dicendum, quod duplex est genus, scilicet, *physicum* et *logicum*, et utrumque a *materia* accipitur. — Illa autem dicuntur diversa genere materiali quorum materia *propinqua* sive *realis* non est una; unde et talia sunt quorum materiae non reducuntur ad invicem, nec ambae ad tertiam; et sic diceret Naturalis, quod *color* et *sapor* differunt genere (1); sic etiam dicitur, quod

(1) « *Color* et *sapor* differunt genere secundum Naturalem; tamen sunt in eodem secundum Logicum, quia nihil prohibet aliquid materiale idem secundum rationem inveniri in eis ». — *QQ. Metaph.* l. X. q. 9. n 3.

corpora superiora et inferiora differunt genere (1).

Genus *logicum* a materia sive materiali sumitur, etsi non significet materiam, quia in homine natura sensitiva comparatur ad intellectivam sicut materia ad formam; et ideo quae participant sensitivam dicuntur habere materiam unam in genere uno; quae autem non habent sensitivam dicuntur diversa genere ab his quae habent eam.

Unde quorum materia est diversa genere sunt diversa secundum Naturalem; et quorum illud quod est materiale et ratione est diversum genere logico sunt diversa, vel propinquo vel remoto. — Et dico *remoto,* quod licet quod est materiale proximum in ratione sit diversum, illud tamen potest esse naturale remotum, sicut licet proximum genus herbae et platae sit diversum genus, tamen remotum est.

Deinde, quia *genus* accipitur a *materia,* licet una materia non sit, ideo dicit Philosophus, quod *genere sunt diversa quorum materia est diversa.* — Et quia illa quae non communicant in materia non sunt ad invicem transmutabilia, ideo addit et dicit, *et quorum transmutatio non est ad invicem.* Hoc autem necessarium fuit addere, eo quod accidentia materiam non habent, et universaliter accidentia quae non sunt ad invicem transmutabilia genere differunt secundum Naturalem, ut *albedo, linea.* — *QQ. Metaph.* l. X. q. 9. n. 2.

* Seu brevius *: De genere *physico* nulla duo sunt eiusdem generis, nisi sint *transmutabilia ad invicem;* sed idem genus *logicum* bene potest continere multa quae non pertinent ad idem genus *physicum,* ut patet de substantia *corporea* et *incorporea,* et de qualitate *corporali* et *spirituali.* — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 14. — Differunt secundum genus *physicum* omnia quae non sunt transmutabilia ad invicem, quae tamen possunt esse et sunt in eodem genere *logico;* aliter enim *rationale* et *irrationale* non essent in eodem genere. — *Report.* ib. q. 9. n. 10. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. S. 2. c. 8. n. 84 seqq.

Diversa quanto aliqua magis sunt, tanto magis sunt ad invicem unibilia. — Ratio *unionis* non requirit distantiam unibilium, nisi propter potentialitatem in uno extremo et actualitatem in altero extremo: sicut patet de subiecto et accidente, quae se habent ad invicem sicut potentia et actus. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 5.

Dividentia omnia perfectiora concomitantur se. — Cum dicis, quod *omnia dividentia perfectiora concomitantur se,* dico, quod hoc est verum de dividentibus quae dicunt perfectionem simpliciter et *ad se,* ut *actus* et *infinitas* et huiusmodi; non autem de illis quae dicunt *respectum ad aliquid posterius,* quia habere necessariam habitudinem ad aliquid tale non est perfectionis, quia non stat cum perfecta necessitate illius, quod dicitur habere talem babitudinem. — Hoc confirmatur, quia talis habitudo non est formaliter infinita, cum tamen *infinitas* sit nobilius extremorum in divisione *entis.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 25.

Dividuntur (quae) in inferioribus uniuntur in superioribus. — Illa propositio, *quae plurificantur in inferioribus,* etc., non est universaliter vera, alias cum potentia cognoscitiva et etiam appetitiva plurificentur in parte sensitiva, sequeretur quod essent una potentia intentionaliter. Similiter cum intellectus et voluntas sint duae potentiae in homine, sequeretur quod essent una potentia in animali, quod non est verum. — *De Cognit. Dei,* c. 5. n. 5.

Divinis (in) duae sunt productiones, nec plures, nec pauciores. — Dico, quod ista conclusio, *in Divinis non possunt esse plures productiones eiusdem rationis,* non sola fide tenetur, sed ratione necessaria ostenditur. Et potest formari ratio primo deducendo *ad impossibile:* secundo *ostensive.*

Formatur ergo ratio sic: Si possunt esse plures productiones eiusdem rationis, ergo et *infinitae.* Et si sic, ergo *necessario sunt infinitae,* quia nihil potest ibi esse, nisi necessarium. Ultimum *consequens* impossibile manifeste; ergo et primum *antecedens.*

(1) « Corpora coelestia et inferiora sunt diversa genere physico, eadem tamen sunt genere logico, quia ratio inveniri potest quoad materiale in eis in qua conveniunt ». — *Ib.*

Probatio primae consequentiae *auctoritate* et *ratione*. — *Auctoritas* est Augustini, *contra Maximinum*, lib. I. *Absit, ut ideo potentior sit Pater Filio, ut putas, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem; neque enim non potuit, sed non oportuit.* Et subdit: *quare non oportuit? immoderata esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia nisi et ipse nepos avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam, impotens diceretur, similiter et ille, et ille*, etc. Subdit: *nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero gigneretur, nec etiam perficeret ullus omnipotens, si non unus omnipotens.* Haec Augustinus. — Ex ista intentione Augustini habetur, quod si una persona producta productione tali non sufficeret ad complendam unam vel totam productionem in Divinis, pari ratione nec alia aliqua, nec quotcumque; et ita sive eundo in directum, quod Filius generaret alium Filium, sive comparando ad eamdem personam Patris, quod, scilicet, habeat istum filium, et alium filium, semper qua ratione ponitur pluralitas, pari ratione sequitur *infinitas* eiusdem rationis.

Probatur eadem consequentia per *rationem* sic: Quidquid est plurificabile eiusdem rationis, vel ad plura eiusdem rationis se habens, non determinatur ex se ad certam pluralitatem. Haec propositio patet, sive comparando *commune* ad sua *singularia*, sive *causam* ad sua *causata*, sive *principium* ad sua *principiata; commune* enim plurificabile eiusdem rationis non determinatur ex se ad certam pluralitatem inferiorum; *causa* etiam non determinatur ad certa causata ex se. — Ex hac propositione probata sequitur, quod quodcumque plurificabile eiusdem rationis, quantum est de se, potest extendi ad infinita, nisi determinetur aliunde; nec determinari potest per principium eiusdem rationis; ergo si per aliquod principium in Divinis productivum potest esse pluralitas productionum eiusdem rationis, non determinatur talis productio ex se, sive ex suo principio formali ad certam pluralitatem; nec ex hoc nec ex illo repugnat sibi quaecumque pluralitas; ergo vel poterunt esse infinitae, et per consequens *sunt infinitae,* quod est conclusio illata; vel fiet determinatio talium productionum *ex alio* ad certam pluralitatem, quam ex se, vel principio productivo: sed hic non potest dari unde fiat ista determinatio; non enim ab aliquo *posteriori,* quia a posteriori nihil habet suam entitatem, ergo nec unitatem, nec certam pluralitatem; nec ab aliquo quod est *simul natura* cum productionibus, quia qua ratione ipsa productio, quae est unius rationis, non determinatur ex se ad certam pluralitatem, pari ratione nec illud quod est simul natura; nec ab aliquo *priori,* quia illud prius, vel principium formale *producendi,* vel principium *producens,* quod est suppositum. A principio *formali productivo* non potest esse determinatio, ut patet in *probatione maioris,* quia principium productivum eiusdem rationis non determinat se ad certam pluralitatem productionum eiusdem rationis; nec a *supposito producente* potest determinari, quia in tot productiones potest suppositum, ad quot se extendit principium productivum quod est in supposito; si ergo non est determinatio a parte principii formalis productivi, nec etiam a parte producentis. Sic ergo patet ista consequentia *ad impossibile:* quod si possent ibi esse *plures* productiones eiusdem rationis, ergo et *infinitae.* — *Quodlib.* q. 2. n. 17.

Secundo arguitur *ostensive* sic: Illud nullo modo est plurificabile in Divinis quod non potest determinari aliquo modo ad *aliquam certam* pluralitatem: sed productio eiusdem rationis in Divinis nullo modo potest determinari ad certam pluralitatem aliquam; ergo nullo modo est plurificabilis, quod est propositum. — *Maiorem* primo *exponam:* secundo *probabo* eam. — *Certam pluralitatem* dico, ut puta *dualitatem, ternitatem, quaternitatem,* vel aliquam aliam datam. *Omnino determinari ad certam pluratitatem* dico quod impossibile est a *posteriori,* vel a *simili,* sed includens manifeste contradictionem. — *Maiorem* sic intellectam *probo:* si non potest omnino determinari quantum est de se ad certam pluralitatem, ergo quantum est de se potest in

quotcumque, quia contradictionem non includit, quod quamcumque pluralitatem excedat, et hoc in infinitum: sed nihil potest in Divinis possibile sic ultrà quamcumque pluralitatem plurificari, quia tunc *necessario* ésset plurificatum ultra quamcumque pluralitatem, et ita esset in *infinitis*. — *Probatio minoris:* illud non potest omnino determinari ad certam pluralitatem inferiorem eiusdem rationis, quod non necessario praeexigit aliqua plura alterius rationis, per quae determinetur ad certam pluralitatem: productio eiusdem rationis in Divinis non necessario praeexigít aliqua plura alterius rationis, per quae determinetur ad certam pluralitatem; non ergo potest omnino determinari ad certam pluralitatem. — *Ib.* n. 18.

Ista ratio *ostensiva* sic probata potest breviter sic compilando confirmari: Omnis pluralitas necessario finita vel est alterius rationis, vel si non est alterius rationis, necessario praeexigit aliquam alterius rationis, per quam determinetur: omnis pluralitas in Divinis necessario est fiñita; est ergo *talis* vel *talis:* sed non potest esse pluralitas productionum eiusdem rationis *tali* vel *tali* modo se habens; ergo nulla potest esse pluralitas eiusdem rationis in productionibus. — *Maior* istius rationis declarata est in argumento *ad impossibile*, et etiam *ostensive*. — *Minor* primi syllogismi satis est manifesta: quia *possibilitas* in Divinis ponit *necessitatem*, et per consequens possibilis infinitas, vel non necessaria certa finitas ponit necessariam *infinitatem*. — Et *minor* secundi syllogismi, haec, scilicet, quod productiones eiusdem rationis non possunt *hoc* modo vel *hoc* se habere, patet; non enim sunt alterius rationis, ex quo sunt eiusdem rationis, nec praeexigunt pluralitatem alterius rationis, per quam determinentur; hoc declaratum est in argumento *ad impossibile*. — *Ib.* n. 19.

Dico tunc, quod *tantum sunt ibi duae productiones distinctae* secundum rationes formales productionum; et hoc, quia sunt tantum duo principia productiva habentia formales rationes producendi distinctas. — Quod *probo* sic: Omnis pluralitas reducitur ad unitatem, vel ad paucitatem tantam ad quantam reduci potest; ergo pluralitas principiorum activorum vel productivorum reducetur ad unitatem, vel ad tantam paucitatem ad quantam potest reduci: sed non potest reduci ad aliquod principium unum productivum aliud ab istis. *Probatio:* quia principia productiva, quae sunt *natura* et *voluntas*, habent oppositos modos principiandi, quia alterum inclinatur ex se ad agendum *naturaliter*, alterum *libere*, et in potestate sua habet producere, ita quod ad hoc se *naturaliter* non inclinatur. Si autem reduceretur ad aliquod unum principium productivum, illud haberet determinate alterum modum principiandi alterius istorum principiorum: vel enim esset productivum ex se *determinate*, et tunc per modum *naturae*, vel non ex se determinate, sed *libere*, et ita per modum *voluntatis;* ergo non possunt reduci ad aliquod principium quasi tertium ab istis, quod, scilicet, in producendo neutrius istorum habeat rationem. Nec unum istorum reducitur ad alterum, quia tunc alterum secundum totum genus suum esset imperfectum; quod falsum est, quia, cum ex eadem perfectione conveniat utrique esse principium operativum et productivum, et neutrum sit ex se imperfectum inquantum est operativum, quia tunc non esset formaliter in Deo; ergo nec inquantum est productivum est imperfectum. Ergo non possunt reduci ad paucitatem minorem quam ad *dualitatem* principii, scilicet, productivi per modum *naturae*, et principii productivi per modum *voluntatis*. Haec autem duo principia secundum rationes suas principiandi debent poni in Primo, quia in ipso est omnis ratio principii quod non reducitur ad aliud principium prius. Igitur sunt tantum duo principia productiva alterius rationis in primo productivo; haec autem sunt productiva *ad intra*. *Probatio:* memoria perfecta est productiva *ad intra* per modum *naturae*, quia intellectus perfectus, sicut inquantum est potentia operativa natus est intelligere obiectum quantum est ipsum noscibile, ita inquantum est potentia productiva notitiae genitae, natus est esse principium tantae notitiae quanta potest esse obiecti: intellectus autem in Primo, etiam

ut est principium productivum, est simpliciter perfectus. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 18. Hoc etiam obiectum primum intellectus est infinitum intelligibile; ergo intellectus ut est principium productivum natus est esse principium producendi notitiam infinitam. Similiter arguitur de *voluntate* respectu amoris obiecti infiniti.

Ulterius sequitur: si non sunt nisi duo principia productiva alterius rationis; ergo *tantum sunt duae productiones* numero. — *Probatio:* quia utrumque principium productivum habet productionem sibi adaequatam et coaeternam; ergo stante illa non potest habere aliam. — *Ib.* n. 19.

Divinis (in) nihil imperfectionis est ponendum. — Sed totum perfectionis. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 12. — Nihil enim ponitur in Divinis ex natura rei, quin sibi praecisissime considerato repugnet quaecumque *imperfectio,* alioquin praecise quantum est de se possibile, posset sibi aliquam imperfectionem competere, et ita posito quod illa imperfectio competeret, adhuc ipsa posset manere ipsa; et si ipsamet manet, est intrinseca Deo; igitur possibile esset aliquam imperfectionem esse intrinsecam Deo, quod est impossibile. — *Quodlib.* q. 19. n. 4. — Est autem perfectus omni perfectione simpliciter ex se et ex natura sua, et non ex aliquo respectu ad creaturam. — *Oxon.* I. d. 43. n. 4.

Divinis (in) omnia sunt unum et idem ubi non obviat relationis oppositio (Anselmus). — Dico, quod *omnia sunt unum et eadem, ubi non obviat relationis oppositio:* vel *formaliter,* sicut relatio obviat alicui relativo, vel sicut natum referri relatio opposita. — *Oxon.* I. d. 26. n. 32. — Nihil est in Divinis quod non sit idem essentiae divinae, imo etiam et cuilibet essentiali, ita quod considerando utrumque in abstracto, simpliciter verum est *hoc est hoc.* — *Quodlib.* q. 5. n. 15. — Quod si aliquid est idem essentialiter essentiae, illud est actu in Deo mere ex natura rei. — *Ib.* q. 1. n. 10.

Divinis (in) omnia sunt unum praeter ingenerationem, generationem et processionem. — Damascenus, cap. 1: *Et quoniam Pater et Filius et Spiritus Sanctus secundum omnia unum sunt, praeter ingenerationem et generationem et processionem;* et ibidem cap. 10: *In his solis enim hypostaticis proprietatibus ab invicem differunt hae sanctae tres hypostases.* — Item Damascenus, *III. de Trinitate,* cap. 5. *Differentiam autem,* inquit, *hypostaseon, id est, personarum, in solis tribus proprietatibus; anaetio, scilicet, incausabili et paternali; et aetiaci, id est, causabili, et filiali, et causabili, et processibili recognoscimus.* — *Oxon.* I. d. 26. n. 4.

Ad Ioannem Damascenum dico, quod una eius auctoritas solvit aliam, quia *cap. 8.* praecise ponit *ingenerationem,* et in *lib. 3. c. 5.* ponit *paternalem proprietatem:* istae autem duae proprietates distinguuntur, secundum Augustinum, *V. De Trin. c. 6.;* igitur excludendo omnia in Patre *in cap. 1.,* praeter *ingenerationem,* intelligit per *ingenerationem* omne personale Patris; et ita ubicumque excludit ab aliqua proprietate alicuius suppositi omne aliud, praeter illam proprietatem inclusam, includit omne aliud personale, et ita includeretur ibi realitas absoluta si qua esset, et maxime includeretur, ut videtur; quia in creaturis, incluso accidente, non excluditur subiectum; et ita inclusa relatione in persona divina, non excluditur illud quod refertur ea: sicut si diceretur, quod sola *paternitas* est, non propter hoc excluderetur *Pater,* qui paternitate esset Pater. — *Ib.* n. 32. — Dico * itaque *, quod ly *praeter* non excludit aliqua *personalia,* sed excludit *essentialia,* et includit in proprietate inclusa omne personale illius personae. Unde, et in *ingeneratione* includitur tam *paternitas* quam *spiratio activa* ut est in Patre, et omnia personalia quae conveniunt Patri. Quod etiam probatur per eum alibi, ubi nominat paternitatem, filiationem et processionem; ergo non intendebat in primo loco solas illas tres esse proprietates personales, nec etiam intendebat illas tres constitutivas esse personales, sed per illas intendebat omnes alias, et quod omnia essentialia, quae excluduntur per ly *praeter,* sunt unum in tribus. — *Ib.* d. 28. q. 2. n. 13. — Cf. *Quodlib.* q. 4. n. 5.

Divinum non contingit esse invidum. — Dicit Aristoteles, quod *divinum*, id est, Deus, *non contingit esse invidum.* — Notandum, quod invidia in Deo cadere non potest: tum quia invidia dicit passionem, quia est appetitus doloris in contrarium, qui Deo omnino repugnat: tum quia quantum ad obiectum invidia est vel respectu maioris, vel eius qui creditur vel speratur esse maior: nullus autem est maior Deo, nec esse potest, quod Deo notum est, et ideo invidere non potest: tum (et est quasi idem) quia invidia est tristitia de prosperitate alicuius, quatenus bonum alterius putatur diminutio boni proprii: quod in Deo accidere non potest, quia suum bonum diminui non potest ex bono alterius, quinimo ex eius bonitate, sicut fonti indeficienti, effluunt bona omnis creaturae. — *Exposit in Metaph. Arist.* l. I. s. 1. c. 2. n. 32.

Divisibile eodem est aliquid quo partes dividentes distinguuntur. — Quando accipitur, quod *eodem est aliquid divisibile per quod partes dividentes distinguuntur*, hoc falsum est; nam natura communis divisibilis est ex se in individua: non autem individua distinguuntur ex ratione naturae communis, sed ex propriis distinctivis; ita enim apparet in genere, quia genus * generalissimum * est divisibile secundum se in plura genera et in plures species, et tamen genus non est ratio distinctionis specierum, sed differentiae constituentes plures species. — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 15.

Divisibilitas est passio quantitatis. — Dividi in partes integrales eiusdem rationis extensas nulli convenit nisi per quantitatem formaliter, nec maximo naturali magis quam minimo; quia *divisibilitas est passio naturalis quantitatis;* divisibilitas * enim * in tales partes vel essentialiter consequitur quantitatem vel est de per se ratione eius, sicut Philosophus assignat rationem *quantitatis V. Metaph.* — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. nn. 17 et 18. — Vid. Distinctiones: *Quantitas.*

Divisibilitatis et distinctionis idem est principium. — Dico, quod ista propositio est falsa: *idem est principium divisibilitatis et distinctionis dividentium.* Conceptus quidem quidditativus secundum se communis speciebus est ratio *divisibilitatis* eius in species; sed non est ratio *distinguendi* species ab invicem, sed species una ab alia distinguitur per *differentiam:* in quidditativa autem divisione tota quidditas, ut confuse continens omnes partes, est ratio divisibilitatis in toto quanto: non sic autem est ratio distinctionis partium ab invicem, sed haec quantitas inquantum distincta in actu non est illa in actu quae est in toto. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 19.

Doctrina omnis et omnis disciplina fit ex praeexistente cognitione. — Dico, quod *omnis doctrina et omnis disciplina fit ex praeexistente cognitione;* quia cognitio intellectiva procedit a potentia ad actum, et ab imperfecto ad perfectum; illud ergo quod scitur in *particulari*, prius sciebatur in *universali;* quia non est dicere, quod illud sciebatur simul propria ratione, quia sic non contigeret addiscere aliquid, *addiscere* enim *est acquirere cognitionem alicuius de novo, et sub propria ratione.* Nec oportet dicere, quod illud quod scitur in particulari prius fuit *totaliter ignotum*, sic enim non posset ab intellectu apprehendi, sicut servus fugitivus totaliter ignotus a patrefamilias, ab eo non apprehenditur, si ei occurrat, sicut arguit Plato. Illud ergo quod scitur in *particulari* primo sciebatur in *universali.* Sed scientia in particulari est scientia quae concluditur instrumento demonstrationis. Scientia conclusionis in universali est in cognoscendo principia; nam quaelibet cognitio intellectiva scibilis fit ex cognitione intellectiva principiorum; et ista fit ulterius ex cognitione intellectiva terminorum, *principia enim cognoscimus ex eo quod terminos cognoscimus* (1); et ista cognitio ulterius est ex cognitione *signorum*, quia hunc ordinem ponit Themistius, et huic consonat Aristoteles: Aristoteles tamen non dicit, quod omnis *cognitio* fit, etc., sed dicit: *omnis doctrina et omnis disciplina*, etc. Et huius ratio est quia ali quorum est *doctrina* et *disciplina* quorum

---

(1) Vid. *Principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus.*

non est *scientia*, sicut patet in Rhetoricis; per exemplum enim acquiritur *doctrina* et *disciplina* de conclusione, non tamen *scientia;* et similiter est de *inductione*. Unde Aristoteles per hanc particulam, *omnis doctrina et omnis disciplina*, etc. excludit opinionem Academicorum, qui posuerunt omnia *ignorari*, et nullam esse doctrinam; per hoc quod dicit *fit*, excludit opinionem Platonicorum; illud enim fit quod de novo acquiritur: si doctrina *fiat* in nobis; ergo de novo acquiritur in nobis; non ergo *omnia sciuntur*, sicut ponit Plato.

Unde ulterius est intelligendum, quod omnis cognitio intellectiva fit ex praeexistenti cognitione; sed non semper ex *eadem;* sed quaedam fit ex cognitione praeexistenti *sensitiva*, sicut patet in Inductione; et quaedam fit ex praeexistenti cognitione *intellectiva*, sicut patet in Syllogismis; ergo concludit minus universale ex *magis universali*, vel saltem semper concluditur ex universali quod est notum intellectui. Sed inductio praesupponit cognitionem sensitivam *singularium:* vel quia in inductione cognitio intellectiva conclusionis universalis est ex cognitione sensitiva singularium. — *Post.* I. q. 1. n. 3.

Cognitio intellectiva est aliquando ex cognitione sensitiva, et aliquando ex cognitione intellectiva et praeexistente, et non semper ex hac fit, vel ex illa. — *Ib.* n. 4.

Per *doctrinam* intelligit * Aristot. * acquisitionem scientiae per doctorem. — *Ib.* q. 2. n. 3.

Iuxta quod est intelligendum, quod scientia aliquando acquiritur *totaliter ab intrinseco*, ut per inventionem, et hoc quando intellectus est bene dispositus, et ex praemissis notis potest devenire per virtutem intellectus agentis in cognitionem conclusionis ignotae, sine doctore extrinsecus. — Sed aliquando acquiritur scientia *partim ab extrinseco*, ut cum intellectus non est bene dispositus, sicut patet in illis qui habent intellectum optusum; tunc requiritur, quod doctor extrinsecus ordinet principia addiscenti et applicet illa conclusioni, et inde veniat addiscens in cognitionem conclusionis per doctorem, principaliter tamen lumine intellectus proprii, sed secundarie adiutorio doctoris. Et ideo dicit Linconiensis, quod non solum doctor docet, sed littera scripta, et non proprie docent ista per se, sed ista duo intellectum addiscentem excitant et commovent; sed interius verus doctor, id est, Deus, mentem illuminat et veritatem ostendit. — Docens * autem * non influit scientiam in discipulum, sed docens excitat intellectum discipuli per principia nota et per determinatam applicationem principiorum ad conclusionem, ut discipulus per lumen intellectus agentis, ut per principale agens interius, apprehendat cognitionem de eodem scibili, cuius cognitionem primo habuit docens. — *Ib.* n. 5. seqq. — Quia homo docet proponendo quaedam signa nota audienti; quibus propositis, audiens circa illa sola quamplurimum occupatus est, et ita in se unitus; qualis unio non est in adinveniente scientiam, quia inveniens scientiam circa multa distrahitur. Similiter ex illis signis ordinate componit ad invicem conceptus simplices, sicut componit loquens et docens, et conceptus complexos ordinate coniungens, sicut sunt signa ordinatae coniunctionis apud loquentem, et ex talibus signis percipit veritatem complexorum ex terminis et habitudinem complexi ad complexum a quo habet veritatem suam, et ita addiscit; quam veritatem vel complexionem per se non haberet, nec disceret sine omni docente, licet haberet species omnium incomplexorum; non enim habens multorum incomplexorum conceptus novit qualiter componat ea, et quae complexa inferant incomplexa qualitercumque ordinata; si enim hoc facere posset, cito ex terminis conciperet veritates multarum complexionum, et ex quibusdam complexionibus veritatem aliarum complexionum, et sic addiscunt ingeniosi per se adinveniendo; sed tardioribus oportet proponi ab aliquo aliqua signa nota, ut addiscant per doctrinam. — *Oxon.* II. d. 11. n. 5. — *Report.* ib. q. 1. n. 7.

Sensibilia possunt immutare intellectum pro statu isto; non autem mere intelligibilia: non quia illa non sunt activa, nec quia intellectus noster non est passivus respectu eorum *absolute*, sed quia pro statu isto im-

peditur ne patiatur vel recipiat a talibus immediate; amoto autem tali impedimento, tunc recipit, sicut est in beatitudine, tunc loquetur Angelus homini beato, et homo beatus alii homini beato, quia tunc, secundum promissum Salvatoris *in Mathaeo, erimus sicut Angeli Dei;* cui laus et gloria, etc.

Et ex hoc patet quare doctor non potest *causare* scientiam in discipulo: non propter defectum virtutis activae in scientia docentis, sed propter incapacitatem intellectus discipuli pro statu isto, pro quo habet impedimentum ne sic immutetur, quia pro statu isto determinatur ad phantasmata (1), sicut ad ipsum immutantia. — *Oxon.* ib. n. 8.

(1) Vid. *Intellectu (in) nihil est,* etc.

E

Eadem (quae sunt) uni tertio sunt eadem inter se. — Utrum ista regula sit vera: *quaecumque uni et eidem sunt eadem illa inter se sunt eadem?* — *Prior.* I. q. 9. — Ista est vera. — *Ib.* q. 21. n. 7. — Aristot. hic c. 2. per istam regulam videtur probare conversionem universalis negativae. Similiter virtute eius regulae tenet syllogismus *expositorius*(1).

Nota, quod terminus pluralis numeri, vel etiam *copulatus,* aut *disiunctus,* potest exponi secundum duplicem sensum: unus sensus est *divisus,* et alter *compositus.* Verbi gratia: dicendo **A** et **B** valet decem solidos, secundum sensum *divisum* sensus est quod **A** valet decem solidos, et **B** decem solidos; secundum sensum *compositum* sensus est quod **A** et **B** simul sumpta valent decem solidos.

Ex quibus potest inferri *primo,* quod in creaturis non sunt aliquae res eaedem uni et eidem, vel etiam eaedem inter se, loquendo secundum sensum *divisum.* Patet, quia in creaturis nullum est idem cuilibet diversarum rerum. — Et dico notabiliter *in creaturis;* quia in Divinis eadem res, scilicet, Essentia divina, est eadem cuilibet diversarum rerum; et hoc secundum sensum *divisum.* — Sed in creaturis bene invenitur, quod diversae res sunt eaedem uni et eidem rei, loquendo secundum sensum *compositum;* sicut duae medietates continui sunt illud continuum. — *Ib.* q. 9. n. 2.

Istis praemissis, dico quod regula sic est exponenda: quicumque duo termini dicuntur idem alicui tertio termino supposito pro una re *demonstrata,* et pro illa *sola,* illi termini dicerentur de se invicem: ut si isti termini, *album* et *animal,* dicantur idem huic termino, *Socrates,* illi termini dicerentur de se invicem; et hoc est intelligendum, videlicet, in quibus una res non est eadem cuilibet diversarum rerum.

* Haec tamen * regula de *virtute sermonis* non est vera, sed ad sensum praedictum, scilicet, quod si aliqui duo termini dicantur de una re *demonstrata,* illi tertermini dicentur de se invicem, sicut sequitur: *Socrates est albus: Socrates est animal; igitur animal est album.* — *Ibid.* n. 4. — Nam illa regula intelligitur sic: quod quotiescumque aliqua duo divisim dicuntur de eodem *determinato,* illa dicuntur de se invicem. Et glossa praedictae regulae est vera in omnibus, exceptis in Divinis, in quibus una res est eadem cuilibet diversarum rerum, scilicet, una essentia cuilibet diversarum personarum. — *Physic.* I. q. 9. n. 11.

* Vel * sic est intelligenda: Quaecumque aliqua identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate inter se sic sunt eadem, quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundum illam identitatem qua sunt eadem medio, et medium in se sic sit idem. — Et per hanc propositionem sic intellectam tenet omnis forma syllogistica; omissa enim altera conditione, vel unitatis medii in se, vel extremorum ad medium, non est syllogismus, sed paralogi-

(1) Vid. Distinctiones: *Syllogismus expositorius.*

smus *accidentis*. — *Oxon* I. d. 2. q. 7. n. 47. — * Etenim * fallacia est *accidentis*, ex identitate aliquorum inter se absolute concludere identitatem respectu tertii, respectu cuius extraneantur. *Exemplum* : *intelligere* divinum est idem suo *velle;* ergo si ipsum *intelligere* est alicuius, ipsum *velle* est eiusdem; non sequitur; sed est *velle*, quod quidem *velle* est aliquid eiusdem, quia intelligere eiusdem ; ita quod divisim potest inferri, non coniunctim, propter *accidens*. — *De Primo Principio*, c. 4. n. 13. — * Ideo * propositio falsa est, nisi intelligendo de unitate illius tertii in se et illorum quae concluduntur esse unum ex unitate illius; quia alias, si est minor unitas illius tertii in se, non potest concludi maior unitas aliorum inter se per unitatem illorum in tertio. — *Oxon*. IV. d. 10 q. 3. n. 6.

Dico * igitur *, quod non potest concludi identitas duorum in conclusione, nisi talis sit identitas eorum in tertio et tertii in se; aliter enim esset *accidens* vel *aequivocatio* in syllogismo. — *Report*. I. d. 2. q. 8. n. 5.

Quando * vero * comparantur duo ad tertium *illimitatum*, secundum illud secundum quod comparantur duo ad tertium, non sequitur ex unione eorum in tertio unio eorum inter se. *Exemplum*: si ego sum cum Deo hic, et Papa sit cum Deo Romae; ergo ego sum simul cum Papa; non sequitur, quia Deus est illimitatus secundum praesentiam, quia est praesens omnibus locis. Ita etiam non sequitur: ego sum cum aeternitate, et Abraham fuit cum aeternitate; ergo ego sum vel fui simul cum Abraham; quia Deus aeternus et aeternitas eius sunt illimitata. — *Oxon*. I. d. 13. n. 21. — Quando * itaque * aliqua uniuntur in aliquo *illimitato*, non sequitur eorum unio inter se, sicut non sequitur in mensura illimitata, ut de *aeternitate* idem *praeteriti* et *futuri*. Similiter Deus est illimitatus quoad locum, ideo non sequitur quod quae sunt simul cum eo, quod sint simul in eodem loco. Similiter anima propter quamdam sui illimitationem est in qualibet parte corporis, ideo non sequitur quod pars carnis in manu et in pede sint simul. — *Collat*. 37. n. 15.

Sicut super illam, *uni et eidem sunt eadem*, etc. fundantur syllogismi necessario concludentes, ita etiam paralogismi et sophismata non necessario concludentes. Unde ad hoc, quod haec sit vera, requiritur quod extrema uniantur in medio secundum aliam unitatem, et medium in se habeat illam unitatem; et tunc sequitur unio extremorum inter se secundum unionem eorum in medio; aliter enim non sequitur conclusio, ut si arguatur: *homo est animal: asinus est animal; ergo homo est asinus*, vel, *igitur asinus est homo*, non sequitur. — *Ib*.

Quecumque * autem * *contingenter* coniunguntur inter se et eidem tertio potest unum illorum convenire illi tertio, absque hoc quod aliud conveniat eidem; quia non est ratio inseparabilitatis eorum ex parte *eorum inter se*, cum *contingenter* coniungantur, nec ex parte *tertii*, quia *contingenter* coniunguntur illi tertio. — *Oxon*. IV. d. 10. q. 4. n. 14.

Effectivum aliquod datur simpliciter primum. — Quod *aliquod effectivum sit primum simpliciter*, ita, scilicet, quod non sit effectibile, nec effectivum *virtute alterius* a se, probo sic: Aliquod ens est *effectibile;* aut igitur *a se*, aut *a nullo*, aut ab *aliquo alio*. — Non *a nullo*, quia nullius est causa illud quod nihil est. Nec *a se*, quia nulla res est quae seipsam faciat vel gignat, August. *I. De Trinit*. c. l. Ergo *ab alio* effectivo. — Illud aliud sit **A**. Si **A** est primum modo exposito, habeo propositum. Si non est primum, ergo est posterius effectivum. Si enim negetur negatio, ponitur affirmatio. — Detur illud alterum, et sit **B**, de quo arguitur sicut de **A** argutum est. Et ita aut procederetur in infinitum, quorum quodlibet respectu prioris erit secundum, aut stabitur in aliquo *non habente prius*. Infinitas autem est impossibilis in ascendendo; ergo primitas necessaria: quia non habens prius nullo priore se est posterius, nam circulum in causis esse est inconveniens. — *Oxon*. I. d. 2. q. 2. n. 11.

Contra istam rationem instatur, quod procedat ex *contingentibus*, et ita non sit demonstratio. — *Antecedens* probatur; quia praemissae assumunt esse de aliquo *causato:* omne autem tale contingenter est.

Ad instantiam, quae dicit quod ratio procedit ex *contingentibus*, et ita non est demonstratio, *respondeo*, quod posset sic argui: Aliqua natura est *effecta*, quia aliquod subiectum est *mutatum*, et ita terminus mutationis incipit esse in subiecto, et ita ille terminus vel compositum producitur sive efficitur; ergo aliquod est *efficiens*, per naturam *correlativorum*. Et tunc praemissa esset secundum veritatem *contingens*. — Tamen non sic arguitur probando conclusionem, sed hoc modo: Aliqua natura est *effectibilis*; ergo aliqua est *effectiva*. — *Antecedens* probatur, quia aliquod subiectum est *mutabile*, et aliquod entium est *possibile*, accipiendo *possibile* ut dividitur contra *necessarium*. Et sic procedendo est ex *necessariis*. Et tunc probatio conclusionis procedit vel concludit de esse *quidditativo*, sive de esse *possibili*; non autem de *existentia actuali*. Sed de quo nunc ostenditur *possibilitas*, ultra * (statim) * *actualis existentia* ostenditur. — *Ib.* n. 15. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 1. seqq. — *De Rer. Princ.* q. 1. n. 17 seqq.

Effectivum primum actu existit. — *Primum effectivum est in actu existens*, et aliqua natura existens actu sic est effectiva. — *Probatio:* cuius rationi repugnat simpliciter esse *ab alio*, illud si potest esse, potest esse *a se:* sed rationi primi effectivi repugnat esse *ab alio*, sicut patet ex *secunda conclusione* (1); et ipsum potest esse, sicut patet ex *quinta ratione* posita ad **A** (2), quae videtur minus concludere, tamen hoc concludit.

Aliae autem probationes ipsius **A** possunt tractari de *existentia*, quam ponit haec conclusio, et sunt istae probationes ex *contingentibus*, tamen manifestis; vel si accipiantur de *natura* et *quidditate* et *possibilitate*, sunt ex *necessariis*.

Ergo effectivum simpliciter primum *potest esse a se*; ergo *est a se*. Quia quod *non est a se* non potest esse a se, quia tunc *non ens* produceret aliquid ad esse, quod est impossibile; et adhuc idem causaret se, et ita non erit *incausabile* omnino. — Istud ultimum, scilicet, de *existentia* primi effectivi, aliter *declaratur:* quia inconveniens est universo deesse supremum gradum possibilem in essendo.

Item iuxta illud, nota quoddam *corollarium*, quod quasi continet tres conclusiones probatas, quod est istud, scilicet: quod primum effectivum hoc modo non tantum est prius aliis, sed aliquid esse prius eo includit contradictionem. Sic inquantum primum existit. *Probatur* ut praecedens; nam ratione illius maxime includitur *incausabile*, ut probatur ex *secunda;* ergo si potest esse, quia non contradicit entitati, ut probatur ex *prima*, sequitur quod *potest esse a se*, et ita *est a se*. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 16. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 5.

Effectivum simpliciter primum est incausabile. — Secunda conclusio de *primo effectivo* est ista: quod *simpliciter primum effectivum est incausabile.* — Hoc probatur: quia est *ineffectibile* et *independens* effectivum. Et haec patet prius, quia si sit *virtute alterius* causativum vel ab alio effectibile, ergo vel procedetur in infinitum, vel erit circulus, vel status in aliquo *ineffectibili* et *independente* effectivo. Illud dico *primum;* et aliud patet, quod non est primum, ex datis tuis.

Et ulterius concluditur: si illud primum est ineffectibile; ergo erit *incausabile*, quia non *finibile*, nec *materiabile*, nec *formabile* (1). — *Probatur prima consequentia*, videlicet, quod si est ineffectibile, ergo non est *finibile:* quia causa *finalis* non causat nisi quia metaphorice movet ipsum efficiens ad efficiendum; nam non alio modo dependet ab ipso essentialiter entitas finiti, ut a priore: nihil autem est causa per se, nisi ut ab ipso tamquam a priore essentialiter dependet causatum. — *Duae* autem *aliae consequentiae*, videlicet quod si est ineffectibile, ergo *immateriale* et *non formabile*, probantur simul: quia cuius non est causa *extrinseca*, eius non est causa *intrinseca* (2).

(1) Vid. *Effectivum simpliciter primum est incausabile.*

(2) Vid. *Causarum infinitas est impossibilis.*

(1) Vid. *Finitum quod non est non est effectum.*

(2) Vid. *Causa extrinseca cuius non est*, etc.

Aliter probantur eaedem *consequentiae:* — Quia causae intrinsecae sunt causatae ab extrinseca, vel secundum *esse earum*, vel inquantum causat *compositum*, vel *utroque modo*, quia causae intrinsecae non seipsis sine agente causant compositum vel constituunt.

Ex dictis conclusio proposita satis patet. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 16. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 5. — Vid. *Finitivum primum est incausabile.*

Effectu (in) quidquid est verius est in causa. — *Quidquid est in causatis est in causa*, sed eminentiori modo; non enim quidquid est in causato formaliter est in causa formaliter. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 6. n. 3.

Effectui omne coaevum est causaliter a causa talis effectus. — Cum dicis, quod *omnis effectus coaevus causae secundae est a causa prima*, et sic peccatum angeli esset a Deo, sicut *ignis* est a Deo, ita et *calere*, dico, quod si propositio sit vera, intelligenda est de *positivis*, et non de *privativis;* peccatum autem formaliter est privatio boni, quod deberet inesse actui elicito, quando elicitur, et non inest.

Aliter potest dici, quod propositio est falsa, scilicet, quod *omne coaevum causae secundae effectivae inest sibi a causa sua:* quia non est contradictio de opposito. Unde si Deus crearet, vel agens creatum generaret *solam substantiam ignis*, illa haberet in se causalitatem respectu *quantitatis* et *caloris;* unde in eodem instanti *temporis*, in quo esset secundum *substantiam*, esset *quantus* et *calidus* (quamvis non in eodem instanti *naturae*), posito etiam, quod generans ignem annihilaretur, ita quod numquam esset nisi per unum instans. Unde posito quod generaretur *calidus*, quod non posset generare in se calorem alium in eodem instanti, hoc non esset ratione alicuius contradictionis, sed solum quia duo accidentia eiusdem rationis non possunt esse in eodem subiecto; quod tamen est falsum fundamentum.

Praeterea, non est verum universaliter, quod sicut generans dat *substantiam* rei, ita dat *accidentia causaliter immediate;* sed si verum sit, hoc non est verum nisi in generatione *univoca;* in proposito autem nihil valet; ideo potest substantia esse a Deo, et actus, maxime quoad deformitatem, potest esse a voluntate ipsa. — *Oxon.* III. d. 18. n. 18. — *Report.* ib. q. 1. n. 21. seqq. — Cf. *Oxon.* II. d. 5. q. 2. n. 4.

Effectum quod non est non est finitum. — *Quod non est effectum non est finitum.* — Probatur sic: quia *finis* non est causa nisi inquantum ab ipso, tamquam a priore essentialiter, dependet esse finiti. Patet, quia quaelibet causa est sic prior inquantum causa: non autem dependet finitum quantum ad esse a fine ut sic priore, nisi inquantum finis ut amatus movet efficiens ad dandum sibi esse, ita quod sicut efficiens non daret esse in suo genere, nisi inquantum motus a fine suo modo, ita finis non daret esse finito, nisi mediante efficiente amante finem et dante esse finito in una causalitate. Nihil igitur causat finis, nisi quod efficitur ab efficiente amante finem. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 3.

Effectum quod non est non est materiatum. — *Quod non est effectum non est materiatum.* — Probatur: quia materia de se est in potentia contradictionis ad formam; ergo non est ex se actu, nisi per formam; ergo ab alio reducente illam potentiam ad actum: illud est efficiens, quia idem est facere compositum et materiam esse in actu per formam. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 4.

Effectus causis notiores. — Ut in pluribus *effectus sunt nobis notiores quam causae.* Et dico notabiliter *ut in pluribus*, quia aliquando contingit oppositum. — *Physic.* I. q. 4. n. 8. — * Nam * causae sunt notiores *propter quid*, sed effectus sunt notiores quantum *ad quia.* Sed simpliciter loquendo *effectus sunt notiores causis*, loquendo de notitia *nostra.* — *Ib.* III. q. 1. n. 7.

Effectus causis proportionantur. — Causa et effectus correspondent sibi invicem: universalis universali, particularis particulari, *II Physic.* et *V. Metaph. c. de Causa.* — *Oxon.* I. d. 7. n. 1 in arg. — Dico, quod * Philosophus * loquitur de *universali* et *particulari*, loquendo *primo modo* de com-

muni (1), non autem accipiendo *secundo modo*, scilicet, prout eadem forma numero est communis participantibus eam, ista enim communitas non est in creaturis, sed communitas universalis ad participantia, sine communitate universalis primo modo dicta. — *Ib.* n. 19.

Effectus deficiens a causa particulari non ideo deficit a causa universali. — Effectus * namque * ex sua entitate absoluta non necessario requirit causam *proximam*; potest enim eadem entitas absoluta esse a Causa Prima. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 18. — * Quia * omnem effectum quem potest Deus facere mediante causa effectiva secunda potest facere immediate. — *Ib.* III. d. 24. n. 17. * Et * si effectus habet esse in seipso respectu Causae Primae, simpliciter est in se, quia respectu nullius habet verius esse. — *Ib.* I. d. 39. n. 9.

Effectus eiusdem non sunt plures causae totales. — *Non potest idem effectus esse a duabus causis totalibus.* — Ista est vera de causis *efficientibus* et *totalibus* principalibus inducentibus *effectum* vel formam *totaliter*. — *Report.* IV. d. 6. q. 4. n. 5. — *Oxon.* ib. q. 2. n. 3. — Quia impossibile est duas causas esse *totales* unius effectus; quia ex quo causatus est ab una, impossibile est quod sit ab alia. — *Ib.* I. d. 2. q. 3. n. 6. — Non possunt esse *duae causae totales eiusdem effectus* in eodem ordine causae; quia tunc aliquid esset causa alicuius, a quo illud non dependeret. — *Probatio:* a nullo aliquid dependet essentialiter, quo non existente nihilominus esset: sed si C habet duas causas totales A et B, et in eodem ordine causae, utrolibet eorum non existente, nihilominus esset ipsum C ab altero eorum, quia non existente A, nihilominus erit C ab ipso B, et non existente B, nihilominus erit ipsum C, quia ab ipso A. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 4. — Quia in unoquoque ordine causae oportet ponere respectu unius effectus unam per se causam, et unam per se rationem causandi. Ita intellectus in suo ordine causalitatis est unus, et habet unam formalem rationem causandi; et species vel obiectum in suo ordine causandi est una causa, et habet unam rationem causandi. Sed non oportet talem causam, prout complectitur omnes causas partiales, habere unam rationem causandi, nisi unitatem *ordinis*, quia si cum unitate ordinis concurrat unitas *per accidens*, hoc accidit, sed unitas *ordinis* est *per se.* — *Ib.* d. 3. q. 7. n. 23. — Vid. *Causati eiusdem duas esse causas totales est impossibile.* = *Dependere essentialiter impossibile est ad duo, ad quorum utrumque dependentia terminetur totaliter.*

Effectus non adaequans virtutem agentis superioris potest ab agente inferiori produci. — Non * intelligitur * de *aequalitate* effectus ad causam, quia impossibile est aliquem effectum esse *aequalem* Deo; sed *adaequans* potest intelligi ibi secundum *proportionem praecisam*, hoc est, effectus habens talem proportionem ad causam, qualem nullus alius potest habere, puta, quia proximus possibilis ipsae causae. Si sic intelligatur *non adaequans*, nego eam; tantum enim valet, ac si diceretur, *effectus inferior primo possibili potest produci a supremo possibili;* quod ideo negandum est, quia aliquis inferior non potest totus et totaliter produci, nisi a supremo simpliciter. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 32.

Nullus effectus finitus potest adaequari potentiae Dei quantum *ad omnia*, ut quantum ad *perfectionem*, quia si esset effectus infinitus sicut causa, et potentia eius esset infinita, tunc non esset effectus eius, sed esset idem cum eo. Potest tamen aliquis effectus finitus adaequari potentiae Dei infinitae quantum ad *modum producendi*, quia modus ille quo producitur competit soli Deo. Et ita est gratia a solo Deo per creationem; et ita concedo, quod excedit omnem virtutem creatam iste modus producendi aliquid de nihilo. — *Report.* IV. d. 1. q. 1. n. 19.

Effectus perfectior causae perfectionem magis manifestat. — Quicumque effectus productus totus et totaliter manifestat aequalem potentiam causae; sed *effectus perfectior eminentius manifestat.* — *Exemplum*: si ab eodem principio descendant multae con-

---

(1) Vid. *Forma si communis, et effectus communis.*

clusiones ordinatae, tota veritas principii causa est veritatis conclusionis cuiuslibet; et tamen una illarum est altera verior et eminentius manifestat veritatem principii. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 32.

Effectus prior non dependet a posteriore. — Licet effectus posterior via generationis dependeat a priori, numquam tamen e contra. — *Report.* II. d. 25. n. 16. — * Quia * *effectus prior non dependet ab effectu posteriore;* et si esset effectus simpliciter primus, non dependeret ab aliquo effectu, sed solum a suis causis. — *Oxon.* ib. n. 19. — Cf. ib. d. 9. q. 2. n. 23.

Effectus. — Quidquid est in effectu, et in causa. — Impossibile est, quod aliquis effectus consequatur aliquam perfectionem, inquantum effectus talis causae, qua caret sua causa. Non enim ignis generatus haberet caliditatem vel levitatem, si ignis generans ista non haberet. Et si forte habet effectus *aliquid quod non sit in causa*, hoc non habet ut est causatum illius, sed ab aliquo alio. Cuius ratio est, quia causa nobilior est effectu, nec agit ultra terminos perfectionis, 'quod faceret si aliud quod non haberet daret. — *De Rer. Princ.* q. 1. n. 23. — Dicendum * ergo *, quod *quidquid est in causatis est in causa,* sed eminentiori modo; non enim quidquid est in causato formaliter est in causa formaliter. Unde materia est in substantia prima non realiter secundum *esse* et modum quo est in causatis, sed solum in virtute, eo quod per influentiam eius materia sumatur in *esse.* — *QQ. Metaph.* lib. XII. q. 6. n. 3.

Effectus si incompossibiles, et causae. — Quando effectus sunt in aliquo simul incompossibiles, et causae eorum simul sunt incompossibiles *in causando;* quia non possunt simul causare, sed si altera causat, alia non causabit, impedita a fortiori causa illius. — *Oxon.* III. d. 24. n. 21. — Quando * itaque * causata sunt incompossibilia, oportet, quod vel causae sint incompossibiles, ita quod una destruit aliam, vel una facit, quod alia non causet, si sit fortior, ita quod impossibile sit, quod ambae causent. — *Report.* ib n. 24.

Effectus universaliores in causas universaliores reducuntur. — Dupliciter potest intelligi *causa universalior,* scilicet, secundum *virtutem* seu perfectionem, vel secundum *praedicationem.* Et similiter *effectus* potest dici *universalior* dupliciter, scilicet, *praedicatione,* et *virtute* seu perfectione. — *Universalius praedicatione* dicitur illud cuius *ratio dicitur de pluribus; universalius* autem *perfectione* cuius *perfectio est maior in se,* et perfectionum plurium contentivum. — Si ergo sumatur uniformiter *universalius* ex parte *causae* et *effectus,* concedo, quia *communior effectus* potest reduci in *perfectiorem.* — Si vero accipiatur diformiter ratio *universalis* ex parte *causae* et *effectus,* puta ex parte effectus pro universaliori *praedicatione* et ex parte causae universalius secundum *perfectionem,* est falsa, nam effectus *universalissimus praedicatione* potest esse a causa imperfecta, quia salvatur in pluribus effectibus imperfectis. — *Oxon.* IV. d. 1. n. 7. — *Report.* ib.

Effectus universalissimus est a causa universalissima. — Cum dicitur, quod *effectus universalissimus habet reduci ad causam universalissimam* distinguo de duplici *universali:* quoddam enim est universale secundum *praedicationem* et *communitatem:* quoddam secundum *perfectionem* et *continentiam virtualem,* quod dicitur universale secundum *causalitatem.* — Et utroque modo habet effectus universalissimus reduci ad causam universalissimam. — Quando ergo dicitur, quod *effectus universalissimus est a causa universalissima,* si intelligitur de universalitate *causaliter* et *virtualiter,* sic tantum valet ac si diceretur, quod *effectus nobilissimus,* et maxime virtualiter, *est a causa nobilissima et perfectissima in virtute;* et sic est vera; et isto modo effectus universalissimus est primus Angelus et nobilior creatura a Deo producta. — Si autem intelligitur, quod effectus universalissimus *praedicatione* habet reduci in causam universalissimam *praedicatione,* hoc est falsum; quia effectus universalis *praedicatione* habet reduci in causam universalissimam *praedicatione* et *imperfectissimam* ut in plures causas, quia in omnes causas, et non in causam *primam,* ut est

proprius effectus, quia eius proprius effectus es *perfectissimus*, nam quilibet effectus *proprius* aliquam perfectionem addit super *commune*. Et isto modo *esse*, quod per se includitur in omnibus effectibus, est effectus imperfectissimus. — Et si * intelligatur * uniformiter utrobique *universalius* pro universaliore secundum *perfectionem*, vel *diformiter* sumatur ratio *universalis* ex parte *causae* et *effectus*, tunc primo modo est vera, secundo modo est falsa. — *Report.* IV. d. 1. q. 1. n. 7. — *Oxon.* ib.

Efficiens omne perfectius effectu vel aeque perfectum. — Quia nihil agit ultra quam est activum. — *Theor.* XV concl. 2. — Vid. *Causa perfectior effectu.*

Efficiens primum est ex se necessarium. — *Efficiens primum est ex se necesse esse.* — Probatio: quia est penitus incausabile; nam contradictionem includit aliquid esse prius eo in genere causae efficientis vel finis et per consequens in genere cuiuscumque causae; ergo est omnino incausabile. — Ex hoc arguo sic: Nihil potest non esse, nisi cui aliquid incompossibile positive vel privative potest inesse: sed ei quod est a se et penitus incausabile non potest aliud inesse quod sit ei incompossibile positive vel privative; ergo etc. — *Maior* patet, quia nullum ens potest destrui nisi per incompossibile sibi positive vel privative. — *Minor* probatur: quia illud incompossibile aut potest esse a se, aut ab alio. Si *a se*, ergo est a se; ergo duo incompossibilia sunt simul, vel neutrum erit, quia utrumque destruit esse alterius. — Si *ab alio*, contra, nulla causa potest destruere aliquod ens propter repugnantiam sui effectus ad illud, nisi suo effectui det perfectius et intensius esse quam sit esse alterius destructibilis: nullius autem entis ab alio est nobilius esse a causa sua quam sit esse entis a se, quia omne causatum habet esse dependens, sed quod est ex se habet esse independens. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 19. — *De Primo Princ.* c. 3 n. 10. — Cf. *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 17. — IV. d. 13. q. 2. n. 11.

Efficiens primum est intelligens et volens. — *Primum efficiens est intelligens et volens*, ita quod sua intellectio est *infinitorum* distincte, et ipsa est *sua essentia*, et quod sua essentia est repraesentativa infinitorum distincte. Quod autem sit *intelligens* et *volens* arguo sic: Primum agens est per se agens, quia *omni causa per accidens prior est aliqua causa per se, II Physic:* sed omne agens per se agit propter finem, ex *II Physic.*, ubi hoc Philosophus vult de *natura*, de qua minus videtur; ergo primum agens agit propter finem.

Et ex hoc arguitur dupliciter: Primo sic: Omne agens naturale praecise consideratum, ex necessitate et aeque ageret si ad nullum finem ageret, sicut si esset independenter agens; si ergo non agit nisi propter finem, hoc est quia dependet ab agente amante finem: tale autem, a quo dependet tota natura in agendo, non videtur esse nisi primum efficiens: ergo etc.

Secundo principaliter arguitur sic: Si primum agens agit propter finem, aut ergo finis ille movet primum efficiens ut amatus actu *voluntatis*, aut ut tantum *naturaliter* amatus. — Si amatus actu *voluntatis*, habetur propositum. — Si tantum amatus *naturaliter*, hoc est falsum, quia non amat naturaliter alium finem a se, ut grave centrum, et materia formam, tunc enim esset aliquo modo ad finem, quia inclinatus ad illum. Si autem tantum amat naturaliter finem, qui est ipse, hoc nihil est nisi ipsum esse ipsum, hoc enim non videtur salvare rationem *causae* in ipso.

Item arguitur, quasi confirmando rationem iam factam: Primum efficiens dirigit effectum suum ad finem: ergo vel *naturaliter* dirigit, vel *cognoscendo* et *amando* illum finem. — Non naturaliter, quia non cognoscens nihil dirigit nisi in virtute cognoscentis: *Sapientis enim est prima ordinatio, I Metaph.:* sed primum efficiens in nullius virtute dirigit, sicut nec causat, tunc enim non esset primum; ergo, etc. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 20. — *De Primo Princ.* c. 4. concl. 4.

Item *tertio* arguitur sic: Aliquid causatur contingenter, ergo prima causa contingenter causat; ergo *volens* causat. — Probatio *primae consequentiae:* quaelibet causa secunda causat inquantum movetur a prima; ergo si prima *necessario* movet,

quaelibet necessario causat; ergo si aliqua causa *contingenter* movet, et prima contingenter movebit, quia non causat secunda causa nisi in virtute primae causae inquantum movetur ab ipsa. — Probatio *secundae consequentiae:* nullum est principium operandi contingenter, nisi *voluntas* vel aliquid *concomitans voluntatem,* quia quodlibet aliud agit ex necessitate naturae, et ita non contingenter; ergo. — *Oxon. ib.* — *De Primo Princ.* ib.

Sic ergo videtur *triplici via* ostensum, quod *primum agens est intelligens et volens:* quarum *prima* est, quod *natura agit propter finem,* et non nisi quia dependens et directa *a cognoscente finem: secunda* est, quod ipsum *primum agens agit propter finem: tertia,* quod aliquis effectus *contingenter fit* quando causatur. — *Oxon.* ib. n. 21.

Haec etiam conclusio probatur: quia omni non vivo vivum est melius, et inter viva omni non intelligente intelligens est melius: Primo nihil est melius; ergo, etc. — *De Primo Princ.* ib. n. 5.

Quarto probatur conclusio: aliquod malum est in entibus; ergo Primum contingenter causat; et tunc ut prius. — *Probatio consequentiae:* omne agens ex necessitate naturae agit secundum ultimum suae potentiae, et ita ad perfectionem possibilem produci ab ipso; ergo si Primum agit necessario, et per consequens omne aliud agens, ut iam declaratum est, sequitur, quod totus ordo causarum causabit in isto quidquid est eis possibile causare in illo; ergo nulla perfectione caret quae potest ab omnibus causis agentibus induci in ipso; ergo nulla caret quam potest recipere; ergo non est aliqua malitia vel imperfectio in ipso. — *Consequentiae* sunt planae; quia omnis perfectio receptibilis in isto est causabilis ab aliquo, et ab omnibus causis ordinatis. Ultima patet ex ratione mali. Et concludit illa probatio de vitio in moribus, sicut de peccato * seu perfectione * in natura. — *Ib.* n. 6.

Nunc ulterius probo, quod *eius intellectio et volitio non est aliud ab essentia eius.* — Et primo de *volitione sui ipsius ut obiecti* sic: causalitas et causatio causae finalis est simpliciter prima; ipsa enim quantum ad causalitatem praecedit causam efficientem, quia movet eam ad agendum; et ideo causalitas primi finis et eius causatio est penitus incausabilis secundum quamlibet causationem in quolibet genere causae: causalitas autem primi finis est movere efficiens primum sicut amatum ab ipso, quod est idem quod primum efficiens amare primum finem, quia nihil aliud est obiectum amari a voluntate quam voluntatem amare obiectum; ergo primum efficiens amare primum finem est penitus incausabile, et ita ex se necesse esse, et ita erit idem naturae primae. Et quasi convertitur ratio ex opposito conclusionis: quia si primum amare est aliud a natura prima, ergo est causabile, et per consequens effectibile; ergo ab aliquo per se efficiente amante finem; ergo primum amare se esset causatum ab aliquo amore finis, priore isto causato, quod est impossibile.

Hoc ostendit Aristoteles, *XII. Metaph.* de *intelligere* Primi: *primo,* quia aliter Primum non erit optima substantia, quia per *intelligere* est honorabile: *secundo,* quia alias esset laboriosa eius continuatio; quia si non est idem illi, erit in potentia contradictionis ad illud: ad illam autem potentiam sequitur labor, secundum ipsum.

Istae rationes Philosophi possunt declarari. Primo sic: cum omnis entis in actu primo perfectio ultima sit in actu secundo quo coniungitur optimo, maxime si sit activum et non tantum factivum, omne autem intellectuale est activum, et Prima Natura est intellectualis, ex praemissis, sequitur quod ultima eius perfectio sit in actu secundo; ergo si ille actus non sit eius substantia, substantia eius non erit *optima,* quia aliud est suum optimum. *Secunda* ratio potest declarari sic: potentia solummodo receptiva est potentia contradictionis; cum ergo haec non sit huiusmodi; ergo etc. — Sed secundum Aristotelem, nec ista est ratio demonstrativa, sed tantum probabilis.

Haec conclusio, videlicet, quod *essentia Dei eadem sit quod volitio sui ipsius,* secunda est ex corollariis; nam sequitur primo,

quod voluntas est idem Primae Naturae, quia velle non est nisi voluntatis; ergo illa voluntas cuius est velle incausabile est incausabilis; ergo, etc. — Similiter velle intelligitur quasi posterius voluntate; si igitur velle est idem illi Naturae, multo magis voluntas.

Secundo sequitur, quod intelligere se est idem illi Naturae; quia nihil amatur nisi cognitum; ergo si amare se est ex se necesse esse, sequitur quod intelligere se est ex se necesse esse. Et similiter intellectio est quasi propinquior illi Naturae quam velle.

Tertio sequitur, quod intellectus est idem illi Naturae, sicut prius de voluntate et velle argutum est.

Quarto sequitur, quod ipsa *ratio* intelligendi sit idem sibi; quia necesse est rationem intelligendi esse ex se necesse esse, si intelligere sit necesse esse; ratio enim intelligendi se quasi praeintelligitur ipsi intelligere. — *Oxon.* l. d. 2. q. 2. n. 22.

Ostenso de *intelligere se* et *velle se,* quod sint idem essentiae Primi, ostendo propositum generalius, scilicet, de omni intelligere et velle ipsius respectu aliorum, quod sint essentiae Primi idem. Nullum intelligere potest esse accidens Primae Naturae; quia de ista Natura primo ostensum est, quod ipsa est primum effectivum; ergo ex se habet unde possit quodcumque causabile causare, circumscripto quocumque alio, saltem ut prima causa illius causabilis: sed circumscripta cognitione illius, non habet unde possit illud causabile causare; ergo cognitio cuiuscumque alterius non est aliud a Natura sua. — Probatio ultimi assumpti: quia nihil potest causare nisi ex amore ultimi finis velit illud, quia non potest aliter esse per se agens, quia nec ageret propter finem: ipsi autem velle alicuius propter finem praeintelligitur intelligere illud; ergo ante primum signum, in quo intelligitur causans sive volens A., necessario praeintelligitur intelligens A; et ita sine hoc non potest per se efficere; et ita de aliis.

Secundo probatur idem: quia omnes intellectiones eiusdem intellectus habent similem habitudinem ad intellectum, identitatem essentialem vel accidentalem, sicut patet de omni intellectu causato et eius intellectionibus, quia videntur perfectiones eiusdem generis; ideo si aliquae habent receptivum, et omnes, et si aliqua est accidens, et quaelibet: sed aliqua non potest esse accidens in Primo, ex praecedente conclusione, quia non intellectio sui ipsius; ergo nulla est sibi accidens.

Tertio sic: intelligere si potest esse accidens, reciperetur in intellectu ut in subiecto; ergo et in illo intelligere quod est idem intellectui, et ita perfectius intelligere erit in potentia receptiva respectu imperfectioris, quod est absurdum.

Quarto sic: idem intelligere potest esse plurium obiectorum ordinatorum; ergo quanto perfectior tanto plurium; ergo perfectissimum, quo impossibile est perfectius intelligi, erit idem omnium intelligibilium: intelligere Primi sic est perfectissimum; ergo idem est omnium intelligibilium et illud quod est sui est idem sibi, ex propositione praecedente; ergo et intelligere omnium est idem sibi. — *Ib.* n. 23. — * Quae sequentibus magis declarantur *:

Intelligibile non est in intellectu secundum seipsum, sed secundum sui speciem, et per istam speciem assimilatur intelligens intelligibili, et propter hoc intellectus est aliud ab intelligibili, quia intellectus est in *potentia* ad intelligibile, quia habet solum similitudinem ad formam eius, et non ipsum: et in Primo Principio non est potentia; ideo non est ibi aliqua diversitas, imo est simpliciter simplex; in intellectu igitur eius non est aliqua species, sicut in intellectu nostro, quia antequam intelligat non intelligit in potentia, quia tunc esset in *potentia.* Nec est in eo alia species in actu, sicut cum intellectus noster intelligit, quia sic in eo esset *diversitas;* imo illud idem in ipso est intellectus et intellectum; et ideo seipsum intelligit per se ipsum. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 22. n. 2.

Dicit * Philosophus *, quod Primum Principium est suum intelligere; si enim ipsum intelligere esset aliud ab ipso, tunc oporteret quod sua essentia vel substantia compararetur ad intelligere sicut potentia ad

actum: sed in ipso non est potentia, ut dictum est; igitur, etc. — *Praeterea, intelligere* cum sit operatio manens in agente, se habet ad *agens* sicut *esse* ad *ens*, et est perfectio intelligentis, sicut esse entis: sed dictum est supra, quod essentia Primi Principii est suum esse; ergo suus intellectus est suum intelligere. Unde in ipso idem est *intellectus* et *intellectum*, et *species* per quam intelligit et *intelligere*, quia sua substantia est intellectus et intelligentia et species per quam intelligit et intelligere, ita sua substantia est quodlibet eorum. — Ib. q. 23. n. 2.

Quarta conclusio sit ista: *intellectus Primi intelligit semper et distincte actu et necessario quodcumque intelligibile, prius naturaliter quam illud sit in se.* — *Prima pars* probatur, scilicet, quod *possit intelligere quodcumque intelligibile* sic: hoc enim est perfectionis in intellectu, posse distincte et actu cognoscere quodcumque intelligibile, imo hoc posse est necessarium ad intellectus rationem, quia omnis intellectus est totius entis communissime sumpti, ut declarabitur in *dist. 3.*: nullam autem intellectionem potest habere intellectus Primi non eamdem sibi, ex proxima *conclusione;* ergo cuiuslibet intelligibilis habet intelligere actuale et distinctum, et hoc idem sibi, et ita semper et necessario.

Secunda pars, videlicet, de *prioritate,* probatur sic: quia quidquid est idem Primo est *necesse esse,* sicut patuit prius: sed esse aliorum intelligibilium non est necesse esse: necesse autem esse ex se est prius natura omni non necessario. — *Aliter* probatur: quia esse cuiuslibet alterius a se dependet ab ipso sicut a causa, et ut causa est alicuius causabilis necessario includitur cognitio eius ex parte causae; ergo illa cognitio illius prius est naturaliter ipso esse cogniti. — *Oxon.* ib. n. 24.

Ideo dicendum est, quod omnia alia intelligit cognitione *propria* et *distincta;* sic enim aliqua intelligit sicut eorum est causa: nunc autem non solum est causa illius in quo * aliquid * convenit, sed et illius in quo differt et per quod specie distinguitur; igitur ea per quae specie distinguitur intelligit. — *Praeterea,* in ipso sunt perfectiones omnium: sed quaelibet forma propria rei est aliqua perfectio; igitur in Primo sunt omnia per quae res ab invicem distinguuntur. Unde Primum Principium comparatur ad alia sicut *perfectum* ad *imperfectum,* et non e converso. Sicut ergo intelligens hominem potest intelligere animal secundum propriam rationem, licet non e converso, et intelligens senarium intelligit quinarium, licet non e converso, sic intelligens Primum Principium potest intelligere quodcumque aliud primo secundum propriam cognitionem, et non e converso. Unde cum nihil aliud sit nisi inquantum participat vel imitatur Primum, perfecte seipsum non cognosceret nisi cognosceret omnia in quibus est imitabile et a quibus participabile, nec perfecte suum esse intelligeret nisi omnem modum perfecte intelligeret. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 25. n. 3.

Dicendum est * ergo, * quod *omnia alia a se intelligit.* Cuius ratio est: Primum Principium est perfectissimum, et ipsum suum intelligere, ut iam dictum est; ergo suum intelligere est perfectissimum: sed intelligit se; ergo intelligit se perfectissime: sed requiritur ut perfectissime se intelligat, ut intelligantur omnia ad quae virtus rei se extendit; cum igitur ab ipso dependeat coelum et tota natura, seipsum perfecte non cognosceret, nisi coelum et totam naturam cognosceret. — *Item,* suum esse est causa omnium aliorum: sed effectus aliquo modo est in sua causa; quod ergo cognoscit causam cognoscit effectus eo modo quo sunt in causa: sed omnia sunt in ipso per modum intelligibilem, nam ipse est causa per voluntatem et intellectum; omnia ergo alia intelligit.

Intelligendum tamen est, quod aliquid potest aliud intelligere dupliciter: aut in *seipso;* aut in *alio.* — Res dicitur intelligi * in * *seipsa* quando intelligitur per similitudinem vel speciem *propriam sibi* adaequatam; sic intelligimus hominem et asinum. — Res autem dicitur intelligi *in alio* quando intelligitur per speciem *alterius,* sicut pars intelligi dicitur per speciem totius. — Primum autem Principium non intelligit alia

in seipsis, sed intelligit alia in seipso, quia sua essentia est species per quam omnia intelliguntur. Verbi gratia: si in aliquo speculo essent similitudines omnium, et speculum posset seipsum videre, tunc speculum videndo se, omnia videret. Sic recte est in proposito: in intellectu Primi sunt species omnium; non tamen sunt aliud quam essentia comparata ad hanc rem, sicut causa ad effectum, et quia unica eius essentia causa omnium est, intelligendo unicam eius essentiam intelligit omnia. — *Ib.* q. 24. n. 2. — Vid. *Causa prima contingenter et volens causat.*

Efficiens primum est primum eminens. — *Primum efficiens est primum eminentia.* — Probatur sic: Primum efficiens non est univocum respectu illarum naturarum effectarum, sed *aequivocum;* ergo eminentius et nobilius eis (1); ergo *primum efficiens est eminentissimum.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 18.

Efficiens primum est primum exemplans. — Primum Efficiens, sive effectivum, *est primum exemplans;* quia primum efficiens, ut patet prius (2), agit perfecte propter finem; igitur vel propter finem quem *cognoscit,* vel propter finem, in quem a cognoscente *dirigitur.* — Non *secundo modo,* quia primum effectivum non potest ab alio ordinari; tunc enim non esset primum effectivum; igitur primum effectivum agit propter finem quem *cognoscit.* Sed agens propter finem quem cognoscit *ordinat* per cognitionem effectum suum in finem cognitum; ergo primum effectivum ordinat effectum suum in finem cognitum: sed hoc est ordinando *exemplariter;* cum igitur non ordinet in finem secundarium *alium a se;* igitur in primum finem immediate; igitur *est primum exemplans.* — *Report.* I. d. 2. q. 2. n. 8.

Efficiens primum est ultimus finis. — *Primum efficiens est ultimus finis.* — Probatur sic: quia omne per se efficiens agit propter finem, et prius efficiens agit propter finem priorem; ergo primum efficiens agit propter ultimum finem: sed propter nihil aliud a se principaliter et ultimate agit, quia nihil aliud a se potest esse finis eius (1); ergo agit propter se sicut propter ultimum finem; ergo *Primum Efficiens est ultimus finis.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 18. — Cf. *Report.* II. d. 1. q. 1. n. 23. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 9.

Eligendum magis magis fugiendo opponitur. — De regula illa *Priorum* dicendum, quod fallit per instantiam in terminis: quia melius est *bene vivere* quam *vivere*; et tamen magis odimus oppositum *vivere,* quam oppositum *bene vivere;* quia oppositum vivere destruit *vivere* et *bene vivere.* Unde Philosophus *VII. Topic.* glossat illam propositionem sic: *nisi cum alterum infert alterum;* et vult, quod illa regula non teneat quando magis eligendum includit minus eligendum: sicut in exemplo proposito, *bene vivere* includit *vivere.* — *QQ. Metaph.* l. I. q. 2. n. 9. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. 1. c. 1. n. 5.

Ens aliquod est simpliciter primum. — Aliquod ens est simpliciter *primum* triplici primitate, scilicet, *efficientiae* (2), *finis* (3) et *eminentiae* (4); et ita simpliciter primum, quod est impossibile aliquid esse prius. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 34. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 1. n. 17 seqq.

Ens est primum obiectum intellectus nostri. — Quia in ipso concurrit duplex *primitas,* scilicet, *communitatis* et *virtualitatis;* nam omne per se intelligibile aut includit essentialiter rationem *entis,* vel continetur virtualiter vel essentialiter in includente essentialiter rationem entis. Omnia enim genera et species, et individua, et omnes partes essentiales generum et Ens increatum includunt *ens* quidditative. Omnes differentiae ultimae includuntur in aliquibus istorum essentialiter vel quidditative. Omnes

---

(1) Vid. *Causa nobilior effectu.*

(2) Vid. *Agens primum agit propter finem.*

(1) « Quia tunc illud esset eminentius Primo Efficiente, quia finis qui est alius realiter ab agente intendente finem est ens eminentius, cum causa finalis sit nobilissima » — *Report.* I. d. 2. q. 2. n. 8.

(2) Vid. *Effectivum aliquod datur simpliciter primum.*

(3) Vid. *Efficiens primum est ultimus finis.*

(4) Vid. *Efficiens primum est primum eminens.*

passiones entis includuntur in ente et in suis inferioribus virtualiter. Igitur illa quibus ens non est univocum *in quid* includuntur in illis quibus ens est sic univocum. Et ita patet, quod ens habet primitatem *communitatis* ad prima intelligibilia, hoc est, ad conceptus quidditativos generum, specierum, individuorum et partium essentialium omnium istorum et Entis increati. Et habet primitatem *virtualitatis* ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus, hoc est, ad conceptus qualificativos differentiarum ultimarum et passionum propriarum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 8. — Cf. ib. n. 6 et 21 seqq. — *De Anima*, qq. 19. 20 et 21. — *Quodlib.* q. 5. n. 10.

Prout *res* vel *ens* dicitur quodlibet conceptibile quod non includit contradictionem, posset poni *ens primum obiectum intellectus;* quia nihil potest esse *intelligibile* quod non includit rationem *entis* isto modo, quia includens contradictionem non est intelligibile; et isto modo quaecumque scientia quae non solum vocatur *realis*, sed etiam quae vocatur *rationis*, est de *re* sive de *ente*. — *Quodl.* q. 3. n. 2. — Et ita *ens*, secundum quod abstrahens a *sensibili* et *insensibili*, est vere proprium obiectum intellectus, quia intellectus, tamquam potentia superior, potest habere actum, tam circa sensibile, quam circa insensibile. — *Ib.* n. 22. — Cf. *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 24. — II. d. 3. q. 8. n. 16. — d. 24. n. 7. — III. d. 32. n. 2. — d. 14. q. 2. n. 6. — IV. d. 49. q. 8. n. 4 et 7. — q. 11. n. 11. — d. 10. q. 8. n. 8.

Ens est primum obiectum naturale intellectus. — *Primum obiectum intellectus nostri naturale est ens inquantum ens.* — Distinguo de obiecto *naturali*, quod potest accipi vel pro eo ad quod *naturaliter* sive ex actione causarum naturaliter activarum *potest* potentia *attingere*, vel pro illo ad quod potentia *naturaliter inclinatur*, sive possit illud naturaliter attingere, sive non. — Igitur * propositio * est *falsa* de obiecto *naturaliter attingibili; vera* alio modo de obiecto ad quod *naturaliter inclinatur* potentia. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 32-33. — * Etenim * *ens* in sua *communitate*, sive sit *univocationis*, sive *analogiae*, non curo modo, etsi ponatur obiectum adaequatum cuiuscumque intellectus creati, loquendo de *obiecto adaequato secundo modo*, non tamen de *obiecto adaequato primo modo*, imo sic, pro quocumque statu, cuiuscumque intellectus creati praecise *ens limitatum* est obiectum adaequatum, quia praecise illud *potest attingi* virtute causae *naturaliter* motivae intellectus. — *Quodlib.* q. 14. n. 11.

Dico igitur, quod *obiectum naturale*, hoc est, *naturaliter attingibile, adaequatum intellectui nostro*, etsi *pro statu isto* sit quidditas rei *materialis*, vel forte adhuc specialius quidditas rei *sensibilis*, intelligendo non de *sensibili proprie* solum, sed etiam de *incluso essentialiter* vel *virtualiter in sensibili*, tamen obiectum adaequatum intellectui nostro *ex natura potentiae* non est aliquid specialius obiecto intellectus angelici; quia quidquid potest intelligi ab uno, et ab alio; et hoc saltem concedere debet Theologus, qui ponit istum statum non esse naturalem, nec istam impotentiam intelligendi respectu multorum intelligibilium esse naturalem, sed *poenalem*, iuxta illud XV. *De Trin.* 27: *Certa*, inquit, *oculis tuis interioribus lux illa monstravit*, illa, scilicet, *aeterna*, de qua ibi locutus est. Et subdit: *Quae igitur causa est, cur acie fixa lucem ipsam videre non possit, nisi utique infirmitas; et quis eam tibi fecit, nisi iniquitas?* Et de hoc supra ibidem: *O tu, anima mea, ubi te sentis esse? Ubi iaces?* Sequitur: *Agnoscis recte te esse in hoc stabulo, quo Samaritanus ille perduxit illum, quem reperit multis a latronibus inflictis vulneribus semivivum relictum.* — Tamen Philosophus, qui statum istum diceret simpliciter *naturalem* homini, nec alium expertus erat, nec ratione cogente conclusit, diceret forte, illud esse obiectum *adaequatum* intellectus humani simpliciter ex *naturalibus potentiae*, quod percepit sibi esse adaequatum pro *statu isto*. — *Quodlib.* q. 14 n. 12. — Cf. *Oxon.* Prol. q. 2. n. 4. — I. d. 3. q. 3. n. 3. — q. 6. n. 5 et 17. — III. d. 4. n. 15. — IV. d. 45. q. 3. n. 17. — d. 49. q 8. n. 4. — *De Anima*, q. 19. 20-21. — *QQ. Metaph.* l. VI. q. 3. n. 2 seqq.

Ens inter et nihil est distantia infinita. — Quando extrema sunt immediata tanta praecise est eorum distantia, quantum est extremum alterum maius. Patet in simili, quia tanta est distantia Dei a creatura, etiam suprema possibili fore, quantus est Deus: et ideo si poneretur suprema creatura possibilis, adhuc Deus distaret ab illa in infinitum, quia est infinitus. Patet etiam per exemplum in opposito: in quantitatibus enim est distantia propter aliquod medium interiacens, et ideo secundum quantitatem spatii interiacentis est distantia illa quanta; ergo per oppositum ubi non est medium interiacens distantia non erit quanta, nisi secundum quantitatem alterius extremi. Hoc etiam patet ratione, quia nihil aliud est distantia hic, nisi excessus unius super alterum: quando autem excedens est immediatum excesso, quantitas excessus erit secundum quantitatem excedentis. — Supposita ergo maiori, sequitur, quod cum affirmatio aliqua entis creabilis sit finita, quod distantia huius affirmationis ad negationem sit finita. Patet etiam, quod ista distantia sit immediata, quia per Philosophum I. *Posterior, contradictio est oppositio, cuius non est medium secundum se.* Quod si fingas infinitatem ex parte *nihil,* hoc nihil est, quia nihil non distat ab aliquo, nisi deficiendo; non plus autem deficit nihil ab ente, quam ens illud ponat. — Hoc etiam patet, quia comparando nihil ad nihil, nulla est distantia.

Sic ergo * propositio * falsa est intelligendo distantiam infinitam *positive,* hoc est, in infinitum excedentem omnem finitam distantiam. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 11. — *Report.* ib. n. 10.

Ens necessarium est actualissimum. — Quidquid est *ex se necesse esse habet ex se esse actualissimum,* ita quod per nihil qualecumque aliud a se expectat aliquam actualitatem essendi; et ideo ex se est indivisibile; quia si posset dividi, tunc ab illis per quae divideretur expectaret aliquam actualitatem essendi, quam haberet in illis divisis, et oporteret illa distinguentia *necesse esse* quod essent formaliter necessitates essendi, quia essent ultimae actualitates et necessitates in illis diversis *necesse esse,* sine quibus illa non haberent actualissimam entitatem, quia divisibile non habet actualissimam entitatem sive existentiam actualissimam antequam intelligatur in aliquibus illorum in quae dividitur. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 53.

Ens necessarium unicum est. — Quia si duae naturae sint *necessariae* esse, aliquibus rationibus propriis realibus distinguuntur, et dicantur A et B. Istae rationes aut sunt rationes formaliter necessario essendi, aut non. Si sic, et praeter haec illa duo per illud in quo conveniunt sunt formaliter necessaria; ergo utrumque duabus rationibus formalibus erit necesse esse; quod est impossibile, quia cum neutra illarum rationum per se includat aliam, utraque illarum circumscripta, esset necesse esse per alterum, et ita esset aliquid necesse esse per illud, quo circumscripto, non minus esset necesse esse. Si vero per illas rationes quibus formaliter distinguuntur, neutrum formaliter sit necesse; ergo illae rationes non sunt formaliter rationes necessario essendi, et ita sequitur, quod neutrum includitur in necesse esse, quia necesse esse nihil includit quod non sit necesse esse. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 19. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 6. — Vid. *Bonum summum unicum est.*

Ens non est genus. — Removet * Philosophus * ab *ente* rationem *generis,* non propter *aequivocationem,* imo si esset aequivocum ad decem genera, esset decem genera, quia idem conceptus (quocumque nomine significetur) habet eamdem rationem *generis,* sed removet rationem *generis* ab ente propter nimiam *communitatem,* quia, videlicet, praedicatur *per se primo modo* de differentia aliqua, et per hoc potest concludi, quod *ens non sit genus.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 14. — Quia *differentia* est extra rationem *generis,* sicut *rationale* est extra rationem *animalis,* alioquin omne animal esset rationale: nihil autem est, nec excogitari potest, quod sit extra rationem *entis* inquantum *ens.* — *De Rer. Princ.* q. 1 n. 16.

Ad videndum autem quomodo hoc est verum, cum tamen praedictum sit, quod *ens* non praedicatur *per se primo modo* de differentiis ultimis, distinguo de differentiis: quod *aliqua* potest sumi a parte essentiali

ultima, quae est res et natura alia ab illo a quo sumitur conceptus *generis*, sicut si ponatur formarum pluritas, et *genus* dicatur sumi a parte essentiali priori, et *differentia* specifica a forma ultima; tunc sicut *ens* dicitur *in quid* de illa parte essentiali, a qua sumitur differentia talis specifica, ita dicitur *in quid* de tali differentia in abstracto, ita quod sicut haec est in *quid, anima intellectiva est ens*, accipiendo eumdem conceptum *entis*, secundum quem dicitur de homine vel de albedine, ita haec est *in quid, rationalitas est ens;* si rationalitas sit talis differentia. Sed nulla talis differentia est *ultima;* quia in tali continentur plures realitates aliquo modo distinctae tali distinctione, vel non identitate, qualem dixi *in q. 1. De Trinitate 2. d.* esse inter *essentiam* et *proprietatem personalem*, vel maiori, sicut alias explanabitur; et tunc talis natura potest concipi secundum aliquid, hoc est, secundum aliquam realitatem et perfectionem, et secundum aliquam ignorari; et ideo talis conceptus naturae non est simpliciter simplex. Sed ultima realitas, seu perfectio realitatis naturae, a qua sumitur ultima differentia, est omnino simpliciter simplex. Ista realitas non includit *ens* quidditative, sed habet conceptum simpliciter simplicem. Unde si talis realitas sit A, haec non est *in quid: A est ens*, sed est quasi *per accidens:* et hoc sive A dicat illam realitatem, sive differentiam in abstracto sumptam a tali realitate.

Dixi igitur prius, quod nulla differentia simpliciter ultima includit *ens* quidditative, quia est simpliciter simplex; sed aliqua differentia sumpta a parte essentiali, quae pars est una in re, alia a natura a quae sumitur *genus;* illa differentia non est simpliciter simplex, et includit *ens* in *quid*, et ex hoc quod talis differentia est *ens* in *quid*, sequitur, quod *ens* non est genus, propter nimiam communitatem *entis*. Nullum enim genus dicitur de aliqua differentia inferiori in *quid*, nec de illa quae sumitur a forma, nec de illa quae sumitur ab ultima realitate formae, sicut patebit *dist. 8*, quod semper illud a quo sumitur conceptus *generis* secundum se est *potentiale* ad illam realitatem a qua sumitur conceptus *differentiae*, sive ad illam formam, si differentia sumatur a forma. — *Oxon. ib.* n. 15. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IV. q. 1. per tot. — Vid. *Deus non est in genere.*

Ens omne appetit sui conservationem. — *Quodlibet ens naturale appetit seipsum permanere appetitu naturali* (1). Quia quodlibet ens naturale potest permanere; igitur quodlibet appetit et inclinatur ad permanendum; quia aliter aliqua res permaneret contra propriam inclinationem, et per consequens esset contraria sibi ipsi, quod est impossibile, quia esset otiosa in natura, ut concludit Commentator. — *Secundo*, quia omnia entia appetunt assimilari ipsi Deo, qui est ens primum perfectissimum et maxime permanens; igitur quodlibet ens appetit assimilari sibi in permanentia, scilicet, inquantum potest, et per consequens quodlibet ens appetit permanere. — *Tertio*, quia *esse* et *permanere* continentur sub ratione *appetibilis;* quia permanere est bonum: modo omnia bonum appetunt, ut patet *I. Ethicorum*. — *Quarto* arguitur per signa: primo, quia quodlibet ens naturale tendit ad locum, in quo maxime potest conservari; quod non esset nisi quodlibet appeteret permanere. Et *antecedens* apparet, quia quodlibet ens tendit ad suum locum naturalem, qui habet quamdam virtutem conservatam * (conservativam?) * locati.

Licet quodlibet ens appetit permanere, tamen non semper, sed secundum propensionem suae naturae. — Probatur, quia tunc in istis inferioribus quodlibet ens frustraretur a suo fine secundum totam speciem, quod est impossibile. — *Et si dicatur*, quod si quodlibet ens appetat sic permanere, videtur quod ille appetitus sufficeret ad hoc, quod ens permaneret, quocumque alio circumscripto; *respondetur*, quod non: quia ultra illum appetitum requirit conservationem Primae Causae, ad quam omne esse se habet sicut lumen se habet ad corpus luminosum. — *Physic.* I. q. 22. nn. 6-7.

Ens omne est bonum. — *Omne ens* inquantum ens *bonum est.* — *Oxon.* Prol.

---

(1) Vid. Distinctiones: *Appetitus animalis*, etc.

q. 2. n. 8. — * Quia * quodcumque ens est in se *quid* et habet in se aliquem gradum determinatum in entibus, et est forma vel habens formam. — *Ib.* d. 19. q. 1. n. 3. — Ratio *entis* praecise accepta est nobilior quacumque ratione superaddita praecise accepta, sicut ratio *subiecti* est nobilior ratione *passionis.* — *Ib.* IV. d. 49. q. 4. n. 11. — Licet * autem * *entitati absolute* sit idem realiter veritas et *bonitas,* et *huic entitati* haec veritas et *haec bonitas,* non tamen *formaliter* et *quidditative,* quia veritas et *bonitas* sunt quasi passiones *entis.* — *Ib.* III. d. 8. n. 17. — Cf. ib. I. d. 8. q. 3. n. 19. — II. d. 1. q. 4. n. 25.

Ens omne est ordinatum. — Vere, Domine, omnia in sapientia ordinata fecisti, ut cuilibet intellectui rationabiliter videatur, quod *omne ens est ordinatum;* unde absurdum fuit philosophantibus ordinem ab aliquo amovere. — Ex hac autem universali, *ens omne est ordinatum,* sequitur, quod non omne ens est posterius, et non omne prius; quia utroque modo vel idem ad se ordinaretur, vel circulus in ordine poneretur; est ergo aliquod ens prius et non posterius, et ita primum, et aliquod posterius et non primum; nullum autem quin sit aut prius aut posterius. Tu es unicum primum, et omne aliud a Te est posterius Te, sicut in triplici ordine ut potui declaravi. — *De Primo Princ.* c. 13. n. 14.

Ens omne omni enti comparatum aut est idem aut diversum. — *Communiter,* et non *stricte,* accipiendo relationes communes * (identitatem, aequalitatem, similitudinem) * dicit Philosophus, *X. Metaph.*, quod *omne ens omni enti comparatum est idem vel diversum,* ita quod omne ens omni enti comparatum est *aequale* vel *inaequale.* — *Oxon.* I. d. 19. q. 1. n. 3. — *Report.* ib. q. 3. n. 5. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. S. 2. c. 1. n. 34.

Ens omne est unum. — Quamlibet enim *entitatem* consequitur propria *unitas,* non habens aliam causam propriam sui quam causam *entitatis.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 6. — A quo * namque * aliquid habet entitatem ab eo habet unitatem. — *Quodlib.* q. 13. n. 31. — * Ideoque * illud a quo aliquod ens habet entitatem, eo tamquam fundamento proximo unitatis est unum unitate correspondente tali entitati. — *Ib.* q. 3. n. 6. — * Igitur * omne ens secundum quamcumque entitatem consequitur propria unitas; non tamen ista unitas est intra formalem rationem quidditatis ut quidditas est, sed est quasi passio consequens quidditatem. — *Oxon.* ib. n. 20. — Omne * itaque * ens de mundo, sive quidditas, sive quidquid sit, eo modo quo *ens,* et *unum,* unitate sibi propria; sic enim se habet unitas quidditatis ad quidditatem sicut unitas suppositi ad suppositum. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 6. n. 8. (?).

Item, omne quod est unum tanto verius est ens hoc, quod Boetius dicit circa principium libelli *De Unitate et Uno: Unitas* (inquit) *est qua unaquaeque res una dicitur, nec potest esse una nisi unitate; non solum autem unitate est una, sed etiam tamdiu est quidquid id quod est quamdiu in se unitas est; cum autem desinit esse unum desinit esse id quod est; unde est hoc quidquid est, ideo est quia unum est.*

Ex his patet, quod *esse* et esse *unum* simul sunt natura, et in tantum sunt idem *esse* et *unum,* quod ubi verior unitas verior entitas, et e contrario. — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 5. — Cfr. *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 12. — d. 8. q. 3. n. 19. — d. 32. n. 3. — II. d. 1. q. 4. n. 25. — *QQ. Metaph.* l. IV. q. 2. per tot. — Vid. Distinctiones: *Numerus multiplex.*

Ens per nihil notius explicatur. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 31. — Quia nihil concipitur distincte, nisi quando concipiuntur omnia quae includuntur in ratione eius essentiali: *ens* includitur quidditative in omnibus conceptibus quidditativis inferioribus; ergo nullus conceptus inferior distincte concipitur nisi concepto *ente. Ens* autem non potest concipi nisi distincte, quia habet conceptum simpliciter simplicem; ergo potest concipi distincte sine aliis, et alii non sine eo distincte concepto; ergo *ens* est primus conceptus distincte conceptibilis. — *Ib.* d. 3. q. 2. n. 24. — Cf. ib. n. 8.

Ens per participationem reducitur ad ens per essentiam. — *Omne ens per participationem reducitur ad ens tale per essentiam.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 1. — * Haec * pro-

positio non est *prima*, sed reducitur ad istam: *omne imperfectum reducitur ad perfectum;* et quia omne ens *per participationem* est imperfectum, et tantum illud ens est perfectum quod est ens *per essentiam*, ideo sequitur propositio illa de *participatione*. — *Oxon*. l. d. 2. q. 3. n. 8. — *Report*. ib. q. 4. n. 5. — Vid. *Quod est tale per participationem reducitur ad tale per essentiam*.

Ens primum est in se simplex. — *Prima natura est in se simplex.* — *In se* dixi, quod tantum de simplicitate simplici essentiali intelligo hic, quae excludit omnem compositionem in essentia absolute. Haec probatur sic: prima natura non est causata; ergo non habens partes essentiales, materiam et formam; item nec diversas perfectiones qualitercumque in re distinctas habet, ex quibus, scilicet, possit ratio *generis* et *differentiae* sumi; quia vel altera illarum secundum propriam rationem esset qua totum esset primo *necesse esse*, et reliqua nec primo, nec per se; et tunc cum causa reliqua essentialiter includatur in toto, totum non erit *necesse esse*, quia includit non necessarium formaliter: aut si utraque realitate esset totum primo *necesse esse*, esset bis necesse esse, et haberet duo esse, quorum neutrum essentialiter includeret alterum; similiter utraque esset in utraque, quia non esset unum ex eis; et si utraque primo dat necesse esse, utraque erit actualitas ultima, et ita vel nihil idem ex eis, vel nulla differentia earum, et ita non utraque. — *De Primo Princ*. c. 4. n. 1.

Ex infinitate sequitur omnimoda simplicitas, primo, intrinseca, essentialis. — Quia aut componeretur ex finitis in se, aut ex infinitis. Si primum; ergo finitum. Si secundum; ergo pars non minor toto. — *Secundo*, quod non componitur ex partibus *quantitativis, probatur*, ex hoc quod infinita perfectio non est in magnitudine finita, quia in maiore esset maior virtus: Infinito autem nihil maius. Nec in magnitudine infinita, quia infinita magnitudo esse non potest. — *Ib*. n. 31. — *Tertio*, ex hoc concluditur, quod non est compossibilis alicui *accidenti:* quia omne perfectibile caret secundum se entitate perfectionis, alias non esset in potentia ad ipsam, ideo perfectio additur perfectibili: et totum est aliquid perfectius altero unitorum: Infinito nihil deest, et nihil perfectionem addit, quod sit unibile ei; tunc enim Infinito aliquid maius esset. Secundo, quia accidentia *materialia* sibi inesse non possunt, quia non est quantus; accidentia *immaterialia* pertinentia ad intellectum et voluntatem non sunt in ipso, quia quae videntur ibi maxime accidentia sunt *idem sibi*, ut *intelligere* et *velle*. — *Ib*. n. 33. — *Oxon*. I. d. 8. q. 1., ubi probat « simplicitatem divinam per media quaedam *particularia:* secundo ex mediis *communibus*, scilicet, ex *infinitate* et *necessitate essendi*. — *Primo modo* procedendo ostendo primo simplicitatem oppositam compositioni ex *partibus essentialibus:* secundo oppositam compositioni ex partibus *quantitativis:* tertio oppositam compositioni ex *subiecto* et *accidente* ». — Cf. *Report*. ib. d. 8. per tot. — * Quae sequentibus magis explicantur *: — In omni compositione est aliquid per modum *actus* et aliquid per modum *potentiae;* quia vel *una pars* est in potentia respectu alterius, ut in homine, vel *omnes partes* sunt in potentia respectu alterius, ut in domo, vel in aliquo tali: sed in Primo Principio non est potentia passiva; ergo nec aliqua compositio; est ergo simpliciter simplex. — *QQ. Metaph*. l. XII. q. 15. n. 2.

Dicendum * ergo *, quod Primum Principium est simpliciter simplex. Cuius ratio multiplex potest esse: quia omne compositum *causam* habet; partes enim compositi, quae in se sunt diversae, uniri non possunt nisi per causam priorem; si ergo Primum Principium aliquo modo esset compositum, Primo Principio esset aliqua *causa prior*.

Item, esse cuiuslibet compositi *dependet* ex partibus suis et est posterius eis; si ergo Primum Principium esset compositum, eius esse *dependeret ex alio*, quia ex suis partibus, et non esset simpliciter primum.

Praeterea, omnis compositio aut est partium *quantitativarum*, aut *materiae* et *formae*, aut *generis* et *differentiae*, aut *esse* et *essentiae*, aut *suppositi* et *naturae*, aut

accidentis et *subiecti:* sed nulla illarum in Primo Principio potest poni. — *Ib.* n. 3. *ubi proposita extrema demonstrat.*

Entia non habentia actiones proprias neque proprias habent essentias. — Ita potest intelligi dictum Commentatoris cum ait: *Cum entia non habebunt actiones proprias, non habebunt essentias proprias:* quod in *antecedente* neget habere *actionem propriam*, debet intelligi non tantum *actualiter*, quia tunc argueretur a destructione posterioris ad destructionem prioris, et esset *fallacia consequentis*, quia pluribus aliis modis potest poni destructio istius posterioris, puta per fortius agens praeveniens vel per contrarium impediens; sed debet intelligi in *antecedente non habebunt actiones proprias*, nec *actualiter*, nec *aptitudinaliter*, nec *virtualiter*. Et bene sequitur, quod non habebunt *proprias essentias*, quia quodlibet activum per propriam formam et virtutem habet virtualiter suam actionem, etiam quando non actualiter producit. — *Quodlib.* q. 7. n. 23. — Et ista expositio *antecedentis* potest haberi ex illo verbo Commentatoris, quod praemittit: *convenit istis, ut nullum ens habeat actionem propriam naturalem*, et subdit: *Cum entia non habebunt actiones proprias*, supple *actualiter* vel *aptitudinaliter*, secundum propriam naturam, *non habebunt essentias proprias.* — *Ib.* n. 24.

Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. — Vid. *Frustra fit per plura*, etc.

Enti cuilibet propria convenit operatio. — Secundum Philosophum, *IV. Metereorum*, t. c. 54, *omnia determinata sunt operationibus; cuiuslibet* ergo *entis est propria operatio.* — Ad * hoc * dicendum, quod entium naturalium per se existentium, de quibus videtur ibi loqui, sunt propriae operationes, et hoc extendendo *operationem* ad quamcumque, sive *immanentem*, sive *transeuntem*, sive etiam sit ad *formam* causandam, sive ad *ubi;* et sic grave habet operationem propriam tendere deorsum quando est extra locum, quando etiam quiescit dicitur habere operationem, et perfectiorem, quam quando movetur. Sed *operationem* non videtur Aristoteles ita extendere *II. De Coelo et Mundo*, ubi vult quod imperfectum caret operatione. Et sic etiam in *II. De Generatione* negatur gravitas esse qualitas activa. Non igitur in *IV. Metereorum* intelligit de operatione stricte, nec de quocumque ente, prout *ens* dividitur in *substantiam* et *accidens*, sed de ente *per se*, quod est suppositum substantiae. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 6. n. 4.

Entitati quidquid repugnat, et cognoscibilitati. — *Quod repugnat alicuius entitati repugnat eius cognoscibilitati*, quia unumquodque sicut se habet ad *esse*, sic ad *cognosci* (1). — *Report.* I. d. 36. q. 4. n. 29. — Dico, quod quidquid repugnat entitati secundum aliquem *modum* essendi, non repugnat cognoscibilitati. *Exemplum*, albedini et nigredini repugnat *esse* simul in subiecto eodem, et tamen non repugnat eis simul *cognosci.* — Unde quidquid repugnat entitati eorum secundum istum modum simultatis repugnat cognoscibilitati eorum secundum istum modum. Sic non repugnat alicui de numero infinitorum esse simpliciter, tamen simul esse repugnat eis; possunt tamen simul intelligi ab intellectu infinito comprehendente, ut dicit primus Doctor * (D. Bonav.) * — *Report.* l. d. 36. q. 4. n. 32.

Entis ad nihil nulla proportio. — *Positivi* ad *non positivum* nulla est proportio, sicut nec *entis* ad *nihil.* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 13.

Entis nulla sunt principia. — *Entis* inquantum *ens nulla sunt principia;* quia tunc essent cuiuslibet entis. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 18.

Eodem aliqua nequeunt convenire formaliter et differre realiter. — Non est idem quo aliqua *conveniunt formaliter* et quo *differunt realiter;* licet idem possit esse distinctum realiter et conveniens formaliter; multum enim refert esse *distinctum* et esse *quo* aliquid primo distinguitur. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 9.

Esse ab eodem res habet et unitatem. — Unumquodque sicut est *ens*, sic est *unum.* — *Elench.* q. 31. n. 2. — Est sciendum, quod ab *eodem res habet esse et unitatem;* quia *res* et *unum* convertuntur, ut patet;

(1) Vid. *Unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem.*

nam *esse* quod est, aut simplex est, aut compositum. Quod autem *simplex* est quamdiu est semper *unum* est, quia indivisibile est. Quod autem *compositum* est, tandiu, et non amplius, est quandiu *unum* est; nam si divisum, iam non est, ut patet in domo et in quolibet toto integrali; omne ergo quod est, tamdiu est, quamdiu *unum* est. Ex quo patet quod *ab eodem res habet esse et unitatem*. — *De Rer. Princ.* q. 17 n. 1. — * Seu * a quo aliquid habet *entitatem*, ab eo habet *unitatem*, et per consequens distinctionem. — *Quodlib.* q. 13. n. 31. — Quamlibet enim entitatem consequitur propria unitas, non habens aliam causam propriam sui quam causam entitatis. — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 6. et 20. — Vid. *Principium (per idem) aliquid est et distinguitur ab alio.*

« Essendi in » — Quae habent eumdem modum essendi in non possunt esse simul. — * Haec propositio *, quae est famosa in multis materiis, non est rationabilis. Nam *esse in* nullam habitudinem essentialem dicit necessario ad illud in quo est; *esse* autem *ab* dicit dependentiam essentialem ad illud a quo est aliquod; quae igitur rationabilitas quod plura possunt esse *ab* eodem, et eodem modo, et non possunt plura esse *in* eodem, eodem modo *essendi in?* quare enim plus repugnat respectus accidentalis unius rationis, quam dependentia essentialis unius rationis? Similiter, habent temporalia eumdem respectum ad tempus, sicut locata ad locum. Ex hoc ergo videtur sequi, quod non possunt plura temporalia esse *in* eodem tempore, quod videtur absurdum. — *Oxon.* II. d. 2. q. 8. n. 3.

Essendi necessitas ex se uni soli naturae convenit. — Probatur sic: si duae naturae possunt esse *ex se necesse esse*, communis est eis necessitas essendi; ergo et aliqua entitas quidditativa, secundum quam est eis commune et a qua accipitur quasi genus earum; et praeter hoc distinguuntur formalitatibus suis actualibus ultimis. — Ex hoc sequuntur duo incompossibilia: *Primum*, quod utrumque erit *primo* necesse esse per naturam communem, quae est minoris entitatis, et non per naturam distinguentem, quae est maioris actualitatis, quia et si per illam formaliter sit *necesse esse*, ergo bis est *necesse esse*, quia illa formaliter non includit naturam communem, sicut nec differentia genus. Videtur autem impossibile, quod minus actualitas sit qua *primo* aliquid est *necessarium*, et maior non sit qua *primo* nec *per se* sit aliquid *necessarium*. — *Secundum* impossibile est, quod per naturam communem, qua ponitur utrumque primo esse *necesse esse*, neutrum sit *necesse esse*, quia neutrum est sufficienter per illam naturam; quaelibet enim natura est illud quod est per formale ultimum: per quod enim aliquid est *necesse esse*, per illud est in effectu, circumscripto omni alio.

Item, duae naturae sub eodem communi non habent gradum aequalem. *Probatur* per differentias dividentes genus, cum sint inaequales; ergo et esse unius erit perfectius esse alterius: sed nullum esse est perfectius ipso *necesse esse ex se*. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 6.

Item, si duae naturae essent *ex se necesse esse*, nullam dependentiam haberet una ad aliam in essendo; ergo nec ordinem aliquem essentialem; ergo alterum nihil esset huius universi, quia nihil est in universo quod non habet ordinem essentialem inter entia, quia ab ordine partium est unitas universi. — Hic *instatur*, quia utrumque habet ordinem *eminentiae* ad partes universi, et ille sufficit ad unitatem. *Contra:* alterum ad alterum nec illum ordinem habet, quia eminentioris naturae est perfectius esse: nullum est perfectius esse ipso *necesse esse ex se;* alterum etiam nullum ordinem habet ad partes universi, quia unius universi est unus ordo, unus ordo est ad unum primum. *Probatio:* quia ad duas primas naturas si ponantur, natura proxima primae non habet unicum ordinem, aut unicam dependentiam, sed duas, sicut sunt duo termini *ad quem*, et ita de qualibet natura inferiori; ergo sic in universo toto erunt duo ordines primi, et ita duo universa; vel tantum ad unum necesse esse erit ordo, et ad aliud non.

Item, quia ratione naturali naturaliter procedendo, nihil videtur esse ponendum in universo, nisi cuius apparet necessitas, vel

cuius entitatem ostendit aliquis ordo ad alia manifeste entia, quia plura non sunt ponenda sine necessitate, ex *I. Physicorum text. com. 50: necesse esse* ostenditur in universo ex incausabili, et illud ex primo causante, et illud ex causatis: nulla necessitas apparet ex causatis, plures naturas primas causantes, imo est impossibile; ergo nec necesse est ponere plura secundum naturam incausata, vel plura *necesse esse;* ideo rationaliter non ponuntur. — *Ib.* n. 7. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 19.

Essentiae sunt sicut numeri. — De similitudine inter ordinem *numerorum* et *essentiarum,* dicendum, quod licet ordo essentiarum in universo in multis assimiletur ordini numerorum, non tamen similitudo tenet in speciali; *simile* enim est in dependendo, sed * non (?) * e converso, quia numeri posteriores dependent a priori, qui est imperfectior, quia est pars posterioris; totum autem dependet a parte, unde hic perfectius dependet ab imperfectiori. In *entitatibus* essentialiter ordinatis non sic, sed e converso; ens enim imperfectius non est pars respectu entis perfectioris, nec ens perfectius est totum aggregatum ex entibus imperfectioribus, sed totum virtualiter continens perfectiones entium imperfectorum, et praehabens eas. Ideo in *speciali* non est simile, quamvis sit simile in *generali,* quod sicut unus numerus dependet ab alio, ita in essentialiter ordinatis unumquodque dependet ab alio.

Aliter potest dici, quod in *numeris* est devenire ad numerum perfectissimum, et etiam ad numerum maximum, qui sit in intellectu divino, in quo habet esse numerus infinitus, secundum Augustinum, *XIII. De Trinit. cap. 14,* infinitas numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei in cuius intelligentia non est numerus, et forte numerus non habet esse aliud nisi in cognoscente. — *Report.* I. d. 2. q. 2. n. 9. — Vid. *Formae sunt sicut numeri.* — *Species sunt sicut numeri.*

Essentia est Pater. — Ista, *essentia est Pater,* potest distingui: quia *Pater* potest sumi *adiective* vel *substantive.* — *Secundo modo* significat personam *cuius est paternitas;* et concedo, eam esse veram *per identitatem,* quia substantivum potest praedicari de aliquo per identitatem. — *Primo modo* significat ipsam proprietatem *denominative;* et hoc modo exponit Magister *dist. 27,* quia idem est *Patrem esse* ac *genuisse.* Hoc modo ista est falsa: *essentia est Pater;* quia significat Patrem formaliter praedicari de essentia. — *Oxon.* I. d. 5. q. 1. n. 10. — *Report.* ib. n. 6.

Essentia (sicut) ad esse, ita potentia ad operari. — Cum dicitur *sicut essentia ad esse, ita potentia ad operari,* falsum est; quia *esse* est idem realiter essentiae, *operari* vero est effectus potentiae. — Sed haec est vera: *sicut essentia ad esse, sic potentia ad posse operari.* — *Report.* II. d. 16. n. 8. — *Oxon.* ib. n. 10.

Esse omne est formae, vel a forma. — Cum dicit Boetius, quod *esse est formae vel a forma,* potest dici, quod intelligit, quod omne esse *perfectum* vel est *ipsius actus,* vel *habentis actum.* — *Report.* II. d. 12. q. 2. n. 9. — * Igitur * *omne esse est a forma:* verum est, esse *specificum* et *perfectum.* — Vel dicendum, quod loquitur de *facto,* et non de *possibili* fieri per potentiam Dei. — *Oxon.* ib. n. 7.

Esse — Omne quod est quando est necesse est esse. — Secundum Aristotelem, circa finem *I. Perihermenias,* cap. ult., *omne quod est quando est necesse est esse.* Unde in talibus talis est necessitas, ut nec ex parte ipsius rei, nec ex parte alicuius virtutis oppositum possit esse, nec intelligi, quia tunc contradictoria simul essent vera, super quod nulla se extendit potentia. — Similiter dico, quod illud quod fuit, quando fuit, necesse est fuisse, ita quod in nullo istorum est potentia ad oppositum pro eodem nunc vel tempore. Tale autem necessarium non habet necessitatem absolutam, sed *secundum quid,* quia erat potentia in tempore praecedenti; nunc autem in illo nunc non potest non esse pro tempore quo est. — *De Rer. Princ.* q. 4. n. 34.

Tamen potest propositio distingui secundum *compositionem* et *divisionem,* dicendo sic: *Omne quod est quando est necesse est esse,* falsa est et divisa; vel sic: *omne quod*

est quando est necesse est esse, vera est et composita. — *Oxon.* III. d. 18. n. 17.

Illa propositio Aristotelis potest esse *categorica*, vel *hypothetica*, sicut et ista: *Animal currere, si homo currit, est necessarium:* haec quidem secundum quod *conditionalis* est, est distinguenda, secundum quod *necessarium* potest dicere necessitatem *consequentiae* vel *consequentis:* primo modo est vera: secundo modo est falsa. — Secundum autem quod est *categorica*, sensus est: hoc totum *currere, si homo currit*, praedicatur de animali, cum modo *necessitatis*, et *categorica* est vera, quia praedicatum sic determinatum necessario inest subiecto, licet non praedicatum absolute; et ideo tunc arguere a praedicato sic *determinato* ad praedicatum *absolute sumptum* est fallacia *secundum quid* ad *simpliciter*. — Ita dico, quod si ista propositio Aristotelis accipiatur ut est *hypothetica temporalis*, tunc *necessitas* aut notat necessitatem *consequentiae*, vel *consequentis:* ut *consequentiae* vera est; ut *consequentis* falsa. — Si autem accipiatur ut est *categorica*, tunc hoc quod est *quando est* non determinat compositionem implicitam in hoc *quod est*, sed compositionem principalem significatam per hoc quod est *esse;* et tunc praedicatum hoc *esse quando est* denotatur dici de subiecto, quod est cum modo *necessitatis;* et sic est propositio vera. Nec sequitur: ergo *necesse est esse*, sed est fallacia *secundum quid* ad *simpliciter*, sicut in alio patet. — Nullus igitur sensus verus huius propositionis denotat, quod esse aliquid in instanti, in quo est, sit *simpliciter necessarium;* sed tantum, quod sit necessarium *secundum quid*, scilicet, *quando est;* et cum hoc stat quod in illo instanti, in quo est, sit *simpliciter contingens*, et per consequens quod in illo instanti posset oppositum illius inesse. — *Ib.* I. d. 39. 19. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IX. q. 15. n. 12.

Esse prius est quam operari. — Videmus enim, quod *agere* sequitur gradum *actualitatis* et *formalitatis*. — *De Rer. Princ.* q. 11. n. 9. — Et *actus primus* prior est prioritate *originis actu secundo* (1). — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 22. — Cum enim *actus primus* sit principium *actus secundi*, quod nullum *actum primum* habet in se activum in suo ordine in nullum *actum secundum* potest in illo ordine. — *Ib.* IV. d. 1. q. 1. n. 26. — Dico tunc, quod quidquid est *potens agere* est aliquod ens habens *actum primum*, et prior est sibi secundum *naturam* ratio *actus primi* secundum se, quam in *comparatione* ad *actum secundum* cuius potest esse principium, ita quod licet illud quo tale ens est principium *actus secundi* non sit aliud a natura sua, non tamen prima entitas sua est natura sua *ut est principium talis actus secundi*, sed natura sua *ut in se est haec;* et ita prima distinctio entis non est per naturam suam *inquantum est principium talis operationis*, sed per naturam suam *ut haec natura*, licet per identitatem ipsa sit principium talis actus secundi. — *Ib.* II. d. 1. q. 5. n. 4.

Operari praesupponit esse. — Verum est, sed non ut *praecisam* rationem recipiendi. — *Ib.* IV. d. 45. q. 1. n. 8. — Loquendo de *agere* quod est actus secundus, concedo quod *agere* praesupponit esse naturae, loquendo de *agere* de genere *actionis;* loquendo tamen de *agere* supernaturali, quod est *operari*, et non *agere* de genere *actionis*, dico, quod non prius requirit *esse* supernaturale, quia potest in supernaturale in primo instanti, quod habet *esse* supernaturale. — Tamen loquendo de genere *actionis*, quod est *elicere operationem*, concedo quod *agere* supernaturale praesupponit formam supernaturalem. — *Report.* III. d. 14. q. 2. n. 17. — Cf. *Oxon.* III. d. 18. n. 11.

Esse — Quod vere est nulli accidit. — Haec propositio, *quod vere est nulli accidit*, est intelligenda accipiendo propositionem per accidens illo modo * nempe, cuius unum extremum accidentaliter inest alteri *; illud enim quod *per se* est ut substantia non accidit alteri, sicut accidens accidit subiecto. Sic intelligit Aristoteles. Potest tamen alteri accidere tamquam id quod est extra intellectum subiecti. — *Poster. I.* q. 18. n. 5.

Esse (sicut) ad essentiam, ita operari ad potentiam. — * Haec * propositio est falsa: *sicut se habet esse ad essentiam, ita ope-*

(1) Vid. Distinctiones: *Actus primus-secundus.*

rari ad potentiam; quia *esse* est idem realiter cum *essentia,* non progrediens ab essentia; actus autem vel *operari* est progrediens a *potentia,* nec est idem sibi realiter. — Sed si argueres sic: *sicut essentia ad esse, sic potentia ad posse;* igitur sicut essentia est potentia, sic esse est posse, concederetur. — *Oxon.* II. d. 16. n. 10. — *Report.* ib. n. 8. — Sed *esse* immediatius se habet ad essentiam quam velle ad voluntatem. — *Oxon.* III. d. 6. q. 1. n. 7. — Cf. *Report.* ib. n. 6.

Esse simul — Quaecumque sunt simul cum alio inter se sunt simul. — Cum dicitur: *quaecumque sunt simul cum tertio inter se simul sunt;* dico, quod haec propositio universaliter est falsa, nisi quando illud tertium cum quo sunt illa simul sit *limitatum* secundum illud *esse* secundum quod illa dicuntur esse simul cum illo; quia quando est *illimitatum* ad illud *esse* secundum quod alia dicuntur esse simul cum eo, et ad aliud, est propositio falsa. *Exemplum: aeternitas* est simul cum hoc *nunc,* et anima Antichristi est simul cum aeternitate quando est; igitur hoc *nunc* est simul cum illo, in quo anima Antichristi erit, non valet; quia *aeternitas* est quoddam *illimitatum* ad extrema cum quibus dicitur esse simul. Similiter quod est hic est simul cum Deo, et quod est Romae est simul cum Deo; igitur ista inter se sunt simul; non valet, quia tertium non est praecise cum extremis, quando concluditur eorum simultas inter se. — *Report.* IV. d. 1. q. 3. n. 35. — *Oxon.* ib. n. 6.

Evangelio non crederem, nisi Catholicae crederem Ecclesiae. — August. in Epistola *Contra fundamentum Manichaei* dicit, quod *non crederet Evangelio, nisi crederet Ecclesiae Catholicae.* Patet igitur per eum, quod libris Canonis sacris non est credendum, nisi quia primum credendum est Ecclesiae approbanti et auctorizanti libros istos et contenta in eis. Quamvis aliqui libri auctoritatem habeant ex auctoribus suis, non tamen adhaeremus eis firmiter nisi quia creditur Ecclesiae approbanti et testificanti veraces esse eorum auctores. Unde dicit Augustinus ibidem, quod *Evangelium Nazaraeorum non admittam, quia non admittitur ab Ecclesia.* — *Oxon.* III. d. 23. n. 4. — *Report.* ib. n. 3. — Igitur irrationabile est aliquid Canonis recipere, et aliquid non, cum Ecclesia Catholica, cui credendo Canonem recipio, recipiat totum aequaliter. — *Oxon.* Prol. q. 2. n. 8. — Auctoritas universalis Ecclesiae maxima est, quia dicit Augustinus: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiae Catholicae crederem;* quae Ecclesia determinavit qui Libri habendi sunt in Canone Bibliae. — *Ib.* I. d. 5. q. 1. n. 8. — Cf. *Miscellan.* q. 6. per tot. — Vid. DISTINCTIONES: *Scriptura Sacra,* in suis diversis acceptionibus.

Experientia artem generat. — Dicit * Philosophus *, quod sicut *experimentum fit ex memoria, ita ars ex experimento.* Et hoc est quod dicit: *Fit autem ars cum ex multis experimentalibus conceptionibus fit una acceptio universalis, velut de similibus;* sicut enim experimentum versatur circa particularia, ita ars circa universalia. — *Sed expertos magis videmus proficere,* id est, certius operari, ipsis *habentibus rationem,* scilicet, universalem artem, *sine experientia.* Vult dicere, quod experti certius operantur artificibus inexpertis. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. 1. c. 1. nn. 10-11. — Cf. *QQ. Metaph.* l. I. q. 4. — Vid. DISTINCTIONES: *Experientia-Ars.*

Experientia fecit artem, inexperientia casum. — Quod dupliciter potest intelligi: aut quia inexperti *cadunt,* id est deficiunt a rectitudine operationis: aut quia si rectae operantur inexperti, hoc est *a casu.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 1. n. 10. — Cf. *QQ. Metaph.* l. I. q. 4.

Expertus certius operatur artifice inexperto. — Planum est, quod expertus certius operatur artifice inexperto; quia cognitio experimentalis est per se singularis, circa quod est operatio per se: cognitio autem artis est universalis per se, et si est singularis, hoc est ex consequenti et per accidens. Quia igitur expertus certius cognoscit operabile quam artifex, ideo certius operatur. Et hoc est quod dicit Philosophus in littera: *Si igitur sine experimento rationem quis habeat et universale quidem cognoscat, in hoc singulare ignoret, multoties quidem curatione peccabit.* — *QQ. Metaph.* l. I. q. 5. n. 3.

Extrema inter immediata tanta est distanctia quantum est extremum maius. — Quando *extrema sunt immediata tanta praecise est eorum distantia quantum est extremum alterum maius.* — Patet in *simili:* quia tanta est distantia Dei a creatura, etiam suprema possibili fore, quantus est Deus; et ideo si poneretur suprema creatura possibilis, adhuc Deus distaret ab illa in infinitum, quia est infinitus. — Patet etiam per *exemplum* in opposito: in quantitatibus enim est distantia propter aliquod medium interiacens, et ideo secundum quantitatem spatii interiacentis est distantia illa quanta; ergo per oppositum, ubi non est medium interiacens distantia non erit quanta, nisi secundum quantitatem alterius extremi. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 11. — I. d. 2. q. 2. n. 29. — *Report.* IV. ib. n. 10.

Extremo (ab) in extremum non fit transitus nisi per medium. — *Quod transit ab extremo in extremum prius pervenit ad medium* non nisi inter ea quae sunt divisibilia et successive possunt acquiri. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 16. n. 4. — Cf. *Oxon.* II. d. 21. q. 1. n. 1. — *Report.* ib. q. un. n. 1.

Extremum inquantum extremum terminat relationem. — Cum dicitur *extremum inquantum extremum terminat,* potest diversimode intelligi ista reduplicatio: vel quia reduplicatur *relativum* quod dicitur *oppositum* vel *correlativum,* vel reduplicatur *ratio formalis ultima,* qua, scilicet, ultimate formaliter est relativum vel correlativum; vel quod reduplicatur ratio formalis *non ultima,* sed *fundamentalis* quasi praevia. — Unde * propositio * quae accipit, quod *extremum inquantum est extremum terminat,* adhuc ibi ly *inquantum,* habet tantam reduplicationem, quantam prius, et solummodo in *tertio sensu* probatur, per hoc quod terminat inquantum habet in se fundamentum. — *Quodlib.* q. 6. n. 27.

F

Faciens assimilat sibi factum. — In faciente forma est ratio faciendi, in qua forma *faciens assimilat sibi factum.* — *Oxon.* I. d. 9. q. 7. n. 39.

Falsius non sequitur ex minus falso. — Vid. *Impossibilius non sequitur ex minus impossibili.*

Falsum non est scibile. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 6. — Quia falsum demonstrari non potest. — *Ib.* IV. d. 49. q. 6. n. 25. — Cf. I. d. 8. q. 5. n. 17.

Felix est Dei amantissimus. — * Philosophus * *X. Ethic.: Felix est Dei amantissimus,* loquitur *passive,* quasi *maxime amatus a Deo,* non *active,* sicut patet ibi. Subdit enim: *Siquidem curam humanorum haberi a diis sit rationabile, et gaudere ipsos,* (supple Deos) *optimum et cognatissimum, hoc autem est intellectus,* etc. *Diligentes igitur hoc, id est, intellectivum, rationabile erit Deo rebeneficiare ut amicos,* etc. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 24.

Fieri — Omne quod fit ex opposito fit. — *I. Physic.* text. com. 60, et *I. De Generatione,* text. com. 23, et *XII. Metaph.* text. com. 6 et 10: *Omne agens naturale aliquid corrumpit, et aliquid producit in generatione naturali;* ergo oportet prius esse aliquid contrarium in generando. — Ex hoc accipit Aristoteles, *ubi supra,* hanc propositionem: *omne quod fit ex opposito fit.* Sed unum oppositorum non fit aliud; *albedo* enim non fit *nigredo,* neque *concordia* fit ex *discordia;* ergo oportet aliquid commune manere aliud sub utroque terminorum. Et hoc est sic arguere: omne agens naturale requirit *potentiam in quam* agit, et illam potentiam transmutat de *opposito* in *oppositum:* oppositum autem non transfertur sic in oppositum, ita quod nihil remaneat commune utrique oppositorum, non enim *albedo* fit *nigredo;* ergo aliquid praesupponitur, quod potest dici *hoc fit hoc.* — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 2. — *Oxon.* ib. n. 4. — Cf. *Physic.* I. qq. 18. 19. 21 et 24. — II. q. 7.

Filius est de substantia Patris. — Tenendo cum Doctoribus antiquis, qui omnes a tempore Augustini usque ad istum * (Henricum) * non sunt ausi in Divinis nominare *materiam*, nec *quasi materiam*, cum tamen omnes concorditer dicant cum Augustino, quod *Filius generatur de substantia Patris*, dico *primo*, quod Filius non generatur de essentia Patris sicut de *materia* vel *quasi materia* (1): *secundo*, quod sine glossa vere et proprie *Filius est de substantia Patris*. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 11. *Ubi praedicta late probat.*

Secundo dico, quod negata omni *materialitate* et *quasi materialitate*, vere tamen *Filius est de substantia Patris*, sicut dicunt auctoritates adductae in littera; ubi per ly *de* non tantum notatur *efficientia* vel *origo*, si enim tantum *efficientia*, tunc creaturae essent de substantia Dei; nec notatur per illud *de* tantum *consubstantialitas*, quia tunc Pater esset de substantia Filii; sed notatur *simul originatio et consubstantialitas*, ut, scilicet, in casuali huius praepositionis *de* denotetur *consubstantialitas*, sic, quod Filius habet *eamdem substantiam* et quasi formam cum Patre, de quo est originaliter; et per illud quod construitur in genitivo cum isto casuali notetur *principium originans*, ita quod totalis intellectus huius sermonis, *Filius est de substantia Patris*, est iste Filius est *originatus* a Patre ut *consubstantialis* ei. Et isto modo exponit Magister auctoritates in littera adductas, non *praecise* per *substantialitatem*, nec per *originem praecise*, sed per *utrumque*, sicut communiter apparet *de Patris substantia*, hoc est de *Patre*, qui est *eadem substantia*. Per primum *originatio*, per secundum *consubstantialitas* habetur. Et quod ista sit intentio Augustini in auctoritatibus eius *contra Maximinum*, quae ponuntur in littera, apparet ex fine auctoritatum. Nam in una auctoritate ponit Augustinus: *Si aliam non invenis, Patris agnosce substantiam, et Filium cum Patre homoousion confitere.* Hoc igitur intelligit per *Filium esse de substantia Patris*, Filium sic esse de substantia Patris, ut sit *homoousion* cum Patre. — Item in alia auctoritate dicit: *Si vero de Patris substantia, tunc est eadem substantia Patris et Filii.* — *Ib.* n. 12.

Ad intellectum ergo huius affirmativae qua dicitur: *Filius est de substantia Patris*, secundum intellectum praedictum, dico, quod intellectus iste vere salvat, quod Filius non sit de *nihilo;* vere etiam salvat, quod Filius est de substantia Patris, sicut requiritur ad *filiationem*. — *Ib.* n. 13.

Non proprie dicitur aliquam personam esse de *essentia absolute*, sed addendo cum *substantia* aliquam *personam originantem* bene dicitur, quod aliqua persona originata est *de substantia* illius personae; ita quod haec, *Filius est de essentia divina*, non est ita concedenda sicut haec, *Filius est de substantia Patris;* quia per secundam exprimitur *consubstantialitas* et *originatio*, propter genitivum constructum cum casuali praepositionis; per primam autem non notatur aliquid originans. — *Ib.* n. 19. — Cf. *Report.* ib. n. 10 seqq. — Vid. *Distinctiones: Generatio in Divinis = Generatio-Productio*, etc.

Filius semper natus est. — Per Augustinum, LXXXIII QQ. q. 37: *Qui semper nascitur nunquam natus est.* — *Oxon.* I. d. 9. n. 1 in argum. — Dico, quod Augustinus videtur negare Filium semper nasci, in quaestione praealegata; cum tamen Origines dicat oppositum, sicut allegat Magister in littera, super illud Ieremiae, 11, *Inventa est.* — Gregorius tamen, *Moralium* 29, super illud Iob 38: *Sciebas quando nasciturus*, videtur dicere aliqua quibus possunt ista dicta concordari: *Non possumus*, inquit, *dicere: « semper nascitur », ne imperfectum aliquid videatur;* ne, inquit, aliquid *videatur* imperfectum. Non dixit: imperfectio *est* si dicatur *semper nasci*, sed *videtur* significare imperfectio, hoc est, iste sermo, *semper nascitur*, non significat generationem esse ita perfectam, sicut sermo iste significat eamdem esse perfectam: *semper est natus;* ista enim, *semper est natus*, magis

---

(1) « Ita quod essentia in Divinis nullo modo habet *conditionem materiae*, ut de ea producatur Filius ». — *Report.* I. d. 5. q. 2. n. 10.

exprimit veritatem, quam ista, *semper nascitur*, licet utraque sit vera.

Ad cuius intellectum sciendum est, quod verba cuiuscumque temporis dicuntur de Deo vere, sive significent actus personales, sive essentiales, sicut patet per Augustinum, super Ioannem, hom. 99, super illud Ioann. 16: *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur*. *Audiet*, inquit Augustinus de Spiritu, *quod utique audivit et audit, quia Spiritum Sanctum audire est a Patre Filioque procedere, et per consequens quod audiet audivit et audit, sicut quod scit scivit et sciet*; igitur vult ipse dicere, quod verba omnium temporum vere dicuntur de Deo.

Sed quidni significant ista verba diversorum temporum cum dicuntur de Deo? Respondeo, magis proprie possunt dici consignificare *nunc aeternitatis* quam *differentias temporis*; non tamen illud *nunc* absolute, quia non esset variatio tunc diversorum modorum significandi temporis, sed inquantum coexistit partibus temporis, ut cum dicitur: Deus *genuit*, consignificatur *nunc* aeternitatis, ut sic sit sensus: *Deus habet actum generationis in nunc aeternitatis*, inquantum illud *nunc coexistebat praeterito*. Deus *generat*, hoc est, habet actum in *nunc* aeternitatis, inquantum *nunc* aeternitatis *coexistit praesenti*. Et hoc patet, quod cum illud *nunc* vere coexistat cuilibet differentiae temporis, vere dicimus de Deo differentias omnium temporum.

Expressius tamen, secundum B. Gregorium, significatur divinae generationis veritas per hunc sermonem, *semper natus est*, quam per istum sermonem, *semper nascitur*; quia per ly *natus* significatur nativitas ut *perfecta*; sed cum ly *semper* significatur ut perfecta cum omni parte temporis coexistere, et ita non tantum significatur *omni parti temporis coexistere*, sicut significatur per istam, *semper gignitur*; sed significatur etiam omni parti temporis coexistere sub ratione perfecta, et in hoc videtur expressissime significari veritas huius processionis. — *Oxon*. I. d. 9. n. 6. — Maior tamen expressio veritatis fit per verbum de praeterito in Divinis, dicendo: *Filius semper est natus*, quam per verbum de praesenti: Filius *semper nascitur*; quia verbum de praesenti apud nos consistit in *fieri*, sed verbum de praeterito plenam perfectionem sine fieri exprimit. — *Report*. ib. n. 2.

Fine (a) sumuntur principia practica. — *Oxon*. Prol. q. 4. n. 17. — Nam de finibus propriis virtutum moralium dictatur discurrendo a principio *practico* sumpto a *fine universali* ad particulares. — *Ib*. III. d. 36. n. 19. — Tamen non inquantum *finis*, sed inquantum est *obiectum*. Ideo enim *finis* praxis dat talem aptitudinem sive naturam habentem talem aptitudinem, quia ut *obiectum* primum includit principia, et mediantibus illis conclusiones, et ita totam notitiam practicam; non autem inquantum *finis*: tum quia a *fine* ut finis est nulla natura vel aptitudo naturalis habetur, nisi ut *amato* et *desiderato*, et sic movente efficiens: prius autem natura quam ametur includit talia principia et conclusiones; veritas enim principii practici necessarii non dependet a voluntate magis quam speculativi, nec conclusiones necessario illatae ex tali principio: tum quia quodcumque aliud includeret virtualiter talem notitiam, eodem modo daret notitiae conformitatem talem. — *Oxon*. Prol. q. 4. n. 13.

Hic videtur consequenter dictis dicendum, quod accipiendo *regulam* pro *rectificante in praxi*, prima regula est *finis ultimus*, qui virtualiter includit primo notitiam omnis rectitudinis necessariae cuiuscumque praxis, sicut primum subiectum scientiae speculativae primo virtualiter includit notitiam omnium veritatum speculabilium. Haec autem prima regula, quae est *finis*, ordinate rectificat intellectum et voluntatem, sicut ipsae potentiae natae sunt agere ordinate, ita quod prius quasi gignit notitiam conformem rectae praxi, quam rectificet praxim, et ita potentia practicante alia erit potentia prior et prius recta. — *Ib*. n. 34. — Vid. *Actus bonitas a fine desumitur*.

Finem ardentissime omnes appetunt. — Si intelligitur pro appetitu *naturali*, verum est; si autem pro appetitu *libero*, actu, sci-

licet, *elicito*, non est verum universaliter, sed *in pluribus*. — *Oxon*. IV. d. 49. q. 10. n. 14. — *Report*. ib. q. 9. n. 17.

Finem habens habet potentiam ad illum. — Quando arguitur, quod omne *habens finem habet operationem propriam* per quam attingit finem, dicendum, quod non semper est verum; quia natura non dedit principium activum intrinsecum cuilibet attingenti suum finem, sicut homo non habet ex se sufficiens principium activum ad attingendum beatitudinem; similiter potentia sensitiva, si ponatur passiva, non habet principium activum ad eliciendum actum suum qui est finis eius; sed haec vera est: *omne habens finem habet in se principium activum attingendi finem suum*, vel in natura est aliquid cuius adiutorio potest finem attingere. — *Collat*. VI. n. 12.

Finis est causa causarum. — *Finis est causa*. — Probatur: illud est causa propter quod alterum est, ut patet ex definitione *causae* (1): sed propter finem alterum est; ergo, etc. — *Minor* est nota, quia propter sanitatem est labor; et ita inducendo in aliis; quia sanitas non est causa laboris in genere causae *efficientis*, quia efficiens praecedit tempore suum effectum, vel saltem simul est cum effectu, et tamen sanitas sequitur laborem; nec labor est propter sanitatem tamquam propter *materiam* vel *formam*, ut notum est; igitur est propter ipsam tamquam propter *finem*. — *Physic*. II. q. 9. n. 4. — *Secundo*: quia illud est causa propter quod convenienter respondetur ad quaestionem quaerentem, * propter * *quid est hoc?*: sed hoc fit per finem; igitur, etc. — *Maior* est nota, quia quaestio *propter quid* quaerit *causam*. Et *minor* patet, quia si quaeratur: *propter quid Socrates laborat?* respondetur: *ut sanus efficiatur*. — *Ib*. n. 5.

Causa *finalis* in *causalitate* praecedit causas agentes recipientes; et hoc secundum suum esse in anima, quia anima adinvenit eam prius, et postea imaginatur apud se actionem et inquisitionem recipientis et qualitatem formae. Respectu ergo *causalitatis* et respectu *essendi in anima* non est aliqua causa prior *finali*, imo ipsa est causa essendi caeteras causas. Esse vero aliarum causarum in *effectu* est causa essendi illam in effectu. Si de unaquaque istarum causarum esset scientia, inter eas notior esset scientia de finali, et ipsa esset *sapientia*. Si igitur loquamur de prioritate in *causando*, dico, quod extrinsicae * (*efficiens* et *finalis*) * prius causant; quia enim illae, ideo et intrinsicae * (*materia* et *forma*) * causant, non e contra. Extrinsecarum autem prius causat *finis*; ille enim, quia movet efficientem in ratione *amati*, ideo agens agit; non e contrario. — *QQ. Metaph*. l. V. q. 1. n. 8. — Cf. *De Rer. Princ*. q. 10. n. 5. — Vid. *Finitum quod non est non est effectum*. = *Finis movet efficientem*. = *Causa finalis cuius est, eius est causa efficiens*.

Finis est primum in intentione et ultimum in executione. — Dicendum, quod duplex est *finis*: aliquis enim finis *praexistit* motui: ut si dicatur, quod finis est medium respectu motus gravium. — Alius est finis *acquisitus* per motum: sicut esse deorsum acquiritur per motum gravis, et sanitas acquiritur per operationem medicinae. — *Secundo modo* dictus *finis est ultimum in esse et primum in intentione; finem* tamen *primo modo* nihil prohibet esse *primum* in *esse* sicut in *intentione*. — Vel potest dici, quod duplex est *finis*, scilicet, *proximus* et *remotus*. — Finis *proximus* est ultimus in esse; sed *remotus* potest esse primum in esse et in intentione. — *QQ. Metaph*. l. XII. q. 8. n. 4.

Finis movet efficientem. — *Finis* non est causa, nisi inquantum *movet efficientem* ad dandum esse; movet, inquam, ut amatum et desideratum. Hoc patet ex ratione *finis*, *V Metaph*. c. 2. *Propter quem finem agens agit, et propter quem scilicet finem amatum agens dat esse aliis ad ipsum ordinando*. — *Oxon*. I. d. 8. q. 5. n. 6. — d. 3. q. 7. n. 3. — Prol. q. 4. n. 11 et 13. — Sed *finis* non movet nisi *metaphorice*, I. *De Gener*.; igitur non *effective* inquantum finis, quia vere movens effective movet *propter finem*: sed finis inquantum finis non movet propter finem. — *Ib*. II. d. 25. n. 2. et 24. — I. d. 2. q. 2. n. 16. — Cf. *QQ*.

(1) Vid. Distinctiones: *Causa*.

Metaph. l. IX. q. 14. n. 25. — Vid. *Causa finalis cuiuscumque est, eius est causa efficiens.* = *Finis est causa causarum.*

Finis nobilior iis quae sunt ad finem. — Quia nihil ignobilius est per se finis nobilioris. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 12. — Nam finibile excellitur a fine in bonitate, et per consequens in perfectione. — *Ib.* d. 2. q. 2. n. 10. — Nunquam enim aliquid ignobilius est nobilioris finis, loquendo de fine *perficiente,* sed tantummodo de fine *proveniente,* seu qualitercumque *terminante.* — *Ib.* IV. d. 48. q. 2. n. 7. — Cf. ib. d. 49. q. 4. n. 18. — * Sed * est notandum de *fine* qui est *bonum intentum ab agente,* quod quidam est finis *primaria intentione,* et est ille quem agens *principaliter* intendit: * alius est * finis *secundaria intentione,* qui *minus principaliter* intenditur ab agente. — Finis *primaria intentione* est aeque nobilis vel *nobilior* ordinatis ad finem; sed hoc non est verum de fine *secundariae intentionis.* — *Physic.* II. q. 9. n. 3. et 8. — Finis suo aspectu claudit omnia quae sunt ad illum finem. -- *De Rer. Princ.* q. 13. n. 7. — * Et * cum finis voluntatis habeat primam rationem obiecti voliti, a dilectione finis proceditur ad dilectionem eorum quae sunt ad finem. — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. nn. 3 et 18.

Finis notior est his quae sunt ad finem. — * Quia * est causa causarum, notior ad demonstrandum, ut dicitur *III. Metaph. text. 3.* — *De Rer. Princ.* q. 10. n. 5.

Finis omnium quodammodo sumus. — Illa auctoritas, *II. Physic., sumus quodammodo finis omnium,* potest exponi: finis omnium, supple *generabilium* et *corruptibilium;* quia homo est nobilissimum inter illa et in hoc quodammodo finis *perficiens.* — *Oxon.* IV. d. 48. q. 2. n. 7. — Cf. *Physic.* II. q. 9. n. 7. — *De Rer. Princ.* q. 12. n. 3. — *QQ. Metaph.* l. II. q. 6. n. 3. — Vid. *Homo sensibilium omnium finis.*

Finis principalior fine minus principali praeponendus. — Quando aliquid ordinatur ad duos fines, principalem, scilicet, et minus principalem, rationabile est uti illo eo modo quo magis valet ad finem principalem, licet per hoc aliquid detrahatur fini minus principali. *Exemplum:* cibus valet ad duo, scilicet, ad *delectationem,* quae est minus principalis, et ad *nutritionem,* quae est magis principalis; et conveniens est ut aliquis utatur cibo eo modo quo magis expedit nutritioni, licet in hoc detrahatur delectationi. — *Oxon.* IV. d. 33. q. 1. n. 5. — *Report.* ib. q. 2. n. 5.

Finis se habet in operabilibus sicut principium in speculabilibus. — Secundum Philosophum, *II. Ethicorum,* cap. 11, *fines sunt in agibilibus sicut principia in demonstrabilibus.* — Propositio Philosophi debet intelligi de *principio primo* in speculabilibus, et *fine ultimo in universali* in agibilibus. — *Report.* III. d. 18. q. 3. n. 14.

Sicut se habet finis in operabilibus, sic principium in speculabilibus, quantum ad hoc, videlicet, quod sicut principium in speculabilibus est principium effectivum respectu conclusionis, sic finis in operabilibus est principium continens virtualiter et efficaciter omnia alia quae sunt ad finem, ita quod nihil est tale formaliter et essentialiter, nisi per illud quod est tale virtualiter et effective. *Exemplum* de subiecto et passione, et principio et conclusione, quia nunquam est conclusio formaliter vera, nisi quia est principium efficaciter et virtualiter tale; et similiter de passione respectu obiecti. — *Collat.* XXX. n. 2.

Quando dicitur, quod *finis se habet in operationibus sicut principium in speculabilibus,* dicendum, quod similitudo est ex parte *obiectorum;* finis enim sic se habet ad ea quae sunt ad finem sicut principium se habet ad conclusiones deducendas ex principio. Sed non tenet similitudo comparando ea ad suas *potentias,* ut sicut potentia unius necessario fertur in unum, ita alia potentia necessario fertur in aliud. — *Report.* IV. d. 49. q. 9. n. 17. — *Oxon.* ib. q. 10. n. 14. — I. d. 1. q. 4. n. 2 et 16. — II. d. 6. q. 2. n. 7. — Cf. *QQ. Metaph.* l. V. q. 1. n. 8. — *Collat.* I. n. 19. — III. n. 4. — IV. n. 5. — Vid. *Principium sicut se habet,* etc.

Finis ultimi participatione vult quidquid vult voluntas. — * Haec * est falsa, quod, scilicet, virtute et participatione ultimi finis

vult quidquid vult; quia virtute et participatione alicuius voluntatem velle aliqua potest intelligi dupliciter: vel virtute seu participatione eius ut *efficientis* sive *continentis virtualiter:* vel virtute seu participatione eius ut *primi obiecti*, propter quod volitum vult alia. — Si *primo modo* intelligatur, non est ad propositum; quia illud, cuius virtute ut *efficientis* est aliquid volitum, non oportet esse volitum: sicut illud quod est efficiens alicuius visi non oportet esse visum; non enim oportet, quod primo videam Deum oculo corporali, si videam colorem, qui est quaedam participatio Dei ut causae efficientis. — Si intelligatur *secundo modo* de participatione ut *primi obiecti* voliti, tunc est falsa; non enim virtute Dei voliti volo quodcumque volitum; quia tunc omnis actus voluntatis esset actualis usus referendo illud ad primum obiectum volitum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 17. — *Quodlib.* q. 16. n. 6. — Vid. *Voluntas necessario vult illud cuius participatione*, etc.

Finis ultimus non est odibilis. — Finis non habet rationem nolibilis, quia nec malitiam, nec defectum boni. Unde hoc quod est *nolle finem* includit contradictionem, sicut *videre sonum*, sicut vult Augustinus, in *Enchirid.* 14: *Sic enim beati esse volumus, ut miseri esse non solum nolimus, sed nequaquam velle possimus.* Sicut igitur repugnat ipsi actui volendi tendere in miseriam, ita videtur repugnare actui nolendi tendere in beatitudinem, vel forte magis, quia non ita caret miseria omni ratione volibilis, sicut beatitudo ratione nolibilis. — *Quodlib.* q. 16. n. 5.

Finis ultimus unicus est. — In omni ordine essentiali est tantum unum primum; igitur in ordine essentiali finium *est tantum unus finis.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 1. — Hoc patet per rationem *finis;* quia duo fines ultimi si essent, haberent duas coordinationes entium ad se, ita quod ista entia ad illa nullum ordinem haberent, quia nec ad finem illorum: nam quae ordinarentur ad unum finem ultimum non possunt ordinari ad alium, quia eiusdem causati duas esse causas totales vel perfectas in eodem ordine est impossibile (1), tunc enim esset aliquid in aliquo ordine per se causa, quo non posito nihil minus esset id perfecte causatum; ordinata ergo ad unum finem nullo modo ordinantur ad alium, nec per consequens ad illa quae ordinantur ad alium, et ita ex his et illis non fieret unum universum. — *Ib.* d. 2. q. 2. n. 17. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 11 seqq. — Cf. *Oxon.* IV. d. 49. q. 3. n. 2.

Finiti ad infinitum nulla proportio. — Si loquamur de proportione *geometrica*, tunc *nulla est proportio finiti ad infinitum*, nec in entitate, nec in cognoscibilitate vel intelligibilitate. Est autem proportio *geometrica* qua continens est excedens contentum in aliquo *certo* gradu et *finito*, ita quod excessum aliquando replicatum reddit suum excedens. Et isto modo nulla est proportio finiti ad infinitum; quia finitum quotiescumque sumptum nunquam reddit infinitum. Et illo modo sicut entitas creata est improportionata entitati increatae in entitate, ita in intelligibilitate, ita quod intelligibilitas unius multoties sumpta nunquam reddit intelligibilitatem alterius. — Sed ex hoc non sequitur, quod non sit intelligibile ab illo, nisi loquendo uniformiter de proportione *geometrica;* si enim sint improportionata proportione geometrica, non propter hoc sunt improportionata proportione alterius generis, puta proportione operationis ad suum terminum, sive cognitionis ad obiectum, sive potentiae ad obiectum. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 6. — *Report.* ib. q. 10. n. 5.

Conceditur igitur finiti ad infinitum *proportio*, id est, *determinata habitudo*, non *quantitativa*, qualis dicitur esse *dupli* ad *dimidium*, nec *quanti* ad *quantum*, sed qualis dicitur esse generaliter *passivi* ad *activum*, et e converso *activi* ad *passivum*. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 16. — *Report.* ib. q. 2. n. 12. — Cf. *QQ. Metaph.* l. II. q. 3. n. 4.

Finitivum aliquod datur simpliciter primum. — *Aliquod finitivum est simpliciter primum*, hoc est, non est ad aliud ordina-

(1) Vid. *Causati eiusdem*, etc.

bile, nec in virtute alterius natum finire alia. — Et probatur rationibus similibus illis, quae ponebantur de primo *effectivo* (1). Primum finitivum est ita primum, quod impossibile est, aliquid esse eo prius. — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 17. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 9.

Finitivum primum est actu existens. — *Primum finitivum est actu existens*, et alicui naturae necessario actu existenti convenit ista primitas. — Probatur sicut de *primo effectivo* (2). — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 17.

Finitivum primum est incausabile. — *Primum finitivum est incausabile.* Probatur: quia est infinibile; alias non esset primum. Et ultra: ergo ineffectibile. — Haec *consequentia* probatur: quia omne *per se agens* agit propter finem, ex *II. Physic.*, ubi etiam vult hoc Philosophus de *natura*, de qua minus videtur, quam de *agente a proposito:* sed cuius non est aliquod *per se efficiens* illud non est effectibile; quia in nullo genere potest *per accidens* esse primum, sicut patet in proposito, specialiter de causis agentibus *per accidens*, quae sunt *casus* et *fortuna*, quae, secundum intentionem Philosophi, *II. Physic.*, reducuntur ad causas necessario *per se* agentes ut priores, scilicet, ad *naturam* et *intellectum* vel *propositum;* cuius ergo nullum est per se agens, eius nullum erit agens: sed cuius non est finis eius non est aliquod per se agens; ergo ipsum est ineffectibile. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 17. — *De Primo Princ.* c. 3. n. 9. — Vid. *Effectivum simpliciter primum est incausabile.*

Finitum omne est excessum. — Probatur: quia finis est melior eo quod est ad ipsum. Hoc probatur sic: quia finis ut amatum movet efficiens ad causandum. Sit igitur finis A, efficiens B, effectum infinitum C. Tunc si A non esset minus bonum ipso B, nec aequale; ergo maius. — Secunda pars *antecedentis* probatur: quod non *aequale*, quia qua ratione aequale moveret, eadem ratione et idem posset movere C, quia aequale amabile et desiderabile, et ita posset esse causa finalis sui. — Ex hoc concluditur: quod nec *minus*. — Item, natura agit propter finem, sicut ars ageret si ageret naturaliter: sed a fine in artibus sumitur principium cognitionis artificialis vel moralis, definito *II Physic.* text. com. 89, principium est verius; ergo finis qui includit illam veritatem virtualiter est perfectior.

Obiicies: aliqua voluntas causat aliquid propter *minus bonum* amatum; ergo ibi finis est *excessus.* — *Antecedens* patet in omni actu bono ex genere, et malo ex fine, quia ordinatur ab agente ad finem inferiorem se. — *Respondeo:* conclusio procedit de fine *ex natura rei*, qualis est semper finis naturae et finis voluntatis ordinatae. — Sed nec *instantia* de voluntate inordinata destruit conclusionem, quia talis non est prima causa effectus; ergo si a tali aliquid fieret non propter perfectiorem finem, tamen fieret ab aliqua causa superiori ordinata ad finem superiorem vel perfectiorem, quia alias non esset ordinata, ut probatio conclusionis ostendit. Et si ut a superiore producitur habet finem perfectiorem; ergo habet aliquem perfectiorem. Ergo *omne finitum est excessum* ab aliquo fine suo, licet non a proximo, propter quem amatum agens proximum inordinatum causat ipsum. — Posset etiam dici, quod finis ille esset finis eius *secundum quid.* Hoc non placet, quia efficientia causae inferioris est efficientia simpliciter; ergo si non efficit praecise ut motum, sicut baculus, cuius non est finis proprius, quia non est agens proprie, sed quasi effectum propinquius, si, inquam, non sic efficit, finis eius est finis *simpliciter*, quia omnis per se efficientis est aliquis per se finis. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 11.

Finitum quod non est non est effectum. — *Quod non est finitum non est effectum.* Probatur *primo* sic: quia quod non est ab aliqua causa efficiente non est effectum: quod non est ad finem non est a causa per se efficiente; ergo, etc. — *Maior* probatur: quia in nullo genere *per accidens* est primum, quod Aristoteles satis exprimit *II. Physic. text. c. 66. et circiter*, ubi *casu* et *fortuna*, tamquam causis *per accidens*,

(1) Vid. *Effectivum aliquod datur simpliciter primum.*

(2) Vid. *Effectivum primum actu existit.*

priores ponit necessario *naturam* et *intellectum*, tamquam causas *per se* in illo genere causae: quod autem non est a priori non est a posteriori. Et loquor de his quae solum sunt proprie effectibilia. Patet ergo *maior*. — *Minor* sic probatur: agens per se omne agit propter finem, quia nullum frustra; quod Aristoteles *II. Physic. text. c. 49. 61. et 75.*, determinat de *natura*, de qua minus videtur, quod agat propter finem, quam *ars;* ergo tale nihil efficit nisi propter finem.

Probatur conclusio principalis *secundo* sic: finis est prima causa in causando, et ideo ipsum dicit Avicenna causam causarum. Quod etiam probatur ratione: quia enim finis movet metaphorice ut amatus, ideo efficiens efficit formam in materia: non autem movet finis ut amatus quia aliqua causa causat; est ergo finis prima causa essentialiter in causando. — Hoc etiam sic probatur: Aristoteles, *V. Metaphysic. text. c. 2.*, finem esse causam ostendit, quia per ipsum respondetur ad quaestionem factam *propter quid?*, quae quaestio quaerit causam; ergo cum per ipsum, scilicet, finem, detur primum *propter quid,* ipse erit prima causa. — *Assumptum* probatur: quaesito enim *quare efficit?* respondetur: *quià amat vel intendit finem,* et non e converso. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 2. — Vid. *Finis est causa causarum.*

Foecunditas Patris exhauritur in unius Filii generatione. — In Deo *tota fecunditas* ordinata ad Filii generationem *exhauritur in unius Filii generatione.* — Verbum illud *exhauritur,* si proprie accipiatur in corporalibus, denotat nihil illius quod exhauritur remanere in illo in quo praefuit, ut patet de aqua in puteo. — Isto modo non potest intelligi in proposito; quia fecunditas non exhauritur sic per productionem Filii, quin tota ipsa eadem semper maneat in Patre. Ergo oportet, quod secundum alteram similitudinem intelligatur: ut videlicet dicatur *exhauriri* pro quanto, quod non manet in Patre *ad alium actum* productionis vel generationis alterius Filii: sicut si non maneret aqua in fonte quantum ad *alium actum potationis,* posset aliquo modo dici *exhausta* per actum potationis. — *Quodlib.* q. 2. n. 13. — *Report.* I. d. 2. q. 7. n. 2.

Foribus (in) quis delinquit? — Dicimus proverbialiter: *in foribus quis delinquet?* Id est, sicut dicimus communiter, quod in ianuis domorum nullus errat, licet enim interiora domus possunt ignorari, tamen circa introitum nullus errat, similiter in cognitione veritatis sunt aliqua per se nota, circa quae nullus errat, * ut * sunt prima principia, puta, *non contingit idem esse et non esse*, et *omne totum est maius sua parte.* Circa conclusiones autem, ad quas per talia principia, quasi per ianuam pervenitur, contingit errare. Notandum, quod haec quae in notitia veritatis se habent ut *fores* in domo sunt principia *complexa,* quae secundum complexionem sunt sicut locus ianuae, quem nullus ignorat. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. s. un. c. 1. n. 3. — Vid. *Principia prima sunt omnibus nota.*

Forma communicat materiae actualitatem, actum essendi et operationem. — Oportet videre quid est dicendum, et in quo sensu verificatur: *forma communicat materiae suam actualitatem, et suum actum essendi, et suum operationem.*

Circa quod est sciendum, quod secundum Philosophum, circa principium II. *De Anima. text. 5.*, *duplex* est actus a forma, et in eo cuius est forma, scilicet, *primus* et *secundus;* quos actus omnis forma, tam substantialis quam accidentalis, communicat suae *materiae* et toti *composito.*

Est autem advertendum, quod *difformiter* communicat istos actus forma substantialis, secundum quod *in diversis gradibus*, vel ut secundum quod est *magis* vel *minus perfecta,* ut iam dicam. — Eadem forma substantialis *aliter* communicat actum *primum,* et *secundum,* quia impossibile est formam esse in materia, quin communicet actum *primum;* non tamen semper oportet de *secundo,* non enim animal *semper sentit,* utpote dum dormit; et hoc patet ex *II. De Anima.* — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 53.

Ad cuius evidentiam est sciendum quod nulla forma substantialis vel accidentalis,

inquantum *forma*, communicat actum, nec primum, nec secundum materiae, sed inquantum *facit unum secum*, et *sibi unitur;* quia non unitur forma materiae, nec accidens subiecto, nisi quia inhaerent, ideo nec unum faciunt, nec actualitatem communicant, nisi per actualitatem inhaereant. — *Ib.* n. 46. — (Nn. vero 54 seqq. copiose explicat quando formae substantiales difformiter communicant actum *primum* et *secundum*, etc.). — Cf. *Oxon.* I. d. 7. n. 18. — IV. d. 13. q. 1. n. 38.

Forma determinans ad agendum magis debet poni in principali agente quam in instrumento. — Posset concedi de instrumento *extrinseco*, non autem de *intriseco*, quod est idem operanti; sic ipsemet operans dicitur instrumentum, inquantum habet rationem determinatam operativam; quia illo modo accipiendo instrumentum, forma determinans actionem debet poni in instrumento: non autem in principali agente ut distinguitur ab instrumento debet poni nisi forma recipiens actionem. — *Oxon.* II. d. 26. n. 7. -- *Report.* ib. n. 8.

Forma eiusdem rationis est materiae eiusdem rationis. — *Materia*, secundum Philosophum, *I. Physicor.* et *V. Metaph.*, est *ex qua fit res cum insit* (1). Additur *cum insit*, ad differentiam *oppositi*, ex quo transmutato et corrupto fit res; non autem *inest* rei factae. — Si ergo accipit, quod forma eiusdem rationis est materiae eiusdem rationis, proprie loquendo de *materia*, quae est pars rei *inexistens*, concedo. Sed si accipiat *materiam* pro *opposito*, ex quo corrupto generatur oppositum, nego. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 29.

Forma eiusdem rationis est principium operationis eiusdem rationis. — Ista differunt: *Forma eiusdem rationis est principium actionis eiusdem rationis;* et *forma in quolibet eiusdem rationis est principium actionis eiusdem rationis.* Prima propositio est vera, nisi forma sit imperfecta, cum conveniat formae secundum se. Secunda autem propositio sequitur ex prima in creaturis, quia non est alia forma unius rationis, nisi tantum in uno supposito, et non in duobus, et ideo est in supposito ut est conveniens actioni. Sed posito, per impossibile, quod aliqua una forma esset in pluribus suppositis in creaturis, ita quod esset adaequate communicata uni ab alio eadem numero, tunc esset falsa in creaturis illa propositio secunda: ut si calor qui est in igne esset communicatus ligno adaequate, hoc est, quod calor determinaretur ad hanc calefactionem, impossibile esset hoc lignum habens istum calorem calefacere, quia non prima calefactione, cum eius sit terminus, et producatur per illam calefactionem; nec alia calefactione, quia positum est, quod illi calori adaequata sit haec calefactio, id est, quod determinetur ex se ad hanc calefactionem. Sic enim intelligo principium producendi adaequate alicui productioni, quando determinatur ad illam: non quia potentia sua sit exhausta per illam, nec habeat terminum semper distinctum. — Ex hoc igitur patet, quod quando aliqua forma est in diversis suppositis ordine quodam, ita quod unum eorum communicat eam adaequate alteri, illud suppositum cui adaequate communicatur sic non potest per illam formam agere, nec producere. — *Report.* I. d. 7. q. 2. n. 3.

Forma eiusdem speciei non numeratur nisi per materiam. — * Haec * propositio est falsa: imo ubi forma distinguitur in materia et cum materia, materia non est ratio principalis huius distinctionis; quia in quacumque distinctione illud est ratio principalis distinguendi *hoc*, quod est ratio principalis *essendi* in illo esse. — *Oxon.* I. d. 31. n. 11. — Licet enim alia forma sit in alia materia, non tamen propter alietatem materiae est alia forma. — *Ib.* II. d. 3. q. 4. n. 15. — Habetur * igitur *, quod non est omnino necessarium, hoc est, cuius oppositum includit contradictionem, quod *forma eiusdem rationis non potest plurificari sine materia;* et licet habeat aptitudinem ad materiam, tamen prius natura habet plurificationem; ergo prima ratio plurificationis non est materialitas generaliter. — Et quod immaterialitas non sit prima ratio formae eiusdem rationis essendi *hanc*, nec materia-

(1) Vid. Distinctiones: *Materia*.

litas prima ratio plurificationis in forma, probatur: quia quo aliquid est in actu extra causam et intellectum, eo est *hoc* primo, quia sic esse non competit nisi *huic;* imo *universalitas* sive *non hoc* non potest alicui competere nisi in intellectu. Nunc autem quaecumque entitas, praecipue absoluta, *seipsa* primo est in suo esse, quia seipsa primo recedit a *non esse* ad *esse;* quia licet multa concurrant ad suum esse, sicut materia ad esse formae et forma ad esse materiae, tamen nullum concurrens est sibi primo ratio essendi in suo esse; ergo seipsa primo est *haec.* — *Quodlib.* q. 2. n. 6. — * Quia * quaelibet forma seipsa est *talis* forma, nec est alia ratio intrinseca, quare est talis forma. — *Oxon.* I. d. 26. n. 42.

Forma est finis materiae. — Ex *II. Physic.;* et ideo distinctio materiae est propter distinctionem formae, et non e contrario. — *Oxon.* II. d. 1. q. 5. n. 2. — *Physic.* II. exposit. text. 23. n. 16.

Forma est magis ens quam compositum. * (Philos. *VII. Metaph.* text. 7) *. — Non intelligitur *magis* secundum *perfectionem,* sed secundum *principalitatem* et *independentiam;* quia esse principii principalioris est *indipendens* respectu principiati et respectu principii minus principalis. — *Quodlib.* q. 9. n. 14. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 1. n. 13.

Forma est principium essendi et distinguendi. — *Theor.* XXI. concl. 8. — Illud est principium *essendi* rebus cuius distinctio et variatio facit distinctionem in *esse* rerum, quia eadem sunt principia *essendi* et *distinguendi:* sed forma est huiusmodi; ergo, etc. — *Maior* est per se evidens; et ideo circa probationem *minoris* insistit * Aristoteles * — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VIII. S. un. c. 2. n. 6. — *Differentia* sumitur a *forma;* et ideo quod hic dicitur de *differentiis,* scilicet, quod sunt *principia distinguendi* et *essendi,* intelligendum est de *formis.* — *Ib.* n. 8.

Formae sunt ordinatae inter se. — Immediatio formae ad materiam est duplex: vel quantum ad *perfici,* vel quantum ad *transmutari.* — *Primo modo* dico, quod forma substantialis *immediate* recipitur in materia quacumque indifferenter, ita quod immediate. — *Secundo modo* non immediate; quia *ordo est formarum inter se,* ita quod aliquae sint priores, aliquae posteriores; ita quod materia non immediate transmutatur a quacumque forma ad aliam, sed ordine quodam: ut immediate post formam *vini* ad formam *aceti,* non e contra. Sic post formam *seminis* est forma *sanguinis,* deinde *corporis,* deinde *hominis.* Nulla tamen istarum est medium in *perficiendo,* sed tantum *transmutando;* ita quod infima forma primo perficit, deinde sibi immediatiorem, et sic usque ad formam perfectissimam, si sint plures formae substantiales in tali composito; ultima tamen aeque immediate perficit sicut prima. — *Report.* II. d. 15. n. 9. — *Oxon.* ib. n. 10.

Formae sunt sicut numeri. — Determinat nunc Philosophus de *forma* per comparationem ad *numeros.* — Et nota, quod hic Philosophus loquitur de *forma* prout dicitur de *substantia* et de *quidditate* rei expressa per definitionem, quae est forma totius, quam Plato posuit simplicem et a sensibilibus separatam. Circa quod quatuor facit, secundum quod comparat *quidditates* rerum ad numeros secundum *quatuor convenientias:* quarum *prima* sumitur penes *formam* et numeri *divisibilitatem:* secunda penes eorum *immutabilitatem:* tertia penes eorum *per se unitatem:* quarta penes eorum *invariabilitatem.*

* Circa *primam* * notandum, quod duplex est *numerus* (1), ut potest haberi IV. *Physicorum. c. de tempore,* scilicet, numerus *quo numeramus,* id est, numerus simpliciter et absolute sumptus, qui hic nominatur *numerus unitatum.* — Alius numerus est applicatus ad res, qui potest dici *numerus rerum,* puta, numerus *decem lapidum,* vel *hominum.* — Quidditates ergo rerum si aliqualiter sunt numeri, non erunt numeri *unitatum,* sed *rerum,* quatenus definitio indicans quidditatem rei est divisibilis in duo, quorum unum est ut *materia,* et aliud est ut *forma.* Et ista divisio *definitionis* assimilatur divisioni *numeri;* nam

---

(1) Vid. Distinctiones: *Numerus duplex.*

sicut divisio numeri non procedit in infinitum, sed stat ad aliqua indivisibilia, puta ad *unitates*, sic et divisio definitionis, nam definitiones non procedunt in infinitum. *Exemplum:* ut si definitio hominis dividatur in aliqua duo, puta in *animal* et *rationale*, sicut *a* et *b*, et iterum *a* dividatur in *c* et *d*, stabitur aliquando ad aliqua indivisibilia; nam in causis materialibus vel formalibus non contingit procedere in infinitum, ex *II. huius, text. c. 5. et inde*, propter quod divisio *hominis* assimilatur divisioni numeri, et non divisioni *continui*, quod potest procedere in infinitum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un. c. 4. n. 22.

* Circa *secundam* * notandum, hanc convenientiam, in hoc stare, quod sicut est in numero, quod quantumcumque magna vel parva pars numeri addatur, vel subtrahatur a numero, statim variatur species numeri, patet enim quod addita *unitate*, quae est minimum in numero ipsi *ternario*, statim fit *quaternarius*, et sublata fit *binarius*, quae sunt aliae species a numero ternario, sicut, inquam, est in *numero*, sic est in *quidditate* et definitione rerum. *Exemplum:* substantia animata sensibilis est quidditas, sive definitio hominis * (animalis?) *; si vero subtrahatur ly *sensibile*, statim constituitur quidditas sive definitio *plantae*. Ex quo patet quod quidditas specifica rei in indivisibili consistit. — *Ib.* n. 23.

* Circa *tertiam* * notandum, hanc convenientiam stare in hoc, quod sicut est numerus *per se unus*, et non est unus sicut *acervus*, sic et *quidditas* rei sive definitio est *per se una*, sicut ostensum est *VII. huius cap. de Unitate definitionis, text. c. 42, et inde*, ex eo, scilicet, quia differentia comparatur ad genus ut actus proprius ad proprium perfectibile et potentiam. — *Ib.* n. 24.

Ponit * Aristot. * *quartam* convenientiam dicens, quod *quemadmodum numerus nec habet magis nec minus, sic nec substantia secundum speciem*, id est, natura sive quidditas specifica; sed substantia habet magis et minus *quae cum materia*. Vult dicere, quod licet natura *specifica ut sic* nec suscipiat magis aut minus, tamen *cum materia*, id est, contracta ad esse individuale et materiale, potest suscipere magis et minus.

Ex dictis patet, quod istae similitudines non intelliguntur de forma quae est *pars*, sed de forma *totali*, quae est *essentia* rei; quia hoc probant omnes similitudines; non enim *forma partis* resolvitur in divisibilia, nec definitur, nec ei aliquid additur inquantum forma, quia respectu additi fieret materia, quoad *secundam;* nec unitas formae est ab aliquo alio ab ipsa, sicut unitas numeri est ab aliquo alio praeter unitates, quoad *tertiam;* nec valet dicere, quod forma non recipit magis secundum speciem, id est, secundum formam, quoad *quartam* similitudinem. — *Ib.* n. 25.

VIII. Metaph. text. 20. 21. 41. *formae comparantur numeris.* — Dico, quod Philosophus ibi loquitur de *quidditate*, non ut distinguitur contra *materiam*, quia quidditas substantiae materialis includit materiam sicut formam; et ipse ibi intelligit, quod differentia formalis est quidditativa, et hoc loquendo ut abstrahitur. — *Report.* II. d. 3. q. 1. n. 9.

VIII. Metaph. formae comparantur numeris, in quibus quodcumque additum vel subtractum variat speciem; ita in formis. — *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 1. in argum. — Dico, quod Philosophus loquitur in *VIII. Metaph.* de *forma* prout indicat *quidditatem;* quod apparet ex prima comparatione *formarum* ad *numeros*. Dicit enim: *si enim sunt aliqualiter numeri substantiae, sic sunt, nam definitio numerus quidam divisibilis est, etiam in indivisibilia, non enim infinitae rationes, et numerus autem tale;* hoc est, resolutio definitionum sic stat ad indivisibile sicut resolutio numerorum ad indivisibile. Et talis definitio est eius quod vocat *substantiam*, hoc est, *quidditatis*, non *formae*, quae est altera pars eius. — Hoc autem modo dico, quod nihil additur formae, quin variet speciem: vel *simpliciter*, hoc est, de una specie aliam facit contrariam vel disparatam: vel *secundum quid*, hoc est, de non tali specie faciet talem speciem: puta, si

addatur differentia pertinens ad esse quidditativum generi, faciet speciem specialissimam, et non praefuit talis species specialissima, sed tantum praefuit species intermedia. — Et hoc modo dico, quod quidquid est circa naturam in inferioribus nihil addit formae, sive sit proprietas individualis, sive magis vel minus, vel quodcumque aliud quod non respicit naturam et est in suo esse quidditativo non aufert nec addit aliquid substantiae hoc modo. — *Exemplum* huius esset si *unitas* inquantum pars *ternarii* esset pars praecise inquantum differentia numeralis vel individualis, et tamen ipsa posset in se intendi vel remitti; ista differentia esset eius *per se* et *per accidens* inquantum est pars *ternarii*, ideo non esset alius ternarius unitate intensa et remissa. — Quando ergo dicis, quod quaecumque *distinctio formarum est sicut distinctio numeri*, falsum est, nisi sit eorum secundum esse formale quod pertinet ad quidditatem per se. — *Oxon.* II. d. 3. q. 7. n. 8.

VIII. Metaph.: Formae sunt sicut numeri: quoad hoc, quod sicut numerus quilibet additus numero numerum *variat*, ita quilibet gradus in forma additus variat *speciem;* ergo in essentia huius formae non potest addi aliquid manente eadem specie. — *Oxon.* I. d. 17. q. 5. n. 1. in *argum. ad oppositum.* — * Hoc argumentum * de *numeris* procedit ex defectu intellectus Philosophi. Comparat quidem ibi quidditates ad numeros, inquantum sunt definibiles, eo modo quo Plato loquebatur de quidditatibus, ponendo quidditates separatas. Substantiae quidem hoc modo acceptae, id est, quidditates rerum, comparantur *numeris* secundum quatuor proprietates. Quarum una est ista: quod quodlibet *additum variat speciem.* Et intelligo sic: quod de una specie faciat aliam, vel de non specie faciat speciem; quaelibet enim differentia addita definitioni, ut indicat quidditatem rei, aut speciem aliam a praeexistente constituit, aut si praeexistens fuerit ratio generis, determinat in rationem speciei, quae non habebatur ante addictionem differentiae. — *Exemplum* de intellectiva anima addita sensitivae.

Dico igitur, quod additum quidditati acceptae secundum rationem quidditatis alterat speciem, altero dictorum modorum, sub quo additur quidditati, non ut quidditas est, non mutat. Gradus autem individualis quicumque, sicut et differentia individualis contrahens ad esse *hoc* sive unitas vel pluralitas individualis, et breviter quaecumque conditio individualis addita naturae specificae, non additur sibi quantum ad rationem quidditativam, ita quod secundum istam rationem determinet eam, et propter hoc non mutat speciem quidditatis cui additur; nihil enim potest neque aliquam speciem praeexistentem mutare in aliam speciem, neque de non specie in aliquam speciem, nisi in ipsum additum sit ratio speciei; et tale non est aliqua conditio individualis. — *Oxon.* I. d. 17. q. 5. n. 7.

Ad formam tunc *auctoritatis* dico, quod si adderet aliquid quod esset pars quidditativa quidditati praeexistenti, mutaret speciem: sicut si addatur aliquid quod est pars numeri numero praeexistenti, mutatur species numeri. Si addatur aliquid, quod non est natum esse pars numeri, puta, aliquod accidens, puta, si intelligeretur una unitas ternarii intensior fieri quam prius fuit in se, non mutaretur species. — *Ib.* n. 8.

VIII. Metaph: Formae se habent sicut numeri. — Intentio Philosophi est de speciebus *subalternis.* Patet ex prima proprietate numeri, ubi vult, quod sicut numerus stat ad indivisibilia, ita resolutio definitionum stat ad indivisibilia; igitur quidditates istae sunt ordinatae in universo, sicut *numeri* sunt ordinati resolubiles in unitatem. Loquitur ergo de speciebus *subalternis.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 17. — *Report.* ib. q. 2. n. 12. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. q. 13. n. 15. — l. VIII. q. 3. — Vid. *Essentiae sunt sicut numeri.* = *Species sunt sicut numeri.*

Forma magis assimilat et distinguit quam materia. — Illa forma est principium actionis quae est tale principium assimilandi sibi passum: non tantum realiter, ut in actione reali, quae est in contrarium, sed in actione intentionali quae est in sensu. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 17. — Vid. continuat. in

Generans generat aliud propter materiam.

Formam habens nobiliorem non est natum recipere minus nobilem. — *Habens formam nobiliorem non est natum recipere formam minus nobilem.* — Dico, quod forma eiusdem speciei non potest simul haberi intensius et remissius; nec duae formae, ut contraria et media, possunt simul esse in eodem. Sed tamen duae formae *disparatae* bene possunt simul esse, et etiam eiusdem generis remoti, sicut *calor* et *color*, quarum tamen una est nobilior altera. — Non est igitur impossibilitas formarum in eodem, quia una est *eminentior* altera, vel eminenter sive virtualiter ipsius contentiva; sed ex aliqua ratione speciali, puta, propter contrarietatem, vel unitatem specificam, vel aliquam aliam talem. — *Antecedens* igitur universaliter sumptum falsum est. Et licet in multis singularibus videatur esse verum, tamen hoc non est ratione *nobilioris formae* vel *nobilioris modi* habendi formam, et *minus nobilis*, sed ex aliqua ratione speciali. — *Quodlib.* q. 15. n. 24. — Tunc ergo, illa propositio est neganda: ubi est forma perfectior, ibi non potest multiplicari aliqua imperfectior, sive species quae sit forma imperfectior. — *Oxon.* II. d. 13. n. 7.

Forma non advenit formae. — In eodem genere *non advenit forma formae*, nisi ut perfectius constituat in illo genere: in alio autem quidquid advenit, scilicet, ut accidens, imperfectius est quacumque praesupposita forma substantiali. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 44.

Forma non producitur nisi quia compositum producitur. — Verum est de forma quae non producitur alia productione quam productione totius. Quando autem forma producitur productione quae saltem ordine naturae praecedit unionem sui cum materia, non est verum. — *Oxon.* II. d. 17. q. 1. n. 5. — Forma enim quae producitur in esse non nisi productione *totius* non produducitur nisi *per accidens*, quia non nisi productione *totius;* nec etiam est nisi *per accidens*, loquendo de entitate *per se* quae competit *composito*. Patet *VII. Metaph.* Forma ergo quae potest *per se* esse producitur productione propria, vel potest sic produci. — *Ib.* n. 3. — *Report.* ib.

Forma omnis denominat subiectum in quo est. — Quia in quocumque eadem forma habet idem esse, videtur eodem modo posse appellari ab illa; quia enim *talis* forma est et in *tali*, ideo *tale* appellatur ab ipsa. Quod enim forma sit in aliquo, et tamen quod non possit denominari ab ea, ut dicatur *habens formam*, contradictio est; quia non differunt concretum et abstractum formae nisi in sola denominatione subiecti. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 6. — * Ideo * hoc videtur omnino irrationale: quod aliqua forma sit in aliquo subiecto, et tamen subiectum non posset dici tale quale natum est constitui per illam formam. — *Ib.* n. 8.

Ista autem forma in aliquo aliquando est *inhaerens* ut qualitas: aliquando se habet per modum formae *ab extra* denominantis, sicut est de genere *habitus*, vel ad modum illius; et utroque modo potest fieri denominatio. — *Ib.* d. 32. q. 2. n. 5. — Cf. ib. IV. d. 12. q. 3. n. 35.

Ubicumque ergo est aliqua forma, oportet dare praedicationem formalem de toto, quae est *per se primo modo* (1); etiam in creaturis oportet dare communiter praedicationem quae sit proprie denominativa formae susceptivae. — * Igitur * cum dicitur: *omnis forma potest denominare illud in quo est*, extendendo *denominationem* ad praedicationem denominativam *essentialem* in *concreto*, sicut *homo est animatus*, et ad denominationem *proprie dictam*, sicut *homo est risibilis*, vel *lignum est album*, vel *homo intelligit*, concedi potest, quod omnis forma aliquo istorum modorum denominat illud in quo est, quia ad minus de *composito* praedicatur in *concreto*, licet illud sit *extendendo* denominationem. — Sed si tu accipias *de illo in quo est* ut in *susceptivo*, *praedicatum praedicatur proprie denominative*, negandum est, nisi illud susceptivum sit *limitatum*, vel nisi praedicatio illa denominativa importet subiectum

---

(1) Vid. Distinctiones: *Praedicatio formalis — Praedicatio per se primo modo.*

esse proprium et distinctum ab opposito. — *Quodlib.* q. 3. n. 14. — Cf. *Oxon.* I. d. 8. q. 4. n. 22. — d. 12. q. 1. n. 16.

Forma per se non generatur. — Quia non est *divisibilis*, sed fit *ex alio;* et compositum per se * generatur *. — Secundum Philosophum, *VII. Metaph., forma per se non generatur, sed compositum,* tam in generatione *substantiali,* quam *secundum quid.* — Et sua ratio est, quia omne quod fit fit ex *materia* tamquam ex eo quod est pars ipsius quod fit; cum igitur materia non sit pars nisi *compositi,* generatio per se solius erit *compositi.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 33. — * Seu * si forma per se fit, ergo erit processus infinitus in materiis et formis; quia omne quod fit fit ex aliquo ut ex materia; si igitur forma fiet, fiet ex materia, et per consequens erit composita ex materia et forma; et tunc quaereretur iterum de forma formae, et sic in infinitum, cum omne generatum habeat materiam et formam. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. s. 2. c. 7. n. 60. — l. X. s. 1. c. 3. n. 8. — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 3. — Cf. *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 5. — IV. d. 12. q. 1. n. 22. — *Rep.* I. d. 3. q. 6. n. 9. — Vid. *Compositum per se generatur.*

Forma prior materia et composito. — Forma est simpliciter prior composito, secundum probationem Aristotelis, *VII. Metaph.* c. 2. — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 6. — Dicit ergo, quod *si species,* id est, forma, *est prior materia, et magis ens,* sequitur propter eamdem rationem, quod *erit prior ipso quod est ex utrisque,* id est, composito. — Ratio huius est, quia materia est prior composito, sicut principium principiato: si igitur forma est prior materia, sequitur, quod sit prior composito; quia *quidquid est prius priore est prius posteriore.* — Et est alia ratio, quatenus compositum includit materiam; et ratione huius potest dici forma prior. Ideo dicit Aristoteles, quod *propter eamdem rationem* forma est prior composito, propter quam, scilicet, est prior materia. Dicitur autem forma magis ens et prior quam materia, non prioritate generationis, sed *perfectionis:* quia etiam ipsa existit per formam communicantem sibi esse. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. s. 2. c. 1. n. 13.

Dicendum * ergo *, quod *forma,* per quam materia et compositum est simpliciter in actu, *est prior materia et composito.* — Quod probatur: quia forma est actus materiae tamquam actuatae per formam; compositum vero inquantum compositum est actu per illam tamquam per partem essentialem; ergo est prior utroque. — De necessitate est * igitur * dare aliquod esse formae per se, per quod esse eius per se sit prior composito: illud non est esse *existentiae,* quo compositum est per se ens, quia illo forma est per accidens, sicut *pars* per esse *totius;* sed est proprium esse formae, tam quidditativum quam existentiae; et esse illud est esse quo aliquid existit, et secundum illud esse *praecedit* compositum; et illud esse est simpliciter nobilius esse compositi. — Tunc *forma* est ens *per accidens.* — Verum est de entitate quae est per se *compositi,* quia forma existit per compositum. Tamen est *ens per se* secundum proprium esse. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 6. n. 2. — Vid. *Materia prior forma.*

Forma quanto nobilior, tanto paucioribus indiget. — Quanto forma seu gradus suae essentiae est nobilior, tanto paucioribus indiget ad agendum; et e contrario, ut patet in sensitiva et intellectiva, ut sunt in corpore, quia sentitiva indiget organo, non intellectiva. — *De Rer. Princ.* q. 11. n. 13.

Forma simplex subiectum esse non potest. — Potest dici, quod Boetius loquitur de forma quae est *pura forma,* id est, purus actus, sicut applicat ibi Deo. — Et verum est, quod forma quae non est nata perficere aliquod potentiale non est nata recipere accidens; et ita est de essentia divina. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 5. n. 5. — *Ad Boetium* dico, quod loquitur ibi de subiecto *accidentis,* et non de subiecto *considerationis.* — *Ib.* Prol. q. 3. (2 later.) n. 18. — Et Boetius vult, quod nulla forma potest esse subiectum *accidentis;* quia forma dicitur *in quid* de quocumque alio; et si *humanitas* sit subiectum, hoc non convenit ei inquantum est *forma; humanitas* quidem non est forma alterius *partis* compositi, ut *for-*

mae vel *materiae*, sed *totius compositi* habentis quidditatem contractam, sive in quo est quidditas contracta. — *Ib.* II. d. 3. q. 6. n. 13.

Forma substantialis dat esse simpliciter. — Distinguo de *dare esse* simpliciter, distinguendo *non ens simpliciter:* quia aut *simpliciter* accipitur pro *universaliter*, et tunc *non ens simpliciter* est purum nihil, et sic ex *non ente simpliciter* non potest aliquid fieri; et isti *non enti* oppositum est quodcumque ens, quamtumcumque minimum habeat de entitate. — Alio modo accipitur *ens simpliciter* prout distinguitur contra *ens secundum quid;* et tunc *ens simpliciter* est *substantia, ens secundum quid* est *accidens.* Et patet quid est *non ens simpliciter* oppositum isti.

Sic dico in proposito, quod *forma substantialis dat esse simpliciter:* non quidem esse *primum*, quod, scilicet, immediate sequitur *non esse simpliciter;* sed dat *esse simpliciter* ut distinguitur contra *esse secundum quid.* — *Primum* patet: quia si accidens primo adveniret materiae, et si daret sibi primum esse formale, non tamen daret sibi *esse simpliciter*, sed *secundum quid*, quia non est actus nisi *secundum quid.* Nulla etiam forma substantialis materialis est quae det *esse simpliciter* materiae; et hoc si tenetur *esse simpliciter*, id est, omne recedens *a non esse.* — Non ergo sola forma substantialis dat esse simpliciter, id est, *universaliter*, nec etiam simpliciter, id est, *primum.*

Sed accipiendo *esse simpliciter* secundo modo, prout dividitur contra *secundum quid*, dico, quod sicut *ens* dividitur in *prius* et *posterius*, vel *primum* et *secundum*, et prius continet sub se substantiam, et posterius accidens, ita *simpliciter* in isto intellectu aequivalet ei quod est *primum naturaliter;* et isto modo omne *accidens* dat *esse secundum quid.*

Dico ergo, quod forma *substantialis*, sive adveniat alicui iam habenti esse, sive non, dat *esse simpliciter* hoc secundo modo, sed non primo: sicut forma *accidentalis*, cuicumque adveniat, dat esse non simpliciter, sed *secundum quid.*

Et si quaeras: unde potest probari, quod haec forma dat *esse simpliciter*, illa non, si de ratione neutrius est dare illud esse quod immediate recedit a *non esse?* Respondeo: aut tu quaeris de re *in se*, aut in *comparatione ad cognitionem nostram.* — Si *in se*, nulla causa est quare ista dat esse *simpliciter*, et illa *secundum quid*, nisi quia haec est forma *substantialis*, et illa *accidentalis.* Sicut enim nulla est causa quare calidum calefacit, quia immediata est, et inter causam immediatam et effectum non est alia causa media, ita in genere causae formalis haec est immediata, *calor constituit calidum*, et *anima hominem;* et est immediatio formae ad actum formalem. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 43.

Si autem quaeras in *comparatione ad cognitionem nostram*, respondeo: Philosophi distinxerunt inter formam *substantialem* et *accidentalem a posteriori*, utpote per ista media: *habere contrarium, et non habere; recipere magis et minus*, et *non recipere:* secundum eam *posse esse notum*, et *non esse*, et huiusmodi. Sed ad rem breviter dico, unum esse medium per quod manifestius distinguitur, quantum ad cognitionem nostram, quae forma adveniens enti in actu sit *substantialis*, et quae *accidentalis.* Quamdiu enim proceditur in *substantialibus* semper posterior est perfectior prioribus; quando autem venitur ad *accidentales* sequens est imperfectior ultima praeexistente. Quae autem sit perfectior, hoc nobis innotescere non potest nisi *a posteriori.* Et illud est rationabile et in se et in nobis. *In se* quidem, quia in eodem genere non advenit forma formae, nisi ut perfectius constituat in illo genere; in alio autem quidquid advenit, scilicet, ut *accidens*, imperfectius est quacumque praesupposita forma substantiali — *Ib.* n. 44.

Nec mirum si distinguendo hanc formam ab illa secundum intellectum nostrum, oportet uti *posterioribus* hac forma et illa, quia nec alio modo cognoscimus quasi in aliquo formas substantiales nisi a *posterioribus.* — *Ib.* n. 45. — Siquidem forma innotescit ex operatione. — *Ib.* d. 43. q. 2. n. 6.

* Cum itaque dicitur *: *forma substantialis dat esse simpliciter, accidentalis* autem *secundum quid,* aequivocatur de ly *simpliciter;* et quidem pro *primo dare esse* nec *omni,* nec *soli* formae substantiali convenit dare *esse simpliciter;* quin si primo adveniret quantitas materiae, posset dare sibi esse formale *primum,* licet non primum *recedens a non esse;* et forma aliqua substantialis potest advenire *secundo* et *tertio.* Sed distinguendo *esse simpliciter* contra *secundum quid,* sicut *primum naturaliter* contra *secundum naturaliter,* sic *omnis forma substantialis dat esse simpliciter,* et *accidentalis* non simpliciter, sed *secundum quid.*

Non ergo quaeras, si *primo* vel *secundo* adveniat ista forma alicui; sed quandocumque adveniat, talem actum nata est tribuere qualis forma est. — *Ib.* d. 11. q. 3. n. 50.

Forma substantialis non suscipit magis et minus. — Concedo, quod non transmutatur aliqua forma alicuius generis ad *magis* et *minus intra genus;* sed tota forma quae est maior, sive in quantitate, sive in qualitate, ubi non dicit ens *per accidens,* est terminus *a quo;* et tota forma quae est minor est terminus *ad quem,* vel e converso; et tamen in illa tota forma quae est maior potuit esse illa res quae est minor sicut aliquid eius. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 4. n. 11. — Vid. *Substantia non suscipit magis et minus.*

Forma sufficienter elicitiva si per se est, per se agit. — *Omnis forma sufficienter elicitiva alicuius actionis, si per se est, per se agit illa actione. Exemplum:* si calor est sufficiens causa calefactiva, calor separatus calefaceret; albedo etiam per se habet disgregare, et ideo cum per se habet esse, ut in Sacramento altaris, per se habet disgregare. Ergo cum Deitas sit potentia generativa, et constat quod sufficiens, sequitur, quod si per se sit Deitas, per se generabit. Deitas autem prius est *in se* aliquo modo quam intelligatur esse in *persona,* quia Deitas ut Deitas est *per se esse,* ita quod tres Personae ipsa Deitate per se sunt, non e converso. *VII. De Trin. c. 4: Omnis creatura ad se subsistit, quanto magis Deus?* Et infra: *hoc est Deo esse quod subsistere.* Ergo in isto primo signo naturae, in quo intelligitur Deitas *in se,* antequam intelligatur in *Persona,* generabit; et ita Deitas sic considerata distinguetur a genito. — *Oxon.* I. d. 7. n. 2.

* Ad hoc * dico, quod illa propositio habet hic maiorem probabilitatem quam in creaturis; quia ista forma sic *per se* est, quod illi correspondet proprium *quod,* potens agere, puta *hic Deus,* qui quodammodo praecedit relationes et sic agit. Patet quia sic primo intelligit et vult. Igitur videtur, quod posset in omnem actionem, cuius suum *quo* est proprium principium formale; et ita *hic Deus* generat primo. Et ideo illa *maior* de principio *elicitivo* falsa est, quando principium elicitivum, si *per se* existat, non potest esse *propinqua* ratio ad operandum. *Exemplum: species* si ponatur principium elicitivum operationis *videndi* in oculo, si *per se* existeret, non posset esse principium illius operationis. Et ratio esset, quia non posset esse potentia *propinqua* ad agendum, quia non posset habere passum approximatum, quia approximatio requiritur ad rationem potentiae *propinquae.* — Sicut autem *approximatio* requiritur in *creaturis,* vel amotio impedimentorum, ita dicitur in proposito, quod requiritur *suppositum* conveniens ad agendum. Ergo forma quae esset principium actionis in supposito *distincto,* si esset *per se* existens, non esset *suppositum,* nec principium *distinctum,* nec in supposito distincto *convenienti generationi.* Et ex quo illud suppositum requiritur ad potentiam *propinquam* agendi, non poterit talis forma *per se agere.* Essentia autem, si per se existat in aliquo instanti naturae antequam intelligatur esse in *supposito* vel persona, in illo priori non est suppositum agens, in potentia *propinqua* ad agendum; ista enim actio distinctionem requirit aliquorum in ista natura, quae non potest esse nisi *suppositorum;* ergo suppositum conveniens huic actioni est suppositum *distinctum* existens in ista natura: in nullo tali est natura inquantum intelligitur *per se esse,* si *per se* sit aliquo modo antequam in *persona;* et ideo non poterit per se agere ista actione. — *Ib.* n. 22.

* Seu brevius *: *Omnis forma quae est sufficiens principium alicuius actionis, si potest per se esse*, potest *per se agere*. — Dico, quod haec est vera de illa forma quae est principium sufficienter elicitivum actionis, factionis, sive productionis respectu alicuius *distincti*; aliter non. Et hoc oportet addere: quia omnis productio, actio sive factio est respectu alicuius *distincti*; et ideo forma quae est per se principium productionis non potest per se agere, si sit per se, nisi sit respectu alicuius *distincti*. — Sic autem essentia divina non est principium productionis respectu alicuius *distincti ad intra*, nisi ut est in supposito. — *Report*. I. d. 7. q. 1. n. 4.

Fortuna ubi maxima, ibi minimus intellectus. — Vid. DISTINCTIONES: *Fortuna-Casus*. — Cf. *Quodlib*. q. 21. n. 9. seqq.

Frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora. — Generale enim principium est, quod si aliquid potest aeque bene fieri per pauciora sicut per plura, nullo modo talis pluralitas debet poni. — *De Rer. Princ*. q. 11. n. 9. — Cum pluralitas non sit sine ratione cogente ponenda. — *Oxon*. II. d. 16. n. 5· — d. 20. q. 12. n. 5. — d. 26. n. 2. — Quia melius per unum est facere quam per duo, si possit fieri per unum aeque bene. — *Poster*. I. q. 35. n. 2. — Nam quod fieri potest per pauciora et finita non est ponendum fieri per plura et infinita, ut dicitur *I. Physicor*. text. com. 50 et 51. — *Exposit. in Metaph. Aristot*. l. I. S. 2. c. 1. n. 42. — *QQ. Metaph*. l. XII. q. 17. n. 3. — l. I. q. 4. n. 10. — Et ideo positio plurium semper debet dicere necessitatem manifestam, propter quam ponantur tot. — *QQ. Metaph*. l. VIII. q. 1. n. 4. — Dico igitur, quod paucitas est ponenda ubi pluralitas non est necessaria. — *Report*. II. d. 16. n. 14. — Quia omnis pluralitas reducenda est ad tantam paucitatem, quantum est possibile sibi. — *Ib*. I. d. 2. q. 6. n. 6. — Vid. *Pluralitas non est ponenda*, etc.

Fundamentum prius est relatione. — De prioritate *naturae* videtur esse dicendum, quod *fundamentum relationis naturaliter praecedit relationem*; quia, secundum Philosophum et Augustinum, *De Trinitate*, VII. quod nihil est *in se* nihil est *ad aliud*. — *Oxon*. III. d. 2. q. 3. n. 6. — Et secundum esse *actuale* praecedit rationem relationis *actualis*. — *Ib*. d. 6. q. 1. n. 3. — *Report*. ib. n. 7.

G

Gaudium par erit omnium in gloria. — Augustinus, *super Ioan. Homil*. 66, dicit: *Omnium erit par gaudium*. — Dico, quod non est par fruitio, nec par gaudium, nec etiam par amor concupiscentiae, nec etiam par delectatio consequens; licet enim sit de *paribus*, non tamen *pari affectu*. Intelligit ergo Augustinus *extensive*, non *intensive*; quia quilibet gaudebit de quolibet et de omnibus, de quibus alius gaudebit. — *Oxon*. IV. d. 50. q. 6. n. 10.

Generabilium et corruptibilium non est definitio. — De talibus non est proprie definitio, nec scientia; quia talia, dum abstracta sunt a sensibus, nescitur an sint, vel non; sed illorum in absentia est tantum opinio. — *Oxon*. III. d. 22. n. 14. — Vid. DISTINCTIONES: *Definitio = Scientia*.

Generans generat aliud propter materiam. — Ad illud Aristotelis, quod *generans generat aliud propter materiam*, dico, quod intentio Philosophi est ibi, quod ideae non sunt necessariae ad generationem; quia tam *distinctio* gignentis a genito, quam *assimilatio* geniti cum generante (quae duo requiruntur ad generationem *univocam*) possunt haberi sine eis; agens enim particulare ex *forma* sua habet unde *assimilet* sibi passum, et generans genitum; et ex *materia* habet quod sit *distinctum* a genito, non *principaliter*; licet tamen sequatur necessario, quod distinguitur per materiam a genito, quia materiam non suam sed aliam perficit per formam terminantem generationem, sua enim materia iam perfecta est forma, et ex hoc, quod assimilat per formam

perficit aliam materiam, quam suam, et ita sua alia est ab illa, qua privatur forma tali: cuiuscumque autem est alia materia, ex quo materia est pars essentialis rei, ipsum est aliud ab eo. — Dico tunc, quod *assimilationis* vel similitudinis principalis ratio est ipsa *forma* inter generans et genitum; et hoc non secundum unitatem vel identitatem *individualem* inquantum forma *haec*, sed secundum unitatem vel identitatem illam minorem, inquantum *forma est*, et secundum hoc est ratio gignendi. Forma autem est principalior ratio *distinctionis* quam materia; quia sicut forma est illud principalius quo compositum *est* quam materia, ita est principalius quo compositum est *unum*, et per consequens in se indistinctum, et ab alio distinctum; appropriate tamen, distinguendo *assimilativum* contra *distinctivum*, forma est assimilativa, ita quod non materia proprie, quia non est qualitas substantialis, vel accidentalis; materia autem est distinctiva appropriate loquendo, quia necessario ex hoc quod caret forma, distinguitur ab illa materia quae praehabet formam, et ita compositum a composito. — Potest etiam alio modo compositum intelligi *aliud* propter materiam, sicut propter causam alietatis *praeexistentem*. Forma enim geniti, licet sit causa alietatis in composito principalior quam materia, non tamen est causa praeexistens huius alietatis, sed materia, et hoc quia ipsa praeexistit privata, et ideo non potest esse eadem cum materia informata. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 22. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. q. 13. n. 14.

Generatio est solius compositi. — Quia cum omne quod generatur generetur ex *materia*, si materia generetur, generabitur ex *alia materia* et *forma*. Similiter si *forma* nova, quae erit pars eius ad quam generatio terminabitur. Et tunc quaeretur de illa *materia ex qua*, et de *forma formae ad quam* generatio terminetur; et sic esset processus infinitus in materiis et formis. Ideo concludit * *Aristotel.* *, quod *necesse est itaque stare*, id est, devenire, ad ultimam materiam et formam, quae ulterius non generantur. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. XII. S. 1. c. 3. n. 8. — Ad cuius evidentiam est sciendum, quod sicut patet *VIII. Physic. text. 62*, termini generationis per se sunt *esse* et *non esse*, quia generatio est mutatio de *non esse* in *esse*; corruptio e contrario. Sicut ergo convenit alicui esse, sic generari. Sic autem *esse per se*, ut est terminus generationis, est dispositio solius *compositi*; materiae autem et *formae* nonnisi ut sunt in composito. Secundum quod dicit Aristoteles *VII. Metaph. text. 26 et 27*, *Solius compositi est generatio per se*. Et intelligitur hoc de *esse compositi:* quia materia et forma, ut sunt duo distincta principia realia, habent suum *esse* existentiae, quod non habent a generante. Unde si alicui composito acquiritur *esse* per aliquod agens, quamvis ipsum agens non possit super essentiam componentium secundum se productam in *esse*, dummodo possit in ipsa quantum ad *esse* quod habent in composito, nihilominus dicitur illud compositum posse generare. — *De Rer. Princ.* q. 10. n. 9. — *Ib.* q. 9. n. 3. — Generatio cum sit via de *non esse* ad *esse*, illius *per se* est generatio, cuius *per se* est *esse: compositi* autem sive suppositi *per se* est *esse;* ergo etc. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 30. — Cf. ib. II. d. 12. q. 1. nn. 7 et 10. — d. 2. q. 2. n. 7. — Vid. *Compositum per se generatur.* = *Forma per se non generatur.*

Generatio est terminus alterationis. — Non est *intrinsecus* terminus alterationis, sed *extrinsecus*, et alterius generis, et habet proprium terminum priorem secundum genus proprio termino alterationis. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 9.

Generatione (in) ex opposito fit oppositum. — In generatione naturali, secundum Philosophum, *I. De Gener.*, semper aliquid corrumpitur, et aliquid generatur. Sed tunc accipit Philosophus, quod *in generatione ex opposito fit oppositum:* non quod *oppositum* maneat, sed aliquod *commune* utrique termino, quod vult esse *materiam*, quae non potest esse idem cum aliquo oppositorum, quia unum oppositorum non manet cum alio. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 4. — *Report.* ib. n. 2. — Cf. *Physic.* I. qq. 18. 19. 21 et 24. — II. q. 7.

Generatione (in) totum transmutatur in totum. — Illud quod communiter dicitur, quod *in generatione totum transmutatur in totum*, dico, quod in alia transmutatione seu mutatione extra *substantiam*, sicut in *alteratione*, totum non transmutatur in totum, ut lignum calidum in lignum, quia ibi non est vere totum *per se*, quia est tantum totum *per accidens*, et totum *secundum quid*, quod non est aliud nisi *partes*, sicut *acervus lapidum* non est nisi *lapides*; et ideo in alteratione non dicitur mutatio *totius* in *totum*. Sed in *generatione* substantiali, esto quod ibi sunt plures formae, totum est vere unum, et ideo cum ex aqua generatur ignis, aqua, quae est quoddam totum habens partes realiter distinctas, quae vere faciunt unum *per se*, tota transit in ignem, qui est totum vere unum. Sed non sequitur, quod nihil maneat commune, quia primum totum fuit unum totum *per se*, et recedente prima forma, advenit materiae nova forma, quae facit *alium totum per se*; et ideo quia unum totum succedit alteri, ideo dicitur totum conversum esse in totum; manet tamen *subiectum commune*. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 8. — *Oxon.* ib n. 7. — Vid. DISTINCTIONES: *Generatio.*

Generatione priora sunt posteriora perfectione. — Dicit * Philosophus *, quod *posteriora generatione sunt priora specie et substantia*, id est, *perfectione*. — Videtur autem propositio Philosophi esse falsa, quia si sic, ergo *accidens* est *perfectius substantia*, cum sit *posterius generatione*. — *Dicendum*, quod *prius* et *posterius* dupliciter sumi possunt: vel in *eodem* genere, vel in *diverso*. Propositio ergo Philosophi intelligenda est de *priori* et *posteriori* quae sunt in *eodem* genere; sic enim quod est *posterius generatione est prius perfectione*, nam natura procedit ad imperfecto ad perfectum. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IX. s. 2. c. 3. n. 36.

In creaturis ordo *generationis* et ordo *perfectionis* sunt contrarii, sicut patet *IX. Metaph.*, quod illa *quae sunt priora generatione sunt posteriora perfectione*. Et ratio est, quia creaturae procedunt de *potentia* ad *actum*, et ideo de *imperfecto* ad *perfectum*, et ideo prius pervenitur via *generationis* ad *imperfectum* quam ad *perfectum*. — Sed eundo ad *simpliciter Primum*, oportet, quod ipse sit simpliciter primum et *origine* et *perfectione*, etiam secundum Philosophum *ibidem*; quia totus ordo *originis* et *perfectionis* reducitur ad aliquid primum *perfectionis*, sicut ad primum *originis totalis*. In Divinis igitur simul debent intelligi concurrere ordo *generationis* et ordo *perfectionis*. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 16. — IV. d. 49. q. 7. n. 5. — *Report.* I. ib. d. 35. q. 2. n. 4. — *De Primo Princ.* c. 1. n. 2. — Vid. *Posterius generatione est prius perfectione.*

Generationes sunt circa singularia. — Generatio non consequitur primo universale abstractum a singularibus, quia per Aristotelem, *generationes et operationes sunt circa singularia*; sed generatio primo consequitur singulare; consequitur enim naturam in *hoc* et in *illo*. — Sed consequi naturam in *hoc* potest esse dupliciter: *uno modo* quod consequatur naturam in hoc inquantum *hoc est*, et isto modo generatio non consequetur naturam in hoc; quia si consequeretur naturam in hoc inquantum hoc, non consequeretur naturam in *illo*, quia *illud* non est *hoc*; ergo generatio non consequitur naturam in hoc inquantum hoc, ita quod *haecceitas* sit causa *positiva*. — *Alio modo* dicitur consequi naturam in *hoc*, ita quod *haecceitas* sit causa *sine qua non*, et non causa positiva; et isto modo generatio primo consequitur naturam in hoc, hoc est, consequitur naturam quae non est sine hoc; et similiter consequitur naturam in illo, ita quod non sine illo, et utramque primo. Unde per Aristotelem genus primo potest inesse diversis speciebus: ita generatio primo potest inesse diversis individuis, non tamen inquantum distincta sunt hypostatice, sed pro eo quod generatio consequitur primo naturam quae est in hoc, et quae est in illo; et ita generatio quodammodo est universalis: non simpliciter, quia non est ut universale abstractum, quia universale abstractum sic non concipitur inquantum hoc positive, nec sub hoc, sed ita quod *haecceitas* sit causa sine qua non; sed naturae tamen inest primo ge-

neratio contingenter, non inquantum hoc, nec inquantum illud; ideo *secundum quid* est universalis; non tamen contingit sine haecceitate; et ideo *singularis* est *simpliciter*. Exemplum conveniens ad hoc est de visu per Aristotelem, *in fine secundi huius*. Sensus quodammodo est universalis, ut visus respectu coloris, non simpliciter, ut certum est, quia sic sensus esset intellectus, sed est universalis eo modo quod dictum est (1). — Cf. *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 1. n. 11.

Per Aristotelem, *I. Metaph.* c. 1, *Actus et generationès per se sunt circa singularia*, ut Callias sanatur per se. — *Super Univers. Porph.* q. 29. n. 2.

Generationi convenit assimilare et distinguere. — *Distinguere* est prius in generatione quam *assimilare*, id est, *communius*, quia multa distingunt quae non assimilant. Sed *distinguere* non est *perfectius* in generatione quam *assimilare*, quia convenit generationi etiam imperfectissimae, inquantum est a forma ut *haec;* et *assimilare* convenit sibi inquantum est a forma *absolute;* et perfectior est ratio *formae* quam ratio *singularitatis*. — *Oxon.* I. d. 7. n. 24. — *Ib.* n. 12. — Cf. II. d. 3. q. 6. n. 22. — Vid. *Generatum generanti in forma assimilatur*.

Generatio non est violenta. — Respectu nullius formae potest esse generatio violenta in *materia*, quia materia inclinatur naturaliter ad quamlibet formam inducendam in ea; quamvis per comparationem ad *qualitates* quae expelluntur et corrumpuntur, et ad *formam* etiam substantialem quae corrumpitur per accidens, posset dici *violenta*. — *Oxon.* II. d. 18. n. 6. — *Generatio* vero *nulla est violenta* ex parte principii passivi. — *Report.* ib. q. 1. n. 8.

Generatio unius corruptio alterius. — Agens naturale non agit nisi per transmutationem et motum; nec *generat* unum nisi *corrumpendo* aliud; nec *corrumpit* unum nisi *generando* aliud. Propter quod omnes corruptiones et generationes naturales sunt *ex contrariis* et *in contraria*, ut dicitur *I. Physicor.* text. 33. — *De Rer. Princ.* q. 17. n. 4. — * Cum dicitur: * generatio unius corruptio alterius, ut habetur *I. De Generatione*, text. 17 et 20, et *II. Metaph.* 7, concedo, quod *generatio unius est corruptio alterius*, proprie loquendo, et e contra; sed non *quaecumque productio* unius est corruptio alterius; quia totalis productio non est alicuius praeexistentis, nec totalis destructio aliquid post se relinquit; ideo, proprie loquendo, non est dare primam generationem, quin praesupponat partem generati. — *Report.* II. d. 1. q. 4. n. 22. — Ratio huius est istà: quia *generatio* non potest a *corruptione* separari comparando ad agens *naturale*, hoc modo intelligendo: quin quidquid causatum corrumpit simpliciter in fine corruptionis aliquid relinquat, quia non annihilat. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 20. — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 7. n. 4. — d. 12. q. 1. n. 4. — *Quodlib.* q. 12. n. 13. — Vid. *Corructio unius generatio alterius.*

Generatum generanti in forma assimilatur. — Dicendum, quod omne productum a *causa per se* aliquo modo assimilatur generanti. Et dico *aliquo modo*, quia quale est generatum secundum formam, tale est generans secundum *formam* vel *virtutem*. — *QQ. Metaph.* l. XIII. q. 1. n. 2. — Quia generatio et est *distinctiva* et est *assimilativa:* perfectior autem ratio in ea est, quod sit *assimilativa* quam distinctiva. Quod apparet, quia sic est a *forma* sub ratione *formae*, non sub ratione qua *haec:* et ratio *formae* est perfectior in supposito ista differentia *individuali*. * Ideo * perfectius est in generatione, ipsam esse assimilativam. — *Oxon.* I. d. 7. n. 12. — Sed *generatum* principaliter *assimilatur generanti in forma* substantiali; *secundum quid* autem sibi assimilatur in *accidentibus*. — Ib. IV. d. 12. q. 3. n. 12. — Nullum genitum in sua forma *individuali* assimilatur gignenti — *Ib.* I. l. c.

Dicendum * tamen *, quod generatum non semper assimilatur secundum *formam*, ita, scilicet, quod forma generati sit similis formae generantis, sed vel forma similis est formae, vel forma *proportionabilis* est *virtuti*. — Huius ratio est, quia

(1) Excidit locus unde praecedentia sumpta sunt.

generans producit genitum ad actum: sed, secundum Aristotelem, *I. De Generat.* text. 51, agens et patiens in principio sunt contraria, et in fine sunt *similia;* et ideo generat semper simile *aliquo modo* generanti. — Quod tamen non assimiletur in *forma,* defectus non est in agente, sed in eo quod transmutationem suscipit, quia *omne receptum in aliquo est in eo per modum recipientis.* — Si vero causa sit *per accidens,* non oportet, ut generatum aliquo modo assimiletur generanti: ut si fodiens inveniat thesaurum, non oportet inventionem thesauri assimilari fodienti. Similiter est de omnibus quae fiunt a casu et fortuna. — *QQ. Metaph.* ib. n. 3.

Iam ex dictis patet, quod in omni generato * (generante) * oportet quod sit virtus assimilans generatum generanti, ut sic omne generatum sit simile generanti, vel *re, nomine,* vel *virtute,* ut in propagatis universali virtute tantum, sicut sol *virtute* continet omnes formas generabiles. — Et hoc est quod subdit Aristoteles: *Istud* (inquit) *ex quo est semen est conveniens in nomine sicut illa quoquo modo. Non enim oportet quaerere omnia in ista eadem dispositione in qua generatur homo ex homine: mulier enim ex viro est, et ideo mulus non est ex mulo, nisi sicut quidam.* Et est sensus: quod generans et genitum non semper conveniunt in omnibus conditionibus, sicut homo convenit cum homine generante in omnibus; quia naturaliter deficit aliquantulum ab hac convenientia, et mulus plus. Tamen semper generans et generatum conveniunt in *virtute,* quod, scilicet, generans virtute continet formam generati, modo iam dicto. Unde aliter habet generans equum formam equi generati, quia *ratione specifica* et *nomine;* aliter domificator formam domus, quia *virtute,* ratione artis quam habet et continet in mente. Et isto modo sol aliqualiter habet formas omnium generabilium. Ex his patet, quod quamvis *omne generans sit aliquo modo simile generato,* tamen quantum generatum minoris est perfectionis, tanto minus oportet actionem sibi assimilari. Tale autem generans, ut dixi, *virtute* continet formam generati, sicut artifex artificiati, non *rei,* nec *nominis* communicationem.

Alia autem, quae sunt maioris perfectionis, indigent virtute magis determinata, ui, scilicet, non solum virtute, sed *re* et *nomine* agens formam contineat generati, ut cum equus generat equum. — *De Rer. Princ.* q. 10. nn. 33-34.

Generatur (quod) non est in loco. — Notandum, quod ista propositio, *quod generatur non est in loco,* si intelligatur pro *subiecto* generationis, falsa videtur esse; nam si ex aqua generatur ignis, materia *aquae* quae subiicitur generationi est in loco, sicut et ipsa aqua, cum materia non sit separata a forma, nec a magnitudine, ut dicitur *I. De Generatione.* — Dicendum ergo, quod sic est intelligenda: quod subiectum generationis non est in loco per aliquod quod subiicitur generationi, vel per illud quod per generationem acquiritur, quia illa est sola *substantia,* quae de se non habet quod sit in loco, licet concomitetur subiectum generationis quantitas, et respectu eius sit in loco. Non sic est de aliis mutationibus, quae omnes videntur supponere aliquam quantitatem in subiecto, ratione cuius illud quod movetur est in loco, et pro tanto dicitur non esse in loco quod generatur, ut subiectum. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. XI. S. 4. c. 3. n. 97.

Genere (in) latent aequivocationes. — In omni genere est aliqua species, quae perfectius participat naturam generis quam alia; ideo dicit Naturalis, quod *in genere latent aequivocationes, VII. Physi. contex. 31;* sed Logicus ponit genus *univocum,* propter unitatem rationis. — *Super Univers. Porph.* q. 8. n. 3. — Philosophus dicit in *VII. Physic.,* quod *in genere latent aequivocationes,* propter quas non potest fieri comparatio secundum genus; non enim est aequivocatio quantum ad Logicum, qui ponit *diversos conceptus;* sed quantum ad realem Philosophum est aequivocatio, quia non est ibi *unitas naturae.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 17. — Cf. *Physic. VII. exposit.* text. 31. n. 24. — *Super Praedic.* q. 7. n. 3. — *De Rer. Princ.* q. 8. n. 34. — Vid. Distinctiones: *Univocum ratione-re.*

Genere (in) omni est supremum et infimum. — Sicut in quolibet genere est invenire *supremum* in coordinatione illius generis, et omnia media genera et species, ita est invenire aliquod *infimum* per se in illa coordinatione, de quo omnia praedicantur, et ipsum non de alio. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 6.

Genere (in) omni est unum primum et minimum, quod est metrum et mensura aliorum. (*X. Metaph.* c. 2). — In quo genere causae est illud primum? Respondeo: in genere causae formalis, non informantis, nec existentis, sed unitive continentis: nec istud tertium pertinet ad genus efficientis sicut exemplaris, album non causat effective nigrum. — *Theor.* XXI. concl. 18. — Cum dicitur: *in omni genere est unum primum*, non est verum de generalissimo *praedicabili*, sicut patet de generalissimo quantitatis, ubi sunt duo minima aeque * (unitas et punctus) * prima. Intelligitur ergo illud de genere *physico;* omnes enim formae transmutabiles ad invicem habent unum primum perfectione, quod est mensura aliarum formarum, sicut in genere coloris albedo, in genere saporis dulcedo, et sic de aliis quae possunt ad invicem transmutari; tunc de istis intelligitur assumptum de huiusmodi generibus; non tamen oportet illud verum esse de genere generalissimo *praedicabili.* — *QQ. Metaph.* l. V. q. 6. n. 13. — Aliter potest dici, quod non est vera in omni genere *generalissimo;* quia vix in aliquo genere generalissimo posset aliquod unum primum assignari mensura omnium aliorum, vel in nullo; sed intelligitur illa propositio de genere *naturali;* et dicitur illud genus naturale cui respondet unitas susceptivi, hoc est, quod tantum dicitur de formis habentibus idem susceptivum primo; et de huiusmodi exemplificat Aristoteles. — *Super Praedic.* q. 17. n. 7. — Cf. *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 3. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. 6. 1. c. 2. et 3.

Generis unius una est divisio prima per duas differentias. — Potest dici, quod non est duplex divisio prima generis per differentias *formales* constituentes species; potest tamen una esse per differentias *formales*, alia per *materiales;* quae divisiones non sunt sub invicem: sicut *corpus* in genere *substantiae*, praeter divisionem eius *formalem* in *animatum* et in *inanimatum*, potest dividi in *corruptibile* et in *incorruptibile;* et utroque modo differentiae se habent ut excedentia et excessa. — *Super Praedic.* c. q. 17. n. 8.

Genus de differentia non praedicatur. — *Nullum genus dicitur de aliqua differentia* inferiori *in quid:* nec de illa quae sumitur a *forma*, nec de illa quae sumitur ab *ultima realitate* formae. Semper illud a quo sumitur conceptus *generis* secundum se est potentiale ad illam realitatem a qua sumitur conceptus *differentiae*, sive ad illam *formam*, si *differentia* sumatur a *forma*. — *Oxon.* I. d. 3, q. 3. n. 15. — Non enim *genus per se praedicatur de differentia*, nec *per accidens*, quia neutrum neutri accidit, nec ambo tertia, sed est ibi medium extraneum sive inferius contrahens aliud, quod inferius potest dici accidens superioris, id est *extraneum*, sed non proprie accidens. — *Ib.* d. 5. q. 1. n. 10. — Cf. ib. IV. d. 11. q. 3. n. 52. — *QQ. Metaph.* l. III. q. un.

Genus est indeterminatum ad species. — Indeterminatione quae est cum potentialitate quadam ad contradictoria, quae est imperfectionis. — *Oxon.* IV. d, 50. q. 3. n. 7.

Genus est principium specierum. — Utrum *genus sit principium specierum?* — Dicendum, quod sic, sumendo *genus* pro *natura* iu qua fundatur ipsa intentio, et non pro *intentione.* — Quod declaratur sic: genus est essentiale principium *cognoscendi* speciem; ergo est essentiale principium speciei. — *Consequentia* probatur: quia definitio faciens *scire* definitum exprimit *essentialia principia* definiti, quod est speciei solum proprie loquendo, quia nihil proprie definitur nisi species. — *Antecedens* patet per Philosophum, *VI. Topicorum.* — *Super Univers. Porph.* q. 20. n. 2.

Sed sciendum, quod *essentiale principium speciei* est duplex: quoddam secundum *rem*, quod est pars rei in existentia, cuiusmodi sunt *materia* et *forma:* aliud secundum *rationem*, quod importat eamdem rem sub modo indeterminato quam species

importat modo determinato; et hoc si illud nomen imponatur ad significandum illam rationem, prout sumitur vel a materia vel a forma. — Nunc autem *genus*, puta *animal*, non est principium speciei, puta *hominis*, primo modo, scilicet, secundum *esse;* quia si sic, tunc non vere praedicaretur de ea; ergo est principium speciei secundo modo. Et ideo si *homo* debeat definiri, cum definire sit actus rationis, in eius definitione debet poni *animal* tamquam principium speciei secundum *rationem*, et aeque *rationale*. Et sicut in *re* natura *materiae* extraneatur naturae *formae*, ita quod neutrum est dicibile de altero, ita apud *rationem* intellectus *generis* extraneatur intellectui differentiae, licet eadem res importetur utrumque; idem enim significat *animal* quod *homo*, praeter determinationem ultimae formae, et hoc significat per modum *quid* et per se dictum, et ideo, secundum Porphyrium, praedicatur in *quid; rationale* autem idem significat cum determinatione ultimae formae, sed tamen per modum qualis et denominantis; et ideo apud rationem conceptus *generis* et *differentiae* sunt extranei. — *Ib.* n. 3.

Genus est univocum speciebus. — *Genus est praedicatum univocum speciebus:* quia praedicatur secundum *idem nomen* et secundum *eamdem rationem* de ipsis, quae ratio sive definitio est ratio substantiae illis speciebus, licet non propria, quia genus praedicatur de illis in *quid*, per Porphyrium. — Sed cum omni univoco correspondeat in re aliqua unitas, aliter substantiae et accidenti esset aliquid univocum, dubium est, quid sit illud *unum in re*, a quo sumitur *univocatio* generis. Et potest dici, quod omnia unius generis aliquam inter se convenientiam habent in *substantia*, quam non habent cum aliis aliorum generum, quod cognoscitur ex identitate operationis vel passionis in singularibus: illud est in speciebus imperfectum et potentiale, quia diversae species habent diversas formas perfectivas; aliquid igitur *materiale* in omnibus speciebus, sive sit materia, sive forma incompleta existens in omnibus huius generis, et non alterius, quod est principium alicuius operationis communis, vel passionis in eis, est illud *unum in re*, quod cum intellectus considerat, non ut in hoc considerat ipsum secundum se essentialiter esse in differentibus specie, et ei attribuit intentionem *generis;* et quanto genus communius, tanto eius in re minor est unitas. Et ita nomen *generis* de suo primo intellectu importat aliquid quod est materiale in speciebus; tamen per modum *totius*. — *Super Praedic.* q. 7. n. 2. — Cf. q. 4. — *Super Univ. Porph.* q. 8. — *QQ. Metaph.* l. IV. q. 1.

Genus et species sunt simul natura. — Intentiones *generis* et *speciei* referuntur ad invicem, et *sunt simul natura.* — Sed quod subest intentioni generis, non inquantum ei attribuitur illa intentio, sed inquantum *existit,* prius est eo cui attribuitur intentio *speciei.* Et inter illa quae *subsunt* est consequentia non mutua, sed inter *intentiones* est consequentia mutua; de illis enim sequitur: *si genus est, species est,* et e converso. — *Super Praedic.* q. 27. n. 4.

Genus nihil est praeter eas quae sunt generis species. — Est intentio Philosophi, quod illud quod inportatur per *genus* est nihil nisi *potentiale* respectu specierum. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 47. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. n. 103.

Genus non praedicatur de speciebus secundum magis et minus. — Dico, quod genus non est *magis universale;* quia *magis* dicit intensionem formae eius cui adiungitur; sed est quodammodo *maius* universale, quia extenditur ad plura: quemadmodum *quaternarius* est *maior* numerus *binario,* non *magis;* sicut etiam una *species specialissima* non dicitur *magis* species, licet plura sub se habeat contenta. — *Super Univers. Porph.* q. 8. n. 6.

Genus praedicat totum. — Propositio, *genus praedicat totum,* sic intelligenda est, scilicet: *materiale* per modum totius, quod secundum se est univocum; et tamen in speciebus *formaliter* diversificatur. — *Super Praedic.* q. 7. n. 3.

Gratia se habet ad liberum arbitrium sicut sessor ad equum. — Sicut in actu *meritorio* sunt duo, scilicet, *substantia actus cum rectitudine* et ratio *meriti,* sic habitus *gra-*

tiae est quaedam qualitas, et praeter relationem illam quam habet ad *rationem rectam*, inquantum est habitus bonus formaliter, habet specialem relationem ad *voluntatem divinam acceptantem* ipsum vel subiectum habens ipsum. — Accipiendo actum secundum rationem meritorii, potest dici, quod principaliter illa conditio convenit actui ab *habito* * charitatis, * et minus principaliter a *voluntate;* magis enim acceptatur actus ut *dignus praemio* quia est elicitus a *charitate,* quam quia est a *voluntate* libere elicitus, quamvis utrumque necessario requiratur. — Secundum igitur hoc potest exponi illud Augustini: *Charitas est sicut sessor ad equum,* et illud etiam, quod *voluntas respectu gratiae pedissequa est, et non praevia.* Hoc quidem verum est respectu actus inquantum *meritorius* est, sed non inquantum est iste actus in *substantia.* — Et *primum exemplum* esset omnino idem vel simile, si equus esset *liber* et sessor per modum *naturae* esset dirigens equum ad certum terminum; tunc magis placere posset, et hoc alicui ordinatae voluntati, cursus equi, ex hoc quod est secundum inclinationem naturalem ipsius *sessoris* ad certum terminum, quam ex hoc quod equus ex *vi sua* motiva velociter curreret. Tunc etiam posset equus ex sua libertate *sessorem deiicere,* vel praeter eius directionem in *terminum alium* se movere: et in primo quidem fieret equus omnino non acceptabilis, quia non haberet sessorem, propter quem acceptaretur a tali voluntate: in secundo, licet equus talis esset acceptabilis, non tamen *cursus* eius acceptaretur, quia non esset secundum directionem sessoris. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 27.

Hoc modo in proposito: *voluntas* enim est quasi *equus liber,* et *gratia* quasi *sessor per modum naturae* inclinans ad obiectum per modum determinatum. Secundum huius inclinationem actus voluntatis placet; aliter non placet, sicut quando est peccatum veniale vel actus indifferens. Quando autem *sessor abiicitur,* quod fit per peccatum mortale, omnino ipsa voluntas fit displicens. — Hoc etiam modo voluntas est *pedissequa,* quia non ex se ita determinate inclinat ad terminum, propter quam inclinationem actus acceptatur, sicut gratia inclinat; et voluntas potest illud participare a gratia, quia competit gratiae magis per essentiam quam sibi, et in hoc ipsa erit causa secunda. Tamen in eliciendo actum voluntas habet primam rationem motivi, ita quod in causando aliquid intrinsecum actui non sit voluntas secunda causa, sed in essendo propter quod actus acceptetur, quod dicit respectum eius ad *extrinsecum;* satis quippe possibile est propter causam principaliorem effectus competere illi effectui aliquam relationem ad extra minus principaliter, quam propter causam eius minus principalem, sicut patet exemplis supra positis. — *Ib.* n. 28.

H

Habitudinem aliquam quidquid habet ad aliquid habet similem habitudinem ad illud ad quod illud aliud habet habitudinem talem. — Ista propositio frequenter vera est in relativis *superpositionis* et *suppositionis;* non tamen est universaliter vera. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 12.

Habitus augentur ab actibus. — Generaliter in his quae suscipiunt *magis* et *minus,* sicut in habitibus, non quilibet actus auget habitum, vel saltem ille actus qui non virtualiter continet ipsum generatum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 29. — Ab habitu existente perfecto vel in summo, quantum potest perfici in tali subiecto vel secundum terminum sibi praefixum a sapientia divina omnes actus sequentes nihil augent, sed tantum procedunt ex habitu iam generato: quemadmodum actus Angeli boni non augent habitum charitatis eius, nec *effective,* nec *meritorie;* quia ille est in termino: vel secundum naturam habitus, vel secundum capacitatem subiecti, vel saltem secundum terminum sibi praefixum a Deo; sed omnes illi actus pro-

cedunt ex plenitudine illius habitus sic perfecti. — *Ib.* II. d. 7. n. 27.

Habitus est pondus potentiae. — Habitus movet potentiam quasi quoddam pondus; qui tamen ex se non sufficit ad eliciendum active ipsam operationem; sufficit autem sola virtus potentiae activae sine tali pondere; sed quando ambo concurrunt, ita tamen quod non maior sit conatus ex parte potentiae quam prius, perfectior operatio elicitur quam posset elici ab ipsa potentia sola. — Et videtur pro ista via esse *experientia* communis, qua quis potest experiri se habituatum ex aequali conatu posse habere perfectiorem operationem quam posset habere non habituatus; quae perfectio actus non posset attribui habitui, si esset tantum principium passivum inclinans; quia saltem, ut videtur, in priori instanti naturae in quo elicitur prius quam recipiatur in potentia, esset aequalis ratio principii activi si eliceretur aequali conatu a potentia habituata, sicut a non habituata; quod est falsum. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 6.

Habitus et dispositio habent esse circa idem. — Eadem enim essentia absoluta in genere qualitatis potest esse *habitus* et *dispositio.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 15.

Habitus et privationis idem subiectum. — Quia idem sub eadem ratione propria est proprium subiectum privationis et habitus. *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 15.

Habitus generatur ex actibus. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 8. — Ex similibus actibus generatur similis habitus. — *Oxon.* II. d. 41. n. 5. — Nam ex actibus non acquiritur nisi *habilitas* ad actus consimiles. — *Ib.* I. d. 3. q. 6. n. 29. — Quia habitus ex eisdem actibus generatur ad quos inclinat, ex *II. Ethicor.* — *Ib.* Prol. q. 4. n. 21. — * Ideo * habitus voluntatis natus est causari ab actu voluntatis sicut a propria causa. — *Ib.* II. d. 39. q. 2. n. 3. — Quia habitus proprie loquendo, ut Philosophus loquitur *II. Ethicor.*, generatur ex aliquo actu elicito. — *Ib.* I. d. 3. q. 7. n. 35.

Habitus *practicus* generatur ex electionibus: sicut de eligente frequenter liberaliter dare, etiam sine actu *imperato*, si facultas non adsit, possit in ipso generari *liberalitas.* Quia tamen quando illi actus *imperati* sunt impossibiles voluntas non communiter eligit frequenter recte circa materiam istorum actuum, quia quod non creditur alicui possibile, aut ipsum non vult, aut tenuiter vult, secundum Augustinum, ideo communiter non generatur habitus practicus, qui est virtus, sine *praxibus* imperatis sequentibus *electionem;* non tamen generatur ex illis sequentibus, sed ex electionibus in quibus est *formaliter* bonitas moralis; in praxibus autem imperatis est tantum *materialiter.* — *Ib.* Prol. q. 4. n. 22. — Cf. III. d. 41. n. 2.

Habitus non generantur in naturalibus agentibus. — *Habitus non generatur in naturaliter inclinatis,* sive in *summe determinatis ad unum:* sicut non generatur in *gravi* per quotiescumque descendere ratio descensus; nec generatur in *violenter motis* per quotiescumque tale moveri aliqua ratio vel habitus facilitans vel habilitans ad talem motum violentum, sicut patet de lapide moto *sursum;* sed generatur in potentiis de se *indeterminatis* ad actum per actum frequenter elicitum. — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 18. — *Report.* ib. q. 2. n. 13. — In intellectu tamen non negatur habitus, quia non est ex se *summe* determinatus vel inclinatus. — *Ib.* III. d. 33. n. 7. — *Report.* ib. n. 4.

Habitus potentiam perficit. — Quia *habitus* inquantum habitus *est perfectio potentiae.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 10. n. 12.

Habitus principiorum semper est rectus. — Quia ex ratione terminorum, virtute luminis intellectus naturalis, statim intellectus acquiescit illis; et quantum est tunc ex parte intellectus liberum arbitrium natum est concorditer velle istis principiis; licet prout deficit reliqua causa partialis * (voluntas) * libere non velit. — *Oxon.* II. d. 39. q. 2. n. 4. — Cf. ib. III. d. 14. q. 2. n. 8. — d. 23. n. 16.

Habitus prior est privatione. — Habitus prior est secundum intellectum privatione; privatio enim non intelligitur, nisi quia suus habitus prius intelligitur. — *Poster.* I. q. 21. n. 3. — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 4. n. 10.

Homines natura scire desiderant. — *Omnes homines natura scire desiderant.*

Declaratur autem propositio ista dupliciter in genere, videlicet: *a posteriori* et *a priori*. — *A posteriori* declarat eam Philosophus in littera per signum quoddam, dicens: *Signum autem est sensuum dilectio; praeter enim utilitatem, propter seipsos diliguntur*. Quasi dicat: sensus naturaliter diliguntur, non solum inquantum *utiles* ad vitae sustentationem, sed inquantum *cognoscitivi*. Quod probat in littera per hoc, quod ille sensus maxime diligitur naturaliter qui maxime est *cognoscitivus*, videlicet, *visus*; quem dicit *maxime cognoscitivus* propter duo: propter cognitionis *certitudinem*, et cognitorum *multitudinem*. *Certitudo* provenit ex *immaterialitate*; quanto enim virtus cognoscitiva est immaterialior, tanto est in cognoscendo certior. *Plura* etiam *obiecta* per hunc sensum cognoscuntur; quia omnia corpora, tam superiora quam inferiora, lucem vel colorem participant; non autem alias qualitates sensibiles, tangibiles, scilicet, et audibiles, et huiusmodi. — Est igitur virtus *probationis* Aristotelis in hoc: si magis naturaliter diligimus sensus *magis cognoscitivos*, non propter utilitatem vitae tantum, sed propter *cognitionem*; ergo *scire magis naturaliter desideramus*, quia haec cognitio est nobilior cognitione sensitiva, et cognitio nostra sensitiva finaliter ad hanc ordinatur. — *QQ. Metaph.* Prolog. n. 1.

Notandum, * quod * sensus deserviunt nobis ad duo, scilicet, ad *necessitatem vitae* et ad *scientiam*. Nam per sensus cognoscimus sensibilia nociva et utilia, et fugimus nociva, et prosequimur utilia. Per sensus etiam generatur in nobis scientia, nam *omnis nostra cognitio oritur a sensu*. — Dicit ergo Philosophus, quod, posito quod per sensus nihil agere deberemus quantum ad necessitatem vitae, nihilominus diligeremus sensus, pro quanto deservirent ad habendum scientiam. Quare sensum visus maxime amamus, quia est maxime cognoscitivus. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 1. n. 2.

Declaratur secundo propositio *a priori*: Unumquodque naturaliter appetit suam perfectionem, tam *primam* quam *secundam*: *primam* tamquam suam *formam* propriam; *secundam* tamquam suam propriam *operationem*, per quam etiam coniungitur suo *principio*; ergo homo naturaliter appetit *scientiam*, quae est perfectio *prima*, et *intelligere*, quae est perfectio *secunda*, per quam coniungitur suo principio. Et eodem desiderio, vel saltem univoce dicto, appetitur *scientia* immediate et *intelligere* mediante scientia; quod quidem desiderium correspondet potentiae essentiali, quia non habens formam est in potentia essentiali ad actum primum et secundum. Eodem etiam desiderio essentiali potest appeti immediate operatio ut finis, et forma propter finem, quando neutrum habetur, vel saltem desiderio *univoce* dicto; forte enim non est eadem volitio *entis ad finem*, et *finis*, ut utrumque est illud *quod appetitur*, sed tantummodo ut *finis* est *quo aliud appetitur*: sicut color et lux non unica visione videntur ut *obiecta*, sed ut unum est *quo*, alterum *quod*. — Alio autem desiderio et *aequivoce* dicto appetitur scientia immediate, et intelligere immediate, loquendo de desiderio *accidentali*. Primum correspondet potentiae essentiali; secundum accidentali. Primum potest dici desiderium ad formam; secundum desiderium consequens formam. — *QQ. Metaph. ib.* n. 4. — Sed illud desiderium sciendi est quaedam inclinatio naturalis ipsius intellectus ad sciendum, cuius est etiam naturaliter delectari in scientia cum habetur; sicut quaelibet potentia habet naturalem inclinationem ad suam perfectionem, et delectatur in ipsa cum habetur.

Propositio intelligitur de omni homine *secundum se* considerato. — Stant simul quod homo *naturaliter* desiderat scire, et tamen *actualiter* et *voluntarie* velit contrarium; in nobis enim voluntas ex libertate potest contra inclinationem naturalem moveri. Nunquam tamen *per se* vult non scire, sed *per accidens*, quia aliquid aliud vult magis actu elicito, ut pigritiam, vel remorsum conscientiae, quam scire aliquid ad quod est inclinatio naturalis. — *Ib.* l. I. q. 2. nn. 7-8. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. cit. — In *intelligere* necessario maxima cadit delectatio, et ideo omnes homines desiderant scire; multi tamen scientiae

studium non attendunt, eo quod percipiunt solum delectationes sensibiles, et propter multas alias causas. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 10. n. 4. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 3.

Homo factus est Deus. — Ista propositio est simpliciter vera: *homo factus est Deus;* quia *homo* per actionem facientis *est Deus,* et *non fuit prius Deus.*

Et quod aliqui dicunt, quod *fieri* denotat *mutationem* illius de quo dicitur, et *praecessionem* respectu termini factionis; patet ex dictis, quod *primum* non est necessarium, nec *secundum,* quia hoc non esset nisi inquantum *fieri* implicat quodammodo *inceptionem;* sed ipsa *inceptio* quando praedicat *tertium adiacens* non notat *praecessionem* subiecti ad praedicatum; nam verum est dicere de anima *nunc creata,* quod nunc *incipit animare* corpus, nec tamen *prius fuit* quam animaret corpus. Ita etiam quando praedicat *secundum adiacens,* verum est dicere, quod *incipit esse dies,* hoc est, tempus incipit esse dies; nec tamen illud tempus *prius fuit,* et *postea incepit* esse dies. Ita etiam nec oportet hominem *praecessisse* ad hoc, quod ista propositio sit vera, *homo est factus Deus,* sicut nec ad veritatem istius propositionis, *natura humana unita est Verbo,* quae implicat istam, *Natura humana facta est subsistens in persona Verbi,* necesse est naturam humanam *praefuisse* in Verbo, vel in se, antequam subsisteret in Verbo. — *Oxon.* III. d. 7. q. 2. n. 7.

Sed si quaeras, quae istarum sit magis propria: *homo factus est Deus,* vel *Deus factus est homo?,* et arguas quod ista, *homo factus est Deus,* quia veritas omnium istarum fundatur in hoc, quod natura humana unita est Verbo, quia *passio* realis, quae fuit ibi, fuit in natura *humana,* et *terminus* fuit *Verbum;* huic autem propinquior videtur esse ista, *homo factus est Deus,* quia immediatius exprimens factionem passivam; *respondeo* et dico, quod haec est prima in ista materia, *natura humana unita est personaliter Verbo;* et ex hac immediate sequitur, quod *Verbum sit homo.* Ratio huius est, quia virtute unionis est subsistens in natura humana, et ex hac sequitur, quod *homo sit Deus* per *conversionem,* et eodem modo est in *fieri;* ergo ista, *Deus factus est homo,* non est mediatior ista, *homo factus est Deus,* imo immediatior illi propter quam ambae sunt verae, utraque tamen propria. — *Ib.* n. 8. — *Report.* ib. q. 3. n. 6.

Homo sensibilium omnium finis. — Verum est illud *II. Physic.: Homo quodammodo est finis omnium sensibilium,* scilicet, quia propter ipsum volitum a Deo quasi in *secundo* signo naturae sunt omnia sensibilia volita quasi in quarto signo. Illud etiam quod est propinquius fini ultimo consuevit dici *finis* eorum quae sunt remotiora. Sive igitur quia Deus vult mundum sensibilem in ordine ad hominem praedestinatum, sive quia quodammodo vult immediatius hominem amare se quam mundum sensibilem esse, homo erit *finis mundi sensibilis.* — *Oxon.* III. d. 32. n. 6. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 9. n. 75. — q. 12. n. 3 et 7. — Vid. *Finis omnium quodammodo sumus.*

Homo nullo sapiente auctore fit deterior. — Augustinus *LXXXIII. Quaest.* q. 3: *Nullo sapiente auctore fit homo deterior.* — Saltem probatio Augustini stat, quia *nullo sapiente auctore fit homo deterior;* nec ergo multo magis Deo auctore fit homo deterior, sicut ipse arguit: sed per punitionem fit homo deterior, quia additur malo malum. — *Respondeo,* stante primo malo * (*culpae*) *, secundum malum * (poenae) * additum, licet sit deterius *isti,* non tamen *simpliciter,* quia non in comparatione ad *universum,* cuius ordo requirit malum istud manens per malum aliud ordinari. *Exemplum:* melius fuisset caeco nato, de quo Ioannes loquitur, a principio vidisse; non tamen melius in ordine ad manifestationem divinae sapientiae et bonitatis. — Cum ergo accipitur *nullo sapiente auctore fit homo deterior,* vel exponendum est de malo *culpae,* vel si *simpliciter* de *malo,* diceretur, quod ille per poenam additam non fit simpliciter deterior, licet multiplicius habeat malum, quia proportio mali secundi ad malum primum in eo iusta est. — *Oxon.* IV. d. 46. q. 4. n. 19. — *Report.* ib. n. 24.

* Vel aliter *: *Nullo homine sapiente*

auctore fit homo deterior; tanta enim est ista in homine culpa, ut in homine sapiente non cadat. Quia homo sapiens tenetur ad servandum praeceptum Dei, et ideo non potest eo auctore alius esse deterior, nisi ipse peccet, et ita fiat non sapiens; non enim in potestate eius est libere cooperari alii ad bene agendum, vel non cooperari; quod si esset, posset non cooperari manens sapiens; et ideo eo auctore esset alius deterior, id est, eo non efficiente bonitatem in actu alterius, alius non bene ageret. In potestate autem Dei est libere cooperari voluntati creatae ad bene agendum, vel non cooperari; ergo ipso recte manente, potest non cooperari voluntati creatae, et ita ipsa peccabit. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 12.

Sapiens non tantum quia tenetur ex praecepto non subvertere proximum, ideo non potest esse auctor, quo proximus est deterior, sed ex perfectione sapientis est, quod manens sapiens non potest esse prima ratio deficiendi; et quoad hoc bene tenet ratio Augustini; est enim omni sapiente praestantior, id est, voluntas eius est simpliciter perfectior, quia ipse non est prima ratio deficiendi alicui, ipsa potest coagere. — *Ib.* n. 16. — *Report.* ib. nn. 11 et 14.

I

Idem est aliquid alicui a quo non differt. — Cum dicitur: *illud est idem * alicui * a quo non differt,* dicendum, quod ista propositio sic habet intelligi: quod illud idem est alicui, et sub aliquo, a quo non differt differentia *specifica* illius, sicut dicit Philosophus *ibi,* quod *isosceles* et *isopleuros* sunt eadem figura, quia non differunt specifica differentia *figurae,* sicut potest dici, quod Socrates et Plato sunt idem *animal,* quia non differunt differentia *animalis.* Unde propositio non est universaliter intelligenda, sicut assumitur: quod quaecumque non differunt sunt eadem; sed quaecumque non differunt differentia *generis,* de eisdem potest praedicari genus cum nota *identitatis.* — *QQ. Metaph.* l. X. q. 8. n. 3.

Idem in pluribus generibus enuntiari potest. — Illud Aristotelis, in Praedicamentis, *nihil prohibet idem in pluribus generibus enuntiari,* non est verum de aliquo *per se uno,* sed de aliquo *uno per accidens,* quod etiam quandoque uno nomine significatur, sicut forte hoc nomen *scientia;* sed non propter hoc est *unum proprie,* quod est *unum* secundum definitionem. — *Quodlib.* q. 13. n. 53.

Idem nihil est realiter alio, sine quo illud potest esse. — *Nihil est idem realiter* **A**, *sine quo* **A** *potest esse sine contradictione.* Quia si * haec * negetur, non videtur relinqui unde possit distinctio entium probari; diceretur enim a protervo, non tantum quod in uno supposito plures naturae, ut substantia et accidentia, sint eadem, sed quod Socrates et Plato, vel Socrates et lapis vel album non differant realiter. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 5. — * Sed * illud quod proprie dicitur inesse alicui, sine quo illud non potest esse sine contradictione, est idem sibi realiter. — *Ib.* n. 24.

Idem non est in potentia ad se. — Idem sub eadem ratione nec in re, nec in mente est *in potentia ad se.* — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 9.

Idem non potest demonstrare seipsum. — *Idem non demonstratur per seipsum,* sed per aliud; nam aliter idem esset prius et posterius, notius et minus notum respectu suimet, cum demonstratio procedat ex prioribus et notioribus. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. S. 2. c. 2. n. 25.

Idem non potest esse et non esse idem realiter. — Quod idem realiter sit realiter, et non sit realiter, videtur esse oppositum primi principii, ex quo principio videtur statim concludi *diversitas entium;* quia si de aliquibus duobus dicantur contradictoria, eodem modo quo dicuntur de eis, videntur esse non idem, et ita si contradictoria, scilicet, *esse* et *non esse,* dicantur de eis, videntur esse non idem in esse, sive non *idem ens.* — *Oxon.* III. d. 1. q. 4. n. 5.

Idem non potest esse potentia et actus respectu eiusdem. — Potest dici, quod si intelligatur *potentia* pro *principio receptivo*, et *actus* pro *forma* qua agens agit, tunc nihil est aliud dicere, quam quod nihil est *receptivum* quod habet rationem *activi* vel eminentioris. Sed hoc patet esse falsum de *substantia* respectu propriae *passionis* vel alterius *accidentis*, respectu cuius est *activa* et cuius est *receptiva*. — *Oxon.* II. d. 25. n. 14.

Idem non potest esse unum et multa realiter. — Cum arguitur, quod *idem non potest esse multa realiter et unum realiter*, verum est *adaequate;* quando enim aliqua adaequate sunt eadem, unum non plurificatur sine alio. *Exemplum* de *definito* et *definitione, subiecto primo* et *propria passione.* Licet *non adaequate* idem alteri potest plurificari sine illo; potentiae enim animae, etsi sint eodem cum essentia animae, nulla tamen per se est praecise et adaequate tota animae essentia, quia tunc sicut una potentia fundatur in esse animae, ita fundaretur in alia potentia; ergò dicit perfectionem animae virtualem, et est eadem cum anima *virtualiter*, sed non *adaequatae* et praecise. Eodem modo de partibus compositi respectu totius compositi. Possunt ergo potentiae et partes plurificari, manente essentia animae una, et uno toto. — *Report.* I. d. 33. q. 1. n. 15.

Idem non potest seipsum movere. — Cum dicitur *idem non potest seipsum movere*, est principium metaphysicum, dico, quod non est verum; quia principia talia cognoscuntur esse vera, notis terminis, ab omnibus ratione utentibus, vel saltem sapientibus: sed notis terminis illius principii, non potest illud principium multis sapientibus esse verum. — *Oxon.* II. d. 25. n. 14.

Idem non potest simul esse activum et passivum. — Videtur valde irrationale, quod idem sub ratione qua est *activum* sit tantum *passivum* respectu actus eiusdem rationis, et inquantum est mere *passivum* sit *activum* respectu actus eiusdem rationis. — *Oxon.* I. d. 23. q. 3. n. 5.

Idem non potest simul esse et non esse. — Primum principium est, quod *impossibile est idem simul esse et non esse,* quod eatenus dicitur *primum,* quatenus termini eius sunt *ens* et *non ens,* quae prima impressione imprimuntur in intellectu, et ideo de ipso Metaphysicus principaliter intendit. De isto ergo principio dicit Philosophus, quod *est autem in entibus quoddam principium, circa quod non* contingit *mentiri,* supple mente, *contrariorum autem facere semper est necessarium; dico autem verum dicere,* scilicet, circa ipsum, puta illud principium est, *quod non contingit idem esse et non esse secundum idem, et simul et alia,* quae opponuntur *I. Elench.*, ut dictum est IV. *huius cap. 3.* Impossibile est enim, quod aliquis opinetur mente istud principium falsum esse; alioquin opinaretur contradictoria esse simul vera, et per consequens haberet simul contrarias opiniones, ut ostensum est IV. *huius.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. XI. S. 2. c. 2. n. 32.

Prima conditio * principii primi * est: quod *circa ipsum non contingit mentiri vel errare.* Si contingat aliquem opinari, quod *idem sit et non sit;* ergo eidem simul inerunt contraria: *consequens* est falsum; ergo et *antecedens;* et per consequens nullum contingit decipi vel errare circa hoc principium. — *Consequentiam* probat * Aristoteles * ex hoc, quia contrariae opiniones sunt illae quae sunt contradictionis; si ergo aliquis diceret, quod contingeret aliquem opinari idem simul esse et non esse, sequitur quod ille qui sic opinaretur haberet simul contrarias opiniones. — Notandum, quod si duo haberent duas opiniones contrarias, istae opiniones non sunt contrariae *primo* et *per se;* si enim unus opinatur, quod Socrates est bonus, et alius opinatur, quod Socrates est malus, non essent opiniones *primo* et *per se* contrariae. Sed si unus opinetur Socratem esse bonum, et *idem* opinetur Socratem non esse bonum, tunc erunt opiniones contrariae *per se* et *primo.* Si igitur aliquis opinatur, idem simul *esse* et *non esse,* opinabitur duo contradictoria simul esse vera, et per consequens habebit simul duas contrarias opiniones; quare eidem simul inerunt contraria; quod est impossibile.

Secunda conditio est, quod *non sit conditionale,* id est, notum ex *suppositione*

vel *conditione;* sed sit *per se* notum. — Illud ad quod resolvuntur omnes demonstrationes non habetur ex suppositione, sed est per se notum: sed dictum principium est huiusmodi; ergo, etc.

Tertia conditio est, quod *necessarium est cognoscere, et necesse est venire habenti ipsum,* non per demonstrationem, sed notis terminis. — Illud quod est notum in naturali lumine intellectus non habetur per demonstrationem, quia demonstratio est de *ignotis:* sed dictum primum principium est huiusmodi; ergo, etc. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. S. 2. c. 1. n. 31 seqq. — Quia autem eius non possit esse demonstratio *simpliciter,* ostendit * Aristoteles * per talem rationem: quia omnis demonstratio *simpliciter* est syllogismus procedens ex *notioribus:* sed nihil est notius isto principio; ergo, etc. — *Ib.* l. XI. S. 2. n. 33.

Exponit autem * Aristoteles * modum quo primum principium potest demonstrari dicens, quod *elenchice,* id est, *argumentative.* Multum differt demonstrare primum principium modo *argumentativo* et modo *elenchico,* et demonstrare ipsum *simpliciter;* nam primum non est inconveniens; secundum autem est impossibile; quia si aliquis vellet primum principium demonstrare, videtur *petere principium,* quia non posset accipere ad eius demonstrationem nisi aliquid quod ex virtute illius principii dependeat. — Primum * igitur * principium non potest *simpliciter* demonstrari, cum nihil sit prius eo; potest tamen demonstrari *improprie,* scilicet, modo *argumentativo* sive syllogismo *elenchico,* qui est syllogismus *contradictionis.* — *Ib.* l. IV. ib. n. 36. — * Et * licet primum principium non possit simpliciter demonstrari, potest tamen eius demonstratio esse *ad hominem:* vel quia concedit aliquid aliud, licet sit minus notum, et negat huiusmodi principium, quia isto concesso, ostenderetur sibi illud principium esse verum: vel alio modo, quia negando notius in falsitate saltem secundum sensum, quam sit oppositum primi principii, et ex illo concluderetur *ad impossibile,* primum principium esse verum. — *Ib.* l. XI. ib. n. 33. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 8. — *QQ. Metaph.* l. IV. q. 3.

Principium primum significat rem affirmative, modo tamen negativo; et ratione rei significatae est primo vera et per se, ratione tamen modi significandi negative consideratum non est primum, nec propter hoc dicimus illam esse primam, sed propter rem affirmativam quam significat. — *Poster.* I. q. 21. n. 2. — Veruntamen intelligendum est, quod licet primum principium significetur modo negativo, ipsum tamen aequivalet cum quadam propositione, quae est quodammodo affirmativa, quia haec, *non contingit idem simul esse et non esse,* aequivalet huic, *necesse est non idem esse et non esse;* quia *non contingit,* quod pro *possibili* ponatur aequivalet huic quod est *necesse non;* tamen propositioni simpliciter affirmativae aequivalere non potest. — *Ib.* n. 5. — Cf. ib. q. 13. n. 5. — *Oxon.* III. d. 36. n. 12.

Notandum, quod istud principium, *impossibile est idem simul esse et non esse,* multum est affine principio *de quolibet est vera affirmatio vel negatio;* nam quasi ex illo sequitur et in illo virtualiter continetur. — *Exposit.* etc. l. c. n. 37. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 24. — Vid. *Affirmatio (de quolibet) vel negatio est vera.*

Idem non potest simul esse in actu et in potentia. — Si dicas, quod *nihil idem potest esse simul in potentia ad aliud et actu habere illud eminenter vel virtualiter,* dico, quod hoc est falsum; quia hoc non est aliud dicere, quam quod tale non sit capax suae perfectionis. — *Oxon.* II. d. 25. n. 13. — Quia ut in pluribus natura habet principium activum ad illud cuius est capax, etsi non semper; ideo natura dedit eidem quod potest recipere augmentativam potentiam, activam et nutritivam; et nobilissima forma, ut intellectiva, habet potentias activas suae perfectionis accidentalis ut in pluribus respectu cuius est susceptiva. Et quia non potest in talibus dari potentiam activam et passivam in diversitate subiecti, cum potentiae sint non organicae, ideo non distinguuntur subiecto. Ideo quamquam in corporibus alia sit pars mota et alia movens organice,

quia corpora habent talem distinctionem, tamen in non organico erunt istae potentiae unitive, et sine distinctione subiecti. — *Report.* ib. n. 10.

Ne tamen fiat aequivocatio de hoc vocabulo *potentia*, dico, quod loquendo de *actu* et *potentia* uno modo, quodlibet, praeter Deum, potest dividi per *actum* et *potentiam*, ita quod prius est in *potentia* quam in *actu*. — Loquendo tamen de ente in *potentia* alicuius *perfectionis* quam debet recipere, quod tamen est *ens simpliciter*, nihil prohibet ipsum esse simul in actu *virtuali* et in potentia *formali* ad perfectionem talem quam debet recipere. — Nec est illud oppositum principio metaphysicali; quia principia metaphysicalia sunt notissima; igitur notis terminis statim sunt nota: et multis non occurrit hoc principium notis terminis, imo apparet eis, quod est falsum (1). — Ideo accipiendo *potentiam* pro *principio passivo receptivo actus*, et *actum* ut distinguitur contra *ens in potentia*, secundum quod res dicitur *in potentia* quamdiu non habet esse extra causam suam, plane petitur quod deberet probari — *Ib.* n. 11. — *Oxon.* ib. n. 11 seqq. — I. d. 3. q. 7. nn. 27 et 29. — Cf. *QQ. Metaph.* l. XII. q. 7. n. 2.

Potest dici aliter: quod si *potentia* accipiatur prout opponitur *actui*, nunquam idem simul est in potentia et actu secundum idem; nam quando est aqua calida actu tunc non est actu frigida, sed potentia tantum. — Si autem potentia accipiatur ut dicit relationem *principii*, aut dicit relationem principii ad *principiatum*, aut ad *aliud principium*. — Si ad *principiatum*, si illud dicatur *actus*, concedo, quod nihil idem *essentialiter* est potentia et actus, quia nulla una essentia seipsam principiat proprie effective, nec in quocumque genere principii. Idem tamen *suppositum* potest in se habere duas naturas, quarum altera sit principium activum et altera principiatum, et ita est in *potentia*, hoc est, potens, per principium activum, et in *actu* sive actus propter principiatum; sed isto modo non consuevit communiter accipi *actus* pro *actu*.

Si autem *potentia* dicat relationem principii ad *actum* ut ad aliud principium *intrinsecum*, tunc accipere quod in nullo uno supposito est utrumque est accipere quod nullum suppositum est sic praedicamentale; et ita nullum suppositum erit compositum ex principio *potentiali* et principio quod dicitur *actus*, quod est falsum.

Si tandem *potentia* dicat relationem principii *passivi* ad principium *activum*, quod dicitur esse in *actu*, scilicet, *activo*, non autem dicitur *actus*, tunc accipere quod nihil idem est in potentia et in actu non est nisi sub aliis terminis exprimere istud, quod nihil idem est activum et passivum; et non est probatio *a priori*, sed est petitio, idem accipiendo sub aliis terminis ad probationem suipsius. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. nn. 18 et 19.

Potest dici, quod idem potest esse in potentia et actu *ratione diversorum*, scilicet, materiae et formae; et non sunt opposita nisi accipiantur secundum idem et respectu eiusdem. — *Super Univers.* q. 33. n. 4. — Vid. *Agens quale in actu, tale passum in potentia* = *Nihil agit in seipsum.*

Idem non potest simul plurificari et non plurificari. — *Idem simpliciter non potest plurificari et non plurificari simul;* et hoc accipiendo uniformiter identitatem et plurificationem: puta, si realiter, realiter; et si ratione, ratione; hoc enim includit oppositum primi principii, quia idem, ut est

(1) « De *principiis metaphysicis* verum est, quod sunt *universalissima;* sed nullum illorum in aliquo singulari accipit instantiam, signum enim est sermonum verorum confesse se habere in his quae apparent. Sed quomodo dicetur illud esse *principium*, ad quod tot absurda sequuntur? Non credo, quod Aristoteles posuisset aliquod complexum esse *principium*, non solum *primum*, sed nec decimum, ex quo in multis singularibus evidentia absurda sequerentur. Si etiam illud est *principium primum metaphysicum*, scilicet, *nihil idem potest esse in actu virtuali et in potentia ad actum formalem*, cuius ille virtualis sit principium effectivum, si, inquam, est principium metaphysicum, scio, quod illud non est in Metaphysica Aristotelis scriptum. Si ipsi habeant aliam Metaphysicam, quomodo soli isti talem intellectum habuerunt, quod terminos istius principii capere poterant, omnibus aliis non potentibus capere? Quia si caperent terminos, et istud esset ut principium primum, statim huic acquiesceretur; quod tamen multi non tantum non capiunt ut *principium*, imo dicunt simpliciter falsum pro multis eius singularibus ». — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 23.

idem, esset unum et non unum — *Oxon.* IV. d. 16. q. 2. n. 4. — *Report.* ib.

Idem secundum idem non est natum facere nisi idem. — Ista propositio potest intelligi dupliciter: *Uno modo* sic, quod idem activum inquantum idem semper est natum facere idem, hoc est *eumdem effectum.* — *Aliter* potest intelligi, quod etsi activum natum est facere plures effectus, semper tamen * *in* * *idem passivum* natum est facere eosdem effectus. — *Primo modo* propositio est falsa, tam in agente libero, quam natura aequivoca. — *Secundo modo* est falsa in agente *libero.* Patet, Deus enim in aliquo passivo posset facere effectus quos nunquam fecit. Vera autem est de agente mere *naturali,* quia circa idem passivum uniformiter dispositum natum est eosdem effectus producere. — *De Cognit. Dei,* q. 5. n. 6. — Philosophus * II. *de Generatione* * intelligit istam propositionem de agente mere *naturali,* non de agente voluntarie, vel simpliciter libere. — *Report.* II. d. 1. q. 3. n. 14. — *Oxon.* ib. q. 2. n. 9. — IV. d. 49. q. 3. n. 2.

Ignoti nulla cupido. — Quia voluntas non potest habere actum circa ignotum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 3. — *Nemo enim vult quod omnino quid vel quale sit nesciat.* Augustinus, *XV. De Trinit.* c. 27. — *Ib.* d. 3. q. 9. n. 6. — Impossibile est voluntatem velle *actu,* nisi sit *actualis* intellectio in intellectu; si enim sufficeret *habitualis,* tunc dormiens, vel quantumcumque distractus, posset velle aliquod notum in habitu. — *Ib.* II. d. 42. q. 4. n. 6. — *Quodlib.* q. 13. n. 3. — Volitio est effectus posterior intellectione; et propter illum ordinem necessarium, non potest causari volitio a voluntate, nisi prius causetur ab intellectu intellectio. — *Oxon.* II. d. 25. n. 19. — Volitio * igitur * requirit intellectionem priorem natura; sed sufficit, quod illa intellectio sit imperfecta, ad hoc quod voluntas illi complaceat. — *Ib.* d. 42. q. 4. n. 12. — Cf. IV. d. 49. q. 4. n. 6. — Vid. *Volitum nihil quin praecognitum.*

Imaginationi fatuum est credere. — Nihil communiter * a vulgo * concipitur, nisi per aliquam speciem imaginativam; et ideo communiter imaginatio circa insensibilia decipit. Ideo dicitur III. *Physic.,* context. 75, quod *fatuum est credere imaginationi.* Et ideo vulgus sequens imaginationem concipit de Intelligentiis quasi idem quod de substantiis corporeis. — *Super Univers. Porph.* q. 29. n. 3.

Immateriale omne est supra se conversivum. — Anima est immaterialis intrinsece et per essentiam; ergo per essentiam est intelligibilis et intellectualis sive intelligens, secundum illam propositionem Proculi famosam: *omne immateriale est supra se conversivum;* et sic intelligens et intellectum sunt idem realiter in anima; ergo potentia non differt ab essentia. Et sic erit de aliis. Quare nec inter se. — *Oxon.* II. d. 16. n. 2. — *Report.* ib. — Vid. *Anima quia immaterialis, ideo intellectualis.*

Imperfectum omne reducitur ad perfectum. — *Omne imperfectum reducitur ad perfectum* sicut ad prius se essentialiter. — *Oxon.* I. d. 8. q. 1. n. 2. — d. 2. q. 7. n. 18. — Haec autem de *imperfecto* sic habet intelligi: aliquid est imperfectum secundum perfectionem *simpliciter,* quae non necessario habet imperfectionem concomitantem, quia non includit in se limitationem, ut *hoc bonum, hoc verum, hoc ens;* et huiusmodi *imperfectum* reducitur ad *perfectum* eiusdem rationis, scilicet, *bonum, ens, verum,* quae important perfectiones *simpliciter.* — Aliquid autem est imperfectum secundum perfectionem *non simpliciter,* sed secundum perfectionem quae de ratione sui includit limitationem; et ideo necessario habet imperfectionem annexam, ut *hic homo,* et *hic asinus.* — Quod igitur *imperfectum* est *primo modo* reducitur ad perfectum simpliciter secundum perfectionem illius rationis; quia aliquid secundum illam rationem potest esse simpliciter perfectum. Quod autem est *imperfectum secundo modo* non reducitur ad aliquid perfectum simpliciter secundum perfectionem eiusdem rationis, scilicet, ad rationem specificam; quia enim ista imperfectionem includit, ideo secundum illam non potest esse aliquid perfectum simpliciter, propter limitationem; sed reducitur ad aliquid perfectum simpliciter, *aequivocum,* eminenter includens illam perfectionem;

et ideo *bonum imperfectum* reducitur ad *perfectum bonum;* sed sic *lapis,* qui est *imperfectus,* non reducitur ad *lapidem perfectum* simpliciter, sed ad summum ens, et ad summum bonum, quae includunt virtualiter illam perfectionem. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 8. — *Report.* ib. q. 4. n. 6.

Impii non resurgent in iudicio. — Ad illud Psalmi 1: *Non resurgent impii in iudicio,* verum est, *ad vitam,* iuxta illud *II. Machab.* 7. dictum Antiocho: *Tibi autem resurrectio ad vitam non erit.* Et hoc apparet ex eo quod subditur: *Neque peccatores in consilio iustorum,* sive accipiatur ibi *iustorum,* id est, *de iustis* consilium, quod perpetuo beatificentur, est Dei; sive consilium iustorum, quo scilicet *consulunt,* consilium iustorum est in omnibus voluntati divinae concordare; et in illam concordiam impii non resurgunt. — *Oxon.* IV. d. 47. q. 1. n. 8. — *Report.* ib. n. 9.

Impossibile (ad) nemo tenetur. — Quia noluit Deus obligare hominem ad impossibile, vel secundum statum huius vitae nimis difficile. — *Oxon.* IV. d. 4. q. 4. n. 4. — Quia Deus non obligat aliquem ad nimis difficile vel impossibile. — *Report.* ib. n. 6. — Obligatio autem ad impossibile est nulla ex lege divina. — *Oxon.* ib. d. 34. n. 2.

Impossibile (ad) nulla est potentia (1). — Ad *impossibile* includens contradictionem *non est potentia,* nec communicatio bonitatis. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 8. — Impossibilia simpliciter includunt contradictionem; quae sola dicuntur esse impossibilia Deo, apud quem *non est impossibile omne verbum,* hoc est, omnis conceptus possibilis in intellectu, qualis est omnis conceptus in quo non includuntur contradictoria. — *Quodlib.* q. 10. n. 16. — Vid. DISTINCTIONES: — *Possibile* — *Impossibile.*

Impossibile (quod est) factum esse impossibile est fieri. — Illa propositio, *quod impossibile est factum esse,* etc., verum est de qualibet factione *una,* non de *infinitis* quae habent terminum infinitum in potentia, ubi semper cum *uno facto esse* necessario stat *potentia* ad aliam factionem. — *QQ. Metaph.* I. II. q. 6. n. 20. — Cf. *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 2.

(1) *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 26.

Impossibilium non est appetitus. — Quando dicitur, quod ubi non est spes de consequendo aliquo, vel omnino non appetitur, vel tenuiter, dico, quod duplex est volitio: una *efficax,* quae est respectu finis per media ordinata ad illum finem consequendum: alia est *simplex,* seu conditionalis, quae est respectu alicuius finis, non exequendo media ad illum finem consequendum; sed simpliciter appetitur finis ille, et vellet tendere in ipsum si posset, et si obiectum esset secundum se praesens. — *Primo modo* non est volitio alicuius apprehensi sub ratione impossibilis, sed tantum sub ratione possibilis. *Exemplum* de sanitate ostensa diversis infirmis (1). — *Secundo modo* potest esse respectu impossibilis, et maxime intensa; et in tali volitione potest esse meritum vel demeritum: ut si aliquis appetat fornicari quando ipsum impossibile est habere opportunitatem. Et sic damnati maxime volunt beatitudinem ut bonum commodum, et forte intensius quam nos in via, licet eam apprehendant ut impossibilem eis; et maxime delectarentur in consideratione illius obiecti, si dimitterentur; et in hoc forte habent maximam poenam, quia sic detinentur ab igne in consideratione sua, quod non permittuntur considerare Deum ut est obiectum naturalis beatitudinis, et etiam seipsos, in quibus maxime delectarentur. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 10. n. 13. — *Report.* ib. q. 9. n. 15.

Impossibilium non est electio. — *Electio non est impossibilium.* Dici potest quod *electio* aequivoce accipitur: *Uno modo* pro actu voluntatis consequente *plenam apprehensionem intellectus,* quomodo dicitur quis peccare *ex electione,* quando non est passio perturbans intellectum, nec est ignorantia. — *Alio modo* pro actu voluntatis consequente *conclusionem syllogismi practici;* quae electio non est nisi *volitio efficax* obiecti, quae est ad inquirendum medium per quod possit obiectum attingi.

(1) « Ut si sanitas ostendatur alicui ut impossibilis consequi, non appetit eam volitione efficaci, procurando media per quae sanitas potest induci ». — *Report.* IV. d. 49. q. 9. n. 15.

Primo modo electio *est impossibilium*, sicut dicit Philosophus *III. Ethic.*, quod *voluntas est impossibilium*, non tantum voluntas *errans*, sed voluntas, *praesupposita plena apprehensione intellectus*. — *Secundo modo* electio *non est impossibilium*, quia nullus de impossibilibus syllogizat *practice; syllogismus* enim *practicus ex fine concludit illud quod est ad finem ut per illud quod est ad finem deveniatur ad finem*; et talis discursus nunquam habetur de *impossibili*.

Vel planius dici potest, quod electio *uno* modo praecise dicit *volitionem consequentem plenam apprehensionem*. *Alio* modo *volitionem efficacem sequentem syllogismum practicum*. — *Primo modo* potest esse cuiuscumque cui praesupponitur notitia perfecta obiecti. — *Secundo modo* non potest esse alicuius, nisi ad cuius esse operatur voluntas quantum potest; quia nihil vult *efficaciter*, nisi ad quod disponit media per quae potest deduci; et talis volitio efficax nunquam est alicuius impossibilis. Nullus enim consiliatur de impossibilibus, nec praecipit intellectui practico ad inquirendum media ad illud; et hoc modo habet intelligi verbum Philosophi: *electio non est impossibilium*. — *Oxon*. II. d. 6. q. 1. n. 4. — III. d. 33. n. 17.

Velleitas * igitur * potest esse respectu impossibilis; non tamen *velle efficax* respectu sciti impossibilis, quia ibi nunquam praecipitur executio, nec eliguntur media. — *Report*. II. ib. n. 8. — Quidquid ostenditur voluntati tamquam impossibile, vel voluntas omnino non vult illud, vel si vult illud, tenuiter vult. — *Oxon*. III. d. 26. n. 20. — *Ib*. Prol. q. 4. n. 22.

Impossibilius non sequitur ex minus impossibili. — *Ex minus impossibili non sequitur impossibilius*, sicut *nec ex minus falso sequitur falsius*. — Et hoc probo: quia si falsius habeat duplicem rationem falsitatis, et minus falsum tantum unicam, circumscribamus a falsiori illam rationem falsitatis qua excedit minus falsum, stante alia, et a minus falso illam quam habet; tunc falsius erit falsum, et minus falsum non erit falsum, quia circumscripta est ratio falsitatis minus falsi; ergo hoc posito, falsius erit falsum, et minus falsum erit verum, et tunc e vero sequitur falsum. — Ex hoc etiam patet tunc, quod *ex minus impossibili non sequitur impossibilius*. — *Oxon*. I. d. 8. q. 5. n. 17. — II. d. 1. q. 1. n. 20.

Indivisibile non potest esse partim in uno termino et partim in alio. — Cum accipitur *indivisibile non potest esse partim in uno termino et partim in alio*, quia non habet partes, verum est de prima partibilitate * (mobilis) *, falsum autem de secunda partibilitate * (spatii) * — *Oxon*. II. d. 2. q. 9. n. 38.

Inesse est prius quam agere. — Inesse *accidentis* non est essentialiter prius quam *agere* in extrinsecum, loquendo de inesse alicubi substantiae, quia utrumque convenit contingenter accidenti, et posterius etiam contingenter praehabet prius. Necessario quidem et essentialiter *actio* praesupponit *esse* ipsius *formae activae;* sed quod *inesse* concomitetur illud esse non est necessarium, nec necessario praeexactum ad *agere*. Quando tamen uterque respectus convenit eidem formae absolutae, scilicet, *inesse* et *agere* in *extrinsecum*, licet uterque sit extrinsecus adveniens, tamen primus non ita se habet contingenter ad fundamentum sicut secundus; quia si semper fundamentum, stante ordine causarum naturalium, habet primum respectum, non sic secundum, et possunt plura impedire, ne secundus respectus insit, quam ne primus, quia contrarium impediens potest auferre isti formae ne *agat*, sed ne *insit* nihil potest auferre, nisi Deus.

Est ergo falsum, quod *inesse est prius quam agere* essentialiter, sed tantum *esse* est essentialiter prius: *inesse* autem est *communiter* prius considerando ordinem causarum naturalium. — *Oxon*. IV. d. 12. q. 3. n. 33. — *Report*. ib. n. 21.

Inesse — Quae de necessitate insunt, per se insunt. — Haec propositio est vera, quando illud quod subiicitur natum est subiici. — Sed animal * ex. gr. * non est natum subiici respectu hominis; ideo in talibus non est propositio intelligenda. — *Poster*. I. q. 18. n. 5.

Inesse — Quae per se insunt de necessitate insunt. — Hoc patet in demonstratione: quia propositio *per se*, sicut demonstratio

utitur *per se*, aut est *conclusio* demonstrationis, aut *principium*. — Si *conclusio*, sequitur, quod necessaria; quia quod scitur impossibile est aliter se habere, per definitionem eius quod est *scire* (1); conclusio scitur per demonstrationem; igitur etc. — Similiter si propositio *per se* sit *principium* demonstrationis, adhuc est necessaria; quia necessitas conclusionis non est nisi ex necessitate principiorum; cum igitur conclusio in demonstratione sit necessaria, principia erunt necessaria, quia necessarium non scitur nisi ex necessariis; sequitur igitur: *hoc est per se; ergo necessarium;* loquendo de perseitate quae pertinet ad demonstrationem.

Unde sciendum est, quod *perseitas* sumitur duobus modis: *uno modo* ut pertinet ad *demonstrationem*. — Accipitur *perseitas* alio modo, ita quod praedicatum insit subiecto non per medium, sicut est haec *per se: superficies est alba,* et *ille homo est quantus.* Sed de talibus non considerat demonstrator in suis demonstrationibus, et de talibus non habet haec propositio intelligi: *Quae per se insunt, de necessitate insunt.* — *Post.* I. q. 39. n. 5.

Infeliciores sunt improbi iniusta impunitate damnati quam iuxta punitione puniti. (Boetius, de *Consol.* 4). — Nec mirum, quia in primo nullum est bonum nisi *naturae,* quod tamen vitiatur per malum *culpae;* in secundo ultra bonum *naturae,* est aliquod bonum *reformans culpam,* scilicet, iusta correspondentia poenae ad illam. — *Oxon.* IV. d. 46. q. 4. n. 8. — Quando enim additur peccatori malum poenae, inter modum *culpae* illius et *poenam* non est nisi bonum *iustitiae,* quia si non est in illo bonum iustitiae, nullum bonum est in eo, scilicet, peccatore, nisi *natura;* sed deficit habitudo bona et respectus additus culpae, per quem habet culpa bonum superadditum, scilicet, iustitiam, respectu poenae superadditae culpae. — *Report.* ib. n. 21.

Infinita non contingit pertransire. — Quia infinitum non habet principium, neque terminum. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. S. un. c. 2. n. 14. — Dicit * Philosophus *, quod *si species causarum essent infinitae pluralitate, non esset ita cognoscere, tunc enim putamus scire, cum noverimus ipsas causas; infinitum vero secundum additionem* speciei unius ad aliam *non est pertransire in finito tempore,* id est, secundum illam infinitatem, ita quod possent cognosci omnes causae, si ponantur infinitae. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. s. un. c. 2. n. 21. — Ad auctoritatem Philosophi dico, quod *non convenit infinita pertransire* incipiendo ab uno et capiendo *hoc post hoc;* neque Deus posset sic intelligere infinita, quia si nunc inciperet intelligere hoc instans, et semper intelligeret unum post aliud, nunquam pertransiret omnia instantia futuri temporis infiniti. Et sic intelligit Philosophus: cum scientia sit rei cum causas eius cognoscimus, si dependeret ex *infinitis* causis, ipsa non posset cognosci. — *Report.* III. d. 14. q. 2. n. 25. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. S. un. c. 2. n. 9 seqq. — IV. S. 2. c. 2. n. 44. — *Theor.* V. — *QQ. Metaph.* l. II. q. 6. n. 29.

Infinitas in causis est impossibilis. — Vid. *Causarum infinitas est impossibilis.*

Infiniti entis conceptus simplicior aliis est et perfectior. — Ad multos conceptus proprios de Deo possumus pervenire, qui non conveniunt creaturis, cuiusmodi sunt conceptus omnium perfectionum simpliciter in summo, et perfectissimus conceptus, in quo quasi in quadam descriptione perfectissime cognoscimus Deum, est concipiendo omnes perfectiones simpliciter et in summo. Tamen conceptus *perfectior* et *simplicior* nobis possibilis est conceptus *entis simpliciter infiniti.* Iste enim simplicior quam conceptus entis *boni,* vel entis *veri,* vel aliquorum similium; quia *infinitum* non est quasi attributum, vel passio entis, sive eius de quo dicitur, sed dicit modum *intrinsecum* illius entitatis; ita quod cum dico *ens infinitum,* non habeo conceptum *quasi per accidens* ex *subiecto* et *passione,* sed conceptum *per se subiecti* in certo gradu perfectionis, scilicet, *infinitatis:* sicut albedo visibilis, imo intensio dicit gradum intrinsecum albedinis in se. Et ita patet *simplicitas* huius conceptus, scilicet, *ens infinitum.*

(1) Vid. Distinctiones: *Scientia = Scire.*

Perfectio autem istius conceptus multiplicer probatur: tum quia iste conceptus, inter omnes a nobis conceptibiles, virtualiter *plura* includit; sicut enim *ens* includit virtualiter *bonum* et *verum* in se, ita *ens infinitum* includit *verum infinitum* et *bonum infinitum*, et omnem perfectionem simpliciter sub ratione *infiniti:* tum quia demonstratione *quia* ultimo concluditur esse de ente *infinito*, vel *esse infinitum* de aliquo ente, sicut apparet ex quaest. l. 2. dist.: illa autem sunt *perfectiora* quae ultimo cognoscuntur demonstratione *quia* ex creaturis, quia propter eorum remotionem a creaturis, difficillimum est ea creaturis cognoscere. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 17.

Infinitis (in) non est ordo. — Quia ubi non est aliquod primum non est aliquod habitum. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 2. n. 16. — Id est *consequenter se habens.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. S. un. c. 2. n. 18.

Infinito nihil potest addi. — Cum dicitur: *infinito nihil potest addi*, verum est: quod facit unum per *compositionem;* sed non est impossibile aliquid addi infinito secundum *dependentiam;* quia tota creatura non est in Deo *formaliter*, quia sic esset *Deus* formaliter; et ideo tota creatura potest addi Deo, *dependendo*, sed non *informando.* — *Report.* III. d. 1. q. 2. n. 11. — Infinitum * enim * non habet in se quodcumque ens *formaliter*, sed *virtualiter*, vel *eminenter.* — *Oxon.* ib. q. 1. n. 16. — Quia infinitum nullam perfectionem recipit quae *informet* ipsum. — *Ib.* d. 6. q. 1. n. 9. — Et infinitum a finito nullo modo perficitur. — *Ib.* Prol. q. 3. n. 23.

Infinitum est ignotum. — *Infinitum inquantum infinitum est ignotum* * (Philos. *I. Physic.* test. 35) *. — Quia impossibile est infinita cognoscere qualibet cognitione *distincta.* — *Physic.* I. exp. text. 35. n. 43. — Dico, quod infinitum *potentiale* est ignotum; quia unumquodque est cognoscibile inquantum est in *actu.* Non tamen ita est *ignotum*, quod repugnat sibi intelligi ab intellectu *infinito*, sed non potest infinitum cognosci ab aliquo intellectu cognoscente ipsum secundum modum suae infinitatis; modus enim suae infinitatis est accipiendo alterum post alterum; et intellectus qui cognosceret hoc modo alterum post alterum cognosceret semper aliquod *finitum*, et nunquam *infinitum;* intellectus tamen *infinitus* potest cognoscere totum illud *simul*, non partem post partem. — *Oxon.* l. d. 3. q. 2. n. 20. — Cf. *Quodlib.* q. 5. n. 2.

Infinitum infinito aequale esse nequit. — *Aequale, maius* et *minus* non conveniunt quantitati molis nisi *finitae*, quia prius dividitur *quantum* per *finitum* et *infinitum*, quam sibi conveniat *aequale* vel *inaequale;* de ratione enim quantitatis maioris est excedere, et minoris *excedi*, et aequalis *commensurari;* quae omnia videntur concludere *finitatem.* Et ideo negaretur *infinitum esse aequale infinito;* quia *aequale* et *inaequale*, et *maius* et *minus* sunt differentiae quantitatis *finitae*, et non *infinitae.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 20. — Infinitum * namque * *suo modo* non repugnat quantitati, id est, in accipiendo partem post partem. — *Ib.* I. d. 2. q. 2. n. 31. — * Sed * infinitum ut infinitum in *perfectione* non potest esse *inaequale.* — *Ib.* IV. d. 50. q. 6. n. 5.

Infinitum inter et finitum nulla proportio. Si loquamur de proportione *geometrica*, tunc *nulla est proportio finiti ad infinitum;* quia finitum quotiescumque sumptum nunquam reddit infinitum. — Et isto modo, sicut entitas creata est improportionata entitati increatae, ita est sibi improportionata in intelligibilitate, ita quod intelligibilitas unius multoties sumpta non reddit intelligibilitatem alterius. Sed ex hoc non sequitur, quod non sit intelligibile proportionatum virtuti cognitivae ipsius cognoscentis. — *Report.* IV. d. 49. q. 10. n. 5. — *Oxon.* ib. q. 11. n. 6. — *Proportio* non semper requirit, quod unum crescendo possit adaequari alteri, vel fieri aliud, quia nunquam materia crescendo fiet forma. Ideo talis *proportio non est finiti ad infinitum.* Tamen proportio secundum *dependentiam* bene potest esse finiti ad infinitum. — *Report.* III. d. 1. q. 2. n. 12. — *Oxon.* ib. q. 1. n. 16. — Cf. *Quodlib.* q. 5. n. 9.

Infinitum non est componibile. — Per hoc, quod omne *componibile* potest esse *pars* alicuius totius compositi, quod est ex ipso

et alio componibili: omnis autem pars potest *excedi;* ergo *infinitum non est componibile.* — Et *confirmatur* ratio, et quasi idem est: quia omne componibile caret perfectione illius cum quo componitur, ita quod illud aliud componibile non habet in se omnem perfectionem et omnimodam identitatem cum illo, quia tunc non posset cum illo componi: nullum autem infinitum caret eo cum quo potest aliquo modo esse idem, imo omne tale habet in se secundum perfectam identitatem, quia alias posset intelligi perfectius, puta si haberet illud in se, sicut compositum habet, et istud infinitum non habet: contra rationem autem *infiniti* est simpliciter, quod ipsum possit intelligi perfectius, vel aliquid perfectius eo. — *Oxon.* I. d. 8. n. 7. — * Seu brevius: * Infinitum non est componibile ut pars, quia parte totum est perfectius: infinito nihil est perfectius. — Infinitum tamen est *unibile,* id est, potest terminare dependentiam alterius ad ipsum. — *Ib.* III. d. 1. q. 1. n. 16. — I. d. 26. n. 56. — * Sive *: Infinitum non solum non est compositum, sed etiam *omnino incomponibile* cuilibet alteri; omne enim componibile potest esse *pars,* et per consequens *excedi,* quia totum est maius sua parte: infinitum autem nullo modo potest excedi; ergo est omnino simplex, et incompositum et incomponibile. — *Quodlib.* q. 5. n. 15.

Infinitum non est compositum. — Quia si sit compositum, aut ex *finitis,* aut ex *infinitis.* Si ex *infinitis,* nullum tale est *componibile,* ex probatis (1). — Si ex *finitis,* ipsum non erit infinitum; quia finita non reddunt aliquid infinitum in perfectione, sicut modo loquimur. — *Oxon.* I. d. 8. q. 1. n. 5.

Infinitum ex se omnino indistinctum potest esse principium distinctorum. — Verum est, ubi illa distincta non requirunt ex ratione sui distinctionem priorem in principiis. — *Oxon.* I. d. 13. n. 17. — Cf. *De Rer. Princ.* qq. 2 et 3.

Infinitum nulli subordinatur. — *Infinitum intensive non potest esse subordinatum essentialiter alicui alteri:* nec sicut ad *finem,* quia bonum infinitum non est propter alterum bonum; nec infinitum potest esse subordinatum alteri *principaliori,* quia habet virtutem activam infinitam. — *Quodlib.* q. 7. n. 40.

(1) Supra, *Infinitum non est componibile.*

Infinitum unicum sit oportet. — *Non possunt esse plura realiter distincta et formaliter infinita.* — Probatur: primo comparando ista plura *inter se:* secundo, comparando infinitum intensive ad entia *finita generaliter:* et tertio, ad intellectum et voluntatem *specialiter.*

Primo sic: Infinito nihil deficit entitatis, eo modo quo possibile est illud haberi in uno: sed omnem *perfectionem simpliciter* possibile est realiter et per identitatem haberi in uno summe perfecto; infinitum ergo habet in se realiter et per identitatem omnem *perfectionem simpliciter:* sed non habet in se realiter et per identitatem illud quod realiter est distinctum ab eo; ergo ab infinito nulla *perfectio simpliciter,* sive nullum perfectum simpliciter potest esse realiter distinctum: esset autem *perfectio simpliciter* distincta realiter, si esset *aliud infinitum* realiter distinctum. — Habemus ergo, quod non possunt esse infinita plura realiter distincta. — *Quodlib.* q. 5. n. 7.

Secundo, comparando illa plura *inter se* probari potest per hoc, quod plura bona excedunt in bonitate idem bonum unum, et hoc quando in quolibet istorum plurium est aequalis bonitas sicut in uno illorum: nunc autem si essent plura infinita, in quolibet eorum est aequalis bonitas sicut in uno quolibet eorum; ergo illa plura bona excedunt in bonitate illud unum bonum, et ita illud unum non est infinitum. — *Ib.* n. 8., *ubi obiectionem solvit.*

Ex comparatione autem *infiniti* ad alia *finita generaliter* arguitur sic: Unum infinitum sufficienter terminat dependentiam omnium finitorum, et specialiter primum a quo dependent: sed non possunt plura sufficienter terminare dependentiam in eodem ordine dependentiae eiusdem dependentis; ergo nec plura esse infinita. — *Probatio maioris:* sicut dependentia quaecumque est ratione *imperfectionis,* sic terminare dependentiam, non qualitercumque, sed *primo,*

convenit alicui ratione *perfectionis:* summa autem perfectio, quam impossibile est excedi, est in uno infinito intensive. — *Ib.* n. 9.

Ex ista autem comparatione *infiniti* ad *alia generaliter* potest argui breviter sic: In entibus, secundum ordinem essentialem ascendendo, semper itur ad *unitatem*, et per consequens necesse est illum ordinem statum habere in aliquo *uno:* infinitum autem intensive est omnino summum, et hoc secundum ordinem essentialem; ergo est omnino *unum.*

Tertio probatur *specialiter* ex ordine infiniti ad *intellectum* et *voluntatem*, et hoc sic: Ens infinitum est obiectum *primum* intellectus infiniti, et obiectum eius etiam beatificum: sed non possunt esse eiusdem intellectus infiniti plura obiecta prima et beatifica. — Consimiliter etiam posset argui de obiecto primo beatifico *voluntatis.*

Prima propositio potest intelligi de *primitate triplici*, et de qualibet est vera; et secundum hoc prima propositio continet *tria membra.* — Una primitas obiecti dicitur esse primitas *adaequationis*, quando, scilicet, potentia non excedit illud obiectum: quomodo *coloratum* vel *luminosum* dicitur esse primum obiectum *visus.* Alio modo primum potest dici *virtute* cuius omne aliud intelligitur vel cognoscitur a tali intellectu: quomodo *lux* est primum obiectum *visus.* Tertio modo primum potest dici *perfectionis*, quod in se continet tamquam in summo perfectionem omnium obiectorum, et virtutem perficiendi potentiam. — *Obiectum* autem *beatificum* est illud in quo summe perficitur et quietatur et satiatur intellectus. — *Ib.* n. 10.

Ex his tribus possunt accipi *tres maiores.* Nam idem intellectus non habet distincta *adaequata* obiecta, quia non potest in aliud obiectum distinctum contra suum obiectum adaequatum, quia tunc idem obiectum esset *adaequatum* et *non adaequatum;* et tunc potentia excederet illud in operando circa aliud ex aequo distinctum. — Et etiam nec potentia potest habere plura obiecta prima primitate *virtutis*, qui est secundus intellectus; quia non potest esse quod virtute **A** intelligat quidquid intellexerit, et ita **B**, et in virtute **B** intelligat quidquid intellexerit, et ita **A**, quia quod **A** sit ratio intelligendi **B**, et e converso, est circulatio, et ista circulatio est impossibilis. — Nec potest etiam intellectus *summe quietari* in duobus ex aequo distinctis, quia non habet pro obiecto beatifico et quietativo illud, quo circumscripto, nihil minus quietaretur et beatificaretur: sed circumscripto uno, adhuc esset in alio summe satiatus, quietatus et perfectus; ergo in illo non posset esse perfectus, pari ratione nec in alio.

Patent igitur *tres maiores:* quia eiusdem intellectus non possunt plura esse obiecta ex aequo distincta, prima primitate *adaequationis*, nec prima primitate *virtutis*, nec prima primitate *perfectionis*, sicut obiectum beatificum est primum.

Minor, scilicet, quod *infinitum formaliter et intensive est primum obiectum intellectus divini* quolibet istorum modorum, probatur; et primo de *secunda* primitate: quia quod est ratio *essendi* est ratio *cognoscendi;* infinitum ergo cum eminenter contineat in se quodlibet secundum *omnem entitatem*, etiam eminenter continet in se *omnem cognoscibilitatem:* sic autem continens virtualiter aliquid est etiam motivum ad eius cognitionem; sic ergo *infinitum* intensive quodcumque habet rationem *obiecti primi* respectu intellectus divini, et hoc primitate *virtutis.* — *Ib.* n. 11.

Ex hoc sequitur, quod ipsum est obiectum primum primitate *adaequationis:* quia intellectus divinus non habet obiectum adaequatum commune per *abstractionem* ab omnibus obiectis, sed commune communitate *virtutis* ad omnia per se obiecta, alias vilesceret eius intellectus, quia posset immutari ab obiecto finito; quod ergo est sibi primum *virtualiter* est etiam primum *adaequatum.*

Ex hoc etiam patet tertia primitas, scilicet, *perfectionis*, quae est obiecti *beatifici*, quia in perfectissimo obiecto, et summe continente omnem perfectionem omnium obiectorum, summe quietatur et perficitur et satiatur ipsa potentia, et ita *beatificatur.*

Confirmatur ista ratio quantum ad *maiorem* et *minorem:* quia sint plura in-

finita distincta, **A** et **B**; intellectus divinus poterit intelligere utrumque, alioquin alterum non haberet rationem *entis:* neutrum autem potest intelligi nisi actu *comprehensivo*, cum sit formaliter infinitum: *unico* autem actu comprehensivo non possunt intelligi *duo* distincta habentia propriam *infinitatem*, quia unicum obiectum intensive infinitum adaequatur unicae comprehensioni; ergo intellectus divinus duobus actibus comprehensivis intelligeret **A** et **B**; ergo secundum illos haberet *simul duos actus;* quod est impossibile, quia unica comprehensio infinita et infiniti adaequatur uni intellectui infinito; vel *non simul*, et ita dabitur *successio*, vel mutatio; vel nunquam, cum utrumque sit infinitum intensive. — *Ib.* n. 12. — Cf. *Oxon.* I. d. 2. q. 3. per tot.

Ingenita facere quae facta sunt non potest Deus. — Non est potentia ad praeteritum, et ut differt ab aliis temporum differentiis est *non-ens:* et Deus non fecit in natura potentiam ad *non-ens;* ita nec ad praeteritum. Fecit tamen potentiam ad illud quod est praeteritum, ut sit futurum: non tamen sub ratione praeteriti, quia non potest facere, quod praeteritum non fuisset praeteritum, *VI. Ethicor.: Ingenita facere quae facta sunt non potest Deus.* — *Report.* IV. d. 43. q. 3. n. 11. — Intelligit Philosophus *ingenita facere quae facta sunt*, id est, non potest facere quin facta fuerint. Sed non sequitur: ergo non potest facere ea praesentia; non enim repugnat ea facta fuisse et nunc esse praesentia alia factione, etiamsi destructa fuerint inter primam factionem et secundam. — *Oxon.* ib. n. 13. — Vid. *Deus hoc solo privatur*, etc.

Intellectio continuo dependet a sua causa. — Intellectio est in continua dependentia ad praesentiam suae causae; quia aliter non haberet esse, sicut patet per Augustinum, *XI. De Trinit.* c. 3: *Cum autem cogitantis acies aversa inde fuerit, nihil formae quae impressa erat in eadem acie remanebit;* non enim manet actus *intelligentiae* absque tali praesentia causae quasi continuo influentis. — *Oxon.* I. d. 3. q. 9. n. 11.

Intellectio est propria operatio hominis. — Dico, quod propria operatio *hominis*, secundum quod homo, est propria operatio *animae*, et aeque *primo* eius ut *totius*, aliter non intelligeret quando est separata. Unde proprie loquendo de operatione *hominis* secundum quod homo, est operatio quae est *primo totius*, et *non primo partis;* haec non est *intellectio*, sed aliqua *operatio organica*, quae non est ipsius *animae* nisi inquantum est *coniuncta* et pars totius hominis; et haec non est principalissima; nam *intelligere* prius competit animae, et non corpori vel homini, nisi inquantum anima est pars formalis eius. — Vel dicerem, si hoc non est verum, quod propria operatio *hominis* et *speciei*, quae *primo* est *totius*, aeque primo sit operatio *partis* eius *formalis;* vel quod nulla est per se primo operatio totius nobilior operatione organica, quod non est verum.

Sed quae est ratio quare in proposito operatio *speciei*, quae primo est *totius* hominis, est *primo partis formalis* quae est principium formale operandi, et non est sic de aliis operationibus specificis, quae primo sunt *totius*, et nullo modo sic sunt ipsius *partis?* — Dico, quod hoc ideo est in proposito, et non in aliis, quia hic *pars formalis*, quae est principium operandi, potest esse *per se operans*, quia potest *esse per se*, et quod potest *esse* per se potest *operari* per se; sed in aliis principium operandi non potest communiter esse per se, et consequenter nec per se operari, sed tantum est principium *operandi*, et non *operans;* ubicumque enim principium potest esse per se, sicut est in proposito, potest esse per se operans. — *Report.* IV. d. 45. q. 2. n. 10. — *Oxon.* ib. q. 1. n. 8. — Intellectio ut intellectio est propria operatio naturae viventis vita intellectuali. — *Quodlib.* q. 1. n. 14.

* Notandum tamen, quod * intellectio, quae est operatio immanens in operante (1), potest dici *competere per se* alcui dupliciter: uno modo sicut *proximo* susceptivo: alio modo sicut *remoto. Exemplum:* primo modo superficies dicitur alba: secundo modo non, sed bene dicitur *homo est albus.* —

(1) Cf. *Quodlib.* q. 15. n. 24.

Sic anima dicitur *per se intelligere* tamquam *proximum* receptivum intellectionis, sed non *primum* quando est unita, quia quando est unita est ratio secundum quam intellectio convenit homini tamquam toti per formam; *homo* autem dicitur *per se intelligere* tamquam receptivum *remotum;* quia non recipit intellectionem nisi per hoc quod anima, quae est eius forma, proximius recipit eam. — Quando ergo accipitur, quod *anima per se intelligit,* hoc non est verum nisi eo modo quo operatio convenit formae sicut *proximo* susceptivo. — *Ib.* q. 9. n. 14.

Ex ista patet quomodo intellectio est *immaterialis,* scilicet, non quod non sit ipsius animae unitae prout informat materiam, sed quia ipsa est solius animae ut *proximi* susceptivi, *totius* autem *compositi* tamquam *remoti* susceptivi, et tantum secundum *partem formalem* sui. – *Ib.* n. 15.

Ex hoc patet quare anima separata non potest *sentire,* quia non habet *receptivum sensationis,* quod est organum, nec *formalem rationem* recipiendi, quae est forma totalis ipsius organi. — Per oppositum est de *intellectione;* quia *receptivum* eius *proximum* et *proxima ratio formalis* recipiendi eam est *anima,* vel aliquid ex parte animae praecise, non includendo aliquam materiam; et propter hoc potest ipsa competere animae separatae, quia ibi manet proximum eius receptivum. — *Ib.* n. 11.

Intellectionem (ad) est mutatio. — An ad huiusmodi operationes * (intellectionem et volitionem) * sit aliqua per se mutatio? — Dicendum breviter, quod sic: nam secundum Philosophum, *VI. Physicor., mutari est aliter se habere nunc quam prius* (1): sed intellectus actu intelligens se habet aliter nunc quam prius; ergo vere est mutatio per se; ergo proprie mutatio ad huiusmodi operationes terminatur. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 33.

Intellectio prima non est in potestate nostra. — In intellectu nostro habente naturaliter *primam intellectionem, quae non est in potestate nostra,* potest postea voluntas nostra complacere in illa intellectione iam posita; sed proprie loquendo non elicimus illam actionem volentes, sed eam elicitam volumus esse. — *Oxon.* I. d. 6. n. 3.

Intellectio sine phantasmate perfectior quam cum phantasmate. — Dico, quod aliquid potest dici perfectius *positive,* vel *permissive. Exemplum: animal* est perfectius *musca permissive,* quia ratio *animalis* permittit, quod animal salvetur in homine; *musca* autem est perfectius *positive,* quia quaelibet *species* aliquam perfectionem ponit ultra *genus.*

Ad propositum, *intelligere sine phantasmate* est *perfectius* quam *intelligere cum phantasmate;* verum est *permissive,* sed non *positive,* id est, non *ponit* plus perfectionis. *Quod probatur:* quia agens potens uti *instrumento* non *positive* perfectius agit si non utatur instrumento; tamen actio *sine* instrumento possibile est quod sit *perfectior* actione quae est *cum* instrumento. Ita hic de *phantasmate,* quod est ut *instrumentum,* concedo, quod aliquam conditionem perfectionis habet intellectio *sine* phantasmate, quam non habet intellectio *cum* phantasmate, quia similitudinem quamdam cum intellectione simpliciter perfecta substantiae separatae. Sed non sequitur ex hoc, quod quaecumque talis sit simpliciter perfectior quacumque tali. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 1. n. 6. — *Report.* ib. q. 2. n. 8.

Sed intellectio est simpliciter perfectior phantasmate et quacumque tali perfectione quae est in parte sensitiva; quia intellectio est proprie perfectio naturae intellectualis, ut intellectualis est, quae, inquantum talis, nobilior est tota anima sensitiva, et ita perfectior perfectione. — *Quodlib.* q. 15. n. 3.

Intellectui coniuncto necessaria est species intelligibilis. — *Species intelligibilis* requiritur in intellectu propter duo: *Unum* est, si res intellecta sit *corporalis,* quia species sensus, nec imaginativae, cum ambae sint corporales, propter suam materialitatem et improportionem, non possent movere intellectum; et ideo est necesse, ut fiat ab ea abstractio, seu, ut melius dicam, multiplicatio speciei intelligibilis virtute luminis intellectus agentis: et tali specie rei corporalis sic abstracta, seu multiplicata a specie quae

---

(1) Vid. Distinctiones: *Mutatio.*

est in imaginativa, indiget intellectus coniunctus ad intelligendum. — *Secundo* requiritur species propter obiecti *absentiam:* et tali specie, indiget intellectus coniunctus tam respectu materialium, quam immaterialium: tali etiam specie indiget intellectus separatus ad cognoscendum materialia et immaterialia, saltem alia a se, et ad cognoscendum alia quae non sunt in eo. Utrum autem ad cognoscendum se, vel suos habitus, forte disputabitur (1). — Dico ergo, quod intellectus per speciem informantem intelligit tam universalia, quam particularia; et alia specie particularia, et alia universalia. Quam quidem speciem, tam respectu universalis, quam respectu singularis, intellectus colligit quando ex ipsa *sensatione,* et per illam intelligit rem extra particularitatem esse actu re extra: desinente autem actu sentiendi in sensu particulari, bene remanet species in intellectu ipsius sensationis corporalis; sed non facit certitudinem intellectui de actualitate existentiae rei extra; sed bene scit intellectus apprehendisse actualitatem. Utrum autem sit, non potest aliter scire, nisi per sensationem existentem actu. — *De Rer. Princ.* q. 14. n. 37. — Colligit etiam speciem intelligibilem ab ipsa specie rei singularis, ut est *in sensu* ad cognoscendum; sed per illam speciem non cognoscit rem actu esse in sensu praesentem, sed solum singulare absolute, sicut imago Petri non ducit me nisi in cognitionem Petri; similiter nec haec dictio, *Cesar,* significat Caesarem actu esse, sed Caesarem absolute. Sic nec species quae est in sensu particulari, nec illa quae est in imaginatione vel intellectu, certificat inquantum species de *actualitate existentiae* rei. — Colligit etiam tertio intellectus speciem ad cognoscendum singulare ab ipsa *imaginatione;* et hoc dum sensus actu non est, vel dum intellectus sensationem non advertit.

Ut sic ex tribus radicibus intellectus colligat speciem ad cognoscendum singulare: *Uno modo* ab ipsa *sensatione,* si sensatio seu actus sentiendi actu existat; et per illam speciem cognoscit intellectus esse singulare actu existere. — *Secundo,* a *specie* ut informat *sensum;* et per illam numquam cognoscit singulare esse actu, sed solum sicut imago ducit in cognitionem singularis simpliciter ut singulare est. — Verum quia aliquando intellectus non se convertit ad sensationes, nec species remanent in sensu, ideo a memoria sensitiva vel ipsa *imaginatione* etiam colligit intellectus speciem, si sensus actu non fuerit ad cognoscendum singulare. — *Ib.* n. 38.

Ab omnibus istis speciebus, puta sensationis, a specie rei sensibilis ut est in sensu, et ut est in imaginatione, colligit speciem rei universalis intellectus communis, cognita ipsa sensatione immediate: cum sit virtus reflexiva, et collectiva, cognoscit quidditatem sensationis universalis, videlicet, cognita re particulari per speciem, quam colligit ex sensu, vel imaginatione, immediate considerat illam rem sub ratione universalis: ut intelligendo hunc colorem, considerat colorem absolute per speciem coloris in eo factam: sic enim potest virtute intellectus multiplicari species intelligibilis in intellectu a specie quae est in sensu, sicut a specie quae est in imaginativa. — *Ib.* n. 39.

Dico igitur, quod oportet ponere in intellectu, ut habet rationem memoriae, speciem intelligibilem repraesentantem *universale* ut universale, naturaliter praecedentem actum intelligendi, et ab eodem actu realiter differentem. Et huiusmodi necessitas est duplex: *Una* ex conditione universali potentiae et obiecti, quare requiritur quod obiectum sub propria ratione obiecti praecedat actum, quod non contingeret, nisi esset species impressa in intellectu. — *Alia* est necessitas ex conditione et dignitate potentiae superioris, quam oportet salvare, et non vilificare: maxime autem vilificaretur intellectus, si non posset habere obiectum sibi praesens in operatione sua, sed dependeret essentialiter a potentia sensitiva. — Sic igitur ponenda est species in memoria intellectiva. — *Report.* I. d. 3. q. 4. n. 7., *ubi late prosequitur hanc materiam, quam plenius discutit in libro De Anima,* q. 17. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. *per tot.*

Intellectu (in) nihil est quin prius fuerit in sensu. — Verum est, quod cognitio sensi-

(1) *De Rer. Princ.* q. 15.

tiva aliquo modo praecedit intellectivam tamquam causa sine qua non, sed hoc est in *generatione* scientiae, non tamen in *perfectione*, quia intellectus est virtus perfectior. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 10. n. 4.

Illa propositio Aristotelis, *nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu*, vera est de eo quod est *primum* intelligibile, quod est, silicet, *quod quid est* rei materialis: non autem de omnibus *per se* intelligibilibus, quia multa *per se* intelliguntur, non quia speciem faciunt in sensu, sed per reflexionem intellectus; et ita est de Syllogismo: *in plus enim est per se, quam primo*, ut dicitur *I. Posterior. text 2.*, Isosceles enim *per se* habet tres angulos, sed non *primo*. — *Super Univers. Porph.* q. 3. n. 10. — Intelligendum est, quod licet virtus intellectiva est prior virtutibus sensitivis, tamen quodammodo dependet a virtutibus sensitivis; omnes enim virtutes sensitivae ordinatae sunt ad intellectivam; prius enim apprehenditur species a sensibus exterioribus, et postea a sensu communi, tertio a phantasia, quarto ab intellectu; et ita intellectus in cognoscendo aliquo modo dependet a potentiis sensitivis, quia per illas defertur ad intellectum possibilem. Et loquor de intellectu secundum quod cognoscitur per species acquisitas, quia de intellectu separato est alia ratio.

Tu dicis: intellectus est virtus immaterialis; ergo nullo modo a potentiis sensibilibus dependet, cum sint materiales. — *Dicitur*, quod intellectus est virtus *immaterialis* pro tanto quia non utitur organo corporeo in operando. Unde *virtus immaterialis* potest dici dupliciter: *Uno modo* quia *non est perfectio materiae;* et sic intellectus non est virtus immaterialis. — *Alio modo* quia *non utitur organo corporeo in operando;* et isto modo intellectus est virtus immaterialis. — Quia tamen est *perfectio materiae*, ideo aliquo modo a potentiis sensitivis dependet; ideo enim phrenetici non bene diiudicant, quia sensus est male dispositus, et ideo etiam intellectus ex consequenti. Similiter in dormiendo intellectus non iudicat, et hoc quia sensus ligatur. Similiter quidam capti sunt mente, quidam inepti; et huius causa non est *secundum se*, quia intellectus secundum se non est magis dispositus, nec minus, quia non suscipit magis, nec minus secundum se; sed causa est, quia in homine uno quam in alio est complexio melior. — *Poster.* I. q. 46. n. 2.

Sed propositio intelligenda est de his quae acquiruntur per *discursum*. — *Ib.* n. 3. — Vel aliter, intelligitur secundum naturam sensitivam, scilicet, de *sensibilibus*. — *Super Univers. Porph.* q. 5. n. 3.

Quod dicitur de Philosopho, *III. De Anima*, quod *speculamur quod quid est in phantasmatibus*, et quod *phantasmata se habent ad intellectum sicut sensibilia ad sensum*, et quod *nihil intelligimus sine phantasmate*, etc., pro omnibus talibus auctoritatibus dico, quod talis est connexio istarum potentiarum, scilicet, *phantasiae* et *intellectus*, pro statu illo, quod nihil intelligimus in *universali*, nisi cuius *singulare* phantasiamur; nec est alia conversio ad phantasmata, nisi quod intelligens universale imaginatur singulare eius, nec intellectus videt *quod quid est* in phantasmatibus, sicut in *ratione* videndi: sed intelligens *quod quid est* relucens in specie intelligibili videt illud in suo singulari viso per virtutem phantasticam in phantasmate. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 19.

Ideo dicendum, quod duplex est *necessitas* conversionis intellectus ad phantasmata. — Una est conformitas actionum potentiae intellectivae et phantasiae, quia quidquid intelligimus in universali illud idem phantasiamur in suo singulari, et simul necessario. Ex quo accidit, quod impedita operatione phantasiae, impeditur intellectus: sicut simul operatio sensus communis et particularis; et impedita operatione sensus particularis, impeditur operatio sensus communis. Quoad causam *secundam* vel necessitatem, est intelligendum, quod species intelligibilis abstrahitur a phantasmate, ut actu per ipsum phantasiatur obiectum particulare phantasiae. Antequam igitur intellectus habeat speciem, necessario oportet ipsum converti ad phantasmata, sicut proprium passivum convertitur ad suum proprium activum, a quo simul et ab intellectu

agente recipit speciem intelligibilem; et si eam habet, recipit intensionem actus, quia clarius videt obiectum; stante enim voluntate ad hoc, et phantasia non fatigata, quanto ipsa est magis in actu ordinato, intellectus intensius videt obiectum suum proprium. — *Ib.* n. 28.

* Ideo * nullus conceptus realis causatur in intellectu viatoris naturaliter nisi ab his quae sunt naturaliter motiva intellectus nostri: sed illa sunt phantasmata, vel obiectum relucens in phantasmate, et intellectus agens. — *Ib.* d. 3. q. 2. n. 8. — Intellectus * enim * noster pro statu isto non est natus moveri immediate, nisi ab aliquo imaginabili vel sensibili extra prius moveatur. — Et quare hoc? Forte propter peccatum, sicut videtur Augustinus dicere, *XV. De Trinit.* cap. ult.: *Hoc tibi fecit infirmitas. Et quae causa infirmitatis nisi iniquitas?* Vel forte ista causa est naturalis, prout natura *isto modo* instituta est, non absolute naturalis: puta si ordo iste potentiarum, de quo dictum est in I diffuse, necessario hoc requirat, quod quodcumque universale intellectus intelligat, oportet phantasiam actu phantasiare singulare eiusdem; sed hoc non est ex natura, nec ista causa absolute est naturalis, sed ex peccato; et non solum ex peccato, sed etiam ex natura potentiarum pro *statu isto.* — *Ib.* II. d. 3. q. 8. n. 13.

Si quaeritur, quae est ratio *istius status?* Respondeo: *status* non videtur esse nisi *stabilis permanentia legibus divinae sapientiae firmata.* Stabilitum est autem illis legibus sapientiae, quod intellectus noster non intelligat pro statu isto nisi illa quorum species relucent in phantasmate, et hoc sive propter poenam *originalis* peccati, sive propter *naturalem concordiam potentiarum* animae in operando, secundum quod videmus, quod potentia superior operatur circa idem circa quod inferior, si utraque habeat operationem perfectam; et de facto ita est in nobis, quod quodcumque *universaliter intelligimus*, eius *singulare* actu *phantasiamur.* Ista tamen *concordia*, quae est de facto pro *statu isto*, non est *ex natura nostri intellectus* unde intellectus est, nec etiam unde *in corpore* est; tunc enim in corpore glorioso necessario haberet similem concordiam, quod falsum est (1). Utcumque igitur sit iste status, sive ex mera voluntate Dei, sive ex mera iustitia punitiva, sive ex infirmitate, quam causam Augustinus innuit *XV. De Trin. cap. ult.*: *Quae causa* (inquit) *cur ipsam lucem acie fixa videre non possis, nisi utique infirmitas? et quis eam tibi fecit nisi utique iniquitas?*, sive, inquam, haec sit tota causa, sive aliqua alia, saltem non est *primum* obiectum intellectus, ut potentia est, *quidditas rei materialis*, sed est aliquid commune ad omnia intelligibilia; licet primum obiectum *adaequatum* sibi in movendo pro *statu isto* sit *quidditas rei sensibilis.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 24. — Cf. ib. q. 2. n. 29. — q. 4. n. 8. — III. d. 14. q. 3. n. 9. — IV. d. 45. q. 2. n. 8. — *De Anima*, q. 18. — *QQ. Metaph.* l. II. q. 3. n. 4 et 21. — *De Rer. Princ.* q. 13. n. 9. — *Report.* I. d. 3. q. 5. n. 9 seqq.

* Tamen * intellectus, tamquam potentia superior, potest habere actum tam circa sensibile quam circa insensibile. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 22.

Ubi sciendum, quod prima operatio intellectus, ut habetur *III. De Anima*, t. c. 21., est *apprehensio* simplicium, quam consequitur *compositio* ut actus secundus, et *argumentatio* ut tertius actus.

Simplicia autem si sunt sensibilia, hoc dubium est, quia forte, secundum Avicennam, VI., scilicet, *Naturalium*, part. I., et secundum Augustinum, si quis viveret et nihil unquam sensisset, et esset in statu perfectae aetatis, cognosceret se vivere et esse; ergo hic saltem certum est, quod cognitionem intellectivam non praecedit sensitiva ut *origo;* etiamsi aliunde posset oriri, non posset intelligi in universali, nisi prius

(1) « Intelligere ipsius intellectus uniti cum corpore non est sine phantasmate; intellectus tamen separatus alio modo intelligit, quia per modum substantiarum separatarum ». — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 2. n. 3. — « Quia nec modo possumus uti specie intelligibili sine phantasmate; tunc autem poterimus: non propter novam perfectionem, sed quia non est ibi ille ordo illarum potentiarum in operando qui nunc est ». — *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 20.

sentiretur in singulari. Quod probat Philosophus *I Poster.* t. c. 33; quia deficiente sensu deficit scientia de sensibilibus illius sensus, quam impossibile est accipere. — Si autem illa simplicia non sunt sensibilia, puta substantiae et intentiones secundae et huiusmodi, tunc alia concipiuntur ab intellectu primo actu intellectus, non sine apprehensione sensibilium, ex quibus cognoscuntur, vel per discursum, vel quaedam illorum, eo quod multiplicant species suas cum speciebus sensibilium, secundum diversas opiniones. Igitur nullo actu intellectus cognoscitur aliquid a nobis nisi praecesserit cognitio sensibilium in sensu. Hac autem cognitione praeexistente, generantur consequenter posteriores cognitiones in sensu communi et phantasia.

Et ulterius, quia illud quod existit in virtute phantastica, ut ibi existit, est improportionatum ut moveat intellectum possibilem, secundum quosdam, ideo attribuitur ei aliqua forma ab intellectu agente, virtute cuius potest movere intellectum possibilem. Ille igitur, sic conceptis simplicibus, potest virtute propria ipsa componere vel dividere. Conceptus autem tales complexi, si sint primorum principiorum, cognoscuntur esse veri lumine naturali intellectus, quia *principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus*, ex I. *Poster.*; etiam cognosci possunt quia veri sunt ex frequenti cognitione sensitiva, memorativa et experimentali, per quas cognoscimus terminos talis principii in suis singularibus in re esse coniunctos, sicut sensus frequenter vidit hanc totalitatem et hanc maioritatem coniungi.

Sic ergo patet qualiter cognitio experimentalis valet ad cognoscendum illud quod est principium artis et scientiae, de quo habetur *II. Poster.* text. c. ult., quia et propter cognitionem *simplicium*, quae cognitione sensitiva apprehenduntur, et propter cognitionem veritatis in *compositione*, sicut dictum est.

Quoad *primum*, non est cognitio experimentalis, sive frequens acceptio sensibilium necessaria, sed aliqua apprehensio sensibilis est ita necessaria, quod sine illa impossibile est, vel simplex, quod est terminus principii, vel compositum ipsum ab intellectu concipi; et idem etiam aeque verum est de conclusione sicut de principio.

Quoad *secundum* iuvat cognitio experimentalis ut citius assentiatur principio affirmativo, si per sensum cognoscatur coniunctio extremorum in singulo; negativo si disiunctio; sed non est necessaria nec ipsa, nec aliqua apprehensio sensitiva, licet enim nunquam per aliquem sensum videatur haec affirmatio vel negatio, nec eorum separatio in re, si tamen ex sensibilibus apprehenditur affirmatio vel negatio, et intellectus componat hanc propositionem, *de omni est affirmatio vel negatio vera*, assentitur isti. Et etiam ubi sensus percipit coniunctionem singularium terminorum in re, adhuc certius adhaeretur principio complexo per naturale lumen intellectus quam propter aliquam apprehensionem sensus; si enim in apprehensione sensus esset error, et intellectus iudicaret sensu errare in hoc, et tamen a sensu errante acciperet notitiam simplicium, et illa componeret ex sua virtute, adhuc intellectus circa illud principium non erraret quantum ad veritatem compositionis.

Quoad *conclusiones* cognitio sensitiva est necessaria propter apprehensionem simplicium, sicut prius dictum est; sed non est necessaria quoad veritatem compositionis. Sed quoad veritatem compositionis interdum iuvat cognitio experimentalis ex frequenti memoria genita; et hoc tantummodo quia conclusio vera est, et cum intellectus assentiat conclusioni quia vera, id est, ex frequenti acceptione sensibilium, et considerat illud cui assentit non esse per se notum, nec primum principium, cognoscit illud esse verum habens causam, et sic excitatur ad inquirendum *propter quid* illius veri. Unde experti conclusione *quia est* videntur se habere circa illam sicut admirantes nescientes adhuc causam eius quod cognoscunt *quia* verum est, et ex hoc incipiunt philosophari et causam inquirere. Admiratio tamen minus est quam cognitio experimentalis; quia admiratio potest esse ex unico actu sentiendi, cum adhuc non habeatur pro certo quia ita semper est. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 4. nn. 4 et 5.

Secundo directe ad clariorem intellectum est considerandum, quod a sensu, sive errante sive non, potest intellectus apprehendere simplicia, et statim universalissima, quia ad quamcumque apprehensionem sensitivam imprimuntur intellectui *ens* et *res*. Simplicibus apprehensis a sensu vero vel falso, propositiones fiunt virtute propria intellectus: primo de universalioribus, postea de aliis. De universalissimis vero, factis communibus conceptionibus, statim intellectus illis assentit, non propter sensum, imo certius quam posset per sensum, dato quod a sensu accepisset agnitionem veritatis illarum propositionum, alias propositiones facit, et immediatas de minus universalibus, sed non statim notas, nec scitas esse immediatas, quia termini non cognoscuntur. Inquirendo vero quid intelligitur per terminos, regulatur intellectus dividendo et amovendo unum, et attribuendo aliud per communes conceptiones. Cognito *quid* dicitur per *nomen*, cognoscitur si propositio est *immediata*, et statim ei propter se adhaeretur.

Cognoscitur etiam de *mediata* ex cognitione terminorum, quod ipsa sit mediata; qua cognita, intellectus sua propria virtute potest omnes propositiones immediatas de terminis illius conclusionis vel alterius ordinare simul omnino, modo quo possunt ordinari. Et si inveniat alias immediatas de terminis illis, quas cognovit esse immediatas ex cognitione terminorum, antecedere ad illam mediatam, statim virtute luminis sui assentit connexioni, quia *syllogismus perfectus est qui nullo eget*, etc., I. Poster. t. c. 1., et conclusionem cognoscet. Sic ultra ad alias.

Igitur, cum, quocumque errore posito in sensu, possint simplicia apprehendi, sicut et modo, et propositiones formari, et deveniri ad hoc quae immediata et quae mediata, et mediatarum illatio ex immediatis cognosci, sequitur, quod omnes conclusiones naturaliter nobis cognoscibiles per demonstrationem cognosci possent, etiamsi omnes sensus errarent, vel aliquis sic, et aliquis non.

Confirmatur illud: quia si per somnium essent caeco impressae omnes species colorum, quamvis acciperet apprehensionem intellectualem de coloribus a sensu errante, quia a phantasia utente phantasmate pro re, tamen omnes propositiones posset ipse formare de coloribus quas alius, mediatas et immediatas, et per immediatas ad mediatas devenire, et in nullius simpliciter demonstrabilis notitia deficeret, sed tantum in cognitione propositionis alicuius quae non esset sibi demonstrative possibilis probari, sed tantum cognoscibilis ex frequentia sensus, et conclusiones dependentes ex tali propositione ignoraret.

Secundum ista, videtur concedendum, quod in nobis cognitio intellectiva sit certior simpliciter quam sensitiva, quod probatur: tum quia de omni sensitiva potest intellectus iudicare, qualis ipsa est: tum quia certitudo nunquam est in apprehendendo verum, nisi talis sciat veritatem apprehensam, vel sciat illud esse verum quod apprehendit; nam si opinando apprehendam primum principium, licet illud quod verum est ne necessario apprehendam, tamen non sum certus: solus autem intellectus reflectitur iudicando se apprehendere verum. Et concordat rationi Augustini superius positae, quod per sensum non discernitur verum a falso: non quin verum apprehendat, sed non potest iudicare illud esse verum, discernendo ipsum a falso: tum quia sensus nunquam percipit immutabilitatem obiecti, licet illud quod immutabile est sentiat, non enim percipit nisi tantum obiectum ut disponitur tunc quando sentit, et ita non est ipse certior de immutabili quod sit immutabile, quam si continue mutaretur. Hoc consonat primae rationi Augustini: non quod sensibile semper mutetur, sed perinde est respectu sensus ac si continue mutaretur. — *Ib.* n. 11. seq.

Non tantum propter actum reflexum danda est maior certitudo intellectui quam sensui, sed propter compositionem et divisionem, quae vel nota est per se intellectui, vel ex per se notis infertur, in quarum neutra dependet cognitio intellectiva a sensu nisi occasionaliter. — *Ib.* n. 13.

Certitudo proprie non est nisi circa *compositionem* et *divisionem*, quae ad intellectum tantum proprie pertinet. Prima operatio intellectus semper vera est, licet se-

quens sensum errantem; ita enim concipitur albedo si visus apprehendit illud esse album quod est nigrum, sicut si albedo conciperetur a sensu vere vidente album; quia sufficit quod species vere repraesentativa albi veniat ad intellectum, ad hoc ut simplici apprehensione album vere apprehendatur. In compositione autem et divisione, sicut dictum est supra, errat intellectus sequens sensum errantem; sed non circa prima principia, nec circa conclusiones quae ex primis principiis deduxit; sed circa alias conclusiones, quarum aliam notitiam non habet nisi a sensu errante. Sed adhuc circa tales, licet aliquis sensus erret, tamen non oportet intellectum sequi, sed oppositum tenere, si iudicet tunc sensum errare. — *Ib.* n. 14.

Intellectui obiectum praesens sit oportet. — Aliae potentiae cognitivae habent obiectum praesens eis, non solum praesentialitate *secundaria*, scilicet, quia illa sunt praesentia aliis potentiis inferioribus, sed *propria* praesentialitate: sicut sensus communis habet colorem sibi praesentem, non tantum inquantum est praesens visui, sed quia habet speciem eius praesentem in organo sensus communis; ergo cum hoc sit perfectionis in potentia cognitiva, scilicet, posse habere obiectum sibi praesens sub ratione qua est obiectum talis potentiae, sequitur, quod intellectus non tantum potest habere obiectum sibi praesens quia praesens est virtuti phantasticae, sed propria praesentialitate, inquantum, scilicet, relucet intellectui per aliquod quod est in intellectu. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 11.

Intellectum inter et obiectum proportio requiritur, non aequalitas. — Dico, quod *inter obiectum et potentiam non oportet esse aequalitatem,* sed quamdam *proportionem.* Talia autem inter quae requiritur sola proportionalitas possunt esse maxime dissimilia, ut patet de *materia* et *forma,* similiter de *activo* et *passivo.* Sic est hic; non enim requiritur *inter obiectum et intellectum* nisi *proportio motivi* ad *mobile;* obiectum enim se habet per modum moventis potentiam; et inter talia magis requiritur dissimilitudo quam similitudo. Potentia enim capax est operationis tantum respectu *huius* obiecti, et ideo proportionatur, si potentia est ex se elicitiva, sicut *terminus operationis* et *operatio,* non sicut proportione *quantitativa,* aequali. — Hoc similiter patet in aliis. *Ens* ordinatum ad finem suum proximum habet *proportionem* immediatam ad illum; et tamen distat in infinitum a fine; nec tamen impedit hoc proportionem eius quod est ad finem. Ad illud genus proportionis pertinet proportio *obiecti* et *actus.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 4. — *Report.* ib. q. 10. n. 5.

Si accipiatur ista propositio, *omnis propria ratio intelligendi aliquod obiectum per adaequationem repraesentat illud obiectum,* dico, quod hic potest intelligi *adaequatio* simpliciter *entitatis* ad *entitatem,* vel adaequatio secundum proportionem *repraesentantis* ad *repraesentantem* absolute, vel tertio modo per adaequationem secundum proportionem, non absolute, sed *per comparationem ad actum talem:* sicut materia dicitur adaequari formae secundum proportionem, licet non secundum entitatem, pro eo quod eorum entitates sunt inaequales; tamen ista est perfectibilis, sicut illa est perfectiva, hoc est, quod tantum ista repraesentat quantum est repraesentabilis: puta, quod istud repraesentat obiectum ita perfectum et ita perfecte sicut ipsum apprehenditur a potentia per talem actum per quem repraesentatur.

Primo modo universaliter nullum per se repraesentans, quod est ratio repraesentandi et non cognitum, adaequatur illi quod repraesentat, sed deficit, sicut patet de *albedine* et *specie albi.* — Secundo modo aliqua ratio repraesentat per adaequationem, sicut species perfectissima albi repraesentat illud album et ipsa est ratio quasi comprehensive videndi album illud. — Tertio modo quaecumque albi species, etiam in oculo caecutiente, licet non ita perfecte repraesentet album sicut esset repraesentabile, tamen perfecte repraesentat illud per comparationem ad actum sequentem, quia ita perfecte repraesentat sicut requiritur ad habendum talem actum circa obiectum. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 12.

Intellectum nihil movet nisi in ratione primi obiecti. — Hic est aequivocatio de *primo* et *per se:* quia *uno modo* dicitur *per se* obiectum quod tamen in sua formali ratione non includit rationem formalem *primi* obiecti, per quam movet potentiam: sicut patet de *sensibili communi,* quod est *per se* obiectum visus, sicut *magnitudo* et *figura,* licet sint *per se* obiectum potentiae visivae, non tamen includunt rationem formalem *primam* motivam visus, sine qua non est videre, sicut est *color* et *lux.* — *Alio modo* sumitur obiectum solum *primum adaequatione;* et hoc includit in se vel sub se multa *per se* obiecta, quae tamen essentialiter includunt rationem *primi* obiecti, et addunt respectu *primi* obiecti aliquas *differentias perficientes;* secundum quem modum *albedo* et *nigredo* se habent ad *colorem;* et isto modo quodlibet moveret potentiam sub ratione *primi* obiecti communis, inquantum includitur in eo, et etiam sub ratione *propria,* quoad hoc quod addit *perfectionem* pertinentem ad illud genus. Et ,hoc modo *ens* est obiectum *commune adaequatum,* et hoc *potentiae intellectivae; ens,* dico, *in communi,* et quodlibet ens *speciale,* quacumque differentia *entis* contractum, sub eadem ratione movet, sive hoc sit ratio *individui,* sive ratio *speciei.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 11. n. 10.

Intellectus ad phantasmata sicut visus ad colores. — *Intellectus* coniunctus comparatur *ad phantasmata sicut visus ad colores,* ut habetur *III. De Anima, text. 30 et seqq.:* non quidem ut cognoscat phantasmata sicut visus colores, sed quia cognoscit illa quorum sunt phantasmata; ad illa enim cognoscenda prius et directe fertur; deinde redit ad cognoscendum actum suum; et ulterius in species, potentias et substantiam ipsius mentis; non enim haec comparantur ad intellectum ut *obiecta prima,* sed ut illa *quibus tendit* in actum. — *De Rer. Princ.* q. 16. n. 12. — Vid. *Intellectu (in) nihil est quin prius fuerit in sensu.* — *Phantasma se habet ad intellectum sicut sensibilia ad sensum.*

Intellectus agens est quo est omnia facere (Philos. *III. De Anima*). — Dico, quod cognitio dependet ab anima cognoscente et obiecto cognito, quia secundum Aug. *II. De Trinit. c. ult.: a cognoscente et cognito paritur notitia.* Licet ergo anima habeat sufficiens activum et passivum intra se, pro quanto actio respectu cognitionis convenit *animae,* non tamen habet intra se sufficiens activum pro quanto actio convenit *obiecto,* quia sic est ut *tabula nuda* (1), ut dicitur *III. De Anima.* Est igitur intellectus *agens quo est omnia facere:* verum est inquantum actio competit animae respectu cognitionis, et non inquantum obiectum est activum. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 25. — Intellectus * igitur * agentis est facere de non universali universale, vel de intellecto in potentia intellectum in actu. Quia intellectus agens facit aliquid repraesentativum universalis de eo quod fuit repraesentativum singularis, quomodocumque illud *de* intelligatur, *materialiter* vel *virtualiter.* — *Ib.* d. 3. q. 6. n. 8.

Apparet improbatio illius dicti, quod intellectus agens facit universalitatem in rebus per hoc quod *denudat* ipsum *quod quid* est in phantasmate existens; nam ubicumque est, antequam in intellectu possibili habeat esse obiective, sive in re sive in phantasmate, sive habeat esse certum, sive deductum per rationem, et si sic, non per aliquod lumen, sed semper sit talis natura *ex se* cui *non repugnet esse in alio;* non tamen est tale, cui potentia *proxima* convenit dici de quolibet, sed tantum est in potentia proxima *ut est in intellectu possibili.* Est ergo in re *commune* quod non est de se *hoc,* et per consequens ei de se non repugnat esse *hoc.* Sed tale commune non est *universale in actu,* quia deficit ei illa differentia, secundum quam *completive* universale est universale, secundum quam, scilicet, ipsum *idem* aliqua identitate est praedicabile de *quolibet* individuo, ita quod quodlibet sit ipsum. — *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 9.

Cum arguitur secundum Aristotelem, quod intellectus agens est *quo est omnia facere,* intelligendum est sic: facere omnia *actu intelligibilia.* Et hoc habetur ex eo quod sequitur, quod *lumen facit quodam-*

---

(1) Vid. *Anima est tamquam tabula rasa.*

modo potentia colores actu colores, quia facit eos actu visibiles, sic intelligendo, quod licet natura absoluta coloris, quae est in genere qualitatis, maneat eadem in tenebris, tamen ut sic non est visibilis, intelligendo de potentia *propinqua*; quia quando oportet duas causas concurrere ad agendum, una earum, scilicet, secunda, non est in potentia *propinqua*, nisi alia, scilicet, prima, concurrente. Ad hoc autem, quod color agat in visum, requiritur alia causa concurrens ad agendum, scilicet, *lumen:* ideo tunc solum est color *visibilis* in potentia *propinqua*, quando est actu illuminatus. Hoc modo phantasma non potest gignere speciem intelligibilem, nisi concurrente actione intellectus agentis. Ille igitur intellectus *facit* omnia *actu intelligibilia*, et hoc in potentia *propinqua;* quia relucentia in speciebus intelligibilibus, quae prius fuerunt in potentia remota, quia tantum relucentia in repraesentativo materiali et repraesentante ea sub ratione singularis. Non autem dicit, quod agens est quo est omnia facere actu *intellecta*. Cum igitur concluditur adaequatio intellectus agentis in agendo ad possibilem in recipiendo, debet inferri uniformiter de actione et receptione actu *intelligibilis*, non de actione et receptione actu *intellecti*. — *Quodlib.* q. 15. n. 19., * qua in quaestione late agit de *activitate* intellectus *agentis* et *possibilis* *. — Cf. *Coll.* VII.

Intellectus a sola evidentia movetur. — In non evidentibus ex terminis, nec ex principiis evidentiam habentibus non consonant firmiter et infallibiliter multi diversimode dispositi, nisi a causa superiore ipsorum intellectus inclinentur ad assensum; quia, cum intellectus quantum ad assensum sit natus moveri ab obiecto evidente *in se* vel *in alio*, nihil aliud ab obiecto videtur talem assensum posse causare, nisi virtualiter includat evidentiam obiecti: nihil autem est tale de non evidentibus ex terminis nisi intellectus superior nostro: nihil autem intelligens superius homine potest hominem effective docere, nisi Deus. — *Oxon.* Prol. q. 2. n. 4. — Intellectum igitur concipere notitiam *communiter* requirit intellectum creatum movere intellectum; sed non requirit hoc *ex per se ratione sua;* si enim Deus suppleat actionem obiecti movendo intellectum, potest intellectus eamdem notitiam concipere quam conciperet obiecto movente. — *Ib.* III. d. 4. n. 15.

Intellectus causas cognoscere desiderat. — Quia desiderium naturale est in intellectu cognoscente effectum ad cognoscendum causam, et in cognoscente causam in universali est desiderium naturale ad cognoscendum illam in particulari et distincte. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 3.

Intellectus circa quod quid est non decipitur. — *III. De Anima*, context. 36 et 21., dicitur, quod *intellectus circa quod quid est non decipitur, nisi secundum accidens.* Est iste intellectus Aristotelis, ut patet *IX. Metaph.* tex. 22 *in fine*, ubi loquitur de eadem materia, quod vel intellectus omnino concipit *quod quid est*, vel nihil eius; et ita non decipitur circa ipsum, quia deceptio praesupponit aliquam cognitionem, et aliquem errorem. Non autem intelligit, quod intellectus concipiat *omne quod quid est*, cum contingat alicuius *quod quid est* nihil concipere. — *Opus prim. sup. I. Periherm.* q. 4. n. 3.

* Metaphysic. autem IX. ait Philosophus: *Decipi circa quod quid est non est, sed aut secundum accidens.* Quae ita exponit Doctor *: Non attingere mente ipsum simplex est omnino ignorare; simplex enim, quia non est compositum, non potest sciri secundum quid sui, et secundum quid sui ignorari; et ideo qui non attingit ad *quod quid est* eius ipsum omnino ignorat. Et subdit: *decipi enim*, id est, dicere falsum, circa *quod quid est* simplicium non contingit, nisi *secundum accidens.* Hoc autem ideo dicit, quia dixerat, quod attingere simplicia est dicere verum in eis; propter quod videretur, quod non attingere esset ignorare. Cuius causam tangit: quia non contingit decipi circa *quod quid est*, nisi *secundum accidens.* Unde *III. De Anima* dicitur, quod sicut sensus semper est verus circa proprium obiectum, sic intellectus circa *quod quid est* eius proprium obiectum non decipitur. Ratio huius est, quia aut intellectus attingit *quod quid est* rei, et tunc vere cognoscit

quid est res; aut non attingit, et tunc non apprehendit illam rem; quare circa eam non verificatur, nec decipitur.

Notandum, quod *verum* in intellectu est duplex, scilicet, verum *incomplexum* et verum *complexum*, secundum duplicem operationem intellectus, secundum quarum utramque natus est conformari obiecto ut mensuratum mensurae. Est autem inter istas veritates una differentia: quia veritati *incomplexae* non opponitur *falsitas*, sed *ignorantia*, iuxta illud quod allegatum est *III. De Anima*, text. com. 27., quod *intellectus circa quod quid est semper est verus*, sicut sensus circa proprium sensibile; et hoc intelligendum est praecipue circa conceptum *simpliciter simplicem*. Et voco *conceptum simpliciter simplicem* qui non est resolubilis in alios conceptus, sicut est conceptus *entis* et conceptus *ultimarum differentiarum*. De tali ergo conceptu verum est illud *III. De Anima;* nam intellectus simplex circa conceptum *non simpliciter simplicem*, licet non possit esse *formaliter* falsus, potest tamen esse virtualiter falsus, apprehendendo, scilicet, aliquid sub determinatione non conveniente, sed repugnante sibi; et hoc modo dicitur *V. huius, cap. De Falso, text. com. 34.* quod est aliqua ratio in se falsa, puta ista: *animal rationale insensibile;* et tamen illa ratio in se falsa est intelligibilis simplici apprehensione, licet ipsa non includat aliquod *quid*, nisi forte *quid nominis*.

Secundum hunc modum potest exponi intentio Philosophi in capite praesenti, ubi ipse videtur distinguere de intelligentia simplicium, inquantum est circa quid *simplicium*, et circa quid *compositorum;* nam circa quid compositorum cadit deceptio *per accidens*, quia, scilicet, compositum est natum facere conceptum non simpliciter simplicem, in quo potest cadere falsitas virtualiter; non sic autem in quid *simplicium*. Si enim, ut dicit quidam expositor, intelligeret *per accidens*, scilicet, in attribuendo alteri illud *quid*, non esset differentia, quia ita in quid *simplicium* potest intellectus simplex esse falsus *per accidens* isto modo, sicut in quid *compositorum*.

Secundae autem veritati, quae est veritas *complexa*, opponitur *ignorantia privative*, et *falsitas contrarie*, quando uniuntur, scilicet, ea quae in re non sunt unita.

Aliter exponitur ly *decipi per accidens;* nam circa *quod quid est* nullus decipitur, nisi componendo aut dividendo; quod quidem contingit dupliciter in substantiis *compositis:* uno modo componendo *definitionem* cum re *definita*, aut etiam dividendo, puta, dicendo: *asinus est animal rationale mortale*, aut *homo non est animal rationale mortale*. Patet ergo, quod utrobique est falsum. — Alio modo si *definitio* constituatur ex *partibus repugnantibus*, puta, dicendo: *homo est animal insensibile.* — Primo modo definitio est falsa, quia non est *huius:* secundo modo est falsa *in se*.

In *simplicibus* vero substantiis non potest esse deceptio circa *quod quid est per accidens*, nisi primo modo; nam *quod quid est* ipsorum non est compositum ex pluribus, circa quorum compositionem posset falsum accidere.

Prima tamen expositio subtilior et verior videtur, et contradicit istae secundae. — *Exposit. in Metaphys. Arist.* l. IX. S. 2. c. 6. nn. 56 et 57. — *QQ. Metaph.* l. VI. q. 3. n. 6.

Intellectus corrumpitur quodam interiori corrupto. — *Intellectus corrumpitur*, idest, impeditur quantum ad *operationem*, et sic quasi corruptus habetur, *quodam interiori corrupto:* quia sine operatione phantasiae non potest in operationem suam. Sed ex hoc non sequitur, quod sit in se corruptus vel corruptibilis, nec quod illud aliud necessario requiratur ad actum eius; sed tantummodo, quod requiratur secundum ordinem potentiarum, qui nunc invenitur in natura humana in operando circa idem obiectum. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 1. n. 7. — Quando * ergo * dicitur, quod intellectus quantum ad *actum* corrumpitur quodam interiori corrupto, dico, quod hoc verum est quantum ad ordinem naturalem potentiarum, sine quo intellectus hic nihil potest intelligere. Sic etiam voluntas corrumpitur quantum ad actum, si interiora, ex quibus dependet naturalis ordo potentiarum, essent corrupta.

— *Report.* ib. q. 2. n. 15. — *Ib.* d. 43. q. 2. n. 14. — Cf. *Oxon.* ib. d. 43. q. 2. n. 17.

Intellectus est immixtus. — Cum Philosoph. dicit in *III. De Anima,* quod *intellectus est immixtus,* dico, quod verum est, intellectum oportet esse immixtum, quia mixtio est dispositio repugnans ad cognoscendum omne immateriale, licet non ad cognoscendum aliquod materiale: non sic est in immaterialibus. — *Oxon.* II. d. 3. q. 4. n. 16. — Cf. *Oxon.* ib. q. 8. n. 16.

Intellectus est locus specierum. — *III. De Anima: Anima est locus specierum, non tota, sed intellectus.* Loci autem est salvare locatum. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 1. n. 1. — *Report.* ib. — *De Anima.* q. 17. n. 2. — Ad aliud de Philosopho, III. *De Anima,* quod *intellectus est locus specierum,* potest exponi, quod intellectus dicitur locus specierum, quia *salvans:* sicut dicitur, quod ipsius loci est servare locatum; et organa sensitivae potentiae non sunt loca, quia non ita salvant species receptas in eis. Species quippe intelligibiles non videntur deleri sicut species sensibiles; quia species sensibilis ita est in organo, quod potest corrumpi per contrarium formaliter, vel per dispositionem in susceptivo disconvenientem tali potentiae, sicut patet per Philosophum, *De Memoria et Reminiscentia:* senes et iuvenes, id est, pueri, sunt male reminiscitivi propter abundantiam humorum nimiam, et etiam propter indispositionem et laesionem organi; isto utroque modo non est species intelligibilis in intellectu, ut per se deleatur per aliquod contrarium ad ipsam, seu per indispositionem receptivi. Aliae multae congruentiae possent assignari circa illud vocabulum *locus,* circa quod non oportet multum immorari. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 19. — Ipsa autem anima secundum se, inquantum perficit corpus, est subiectum totale speciei. — *Ib.* IV. d. 45. q. 1. n. 3.

Cum arguitur, quod recipere speciem convenit sensui praecise, quia potentia est organica, dico, quod hoc est falsum, quia illud non est praecisa causa; sed praecisa causa cuiuscumque potentiae habendi speciem praesentem, repraesentantem obiectum suum, est quia ipsa est cognitiva, et natura dedit sibi ut possit habere obiectum prius naturaliter sibi praesens quam cognoscat. Sed potentiae organicae dedit ut obiectum sit praesens, non in potentia ipsa, sed in organo, hoc est, in parte corporis quam perficit potentia organica; et illa praesentia sufficit, quia totum compositum ex parte corporis sic mixta et ex potentia habet speciem, et huic toti sufficienter obiectum est praesens, quando species est in illa parte corporis. Cum igitur intellectui nihil perfectionis auferatur, inquantum potentia cognitiva est, ex hoc quod non est organicus, imo magis additur sibi perfectio, sequitur quod sibi possit esse obiectum praesens ante actum, sicut aliis potentiis: sed illa praesentia non erit per aliquid impressum organo, quia non habet organum; ergo erit per aliquid impressum illi potentiae: tale autem impressum repraesentans, praecedens in potentia intellectiva actum intelligendi, voco *speciem intelligibilem.* Breviter igitur dico, quod sensus habet obiectum praesens in illa parte corporis quae dicitur organum illius sensus; sed intellectus tam illam praesentiam priorem actu, quam ipsum actum, habet ratione eiusdem receptivi; et ideo falsum accipitur, quod species talis non est nisi praecise propter organum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 18.

Intellectus est omnia intelligibilia — Philosoph. *III. de Anima text. 37.* dicit, quod intellectus *est* quodammodo *omnia intelligibilia:* quod non potest intelligi propter aliquem habitum scientiae, ut aliqui dicunt; quia habitus scientiae non est similitudo repraesentativa obiectorum, quia secundum eos, et secundum veritatem, habita scientia intellectus non intelligit, nisi per conversionem ad phantasmata. — *Report.* I. d. 3. q. 4. n. 8. — *Oxon.* ib. q. 6. n. 15. — Cf. *De Anima,* q. 17. n. 2. — Vid. *Anima est quodammodo omnia.*

Intellectus est tamquam tabula rasa. — Intellectus noster non est sua principia intelligibilia, quia ante omne intelligere est *sicut tabula rasa* in qua nihil depictum est. — *Oxon.* II. d. 23. n. 5. — Quia intellectus non est ipsa principia, sed est *quasi tabula nuda;* non enim sic sunt principia intellectui innata, quod sint sibi concreata, sed pro tanto dicuntur *innata,* quia sunt sicut ianuae,

ut habetur *II. Metaph. text. cap. 1*, quia statim ex sensu occurrunt, notis terminis, ex lumine ipsius intellectus: *Principia enim cognoscimus inquantum terminos cognoscimus.* Intellectus igitur non est regula sua. Et tamen non potest errare circa principia et conclusiones quas videt demonstrative sequi ex principiis. — *Report.* II. d. 23. n. 3. — Cf. *QQ. Metaph.* l. II. q. 1. n. 2.

Intellectus est universalium, sensus particularium. — Sensus, secundum communiter loquentes, cognoscit singulare, et intellectus universale. — *Oxon.* III. d. 33. n. 6. — *Intelligere* convenit homini *formaliter*, quia homo *formaliter* intelligit; haec enim est ita manifesta, quod qui negat eam non est homo. Quilibet enim experitur in se *intelligere*, et experitur in se quando intelligit quamdam operationem, quae *non est* alicuius *organi*. Et ratio huius est, quia omne organum est alicuius *determinati* generis. Cuius probatio est, quia omne organum habet *determinatam mixtionem* respectu contrarietatum eiusdem generis, ut visus *albi* et *nigri*, gustus *dulcis* et *amari*, tactus *calidi* et *frigidi*, et sic de aliis; per hoc enim probat Philosophus *II. De Anima text.* 55., quinque esse sensus exteriores particulares. Omnis igitur operatio quae est alicuius *organi* est *determinati* generis et respectu contrariarum qualitatum eiusdem generis. Sed experimur in nobis aliquam operationem et cognitionem quae est *entis*, secundum rationem communiorem et universaliorem, et secundum maiorem ambitum eius, quam sit ratio *sensibilis*, sive communis, sive particularis, sive cuiuscumque *determinati* generis; aliter Metaphysica, quae est scientia naturaliter nota, determinans et considerans *ens* secundum communitatem suam *inquantum ens*, non esset *scientia;* igitur impossibile est quod talis operatio sit *sentire* formaliter vel actus alicuius *organi*. — Organum etiam, ex quo est *determinati generis* et *determinatae commixtionis*, per frequens sentire respectu obiecti excellenter sensibilis *fatigatur* et *corrumpitur*. — Intellectus autem quanto excellentiora intelligit entia, tanto *magis confortatur*, et fit potentior ad intelligendum alia entia; *intelligere* igitur est quasi *intus legere* et a sensibilibus organorum extrahere. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 8.

Cum dicitur *sensus est singularium*, dico, quod impossibilius est singulare *per se* sentiri, quam per se intelligi, quia principium immutandi sensum non potest esse nisi natura *ut natura;* igitur non immutat ut *haec;* ideo sensus non cognoscit per se singulare ut *hoc*. Quia si sint duo corpora in eodem loco, nullus sensus iudicabit ibi dualitatem accidentium, esto quod illa duo sint alba; igitur solum refertur sensus per se in naturam, et non in naturam ut *haec*. — Quomodo igitur intelligit Aristoteles? Dico, quod dicit quod *intellectus est universalium*, quia intellectus sicut potest in universale, sic potest in singulare, et sic potest in utrumque. Nunc autem, sensus sic potest in singulare, quod nullo modo potest in universale (1). — *Report.* III. d. 14. q. 3. n. 9. — Certum est enim, quod universale potest ab intellectu intelligi, et magis ponitur a Philosophis, quod *intellectus* est potentia distincta a potentia *sensitiva* propter intellectionem *universalis*, et propter compositionem et divisionem et propter syllogizationem, quam propter cognitionem *singularis*. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 5.

Sed pro statu isto intellectus noster nihil cognoscit, nisi quod potest gignere phantasma, quia non immutatur immediate nisi a phantasmate vel a phantasiabili: entitas autem *singularis* non est propria ratio gignendi phantasma, sed tantum entitas *naturae* praecedens illam entitatem singularem; ipsa autem entitas singularis non est nata movere immediate aliquam potentiam cognitivam, nisi intellectum; et quod nostrum nunc non moveat, est propter connexionem eius ad phantasiam; in Patria vero non est talis connexio, ideo ibi *hoc* ut *hoc* intelligetur (2). — *Ib.* III. d. 14. q. 3. n. 9.

---

(1) « Sensus est singularium cum *praecisione*, quia non est universalium; intellectus autem non, quia est cognoscitivus utriusque ». — *De Anima*, q. 22. n. 9. — Cf. *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 17.

(2) Vid. *Intellectu (in) nihil est quin prius fuerit in sensu.*

Aliter potest dici, quod *sensus* non est alicuius nisi *praesentis* secundum naturam et in *existentia actuali*, quod non est nisi *singulare; intellectus* intelligit abstrahendo ab *hinc* et *nunc*, hoc est, non secundum quod actualiter existens in natura, cuius existentiae conditiones sunt *hic* et *nunc;* ista abstractio semper necessaria est in intellectu. *Intellectus* ergo est *universalis* per abstractionem ab *hic* et *nunc; sensus singularis* concernendo *hic* et *nunc*. Hoc modo tantum *universale* intelligitur, hoc est, tantum illud quod ut sic natum est denominari ab *universalitate;* non tamen universale, sic quod *universalitas* sit *ratio intelligendi*, sicut est hic: *tantum intelligibile intelligitur*. Singulare tamen est ex parte sui intelligibile, cum sit *quid*, sed non a nobis *nunc*, intellectione *simplici positiva* — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 13. n. 25. — * Tamen * *universalitas* est per se ratio *intelligendi* quodlibet intelligibile, non intellecta ut *obiectum*, nec ut *pars formalis obiecti*, sicut *singularitas* ratio formalis sentiendi non ut obiectum, nec pars, sed praecise ratio; imo si debet intelligi, intelligitur sub ratione *universalis*. — Ib. n. 26.

Dicendum ergo, quod *singulare* est a nobis intelligibile *secundum se:* quia *intelligibilitas* sequitur *entitatem;* quod ergo secundum se non diminuit de ratione *entis*, nec intelligibilitatis: sed singulare secundum se non diminuit de ratione *entis;* igitur... — Praeterea, illud quod secundum se non est intelligibile a nullo intellectu potest intelligi: sed singulare ut singulare ab aliquo intellectu potest intelligi, ut ab intellectu divino et angelico; igitur... — Praeterea, *singulare* nihil addit ultra *universale*, nisi gradum singularitatis: sed non excluditur ab intelligente ratione *universalitatis* in eo contentae, nec etiam ratione *gradus singularitatis*, quia multa singularia, ut Angeli et animae separatae et alia inferiora, intelliguntur ab intellectu divino; igitur, etc.

Secundo dico, quod *singulare* est a nobis intelligibile pro *statu isto*. Probatio: sicut enim conclusiones cognoscimus syllogismo, ita principia inductione: sed inductio est processus a singularibus ad universalia: sic autem discurrere pertinet solum ad intellectum; ergo cognoscit singularia. — *De Anima*, q. 22. n. 4., *ubi alias affert probationes*.

Tertio dico, quod nulla potentia nostra, nec sensitiva, nec intellectiva, potest cognoscere singulare sub *ratione propria singularis:* quia potentia cognoscens aliquod subiectum sub *propria ratione* potest ipsum cognoscere et ab aliis distinguere, circumscripto quocumque alio non habente istam rationem: sed manente propria ratione *singularitatis*, ablatis aliis, non possemus distinguere inter duo singularia, nec per sensum, nec per intellectum; igitur... — *Ib.* n. 5., *ubi amplius probat*. — Sic ergo nec sentimus *duo* singularia ratione suae *singularitatis*, inquantum *duo*, sed ut distincta sunt vel *loco*, vel *magnitudine*, vel *figura*, vel *tempore*, vel aliis accidentibus.

* Ergo * sensus cognoscit tantum singulare *intuitive*, et non *abstractive;* sed intellectus utroque modo; et ideo dicitur per *appropriationem*, quod *sensus est singularium*, non universalium cognoscitivus, sicut intellectus qui est utriusque cognitivus; et ideo sensus magis *determinative* cognoscit singulare, quia cognoscit per eius essentiam *praesentem* et *actualitatem*, non autem *quidditatem absolutam*. — *Ib.* n. 7. — Cfr. *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 4. — q. 6. n. 16. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 1. n. 15. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 5. n. 3. — q. 6. — l. VII. q. 14 et 15 per tot. — Vid. *Anima intellectiva est forma hominis specifica*. = *Sensus sunt singularium.*

Intellectus extensione fit practicus. — Cum * dicitur * *intellectus extensione fit practicus*, dico, quod Aristoteles nunquam dixit, quod intellectus speculativus extensione *qualcumque* fit practicus; sed Aristoteles ponens *tres gradus* intellectus, quorum *primus* est considerare *speculabilia* tantum, *secundus* considerare *agibilia*, non dictando prosequi vel fugere, *tertius*, ut dicit, quando amplius extendendo se *iubet prosequi* vel *fugere:* ita quod illa *extensio* est intellectus imperfecte practici ad considerationem perfecte practicam, puta, ad apprehensionem ter-

ribilium ad dictamen completum de eis praecipiendo fugam vel prosecutionem. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 44. — Vid. DISTINCTIONES: *Cognitio practica = Praxis.*

Intellectus habens unum intelligere habet unum dicere. — Ista propositio, *intellectus habens unum intelligere habet unum dicere,* vera est in intellectu creato gratia *materiae,* pro tanto quod *intelligere* est ibi terminus formalis actus *dicendi;* et ita verum est ibi, quod alterius actus exprimendi alius est terminus formalis, propter limitationem ipsius termini. — Ista autem ratio non tenet in Divinis; quia terminus formalis actus exprimendi est illimitatus, et ideo non oportet, quod distinguatur secundum distinctionem actuum exprimendi, qui sunt actus personales. Tamen videtur, quod ista propositio, *ubi est unum intelligere ibi est unum dicere,* posset habere aliquam evidentiam comparando ad obiecta; quia ille intellectus qui potest uno actu intelligendi comprehendere plura, pari ratione potest uno actu *exprimendi* exprimere notitiam declarativam plurium. — *Quodlib.* q. 2. n. 9.

Intellectus in intelligendo est necessarius. — Non est in potestate animae, quod aliquando de isto, aliquando de illo consideret, dicente Augustino III. *De Libero Arbitrio,* circa finem: *Sed quia* (inquit) *voluntatem non alliciat ad faciendum quodlibet, nisi aliquid visum: quid autem quisque vel sumat, vel respuat, est in potestate, sed quo viso tangatur nulla potestas est.* Provenit autem talis determinatio ex diversis causis; quandoque enim provenit a *Causa Prima,* id est, a Deo, magis radiante super unum phantasma, quam super aliud, quae simul sunt, ut dum homo incipit cogitare de uno peccato sine aliis; hoc dico ex tali irradiatione; non dico quin possit esse ex aliqua causa. Aliquando fit ex aliqua *causa inferiori,* utpote ex apprehensione sensibilis excitantur vires ad cogitandum de simili, vel de contrario, vel de antecedente, vel consequente. Aliquando provenit ex *consuetudine,* quia mens quodam pondere inclinatur ad consuetum. Aliquando ex *indigentia,* ut famis vel sitis, etc. Aliquando ex minima *spe.* Aliquando ex minima *voluntate* vel amore. — Ista enim, ut dicit Philosophus in *libro De Problematibus,* faciunt visiones somniorum magis de uno, quam de alio. Certe eodem modo faciunt in vigilando, magis animam ad hoc, quam ad illud converti; et plus etiam quam in somniis. — *De Rer. Princ.* q. 14. n. 30.

Dico * ergo *, quod intellectus assentit unicuique vero secundum evidentiam ipsius rei, quam natum est de se facere in intellectu, et non est in potestate intellectus firmius vel minus firmiter assentire vero, sed tantum secundum proportionem ipsius veri moventis intellectum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 6. — Quia necessitas est in intellectu ex evidentia obiecti necessario causante assensum in intellectu. — *Ib.* q. 4. n. 16. — Quia cum intellectus de se sit potentia naturalis, et non libera, agente obiecto, intellectus agit quantum potest. — *Ib.* q. 1. n. 9. — Cf. ib. d. 3. q. 7. n. 39. — II. d. 2. q. 2. n. 11.

Intellectus non errat circa prima principia, nec voluntas peccat circa ultimum finem. — *Intellectus circa prima principia non potest errare,* stante natura sua. — *Oxon.* II. d. 23. n. 5. — *Nullus intellectus errat circa prima principia, II. Metaph.*; ergo *nec voluntas circa ultimum finem. Consequentia* probatur per illam similitudinem Philosophi ex *VII. Ethicor.* et *II. Physicor.*: *Sicut principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus vel operabilibus.* — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 7 in *oblection.* — Dico, quod non est in potestate intellectus moderari assensum suum veris quae apprehendit; nam quantum ostenditur veritas principiorum ex terminis, vel conclusionem ex principiis, tantum oportet assentire propter carentiam libertatis. — Sed *voluntas* potest in se, et in potentiis inferioribus moderari, ne ista inclinatio omnino dominetur in eliciendo actum, vel saltem ne actus eliciatur: potest enim avertere intellectum, ne speculetur talia speculabilia, circa quae inclinaretur, et tenetur avertere, si speculatio sit peccatum materialiter intellectui, et formaliter voluntati; sic ex alia parte voluntas respectu finis ultimi tenetur moderari inclinationem sui ad ipsum, ne immoderate velit aliquo praedictorum modorum. — Ali-

ter potest dici, quod sicut actus intellectus, considerando principium *in se*, non potest esse falsus, ita nec actus voluntatis, amando finem *in se*, potest esse malus: et iste actus est actus *amicitiae*, non actus *concupiscentiae*. — Tamen sicut actus intellectus posset esse falsus, attribuendo veritatem primae causae alicui principio creato, cui non convenit illa veritas, ita actus voluntatis posset esse malus, concupiscendo bonitatem ultimi finis alicui alii ab ultimo fine, eo modo quo non congruit alicui alii. — *Ib.* n. 41.

* Seu aliis verbis: * Potest dici, quod non est simile de *voluntate* respectu *finis* et *intellectu* respectu *principii*, quoad propositum; quia si esset malum inordinatum intellectum considerare aliquod speculabile, ut si tempore orationis delectaretur quis in speculando conclusionem geometricam, vel nimis speculando ibi, et dimittendo meliora, voluntas tenetur avertere intellectum a tali speculatione ad aliam; et si non facit, erit ibi malitia moris.

Vel esto, quod esset simile; dico, quod sicut intellectus non errat in primo principio speculando ipsum *in se*, tamen potest errare uniendo ipsum cui non est unibile, sic voluntas volendo beatitudinem *in se*, numquam peccat; sed volendo ipsam *summe* illi *cui non potest competere*, peccat. Ideo licet circa finem non possit esse error ut in se, nec diligi beatitudo inordinate, tamen ex hoc quod aliquis concupiscit beatitudinem plus vel antequam deceat, potest beatitudinem inordinate diligere. — *Report.* ib.

Intellectus non est aliquod intelligibilium ante intelligere. — Propter impotentiam intelligendi *immediate* intelligibilia in actu (quae impotentia non est ex impossibilitate *intrinseca*, sed *extrinseca*, quam etiam experiebatur Philosophus, et non aliquam possibilitatem) dixit ipse Philosophus, quod *intellectus non est aliquod intelligibilium ante intelligere*, id est, non est possibile intelligi a se aut intelligere aliorum — *Oxon.* II. d. 3. q. 8. n. 14. — * Itaque * cum dicitur, quod *intellectus nihil est eorum quae sunt ante intelligere*, dico, quod illa propositio distinguenda est de virtute vocis. Si intelligatur, quod intellectus ante intelligere *nihil* est, falsum est, quando ante *intelligere* est in actu primo. Si sic intelligatur quod nihil est possibile intelligi ante *intelligere*, hoc est distinguendum secundum Commentatorem: in sensu composito vera est, in sensu diviso falsa; quia licet ante *intelligere* nihil sit de numero *intellectorum*, est tamen aliquid de numero *intelligibilium*. Vel potest dici, quod nihil est eorum quae sunt actu secundo ante *intelligere*, sed aliquid est actu *primo*. — *Report.* II. d. 3. q. 3. n. 15. — Et hoc modo Philosophus dicit, quod anima intelligit se sicut alia. Et secundum istum modum expositionis movetur ab obiectis imaginabilibus: et eis cognitis, potest ex eis cognoscere rationes communes immaterialibus et materialibus: et ita reflectendo cognoscit se sub ratione communi sibi et imaginabilibus, non autem potest statim intelligere se nullo alio intellecto, quia non potest moveri a se, propter ordinem potentiarum eius necessarium pro statu isto, ad imaginabilia. — *Oxon.* II. d. 3. q. 8. n. 14.

Illa * igitur * propositio est distinguenda secundum amphibologiam: eo quod *ly ante* potest construi cum *intelligere*, et tunc propositio est vera sub hoc intellectu: intellectus nihil intelligit ante intelligere, vel intellectus non est potens de propinquo seipsum intelligere, ante intelligere aliorum intelligibilium. Si autem construitur cum *ly posse*, vel cum *ly possibilis*, sic est propositio falsa; quia tunc esset sensus, quod non est possibile quod habeat intelligere. — *Ib.* d. 16. n. 8. — Cf. *Report.* II. d. 16. n. 6.

* *Praefata plenius sequentibus explicantur*: *

Illa auctoritas quae dicit, quod *intellectus possibilis nihil est eorum quae sunt ante intelligere*, requirit aliam expositionem, quam in tantum pertractant aliqui, ut dicant, intellectum possibilem esse in *pura potentia* in genere intelligibilium, sicut materiam primam in genere corporalium; quae non est intentio Philosophi, quia potentia ad accidens nunquam fundatur nisi in substantia in actu: intellectio autem sive species intelligibilis non est forma substantialis, sed accidentalis; igitur quod est immediatum

receptivum illius est aliquid in actu substantiali, aut saltem quod est mediate receptivum. Et tunc, quod immediate recipit erit aliquis actus accidentalis, sicut se habet superficies ad albedinem. Intellectus igitur possibilis, secundum quod est illud in quo recipitur species intelligibilis, vel intellectio, vel illud secundum quod species recipitur in anima, non erit *purum potentiale*, sed erit aliquid in actu *primo*, licet iste respectus potentiae non sit aliquid in actu. Cum enim loquor de potentia receptiva albedinis, non loquor de potentia quae dicit respectum ad albedinem; ille enim respectus non est aliquid in actu, sicut nec albedo ad quam est est aliquid in actu; sed illud in quo est ista potentia est aliquid in actu, ut superficies, quae est receptiva albedinis. Ita hic, licet ante intellectionem potentia ante actum, quae est respectus ad intellectionem, non sit aliquid in actu, sicut nec intellectio ad quam est, tamen illud in quo est ista potentia, quod est fundamentum istius respectus, est aliquid in actu, et illud est intellectus possibilis.

Non est igitur apud Philosophum intellectus possibilis nihil in actu, sicut isti accipiunt; sed oportet exponere illam auctoritatem hoc modo: naturaliter intelligimus primo illa quae primo occurrunt ex phantasmatibus. Nihil igitur possumus potentia propinqua intelligere ante intellectionem alicuius imaginabilis; ideo non possumus intelligere intellectum ante *intelligere* alterius intelligibilis; ergo nec intellectus potest intelligi a nobis ante *intelligere* alterius intelligibilis; ergo non est intelligibilis ante intellectionem alicuius alterius. Sicut primum antecedens est verum, sic et consequens. Ideo sic intelligendum est, ipsum non esse aliquid eorum quae sunt ante *intelligere*, scilicet, *intelligibilium:* non quia antequam intelligat nihil sit in actu, sed quia non est aliquid quod possit potentia *propinqua* intelligi a nobis ante *intelligere* alterius, propter intellectionem nostram naturalem incipientem a phantasmatibus. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 38.

Intellectus noster ad ea quae sunt manifestissima naturae sicut oculus noctuae ad lucem solis. — *II. Metaphysic.* text. 1: *Sicut se habet oculus noctuae ad lucem Solis, sic intellectus noster ad ea quae sunt manifestissima naturae.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 1. in obiect. — Commentator exponit illud simile Philosophi de *difficili*, et non de *impossibili*. Et ratio sua est, quia tunc natura fecisset otiose illas substantias abstractas intelligibiles, et non possibiles intelligi ab aliquo intellectu. — Sed ista ratio eius non valet: tum quia non est finis illarum substantiarum inquantum intelligibiles sunt, ut intelligantur ab intellectu nostro, et ideo si hoc non conveniret eis, non propter hoc essent frustra intelligibiles: tum quia non sequitur: non sunt intelligibiles ab intellectu nostro, ergo a nullo; possunt enim intelligi a seipsis; et ideo est fallacia *consequentis*. — Unde licet multipliciter posset exponi auctoritas Philosophi, dico tamen, quod oculus noctuae non habet cognitionem nisi *intuitivam* et *naturalem*, et quantum ad istas duas conditiones potest exponi auctoritas Philosophi de *impossibili;* quia sicut impossibile est illi oculo *naturaliter* et *intuitive* considerare obiectum illud, sic intellectui nostro est impossibile *naturaliter* et *intuitive* cognoscere Deum. — *Ib.* q. 2. n. 19.

Vult * itaque * dicere, quod licet difficultas cognoscendi videatur accidere vel ex defectu rei quae cognoscitur, vel ex defectu intellectus qui cognoscit, tamen causa huius difficultatis non est ex parte rerum, sed ex parte nostra. Quod probat cum subdit: *Sicut oculi nycticoracum se habent ad lucem diei, sic est intellectus animae nostrae ad ea quae sunt manifestissima in natura;* et ideo signum est, quod defectus ille cognoscendi non est ex parte rerum, cum illae sint manifestissimae, quantum est de se et sua natura; sed defectus est ex parte intellectus, sicut defectus visionis non est ex parte luminis diei, sed ex parte oculi nycticoracis, etc. — *Exposit. in Metaphi. Arist.* l. II. S. un. c. 1. n. 4.

Intellectus obiectum est universale, ut habetur a Philosopho I *Physic.* text. 49 (1), et *II. De Anima.* — Illa auctoritas loquitur de

---

(1) Cf. exposit. Doctoris, n. 25.

intellectu ut habet intellectionem *scientificam*, qualis est sola scientia *abstractiva;* et tamen sic non est praecisa ex natura intellectus, quia in illa intellectione abstractiva potest intelligi *singulare*, licet non modo a nobis. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 21. — Vid. *Intellectus est universalium, sensus singularium.*

Intellectus operando non debilitatur. — Excellens sensibile corrumpit sensum *per accidens*, quia corrumpit organum, quia solvit illam mediam proportionem, in qua consistit dispositio organi. — Et per oppositum intellectus, quia non habet organum, non corrumpitur ab excellenti obiecto. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 18. — *Report.* ib. n. 15. — Vid. *Intellectus est universalium*, etc.

Intellectus passivus corrumpitur (*III. De Anima*) — Intellectus *passivus* non intelligitur ibi intellectus *possibilis*, sed aliqua virtus sensitiva, quam aliqui vocant cogitativam; et verum est, quod omnis sensitiva corrumpitur, et ideo intellectus illo modo acceptus; non tamen intellectus passivus eo modo quo dicimus intellectum *possibilem* esse passivum. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 1. n. 7. — *Report.* ib. q. 2. n. 15.

Intellectus perfectior est quam sensus. — Quia sensus non potest esse potentia non organica, vel non potest non esse potentia organica; et ideo non potest elevari ad immateriale apprehendendum, nec etiam visus Beati. Sed intellectus habet obiectum *totum ens;* et ideo potest elevari ad aliquid *immateriale*, imo potest elevari ad quodlibet cognoscendum. Unde non est simile de istis potentiis, scilicet, *intellectiva* et *sensitiva*, quantum ad *obiecta;* quia non est contra rationem intellectus, imo summe competit ei elevari ad videndum obiectum supernaturale. — Est tamen quoad *modum* simile utrobique. Sensus non est capax alicuius, nisi sensibilis, non tamen omnis; intellectus autem est capax *omnis intelligibilis.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 11. — *Report.* ib. q. 10. n. 10.

Intellectus possibilis est quo est omnia fieri. — *III. De Anima: Intellectus possibilis est quo est omnia fieri, sicut intellectus agens est quo est omnia facere.* — Non tractando illam difficultatem, utrum *activitas* illa competat intellectui *agenti* vel *possibili*, dico, quod intellectus possibilis, secundum quod Philosophus loquitur de eo, est illud quo formaliter sumus intelligentes, et eo modo praecise est *quo est omnia fieri;* quia sumus eo formaliter intelligentes, inquantum *recipit*, non inquantum *agit*, licet agat, quia hoc accidit sibi, inquantum est quo intelligimus. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 40.

Intellectus separatur a caeteris sicut perpetuum a corruptibili (Philos. *II. De Anima*). — Non intelligit illam separationem, nisi praecise in hoc, scilicet, quod intellectus non utitur corpore in operando, et per hoc est *incorruptibilis* in operando, loquendo de illa corruptione qua virtus organica corrumpitur propter corruptionem organi: et illa sola corruptio competit potentiae organicae, secundum Philosophum, *I. De Anima: Si senex acciperet oculum iuvenis, videret utique sicut iuvenis;* ergo ipsa potentia visiva non est debilitata, vel corrupta quantum ad operationem, sed quantum ad organum tantum. Ex illa incorruptione intellectus, quia, scilicet, non habet organum, per cuius corruptionem possit corrumpi in operando, sequitur, quod non est corruptibilis in operando illo modo quo potentia organica. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 17.

Propter organum enim debilitatur potentia in operando et dirimitur virtus ex passione, et tantumdem dissoluta debita commixtione organi propter frequenter agere, vel ex excellentia obiecti corrumpitur potentia. Per oppositum dicitur anima intellectiva incorruptibilis, quia non utitur organo corporali in operando, nec fatigatur virtus eius in operando propter excellentiam intelligibilis. — *Report.* IV. d. 43. q. 2. n. 14.

Intellectus separati et coniuncti idem est obiectum primum. — Dictum est alibi, quod generalius est obiectum primum intellectus ut est *talis potentia*, quam obiectum primum *motivum* eius pro statu isto; et sub obiecto *primo modo* accepto continetur quodcumque ens creatum; non autem sub obiecto *secundo modo.* Et ratio est, quia nunc determinate movetur a sensibilibus vel

ab his quae abstrahuntur ab his, propter ordinem immediatum ad phantasticam virtutem, quae tunc non erit. — *Primo* ergo *modo* accipiendo *obiectum primum*, est vera: *secundo modo* falsa. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 4. n. 3. — Vid. ***Anima separata et coniuncta habet idem obiectum naturaliter = Intellectu (in) nihil est quin prius fuerit in sensu = Phantasma se habet ad intellectum sicut sensibilia ad sensum.***

Intellectus solo Infinito quietatur. — Licet aliqui negent obiectum sub ratione *Infiniti* videri ab aliquo intellectu creato, et hoc absolute, licet concedant *infinitatem* videri non formaliter, sed tantum *concomitanter*, ego tamen concedo, quod *nihil nisi sub ratione Infiniti formaliter potest quietare intellectum*, ita quod si non inquantum infinitum formaliter apprehenderetur, sed *infinitas* tantum *concomitaretur*, non plus quietaret potentiam apprehensivam quam aliud intelligibile, accidit enim sibi *infinitas* ut comparatur ad potentiam illam, sicut non plus quietaret visum triangulus ut *albus* quam ut *niger*, si triangulus solum inquantum triangulus comparetur ad potentiam illam, et non apprehendatur per se illud concomitans. Similiter essentia * divina * non quietat nisi ut est essentia visa in tribus suppositis: hoc autem non convenit sibi nisi ratione infinitatis; ergo, etc. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 6. — Non enim potest quietari nisi in Infinito sub ratione Infiniti; quia quilibet intellectus est totius entis; ideo non quietatur nisi in illo obiecto in quo est quodlibet obiectum suum quantum potest esse: sed solum in essentia divina sunt omnia intelligibilia eminenter. — Et *confirmo* hoc: quia nullus intellectus beatus satiabitur, nisi in videndo Deum Trinum, et ista est maxima infinitas, quod sit Unitas in substantia et Trinitas in personis. — *Report.* ib. n. 12.

* Propositio iterum * probatur: impossibile est potentiam quietari perfecte nisi in *optimo* in quo salvatur ratio obiecti sui: sed totum ens est obiectum voluntatis sub ratione boni et intellectus sub ratione veri; ergo intellectus et voluntas non quietantur nisi ubi est obiectum suum in summa sua perfectione: sed in nullo finito potest esse in summa sua perfectione; ergo non nisi in Infinito. — *Oxon.* ib. IV. d. 50. q. 6. n. 5. — Omnis enim intellectus habet pro obiecto totum ens; et sic non quietatur in quacumque substantia vel ente, sed solum in Ente optimo. — *Ib.* d. 49. q. 8. n. 7.

Ex hoc patet, quia in perfectissimo obiecto et summe continente omnem perfectionem omnium obiectorum summe quietatur et perficitur et satiatur ipsa potentia, et ita beatificatur. — *Quodlib.* q. 5. n. 12. — * Et * nullus intellectus, nec etiam voluntas, in aliquo obiecto perfecte quietatur, nisi sit in eo tota plenitudo primi obiecti, quanta, scilicet, compossibilis est primo obiecto: talis plenitudo primi obiecti intellectus et voluntatis non potest esse nisi infinitas; ergo nulla potentia beatificabilis potest quietari in aliquo, nisi sit infinitum; et per consequens *infinitas* est per se conditio obiecti quietativi, et ita beatifici. — *Maior* probatur: quia cum potentia naturaliter inclinatur ad primum obiectum suum, ubi non est *plenitudo* obiecti primi, sed defectus plenitudinis, ibi non est quietudo, imo potentia ulterius inclinatur, ubi alterius est ratio primi obiecti. — *Ib.* q. 6. n. 9. — Cf. *Oxon.* Prol. q. 2. n. 12. — I. d. 2. q. 2. n. 32.

Intellectus solum verorum est. — * Haec * propositio vera est de habitu principiorum, qui dicitur *intellectus*, qui distinguitur contra *scientiam*, quae est proprie habitu conclusionum demonstrationis. — *Super Univers. Porph.* q. 35. n. 8.

Intellectus ubi maximus, ibi minima fortuna. — Vid. Distinctiones: *Fortuna — Casus.* — Cf. *Quodlib.* q. 21. n. 9.

Intelligens rem aliter ac est fallitur. — Adverbium, nisi habeat participium vel verbum, semper est truncata locutio, sive incongrua. Sic est propositio haec: *qui intelligit rem aliter ac est fallitur.* Haec enim *alietas* potest poni circa *actum intelligendi;* et sic est propositio falsa, quia omnis intellectus creatus intelligit rem aliter quam est, quia intellectio est accidens; intellectus autem potest esse aliqua substantia. Et sic non est propositio Augustini alia ab illa Philosophi: *ab eo quod res est, vel*

non est, oratio dicitur vera vel falsa. — Potest etiam poni circa *rem* quae intelligitur; et sic intellectus, si rem aliter intelligit quam sit, falsum intelligit; et secundum hoc illud *aliter* dicit modum circa obiectum; et sic qui intelligit rem aliter quam est, fallitur, quia non intelligit eam. Nihilominus tamen unus potest habere clariorem modum intelligendi alio. — *Oxon* IV. d. 50. q. 6. n. 10.

Intelligentia est plena formis. — *IX. propositione De Causis* dicitur, quod omnis *intelligentia est plena formis.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 11. n. 1. in obiect. — Si velim tenere auctoritatem istam *De Causis,* dico: verum est, quod plena est formis *universalibus,* non tamen *singularium* — *Ib.* n. 13. — Si debeat sustineri, quod omnis *intelligentia est plena formis,* potest intelligi de speciebus *universalibus,* sed denudatur a speciebus aliis, quas accipit a rebus. — *Report.* ib. d. 11. q. 2. n. 13.

Intelligere est quoddam pati. — Ad auctoritatem Philosophi, *III. De Anima,* quod *intelligere est quoddam pati,* non determinando, dico, quod Philosophus locutus est communiter de potentiis animae, inquantum sunt quibus formaliter sumus in *actu secundo:* puta de *sensu* inquantum est *quo formaliter sentimus,* de *intellectu* inquantum est *quo formaliter intelligimus. Formaliter* autem *intelligimus intellectu* inquantum *recipit* intellectionem, quia si *causet* eam *active,* non tamen dicor *intellectu intelligere* inquantum *causat,* sed inquantum *habet intellectionem ut formam;* habere enim qualitatem est esse *quale,* et ita intellectum habere intellectionem sive *recipere,* quod idem est, est ipsum esse intelligentem. Nos igitur intelligimus intellectu inquantum *recipit* intellectionem. — Ideo Philosophus loquens sic de intellectu, necesse habuit dicere eum esse *passivum,* et quod *intelligere est quoddam pati,* hoc est, quod intellectio, inquantum est quoddam quo formaliter intelligimus, est forma quaedam recepta in intellectu. Non autem intelligimus ea inquantum est quid causatum ab intellectu, si causatur ab eo; nam si Deus eam causaret et eam in intellectu nostro imprimeret, non minus ea intelligeremus. — Sicut dixi de intelligentia actualiter, ita dico de *scire* habitualiter, quod intellectus est quo scimus habitualiter inquantum *recipit* habitum, non inquantum istum *causat,* si illum causat.

Dico igitur, quod omnes auctoritates quae sonant *passibilitatem* intellectus possibilis possunt exponi de eo inquantum eo cognoscimus habitualiter, vel inquantum cognoscimus eo actualiter. Et isto modo concedo, quod est *passivus;* et si sit *activus,* non tamen secundum istam rationem. Affirmant ergo istae auctoritates de intellectu, quod verum est, quod sit *passivus,* non loquentes de intellectu sub ratione *activi,* licet ipsum non dicant non esse activum: locus autem ab auctoritate non tenet negative. — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 37.

Est igitur *intelligere recipere intellectionem;* quia licet intellectus secundum aliquam operationem *causaret* in se intellectionem, tamen non diceretur *intelligens* in hoc quod causat, sed bene denominaretur aliquo modo a verbo significante talem actionem vel causationem, utpote si esset impositum tale verbum: *intelligifico.* Quod igitur dicitur *intelligere est pati* non probat quod sit per se de genere *passionis,* sed quod formaliter denominat per hoc quod *recipitur* in aliquo *subiective,* ut sit sensus: intelligere est *recipere intellectionem,* et sic recipere est *quoddam pati.* — *Quodlib.* q. 13. n. 28. — *Ib.* q. 15. n. 12.

In nobis * itaque * *intelligere* et *recipere intellectionem* sunt idem, sicut universaliter in rebus creatis *calere* et *calidum esse* vel *recipere calorem* sunt idem, *albere* et *albedinem recipere,* et sic de aliis; et in talibus receptio formae est quaedam passio; in Deo autem nulla est receptio intellectionis in intellectu tamquam formae in potentia, et ideo *intelligere* nullo modo est ibi *pati;* est tamen ibi *intelligere* per identitatem verissimam, cum sit res eadem cum intellectu, et ideo verius denominatur intellectum esse intelligentem, quam si esset

forma informans eum ut passivum informatum (1).

Et cum dicit Philosopbus, quod *intelligere est pati*, verum est, ubi *intelligere* non habet veriorem identitatem cum intellectualitate quam per denominationem unius partis ab alia, sicut est in nobis. — *Report.* I. d. 35. q. 1. n. 34. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 15. nn. 28 et 30.

Intelligere multa simul non convenit. — Secundum Philosopbum, *II. Topicorum*, cap. 4, *multa non convenit actu intelligere simul.* — Dicendum, quod licet non conveniat multa simul intelligere *in seipsis*, multa tamen simul intelligi possunt in *alio*. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 26. n. 3.

Intelligere sequitur esse. — *Elench.* q. 15. n. 5. — Unumquodque enim intelligitur sicut est ens. — *Poster.* I. q. 6. n. 3. — Eadem sunt principia essendi et cognoscendi, secundum Aristotelem, *II. Metaph.* — *Ib.* q. 8. n. 2. — Res eo modo quo est ens, et est intelligibilis et cognoscibilis. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 1. c. 2. n. 6. et 92. — Nam omne per se intelligibile aut includit essentialiter rationem *entis*, vel continetur virtualiter vel essentialiter in includente essentialiter rationem entis. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 8. — Non ens non potest sciri — *Poster.* I. d. 6. n. 4. — Quia de non ente non est scientia. — *Ib.* II. q. 1. n. 2.

Intelligibile intellectionem natura praecedit. — Quoniam passio praesupponit agens, et omnis actio circa aliquid est: illud circa quod est intellectio alterum est. — *Theor.* I.

Intelligimus cum volumus. — *III. De Anima*, text. Com. 18: *Intelligimus cum volumus;* ergo *intelligere* est in potestate voluntatis. — Sic autem non sentimus cum volumus, quia obiecta non sunt nobis praesentia. — *Report.* II. d. 42. q. 4. n. 8. — Intelligimus cum volumus; non autem sentimus cum volumus, quia ad intelligendum habemus obiectum *intra*, ad sentiendum requiritur obiectum *extra* — *Quodlib.* q. 13. n. 20. — *Intelligimus cum volumus*, scilicet, quorum notitiam habitualem habemus. — *Oxon.* II. d. 42. q. 4. n. 5. — I. d. 3 q. 6. n. 26.

Oportet dicere, quod in potestate voluntatis sit aliqua cogitatio, sive aliquis actus intellectus, ut possit intellectum avertere ab uno intelligibili, et convertere ad aliud intelligendum; aliter enim intellectus semper staret in consideratione obiecti perfecti sibi habitualiter cogniti; quia concurrentibus agentibus naturalibus circa idem passum, causa efficacior semper agit, si non impediatur: sed obiecta intelligibilia respectu intellectionis sunt causae activae naturales, et etiam intellectus agens et possibilis, si hic ponatur agere ad actum intelligendi; ergo illud obiectum intelligibile quod est perfectius semper moveret intellectum ad sui notitiam: contrarium experimur in nobis.

Item Augustinus, *XI. De Trinit.* cap. 3 de *Magnis*, et 11 de *Parvis: Voluntas hac atque illac fert atque refert aciem formandam, coniungitque formatam.* — Similiter ib., c. 8 de *Magnis* et 27 de *Parvis*, declarat quomodo voluntas coniungit memoriam aciei cogitationis, et dicit: *Quod autem conciliat atque coniungit, ita etiam ipsa distinguit atque separat utique voluntas.* Et quamvis loquatur de memoria et acie in parte sensitiva, tamen in XV Libro loquitur de intellectu, quando voluntas coniungit intelligentiam proli.

Patet ergo, quod aliqua intellectio sit in potestate voluntatis. Non tamen omnis, quia non intellectio *prima*, quia quidquid est in potestate voluntatis est in potestate eius mediante actu volendi: sed omnem actum volendi praecedit aliqua cognitio natura prior; ergo illa saltem non esset in potestate voluntatis. Propter quod dicit Augustinus, *De Libero Arb.* cap. 15: *Non est in potestate nostra quin visis tangamur.* — Restat ergo, ut cognitio *secunda* sit in potestate nostra.

Sed dubium est, *quomodo* cogitatio sive intellectio *secunda* est in potestate nostra, et quomodo voluntas possit movere ad il-

(1) « In intellectu igitur eius non est aliqua species, sicut in intellectu nostro; quia antequam intelligat non intelligit in potentia, quia tunc esset in potentia. Nec est in eo alia species in actu, sicut cum intellectus noster intelligit, quia sic in eo esset diversitas; imo illud idem in ipso est intellectus et intellectum, et ideo seipsum intelligit per seipsum ». — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 22. n. 2.

lam, cum ad nihil moveat nisi ut cognitum? — *Report.* II. d. 42. q. 4. n. 8. — *Oxon.* ib. nn. 5-6. — *Quibus in locis propositum dubium solvit.*

Intentio determinat agens ad agendum. — Principium ultimatum determinans agens intellectuale ad agendum est *intentio;* quia tale agens per imperium voluntatis est causa activa motiva aliarum potentiarum quae subiacent imperio voluntatis. — *Oxon.* IV. d. 6 q. 5. n. 9.

Iustitia non est nisi in voluntate. — Quando dicitur, quod *iustitia non est nisi in voluntate,* verum est de iustitia *habituali,* quae est *rectitudo propter se servata,* ut definit Anselmus, *servatum* enim convenit *habitui.* — Vel magis extendendo, verum est de iustitia actuali *primaria,* quia voluntas illam propter se *servat,* hoc est, *tenet in actu suo,* quem illa iustitia rectum elicit. — Si autem sit sermo de iustitia actuali *secundaria,* illam oportet dicere esse voluntatis, *non subiective,* sed *causaliter* tantum. Et ita adhuc de ista potest aliqualiter salvari definitio illa *iustitiae;* quia illa est *rectitudo voluntatis,* non ut voluntati firmiter *inhaerens,* sed voluntatis ut *causae,* vel imperantis: est etiam *propter se servata,* tamquam effectus voluntarie positus. — *Quodlib.* q. 18. n. 16. — Cf. *Oxon.* IV. d. 46. q. 1. n. 3.

L

Lacrymae lavant delictum quod voce pudor est confiteri. — Illa verba Ambrosii, *lacrymae lavant delictum quod voce pudor est confiteri,* non sunt sic intelligenda, quod sine confessione pudorosa in actu vel in habitu lavetur delictum; sed contritio potest esse tanta, quod in ea etiam ante confessionem deleatur peccatum, quod tamen est ita grave, quod confessio eius sequens est pudorosa. — *Oxon.* IV. d. 17. n. 29. — Per contritionem * namque * interiorem frequenter quoad Deum delentur et tolluntur delicta ut per principalem partem satisfactionis, non ita tamen, quod propter illam solam absolvatur quis a pudore Confessionis, habita copia Sacerdotis, prout decet; quia hoc esset contemnere dominicum Sacramentum. Sic igitur lacrymae ortae ex tristitia interiori lavant delictum, quod adeo est grave, et pudor est confiteri, si aliquis se submittat arbitrio confessoris; sic tamen lavant delictum, quod non excludunt pudorem confessionis, sed includunt. — *Report.* ib. n. 31.

M

Magis et minus non diversificant speciem. — Cum dicitur, quod *magis et minus non diversificant speciem,* dicendum, quod licet magis et minus *praecise* non diversificent speciem, tamen si generaliter accipiatur ista propositio, quod *magis et minus non diversificant speciem,* id est, non sunt nisi *in eadem* specie, propositio non est vera: substantia enim est magis *ens* quam accidens, et tamen *ens* quod dicitur de substantia et accidente non est eiusdem generis, nec speciei. — *De Cognit. Dei,* q. 5. n. 5. — * Itaque * magis et minus in *eadem forma* non diversificant speciem, ut magis et minus in *albo;* tamen magis et minus in *diversis formis* possunt speciem diversificare, ut si dicatur, quod ignis est perfectior substantia aere. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 20. n. 3.

Maius malum est magis fugiendum. — Vera est, caeteris paribus, scilicet, quod *maius malum est fugiendum,* quia, caeteris paribus, carentia boni debiti est maius malum quam boni indebiti: si autem bonum debitum supponit bonum indebitum, nec sine ipso potest haberi, tunc carentia boni inde-

biti est maius malum, quia sic est carentia boni indebiti causalis occasio carentiae boni debiti: bonum enim, secundum quod est bonum debitum, non potest haberi sine bono indebito, quod est primum. — *Oxon.* IV. d. 50. q. 2. n. 5.

Malitiae eo modo differunt quo bonitates quae deberent inesse. — Si specie, specie; si numero, numero. Privationes enim distinguuntur sicut habitus nati essent distingui: puta, *surditas* et *caecitas* suo modo differunt specie *privativa,* sicut *auditus* et *visus* specie *positiva;* et *haec* caecitas et *illa* numero *privative,* sicut *hic* visus et *ille* differunt numero *positive.* — *Quodlib.* q. 18. n. 17.

Malo bonum potentius. — Secundum Dionysium, *De Divinis Nominibus, bonum est potentius quam malum.* — Concedo, quod in ratione *causae* potentius est bonum quam malum; tamen aliquando pluribus potest unum malum nocere, quam unum bonum prodesse. — *Report.* II. d. 20. q. 2. n. 5. — *Oxon.* ib. n. 4.

Malum corrumpit bonum cui nocet. — Secundum Beatum Augustinum, *XII. De Civit.* cap. 6 (vel 7), *malum illud bonum corrumpit cui nocet.* — *Oxon.* II. d. 35. n. 1 in argum. — Dico, quod peccatum est corruptio alicuius boni *secundi.* — Et cum dicitur: *corrumpit illud cui nocet,* dico, quod nocet sibi in actu *secundo,* hoc est, illi quod suscipit, in hoc quod non est perfectum in actu secundo, quia caret perfectione quae nata est sibi inesse, et informatur privatione eiusdem. — *Report.* II. d. 35. n. 17. — Et ad Augustinum dico, quod nocet illi in alio, non in se auferendo aliquid quod sit de *natura* eius, sed ab eo auferendo aliquam perfectionem sibi convenientem, scilicet, iustitiam actualem. — *Oxon.* ib. d. 37. q. 1. n. 11.

Malum et bonum sunt opposita. — Cum dicitur: *oppositum non est causa oppositi,* dico, quod *malum* non opponitur *bono* quod convertitur cum *ente,* sed *bono* quod dicit perfectionem *secundam* natam inesse. — *Report.* II. d. 34. n. 16.

Malum ex quocumque defectu. — Dionysius, *De Divinis Nominibus,* p. 4: *Bonum ex una et tota causa; malum autem ex particularibus defectibus.* — Iuxta secundam partem auctoritatis Dionysii, videndum est unde actus habeat malitiam moralem. — Uno modo potest malitia opponi *privative* bonitati in actu: alio modo *contrarie,* sicut etiam homo dicitur malus *contrarie* quando *habet* habitum vitiosum, qui est habitus quidem positivus, licet cum privatione perfectionis debitae; alio modo dicitur malus *privative* tantum, scilicet, quia *caret* bonitate quam deberet habere, licet non habeat habitum vitiosum contrarium positivum.

Per rationem apparet ista distinctio; potest enim aliquis agere non cum circumstantia debita, et tamen non cum circumstantia indebita: puta, quando non ordinat actum ad finem debitum, nec tamen ipsum ordinat ad finem indebitum; tunc ille actus est malus *privative,* non *contrarie,* sicut ille qui ordinatur ad finem indebitum; et ex multis talibus actibus generatur habitus consimilis in malitia, scilicet, privativa, non contraria. *Exemplum* huius: dare eleemosynam non propter finem bonum, scilicet, amorem Dei, vel subventionem proximi; non tamen propter malum finem, puta, vanam gloriam, vel nocumentum alicuius, est actus malus privative, non tamen contrarie. — *Quodlib.* q. 18. n. 7.

De malitia *privativa* loquitur Dionysius, quod quicumque defectus particularis cuiuscumque circumstantiae necessario requisitae reddit actum sic malum. Sed malus *contrarie* non est, nisi habeat circumstantiam positivam habentem aliquam deformitatem. — Breviter igitur: sicut bonitas moralis est integra convenientia, sic malitia moralis est disconvenientia; et malitia quidem privativa disconvenientia privativa, hoc est, carentia convenientiae debitae; malitia autem contraria est disconvenientia contraria. Haec est conditio aliqua repugnans convenientiae. — *Ib.* n. 8. — Oportet * itaque * simul omnes circumstantias concurrere in actu quocumque morali, ad hoc ut sit bonus moraliter; sufficit tamen defectus unius et cuiuscumque circumstantiae ad hoc, ut sit malus moraliter. — *Oxon.* I. d. 48. n. 2. — Vid. *Bonum ex integra causa,* etc. — DISTINCTIONES: *Bonitas et malitia triplex.*

Malum non denominat bonum. — *Malum non denominat bonum,* quia Isaiae 2.: *Vae illis qui dicunt malum bonum,* et e contra. — *Report.* II. d. 34. n. 2 in obiect. — Dico, quod in *bono* quod *contrariatur malo* non est malum *subiective,* sed in bono quod *convertitur cum ente. Malum* enim quod est carentia perfectionis *secundae denominat bonum* quod est perfectio *essentialis* et *prima.* Et hoc dicit Augustinus in *Ench.* cap. 13, et ponitur in littera: *Nullum malum potest esse ubi bonum est nullum;* et in sequenti capitulo dicit, quod hic fallit regula Dialecticorum dicentium: *duo contraria non simul insunt eidem.* Sed hoc dico, quod pro tanto dicit Augustinus regulam Dialecticorum falli, quod ubi contraria qualitercumque abstracta, vel generaliter accepta, non possunt referri ad diversa illa, non compatiuntur se in eodem: sicut *album* et *nigrum,* quantumcumque generaliter sumpta, non possunt inesse eidem. Sed in transcendentibus, cuiusmodi sunt *bonum* et *ens,* nihil prohibet contraria secundum *vocem* supponere pro diversis, et simul esse: ut *bonum* pro bonitate *essentiae* vel *naturae,* quae est perfectio *prima,* et *malum* pro negatione boni *secundi,* quae est perfectio nata inesse illi naturae; et sic possunt esse simul hoc modo, non proprie contraria.

Ad auctoritatem Isaiae 5 respondet Augustinus in *Enchiridio,* cap. 12 vel 14 vel 35, quod dictum Prophetae intelligendum est de ipsis *rebus,* quibus homines mali sunt, et non de *hominibus;* et ponit exemplum, ut qui dicit *adulterium* esse *bonum,* et qui dicit *hominem* inquantum homo esse *malum,* opus Dei culpat, scilicet, *hominem,* et vitium hominis laudat, scilicet, *iniquitatem.* — *Ib.* n. 18.

Malum non est nisi propter bonum. — Augustinus, in *Enchiridio,* cap. 6.: *Non est malum nisi propter bonum.* — Verum est *occasionaliter.* Et idem bonum posset esse in natura, etsi malum non esset. — *Report.* II. d. 34. n. 5.

Malum non habet finem. — Cum dicitur: *malum non habet causam finalem,* dico, quod bonum, de quo loquimur, non habet rationem *finis* praecise; bonum quod est finis est bonum utroque modo quandoque.

Dices, causa finalis est prima causa; igitur quod non habet ipsam pro causa nullam habet causam. — *Dico,* quod malum habet causam finalem *per accidens,* nihil enim prohibet negationes in actu ordinari ad finem bonum, scilicet, verum bonum, vel apparens bonum. — *Report.* II. d. 34. n. 16. — *Oxon.* ib. d. 37. q. 2. n. 19.

Malum nullum est a malo. — Dico, quod *nullum malum est a malo.* — * Et * dico, quod uno modo potest *malum* intelligi per privationem *partium* eiusdem naturae: alio modo per privationem *perfectionum* convenientium tali naturae. — *Primo modo* est processus in infinitum secundum partes eiusdem proportionis, secundum quod infinitum dividitur in infinitum secundum *proportionem,* et non secundum *quantitatem;* ita enim posset ab aliqua natura auferri pars et pars, et sic secundum partes eiusdem *proportionis,* et sic in infinitum. Secundum autem partes eiusdem *quantitatis* status est non ad *malum,* sed ad *nihil,* quomodo est status in divisione continui ad *nihil,* si partes divisae destruerentur.

Secundo modo dico, quod licet illud quod est *bonum* alicui, cuius carentia est *malum* ei, posset auferri ab eo ista natura subtracta dupliciter per modum praedictum, scilicet, secundum partes eiusdem *proportionis,* et sic proceditur in *infinitum,* vel eiusdem *quantitatis,* et sic stat ad nihil; alius tamen processus est ibi, secundum quem natura perfectibilis est melior, et perfectio sibi correspondens est melior, qua tamen caret; et hoc modo est status in *malo,* scilicet, ad unum bonum creatum carens summa perfectione sibi conveniente; et hoc modo supremus diabolus vel aliqua creatura factibilis nobilissima, quae caret perfectione sibi proportionata, diceretur *summum malum;* sed a tali malo summo non sunt talia mala *positive,* nec positivum positivo, neque privatio a privatione. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 19.

* Ideo * dico, quod in universo est dare *malum summum,* quod non est dare peius; et illud non est *ens ex se,* nec *primum,*

sed est *carentia boni*, non primi, sed *secundi*, scilicet, perfectionis alicuius natae inesse alicui bono, cuius *perfectio secunda* amitti potest. Et sic Lucifer caret summa *perfectione secunda* nata sibi competere; et sic in eo est culpa et deordinatio actus, quae privat summa perfectione, quae nata est sibi inesse. — Sic igitur est dare *primum malum* in *genere* et *summum*, quod non habet malum prius tamquam *causam*, nec prius malum in universo. Et illud non oportet quod sit causa omnium aliorum quae sunt talia in illo genere; sed tenet hoc respectu illorum quae habent causam per se *effectivam*, non *defectivam;* ideo tenet in bonis. At ubi *effectus* sunt *defectus*, non oportet quod reducantur ad primum, quod sit tale *necesse esse* ex se. — *Report.* ib. d. 34. n. 17.

Malum igitur est ab aliquo, et non potest esse processus in infinitum; igitur oportet, quod sit a *bono in genere:* tum quia si detur primum malum, illud erit non ex se, sed ab alio: non *a malo*, cum sit *primum* malum; igitur a bono, quia non potest esse processus in infinitum, quod malum sit a malo. — *Report.* II. d. 34. n. 7.

Malum summum non existit. — *Nullum est primum malum;* alioquin illud in se careret summa perfectione nata sibi convenire: sed nulli nata est convenire summa perfectio, nisi summo bono in natura; igitur summum malum esset summum bonum in natura, et ita Deus, quia nihil aliud a Deo est summum bonum in natura. Et ad hanc haeresim sequuntur multa alia inconvenientia, non tantum contra fidem, sed etiam contra Philosophiam, quia destruit seipsam et includit contradictionem; quia si ponatur summum malum primum ex aequo ad primum bonum, oportet quod illud sit *necesse esse*, et omnino independens et impartitum; et tamen ista non conveniunt enti nisi perfectissimo. — *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 12. — * Vel aliter: * Non potest intelligi *summum malum* in entibus, nisi in illo quod caret maximo bono nato sibi inesse; igitur illud in quo est illud malum summum est magnum bonum in entibus; aliter enim nihil esset natum in entibus recipere maximum bonum, nec consequenter summum malum, quod consistit in carentia illius summi boni.

Item, illud malum quod est summum, et a nullo bono, esset ex se *necesse esse* et imparticipatum: sed *ex se necesse esse* est perfectius quacumque creatura; igitur summum malum esset perfectius nobilissima creatura.

Item, quandocumque aliqua sunt opposita, conditio quae magna est in extremo nobiliori repugnat extremo opposito: sed *esse* ex se est conditio nobilis in optimo bono; igitur illud non potest competere malo. — *Report.* II. d. 34. n. 7.

Malus est impoenitens. — Quod dicit Aristoteles, *X. Ethic.*, quod *malus est impoenitens*, oportet quod exponatur: id est, *de difficili* poenitens; quia nullus actus potest ita esse intensus in voluntate, quod tollat omnino eius potentiam ad oppositum. — *Oxon.* II. d. 7. n. 23.

Malus omnis ignorans. — Quomodo hoc sit verum quod dicitur *III. Ethicor.*, quod *omnis malus est ignorans*, habet alias tractari. — *Oxon.* II. q. 7. n. 27. — Vid. ib. d. 22. per tot. — III. d. 36. n. 11 seqq. — *Collat.* IV. per tot. — Distinctiones: *Intellectus excaecatio a malitia fit dupliciter* = *Peccatum ex ignorantia triplex.*

Materia appetit formam. — De appetitu * *naturali* * loquitur Philosophus, *I. Physicor.*, quod *materia appetit formam*, et universaliter imperfectum suam perfectionem. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 10. n. 3. — Quia materia est propter formam, et non e converso. — *Ib.* q. 12. n. 8. — Et dicitur forma appetibilis a materia, eo modo quo perfectio appetitur a perfectibili; nam forma est perfectio materiae. — *Physicor.* I. exposit. text. 81. — Unde respectu nullius formae potest esse generatio violenta in materia, quia materia inclinatur naturaliter ad quamlibet formam inducendam in ea, quamvis per comparationem ad qualitates quae expelluntur et corrumpuntur, et ad formam etiam substantialem quae corrumpitur per accidens, posset dici violenta. — *Oxon.* II. d. 18. n. 6.

* At * non quaecumque forma satiat appetitum materiae totaliter extensive, tot enim

sunt appetitus materiae ad formas quot sunt formae receptibiles in materia; nulla igitur una forma potest per se satiare omnes appetitus materiae ad formas; sed una satiat perfectissime, scilicet, forma perfectissima; illa tamen non satiat omnes appetitus materiae nisi in illa una forma omnes formae includerentur. — *Ib.* I. d. 1. q. 1. n. 7.

Materiae causalitas non est simpliciter prima. — *Causalitas materiae* et formae *non est simpliciter prima,* necessario enim praesupponit causalitatem *efficientis* priorem. — *Probatio:* causalitas *materiae* et formae includit *imperfectionem,* quia rationem *partis:* causalitas *efficientis* et *finis* nullam imperfectionem includit, sed *perfectionem:* omne autem imperfectum reducitur ad perfectum sicut ad *prius* se essentialiter; ergo *causalitas materiae* et formae *non est simpliciter prima.* — *Idem probo sic:* materia de se est *in potentia* ad formam, et hoc *passiva* et *contradictionis* quantum est de se; ergo non est de se sub forma, sed fit sub forma per aliquam aliam causam reducentem ipsam materiam ad actum formae: ista autem causa reducens non potest tantum dici forma inquantum forma, quia sic non reducit materiam, nisi actuando formaliter ipsam materiam; ergo oportet ponere aliquid reducens effective ipsam materiam ad istam actualitatem; ergo si Primum * (Deus) * esset compositum ex materia et forma, esset aliquod efficiens per cuius efficientiam esset materia eius sub forma, et ita ipsum non esset primum efficiens. — *Tertio* sic: omnis entitas una causata habet aliquam unam causam, a qua est eius unitas, quia non potest poni unitas in causato sine unitate in causa; unitas igitur compositi, cum sit causata, requirit aliquam unam causam a qua sit illa entitas causata: illa causa non est entitas materiae, nec formae, quia utraque est entitas diminuta respectu entitatis compositi; igitur praeter illas, scilicet, materiae et formae, oportet ponere aliquam aliam: illa erit *efficiens;* et ita redit idem quod prius, quod omni composito ex materia et forma erit aliquid *prius.* — *Oxon.* I. d. 8. q. 1. n. 2. — Cf. *De Primo Princ.* c. 2. n. 4.

Materiae est pati, sicut formae agere. — Quando arguitur, quod natura ipsius *materiae est pati,* ita natura ipsius *formae est agere,* dicendum, quod si loquitur *proprie* de *materia prima* et *forma* sibi conveniente, quae est perfectio eius, vera est propositio, quod sicut materiae primae proprie est pati, ita formae substantialis perficientis materiam est agere; pono enim formam substantialem esse activam, et esse principium operationis specificae. — Si vero accipiatur *materia improprie* pro quocumque habente *modum materiae,* sic falsa est haec, quod ubique materiae est pati; aliqua enim forma activa respectu alterius habet modum materiae et potentialis, et tamen est activa; et sic etiam falsa est, quod ubicumque cuiuscumque formae est agere — *Collat.* VI. n. 12. — Cfr. *De Rer. Princ.* q. 9. n. 32. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IX. S. 1. c. 1. n. 4. — Materia non est ratio operandi, sicut forma, ipsi toti primo operanti. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 8.

Materia est principium corruptionis. — Cum dicit * Philosophus *, quod *materia est principium corruptionis,* etc., dico, quod non oportet, omne illud quod non habet materiam esse incorruptibile, nec omne illud quod est corruptibile habere materiam, tamquam partem sui; sed sufficit, quod compositum quod informat habeat materiam ut partem sui, qua corrupta, corrumpitur etiam ipsum informans. Licet igitur forma non per se corrumpatur, sicut nec per se generatur, corrumpitur tamen ad corruptionem totius compositi, et sic corrumpuntur omnes formae accidentales, corrupto susceptivo. — *Report.* IV. d. 43. q. 2. n. 16. — *Oxon.* ib. n. 21. — *Theor.* XX. n. 1.

Materia est qua res potest esse et non esse (Philos. *VII. Metaph.*). — Et hoc ratione *privationis* in ea, *I. Physic.,* quia privatio sive materia privata machinatur ad maleficium, id est, ad corruptionem compositi cuius est. — *Oxon.* III. d. 16. q. 1. n. 2. — Non est autem materia per se ratio corruptibilitatis inquantum est in potentia ad *formam* aliam ab ea quam habet, sed inquantum est in potentia ad *privationem* formae quam habet. — *Ib.* II. d. 14. q. 1.

n. 2. — Non tamen intelligenda est ita, quod materia est qua res tantum *cuius ipsa est pars* potest esse et non esse, sed res sive cuius ipsa est pars, sive quae *recipitur in ipsa.* — *Ib.* IV. d. 43. q. 2. n. 21. — Cfr. *Report.* ib. n. 16. — *Theor.* XX. concl. 2.

Materia et efficiens non coincidunt. — Cum dicitur, quod *materia et efficiens non coincidunt,* dico, quod Aristoteles *II. Physic.*, ubi hoc scribitur, loquitur ibi de *materia* quae est subiectum *transmutationis* realis, quae est alia quam sit subiectum *receptivum,* de quo nunc loquitur, quod coincidit cum efficiente. Praeterea materia, id est, subiectum, non coincidit in idem *numero* cum efficiente, quod dicitur proprie *efficiens* distinctum contra *agens;* sic enim efficere transit in materiam extrinsecam, sicut et factio; sed non sic transit actio agentis, proprie loquendo de agente, cuius, scilicet, actio est tantum ad intra. — *Oxon.* II. d. 25. n. 17. — *Report.* ib. n. 14. — Intelligitur de materia *ex qua,* non *in qua,* et efficiente quocumque, vel si de materia quacumque, tunc de agente *univoco;* non de utroque generaliter simul. — De materia *ex qua* satis videtur Aristoteles loqui, quam ponit causam unam in naturalibus. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 24.

Cum * dicitur * de causa *materiali* et *efficiente* quod non coincidunt, verum est de materia quae est in *potentia pura,* sed non de materia *secundum quid,* qualis est subiectum respectu accidentis; necesse est enim aliquid idem quandoque esse *materiam* et *efficiens* respectu *eiusdem.* Quod apparet, quia alias passio non praedicaretur *per se secundo modo* de subiecto, quia si praedicetur *per se secundo modo* de eo, est eius causa materialis, sicut *materia* est in *accidentibus,* quia ponitur in definitione eius ut additum; si etiam est praedicatio *per se,* igitur et necessaria; sed quod est sola causa materialis respectu alicuius non habet necessitatem respectu eius; ergo oportet praeter causalitatem *materiae* ponere in subiecto causalitatem *efficientis* ad salvandum necessitatem — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 29. — Cf. *Super Univers. Porph.* q. 33. n. 4. — Vid. *Causae non coincidunt,* etc. = Distinctiones: *Materiae primae conditiones.*

Materia et forma sunt magis unum quam subiectum et accidens. — Dico, quod ibi est aequivocatio de *unitate;* est enim duplex: quaedam *identitatis extremi cum extremo:* alia *compositi resultantis.* — Loquendo de *prima* unitate, quanto aliqua sunt magis unum, tanto magis inseparabilia. — Loquendo de *secunda* unitate, propositio est falsa; quia maxima independentia ad invicem sunt magis nata concurrere ad verius unum resultans ex ipsis. *Materia* igitur et *forma,* licet non sint tanta unitate unum identice, quia non dependentia ab invicem sicut *accidens* a *subiecto,* tamen verius faciunt unum resultans, et magis sunt separabilia quam accidens a subiecto. — *Report.* II. d. 12. q. 2. n. 8. — *Oxon.* ib. n. 10. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 9. n. 2 seqq. — *QQ. Metaph.* l. VIII. q. 4. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VIII. S. un. c. 6. et 41.

Materia formae adaequatur. — Materia dicitur adaequari formae secundum *proportionem,* licet non secundum entitatem, pro eo quod eorum entitates sunt inaequales. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 12.

Materia ignota secundum se. — *Materia* dicitur *secundum se ignota,* quia non est prima ratio, nec potissima cognoscendi, sed magis forma, quae est etiam causa cognoscendi materiam, nam *materia est cognoscibilis per analogiam ad formam* (1) ex *I. Physic. text. c. 69.* — Vel Philosophus dicit materiam esse ignotam *secundum se,* quia loquitur de cognitione *scientifica* et de materia *contracta* ad esse *existentiae.* Talis quidem materia est ignota scientifice, et est causa contingentiae in rebus; ideo non facit cognitionem scientificam singularium quorum est; sed abstracta a sensu non habetur de eis nisi opinio. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 11. n. 87. — *Oxon.* III. d. 22. n. 16. — *Report.* ib. n. 11. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. q. 5. n. 2.

Materia. — In his quae sunt sine materia idem est quod quid est cum eo cuius est — Dico, quod in separatis a materia idem

---

(1) Vid. infra: ***Materia non est cognoscibilis,*** etc.

est quod quid, etc., *materia* accipitur uno modo ut *pars* rei compositae ex materia et forma: aliquando ut est *conditio* contrahens quidditatem. — *Primo modo* est propositio vera, secundum Philosophum, *VII. Metaph.* text. 20, quod *in separatis a materia idem est*, etc. — *Secundo modo* est simpliciter vera, quia ubi non est conditio contrahens quidditatem est idem cum quidditate, et hoc est in solo Deo, secundum veritatem. — *Probatur* hoc: *quod quid* esse idem cum eo cuius est potest intelligi dupliciter: vel idem identitate *reali*, vel identitate *praecisa adequata*. — *Primo modo* idem est *quod quid* cum eo cuius est in quolibet, sive sit *materiale*, sive *immateriale*. — Sed de identitate *praecisa* non intelligit Philosophus, et secundum ipsum, ubi non est materia primo modo non est materia secundo modo. — Sed hoc habet ex isto principio, quod Theologi habent negare: quod separatum est a materia est formaliter necessarium in se; et si ipse negaret hoc principium, ipse negaret istam conclusionem, cum haec sit causa praecisa. — *Report.* II. d. 3. q. 2. n. 7 — *Oxon.* ib. q. 6. nn. 20-21. — q. 7. n. 6. — III. d. 22. nn. 11. et 15. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 5 n. 36 seqq. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 7 per tot. — q. 16. n. 7. — Cf. Theor. XX. n. 5. — Vid. *Quodquid est rei est idem*, etc.

Materia non est cognoscibilis nisi per analogiam ad formam. (Ex Philosopho, *I. Physic.* text. 69). — Dictum Philosophi habet veritatem de intellectu nostro, et de materia *per comparationem ad intellectum nostrum;* nos enim sicut non concipimus entia perfectissima, nisi per effectus et per habitudinem ad efficiens, ita nec etiam diminuta, nisi per entia perfectiora et per sensibilia; et ideo materiam non cognoscimus, nisi per habitudinem ad formam (1), quia transmutatur ab una forma ad aliam; et hoc propter imperfectionem intellectus nostri in via, qui non intelligit nisi per sensibilia. Sed ex hoc non sequitur quod materia secundum se non est cognoscibilis. Et mirum est, quod aliqui intelligentes ex hoc concludant, quod materia *secundum se* non est cognoscibilis, quia non est cognoscibilis a nobis, nisi per analogiam ad formam; quia nec substantia est cognoscibilis a nobis, nisi per habitudinem ad accidentia; non enim cognoscimus substantias nisi per accidentia, ut quilibet potest experiri in se; igitur eadem ratione posset concludi quod substantia non sit secundum se cognoscibilis, nisi in habitudine ad accidentia. Unde et perfectionis esset in intellectu nostro, si posset cognoscere materiam, sicut perfectionis est in sensu quod potest cognoscere minimum sensibile. — *Report.* I. d. 36. q. 4. n. 10.

Quando * ergo * dicitur, quod *materia non est cognoscibilis nisi per analogiam ad formam*, dicendum, quod est falsum, *secundum se* considerando materiam; ab intellectu tamen nostro non potest aliter cognosci, sicut nec forma substantialis cognoscitur a nobis, nisi in comparatione ad operationem; ex hoc enim cognoscimus aliqua differre secundum formas, quia differunt secundum proprias operationes quae sequuntur tales formas. Sic intellectus non cognoscens aliquid, nisi ex sensibilibus, non cognoscit materiam esse, nisi videndo aliquid transmutari a contrario in contrarium, et non potest totum transmutari in totum; ideo concludit aliquid esse subiectum utrique contrariorum, quod vocat materiam, et sic per habitudinem ad formas contrarias, quae succedunt in materia, cognoscit intellectus noster materiam. Tamen ille intellectus qui perfecte cognoscit res secundum suas entitates quas habent in se, et non ex uno ad aliud, cognoscit materiam non plus per habitudinem ad formam quam e converso, sed cognoscit ipsam in se secundum suam entitatem propriam; et talis est intellectus divinus, et ideo cognoscit materiam per propriam ideam materiae. — *Ib.* n. 23. — II. d. 12. q. 1. nn. 23 et 24. — *Oxon.* ib. nn. 9. 19 et 20. — q. 2. n. 7. — III. d. 22. n. 10 et 16. —

(1) « Non est scibilis per formam *sub qua* est, immobilem, sed per illam *ad quam tendit*, et per illam *quam amittit*, ut docet Philosophus *I. Physic. text. 69. Subiecta* (inquit) *natura scibilis est secundum analogiam. Sicut enim ad statuam aes, aut ad lectulum lignum, aut aliorum aliquod habentium formam in materia et informe se habet priusquam accipiat formam, sic ipsa se ad substantiam habet*, etc. ». — *De Rer. Princ.* q. 8. n. 19.

Physic. I. exposit. text. 69. n. 33. — *Ib.* q. 20. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 16. — *De Rerum Princ.* q. 8, per tot.

Materia non habet ideam. — Sive *idea* accipiatur pro *obiecto cognito*, sive pro *ratione cognoscendi*, falsum est, quod *materia non habeat ideam;* imo quocumque modo *idea* accipiatur, dico, quod materia ipsa habet ideam; sicut enim materia est quid *creabile* distinctum a forma, sic est quoddam *ideale*, quod habet ideam distinctam. Sive etiam idea ponatur ratio *imitandi essentiam divinam* in tali gradu, adhuc habet ideam; quia alium gradum imitandi habet materia essentiam divinam quam forma, vel aliud quodcumque. — *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 7. — *Ib.* q. 1. n. 20. — *Report.* ib. n. 10.

Materia prima est ingenita et incorruptibilis. — Ostendit * Philosophus * qualiter materia est corruptibilis, et qualiter non, dicens, quod materia corrumpitur *secundum quid*, id est, *subiective*, quia materia subiicitur corruptioni: similiter generatur *subiective*, quia subiicitur generationi. — Sed materia non est generabilis *per se*, hoc est, *terminative;* quod probatur: quia si materia prima generaretur, sequeretur, quod non esset prima, quod est contradictio. — *Consequentia* tenet: quia illud ex quo generaretur potius diceretur materia prima, et per consequens materia prima esset una alia prior; quod implicat. — Similiter probatur, quod sit incorruptibilis; quia si corrumperetur, corrumperetur in unam aliam materiam, et per consequens illa esset prior materia quam materia prima. — *Physic.* I. expos. text. 82. n. 35. — Materia * Igitur * non producitur per *generationem*, cum sit fundamentum praesuppositum generationi. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 6. n. 10. — Concedo * tamen *, quod materia generatur denominative sicut *subiectum* generationis, non sicut *terminus* generationis. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 10. n. 4. — Vid. *Compositum per se generatur.* = *Forma per se non generatur.*

Materia prima fundamentum est universi. — Quia mundus est unus, et, sicut dicit Scriptura, processit de imperfecto ad perfectum, quoniam in perfectione et ornatu creaturarum: omne autem tale ab uno imperfecto procedit, ut patet in membris et ramis omnibus: non quod illud indeterminatum praecedat *tempore*, sicut fit in aliquibus, ut germen ramos, sed naturali *ordine*, quod videtur dicere Augustinus in principio *De mirabilibus sacrae Scripturae, cap. 1. Omnipotens* (inquit) *Deus ex informi materia, quam ipse prius ex nihilo condidit, cunctarum rerum visibilium et invisibilium, hoc est, sensibilium et insensibilium, intellectivarum et intellectu carentium, species multiformes divisit.*

Item, certum est, quod omnis ordo creaturarum naturaliter est a Deo inditus eis, ac per hoc ille ordo vel modus est perfectissimus: nunc autem in toto opere naturae et artis etiam ordinem hunc videmus, quod omnis forma, sive plurificatio, semper est de imperfecto et indeterminato ad perfectum et determinatum, de uno materiali ad plura formaliter distincta: ita facit natura *universalis* omnes formas quoad suum genus, mediate vel immediate, et *particularis* omnia membra de uno semine, omnes ramos de uno germine; ergo est iste ordo selectissimus. Videtur quod Deus in constitutione mundi hunc ordinem servaverit, ut de uno indeterminato, quod est materia immediate subiecta vel mediate (dico propter accidentia quae oriuntur), omnem multitudinem rerum fecerit, et quod, saltem *ordine naturae*, procedat de imperfecto ad perfectum: illud autem imperfectum ex quo fecerit non est *nihil*, quia imperfectum aliquid participat quod perficit; neque est *forma*, quia haec distinguit; ergo *materia*. Ostensum est autem, quod illud omnino indeterminatum, scilicet, materia, non potest esse in genere substantiae nisi *unum*, et ita procedunt res a Deo, ut numeri ab unitate, ut dicit Dionysius, *De Divin. Nomin. cap. ultimo:* sed intellectus intelligit unum crescere in infinitum per divisionem partium ab uno communi: sic a simile res multiplicari a Deo per distinctionem huius primi indeterminati in multa determinata.

Ex his apparet, quod quemadmodum membra unius corporis et omnes articuli procedunt ab uno indeterminato per virtu-

tem naturae dirigentis, et propter illud unum a quo procedunt uniuntur et ligantur, ita suo modo in toto mundo ex materia *una homogenea* communi omnis multitudo rerum procedit, cum non possit esse nisi unum primum indeterminatum, cuius natura salvatur in omnibus posterioribus, sicut substantia et quantitas seminis in omnibus membris, quamvis contracta per actus superadditos, sicut et semen per multa media; tamen in omnibus salvatur ratio materiae primae, quamvis contracta. — Nec oportet dicere, quod omnia sint idem numero, sicut membra unius corporis, quia illa materia habet unitatem numeralem, saltem actu signatam, sicut semen est unum numero.

Ex his apparet, quod mundus est arbor quaedam pulcherrima, cuius radix et seminarium est *materia prima*, folia fluentia sunt *accidentia*, frondes et rami sunt creata *corruptibilia*, flos rationalis *anima*, fructus naturae consimilis et perfectionis natura *Angelica*. Unicus autem hoc seminarium dirigens et formans a principio est manus *Dei:* aut *immediate*, ut coelos et Angelos, et animam rationalem, aut *mediantibus agentibus creatis*, sicut producuntur generabilia et corruptibilia. — De isto igitur totius universalis naturae fundamento, *materia* scilicet *primo prima*, verum est quod in fundamento naturae nihil est distinctum.

Dividitur radix ista immediate in duos ramos: in corporalem et spiritualem; spiritualis ramus in tres hierarchias, et quaelibet illarum in tres ordines, et ordo quaelibet in millia millium Angelorum. — Pars autem ramorum, flante vento superbiae, fuit in mundi principio arefacta. — Corporalis creatura duos ramos continet, scilicet: corpora corruptibilia et incorruptibilia.

Et sic patet, quod unitas universi et collectio eius claudit et concludit unitatem in principio indeterminato, seu in *materia prima*. — *De Rer. Princ.* q. 8. n. 28 seqq.

Materia prima nihil inferius. — Quia dicit Augustinus, lib. *Conf.*: *Fecisti, domine, duo: unum prope Te, angelicam naturam: aliud prope nihil, scilicet, materiam primam;* ergo de facto *nihil est inferius materia prima*, licet forte possibile sit aliquid inferius creari a Deo. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 6. n. 10. — *Report.* ib n. 8.

Nam materia etsi aliquod ens sit, tamen ita infimum est, quod non est principium alicuius actionis productivae. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 29.

Materia primo prima aspectum habet ad omnes formas. — Videmus in artibus et naturalibus, quod materia quanto magis denudatur ab actu formae, tanto habet aspectum ampliorem: plura enim possunt fieri ex lana quam ex filo, et ex filo quam ex panno, et ex terra quam ex ligno vel ferro; ergo materia illa, quae sola est ab omni actu formali denudata, necessario habet aspectum ad omnes formas.

Item, ex proportione formae ad materiam, quanto aliqua forma magis est indeterminata, tanto potest esse in pluribus materiis; forma enim animalis de ratione sua non determinat sibi corpus humanum vel equinum; et sic similiter ostendo de determinatione formae particularis, quae determinat sibi materiam particularem; ergo materia indeterminata habet aspectum ad formam indeterminatam, et e contrario materia indeterminata, qualis est materia *primo* prima*, potest recipere quamcumque formam. — *De Rer. Princ.* q. 8. n. 39.

Materia prior est forma. — Materia est prior ordine *naturae* quam ipsa forma recepta; quia materia est fundamentum omnium, iuxta illud *I. Metaph.*, in antiqua translatione: *In fundamento naturae nihil est distinctum.* — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 19.

Sed materia est aliquo modo prior forma, saltem *origine*, ad constituendum compositum; ergo forma non dat materiae aliquid pertinens ad propriam causalitatem ipsius materiae, et ita nec aliquam potentialitatem vel capacitatem (quae est sua potentialitas) auget sibi. — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 14. — Cfr. II. d. 12. q. 2. n. 3. — *Quodlib.* q. 10. n. 10. — Materiae enim est praecedere secundum originem et determinari, formae autem sequi et determinare. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 2. n. 3. — *Ib.* d. 11. q. 3. n. 19.

Secundum Augustinum, *II. Confess.*, quodam modo prioritatis creatur materia

priusquam forma. In illo priori materia non habet respectum ad Deum, nisi *producti* ad *producens;* et ille respectus non est extrinsecus adveniens, imo necessario consequens naturam fundamenti. In secundo instanti naturae recipit formam a Deo; et ille respectus non est eius ut producti ut ad Deum producentem, sed est eius ut *informati* ad Deum ut *informantem*, sive ut imprimentem formam; et ille secundus respectus extrisecus advenit materiae; quia posset perpetuo materia manere, Deo conservante, sine illo respectu receptionis a Deo. — Forma ergo illa *simul duratione* concreata est in materia; sed *posterius natura* inducitur vel imprimitur in materiam passione de genere passionis; sed sine omni mutatione; quia numquam materia a privatione formae illius transit ad formam, nec breviter aliter et aliter se habet secundum eam, quia aliter et aliter praesupponunt entitatem. — *Ib.* d. 43. q. 5. n. 9. — *Quodlib.* q. 10. n. 10. — Vid. *Forma prior materia et composito.*

Materia prius privata quam informata. — *Materia prius natura est privata quam informata;* quia ex se habet quod sit privata, ex alio quod sit informata. Quia materia non est ex se positive privata, sed privative tantum, quia non ex se habet formam, sed ab alio, ut generante vel creante; et ipsa sola, sine alia causa positiva, sufficit ad hoc, quod ipsa sit privata; esset igitur semper privata, nisi esset aliqua causa positiva impediens eius privationem continuam; et tamen quia causa positiva potest a principio impedire ipsius materiae privationem, dando sibi esse, ne semper sit privata, ideo non oportet ex tali prioritate *naturae* necessario concludere prioritatem *durationis.* — *Oxon.* II. d. 1. q. 3. n. 19.

Si materia comparatur ad *formam* et ad *privationem*, prius naturaliter est materia non habens formam quam habens: non quod in illo instanti, in quo habet formam, realiter non habeat eam, quia tunc contradictoria essent simul; sed quia tunc materia, quantum ex se, dimissa sibi, non haberet formam, si aliud habens non daret. — Et ita licet materia prius naturaliter sit privata quam formata, non tamen sequitur, quod ista aliquando non sit sub forma. — *Oxon.* III. d. 3. q. 1. n. 15.

Similiter licet prius natura materia sit *aliquid in se* quam privata vel formata, non tamen sequitur, quod ipsa aliquando sit in se, ita quod nec sub privatione nec sub ipsa forma, quia hoc modo non est aliud esse prius, nisi quod secundum propriam rationem eius, qua dicitur prius, neutrum illorum includit. — *Ib.* n. 16.

Materia quorum una unum numero sunt. (Aristoteles *V. Metaph. cap. De Uno*). — *Unum numero sunt quorum est materia una:* ibi accipit *materiam* pro illa entitate individuali quae constituit in esse *materiali*, non autem in esse *formali*, prout quidditas dicitur forma; quia ista entitas non est quidditativa. Et ista expositio patet per illud quod subdit: *Specie unum quorum ratio est una: etc.*; *ratio* enim ibi sumitur pro *quidditate*,. quae dicitur *forma* respectu esse *individualis.* — *Oxon* II. d. 3. q. 6. n. 20. — *Report.* ib. q. 4. n. 11.

Ad cuius evidentiam notandum, quod *materia* et *forma* opponuntur relative, ex *II. Physic.* text. Com. 26., et *quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum*, ex *I. Topic.* c. 13. — *Forma* autem, quantum ad praesens spectat, accipitur dupliciter, scilicet, pro forma *partis*, quae est altera pars compositi, vel pro forma *totius* quae est ipsa quidditas. — Similiter *materia* correspondenter dicitur dupliciter: quia quaedam est *materia* quae opponitur formae *partis*, et haec est materia quae est principium essentiale rei, constituens cum forma unum ens per se: quaedam est materia quae opponitur formae *totius* et ipsi quidditati, et per consequens est extra quidditatem rei formaliter; et haec est materia quae est differentia sive proprietas individualis, quae est causa propria haecceitatis et individuationis, quae potest nominari *haecceitas.*

Cum ergo dicit Philosophus, quod *illa sunt unum numero quorum materia est una*, loquitur de materia non primo modo, sed secundo modo dicta, quae congrue et proprie vocatur *materia*, quatenus consti-

tuit rem in esse ultimo subiicibili et *materiali*, non autem in esse *formali*, quia, ut dictum est, non pertinet formaliter ad formalem quidditatem rei. Et ista expositio consonat litterae Philosophi; subdit enim, quod *illa sunt unum specie quorum ratio est una; ratio* quidem sumitur pro *quidditate*, quae dicitur *forma* respectu esse *individualis*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. un. c. 6. n. 61.

Materia realiter distinguitur a forma. — Quomodo distinguitur * *materia* * a *forma*? Dico, quod *distinguitur ab ipsa realiter*, quadam realitate *receptiva*, omnino alterius rationis a forma, et alterius essentiae, et est primo diversum ab illa: quia illa sunt primo diversa quae sic se habent, quod nihil unius includitur in alio, nec e converso: forma autem et materia sunt huiusmodi; ergo, etc. — *Probatio:* si aliquid formae includeretur in materia, forma quantum ad illud non esset nata *recipi*, sed magis *recipere; ergo* non esset primum receptivum *(receptum?)*, sed aliquid eius esset non receptum, quia receptivum. Eodem modo, si aliquid materiae esset inclusum in forma, ipsa non esset primo *receptiva*, sed *recepta* quantum ad aliquid sui.

Si vero quaeratur, si sint *primo diversa* materia et forma, quomodo facient *per se unum?* Dico, quod consequenter, quanto duo sunt magis diversa, tanto sunt magis disposita ad faciendum unum per se, quia in illa constitutione non requiritur similitudo in natura, sed proportio conveniens, quae potest esse inter primo diversa. — *Report.* II. d. 12. q. 1. n. 19. — *Oxon.* ib. n. 16. — *Ib.* d. 1. q. 4. n. 5.

Materiatum quod non est non est formatum. — *Quod non est materiatum non est formatum, et e converso.* — *Probatur*, quia quod non est materiatum non est compositum ex partibus essentialibus, quia in omni sic composito perfecte uno altera pars est *potentialis*, quia non fit unum per se nisi ex actu et potentia, *ex VII. et VIII. Metaph. text.* capp. 22. 27. et 60. *et circiter*. Quod igitur non habet partem per se potentialem non est compositum; ergo nec formatum, quia formatum est compositum habens formam partem sui. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 5. — Cf. *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 15.

Maximum. — **In his quae sunt per se sicut maximum ad maximum, sic simpliciter ad simpliciter, et e contra** (Ex II. Topic.). — *Sicut maxime ad maxime et magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter;* ac si diceretur: quod est magis terreum est gravius; ergo terra est simpliciter gravis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. s. 1. c. 1. n. 18. — Non valet nisi in causis *praecisis*. — Non igitur sequitur, ab effectu ad causam arguendo: si perfectissime, perfectissime; ergo si simpliciter, simpliciter; quia illud quod perfectissime sumptum potest esse causa praecisa perfectissime in genere, sumptum tamen simpliciter non est causa praecisa effectus in genere. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 30.

Media ex fine concluduntur. — Quando finis sequitur naturaliter ea quae sunt ad finem, et naturaliter praeexigit illa, *tunc ex fine possunt concludi ea quae sunt ad finem.* — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 13.

Medio in omni est negatio utriusque extremi. — *In omni medio est negatio utriusque extremi,* quamquam tamen ita quod negationes extremorum cadunt super aliquid unum determinatum, tunc facile est medium nominare uno nomine; et sic cadunt negationes huius quod est *maius*, et eius quod est *minus* super aliquid quod unam et eamdem quantitatem habet, et nominatur *aequale*. Quanquam vero negationes extremorum non cadunt super unum determinatum, sed super plura; et tunc medium nominatur: aut pluribus nominibus, sicut medium inter *album* et *nigrum*, *fuscum*, *pallidum*, etc.; aut medium ipsius manet innominatum, et sicut inter *bonum* et *malum* est medium, quod nec est bonum nec malum. — Unde deducitur, quod negatio inquantum negatio est non est in genere. — — *QQ. Metaph.* l. X. q. 15. n. 5.

Medium (ad) ut deveniatur, eundum est ultra. — Sicut in moribus via deveniendi ad medium est aliqualiter procedere ultra medium versus extremum, *II. Ethicorum*, ita frequenter Sancti extinguendo contra se

haereses pullulantes excessive locuti sunt, volentes declinare ad aliud extremum; et ita multum ponderandum est contra quos haereticos Sancti locuti sunt: sicut Augustinus contra Arium videtur quasi declinare ad Sabellium, et e converso; similiter videtur contra Pelagium declinare ad Arium, et e converso. — *Oxon.* II. d. 33. n. 4.

Medium componitur ex extremis. — Dicendum, quod omnia media, tam species quam differentiae, componuntur ex contrariis primis; quia illud quod dicit *magis* et *minus* respectu duorum habet aliquid utriusque: sed medium inter duo extrema dicitur magis et minus respectu utriusque; igitur, etc. Si enim aliquid trasmutatur de *albo* in *nigrum*, cum perventum est ad medium est minus nigrum quam simpliciter nigrum, et est minus album quam simplicer album. Similiter est magis nigrum quam simpliciter album et magis album quam nigrum simpliciter. Aliquid ergo habet medium utriusque extremi.

Sed intelligendum est, quod medium non est compositum ex extremis tamquam ex *materia* et *forma*, vel sicut ex *diversis partibus;* sed pro eo dicitur *compositum*, quod participat virtutem utriusque sub quadam remissione, et sic est de speciebus, sic est de differentiis; sicut enim se habet *pallidum* ad *album* et *nigrum*, sic *differentia* constitutiva *pallidi* se habet ad *differentias albi* et *nigri*. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 17. n. 2. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. S. 2. c. 6. n. 75 seqq.

Dico ergo, quod in omni genere est invenire medium eiusdem rationis cum extremis, ut patet ex *X. Metaph.*, et medium dicitur componi ex extremis, ut *rubor* ex *albo* et *nigro;* et ista compositio non est nisi convenientia naturalis medii cum extremis, quae non est extremi ad extremum, non ita quod media qualitas habeat extremas partes sui, imo est ita simplex sicut extremum; et ideo qualitates extremae dicuntur manere vel habere esse in medio, et non dicitur, quod extremum sit in extremo — *Oxon.* II. d. 15. n. 6.

Medium contrariorum est. — Dicendum, quod *medium* proprie *contrariorum est.* Cuius ratio est, nam *medium* solum est inter *opposita*, quod patet per definitionem *medii: Medium enim est in quod prius pervenit transmutatio quam in extremum:* sed omnis transmutatio est inter *opposita;* ergo medium solum est inter opposita. Sed non inter *contradictoria*, quia de quolibet est affirmatio vel negatio. Unde contradictio est oppositum cuius non est medium secundum se. — Similiter inter *relativa* universaliter non est medium; quia quaedam non sunt in eodem genere, ut *scientia* et *scibile*, et medium est inter ea quod est eiusdem generis. Imo si inter aliqua relativa sit medium, ista sunt ut contradictio, et ut ex aequo ad invicem. Relativa privativa, etiam ad subiectum proprium comparata, immediata sunt (1), quia omne *animal* aut est *caecum* aut est *videns;* et hoc quando natum est videre. Quia tamen privatio varie potest contingere, quia aliquid dicitur *privatum* ex eo quod *nullo modo* habitum habet; et aliquid dicitur *privatum* eo quod non habet *quando* aut in *qua parte* natum est habere, et ideo inter quaedam privativa est medium, et inter quaedam non. *Puer* non dicitur *malus*, nec *bonus*, eo quod aetatem non habet, in qua natus est dici *bonus* vel *malus*, et hoc secundum virtutes morales; sed cum ad aetatem pervenerit dicitur *bonus* vel *malus*. — Similiter aliqua privatio determinat sibi subiectum, et aliqua non: virtus enim politica determinat sibi pro subiecto hominem civilem; et ideo qui non est civilis nec potest dici bonus, vel malus, quia homo agrestis, in hoc sensu, nec est bonus, neque malus; unde inter talia privativa convenit sic dare medium. — Quaedam etiam privativa determinant sibi subiectum, et non requirunt sibi aliquam circumstantiam, neque *aetatem*, nec *quando:* sicut *par* et *impar*. Et inter talia non est medium. — Sed dictum est supra, *quaestione* 11, quod omnis contrarietas est privatio, et prima contrarietas habitus est privatio; et ideo non excludit quin inter sola contraria proprie sit medium, quia ubicumque inter

(1) « Non enim est medium inter privative opposita circa aptum natum, sicut nec est absolute medium inter contradictoria ». — *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 11.

aliqua, sive privativa, sive relativa, sit medium, habet rationem *contrariorum*, propter quod dicit Philosophus, quod *solum inter contraria est medium*. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 16. n. 2. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. S. 2. c. 6. n. 72.

* Ideo * Aristoteles, *IV. Metaphysic.* c. *De Mediis*, probat principaliter, quod medium componitur ex contrariis; quia medium est magis unius extremi, et minus alterius, quia medium dictum per participationem participat utrumque extremum imperfecte et virtualiter, neutrum tamen simpliciter; et ideo denominatur a neutro simpliciter — *Super Praed.* q. 39. n. 13.

Medium est eiusdem generis cum extremis. — *Medium est in eodem genere cum extremis.* Quod patet ex ratione medii: *Medium est in quod continue permutans prius pervenit quam in extremum:* sed transmutatio non est ab uno *genere in aliud genus*, nisi *per accidens; ex albo* enim non fit *figuratum* nec *dulce*, nisi *per accidens;* sed omnis transmutatio est inter ea quae sunt *eiusdem generis*. Cum ergo transmutatio sit prius ab extremo in medium, et deinde a medio in alterum extremum, *medium* semper *est in eodem genere cum extremis*. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 15. n. 2.

* Seu brevius *: Omnis mutatio est inter ea quae sunt *eiusdem generis:* sed medium est illud per quod vel in quod fit mutatio in extremum; ergo *media sunt eiusdem generis cum extremis*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. X. S. 2. c. 6. n. 69. — * Notandum tamen *, quod medium et extrema sunt eiusdem generis, non ita quod sint eiusdem generis *logici*. — *Poster.* II. q. 9. n. 5.

Dico * insuper *, quod quoddam est medium per participationem utriusque extremi, sicut *fuscum*, quod est medium inter *album* et *nigrum*, quod est medium *ex natura rei;* et de tali verum est, quod est in eodem genere cum extremis, sicut probat Philosophus *X. Metaph.* — Aliud est medium aliquo alio modo *accidentaliter* sumptum, sicut *operatio* inter *operans* et *terminum;* istud non oportet esse eiusdem generis cum extremis, quia quando anima, * ex gr., * intelligit se, intellectio eius est qualitas, et tamen operans et obiectum sunt substantiae. — *Oxon.* I. d. 7. n. 20. — Cf. II. d. 15. n. 6.

Medium nullum est eorum quae sunt simul. (Philos. II. Physic). — *Medium* potest intelligi vel *positivum* et *actuale*, vel *privativum potentiale*. Et utroque modo debet intelligi, nullum esse medium eorum quae tangunt se et quae sunt simul. — *Quodlib.* q. 11. n. 9. — Cf. *Physic.* V. expos. tex. 21 seqq. n. 13 seqq.

Medium quanto magis recedit ab uno extremo tanto magis accedit ad aliud. — Cum accipis: *Medium quanto magis recedit ab uno extremo tanto magis accedit ad aliud*, si intelligas *uniformiter* accedere et recedere, concedo; si *difformiter*, falsa est: utpote si est medium in essendo, et recedit ab hoc extremo in essendo accedit ad aliud in essendo. Similiter si est medium in operando, et recedit ab hoc in operando, accedit ad illud in operando. Sed si est medium in essendo, vel operando, et recedit in essendo ab uno extremo, non propter hoc accedit ad aliud in operando. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 2. n. 9.

Quanto aliquod medium recedit magis ab uno extremo, tanto non solum accedit ad alterum, sed dicitur habere rationem alterius, sicut patet ex *V. Pysic.*, quod *rubeum* respectu *albi* dicitur *nigrum*. — *Quodlib.* q. 8. n. 11.

Mendax nemo praesumitur nisi probetur. — *Quilibet habendus est verax de quo non habeatur evidens signum oppositi;* et ista est de lege naturae, id est, consona legi naturali, quod *pro fideli et veraci quilibet habeatur, quousque per experientiam vel per testimonium aliorum fuerit certitudinaliter contrarium aestimatum*. — *Oxon.* IV. d. 27. q. 2. n. 2.

Mensura mensurato unigenea sit oportet. — Non est intelligendum, quod sint *unius* generis *per se*, sed sufficit quod ad *idem* genus *pertineant*, dummodo tamen *hoc* sit prius et causa, *illud* posterius et causatum. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 1. n. 4. — Cum dicitur, quod *mensura est unigenea mensurato*, dicendum, quod verum est de men-

sura *proportionata,* sicut de mensura *intrinseca:* talis non est Prima Causa, imo pro eo dicitur *mensura,* quia per approximationem et remotionem ab eo mensurantur perfectiones aliorum. — *Ib.* q. 3. n. 4. — Vid. DISTINCTIONES: *Mensurae proprietates.*

Mensuratum non potest esse sine mensura. — Hoc verum est de mensura rei in esse *quidditativo.* Et ratio est, quia mensuratum tale dependet a mensura tali, ex *V. Metaph.*, cap. de *Ad aliquid,* quia refertur ad ipsum, et non e converso, sicut *scibile* est mensura *scientiae,* quia scientia dependet ad ipsum. -- Non est autem verum de mensura *accidentali,* quae per applicationem vel coextensionem mensurat, sicut *ulna* mensurat *pannum;* patet enim, quod quantitas panni non dependet a quantitate ulnae. – *Oxon.* IV. d. 48. q. 2. n. 12.

Mobile dum est in motu partim est in termino « a quo », partim in termino « ad quem ». (Philos. *VI. Physic.* text. com 7 et 87 (1). — Dico, quod toto tempore motus est subiectum sub forma priori, et in ultimo termino motus sub forma posteriori, et ita semper sub altero. Forma accidentalis, secundum quam est motus, suscipit magis et minus, et secundum illum gradum secundum quem est terminus *a quo* motus non manet in motu, quia in toto motu remittitur magis et minus, sed semper essentia termini *a quo* manet. Ideo intelligendum est dictum Aristotelis sic, *mobile,* etc. hoc est, terminum *a quo* participat secundum aliquem gradum remissum, et in tantum continue accedit ad terminum *ad quem.* — Dum subiectum est in termino *a quo,* secundum illum gradum secundum quem est terminus *a quo,* non movetur, sed forte incipit moveri. Sed quando subiectum est in termino *ad quem,* secundum illum gradum secundum quem est terminus *ad quem,* tunc finitur motus. — *Super Praedic.* q. 39. n. 3. — Cum accipitur, quod *omne quod movetur partim est in termino « a quo », et partim in termino « ad quem »* verum est, si sit tale mobile, ex cuius ratione sit successio motus, tale enim mobile est secundum partem et partem sui in termino et in termino: et non ita solum, sed secundum idem sui est partim in termino uno, et partim in alio, hoc est, in aliquo medio non quiescendo: sed inquantum est aliquid utriusque, hoc est, inquantum est per quod tendit ab uno in alterum, hoc est dictu, quod est sub mutatione, et sub aliquo subiacente mutationi, et sic continuat partes motus. — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 37.

(1) Cf. exposit. Doctoris ad praef. text.

Motivi et mobilis idem actus. — Secundum Philosophum, *idem est actus motivi et mobilis.* — *De Anima,* q. 7. n. 1 in arg. — Dicendum, quod verum est, quod idem est actus motivi *activi* qui est actus *passivi* vel mobilis formaliter. — *Ib.* n. 9.

Motum a movente dependet. — Movens et motum nec in eadem natura, nec in eodem supposito repugnant, quia hic non ponitur dependentia *essentialis,* qualem ponunt relationes *causae* et *causati.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 7. n. 29. — Motum enim non dependet essentialiter a movente, quia non dependet nisi ratione illius accidentis quod recipit; quidquid enim est de essentia moti praesupponitur motui. — *Ib.* II. d. 25. n. 17. — Motum * tamen * a movente dependet quantum ad actum accidentalem, quem recipit ab eo. — *Ib.* I. l. cit. — d. 26. n. 56.

Motus duo eiusdem speciei non possunt inesse eidem. — Est * hoc * dictum Philosophi, III. *Physic.*, verum de motibus secundum formas incompossibiles, quales sunt forte formae absolutae, sed non eiusdem speciei. — *Oxon.* II. d. 2. q. 7. n. 4.

Motus est inter contraria. — Philosophus, *I. Physic.* cap. 25, vult, quod omnis motus sit inter contraria opposita, vel privativa, vel media inter haec. — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 34. — Cfr. *Physic.* I. q. 18. — Omnis motus terminatur ad contrarium eius a quo incepit. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. s. 1. c. 2. n. 34.

Motus et mobile sunt simul. — Motus non est sine mobili, nec e contrario; et sicut motus ad mobile, ita numerus motus vel unitas motus ad numerum sive unitatem mobilis. — *Oxon.* II. d. 2. q. 2. n. 4. — Cf. ib. IV. d. 12. q. 4. n. 14.

Motus non est ad actionem et passionem. — Vid. *Actionem (ad) et passionem non est motus.*

Motus non est ad motum. — *Ad nullum motum est motus.* — Dicit * Philosophus *, quod *ad motum esse motum* potest intelligi dupliciter: uno modo, quod motus sit *subiectum* motus, ut quemadmodum movetur de *albo* in *nigrum,* aut *calefit,* vel *frigefit,* ita etiam motus moveatur, aut calefiat, aut frigefiat. — Alio modo, quod ad motum sit motus tamquam ad *terminum,* ita ut unus motus sit terminus alterius. — *Physic.* V. exposit. text. 11. n. 14.

Et primo ostendit, quod *ad motum non est motus* tamquam ad *terminum.* — Secundo ostendit, quod *ad motum non est motus* tamquam ad *subiectum.* — Tertio ostendit, *qualiter ad motum sit motus.*

Est igitur conclusio: *ad motum non est motus tamquam ad terminum.* — Probatur quadrupliciter.

Primo inductione: quia *generatio* non est ad *motum* aliquem tamquam ad *terminum,* imo est ad rem *permanentem,* scilicet, ad *esse* alicuius rei; et similiter *corruptio* est ad *non esse* alicuius rei; et ita inducendo in aliis motibus et mutationibus.

Secunda ratio est: si motus esset motus tamquam *termini,* tunc esset processus in infinitum in mutationibus; nam si *sanatio* esset ad aliam, eadem ratione illa alia ad aliam, et sic in infinitum; et per consequens quae mutarentur unica mutatione mutarentur ad *quamlibet,* quod est impossibile, quia aliquando contingit mobile quiescere. — *Ib.* n. 15.

Tertia ratio: quia si una mutatio sit ad aliam mutationem tamquam ad *terminum,* tunc non posset esse ad *quamlibet indifferenter,* sed *determinate* ad *suam oppositam,* ut *sanatio* ad *aegritudinem;* igitur cum *sanatio* sit ad *sanitatem* tamquam ad *terminum,* et cum hoc, per te, est ad *aegrotationem,* cuius terminus est *aegritudo,* igitur sanatio *simul* est ad *sanitatem* et *aegritudinem* sicut ad terminos contrarios; quod est impossibile. — *Ib.* exposit. text. 12.

Ponit *quartam* rationem: quia si mutatio esset ad mutationem, et illa ad aliam, sequeretur quod *nulla esset mutatio: consequens* implicat, scilicet, quod *aliqua* sit mutatio ad aliam mutationem, et tamen quod *nulla* sit mutatio. *Consequentia* probatur: quia si una sit mutatio ad aliam, et illa ad aliam, et sic in infinitum, tunc sunt illae infinitae mutationes ordinatae ad invicem; igitur cum infinitis non sit dare primum, neque ultimum, sequitur, quod non est dare aliquod intermedium. — *Ib.* exposit. text. 13. n. 16.

Probat, quod *ad motum non sit dare motus nec ad mutationem mutatio* tamquam ad *subiectum.*

Prima ratio est, quia si motus esset *subiectum* motus, sequeretur, quod motus esset subiectum *corruptionis: consequens* est falsum, quia tunc motum quiesceret, et illud quod generatur corrumperetur, quod est falsum. *Consequentia* probatur: quia *motus* et *quies* opponuntur privative, et per consequens habent fieri circa idem. — *Ib.* exposit. text. 14. n. 17.

Secunda ratio: quia videmus in omni motu, quod est subiectum motus esse alterum a motu, ut homo qui movetur, aut corpus, aut aliquid huiusmodi. — *Ib.* exposit. text. 15.

Tertia ratio: quia si motus esset *subiectum* motus, eadem ratione illius alterius motus esset aliud subiectum, et sic in infinitum; quod est impossibile, quia tunc essent motus infiniti ad invicem ordinati.

Quarta ratio: sequeretur, quod doctrinatio esset subiectum doctrinationis et generatio subiectum generationis: *consequens* est falsum, quia idem non est subiectum sui ipsius; etiam quia anima est subiectum doctrinationis. — *Ib.* exposit. text. 16.

Ostendit, *qualiter possit concedi, quod ad motus sit motus,* dicens, quod tripliciter dicitur aliquid moveri: uno modo secundum *partem:* secundo modo secundum *accidens:* tertio modo *per se* et *primo.* — Tunc dicit, quod si aliquo modo debeat concedi, quod mutatio sit subiectum mutationis, hoc est secundum *accidens.* — *Ib,* exposit. text. 17. n. 18.

Motus non est ad relationem. — In *ad aliquid non est per se motus.* — Probatur: quia secundum illud genus non est per se motus, cuius praedicata variantur de mobili per mutationem factam in aliquo alio, ipso mobili non moto: sed praedicata generis *ad aliquid* variantur de mobili per solam mutationem factam in aliquo alio; igitur in *ad aliquid* non est per se motus. — *Maior* patet per conditiones requisitas ad *motum* (1). — Et *minor* probatur: quia si Socrates nunc sit dexter Platoni, ipse potest fieri sinister, moto Platone, sine motu sui ipsius. — Secundo, quia nulla est mutatio vel motus, quem de necessitate sequitur mutatio praedicatorum generis *ad aliquid* de ipso mobili; igitur nullus est motus per se *ad aliquid.* — *Physic.* V. q. 5. n. 5.

Licet Philos. *V. Physic.* neget motum esse in *ad aliquid,* prout ad genus *ad aliquid* pertinent relationes intrinsecus advenientes, non negat tamen motum vel mutationem esse in *ad aliquid* extrinsecus adveniens, imo concedit; concedit enim in genere *ubi* esse motum proprie; et tamen *ubi* non est nisi respectus quidam corporis circumscribentis ad locatum, vel locati ad corpus circumscribens. — *Oxon.* IV. d. 6. q. q. 10. n. 4. — *Report.* ib. q. 9. n. 4.

Potest * dici * ad auctoritatem Philosophi, *V. Physic.*, quod neget motum ad relationem proprie dictam, quae pertinet ad *quartum* genus, non autem ad quemcumque respectum pertinentem ad aliquod sex generum, imo concedit ibi motum esse ad *ubi,* qui communiter non dicitur esse motus ad formam *absolutam,* quia *ubi,* ut videtur, non est forma absoluta, sed respectu corporis contenti ad locum continentem.

Ratio autem *relationis* ab aliis respectibus *in non terminando motum* videtur esse, quia ex quo relatio necessario consequitur extrema posita, nunquam potest ipsa acquiri *per se,* sed tantummodo *per accidens,* alio, scilicet, absoluto acquisito in altero relatorum; et talia quae non acquiruntur nisi *per accidens,* scilicet, alio acquisito, negat Philosophus in *V. Physic. per se terminare motum.* Respectus autem non necessario consequens extrema potest habere propriam novitatem absque novitate unius vel alterius extremi, et ideo potest habere propriam acquisitionem. — *Quodlib.* q. 11. n. 14. — Cf. *ib.* q. 13. n. 4. — *Physic. V.* exposit. text. 10. n. 5. — VII. exposit. text. 17. n. 13.

Motus non est ad substantiam. — *Ad substantiam non est motus.* — Probatur ratione: quia omnis motus est de affirmato in affirmatum: sed nulla mutatio ad substantiam est de affirmato in affirmatum, nam generatio est ad affirmatum, sed non de affirmato, et e contra de corruptione; ergo, etc. — Secundo, illud quod movetur est: sed quod generatur non est; igitur quod generatur non movetur, et per consequens generatio non est motus: modo, si ad substantiam esset aliquis motus, maxime esset generatio; igitur *ad substantiam non est* aliquis *motus.* — *Physic.* V. q. 1. n. 2. — *Ib.* n. 7.

Motus omnis est de contrario in contrarium. — *Omnis motus est de contrario in contrarium;* quia omnis motus fit successive, aut secundum *quantitatem,* aut secundum *qualitatem,* vel secundum *ubi:* sed quocumque istorum modorum fiat est inter contraria; quia in quolibet illorum generum est incompossibilitas terminorum, inter quos est distantia intermedia, quia si per ipsam procedatur, facit successionem in motu. — *Physic.* V. q. 4. n. 4.

Motus termini sunt incompossibiles. — Cum dicitur: *termini motus sunt incompossibiles,* verum est de *proximis* terminis *eiusdem* motus; sed non est verum de terminis qui possunt esse quorumcumque motuum differentium. — *Oxon.* II. d. 2. q. 7. n. 4.

* Vel * cum dicitur, quod termini cuiuslibet motus vel mutationis sunt impossibiles vel incompossibiles, verum est de *primis* terminis cuiuslibet motus vel mutationis, cuiusmodi sunt privatio formae et ipsa forma inducta per motum vel mutationem; sed non semper termini *consequentes* tales primos terminos sunt incompossibiles. — *Report.* IV. d. 10. q. 3. n. 26. — d. 11. q. 1. n. 9. — *Oxon.* ib. d. 10. q. 2. n. 19. — d. 11. q. 1. n. 11.

---

(1) Vid. Distinctiones: *Motus.*

Motuum differentium specie sunt termini specie differentes. — Ista propositio, *motuum differentium specie sunt termini specie differentes,* non est immediata, sed dependet ex aliis duabus. Prima est: *motuum differentium specie sunt fluxus differentes specie vel forma,* secundum quas sunt fluxus differunt specie. — Secunda est: *forma fluens,* vel *forma secundum quam est fluxus,* est eiusdem rationis cum forma terminante. — Ubi autem altera istarum duarum est falsa, propositio assumpta est falsa. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 30. — d. 13. n. 22. — Motus non distinguuntur penes terminos, nisi quia formae fluentes sunt eiusdem rationis cum formis terminantibus. — *Ib.* n. 2.

Movens aliquid per se movet per accidens quidquid est in illo. — Illa propositio falsa est, nisi intelligatur de illo quod est in moto, vel sicut *actus* in potentia, vel sicut *pars* in toto, vel sicut aliquid *necessitate naturali* coniunctum, ut grave illi cui innititur. Si enim tantum per actum *voluntatis* contingenter coniungitur hoc illi, movens istud non propter hoc movebit illud; sed oportet, quod illa voluntas quae est causa coniunctionis sit etiam causa motionis illius quod nulla naturali necessitate coniungitur moto. — *Oxon.* IV, d. 10. q. 6. n. 6.

Cum * itaque * dicitur, quod illud quod movetur per se ab aliquo movetur per accidens secundum quodlibet in eo quod consequitur motum eius, dico, quod * haec * solum vera est quando sunt unita aliqua unione *naturali,* ut per gravitatem vel per aliquod aliud; et sic in sic unitis vera est propositio, quod *movens unum per se movet aliud per accidens.* Sed propositio non est vera, sed semper est falsa, si sit unio illorum tantum per actum *voluntatis* extrinsece, contingenter, et non ex natura rei. — *Exemplum* huius est, si Angelus voluntate sua faciat se praesentem huic ligno, ut loco suo, et aliquis traheret lignum, Angelus remaneret in eodem loco non motus, nec per se, nec per accidens, nisi voluntate moveret se ad motum ligni tracti. — *Report.* IV. d. 10. q. 6. n. 5.

Movens et motum sunt simul. — Ad illud de Philosopho, quod *movens et motum sunt simul,* dicendum, quod illud dictum Philosophi habet intelligi de agentibus *naturalibus,* quae agunt per qualitates quae sunt in quantitatibus, et ideo oportet illas qualitates activas et passivas in quantitate existentes coniungi; unde non sunt principia agendi in remotum, cum sint principia agendi prius in propinquum. Si autem Philosophus posuisset aliquam intelligentiam perfecte et immediate activam, sive productivam, non posuisset eam oportere coniungi effectui essentialiter. — *Report.* I. d. 37. q. 2. n. 10. — *Oxon.* ib. n. 4.

Notandum, quod aliqua possunt dici *simul* dupliciter: uno modo quia sunt in *eodem loco primo,* et hoc dupliciter: uno modo *per se,* et sic impossibile est, quod movens et motum sint simul: alio modo *per accidens,* ita ut unum corpus sit *per se* in loco, et aliud *per accidens,* et sic in omni motu facto a principio *intrinseco* movens et motum sunt simul. — Alio modo dicuntur aliqua *simul* per *privationem distantiae intermediae,* et sic duo corpora *immediata* dicuntur esse *simul.* — *Physic.* VII. q. 3. n. 2.

Movens primum est immobile. — Probatur: Si moveretur, tunc movetur ab alio: *consequens* est falsum, quia tunc illud aliud potius esset prius motor quam ille. — *Physic.* VIII. exposit. text 84. n. 26. — Cf. *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 2. — Augustinus, *Super Genesim,* lib. VIII. cap. 21, probat, quod omnis motus ab immobili fluat, et in immobile radicetur: si enim movetur digitus, stat cubitus, si cubitus, stat humerus, si humerus, stat corpus, si movetur unus pes, stabit pes alter. — *De Rer. Princ.* q. 3. n. 7.

Moventibus (in) et motis non est processus in infinitum. — Notandum, quod quaedam sunt moventia *corporea,* et alia *incorporea;* et de utrisque potest imaginari, quod sit processus in infinitum; tamen Aristoteles in proposito intellexit de moventibus *corporeis,* quia talia simul sunt moventia et mota. — Secundo notandum, quod quaedam sunt moventia *essentialiter ordinata,* et quaedam *accidentalitar* solum. Illa dicuntur *essentialiter ordinata* quorum posterius non mo-

vet nisi priori movente: sed illa dicuntur *accidentaliter ordinata* quorum posterius non movet nisi prius alias movit; sed non oportet, quod simul moveant: et sic tu, pater tuus et pater illius dicuntur *accidentaliter* ordinata. — Modo, de causis efficientibus *essentialiter ordinatis* intelligit Aristoteles *II Metaphysic., text. 6* (1), et etiam in propositio. — *Physic.* VII q. 2. n. 2.

Tunc ponuntur conclusiones: *prima* est ista: *in moventibus* sive *efficientibus essentialiter ordinatis non est processus in infinitum.* — Probatur: quia si in moventibus et motis essentialiter ordinatis esset processus in infinitum, sequeretur, quod *nullum esset movens: consequens* implicat, scilicet, quod *infinita* sint moventia, et quod *nullum* sit movens. *Consequentia* probatur: quia in infinitis non est aliquod primum: modo, in essentialiter ordinatis, primo, scilicet, illo quod primo movens est, non movente, etiam alia non movebunt; igitur cum nullum sit primum, sequitur, quod nullum sit movens. — Secundo, quia si in causis efficientibus procederetur in infinitum, tunc sequeretur, quod impossibile esset producere aliquod effectum, nisi ille effectus sit infinitus: *consequens* est impossibile. — *Consequentia* probatur: quia quaelibet illarum infinitarum causarum aliquid facit ad productionem effectus; igitur cum illae causae sint infinitae, et a qualibet aliquid producatur, sequitur, quod totum productum esset infinitum. — *Ib.* n. 3.

Secunda conclusio magis specialis est ista: *in moventibus et motis corporeis non est processus in infinitum.* — Et istam conclusionem probat Aristoteles, supponendo aliqua: primo, quod in tempore finito non potest fieri motus infinitus. Secundo supponitur, quod infinitorum mobilium ad invicem coniunctorum motus est infinitus; et hoc est verum, supponendo quod quodlibet illorum sit maius vel aequale aliquo tertio dato. Tertio supponitur, quod motus infinitorum mobilium fieret in eodem tempore in quo fieret motus unius illorum. — *Consequentia* probatur: quia si in moventibus et motis fieret processus in infinitum, tunc cum aggregati ex omnibus illis moventibus et motis motus sit infinitus, per secundam suppositionem, et fit in eodem tempore in quo fieret unus illorum, per tertiam, sed quilibet illorum fieret tempore finito, quod est contra primum suppositum. — *Ib.* n. 3. — Cf. VIII. Expos. text. 35. n. 12. — *De Rer. Princ.* q. 3. n. 7.

(1) Vid. exposit. Doctor.

Movet (nihil) se primo. — Ex *prima conclusione VII. Physic. nihil movet se primo;* quia tunc quiesceret ad quietem partis, et non quiesceret ad quietem eius. — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 1 in arg. — Dico, quod hoc quod dicit *primo* dupliciter potest accipi: uno modo potest dici quod est *secundum totum,* et opponitur ei quod est secundum *partem:* et hoc modo accipit Philosophus *moveri* primo in *V. Physicor.*, ubi distinguit, quod aliquod movetur secundum *accidens,* aliquod secundum *partem,* et aliquid *primo;* et similitur in *VI,* ubi dicit, quod quidquid movetur in aliquo tempore *primo* movetur in quolibet illius temporis; et alibi frequenter. — *Alio modo* hoc quod est *primo* dicit *causalitatem praecisam:* quomodo accipitur in *I. Poster.* in definitione *universalis.*

Dico tunc, quod ratio Aristotelis in principio VII bene probat, quod nullum corpus movetur a se primo hac duplici primitate simul; quia si movetur a se primo, id est, *secundum se totum,* igitur motus inest cuilibet parti eius. *Consequentia* tenet per hoc, quod totum inquantum movens est homogeneum, et moveri est passio homogenea: passio autem homogenea non inest toti primo hac primitate nisi insit cuilibet parti eius; sequitur igitur, quod si totum movetur primo hoc modo, quod si pars quiescit, totum quiescit. — Accipiendo autem aliam primitatem *causalitatis praecise,* si totum movetur a se primo, non removetur hoc praedicatum, quod est *moveri ab ipso,* propter hoc quod removetur ab aliquo quod *non est ipsum,* nec removetur ab ipso propter id quod removetur ab aliquo quod est *aliquid eius.* Si enim triangulus habet tres primo hac primitate, non solum non removetur ab eo habere tres, si removetur a quadrangulo

qui *nihil est eius*, imo etiam non removetur ab eo propter hoc quod removetur a *parte trianguli*, puta ab hoc angulo, vel illo. Igitur et *moveri* non removebitur a toto, cui primo inest hac primitate, etiamsi removeatur a parte eius, quae pars non est ipsum, et ideo si totum movetur hac primitate primo, non quiescit ad quietem partis. Prius autem illatum est hoc de illo quod movetur primo altera primitate, quiescit ad quietem partis. Impossibile igitur est totum moveri primo utraque primitate simul, et includit contradictionem, sicut contradictio sequitur. Tamen altera primitate praecise potest aliquid totum moveri a se primo. — *Oxon.* II. d. 2. q. 10. n. 13.

Praecise ergo probat ratio Aristotelis, quod totum non movetur a se primo, hoc est, quod *moveri*, quod est passio homogenea, non inest toti homogeneo *primo*, hoc est, secundum *causalitatem praecisam*, inquantum illa passio accipitur ut homogenea, hoc est, ut eiusdem rationis toti quanto et parti quanti, quia sic non removeretur a toto, licet removeretur a parte, quod falsum est propter primitatem totalitatis, quae infertur hic ex ratione causalitatis praecise. Tamen non probat quin totum potest moveri a se primo, loquendo de illa motione totali, cuius partes sunt motiones partium, et de primitate causalitatis praecisae; et cum hoc stat, quod moveatur primo alia primitate, scilicet, totalitatis, accipiendo *moveri* in communi, prout, scilicet, convenit toti et cuilibet parti totius; ita quod alio modo oportet accipere praedicatum quod debet inesse toti hac primitate et illa. — *Ib.* n. 14. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14 per tot. — l. XII. q. 7. n. 3. — *Physic.* VIII. q. 6. — *De Anima*, q. 13. n. 4. — Vid. *Agens quale in actu*, etc. — *Agere nihil potest in seipsum.*

Movetur (omne quod) movetur ab alio. — Proponit * Philosophus * istam conclusionem: *omne quod movetur movetur ab aliquo;* et debet addi: *alio a seipso.* Et dicit, quod in illis quae non moventur a principio *intrinseco* hoc non est dubium, quia ibi manifeste apparet movens distinctum a moto. — *Physic.* VII. exposit. text. 1. n. 1. — Quod probatur: quia quiescente parte, quiescit totum; et non est procedere in infinitum in motis ab alio, quia tunc posset fieri ex eis unum *infinitum* mobile quod moveretur tempore *finito.* Oportet igitur stare ad aliquod movens quod non movetur ab alio, et per consequens omnino non movetur. — Probatur etiam ab eo VIII. *Physic.* illa conclusio per divisionem moventium et motorum naturaliter vel violenter, et quod ultimo oportet stare ad aliquod movens quod non movetur ex seipso et primo. Et ulterius etiam oportet stare ad aliquid simpliciter immobile. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 2. — Cf. *Physic.* VII. q. 1. per tot. — VIII. q. 6. n. 2.

Et si quaeratur de *intellectu*, qualiter movet se, praecipue quando exercet actum liberum? Respondetur, quod adhuc movens distinguitur a moto; quia intellectus mediante forma qua informatur est movens, sed solus intellectus, circumscripta specie, est motum. — *Physic.* VIII. q. 5. n. 4. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14.

Movetur (quod) est. — Ad aliud *V. Physic.*, *quod movetur est,* dico, quod licet *entitas actualis* mobilis non sit mobili *ratio* recipiendi motum, sed magis ut est ens *in potentia*, est tamen *actus* necessario requisitus ad hoc quod moveatur; et sic loquitur Philosophus dicens: *quod movetur est:* non quod haec sit conditio mobilis *per se*, sed *per accidens*, requisita tamen necessario ad motum; *per se* autem conditio mobilis est esse *in potentia*. Bene tamen potest esse aliquid conveniens alicui *per accidens*, et tamen *necessario* per accidens, quia non includitur in *ratione formae* illius; *necessario* tamen requisitum ad illud, quia sine illo illud non esset, sicut *privatio* est principium naturae. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 19. — *Report.* ib. n. 23.

Multitudo omnis ad unum reducitur. Per Auctorem *De Causis.* — Dico, quod non omnis multitudo reducitur ad unum quod nihil sit illius multitudinis: sicut multitudo primae causae et causatorum non reducitur ad aliquod unum extra illam multitudinem, quia sic sequeretur aliquid esse prius primo; sed tota illa multitudo reducitur ad unum quod est aliquid illius multitudinis, cui alia

attribuuntur ut ad primam causam. — *Super. Praedic.* q. 4. n. 10.

Mutatio omnis est inter opposita. — Notandum, quod, ut habetur *I.* et *V. Physic.*, text. com. 43, et inde, et alibi saepe, *omnis mutatio est inter opposita*, per se loquendo; ex *nigro* enim per se fit *album*, et ex *amaro dulce*. *Album* autem non fit ex *dulci*, per se loquendo, nisi forte *per accidens*, quatenus dulce contingit esse nigrum, ex quo nigro fit per se album; et ideo ait Philosophus, *quod ex his solum*, id est, ex oppositis secundum se, est, id est, contingit permutari. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. X. S. 2. n. 71.

Mutationis termini sunt incompossibiles. — Cum dicitur, quod *termini mutationis sint incompossibiles*, dico, quod verum est de *primis* terminis, non autem de terminis *concomitantibus*. — Intelligo autem, quod *primi termini* cuiuslibet mutationis sunt *privatio* et *forma*, et e converso; *concomitantes* autem qui iunguntur terminis praedictis. — Universaliter ergo concedo, quod *privatio* et *forma* sunt *incompossibiles;* sed *concomitantia* possunt esse compossibilia. Verbi gratia, in mutationibus substantialibus, si ponatur unica forma in animato, corpus organicum praecedit animationem, quae est terminus *ad quem;* sed non est per se terminus *a quo* corpus organicum, sed ipsa inanimatio, quia mutatio est inter illam inanimationem et animationem; licet autem *inanimatio* et *animatio* sint simul incompossibilia, non tamen *corpus organicum* et *animatio*. Eodem modo in *corruptione*, si manet eadem forma corporis quae prius fuit terminus *a quo* per se, scilicet, forma cuius privatio succedit, ille non manet, sed terminus concomitans istam, per se terminum *a quo*, manet. — Eodem modo in *augmentatione*, si ponatur tota quantitas praeexistens manere, manet totus terminus *a quo* positivus, qui est concomitans privationem, quae est per se terminus *a quo;* et e converso in *diminutione* manet quantitas positiva aliqua quae prius, sed non idem per se terminus *a quo*. — Similiter in *alteratione* secundum intensionem et remissionem. — Et eodem modo dico de *motu locali*, quod non est contradictio, quod motus *acquisitivus* sit sine *deperditivo*. Et tunc cum termino *ad quem* non manet per se terminus *a quo*, qui est privatio, sed manet ille terminus qui est quasi per accidens et quasi concomitans communiter per se terminum. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 2. n. 19. *Report.* ib. q. 3. n. 26.

In omni mutatione termini sunt incompossibiles. — Verum est in mutatione proprie dicta, quia succedit in eodem susceptivo oppositum post oppositum; est enim ibi transitio partialis, scilicet, formae, in oppositum, eodem subiecto manente; et ideo ibi termini illi primi sunt incompossibiles. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 1. n. 11.

N

Natura agit propter finem. — *II. Physic.* text. com. 62 (1) probatur, naturam agere propter finem; aliter ibi non accideret error, nec frustra; igitur intendit finem; igitur appetit, et tamen non cognoscit. — — *QQ. Metaph.* l. I. q. 2. n. 5.

Natura determinatur ad unum. — Est intellectus huius propositionis, *natura determinatur ad unum*, non quidem ad suum *producibile*, unum, inquam, numero, sive singulare; sed determinatur ad unum determinatum *modum producendi*. — *Quodlib.* q. 2. n. 10.

Natura dignificanda est quantum apparentia permittunt. — *Oxon.* II. d. 2. q. 11. n. 6. — Ponenda est nobilitas in natura ubi non potest probari ignobilitas. — *Report.* ib. d. 16. n. 14. — Nam dignificanda est natura quantum potest, nisi manifestum inconveniens appareat. — *Ib.* IV. d. 10. q. 7.

(1) Cf. Exposit. Doctoris n. 18.

n. 6. — Et universaliter nulli naturae debet negari quod esset in ea perfectionis, nisi manifeste appareat, quod tale sibi repugnet; quia, secundum Philosophum, *II. De Generat.*, in fine, ***dignificanda est natura semper secundum melius, quantum possibile est.*** — *Oxon.* IV. d. 10. q. 7. n. 4. — In fine, generaliter dicitur, quod nulli naturae negandum est aliquid quod positum perfectionis esset in tali natura, nisi ostendatur aliunde, quod talis perfectio illi non inest; quia semper natura facit quod melius est, quando fuerit possibile, et non deficit in necessariis. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 14.

Naturae nulli tribuendum quod derogat eius dignitati. — In nulla natura ponendum est quod derogat eius dignitati, nisi sit evidens ex aliquo convenienti tali naturae. Quod potest accipi a Philosopho, *II. De Generatione: Semper inquimus naturam desiderare id quod melius est; et sicut in toto universo, ita in qualibet parte magis ponendum est id quod melius est sibi, si non evidenter appareat sibi illud non convenire.* — *Oxon.* IV. d. 45. q. 2. n. 5.

Natura est terminus generationis. — In creaturis *natura est terminus formalis generationis,* non autem proprietas individualis vel hypostatica, sicut patet *II. Physicor.*, ubi dicitur, quod generatio est *naturalis,* quia est via in *naturam,* scilicet, in formam; natura igitur sive essentia est per se terminus generationis, et non nisi terminus formalis. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 5. — *Report.* ib. n. 6.

Naturae summae inest omnis perfectio simpliciter simplex. — *Omnis perfectio simpliciter et in summo inest necessario naturae summae.* — *Perfectio simpliciter* dicitur quae *in quolibet melius est ipsum quam non ipsum.* — Haec descriptio *videtur* nulla: quia si intelligeretur de affirmatione et negatione ut est in se, quaelibet affirmatio esset melior sua negatione in se et in quolibet, si in eo posset esse. Si autem intelligatur non in se, et in quolibet si posset inesse, sed in quolibet *simpliciter,* falsum est, quod non melior est in cane sapientia, quia nulla est bonitas in illo, cui contradicit. — *Respondeo,* famosa est descriptio; exponatur sic: *melius quam non ipsum,* id est, quam quodlibet positivum, incompossibile, in quo includitur *non ipsum,* est, inquam, sic melius in quolibet, non *cuilibet,* sed in quolibet, quantum esset ex se, quia melius est suo incompossibili, propter quod non potest inesse. — Breviter ergo dicatur, quod *perfectio simpliciter* est quod est absolute melius quocumque incompossibili; et ita exponitur illud *in quolibet quam non ipsum,* et hoc est, quam quodlibet quod non est ipsum. Et debet intelligi de incompossibilitate secundum praedicationem denominativam, quia ita sermo fit communiter (1).

Probo conclusionem sic intellectam: Perfectio simpliciter ad omne incompossibile aliquem habet ordinem secundum nobilitatem, non excessi per descriptionem, sed *eminentis;* ergo vel naturae supremae est incompossibilis, et ita excedit eam; vel compossibilis, et ita potest ei inesse, et etiam in summo, quia sic est ei compossibilis. Si est alicui compossibilis, inest sibi sicut est sibi compossibilis. Non autem inest ut accidens contingens, quia tunc perfectio simpliciter etiam in summo posset excedi, quia substantia melior est accidente. Similiter natura prima non haberet omnem perfectionem nobilissimo modo habendi; ergo vel ut idem, vel ut propria passio; et utroque modo habetur propositum, scilicet, quod *necessario inest.* — Quod autem non ut accidens per accidens contingenter insit, probo: quia in omni perfectione, cui non repugnat necessitas, perfectius habet illam quod habet *necessario* quam quod *contingenter:* perfectioni simpliciter non repugnat necessitas, quia tunc aliqua natura incompossibilis sibi excederet eam, ut illa quae est necessaria, vel potest esse. Nihil autem potest perfectius habere perfectionem simpliciter, quam natura prima; ergo, etc. — *De Primo Princ.* c. 4. nn. 3-4.

Naturae summae quidquid inest est summe tale. — *Quidquid est intrinsecum summae naturae est summe tale.* — Probatur: quia omnino est idem illi naturae, propter sim-

(1) Vid. Distinctiones: *Perfectio simpliciter.*

plicitatem; ergo sicut illa natura est summa natura, ita illud est summe tale, quia idem est; alias si posset intelligi excedi secundum suam entitatem, ergo natura posset intelligi excedi secundum suam entitatem, quae eadem est entitati illius. — *De Primo Princ.* c. 4. n. 3.

Natura habens infinitam potentiam non habet magnitudinem. — *Non habere magnitudinem* potest concludi ex *infinitate potentiae.* Potest etiam concludi ex *immaterialitate cum intellectualitate;* purum enim intellectuale non potest habere magnitudinem, quia forma intellectualis non est extensibilis; sed si aliquod intellectuale sit *quantum,* habet materiam quae perficitur a forma intellectuali, et tunc recipit quantitatem, non ratione *intellectualitatis,* sed ratione *materialitatis* quam perficit forma intellectualis, sicut est in homine. Haec ergo est vera: *Natura habens infinitam potentiam non habet magnitudinem;* et haec: *Natura intellectualis non habens materiam non habet magnitudinem.* — *Quodlibet.* q. 7. n. 45. — Vid. DISTINCTIONES: *Magnitudo in Divinis.*

Natura intellectualis solo Infinito quietatur. — Praecisa ratio essentiae * divinae * est ratio formalis terminandi omnem actum et habitum theologicum, et hoc in quacumque natura intellectuali. Quod probatur breviter ex hoc, quod potentia respiciens aliquod obiectum commune, sive in ratione *motivi,* sive in ratione *termini,* non potest perfectissime quietari, nisi in eo solo in quo est perfectissima ratio obiecti adaequati: omnis autem potentia intellectiva et volitiva respicit pro obiecto adaequato terminante totum ens; igitur in nulla natura, sive creata sive increata, potest perfecte quietari, nisi in illa in qua est perfecta ratio entitatis: tale autem est solum ens Primum: non sub ratione aliqua *relativa,* sed sub ratione qua est *hoc ens;* ergo, etc. — *Oxon.* III. d. 27. n. 7. — *Report.* ib. n. 8.

Supremum appetibile vel volibile est solum illud quod cuilibet naturae intellectuali simpliciter propter se est volendum. Expono quid est *simpliciter propter se volendum,* scilicet, cui repugant ex natura eius, quod sit propter aliud volendum. Unde si appetitus sensitivus aliquid appetit propter se, ita ut non propter aliud, hoc est *secundum quid,* quia ex imperfectione potentiae non potentis illud appetere propter aliud; non autem ex perfectione obiecti, cui repugnet appeti propter aliud. — Aliud expono: *cuicumque naturae intellectuali* esse volendum, et cuicumque *voluntati,* ad propositum convertuntur, quia habere voluntatem et esse naturam intellectualem convertuntur. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 20.

Nulla natura intellectualis ultimate et perfecte perficitur, nisi habendo supremum appetibile, et hoc perfecte, secundum modum possibilem sibi habendi illud. Hoc probatur: quia natura intellectualis nata est ultimate et maxime perfici, et in eo solo quod est sibi propter se volendum; ergo non potest ultimate perfici, nisi in illo habito sicut est possibile ab ea haberi. — Probatur etiam, quia eo non habito, manet natura volitiva imperfecta. — Tertio probatur ex medio universaliori: quia in habentibus quemcumque appetitum, sive animalem, sive etiam naturalem, non habetur ultimata perfectio, nisi habito eo quod tali appetitu propter se appetitur. Unde imperfectionem aliquam habet grave extra centrum, et appetitus sensitivus carens summo conveniente.

Intelligendum tamen est, quod in entibus est aliqua perfectio *prima,* aliqua *secunda,* vel quasi secunda. — Prima est quando nihil deficit pertinens ad *primum* esse rei, scilicet, *essentiale.* Secunda quando nihil deficit pertinens ad esse *secundum.* Haec etiam perfectio secunda quaedam est *intrinseca,* nec coniungit cum perfectivo extrinseco: quaedam autem sic est intrinseca, quia in hoc perficit, *quia coniungit* perfectivo extrinseco. — Nec mirum, quod aliquid perficiatur in extrinseco; quia attingendo extrinsecum, et maxime si est perfectius se, habet ulteriorem perfectionem, quam posset habere in se et ad se; isto enim modo ignobiliora perficiuntur in nobilioribus: non essendo illa realiter, nec habendo illa formaliter inhaerentia, sed attingendo illa, et sic habendo modo sibi possibili habendi. — *Ib.* n. 22.

Unde cuius appetitus est respectu ignobilioris quam sit natura ipsa, illud non perficitur in extrinseco nisi *secundum quid.* In nobiliori etiam, licet sit aliqua perfectio appetentis ignobilioris, non tamen suprema extrinseca. Si autem aliqua natura perficiatur in nobiliori se, non suprema, necesse est dare aliquam naturam quae immediate perficiatur non nisi in supremo perfectivo extrinseco, quia non est processus in infinitum in perfectibilibus et perfectionibus; suprema ergo saltem perfectibilis natura non perficitur nisi in supremo perfectivo extrinseco. Tota autem natura intellectualis est secundum illam rationem suprema. — *Ib.* n. 23.

Ista ergo conclusio, saltem de voluntate, non tantum vera est quantum ad hoc quod dicit *ultimate perfici,* sed etiam perfectione *maxime appetibili* perfici, et *perfectione* etiam *maxima,* loquendo de *extrinseco* perfectivo, et *participative* de *intrinseco,* inquantum coniungit illi extrinseco.

Unde patet, quod nulli voluntati ultimate et complete bene est, nisi habito illo quod est sibi propter se volendum, et hoc perfecte eo modo quo possibile est haberi. — *Ib.* n. 24. — Cf. ib. n. 32.

Natura nihil producit ut statim corrumpatur. — Quando dicis: *natura nihil producit, ut statim non sit,* verum est, quod natura non intendit hoc statim non esse quod producit, neque etiam natura per generationem aliquid producit, quin inter generationem et corruptionem, quae sunt in instantibus temporis continui, sit tempus medium; et ideo generatio et corruptio non possunt continuari sibi invicem perpetuo, secundum intentionem Philosophi. Tamen non est inconveniens, aliquid esse non in tempore continuo, et statim non esse, sicut apparet de mutatione et instanti, quae non habent esse nisi raptim, et statim non sunt. — *Oxon.* II. d. 2. q. 4. n. 14. — Quia, scilicet, *natura nihil producit,* ut *statim corrumpatur,* nec quod necesse est mox corrumpi; quia natura producens sic influit ad conservationem producti, quod possit per tempus aliquod manere, ita quod corruptiva, vel non sunt approximata, vel non vincunt virtutem generantis et conservantis generatum; quia tunc generans impediretur generare. Nec ex illo potest haberi aliqua impossibilitas respectu potentiae divinae, sed tantum impossibilitas secundum causas naturales inter se comparatas. — *Quodlib.* q. 12. n. 15.

Natura non deficit in necessariis. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 14. — *De Anima* III. text. c. 60, natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessariis. — *Ib.* I. q. 4. n. 10. — *Necessarium* quoad actum est multiplex, scilicet, ex parte actualitatis potentiae, a qua elicitur actus, * ut * caliditas ignis generat caliditatem, quamvis per caliditatem; et tale *necessarium* est de perfectione rei essentiali, et in tali *natura non deficit.*

Etiam alio modo est aliquid *necessarium* ad eliciendum actum ut medium vel organa seu instrumentum; et tale est duplex: quoddam *unitum,* ac per hoc integritate naturae rei, sicut pedes et alia organa hominis, respectu actionum debitarum: et *natura* in istis *non deficit,* cum sint de complemento rei, est enim homo animal bipes natura. Aliud est *necessarium sine quo non,* extrinsecum, ut martellus ad fabricandum: et tale non est de integritate rei, sed requiritur ordo naturae, ut tale agens sit in re, non tamen unitum, nec actu applicatum, sed applicabile: non oportet quod natura huiusmodi *necessarium* dederit. — *De Rer. Princ.* q. 14. n. 28. — *Natura non deficit in necessariis in potentiis superioribus:* quia perfectiones ad quas ordinantur ex causis naturalibus non possunt haberi, quia non possunt subesse alicui causalitati agentis naturalis. Quia vero perfectiones inferiorum entium tali causalitati subsunt, deficeret natura, si non daret unde possent. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 33.

Natura non incipit motum quem terminare non potest. (Ex *II. Metaph.* text. 6 et *VI. Physic.* in fine). — * Haec * est vera, si natura non prohibetur a fortiori agente. — *Oxon.* III. d. 21. n. 6. — Patet * ergo * quod natura terminat quod incipit, nisi impediatur. — *Report.* ib. n. 7.

Natura semper agit quod melius est. — Ut vult Philosophus, *II. De Generat., natura semper agit quod melius est.* Igitur

nunquam est natura ignobilitanda sine necessitate — *Report.* II. d. 25. n. 16. — Semper natura facit quod melius est, quando fuerit possibile. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 14.

Natura semper desiderat quod melius est. — Illud ponendum est in natura quod melius est, si sit possibile, ex *II. De Gener.*; *natura* enim *semper desiderat quod melius est.* — *Oxon.* II. d. 16. n. 15. — IV. d. 49. q. 6. n. 3.

Natura servat ordinem in transmutando. — *Natura servat ordinem in transmutando;* quia una forma praecedit aliam in materia, quantum ad *fieri* et *transmutari;* nam prius est materia sub forma seminis quam sanguinis, et sanguinis quam carnis, et carnis quam hominis, ita quod observatur ordo formarum in transmutando, sed non in *essendo* et *perficiendo.* — Et sic dico de formis elementorum respectu formae mixti; forma enim mixti non perficit materiam mediante forma elementi, licet ordo in transmutari, quia prius materia transmutatur in forma elementi quam mixti, ita quod non inducitur forma mixti, nisi praecesserit forma elementi. — *Oxon.* II. d. 15. n. 10. — *Report.* n. 9.

Necessarium ex se et ab alio nihil simul esse potest. — Dico, quod si idem genus causae importetur per haec duo *ex se* et *ex alio*, verum est quod *nihil* sic est *necessarium ex se* et *ex alio:* si autem aliud genus causae importetur, puta, per illud *ex se* causa *formalis*, et per illud *ab alio* causa *effectiva* vel productiva, non est inconveniens idem esse necessarium *ex se* uno modo et *ab alio* alio modo. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 9.

Necessarium ex se non mutatur. — *Necessarium ex se non mutabitur* secundum aliquid perfecte idem sibi, quacumque positione possibili vel impossibili facta circa aliud a se. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 15.

Necessarium ex se non potest non esse. — Dico, quod *necessarium ex se formaliter non potest non esse,* circumscripto quocumque alio, cuius circumscriptio non includit incompossibilitatem ponendo illud esse. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 9.

Necessarium nobilius possibili. — *Necessarium in omni absoluta perfectione est nobilitatis maioris quam possibile; in nulla respectiva est simpliciter perfectionis.* — Sic intelligendo, quod illud sit perfectius in quo est respectus *necessarius*, quam *possibilis;* imo si est ad aliud, semper est imperfectionis; quia ponit aliquam necessariam dependentiam ad aliud; unde nulla talis est in Deo. — Potest tamen aliquid esse nobilius in *sua natura*, quod habet respectum necessarium, alio quod non habet: ut terra tota in gravitate perfectior uno lapide; haec necessario deorsum, ille possibiliter. Respectus tamen ipse, si in se aliqua res est, et perfectio alia a fundamento, nobilior est si est necessaria, quam si est possibilis. — *Theor.* XXIII. n. 4.

Necessarium perfectius possibili. — *Necessarium* est conditio *perfectior* in omni entitate *quam possibile* cui conditio necessitatis est componibilis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 25. — Sicut necessarium est conditio perfectionis in ente inquantum ens, ita etiam est perfectionis in quolibet dividente ens, quod non est ex se necessario imperfectum sive limitatum; sicut enim quando *ens* dividitur per opposita, alterum dividentium est perfectionis in ente, alterum imperfectionis, ita in quolibet quod est imperfectionis cuiuslibet divisionis illud membrum est possibile, quod est imperfectionis; alterum est necessarium, quod est perfectionis. — *Ib.* d. 2. q. 7. n. 6. — Cf. *Quodlib.* q. 16. n. 8.

Necessitas causae superioris non est a necessitate causae inferioris. — *Necessitas in causa superiori non potest esse a necessitate causae inferioris;* quia causa inferior non potest determinare modum essendi causae superioris, quia non potest ipsam determinare ad agendum; ergo causa superior, si necessario agit, hoc habet per aliquid intrinsecum formae suae, vel ex natura sui. — *Oxon.* IV. d. 49, q. 10. n. 6.

Necessitas naturalis non stat cum libertate. — Quod probo, quia *natura* et *voluntas* sunt principia activa habentia oppositum modum principiandi; ergo cum modo principiandi voluntatis non stat modus principiandi naturae. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 1.

in arg. — Dico * tamen *, quod cum *necessitate ad volendum stat libertas in voluntate.* — Hoc probatur primo per *auctoritates.* Prima est Augustini in *Ench.: Sic enim oportebat prius fieri hominem, et ut bene posset velle, et male; nec gratis vel frustra si bene; nec impune, si male, hoc est, in statu illo primo meretur vel demeretur.* Et sequitur: *Postea vero sic erit, ut male velle non possit; nec ideo libero carebit arbitrio, multo quippe liberius erit arbitrium quod omnino non poterit servire peccato.* Et subdit quasi pro probatione: *neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quia beati sic esse volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus; sicut enim anima nostra nunc habet nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est.* — Item, Anselmus, *De Lib. Arbit.* cap. 1: *Qui sic habet quod decet et expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior est, quam ille qui sic habet hoc ipsum, ut possit perdere.* Et ex hoc concludit: *liberior igitur est voluntas quae a rectitudine declinare nequit.*

Idem probatur per *rationem*, et primo *quia ita est:* nam voluntas divina *necessario* vult bonitatem suam, et tamen in volendo eam est *libera;* igitur, etc. — Probatio *minoris:* quia potentia operans circa unum obiectum, non absolute, sed in ordine ad aliud, eadem est operativa circa utrumque obiectum, sicut arguit Philosophus in *II. De Anima,* quod illa potentia qua cognoscimus differentiam unius obiecti ab alio obiecto, ipsa nata est cognoscere utrumque obiectum in se, sicut ipse arguit de sensu communi. Nunc autem, voluntas ipsa divina refert ad finem alia obiecta, quae sunt volibilia propter finem; igitur ipsa sub eadem ratione potentiae est operativa circa utrumque: sed circa illud quod est ad finem libere operatur; patet, quia contingenter vult illa, et contingentia in agendo reducitur ad principium non naturaliter activum, sed libere; igitur ipsa sub ratione potentiae libere vult bonitatem suam.

Praeterea, secundo probatur idem *propter quid,* et primo sic: Actio circa finem ultimum est actio perfectissima, et in tali actione libertas in agendo est perfectionis; igitur necessitas in ea non tollit, sed magis ponit illud quod est perfectionis, cuiusmodi est libertas.

Praeterea, conditio intrinseca ipsius potentiae, vel absolute vel in ordine ad actum perfectum, non repugnat perfectioni in operando; nunc autem, libertas vel est conditio intrinseca voluntatis absolute, vel in ordine ad actum volendi; igitur ipsa libertas potest stare cum conditione perfecta possibili in operando: talis conditio est necessitas, specialiter ubi ipsa est possibilis; est enim semper possibilis ubi neutrum extremum requirit contingentiam in operatione, quae est media inter extrema: sic est in proposito. — *Quodlib.* q. 16. n. 8. — Cf. *Oxon.* I. d. 10 per tot.

Necessitas perfectior contingentia. — In omni differentia entis *necessitas est perfectior contingentia;* quia necessitas est perfectio in ente *in se;* ergo in omni differentia entis. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 12.

Negantes manifesta poena convincendi. — *Negantes* talia *manifesta indigent poena vel sensu;* quia, secundum Avicennam, I. *Metaph., negantes primum principium sunt verberandi, vel exponendi igni, quousque concedant, quod non est idem comburi, vel non comburi, vel vapulare et non vapulare.* Et ita etiam qui negant aliquod ens contingens exponendi sunt tormentis, quousque concedant quod possibile est eos non torqueri. — *Oxon.* I. d. 39. n. 13.

Negatio dum inest non potest affirmatio inesse. — *Dum negatio inest affirmatio non potest inesse.* — Sed non propter hoc est *simpliciter impossibile* affirmationem inesse, nisi illud cui talis negatio inest esset necessaria ratio quod talis negatio consequeretur; et tunc negatio esset *simpliciter propria,* alias non esset nisi *secundum quid propria;* simili enim modo propria est alicui negatio, sicut ipsi repugnat opposita affirmatio. — *Quodlib.* q. 19. n. 20.

Negatio non cognoscitur nisi per affirmationem. — *Negatio non cognoscitur nisi per affirmationem,* ex *fine II. Perihermе-*

nias, et ex *IV. Metaphys. text. 2 et 6.* — Et ratio est, quia nunquam cognoscitur aliquid non inesse alteri, nisi quia cognoscitur aliquid positivum in ipso, ratione cuius ipsum negandum sibi repugnat; igitur si cognoscimus aliquid de Deo removeri et negari, oportet cognoscere Deum secundum positivum aliquod, ratione cuius illud est ab eo removendum et negandum. — *Report.* I, d. 3. q. 1. n. 1. — Patet etiam, quod nullas negationes cognoscimus de Deo, nisi per affirmationes, per quas removemus incompossibilia aliqua ab illis affirmationibus; sicut non removemus compositionem, nisi quia attribuimus simplicitatem vel aliquid aliud. — *Oxon.* ib. q. 2. n. 1.

Negatio non est perfectio. — Quodcumque positivum est melius et simpliciter perfectius sua negatione, imo *nulla negatio est perfectio* aliqua formaliter. — *Oxon.* I. d. 8. q. 1. n. 7. — Negationes etiam tantum non summe amamus. — *Ib.* d. 3. q. 2. n. 2.

Negatio propria exigit positivum proprium. — *Negatio propria exigit positivum proprium* ad quod consequitur; nulla enim negatio est *propria* omnino alicui, hoc est, soli illi necessario conveniens, nisi quia ei repugnat affirmatio opposita (1): affirmatio autem quaecumque nulli enti repugnat nisi per aliquod positivum; quia si per negationem, quaero, an illa negatio consequitur aliquod positivum, cui repugnat illa alia affirmatio, et sic habetur propositum; aut non consequitur positivum, et tunc negatio omnino prima est in illa unitate sive distinctione et entitate per consequens, quod est inconveniens; aut necessario dabitur, quod negatio consequitur positivum; sed non proprium isti, et tunc sequitur, quod negatio non erit propria isti, quia illud per quod negatio convenit non est proprium isti. — *Quodlib.* q. 4. n. 7.

Negatio si negatur, ponitur affirmatio. — *Si negetur negatio, ponitur affirmatio.* — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 11. — Quia negatio negationis est affirmatio positionis. — II. d. 2. q. 1. n. 7. — Vid. *Effectivum aliquod datur simpliciter primum.*

Negatio superioris non sequitur ad negationem inferioris. — Non ad negationem inferioris sequitur negatio superioris, sed est destructio antecedentis. — *Oxon.* I. d. 17. q. 5. n. 8.

Negativa (ex) de praedicato finito sequitur affirmativa de praedicato infinito. — Quamvis illa regula sit vera, sicut potest probari per naturam *contradictionis*, numquam tamen tenet in praedicatis *compositis;* non enim sequitur: *lapis non est lignum album; ergo lapis est lignum non album;* quia affirmatur *lignum* in secunda, quod non affirmabatur in prima. — *Oxon.* I. d. 4. q. 1. n. 5. — *Report.* ib. n. 7.

Nescimus verum sine causa. (*Philos. Metaph.* II. text. 4). — Scientia ergo, quae est de *vero*, habet aliquas causas, quae etiam habent *veritatem*, quia verum non potest sciri ex falsis. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. s. un. c. 2. n. 7.

Nihil non mensuratur. — Quia *non esse* vel *nihil* nullam habet mensuram. — *Oxon.* II. d. 2. q. 4. n. 13.

Nihil nullius est causa. — Quia nullius est causa illud quod nihil est. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 11.

Nihilo (ex) nihil fit. — Aristoteles, in isto *primo*, tractatu 2. c. 2. text. 34, dicit: *ex his quae non sunt aliquid fieri impossibile est.* De hac autem opinione conveniunt omnes qui de *natura* locuti sunt. — *Physic.* I. q. 17. n. 1. — Philosophi habuerunt quasi pro principio quod *de nihilo nihil fit*, saltem in istis generabilibus et corruptibilibus. — *Oxon.* I. d. 42. n. 3. — Quia *ex nihilo nihil fit* per naturam. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. III. S. 2. c. 2. n. 47.

Notandum * autem *, quod ista praepositio *ex* potest dicere circumstantiam *ordinis*, ut *ex nocte fit dies:* vel circumstantiam *partis integralis*, ut *domus fit ex lateribus:* vel circumstantiam *partium essentialium*, ut *elementum componitur ex materia et forma:* vel circumstantiam *subiecti*, ut *statua fit ex aere.* Et sic capitur in proposito, utrum aliquid *fiat ex nihilo*, nullo praesupposito subiecto.

(1) « Nulla negatio est propria alicui subiecto, nisi per aliquam affirmationem propriam ei quam sequitur talis negatio ». — *Oxon.* I. d. 28. q. 2. n. 12.

Secundo notandum de ista propositione *ex nihilo nihil fit*, propter Logicam, quod ista dictio *nihil* quandoque est syncategorema, et tunc valet idem quod *non est*, et tunc si ista dictio *nihil* capiatur utrobique syncategorematice, tunc propositio est falsa; quia sensus est, quod ex quolibet fit aliquid, quod est falsum, quia ex Deo nihil fit. — Si capiatur utrobique categorematice, adhuc est falsa: quia sensus est, quod ex eo quod *non est* fit illud quod non est: vel primo accipitur syncategorematice, et secundo categorematice; tunc si concedatur, quod illud quod fit non est, tunc illa est falsa; imo ex aliqua re fit illud quod non est. Sed si concedatur, quod illud quod fit est, tunc illa est vera. — Vel capitur primo categorematice, et secundo syncategorematice, et tunc sensus est, quod ex eo quod non est nulla res fit, et hoc est verum ut ly *ex* denotat circumstantiam *subiecti*. — *Physic.* I. q. 17. n. 6. — Quia *nihil* proprie non subiacet potentiae agentis, cum non sit aliquid causabile. — *Quodlib.* q. 10. n. 25. — Deus non potest dare capacitatem nihilo ut sit factionis principium. — *Oxon.* I. d. 43. n. 7.

Et possunt concordari veritas fidei et opinio Aristotelis, concedendo, quod nihil potest *fieri* nisi praesupposito subiecto, et hoc intendebat Aristoteles; sed aliquid potest *creari* non praesupposito subiecto, licet non possit *fieri*. — *Physic.* ib. n. 13.

Dico * igitur *, quod *de nihilo*, id est, non de aliquo secundum esse *existentiae*, potest Deus *creare*, et per consequens de nihilo, id est, non de aliquo secundum esse *essentiae*, quia, ut probatum est dist. 36. primi, numquam esse *essentiae* separatur realiter ab esse *existentiae*. — Tamen non potest aliquid *creari*, id est, *produci* ad esse simpliciter de nihilo, id est, *nullo modo* ente, nec *simpliciter*, nec *secundum quid;* nihil enim creatur quod non prius habuit esse *intellectum* vel *volitum*, et in esse intellecto fuit *possibile* formaliter; et tunc fuit quasi in potentia propinqua, ut posset esse obiectum Omnipotentiae, et poni in esse simpliciter. — Potest tamen aliquid *produci*, licet non creari, de simpliciter nihilo, id est, non aliquo secundum esse *essentiae*, nec secundum esse *existentiae*, nec secundum aliquod esse *secundum quid;* quia creatura producitur in esse *intelligibili*, non de aliquo esse, nec simpliciter, nec secundum quid, nec possibili *ex parte sui* in isto esse. Istud tamen *produci* non est *creari*, quia non terminatur ad esse *simpliciter*, sed *secundum quid*. — *Oxon.* II. d. 1. q. 2. n. 7.

Cum ergo dicitur, quod *ex non ente nihil fit*, verum est ex non ente *in potentia;* ex *ente* autem *in potentia* fit omne quod fit. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. IV. S. 2. c. 3. n. 63. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 5. — *Oxon.* et *Report.* IV. d. 1. q. 1. per tot.

Nobilius est parum attingere de nobilioribus obiectis quam multum de aliis. — *Oxon.* III. d. 23. n. 19. — Unde dicit Philosophus *II. De Animalibus: Desiderabilior est cognitio debilis de substantiis separatis, quam multa de entibus vilioribus.* — *Report.* ib. n. 25.

Nolle praesupponit velle. — Est in communi duplex actus voluntatis, scilicet, *velle* et *nolle; nolle* enim est actus positivus voluntatis quo fugit disconveniens, seu resilit ab obiecto disconveniente: *velle* est actus quo acceptat obiectum aliquod conveniens. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 3. — Istorum autem actuum patet ordo: quia omne *nolle praesupponit* aliquod *velle;* a nullo enim refugio, nisi quia non potest stare cum aliquo quod accepto tamquam conveniens; et hoc dicit Anselmus, *De Casu diaboli, cap. 3.*, ponens exemplum de *avaro, nummo,* et *pane.* — *Ib.* n. 4. — Quia prius *vult* panem quam habeat *velle* * (*nolle?*) * denarii, quem dat pro pane. — *Report.* ib.

Nolentem Deus non iustificat. — Nolentem Deus non iustificat, secundum illud Augustini: *qui creavit te sine te non iustificabit te sine te.* — *Oxon.* IV. d. 4. q. 5. n. 2. — *Report.* ib.

Nomina et verba transposita idem significant. — * Haec * propositio Philosophi * (ex *II. Periherm.* c. 1) * vera est absolute de nominibus transpositis; sed non sequitur, quod conceptus totius orationis ex talibus nominibus sic et sic transpositis sit idem. — *Oxon.* IV. d. 3. q. 2. n. 15.

Nomina ex communi usu sunt intelligenda. — *Extra, De Spons. Ex litteris*, dicitur: *Si alter non intellexerit quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, et cogatur uterque verba prolata in sensu illo retinere, quem solent recte intelligentibus generare.* Et Glossa ibi adducit illud *ff. De Supellectili legata, lege Habeo: Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina sunt intelligenda* — *Quodlib.* q. 20. n. 26.

Nominatur aliquid sicut intelligitur. — Praemitto, quod *nominari* ab aliquo potest intelligi dupliciter: vel ut nomen *imponente*, vel ut nomine *utente;* et utrumque dupliciter, scilicet: *perfecte* vel *imperfecte.* — *Perfecte uti nomine* est non tantum uti nomine ut *re* quadam *naturali*, formando scilicet sonum illum, sic enim potest avis edocta formare, sed est uti nomine ut *signo*, non tantum conceptus *possibilis haberi* ab aliquo per illud nomen (sic posset Latinus aliquod verbum hebraeum proferre Hebraeo, nesciens quid diceret), sed ut signo conceptus *habiti* ab utente, ut sic *perfecte uti nomine* sit illo uti ut *signo conceptus proprii expressivo.* — Uti autem illo ut quodammodo causa similis conceptus habendi ab audiente per rememorationem non est necessarium ad perfecte uti simpliciter, sed ad perfecte uti illo ut signo *communi* inter duos, et ideo requirit ad hoc, quod est uti nomine perfecte *moraliter*, quia requiritur ad utendum nomine ad finem debitum. — Et hanc utramque perfectionem tangit Augustinus super Ezechiel: *Verba instituta sunt per quae in alterius notitiam quisque cogitationes suas proferat.* — *Per quae quisque cogitationes suas proferat*, ecce perfectio prima; *in alterius notitiam*, ecce secunda. Intellige *alterius* vel *quasi alterius*, quia quandoque aliquis seipsum alloquendo efficacius ducit in intelligendo per rememorationem, quam si sine loquela intelligeret, et in notitiam non tunc novam; sic loquimur Deo orando.

Item, de prima perfectione *cogitationes suas*, distingue: vel habet conceptum ita proprium sicut nomen significat, et tunc significat perfecte cogitationes suas; vel habet minus proprium vel confusum, utpote non habens nisi conceptum *animalis*, proferat hanc vocem, *homo*, intendens illud exprimere audienti quod alii concipiunt per nomen et ad quod est impositum, sciens ipsum esse impositum alicui speciali sub animali, quod tamen non intelligit in particulari sicut significatur per hoc nomen.

Est igitur hic ordo: uti nomine ut *re* tali. Ulterius ut *signo* ad placitum alicuius, cuius tamen *nullum conceptum habet* utens, nisi in hoc universalissimo, quod est aliquid significatum hoc nomine. Tertio, uti nomine ut signo alicuius, cuius *conceptum universalem tantum habet*, ut *ens*, intendit tamen illud exprimere ut significatur per nomen, licet illud sic in particulari non concipiat. Quarto uti nomine ut signo expressivo *proprii* conceptus in *particulari.* — Et semper hic prior gradus est perfectior respectu posterioris. Primus igitur est imperfectissimus, ultimus simpliciter perfectus. — *Oxon.* I. d. 22. q. 2. n. 7.

Potest * ergo * dici breviter, quod ista propositio communis multis opinionibus, quod, scilicet, *sicut aliquid intelligitur, ita et nominatur*, falsa est, si intelligatur *praecise;* quia distinctius potest aliquid significari quam intelligi, quod videtur persuaderi ex hoc, quia cum *substantia* non est intelligibilis a viatore, nisi in conceptu communi *entis*, si non posset distinctius significari quam intelligi, nullum nomen impositum a viatore significaret aliquam rem de genere *substantiae;* sed sicut praecise concipitur ab intellectu viatoris aliqua proprietas, a qua imponitur nomen, quae proprietas communiter exprimitur per etymologiam nominis, ita praecise talis proprietas significaretur per nomen. Puta, per hoc nomen *lapis* non significaretur aliquid de genere *substantiae*, sed tantum aliquid de genere *actionis*, puta, *laesio pedis*, quam exprimit etymologia huius nominis, et fuit ratio a qua imponebatur nomen. Ita potest argui de omnibus aliis nominibus impositis rebus de genere *substantiae*, quod nullum eorum significat aliquid, nisi proprietatem accidentalem aliquam, quae intelligebatur ab imponente; vel oportet dicere, quod ipse distinctius nominabat substantiam quam intellexit. — *Oxon.* I.

d. 22. q. 1. n. 2. — Cf. *Report.* ib. q. un. n. 6 seqq.

Non entis non est definitio. — *Definitio* proprie dicta *non est* proprie *non entis;* et hoc sive *non ens* accipiatur proprie pro *impossibili* quod includit contradictionem, sive pro pura *negatione* vel *privatione;* quia *non ens* non habet *quid est.* — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. n. 2.

Non esse non est eligibile. — Augustinus, *III. De Lib. Arb.*, dicit: *Non esse non est recte eligibile, quia nihil est.* — *Oxon.* IV. d. 5. q. 1. n. 1. — Dicendum, quod absolute loquendo non debet * quis * appetere *non esse,* ita quod voluntas sit *causa* ipsius *non esse* quantum est in se; potest tamen appetere non esse *permissive,* scilicet, quod si infligeretur sibi, voluntarie acciperet. — *Ib.* q. 2. n. 13. — Ratio est: *non esse* non est maximum malum, nec per se odibile; quia sicut non esse ab aeterno non fuit malum, sic nec post est malum; nec aliquis unquam contendit cum Deo, quia non fuit natus antequam fuit natus. — *Ib.* n. 14.

Notitia demonstrativa perfectior sensitiva. — Quod patet *exemplo:* si eclipsis est cognoscibilis ex duplici causa per duas potentias, scilicet, per sensum et intellectum habentem demonstrationem, nunquam cognoscitur perfectissime,'nisi cognito principio demonstrationis perfectissime. Non tamen sequitur: ergo nunquam cognoscitur, nisi cognito principio demonstrationis; habet enim aliam causam qua cognosci potest, quia ista non est praecisa causa; tamen per aliam non potest ita perfecte cognosci sicut per istam, quia ista causa, scilicet, *demonstratio,* qua potest cognosci ab *intellectu, est perfectior* causa cognitionis suae quam alia qua potest cognosci *per sensum.* — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 30.

O

Obiecti unius una est potentia. — Omnis potentia una est respectu unius generis obiecti unitate *praedicationis* de omnibus quae a nulla potentia nisi ab ista cognoscuntur. — *De Anima,* q. 1. n. 3. — Prima distinctio scientiarum secundum *conclusiones scitas* potest esse secundum *species specialissimas;* sed ista quae est secundum *subiectum* virtualiter continens potest poni distinctio secundum *genera proxima,* sic intelligendo, quod in una notitia subiecti omnes scientiae primo modo dictae virtualiter contentae sunt unius generis tantum, sed notitia continens est una specie sicut et subiectum cuius est. — Hoc modo potest intelligi illud: *unius generis,* scilicet, *subiecti est una scientia:* vel una *specie,* et tunc est scientia virtualiter, non formaliter, quia est incomplexa notitia et incomplexi; vel si *scientia* accipiatur *formaliter,* tunc non debet intelligi una specie specialissima, sed *genere propinquo.* Ultra scientiam secundo modo dictam, est minor unitas scientiae, quae est respectu multorum verorum complexorum, ad quae non inclinat virtualiter unus habitus subiecti, nec *primo,* nec *per se,* ut in secundo modo, sed tantum in *potentia* et in *universali:* sicut habitus inclinans formaliter ad considerandum aliquod subiectum commune inclinat ad considerandum propria inferiorum de ipsis, tantum in universali, quae, videlicet, scienda sunt per proprias rationes inferiorum, non per naturam communis; et ista unitas minima potest dici unitas *generis remoti,* intelligendo simili modo, ut expositum est in secundo modo de scientia virtualiter, quae est una specie, sed scientiae omnes formaliter, in illa virtualiter contentae, sunt tantum una genere remoto. — *QQ. Metaph.* l. VI. q. 1. n. 9. — Cf. *Oxon.* Prol. q. 3. n. 4.

Quando dicitur, quod impossibile est duas potentias disparatas esse respectu eiusdem obiecti, dicendum, quod non est inconveniens, si *ordinate,* ita quod una sit superior vel communior alia; sic se habent sensus communis et sensus proprius. — Ideo etiam verum est, quod idem non est obiectum aeque primo utriusque; sed obiectum primum sensus proprii et cuiuslibet potentiae

est illud quod adaequat ipsum, ut color visum; illud tamen non adaequat sensum communem, quia potest aliud obiectum sentire, et ideo non est eius obiectum per se primum. — *De Anima,* q. 9. n. 6. — Vid. *Potentiae unius unum est obiectum.*

Obiectorum diversorum diversae sunt potentiae. — Est vera de obiectis *omnino disparatis,* ut *color* et *sonus;* non autem de obiectis *subordinatis,* imo quod est *primum* obiectum potentiae inferioris est *per se* obiectum, licet non primo, potentiae superioris, ut patet de obiecto sensus particularis et sensus communis. — *De Anima,* q. 22. n. 10.

Obiectum creatum naturaliter movet. — * Haec propositio * quod *obiectum creatum naturaliter movet,* vera est de intellectu quem immediate movet; falsa autem esset si aliquem intellectum moveret mediante actu voluntatis, quia illum non naturaliter moveret: sicut si voluntas mea possit libere causare intellectionem essentiae meae in te. Sed isto modo forte non est de aliqua essentia et voluntate creata; quia quaelibet essentia est immediate motiva intellectus creati, et ideo motione naturali: nulla autem voluntas creata est motiva ad intellectionem perfectam alicuius essentiae ut essentia est, quia nec perfecte eam continet eminenter vel unitive. — *Quodlib.* q. 14. n. 17.

Obiectum infinitum actu finito non comprehenditur. — Quia infinitum obiectum ut infinitum comprehendi non potest aliquo actu nisi infinito ut infinito. — *Quodlib.* q. 1. n. 13. — * Ideoque * si obiectum est incomprehensibile propria incomprehensibilitate, est etiam infinitum propria infinitate. — *Ib.* q. 5. n. 20.

Obiectum inter et potentiam determinata distantia sit oportet. — Quando arguitur, quod *obiectum requirit determinatam distantiam ad potentiam* secundum quantitatem determinatam et simplicem, dico, quod illa verba sunt metaphorica; nam activum et passivum corporalia requirunt determinatam distantiam vel quantitatem ad hoc, ut agant, quia corporalis actio non recipitur nisi in quanto; sic non requiritur in intellectu, qui intelligit omne ens. Concedo tamen, quod quantitas obiecti cognoscibilis et eius simplicitas est proportionalis in ratione cognoscibilis quantitati virtuali potentiae intellectivae cognoscentis. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 7. — *Report.* ib. q. 10. n. 6.

Obiectum inter et potentiam proportio requiritur, non aequalitas. — Dico, quod non oportet inter obiectum et potentiam esse proportionem *aequalitatis,* sed potius dissimilitudinis, quae est inter *activum* et *passivum,* quae non est secundum proportionem quantitatis, ita quod unum aliquoties sumptum secundum suam quantitatem virtutis reddat quantitatem virtualem alterius; sed debet esse proportio *motivi* ad *mobile,* ita quod *hoc* possit moveri et mutari ab *illo,* ut quod obiectum sit motivum, et potentia receptiva illius motionis unde obiectum debet proportionari potentiae recipienti motionem, sicut operatum proportionatur termino suae operationis, et non quantum ad proportionem triplicis vel duplicis, vel alicuius talis. Similiter ordinatum immediate ad finem proportionatur illi fini in attingendo ipsum; et tamen ordinatum ad finem cum omnibus additis est finitum, et finis est finitus. Sic in proposito, licet cognitum in se sit natura infinita, potest tamen cognosci naturaliter a cognoscente habente naturam finitam. — *Report.* IV. d. 49. q. 10. n. 5. — *Oxon.* ib. q. 11. n. 4. — Ita dicò, quod potentiam oportet *proportionari* obiecto, non autem *assimilari,* quia nec obiectum est indeterminatum seu infinitum, oportet potentiam esse infinitam, quia intellectus finitus cognoscit finite infinitum ut infinitum; neque oportet potentiam esse determinatam, id est finitam, si obiectum sit determinatum; nam intellectus infinitus infinite cognoscit finitum ut finitum. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 36.

Obiectum non potest cognosci a cognoscente quod non est in eo per modum qui competit illi cognoscenti. — Si ad cognitionem illius obiecti non requiritur species impressa, tunc est falsa, scilicet, quod obiectum non potest naturaliter cognosci ab intellectu in quo non potest esse secundum modum sui, scilicet, per informationem; tunc enim obiectum praesens sufficit ad imprimendum actum suum cognoscendi. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 11. n. 6. — *Report.* ib. q. 10. n. 6.

Obiectum potest facere in intellectu proportionato quemcumque conceptum realem possibilem haberi de se. — Licet * haec * videatur probabilis, tamen negatur de intellectu proportionato, id est, *infinito*, quia ille est comprehensivus unico conceptu et ita non capax multorum de obiecto, sicut intellectus non comprehensivus. Negatur etiam de quocumque intellectu, intelligendo de obiecto immediate in se movente; quia ipsum propter perfectionem suam non moveret ad conceptus imperfectos possibiles haberi de se, per motionem aliorum obiectorum imperfecte ducentium in cognitionem eius. — *Oxon.* I. d. 22. q. 2. n. 6.

Obiectum prius actu. — *Obiectum in ratione obiecti est prius naturaliter actu;* igitur universalitas, quae est propria conditio obiecti inquantum obiectum, praecedit actum intelligendi, et sub illa ratione oportet obiectum esse praesens, quia praesentia obiecti praecedit naturaliter actum intelligendi. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 5. — II. d. 3. q. 1. n. 2.

Obligatio non cadit super fortuita. — Actus ad quem homo obligatur debet esse *humanus*, non *casualis* vel *fortuitus*, quia *super fortuita non cadit obligatio.* — *Oxon.* IV. d. 6. q. 5. n. 3. — Quia ad actum non humanum, ut fortuitum, nullus obligatur, quia non est in potestate eius. — *Report.* ib. n. 4.

Obsequium praestitum acceptabilius beneficio praeviso. — Passio Christi efficacius cooperatur pro nobis, qui sumus in Lege evangelica, quam pro Patribus in Lege Moysi; quia *obsequium praestitum* ad maius bonum retribuendum *magis acceptatur quam beneficium praevisum.* — *Oxon.* IV. d. 4. q. 7. n. 4.

Omnipotens unus tantum est. — Omnipotens sicut suo velle potest producere omne possibile, ita suò nolle potest impedire vel destruere omne possibile, si iam habet esse. A ergo omnia possibilia potest suo velle in esse producere. Non autem est necesse; quod B velit omnia illa esse, sed potest nolle illa esse quae A vult, quia voluntas B se habet contingenter ad illa quae vult A, sicut voluntas A ad illa quae B vult, si est Deus. Si autem B nolit illa esse, ergo nullum eorum est. Igitur si sint duo omnipotentes, uterque illorum faceret alterum nullipotentem: non destruendo illum, sed faciendo vel prohibendo per suum nolle esse volitorum ab alio. — *Quod si dicas,* quod concordant in voluntate sua, quamvis de hoc nulla sit necessitas, sed quasi fecerunt pacta, *adhuc probo,* quod neuter eorum erit omnipotens: nam si A est omnipotens, potest producere suo velle quodcumque aliud possibile volitum a se: ex hoc sequitur, quod B nullum eorum potest producere suo velle, et ita non est omnipotens. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 6. — *De Primo Princ.* c. 4. n. 39. — *Quodlib.* q. 7. n. 35.

Operari praesupponit esse. — Verum est; sed non ut praecisam rationem recipiendi. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 1. n. 8.

Operatio cuiuslibet sequitur modum substantiae eius. — *Operatio cuiuslibet rei est secundum modum substantiae eius,* etc. — Dico, quod materialiter habet haec propositio falsitatem; si enim intelligatur, quod operatio est secundum modum substantiae, quantum ad *materialitatem* et *immaterialitatem,* patet quod falsa est, tam in cognitione sensitiva, quam intellectiva. — Quod sit falsa quoad cognitionem *sensitivam,* patet per Philosophum, qui dicit, quod sensus est susceptivus specierum sine materia, et tamen anima sensitiva et omnis eius potentia est materiae alligata. — In *intellectu* etiam patet falsitas, *quia* intellectus recipit speciem, quae est universalis in repraesentando multa singularia, et tamen intellectus nullo modo est universalis. — Si autem intelligatur ly *secundum modum,* quod nobiliori substantiae nobilior debetur operatio et operandi modus, verum est. — *De Rer. Princ.* q. 7. n. 34.

Operationes sunt singularium. — Si intelligatur de principio *quo,* exponitur: illud est naturae, *non sine singularitate,* non tamen *singularitate formaliter.* — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 15. n. 7.

Operationes sunt suppositorum. — Operatio est suppositi praeexistentis, et in natura intellectuali est persona. — *Oxon.* III. d. 2. q. 1. n. 3. — Vid. *Actiones sunt suppositorum.*

Operationis unius unum est principium. — *Unius operationis per se est unum principium per se.* — *Oxon.* II. d. 16. n. 13. — Unius operationis oportet dare unum principium *quo* per se unum et obiectum per se unum. — *Ib.* I. d. 35. n. 6. — Cum dicitur, *unius operationis est unum principium activum,* dico, quod id non valet nisi in ordine suo causandi. Unde una operatio simplex potest esse a multis principiis activis, quorum quodlibet est unum per se in suo ordine causandi; sic voluntas et charitas sunt causae in diversis ordinibus: voluntas causa principalis, charitas causa secundaria. — *Report.* II. d. 29. q. 1. n. 10. — Vid. *Actionis unius unum est principium.*

Operatio perfectissima potentiae est circa primum obiectum eius. — Cum dicitur, *perfectissima operatio potentiae est circa primum obiectum eius,* verum est: non primum *adaequatione,* sed primum *perfectione,* quod, videlicet, est perfectissimum contentorum sub primo obiecto adaequato; et ideo dicit Philosophus *X. Ethic.*, quod delectatio perfectissima est in operatione circa optimum omnium eorum quae sunt sub potentia, hoc est, circa optimum contentum sub obiecto adaequato illius potentiae. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 30.

Oparatio potentiam perficit. — Operatio est perfectio simpliciter operantis. — *Quodlib.* q. 13. n. 25. — Item operatio est perfectio potentiae operativae, et in ipsa consistit beatitudo ipsius potentiae. Ipsam etiam consequitur delectatio proportionata perfectioni operantis. Patent haec ex X. *Ethicor.* — *Oxon.* IV. d. 10. q. 5. n. 1. — Et ideo non est operatio propter delectationem, sed magis e converso, ut ipse * (Philosophus) * dicit *ibidem;* non enim laboramus, ut quiescamus; sed quiescimus, ut laboremus. — *Ib.* d. 49. q. 7. n. 3. — Sic *potentia operans* est perfectior seipsa quam *potentia sola,* et operatio est aliqualis perfectio ipsius potentiae, licet potentia sit simpliciter perfectior operatione. — *Quodlib.* q. 15. n. 24. — Operatio autem immediatius perficit *potentiam* quam *essentiam,* quia non competit operatio essentiae nisi mediante potentia, ex *II. De Anima* et *IX. Metaphysicae.* — *Oxon.* ib. q. 2. n. 3. — Operatio autem perficeret potentiam, si sola esset sine essentia; essentiam autem nullo modo, si sola esset sine potentia. — *Ib.* n. 15.

Operatio propria est a propria forma. — Dico, quod est falsa, *operatio propria est a propria forma,* loquendo de appropriatione *secundo modo* (1). — Et *cum probatur,* quia propria forma dat *esse,* ergo dat *agere,* nego *consequentiam;* multae enim sunt formae dantes esse quae non sunt activae, et ita nullo modo dant actum *secundum.* — Quae autem sit ratio quare quaedam formae sunt activae et quaedam non, difficile est assignare rationem communem; quia aliquae formae substantiales sunt activae, aliquae autem formae substantiales non sunt activae, et aliquae qualitates non sunt activae; et tamen plus conveniunt qualitates et qualitates in aliquo conceptu communi quam qualitates et substantiae. Non igitur videtur ratio quare aliquae formae in communi sunt activae, et aliquae non, sicut in speciali non videtur aliqua ratio quare calor est calefactivus, nisi quia calor est calor, et ita videtur, quod haec sit immediata, *calor est caloris effectivus.* Ita etiam videtur, quod omnes formae de genere quantitatis et omnes relationes non sunt activae, et de omnibus talibus non valet: si dant actum primum, ergo et secundum. — *Oxon.* I. d. 7. n. 19. — Cf. IV. d. 43. q. 2. n. 6.

Operatio propria totius non competit parti. — *Operatio propria totius non potest esse propria operatio partis,* quia nec *esse* totale *totius* poterit *esse partis:* sed *intelligire* est *propria* operatio *hominis,* ex *I. Ethic.* — Dico, quod cuiuscumque totius forma non est nata *esse per se,* eius totius potest esse aliqua operatio propria, quae non potest esse formae suae. Sed per oppositum, cuius forma specifica nata est *per se esse,* illius totius non potest esse aliqua operatio perfecta, quae non possit esse formae ut operantis; quia operatio perfectissima non posset inesse, nisi insit secundum formam

(1) Scilicet « quae est ad multa quorum quodlibet est *ipso,* sed non est *ipsum* ». — *Oxon.* I. d. 7. n. 18. — Vid. Distinct.: *Formae communicabilitas duplex.*

perfectissimam; et non potest esse secundum formam possibilem per se esse, nisi possit illi per se inesse, quia illud erit per se immediatum receptivum, et ita si per se est, per se potest recipere.

Concedo ergo, quod intellectio est propria operatio totius hominis, sed secundum formam perfectissimam in eo tamquam secundum propriam rationem operandi; nec hoc solum, sed quia haec forma est separabilis, sic inest secundum eam, quod potest esse eius; et ideo sic propria totius, quod potest esse partis. *Nego* ergo, quod *operatio propria totius non potest esse propria operatio partis* in proposito. — Ad probationem de *esse*, licet aliqui dicant, quod esse totius est esse animae, tamen hoc improbatum est supra *dist. 42. q. 1.* — Unde concedo, quod esse totius non potest esse esse animae, nec e converso, loquendo de esse *totali* et *praeciso*. Et tamen operatio perfectissima totius istius, quia non potest inesse nisi secundum animam, et non potest inesse secundum eam ut secundum proximum receptivum, nisi possit esse eius quando ipsa per se est, sequitur, quod operatio totius potest esse operatio illius. — Unde nego *consequentiam:* esse huius non potest esse illius; ergo nec operatio eius operatio istius. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 1. n. 8. — *Report.* ib. q. 2. n. 10.

Operatio sequitur esse. — In rebus omnibus hoc universaliter invenitur: quod sicut se habent ad *esse*, ita se habent ad *agere*, ut quod habet esse calidum calefaciat, quod esse frigidum frigefaciat, quod esse humanum hominem generet. — *De Rer. Princ.* q. 2. n. 13. — *Esse* formae et modus essendi, *agere* et modus agendi sunt immediata; ideo sicut non est alia ratio, quare hoc habet *talem* modum *essendi*, nisi quia est *tale* ens, sic non est aliqua ratio, quare hoc habet *talem* modum *agendi*, puta *libere*, vel *naturaliter*, nisi quia est *tale principium activum*, scilicet, *liberum*, vel *naturale*. — *Quodlib.* q. 16. n. 16.

Opposita de eodem non concluduntur. — Duo opposita non possunt concludi, nisi alterum argumentum sit sophisticum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 14. — Saltem hoc certum est, quod opposita demonstrari non possunt, sed alterum tantum sophistice arguetur. — *Ib.* III. d. 15. n. 27. — * Nam * quaelibet duo extrema contradictionis de eodem sunt incompossibilia aeque inter se. — *Ib.* d. 24. n. 9. — De eodem secundum idem non sunt simpliciter vera contradictoria. Et non oportet addere *ad idem* quando illud praedicatum est absolutum. — *Ib.* IV. d. 10. q. 4. n. 11.

Opposita omnia includunt contradictionem. — Potest dici, quod relativa non includunt repugnantiam unde *relativa* sunt, sed *ratione fundamentorum*, inter quae est essentialis dependentia. — Aliter dicitur, quod alia a *contradictoriis* non sunt formaliter opposita, nisi in *abstracto*, maxime si contraria esse simul non sit contradictio, ut quidam dicunt. — *QQ. Metaph.* l. IX. q. 14. n. 24. — Relativa realia denominative accepta non sunt sic opposita, quod unum denominative sumptum neget suum correlativum, ut scilicet quod sequatur: si est activum; ergo non est passivum; sicut inferunt *contraria*, ut: si hoc est album; ergo non est nigrum. Sed in *abstracto* bene inferunt, ut: si est actio; ergo non est passio; vel: si est motio activa; ergo non est motio passiva. — Tamen non repugnat quin possint simul esse in eodem, sicut repugnat *albedo* et *nigredo*. — *Oxon.* II. d. 25. n. 17. — Cf. ib. III. d. 3. q. 1. n. 11.

Opposita simul stare nequeunt. — Concedo, quod nulla opposita possunt simul stare in veritate, loquendo de oppositis contrarie vel contradictorie. — *Prior.* I. q. 30. n. 11. Quia unum contrariorum fugit reliquum. — *Physic.* I. q. 22. n. 7. — Cfr. *Oxon.* III. d. 4. n. 1. — *Report.* ib. q. 1. n. 1.

Oppositorum eadem est potentia. — Habens potentiam ad opposita sic faciat, ut *faciendi* habet *potentiam*, non autem ut *potentiam* habet *faciendi*, ita quod modus refertur ad *terminum potentiae*, non autem ad *potentiam ipsam*, quia simul habeo potentiam ad *opposita*, sed non ad *opposita simul*. — *Oxon.* I. d. 39. n. 20. — Eadem potentia circa idem obiectum non potest habere actus oppositos, quorum alter sit in *summo*, quia oppositum in summo non compatitur secum

reliquum. — *Ib.* III. d. 15. n. 27. — Cfr. *Prior.* I. q. 34. n. 4. — Vid. *Potentia oppositorum est eadem.*

Oppositorum oppositae sunt causae; alterius altera causa; pefectioris perfectior causa. — Intelligo in causis *praecisis;* numquam verum est in *materia,* nisi forte de *proxima,* in qua est *dispositio* quae est *necessitans* ad *formam talem,* et sic necessitans, ut sit ipsa causa *materialis talis* compositi constituendi per *talem* formam. — *Theor.* XIX. concl. 11. n. 4. — Unum oppositorum est corruptivum alterius, et per consequens non est alterius causa. — *Post.* I. q. 29. n. 2.

Oppositorum quot modis dicitur unum, et reliquum. — Ut patet III. *Topic.* c. 22 (1). — Dico, quod illa regula debet intelligi quantum ad *significata*, et non quantum ad *supposita:* ut verbi gratia, si unum oppositorum significat unum vel duo aequivoce, reliquum habebit tot significata aequivocata: ut quia istud nomen *album* significat album in *voce,* album in *colore,* ita similiter istud nomen *nigrum,* quod sibi opponitur, significat nigrum in *voce* et in *colore.* Sed non oportet, quod quot supposita habet iste terminus *album,* quantum ad significatum coloris, quod tot habebit terminus *nigrum.* — *Physic.* I. q. 19. n. 12. — Iste est sensus illius propositionis, *quot sunt significata unius oppositi, tot et alterius:* si secundum omnem significationem alterum sibi opponatur; non quot *supposita.* — *Super Univers. Porph.* q. 12. n. 8.

Oppositorum si unum est alicuius oppositi causa, et suum oppositum erit consimile causativum. — Dico, quod si illa duo opposita essent a causa univoca, argumentum concluderet. Sed dico, quod illa regula fallit in omnibus ubi unum oppositorum potest produci a causa univoca, et alterum tantum a causa aequivoca. — *Oxon.* II. d. 20. q. 1. n. 4. — *Report.* ib. n. 5.

Oppositorum unum cui convenit per se, ei aliud oppositum repugnat. — *Cui convenit unum oppositorum per se, ei aliud oppositum nec per se, nec per accidens convenit.* — * Haec * potest exponi de *per se* *primo modo,* vel *secundo modo,* non autem *tertio modo,* prout dicit idem quod *solitarie* (1). — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 39. — * Et hoc sensu * cui de se convenit unum oppositum, ei de se repugnat aliud oppositum. — *Ib.* II. d. 3. q. 1. n. 1. — Quia quando aliquid determinat sibi unum oppositorum, alterum oppositorum non potest sibi inesse, nec *per se,* nec *per accidens.* — *Ib.* IV. d. 49. q. 14. n. 10. — * Igitur * duo opposita non insunt ordine naturae eidem quasi *positive,* loquendo de *ordine naturae* sicut est de *animali* et *rationali, substantia* et *accidente,* sed quasi *privative,* scilicet, quod alterum inesset, nisi impediretur (2). — *Ib.* II. d. 1. q. 3. n. 19. — * Ideo * dico, quod quando opposita comparantur ad idem secundum *ordinem naturae,* non simul ambo insunt, sed tantum alterum inest; reliquum autem quod dicitur prius natura non inest, quia in eodem instanti oppositum inest; sed dicitur *prius natura,* quia tunc inesset quantum est ex parte subiecti, nisi aliquid extrinsecum impediret. — *Ib.* III. d. 3. q. 1. n. 15. — Cf. ib. d. 1. q. 4. n. 4.

Oppositorum unum non praedicatur de altero per se. — Unum oppositorum est corruptivum alterius, et per consequens non est alterius causa: sed in propositionibus *per se* vel subiectum est causa praedicati, vel praedicatum est causa subiecti; igitur *unum oppositorum de altero non praedicatur per se.* — *Poster.* I. q. 29. n. 2. — Ad *quaestionem* * igitur *, *an unum oppositorum per se praedicetur de altero,* dicendum, quod unum oppositorum non praedicatur de alio nec *per se,* nec *per accidens.* — Et huius ratio est: quia unum oppositorum est alterius corruptivum; igitur de altero non praedicatur *per se,* per hoc medium: *in propositionibus per se unum extremorum est causa productiva alterius, et non corruptiva.* — *Ib.* n. 3.

* Notandum tamen, quod * in intentionibus generalibus non est inconveniens unum oppositum praedicari essentialiter de alio, et reliquum oppositum de eodem *denomi-*

(1) Cit. etiam *Super Univers. Porph.* q. 29. n. 4.

(1) Vid. Distinctiones: *Per se — secundum se quadrupliciter dicitur.*

(2) Vid. Distinctiones: *Prius natura multiplex.*

native, intelligendo oppositum quod secundum sui conceptus rationem esset oppositum; sed non salvatur omnino oppositionis ratio ubi est difformis modus praedicationis. *Exemplum* huius: *potèntia per se primo modo* et *potentia* est in actu actualitate sibi correspondente, quia potentia quando est extra suam causam non est in potentia ad suum esse. Magis patet idem in intentionibus *logicalibus;* quia haec est vera: *singulare est singulare* per se primo modo; et haec: *singulare est universale* praedicatione denominativa; et in intentionibus *grammaticis:* masculinum est masculinum, haec est vera per se primo modo; haec autem: *masculinum est neutrum*, vera est *denominative* vel denominativa praedicatione.— *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 25.

Oppositum si de opposito, et propositum de proposito. — Per Aristot. II *Topic.* c. 12. — Ista regula, *Si oppositum de opposito*, etc. tantum intelligenda est in *contrariis:* vel si in *contradictoriis*, intelligatur de predicatione e contrario, hoc totum verum est, si in antecedente est praedicatio *per se*, vel ad minus *universaliter*, si sint termini communes; hoc dico, pro conversione universalis affirmativae per contrapositionem. — *Super Praedic.* q. 10. n. 7.

Optimi est optimum facere. — Dicendum, quod *optimi est optimum facere*, secundum quod convenit *toti*, et non quod faciat quamlibet partem optimam; ad bonum enim hominis non esset quod quaelibet pars eius esset disposita sicut oculus; imo ad bonum eius convenit quod partes eius sunt diversae dispositionis. Et eodem modo pertinet ad bonum universi, quod partes universi secundum formam non sunt aequales. Sed rerum inaequalium una semper est propter aliam, sicut patet: plantae sunt propter animalia, et animalia propter homines sunt, et eodem modo est de omnibus aliis. Est enim universum sicut familia bene ordinata: in familia sunt diversi gradus, puta, liberorum, servorum et bestiarum. Et propter hoc dicit Philosophus, quod sunt omnia ordinata, quod omnia quae faciunt communicant ad totum, hoc est, ad perfectionem universi. Nunc autem inaequalitas in entibus arguit diversitatem in specie, et maior perfectio repraesentatur per diversas species quam per unam. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 27. per tot. — Primum enim Principium sic produxit universum, secundum quod melius et modo quo magis manifestetur sua bonitas; et permissit malum fleri in entibus, ut ex isto malo eliciatur bonum; unde malum permittit propter bonum. — *Ib.* q. 28. n. 4.

Ordine (in) omni primum est absolutissimum. — Dico, quod vera est in ordine *essentiarum*, qui ibi intelligitur in perfectionibus quidditativis, et status est ad perfectionem quidditativam infinitam, quae est absoluta. — Sed in personis habentibus eamdem naturam distinctam tantum per originem propositio est falsa, quia ibi primum praecise est illud quod est formaliter per esse ad secundum. — *Oxon.* I. d. 28. q. 3. n. 14.

Ordinem essentialem nihil ad se dicit. — Domine Deus noster, qui Doctorem venerabilem Augustinum de Te Trino seriose scribentem infallibiliter docuisti quod ipse in *I. De Trint.* scripsit dicens: *nulla res omnino est quae seipsam ut sit gignat*, nonne Tu nobis aeque certutidinaliter impressisti hanc similem veritatem, quod *nulla omnino res essentialem ordinem habet ad se?* Nam de ordine eminentiae, quid impossibilius quam idem seipsum excedere re secundum perfectionem essentialem? De aliis sex ordinibus, quid impossibilius quam idem a se dependere, quam sine seipso posse esse? Hoc etiam consonat veritati, quia *in quolibet ordine essentiali est circulus impossibilis.* — *De Primo Princ.* c. 2. n. 1. — Vid. *Circulus in ordine essentiali*, etc.

Ordinem quidquid habet ad aliquid habet similem ordinem ad quodlibet aliud ad quod illud habet ordinem talem. — Ista propositio est vera in ordine *essentiali*, non intelligendo conditionem specialem ordinis, puta mediationem vel immediationem, propinquitatem vel remotionem. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 13.

Ordinis negatio ad prius praecedit ordinem ad posterius. — Cum arguitur, quod *negatio ordinis ad prius praecedit ordinem ad posterius*, dicendum, quod verum est in or-

dine entium *absolutorum*, quia primum ibi in ordine prius est *ad se* quam comparetur ad secundum; sed in ordine *relativorum* non est ita ubi primum consequitur esse in ordine ad suum correlativum, et ex ordine ad secundum; et sic in ordine personarum non est verum, quod negatio ordinis ad praecedens est prius ordine eius ad secundum, quia tunc illa negatio esset prior primo secundum esse suum proprium, quod habet in suo ordine. — *Report.* I. d. 28. q. 2. n. 19. — *Oxon.* ib. n. 14.

Ordinis ratione eadem non manente, non manebit idem ordo. — Cum accipitur, quod *non manente eadem ratione ordinis, non manebit idem ordo*, conceditur de illa quae est *prima* et *per se* causa et ratio ordinis, sicut universaliter tenetur de *primo per se* ordine quorumcumque. — Et iuxta hoc, arguendo ad oppositum, assume hanc: *ubi manet prima per se ratio ordinis eadem, ibidem manet idem per se ordo.* — *Quodlib.* q. 1. n. 19.

Ordo in omnibus reperitur. — In omni entium genere est reperire per se ordinem et statum, *II. Metaph.*, sicut patet in genere causae *efficientis* (1). — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 8. — *Report.* ib. n. 9.

Ordo non infert dependentiam. — Nec sequitur: ab invicem ordinantur; ergo dependent ad invicem. — *Oxon.* I. d. 30. q. 2. n. 7.

Ortus disparitas non facit distinctionem naturae. — Ut patet de Adam et nobis. — *Oxon.* III. d. 14. q. 3. n. 2.

P

Pars adveniens non dat esse toti. — *Pars adveniens toti non dat esse toti*, sed recipit, quia perficitur a forma totius. — *Oxon.* III. d. 6. q. 1. n. 1.

Pars alicuius totius non habet esse nisi esse totius. — * Haec * non est vera de parte cui non repugnat per se esse si separetur. Vel vera est quantum ad esse *totius* in quo includitur esse partis. — *Oxon.* II. d. 17. q. 1. n. 5. — Non valet autem de parte cui non repugnat esse per se seorsim, et cuius esse est via ad esse totius. Unde talis pars in toto habet *per se* esse inquantum terminus creationis; licet tamen pars talis habeat esse in toto *per accidens*, inquantum est informans materiam, tamen non repugnat tali esse per se; ideo talis pars potest terminare creationem per se. — *Report.* ib. n. 6.

Pars extra totum est imperfecta. — Licet pars sit imperfectior quam totum, et per consequens quando est sub actu proprio quam quando est sub actu totius, quia aliter non esset pars, *quae dat esse toti*, sicut forma dicitur dare esse composito, et non accipit aliquod aliud esse a dato in se, si non det illud esse toti, non tamen propter hoc est in se imperfectior, quia non caret aliquo esse in se quod habuit secundum se in toto. — Sed pars *quae accipit esse a toto* non est ita perfecta separata a toto sicut quando est in toto, sicut est de materia, quae in toto composito accipit esse *actuale* et *distinctum* per formam quae est ei unita, quae dat per se esse toti, et sibi perfectius esse quam prius habuit. — *Report.* IV. d. 43. q. 2. n. 22. — Illa * ergo *, *pars extra totum est imperfecta*, non est vera nisi de parte quae *recipit* aliquam perfectionem in toto: anima non recipit, sed communicat. — *Oxon.* ib. n. 24.

Pars extra totum nihil habet quod non habet in toto. — Illa enim actualitas quae attribuitur parti extra totum, et non in toto, non est nisi praecisio. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 2. n. 24.

Pars non praedicatur de toto. — Per Aristotelem, *IV. Topicor.* — Dici potest, quod *pars* intellecta per modum *partis* non praedicatur de *toto* vere; intellecta tamen per modum *totius* potest vere praedicari, ut Avicenna *V. Metaph.* exemplificat de *manuato* et *capitato*, quae diversa significant primo, scilicet, *manum* et *caput*;

(1) Vid. *Causae in omni genere est status.*

utrumque tamen ex consequenti significat *totum*, ex hoc, scilicet, quod significat partem per modum *totius*, ut *manuatum* exponitur per *habens manum*, ubi *habens* non est de significato *manuati*, sed de modo significandi per modum *totius*; non enim est partis habere manum, sed totius. Et ita exponitur *animal* habens sensum, et *rationale* habens intellectum. — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 10.

Pars prior toto. — Pars in esse naturali praecedit suum totum origine. — *Oxon.* II. d. 16. n. 11. — Quia partes sunt naturaliter priores toto; igitur non repugnat eis contradictorie posse esse priores duratione ipso toto, sicut quia repugnat ipsi toti esse prius natura hoc modo, ideo sibi repugnat contradictorie ex parte sui esse prius duratione. — *Ib.* d. 2. q. 9. n. 19.

Participationem (quod est tale per) reducitur ad tale per essentiam. — Dicendum, quod non omne quod est *tale per participationem* oportet reduci ad aliquid quod est *tale* per *essentiam* secundum *eumdem modum;* imo illud quod est * ex. gr. * *mobile* per participationem secundum motum *proprie dictum* reducitur ad mobile per essentiam secundum motum *improprie acceptum:* isti tamen motus non sunt eiusdem rationis. — *QQ. Metaph.* l. XII. q. 7. n. 4. — Potest * enim * distingui, quod duplex est motus, scilicet: actus entis imperfectus, quia in potentia: alio modo motus potest dicere quamcumque operationem; et sic dicit Aristoteles, *III. De Anima*, text. 2., quod *intelligere* et *sentire* sunt motus. — *Ib.* n. 3. — Cf. ib. q. 11. n. 2. — Vid. *Ens per participationem reducitur ad ens per essentiam.*

Passio si univoca, et subiectum. (Per Aristotelem *II. Posteriorum*). — Dici potest, quod propositio Aristotelis est vera de passione *reali*, quae egreditur ex principiis subiecti, de qua loquitur ibi, quae est de subiecto demonstrabilis. — *Super Univers. Porph.* q. 15. n. 6.

Pater eo est quo est ei Filius. — Augustinus, V. *De Trinit.* c. 6.: *Eo Pater est, quo est ei Filius.* — Dico, quod intelligit *eo formaliter*, non *eo fundamentaliter.* — *Exemplum:* dicimus, quod Socrates est similis *similitudine* formaliter, sed dicitur similis *albedine* fundamentaliter. Intendit igitur Augustinus, quod *eo est Pater, quo est ei Filius*, id est, illa *notione*, hoc est: quod Pater non dicitur *ad se* Pater, sed *ad Filium;* non autem intelligit ibi quo Pater sit Pater, sive generet, ut principio *elicitivo* generationis, sicut patet ibi ex littera sua. — *Oxon.* I. d. 7. n. 18.

Pater est quidquid habet, excepto relativo. — Concedo, quod *Pater est quidquid habet, excepto relativo, quod habet, et non est ipsum* (1). Habet quidem correlativum, sicut Pater habet Filium; et ideo concedo, quod prima Persona est quidquid habet, ad quod non refertur; non est autem secunda persona quam habet ut correlativum, licet ista relatione non primo constitueretur. — *Oxon.* I. d. 26. n. 32.

Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto. — VI. *De Trinit.* c. 5: *Spiritus Sanctus est quo genitus a generante diligitur genitoremque suum diligit.* — In Divinis Spiritus Sanctus, ex vi productionis suae, non quidem *proprie*, sed *appropriate*, est amor omnis amati necessario, et ideo habet aliquam relationem rationis formaliter ad sic amatum. Producens autem ipsum potest denominari ab eadem habitudine quasi *principiative*, et ista habitudo ut principiative denominans importatur per hoc verbum *diligere*, quando dicuntur *Pater et Filius diligere se Spiritu Sancto;* hoc quippe est Patrem et Filium *producere amorem*, qui est Patris et Filii, sicut Patrem *dicere se Verbo* est *producere Verbum*, quod est declarans ipsum Patrem. — *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 11.

Diligere nec mere *essentialiter*, nec mere *notionaliter* tenetur, sed connotat notionem, scilicet, productionem Spiritus Sancti, et significat illam habitudinem consequentem Spiritum Sanctum ad amatum, non quidem *formaliter*, sed *principiative.* Et ratione istius habitudinis consequentis *essentiale* est quantum ad terminum illius habitudinis, quia terminus ille non tantum

---

(1) Ex Aug. *De Civit. Dei*, c. 10.

est Spiritus Sanctus, sed etiam omne necessario amabile; et quoad illud fit conversio, non autem quoad *notionale* connotatum. — *Ib.* n. 12. — Cf. *Report.* ib. n. 6.

Eodem modo potest concedi, quod Pater diligit Spiritu Sancto; et hoc est *appropriatum* Spiritui Sancto, non *proprium.* Et notatur ibi duplex relatio, *realis,* scilicet, *spiratio,* et alia *rationis* inspiratio ad amatum ipso, qui respectus rationis est appropriatus Spiritui Sancto, vere tamen communis est tribus. — *Oxon.* III. d. 32. n. 4.

Non * tamen * oportet concedere, Patrem et Filium diligere *creaturam* Spiritu Sancto, sicut diligunt se Spiritu Sancto; quia iste modus diligendi ut sumitur *principiative,* videtur esse primo illius termini dilectionis cuius ipsa dilectio est formaliter, ex hoc quod est principiata; sic enim diligere obiectum est principiare amorem, qui ut principiatus est formaliter illius obiecti; Spiritus autem Sanctus, ex vi principiationis suae, neque primo, nec concomitanter est amor creaturae, quia creatura tantum contingenter amatur a Deo. — *Ib.* I. l. c. n. 14.

Pater non est sapiens sapientia genita. — Propter rationem Augustini, *VII. De Trinit. c. 4.: Pater eo est quo sapit, quia idem est sapere et esse;* ergo si saperet Verbo, esset etiam Verbo. — Cuius declaratio est ista: actus *essentialis* non potest esse alicuius suppositi mediante aliquo principio ut *quo,* nisi illud sit tali personae principium essendi *formale,* ut *Pater sapit Sapientia genita;* vel sit principium sibi essendi *principiativum,* quomodo Magister concendit, quod Filius sit *Sapientia ingenita,* a qua habet quod sapiat; vel sit principium *subauctoritativum* respectu talis actus, quomodo conceditur, quod Pater *creat Verbo.* Sed Filius sive Sapientia genita non est Patri principium essendi *formale,* nec *principiativum,* nec principium activum *subauctoritativum* respectu actus *essentialis;* quia Verbum non producit istum actum in se, sed communicatur sibi a Patre; et principium subauctoritativum habet rationem producentis actus, respectu cuius dicitur principium tale, quomodo conceditur, quod Pater *creat Verbo:* sapere autem est actus essentialis; ergo *Pater non sapit Sapientia genita.* — Concedit autem Magister, et bene, quod Pater est sapiens sapientia *ingenita,* sicut *formali* principio; Filius autem sapit sapientia ingenita, sicut principio *principiativo.* — *Oxon.* I. d. 32. q. 2. n. 9. — *Report.* ib. n. 4.

Patiens necessario patitur. — Non est in potestate patientis non pati; quia si agens agit, patiens patitur; cum igitur non est in potestate patientis quod agens non agat, igitur nec in potestate eius erit posterius, quod necessario consequitur. — *Report.* II. d. 25. n. 2. — *Oxon.* ib. — Vid. *Actio agentis non est in potestate patientis.*

Patientia nobile vincendi genus. — Vid. Distinctiones: *Concupiscibile — Irascibile.*

Peccandi causa prima est voluntas. — Malitia *primo* et *formaliter* non est nisi in *actu voluntatis.* — *Probatio:* quia *iustitia habitualis,* ut distinguitur contra *peccatum originale,* et *actualis iustitia,* ut distinguitur contra *peccatum actuale,* est in *voluntate;* ergo peccatum originale et actuale est in voluntate. Hoc satis patet per Anselmum de *peccato originali* cap. 4. — Item Augustinus *III. De Lib. Arb. Causa prima peccandi est voluntas.* Nihil enim est peccatum nisi quod est in potestate facientis: et nihil est in potestate facientis nisi quod est in potestate *voluntatis* eius, quia nihil praeter hoc est imputabile; et ideo dicit *XII. De Civit. cap. 8.,* quod defectus voluntarios sequitur debita poena: ex quo sequitur, quod in solo *velle* est peccatum primo, et in aliis non nisi mediante *velle.* Praeterea, omnis causa activa in universo, praeter voluntatem, est *naturaliter* activa; ergo nulla, praeter voluntatem, est vituperabilis propter suam actionem. Hoc enim patet per Augustinum *III. De Lib. Arb.,* causa enim *naturalis,* secundum eum, non agit nisi secundum quod accipit ut agat ab alio, et ideo in nulla sua propria actione est vituperabilis, et ideo in nulla ctione sua est peccatum. Ex quo sequitur, quod in *cogitatione, sermone* et *opere* non est peccatum *formaliter* et *primo;* sed hoc est in solo actu voluntatis. — *Oxon.* II. d. 42. q. 1. n. 1. — *Report.* ib. n. 4. — Cf. *Coll.* IV et V.

Peccare posse non est libertas, nec pars libertatis. — Ad illud Anselmi, *posse peccare non est libertas, nec pars libertatis,* dico, quod verum est, quod posse praecise in *peccatum,* quod est carentia vel privatio debita circumstantiae, non est libertas, nec libertatis pars; tamen posse in actum cui annexa est deformitas est bene pars libertatis, non simpliciter, sed *creatae.* — *Oxon.* II. d. 23. n. 9. — * Ubi notandum *, quod *posse* potest accipi dupliciter: vel ut dicit *ordinem potentiae ad actum,* vel pro illo *absoluto* quod habet rationem *potentiae,* in quo fundatur iste ordo ad actum. — *Primo* * (*secundo?*) * *modo* posse peccare nihil est ipsius potentiae in qua fundatur, nec posse bene agere, vel velle, nec posse male velle, est aliquid libertatis, quia *respectivum* nihil est ipsius *absoluti.* Et principaliter hoc posse, ut dicit ordinem potentiae ad actum, est simul natura cum actu: sed potentia in qua fundatur ordo est prius natura actu; igitur illa potentia absoluta nihil est illius respectus. Non tamen potest hoc fundamentum esse sine tali respectu, quia ille respectus est necessario consequens. Si loquamur de potentia quae est *ordo ad actum,* est ibi considerare duo: sicut in peccato est *actus,* et *deformitas* in actu, sic est ibi potentia ad *agere,* et ad *sic agere,* et ista correspondent sibi invicem; et fundamentum dicitur esse voluntas quantum ad *velle,* et ad *sic velle.* — Loquendo igitur de libertate arbitrii *absolute* et de voluntate *absolute,* possunt absolvi a posse peccare, quia in Deo ita est; non tamen in voluntate *creata,* quae est libertas, et *creata* libertas. — Licet igitur *posse peccare* nihil sit liberi arbitrii *absolute,* nec voluntatis *absolute,* est tamen aliquid voluntatis *creatae* et liberi arbitrii *creati,* accipiendo *posse* pro *fundamento;* ideo non potest esse voluntas creata, quin possit fundare actum talem qui potest *deficere,* et qui potest esse deordinatus. Ideo liberum arbitrium *creatum* non est nisi sit illa potentia, quae potest esse fundamentum potentiae quae dicit *ordinem ad actum.* — *Report.* II. d. 23. n. 9. — * Vel aliis verbis *:

Posse peccare dicit ordinem ad *actum deformem;* et ille ordo nec est potentia, neque potentiae. — Sed potentia quae dicit rationem *principii,* quo potest elici actus deformis, potest fundare istum ordinem immediate, sicut potentia visiva fundat ordinem ad actum visionis; atque ita liberum arbitrium est id quo habens ipsum potest peccare. Et quia illud quo habens peccare potest est proximum fundamentum ordinis, dupliciter adhuc potest intelligi illud quod fundat istum ordinem, secundum quod duo sunt ad quae potest comparari: *positivum* et *privativum, substantiam* actus et *deformitatem* actus; ideo potest intelligi liberum arbitrium esse fundamentum ordinum, vel eo modo quo est ad *positivum* in actu elicito, vel eo quo est ad *deformitatem* actus. *Secundo modo* liberum arbitrium in communi, prout convenit Deo et Beatis, non est ratio fundandi istum ordinem ad actum ut deformis; et tamen liberum arbitrium creatum non confirmatum potest esse ratio fundandi immediata ordinis huiusmodi. — *Report.* II. d. 7. q. 3. n. 25. — d. 44. n. 3. — *Oxon.* II. d. 7. ib.

* Quae sequentibus confirmantur, magisque explicantur *:

Libertas *absolute* est perfectio simpliciter; unde formaliter ponitur in Deo, secundum Anselmum: libertas *in nobis* est *limitata.* — Potest tamen considerari secundum *rationem* eius *formalem* sine illa limitatione; et tunc non est perfectio limitata, sed perfectio simpliciter. — *Exemplum:* sapientia est perfectio simpliciter, et illius ratio absolute est in nobis: non tamen sic, sed *cum limitatione;* ita quod sapientia nostra includit duo, quorum alterum est perfectio simpliciter, alterum non.

Ita dico, quod haec voluntas huius speciei, quae est in nobis, includit *libertatem,* quae est perfectio simpliciter; sed non eam solam, sed *cum limitatione,* quae limitatio non est perfectio simpliciter. Ratione *primi* non convenit sibi peccare posse, nec est fundamentum proximum huius ordinis ad deficere actualiter; sed ratione *secundi.*

Ita igitur exponenda est auctoritas Anselmi: quia *posse peccare nihil est libertatis,* ut libertas est *perfectio simpliciter.* — Nec aliud probat ratio sua, per hoc,

quod non est in Deo. — Si autem accipiatur ista libertas causata secundum ordinem suum, adhuc non est aliquid eius, sed ut dicit fundamentum proximum huius ordinis est aliquid ipsius.

Sicut autem ista potestas est aliquod ens *positivum*, ita est a Deo; *quoniam ex Ipso et in Ipso et per Ipsum sunt omnia; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum.* Amen. — *Oxon.* II. d. 44. n. 2.

Peccat nemo in eo quod vitare non potest. (August. *III. De Lib. Arb.*). — Dico, quod *peccare* potest esse vel *elicere actum peccandi* vel habere *peccatum*. — *Primo modo* potest concedi illa auctoritas; quia parvuli non eliciunt actum peccandi, quia illud peccatum * (originale) * non est in eis *actuale*, sed tantum contractum a parentibus. — *Secundo modo* propositio est falsa, nisi intelligatur in *generali* sic: in eo quod nec ipse in se vitare potest, nec in illo per quem contrahit peccatum. — *Oxon.* II. d. 32. n. 15. — Cf. ib. d. 28. n. 8.

Peccatum est poena peccati. — Dico, quod *omne peccatum est poena*, et *unum peccatum potest esse poena alterius.* — *Primum* probo: quia poena formaliter est carentia boni convenientis voluntati et volenti, ita quod si distinguamus in voluntate affectionem boni *iusti* et boni *commodi*, patet, quod ablatio boni *commodi* poena est, quia conveniens ei: sed bonum *iustitiae* est magis conveniens voluntati, quam bonum *commodi;* igitur eius ablatio per se est poena. *Probatio minoris:* quanto perfectibile est perfectius, et per consequens perfectio correspondens, tanto eorum maior est convenientia et melior, et privatio peior: sed voluntas inquantum habet affectionem *iustitiae*, id est, inquantum libera est (loquendo de iustitia *innata*) est simpliciter nobilior seipsa inquantum habet affectionem *commodi*, et hoc convenit sibi simpliciter; igitur maior et melior est convenientia iustitiae ad voluntatem absolute, quam boni commodi ad voluntatem; igitur ablatio istius est simpliciter poena, et maior poena, quam ablatio cuiuscumque commodi alterius a iustitia (1). Et in hoc bene verificatur illud Augustini, *lib. Confessionum: Iussisti, Domine, et ita est, ut omnis inordinatus animus poena sit sibi.* Et idem *III. De Lib. Arb.: Neque enim ad momentum est dedecus culpae sine decore iustitiae*, ut, scilicet, ipsa voluntas seipsam privans iustitia, in hoc se privat maximo bono sibi conveniente, cuius carentia est sibi formaliter maior poena, quam carentia alicuius boni commodi, quae infertur propter talem culpam. Et inde est quod *poena* dicitur *ordinare culpam*, quia ex quo Deus non vult culpam auferre, non potest melius sive ordinatius anima culpabilis esse, quam quod sit in poena, quae non est tantum malum formaliter, quantum est culpa, quia naturam manentem sub culpa ordinat. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 22.

* Et * licet Deus in actu secundo, quantum est ex se, assistat voluntati, sicut et in primo et in quolibet actu, prima causa deficiens, hoc est, non iuste vel recte agens, est voluntas creata; tamen defectus secundus est *poena peccati* primi, pro quanto privat se bono maxime sibi conveniente. — Nec est simile de privatione *gratiae* et rectitudinis in actu secundo, puta, quod Deus, sicut propter demeritum non assistat ad causandum gratiam in anima, ita nec ad causandum rectitudinem in voluntate; quia ipse non dedit gratiam antecedenter, sicut dedit rectitudinem, et ideo potest eam non dare consequenter. — Carentia etiam gratiae est una iniustitia habitualis in anima, non semper propter aliud et aliud peccatum; sed in actibus malis succedentibus sibi est semper novum malum, et ideo oportet ibi quemlibet esse in potestate voluntatis creatae; non sic autem carentia gratiae post instans annihilationis oportet esse in potestate voluntatis, quia non est nova iniusti-

---

(1) « Peccatum est carentia boni *iusti* convenientis: et maior poena est carentia boni *iusti* convenientis, quam boni *commodi;* quia bonum iustum est nobilius bono commodo, et propinquius perfectiori, et sicut proprium perfectiori est perfectius quam commune perfecto et imperfecto, sic propinquius perfectiori, caeteris paribus. Nunc autem *iustitia* est propria appetitui rationali; *commodum* vero convenit omni appetitui; sed peccatum carentia boni iusti convenientis, quia praemium est oppositio boni convenientis; igitur demeritum privat bonum conveniens ». — *Report.* II. d. 36. n. 2.

tia, sed tantum una habitualis malitia quiescens in anima. — *Ib.* n. 24.

Potest aliter dici, quod *poena* dicitur duobus modis: Uno modo poena est solum *carentia* boni convenientis naturae intellectuali; sicut est carentia visionis et fruitionis Dei; et haec est pura privatio. — Alio modo potest dici poena aliquod *positivum*, et tamen disconveniens tali naturae: sicut calor excellens est aliquod positivum disconveniens carni. — Omnes poenae *secundo modo* dictae possunt poni a Deo, quia sunt aliqua positiva; et de istis debet intelligi illud *I. Retract. c. 25 et 26.*; ait enim: *In bonis operibus Dei bona opera sunt ista punitiva, licet sint mala istis punitis, quia disconveniunt eis.* — Sed poenae *primo modo* non sunt a Deo *efficiente*, quia non sunt effectibilia; nec *deficiente primo;* sed tantum propter demeritum voluntatis in actu peccati *non coagendo* voluntati nunc *ad illud bonum habendum*, ad quod operatus fuisset quantum est ex se. Talis ergo poena est a Deo, non *infligente* vel *efficiente*, nec *deficiente primo*, sed *deserente*, id est, naturam quae deficit relinquente in suo defectu et in omnibus defectibus consequentibus ad illum defectum, ubi includuntur multae carentiae perfectionum convenientium tali naturae. Sic ergo poena quae est peccatum non est a Deo *efficiente* vel *deficiente primo*, sed tantum est a Deo *deserente* voluntatem, ratione primi demeriti; quae deserta a Deo cadit in secundum demeritum. — *Ib.* n. 25.

Sed quomodo *est a Deo* ut poena peccati prioris? Dico, quod illud peccatum secundum quod est poena peccati prioris non est a Deo *efficiente*, sed *non causante* iuste, propter demeritum praecedens: sicut non dare visionem beatam peccanti non est a Deo efficiente, sed non causante iuste, propter demeritum praecedens; et ista poena est *derelicta*, et non *inflicta*. Quod patet secundum Gregorium, *Moral.* XXV, cap. 12.: *Deserendo percussit*, etc. et secundum Augustinum, *Contra Iulianum*, lib. V., cap. 5, *deserendo, sive alio modo punit*, etc. Sicut igitur nauta per praesentiam est causa salutis, sic Deus per praesentiam bonae operationis, et per absentiam poena, non agendo. — *Ib.* n. 5.

Omnis * igitur * poena est a Deo: non tamen a Deo *infligente*, nisi solum de poena *positiva;* sed de poenis privativis verum est, quod sunt a Deo *subtrahente*, vel *non causante;* et sic potest peccatum esse a Deo, et culpa posterior pro priore non *inflicta*, sed *derelicta*. — *Report.* II. d. 36. n. 6.

Dices: culpa non est poena, quia non est voluntaria; nullum enim malum est poena, nisi sit involuntarium. — *Dico*, quod omnis poena est contra inclinationem naturalem, quamquam actus elicitus de illa poena sit voluntarius: ut patet de *morte;* licet Sancti cupiant dissolvi et esse cum Christo, adhuc illa mors est poena, quia contra inclinationem naturalem, quamquam non sit contra actum elicitum voluntatis. Non igitur est verum, quod omnis poena est involuntaria, ita quod contra actum elicitum voluntatis, quia tunc Martyres non sustinuissent poenam in morte; sed dicitur *involuntaria*, quia contra *inclinationem* naturalem voluntatis, non autem contra *actum* voluntatis *elicitum*. — *Report.* II. d. 36. n. 2.

Ideo dico, quod peccatum est formaliter maxima poena. — *Ib.* n. 3.

Peccatum * igitur * est *voluntarium* ut comparatur ad causam *agentem*, sed *involuntarium* et disconveniens voluntati, et poena, ut comparatur ad *susceptivum*, et universaliter contra inclinationem naturalem.

Deus non infligit poenam ultra condignum, sed punit positive citra. — Loquendo tamen de poena *derelicta*, deserendo permittit eum cadere in maius malum, in quod incidit propter demeritum praecedens, et in omnia mala sequentia, et hoc iuste, ut prius dixi. — *Ib.* n. 6.

Peccatum illud est gravius quod plus adimit de bono. — Verum est, si adimit *formaliter*. — *Oxon.* II. d. 21. q. 2. n. 5.

Peccatum illud est maius cui debetur maior poena. — Dummodo illa poena sit formaliter punitio illius culpae. — *Oxon.* II. d. 21. q. 2. n. 5.

Peccatum in tantum est malum, in quantum adimit de bono. — Illud Augustini *Enchir.*, *peccatum in tantum est malum in quantum adimit de bono,* debet intelligi non quod adimat de boninate *naturae* in *esse primo,* quia defectus effectus contingentis non repugnat *esse,* quia nec repugnat effectui contingenti, cui magis videretur repugnare; sed debet intelligi de adimere bonum in *actu secundo:* non quidem quod inest, sed quod deberet inesse. — *Oxon.* IV. d. 16. q. 2. n. 6.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. (Augustinus). — Sunt *quinque* videnda: Primo, *propter quam rationem* sit restitutio facienda: Secundo, *quis* teneatur restituere: Tertio, *quid:* Quarto, *cui:* Quinto, *quando.*

De *primo* dico, quod sicut auferre alienum est peccatum mortale contra praeceptum divinum negativum, *Non furtum facies,* ita et tenere alienum; et ideo sicut necessarium est servare praecepta negativa, ita necessarium est non tenere alienum, domino invito, et per consequens, vel *actu* statim reddere, vel saltem *velle* reddere cum fuerit opportunitas. Unde non est restitutio facienda necessario ut *pars* quaedam *satisfactionis,* neque generaliter accipiendo *satisfactionem,* neque specialiter, *Generaliter* enim accepta reddit pro peccato aequivalens ei in quem peccatur; non sic ista restitutio, quia absque omni redditione pro peccato posset reddi proximo quod suum est, sicut in mutuis redditur creditori absque omni satisfactione pertinente ad reconciliationem peccatoris. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 1. n. 28.

Consimiliter non est satisfactio *specialis,* quae est tertia pars Poenitentiae, quia de *congruo* requiritur restitutio in *re* vel *voto* ante omnem partem poenitentiae, sicut cessatio *voluntate* vel *facto* a peccato; sed satisfactio quae est tertia pars Poenitentiae non requiritur ante alias duas partes Poenitentiae, imo sequitur contritionem et confessionem, ut iniuncta a Sacerdote; restitutio autem non iniungitur a Sacerdote, sed a lege divina. Et est simile in aliis peccatis: si quis teneret fornicariam vel magis adulteram, restituere eam viro suo non est nisi cessare a peccato vel transgressione huius praecepti, *Non moechaberis;* et istud praecedit omnem partem Poenitentiae acceptae; et ideo sicut tenens adulteram non est capax Poenitentiae, sed irrisor, et si talis veniat ad Poenitentiam, addit peccatum peccato, ita detinens alienum, et *voluntate* et *facto,* dum talis est, non est capax alicuius partis Poenitentiae. — *Ib.* n. 29.

De *secundo* ponuntur versus, scilicet, *quis:*

Quilibet in solidum reddat prius iniuriato:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus:

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quorum stat sententia in hac maxima: *Quicumque abstulit vel detinet alienum tenetur restituere.* — *Auferre* autem potest ut causa superior, scilicet, *praecipiendo;* vel ut proxima immediate, *auferendo;* vel ut causa *coadiuvans,* ut socius in auferendo; vel inducens, si *consulit,* vel *favet,* vel *adulatur* tali consilio; favore vel adulatione, propter quam fit ablatio, et sine qua non fieret.

Consimiliter de *detinente,* qui *immediate* detinet positive, vel privative, sive interpretative, ut, scilicet, quia non fecit restitui cum ei ex officio hoc competeret, vel auxilium vel *favorem* praebendo, ut si *tacet* requisitus in iudicio, ubi posset sententialiter restitui res domino suo, et tamen dicendo veritatem non imminet ei periculum status vel personae.

Unde breviter, omnis obligatio ad restitutionem reducitur ad *auferre* vel *detinere;* et hoc vel ut causa *principalis,* vel *proxima,* vel *coadiuvans,* vel *inducens,* vel *non impediens,* quando eius esset ad bonum Reipublicae, et sine periculo personae, impedire.

Istorum omnium quilibet tenetur ad restitutionem in solidum; sed uno restituente omnes alii liberantur a debito in comparatione ad illum damnificatum; tamen alii tenentur pro rata portionis quae eos contingit illi qui pro omnibus satisfecit. — *Ib.* n. 30.

De *tertio*, scilicet *quid*, dico, quod non solum tenetur quis ad restituendum rem ablatam, vel usum rei, sed etiam ad interesse et fructum conceptum de re, si res erat fructifera, sed non fructum qui pervenit ex *industria* eius qui utitur illa re. — *Ib.* n. 31.

De *quarto*, scilicet *cui*, dico, quod damnificato, si tamen sit possibile: possibile, inquam, ut si novit eum, et si habeat eum praesentem, vel habere potest, ut sibi mittatur sine maiori incommodo quam illud quod mittendum est esset utile ei cui mittitur. Et intelligo de ipso, vel aliquibus eius propinquis, si mortuus est, vel si absens est, quia praesumitur lege naturae, quod ille magis velit restitutionem fieri suis propinquis. Et ideo in duobus casibus, nec illi, nec suis, utpote si cui nescitur, vel scito, cui tamen mortuo nesciuntur propinqui; in alio si maiores sumptus essent ponendi in mittendo, quam illud valeat illi cui mittitur. Et in istis, si quaeras *cui?* dico quod pauperibus vice illius, quia cui non potest temporaliter reddi, redditur spiritualiter; redditio spiritualis fit maxime reddendo pauperibus pro illo.

Si quaeras *per manus cuius* debet reddi pauperibus? Respondeo, non inveni quis necessario determinatus sit mediator in distribuendo ista pauperibus. Dicit unus Doctor, quod confessor, vel aliquis de cuius fidelitate credat. Videtur mihi, quod per seipsum, consilio tamen alicuius boni viri, potest illud distribuere pauperibus; quia tali mediatori posset dare, ut restitueret, de cuius fidelitate praesumeret, et tamen iste sibiipsi applicaret, vel aliis usibus quam deberet. Unde ubi lex divina vel ecclesiastica non ligat personam, sequenda est ratio naturalis: illa autem dictat magis, quod persona quae tenetur restituat pauperibus per seipsam quam per aliam, licet non excludendo consilium alterius boni viri, sed includendo. — *Ib.* n. 32.

De *quinto*, scilicet, *quando*, dico, quod non licet aliquo tempore detinere alienum invito domino, id est nolente, et secundum rectam rationem nolle debente, et per consequens regulariter restitutio est statim facienda, sicut statim cessandum est ab actu cuiuscumque peccati mortalis, non tantum exteriori, sed interiori.

Sed in casibus quandoque licet differre restitutionem exteriorem, posita tamen iam interiori, scilicet, voluntate restituendi, cum occurrerent circumstantiae opportunae. Illi autem casus universaliter continentur sub hac maxima: *Licet detinere rem alienam quando ille cuius est debet velle eam rationaliter detineri.* Sed in quibusdam casibus hoc debet velle aliquis, etiam rationabiliter, scilicet, rem suam detineri ab alio de facto, posita iam restituendi voluntate cum circumstantiis opportunis; ergo. Debet enim velle quilibet restitutionem sibi non fieri tunc quando est in praeiudicium communitatis, vel ipsius recipientis restitutionem, quia debet velle bonum suum, bonum commune, et ita dilationem aliqualem illius restitutionis boni utilis, ut servetur maius bonum. Debet etiam velle non fieri restitutionem tunc quando esset in diffamationem restituentis, quia debet magis velle famam proximi, quam illud modicum commodum suum statim. Consimiliter debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quam modicum incommodum suum vel nullum in illa modica dilatione restituentis. — Ex his sequitur, quod quando esset restitutio damnosa Reipublicae, vel ei cui fit, vel diffamativa restituentis, vel nimis notabiliter damnosa, non tenetur ad statim restituendum, sed sufficit quod statim ex *affectu* restituat, et *actu* restituat cessantibus inconvenientibus hinc inde. — *Ib.* n. 33.

Et ad istam particulam *quando* possunt reduci etiam multi alii casus a praedictis. — Unus specialis est, qui etiam potest reduci ad particulam *quis*, scilicet, quando ablatio fuit *occulta:* tunc non tenetur ablator se prodere, nec per consequens per seipsum restituere, sed per aliam personam secretam et fidelem, et expedit, quod per confessorem, quia sibi est crimen detectum in confessione, et de eius fidelitate, quod restituat fidei suae commissum, satis debet credi. Potest ergo hic differri restitutio, quousque voluntas talis personae et opportunitas habeatur.

Alius etiam est casus quando quis *non potest* reddere, qui etiam posset reduci ad *quis;* quando enim est impotens, pro tunc non tenetur; tenetur tamen post, cum pervenerit ad pinguiorem fortunam. — *Ib.* n. 34. — Cf. *Report.* IV. d. 15. q. 4. n. 23 sqq.

« Per accidens » omne ad « per se » reducitur. — Est autem advertendum, quod *per accidens* reducitur ad *per se* duobus modis: *uno modo* quando illud quod convenit alicui *per accidens*, scilicet, per illud de quo dicitur *per se,* natum est etiam ei de quo dicitur *per accidens per se* convenire: ut clavus fixus in rota movetur *per accidens,* quia per motum rotae quae movetur *per se,* non *ex se;* quia *per se* movetur quidquid est subiectum motus, etiamsi ab aliquo moveatur; *ex se* autem movet quod virtute sua intrinseca ad diversas partes movetur, quod convenit animalibus solum, ut dicitur *VIII. Physic. text. 27 et 28.* — *Alio modo* reducitur *per acccidens* ad *per se,* quando illud quod convenit alicui *per accidens,* per illud scilicet cui *per se* convenit, non est natum ei, de quo dicitur *per accidens, per se* convenire: ut color movetur ad motum corporis, qui tamen per se non est natus moveri. — *De Rer. Princ.* q. 10. n. 28.

Perfectibile naturaliter appetit suam perfectionem. — Cum perfectio sit aliquo modo finis perfectibilis, *II. Physic.* text. com. 23, quia est finis motus, ideo ponitur *desiderium naturale perfectibilis ad perfectionem.* — *QQ. Metaph.* l. I. q. 2. n. 5. — Cf. ib. Prol. nn. 2 seqq.

Perfectio inferioris continetur in superiori. — Quod est perfectionis in inferiori est eminentius in superiori eiusdem rationis et generis. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 26. — Aliqua perfectio inferioris potest contineri in superiori, aliqua vero non; quia si fieret summa voluntas, eodem modo se haberet ad beatitudinem sicut infima, quia utraque eodem modo se habet ad suam beatitudinem, licet illa sit maioris beatitudinis capax; et tunc ut sic considerando utramque praeter habitum illum, tunc summa est simpliciter magis imperfecta, quia quando aliquid est aptum ad maiorem perfectionem, si ea careat, tanto est imperfectius; nec illa perfectio, per quam hoc debetur inferiori, est quod sit summa, vel in superiori unitive, quia illa voluntas infima non esset eius capax. — *Ib.* IV. d. 49. q. 11. 12. — *Report.* ib. q. 10. n. 10. — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 6. — *Quodlib.* q. 6. n. 8.

Perfectionem inter et perfectibile proportio sit oportet. — Illa propositio, quod *proportio est perfectionis et perfectibilis,* si intelligatur secundum proportionem *praecisam,* scilicet, quod perfectius perfectibile capax est maioris perfectionis, falsa est; imo totum perfectibile in communi respicit totam perfectionem in communi, et quodlibet quamlibet. — Habet tamen ista propositio probabilitatem de *subiectis* et *accidentibus* naturalibus quae causantur ex eis, quia secundum perfectionem causae activae totalis est perfectio effectus. — Nullam tamen probabilitatem habet de *formis substantialibus* et *materia,* quia aliquando recipitur forma perfectior in perfectibili imperfectiori, quia dat simpliciter perfectionem maiorem et priorem. — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 11.

Perfectioni nobiliori nobilius correspondet perfectibile tamquam proprium. — Posset concedi de perfectibilibus et perfectionibus *eiusdem ordinis;* non autem comparando perfectibile perfectioni unius ordinis ad aliud perfectibile perfectione *alterius ordinis.* Et intelligo hic perfectiones *alterius* ordinis *actum primum* et *actum secundum.* Et sic inferendo, non sequitur, nisi quod essentia si habeat aliquam perfectionem quae sit actus *primus,* illa erit perfectior quacumque perfectione quae est *actus secundus.*

Aliter, et quasi redit in idem, quod *simpliciter nobiliori perfectibili correspondet nobilior perfectio.* Verum est in illo ordine perfectionum quae respiciunt illud perfectibile. Si autem compares ordinem perfectionum ad ordinem perfectibilium, concedo, quod perfectibili simpliciter nobiliori correspondet perfectio simpliciter nobilior intrinseca *vel* extrinseca; sed *determinate* de *extrinseca* non oportet concedere, si istud sub ea ratione sub qua est nobilissimum perfectibile non est capax perfectionis accidentalis. — *Oxon.* IV. d. 49 q. 2. n. 17.

Perfectio omnis simpliciter simplex est communicabilis. — *Omnis perfectio simpliciter est communicabilis pluribus.* — Probo: perfectio simpliciter est quae melius est ipsum esse quam non esse. Anselmus, *Monol.* cap. 15. Quod sic intelligitur: quod perfectio simpliciter est melius quocumque sibi incompossibili in quolibet supposito absolute considerato, hoc est non determinando in qua natura sit illud subsistens. — *Oxon.* I d. 2. q. 7. n. 39. — Ex hoc sequitur, quod nulla perfectio simpliciter sit formaliter incommunicabilis; quia quod est formaliter incommunicabile est formaliter incompossibile cuilibet alteri, considerando etiam illud sub ratione *suppositi*, non includendo *naturam* cuius est illud. Quia quod repugnat alicui, cum ut sibi repugnat destruat ipsum, et sic non est melius ipsum quam non ipsum: quod autem est de se incommunicabile repugnat cuilibet etiam sub ratione *suppositi*: ergo non est melius illi, etiam ut consideratur sub ratione *suppositi*, quam non ipsum. — Habemus ergo istam: quod *nulla perfectio simpliciter est formaliter incommunicabilis.* — *Quodlib.* q. 5. n. 14. — Cf. DISTINCT. *Perfectio simpliciter.*

Perfectorum unumquodque a meliori ipso perficitur. — Suscipiens illud, si est eius perfectio, perfectius fit *secundum illam perfectionem*, non perfectius *secundum suam essentiam;* materia enim ita perfecta est *materia* quando non habet formam sicut quando habet; non tamen ita perfecta *perfectione formae*, quae est aliquo modo etiam eius perfectio, sicut forma informati, non sicut *intrinseca* perfectio intra essentiam eius. — Adhuc minus est subiectum perfectum recipiens accidens.

Iuxta hoc nota, quod nunquam minus nobile, propter coniunctionem cum nobiliori, nobilitatur *in se:* nec materia propter coniunctionem cum forma, nec sensus propter coniunctionem cum voluntate, plusquam sine illis essent. — Tamen dupliciter nobilitatur aliquid: uno modo nobilitatione illius cui coniungitur, quae nobilitatio est eius aliquo modo, eo, scilicet, modo quo illud nobilius est causa vel perfectio minus nobilis. — Secundo modo natura facit dispositiones vel minus nobilia propter nobiliora, et ideo facit ea sicut congruunt coniunctioni cum perfectioribus; non congruerent nisi in se fierent perfectiora quam si deberent remanere sola. Ideo sensus etiam in se nobilior in homine quam in pecore. — *Theor.* XXII. c. 9. n. 2.

Perfectius nihil est ex hoc quod diuturnius (I. *Ethic.* c. 6). — Explicatur de albo unius diei et unius anni. Quod omnino verum est de perfectione permanente, quia tali accidit tempus, vel quaecumque duratio maior vel minor. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 6. n. 1. — *Report.* ib. q. 5. n. 2.

Perfectum continet imperfectum sui generis. — *Perfectum semper continet imperfectum sui generis propinquioris,* non *remoti* (continet, dico, *virtute* quantum ad actum *primum* respectu *subiecti*, et quantum ad actum *secundum* respectu *operationis*, ut patet et in quantitate, et in omnibus perfectis ordinatis essentialiter) si sunt in eodem genere *propinquo*, et *essentialiter ordinata*, quia absque hoc identitas generis propinqui non sufficeret. Non enim perfectum sensitivum asini vel muscae potest dare sensitivum equi, quia unum ad alterum non ordinatur. Dico autem *genere propinquo*, quia calidum non perfectum non continet imperfectum coloris vel substantiae vel quantitatis, sed imperfectum sui generis. — *De Rer. Princ.* q. 11. n. 10. — * Verum * perfectius nunquam continetur in minus perfecto. — *Oxon.* I. d. 8. q. 3. n. 4.

Perfectum est unumquodque quod potest producere sibi simile. — Propositio * haec * habet veritatem ubi aliud simile est factibile. — Propositio illa fallit quando productum aliquod est ita perfectum, quod ad sui productionem requirit causam *aequivocam*, et hoc est propter perfectionem; sic est in Angelo. — Similiter in *univocis* deficit quando est in potentia passiva tantum; lapis enim *durus*, quantumcumque perfectus, non potest generare sibi similem, quia tantum habet potentiam passivam ad resistendum; durum enim est quod resistit impellenti, sed non habet principium agendi qualitatis activae. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 1. n. 15. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 10. n. 6.

Propositio Philosophi vera est in illis ubi non repugnat naturae communicari a simili in specie; sed non quodcumque perfectum in specie posset communicare naturam; quia ipsa natura non est communicabilis extra ab aliquo simili in specie. — Et *si arguas:* saltem illa erunt perfectiora quae possunt communicare suam speciem, quam quae non possunt; *respondeo,* quod immo in proposito imperfectiora, quia propter perfectionem naturae est, quod non potest communicari nisi ab agente perfectissimo, et modo communicandi convenienti soli primo agenti: perfectius est autem habere talem naturam sic perfectam, quae propter sui perfectionem non potest produci nisi ab ipso Deo immediate, quam habere naturam possibilem communicari a natura creata propter sui imperfectionem. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 25. — *Theor.* XXIII. n. 1.

Perfectum imperfecto repugnat. — Inter perfectum et imperfectum *eiusdem* generis est *formalis* repugnantia, propter quam unum potest aliud corrumpere. Sed inter perfectum unius generis et imperfectum *alterius* generis non est nisi tantum repugnantia *virtualis,* sicut *prius* repugnat *opposito posterioris,* et *posterius opposito prioris.* — *Oxon.* IV. d. 12. q. 4. n. 29.

Perfectum natum est producere summum simile sibi. — Verum est, ita summum simile sibi sicut potest produci. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 8.

Perfectum simpliciter est independens. — Verum est, quod simpliciter perfectum est omnino independens; quia sicut est primum perfectione, ita generatione, *IX. Metaph.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 4. n. 18.

Permanens quodcumque et sempiternum ad quodcumque aliud permanens et sempiternum semper et necessario habet eamdem habitudinem. (Philosophus). — Oportet negare istam propositionem in agente *voluntarie;* quia voluntate antiqua et immutabili potest *difformiter* agere in passum antiquum, et esse immutabile in se. — *Oxon.* IV. d. 48. q. 2. n. 18. — Cfr. *Report.* ib. n. 21.

Personis Divinis quod convenit secundum substantiam non distinguitur in eis. — *Quod convenit Personis Divinis secundum substantiam non distinguitur in eis.* Nunc autem, secundum Augustinum, *V. De Trinit.* c. 6., *quaerimus secundum quid Patri sit aequalis Filius; non autem secundum hoc, quod ad Patrem dicitur Filius; restat ergo, ut secundum illud quod ad se dicitur sit aequalis.* — *Quodlib.* q. 6. n. 23. (Obiect.). — Dico, quod haec praepositio, *secundum,* quando fit comparatio ad praedicatum respectivum non semper notat suum casuale esse rationem *formalem* ultimatam inhaerentiae praedicati, sed communius, vel saltem communiter, notat ipsum esse rationem *fundamentalem;* dico enim, Socratem *secundum albedinem* esse similem Platoni, cum tamen *albedo* non sit ratio *formalis proxima* essendi similem Platoni, sed *similitudo* essendi *similem,* sicut *albedo* essendi *album.* Pro tanto tamen hoc conceditur, quia albedo est ratio *fundamentalis* similitudinis.

Dico tunc, quod Augustinus intelligit ibi, quod aequalis est Patri Filius secundum *substantiam,* quia *paternitas* et *filiatio* non sunt proprie rationes *fundamentales* ipsius aequalitatis, sed aliquid quod est *commune* eis et aliquid quod est *ad se.* — Quando ergo accipitur: *Illud quod dicitur secundum substantiam in Personis non numeratur in eis,* ista est vera prout ly *secundum* notat *proximam rationem formalem.* — *Ib.* n. 27.

Phantasma se habet ad intellectum sicut sensibilia ad sensum. — Illa auctoritas *III. De Anima* debet intelligi quoad *acquisitionem* intellectionis, et hoc *per se* et *primo;* sed quoad *usum* non est intelligendum. — Et ratio est, quia intellectus potest uti forma prius acquisita, licet illa non habeantur quae prius necessaria erant ad acquirendam illam formam: non sic sensus, loquendo de sensu exteriori, potest uti aliqua forma prius acquisita, quia non est conservativus speciei prius receptae ad posterius operandum.

Aliter posset dici, quod haec propositio intelligitur pro *statu isto:* quia intellectionem istam nobis convenientem per experientiam non novit Philosophus, nisi pro statu isto, quia nullam aliam experiebatur. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 1. n. 9. — *Report.* ib. q. 2. n. 15. — Pro tanto est simile, quia sicut

nos non possumus sentire nisi ad praesentiam sensibilis, sic nec intelligere communiter nisi phantasma sit in actu suo. Tamen phantasma non est obiectum intellectus sicut sensibile sensus. — *De Anima*, q. 19. n. 9.

Illa comparatio Philosophi debet intelligi inquantum ad *primam motionem* intellectus ab obiecto: ibi enim phantasmata cum intellectu agente habent vicem primi obiecti moventis. Sed non debet intelligi quantum ad *omnem actum* sequentem motionem primam: potest enim intellectus abstrahere obiectum inclusum in aliquo primo movente, et considerare illud abstractum, non considerando illud a quo abstrahit; et considerando illud sic abstractum, considerat commune sensibili et insensibili, et in illo considerat insensibile in universali, sicut et sensibile. Et potest considerare istud abstractum, et aliud abstractum, cum quo fit proprium alteri, scilicet, insensibili. — Sed sensus non est abstractivus, et ideo in omni actu tam *primo* quam *secundo* requirit aliquod obiectum primum movens, quomodo non se habet phantasma ad intellectum. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 19.

Ratio est ex intellectu nostro, qui pro statu isto est passivum determinatum ad determinatum activum, ut ad phantasmata et intellectum agentem; et ideo impeditur, ne possit recipere immediate immutationem ab aliquo actu intelligibili sine phantasmate, quia *phantasmata se habent pro* statu isto *ad intellectum* nostrum *sicut sensibilia ad sensum*, quoad hoc, scilicet, ut sicut sensus non immutatur primo nisi a sensibili extra, sic nec intellectus noster prima immutatione immutatur nisi a phantasmate. Unde autem hoc sit, tactum est *dist. 3. primi*, scilicet, ex ordine potentiarum, qui ordo non est mere ex natura hominis unde homo, quia tunc non esset alius ordo in beatitudine; vel igitur ex culpa, vel ex isto statu propter aliquid pertinens ad culpam, cuius causa quaeratur. — *Oxon.* II. d. 11. n. 4.

Phantasia non proprie movet neque intellectum, neque aliquid in ipso imprimit; sed tantum portat aut repraesentat sibi obiectum, quo praesente, intellectus ex virtute sua activa elicit suum actum; sicut praesente sensibili, sensus actum elicit sentiendi; et in hoc est convenientia: non quia phantasmata sint *obiectum* intellectus, sicut sensibilia sensus, quae imprimunt, secundum aliquos, speciem sensibilem in sensu; tamen requiritur phantasma ad intelligendum obiectum; quia sicut quidditas absoluta, vel universale, quod est directum obiectum intellectus, non habet esse existens nisi in singulari, ut homo in Socrate, ita non potest repraesentari intellectui secundum speciem intelligibilem pro statu viae, nisi in praesentatione similitudinis ipsius singularis, quod fit in phantasmate. — *De Anima*, q. 11. n. 5. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 14. n. 7. — *QQ. Metaph.* l. II. q. 3. n. 4. — Vid. *Intellectu (in) nihil est quin prius fuerit in sensu = Sensibilia sicut ad sensum, sic phantasmata ad intellectum.*

Phantasmate (sine) intellectio perfectior intellectione cum phantasmate. — Cum arguitur, quod *intellectio sine phantasmate est perfectior intellectione cum phantasmate*, dico, quod verum est *permissive*, sed non *formaliter* et *positive; permittit* enim intellectio sine phantasmate et compatitur secum maiorem perfectionem et nobiliorem intellectum quam sit intellectus humanus, quia angelicum et divinum; sed non *ponit*, de ratione formali, perfectionem maiorem, nec tantam. *Exemplum* huius est de *animali*, quod *permittit* secum perfectionem maiorem quam sit speciei perfectioris, ut animalis *rationalis*, in quo essentialiter salvatur; non tamen *ponit* ex se formaliter maiorem, neque tantam, quia *species* aliquam perfectionem addit essentialiter supra *genus* suum, cum sit posterior secundum naturam, et posterioria dicuntur per appositionem ad priora, secundum Philosophum, *IV. Physic.* A simili in proposito, intellectio sine phantasmate *permittit* maiorem perfectionem quam sit in intellectione cum phantasmate; non tamen *ponit* formaliter maiorem. — Unde si accipiatur illa propositio, quod intellectio quae est sine phantasmate est perfectior *absolute*, est falsa; forte enim intellectio cum phantasmate et sine phantasmate, sive in eadem specie sive in diver-

sis speciebus, ut homine et Angelo, sunt eiusdem speciei; et ita neutra simpliciter perfectior altera; sed se habent in aliquibus sicut *excedentia* et *excessa*.

Similiter, ex hoc quod aliqua operatio est sine instrumento illo quod prius ad suum esse et fieri necessario concurrebat, non est ex hoc perfectior, si essentialiter dependebat aliquo modo ut ex causa: phantasmata autem respectu intellectionis ad causandum eam non habent nisi rationem *instrumenti*. — *Report.* IV. d. 45. q. 2. n. 8. — *Oxon.* ib. q. 1. n. 6.

Phantasmate (sine) nihil intelligimus.
Phantasmatibus (in) quod quid est speculamur. } Vid. *Intellectu* (in) *nihil est quin prius fuerit in sensu.*

Philosophari melius est quam ditari. — Licet melius sit philosophari quam ditari, non tamen *indigenti*, ut dicitur *III. Topic.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. l. c. 2. n. 30.

Pluralitas minor immediatior unitati quam maior. — Quando accipitur, quod *unitati immediatior est minor pluralitas quam maior*, respondeo: potest intelligi *maior* vel *minor intensive* vel *extensive*, intelligendo sic *intensive* quantum ad minorem *rationem distinctionis*, sicut minus distinguitur *medium* ab *extremo* quam *contrarium* a *contrario*: minus *extensive*, sive minor distinctio, sive minor pluralitas, est quae est *maior paucitas*, sicut *ternarius* est minor pluralitas *quaternario*. — Hoc modo * propositio * est vera: quia *unitati* immediatior est *binarius* quam *quaternarius*; et tamen binarius non est minor pluralitas *intensive* quam ternarius, quia intensive tanta distictione distinguuntur *duae* unitates in binario, quanta *tres* in ternario. — *Extensive* verum est, quia ab unitate procedunt pluralitates sive distinctiones *ordinate*, ita quod semper minor numerus extensive sive numeraliter est propinquior unitati, quae est principium. — *Quodlib.* q. 2. n. 30.

Si tamen loquamur de maiori vel minori distinctione vel pluralitate *intensive*, adhuc potest intelligi dupliciter: quia aut intelligitur *per se*, quantum ad *formalem rationem distinctionis* extremorum, aut *per accidens*, quantum, scilicet, ad *maiorem* et *minorem entitatem* et *incompossibilitatem* eorum quae distinguuntur. *Exemplum: Socrates* et *Plato* magis distinguuntur quantum ad *realitatem* et *incompossibilitatem* extremorum quam istae duae intentiones, *genus* et *species*, quia istae duae possunt concurrere in eodem, ut in *colore;* et minor est *entitas* istorum extremorum, *genus* et *species*, quam istorum, *Socratis* et *Platonis*.

Si autem intelligitur de minore distinctione *materialiter*, forte posset alicubi habere veritatem; quia alicui uni primo immediatior est distinctio *rationis* quam *rei;* et minor est distinctio *rationis*, quantum ad *entitatem* extremorum et *incompossibilitatem* distinctorum, quam distinctio *realis*.

Secundo autem modo de ista maioritate *intensive* et *per se*, quantum ad *formalem rationem distinctionis*, est simpliciter falsa; quia oportet, quod uni primo, a quo procedit aliqua distinctio, sive sit *rei*, sive *rationis*, *immediatissima* sit aliqua distinctio *alterius* rationis, quia aliqua finita, et quia illa quae est alterius rationis est primo finita. Et hoc patet, quia, secundum communem opinionem, ubi *unitatem realem* sequitur immediate distinctio *rationis*, ibi ista ratione distincta habent distinctionem *alterius* rationis, non eiusdem; et illa est maior secundum formalem rationem distinctionis, licet sit minor duplici modo, et maioris paucitatis, et minoris realitatis, et incompossibilitatis in extremis. — *Ib.* n. 31.

Pluralitas non est ponenda sine necessitate. — Omnis pluralitas reducitur ad unitatem, vel ad paucitatem tantam, ad quantam reduci potest. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 18. — *Nunquam pluralitas ponenda est sine necessitate.* — *Ib.* n. 36. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 10. — Pluralitas non est ponenda nisi ubi est necessitas. Necessitas est quando perfectio naturae hoc requirit. — *Ib.* d. 3. q. 6. n. 12. — Plura non sunt ponenda sine necessitate, et accipitur a Philosopho, I. *Physic.* — *Ib.* IV. d. 45. q. 2. n. 5. — Quia in *naturalibus* frustra ponuntur plura ubi omnia aeque bene possunt salvari paucioribus. — *Physic.* VIII. exp. text. 48. n. 22.

— Etiam in *creditis* non sunt plura ponenda sine necessitate, nec plura miracula quam oportet. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 14. — Sicut non sunt ponenda plura sine necessitate, ita quando aliquid ponitur *praecise propter aliquid*, non est illud ponendum perfectius quam requiratur ad illud aliud, vel quam possit ex illo concludi; nam illa perfectio ulterior, quae poneretur, frustra poneretur. — *Ib.* d. 6. q. 10. n. 3. — Vid. *Frustra fit per plura*, etc.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus. — Quia vehemens occupatio circa illud obiectum impedit intense operari circa istud. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 2. n. 11. — Quia anima pluribus actibus non potest simul aeque perfecte esse intenta. — *Ib.* d. 4. q. 7. n. 5. — Quia experimur, quod attentio circa plura obiecta est minus perfecta. — *Ib.* III. d. 14. q. 2. n. 20. — Et distractio potentiarum animae circa diversa obiecta impediunt operationes earum. — *Ib.* IV. d. 45. q. 1. n. 7. — Cf. ib. III. d. 15. n. 35.

Poena omnis est involuntaria. — *Omnis poena est involuntaria.* — Verum est, secundum se, comparando ad voluntatem sequentem affectionem *commodi;* tamen potest esse voluntaria voluntate *antecedente*, scilicet, voluntària applicatione causarum ad quas sequitur. — Potest etiam esse voluntaria voluntate iusta *acceptante;* et hoc voluntate sequente affectionem *iustitiae;* quia sic acceptat quidquid habet ordinem ad per se volendum iuste. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 13. — Cf. *Report.* ib. n. 9. — *Oxon.* IV. d. 21. q. 1. n. 2.

Poena ordinat culpam. — *Culpa* regulariter *per poenam ordinatur*, etsi non tollatur. Et hoc est quod dicitur communiter, et accipitur a Boetio, *lib. IV. De Consolatione Philosophiae*, *prosa* 4, quod poena est ordinativa culpae, ita quod non potest relinqui in universo aliqua culpa, cui non correspondeat poena ordinativa; et simpliciter melius est peccatorem non correctum esse in poena quam sine poena, quia in primo est aliquid boni, scilicet, correspondentia iusta poenae ad culpam; sed in secundo esset tantum malitia, scilicet, culpa, et impunita. — Nec tamen intelligo, quod hic sit simpliciter necessitas, cuius oppositum includit contradictionem, quia ex quo non est idem essentialiter Deum *remittere culpam* et *punire eam*, videtur, quod Deus posset unum separare ab altero. Sed de *potentia ordinata* ista est via universaliter praefixa a lege divina, ordinante, scilicet, peccatum puniri per poenam, tamquam per proprium correspondens. — *Oxon.* IV. d. 14. q. 1. n. 9. — *Report.* ib. n. 8.

Posteriori multiplicato multiplicatur et prius. — * Haec est * falsa in omnibus ordinatis essentialiter, ex forma, licet gratia materiae quandoque sit vera; et similiter in omnibus non aeque illimitatis. — In nullo enim ordine essentiali ex propria ratione *prioris* et *posterioris*, oportet ipsa multiplicari, sed potest stare multiplicatio *posterioris* sine multiplicatione *prioris*, sed non e converso. — Similiter quandocumque aliqua duo comparantur ad aliquod tertium quod est illimitatum, eo modo quo illa duo non sunt illimitata, non oportet condistingui in eis. — *Exemplum:* anima intellectiva comparatur ad partes, quia quodammodo est illimitata eo modo quo partes non sunt illimitatae; non oportet animam distingui in distinctis partibus. — *Oxon.* I. d. 26. n. 38.

Posterius dependet a priori, non e converso. — *Prius secundum naturam et essentiam* est illud quod *contingit esse sine posteriore, non e converso.* Quod ita intelligo: quod licet ad prius necessario esset posterius, et ideo sine ipso esse non possit, hoc tamen non est quia ad esse suum egeat posteriori, sed e converso; quia si ponatur non esse posterius, non minus prius erit, sine inclusione contradictionis; non sic e converso, quia posterius eget priori; quam indigentiam possumus *dependentiam* appellare, ut dicamus, *omne posterius* essentialiter a priori necessario dependere, non e converso, licet quandoque posterius necessario sequatur illud prius. — *De Primo Princ.* c. 1. n. 2. — Cf. *QQ. Metaph.* l. X. q. 1. n. 4. — Vid. *Prius ubi est, et posterius.*

Posterius generatione est prius corruptione. — Illa propositio non est vera nisi de his

quae sunt ordinate in generatione et corruptione pertinente ad idem genus, cuiusmodi sunt formae ordinatae, secundum ponentes plures formas; ibi enim forma universalior sicut prius advenit materiae, ita posterius discedit. — Sed de subiecto et propria qualitate consequente secundum illum gradum, secundum quem est necessarium substantiae, falsum est: immo ista qualitas et posterius inducitur et posterius corrumpitur. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 26.

Posterius generatione est prius perfectione. — Secundum Philosophum, *IX. Metaphysicor.* (1) *posteriora generatione sunt priora perfectione:* quod verum est de priori quod est simpliciter immediatius ultimo, quod ultimum est simpliciter perfectum. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 4. n. 5 et 16. — *Report.* ib. q. 2. n. 6. — Illa regula Philosophi intelligitur quando *prius* et *posterius* sunt in *eodem* genere, puta in genere operationis, sicut visio et fruitio, vel in genere passionum. Non igitur tenet propositio Philosophi in *diversis* generibus; quia substantia prior est generatione accidentibus, non tamen accidens est perfectius substantia; et ita in diversis generibus communiter oppositum illius propositionis est verum. Dico *communiter,* non dico *semper,* quod sit, sicut hic comparando visionem ad fruitionem, licet sint in genere operationis, ut transcendenter accipitur *operatio,* non tamen in eodem genere *proximo,* quia una est in genere *apprehensivi,* et alia in genere *appetitivi.* — *Report.* IV. d. 49. q. 6. n. 6.

Simpliciter in eodem genere sunt perfectiora posteriora prioribus, et hoc posteriora generatione: ut si plures formae substantiales sunt in eodem supposito, ultima est perfectissima. — Sed si accipiatur in *alio genere prius* et *posterius,* frequenter sunt perfectiora posteriora, non tamen semper: ut post ultimam formam substantialem sequuntur accidentia, quae tamen sunt imperfectiora. — *Oxon.* ib. q. 7. n. 5. — *Quodlib.* q. 13. n. 18. — *De Primo Princ.* c. 1. n. 2. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. 3. c. 1. n. 73. — Vid. *Generatione priora sunt posteriora perfectione.*

(1) Cfr. exposit. Doctor. n. 36.

Posterius essentialiter non potest esse sine priori essentialiter. (*V. Metaph.* cap. *De Priori*). — Dico, quod *prius* et *posterius* possunt intelligi vel *actualiter,* vel secundum *aptitudinem.* — Si accipias uniformiter, concedo, quod posterius naturaliter non potest esse sine priori; sed si accipias, quod posterius secundum *aptitudinem* non potest esse sine priori *actualiter,* nego; quod enim est prius *aptitudinaliter, si non sit,* non est prius; si etiam sit, et *tollatur dependentia* posterioris ad ipsum per aliquid aliud prius utroque, nec sic est actu prius. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 26. — *Report.* ib. n. 9. — Illud habet veritatem quando prius est *de essentia* posterioris, sicut *animal* de essentia *hominis.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. 1. c. 1. n. 5. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 2. n. 10.

Posterius quod non est priore, nec posterius posteriore. — *Quod non est posterius priore, nec posterius posteriore.* — Ex ista sequitur, quod illud quod non dependet a priori, nec a posteriori; et ultra, quod non est causatum causae prioris, nec posterioris, quia posterior in causando dependet a priori causante. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 1.

Potentia activa naturalis est determinata ad unum. — Quaecumque alia potentia activa * a voluntate * est *naturaliter* activa, et ita determinate unius, quantum est de se: unius, inquam, partis contradictionis, ita quod licet sit indeterminate activa respectu multorum disparatorum, sicut sol est causa multorum effectuum hic inferius, tamen loquendo de quacumque una contradictione, causa quaecumque talis est determinata ad unam partem. — *Voluntas* autem sola habet indifferentiam ad contradictoria, et talem, quod ipsa est sui determinativa ad alterum eorum, *ex IX. Metaph.* c. 4; aliter simul ageret contraria. — *Quodlib.* q. 18. n. 9. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IX. q. 15 per tot. — Vid. *Causa naturalis est determinata ad unum.*

Potentia cognoscens assimilatur cognito. — Aliud est loqui de modo *essendi* ipsius potentiae in se, et aliud est loqui de ipsa inquantum est sub *actu secundo,* vel *dispo-*

sitione proxima ad actum secundum, quae sit aliud a natura potentiae. — Nunc autem, quod potentia *cognoscens assimilatur cognito*, verum est per actum suum *cognoscendi*, qui est quaedam obiecti similitudo, vel per *speciem disponentem de proximo ad cognoscendum*. — Sed ex hoc concludere ipsum intellectum in se habere naturaliter modum *essendi* similem modo *essendi* obiecti, vel e converso, est facere fallaciam *accidentis* et *figurae dictionis*, sicut non sequitur: *aes assimilatur Caesari, quia per figuram inductam; igitur aes in se habet similem modum essendi modo essendi Caesaris*; vel magis ad propositum: *oculus videns per speciem obiecti assimilatur obiecto; ergo visus habet similem modum essendi modo essendi obiecti*. — *Oxon*. I. d. 3. q. 3. n. 4.

Potentia cuius est et actus. — Illud Philosophi, *De Somno et Vigilia, Cuius est potentia eius est actus*, intelligitur *subiective*, ita quod cuius subiective est potentia, eius subiective est actus. Probat enim ex illa propositione, quod sicut actio sentiendi est compositi, ita et potentia, et non animae tantum. — Tamen vera est etiam propositio eiusdem, quod eiusdem *obiective* est potentia et actus. — *QQ. Metaph*. l. I. q. 6. n. 11. — Cfr. *Physic*. III. q. 8. n. 9.

Non oportet actum esse eiusdem *formaliter* cuius potentia est formaliter, nisi tantum in *passivis* vel *activis stricte* sumptis contra *factivas*; sensus autem, de quo et cuius actu ibi *loquitur*, aut est passivus, aut activus stricte. — Aliter posset dici, quod loquitur de *potentia* ut est *principium*, sicut patet consideranti intentionem eius, non de *potentia* opposita *actui*. — Sed ista secunda responsio non sufficit sine prima, quae dicit in *quibus* actus est eius cuius est potentia; in *factivo* autem non est eius, nisi subiecti *denominabilis* tantum. — *QQ. Metaph*. l. IX. q. 4. n. 11.

Cum dicitur, *eius est actus cuius est potentia*, dico, *quod* cuius est potentia ut subiecti *per se* eius erit actus; cuius tamen est potentia ut subiecti *per accidens*, non oportet, quod eius sit actus, nec *per se*, nec per *accidens*; nam privatio et forma opposita sunt in potentia per accidens ad formam quae est terminus motus, et tamen nec privatio, nec forma opposita manet sub actu. Et hoc, quia non est alia potentia earum, quam potentia ipsius materiae.

Verumtamen, propter intellectum illius propositionis, est sciendum, quod sicut aliquid se habet ad *potentiam*, sic se habet ad *actum*, et si *per accidens* se habet ad potentiam, *per accidens* se habet ad actum. Et intelligendum, quod aliquid potest per accidens accidere illi quod per se est in potentia ad actum, vel illi ad quod est in potentia. — *Exemplum primi*: nam materiae accidit privatio, et forma opposita. — *Exemplum secundi*: nam formae humanae, ad quam materia hominis est in potentia, accidit esse album, vel musicum. — Quod est in potentia *primo* modo non oportet quod sit sub actu nec per accidens, nec per se. Sed quod est in potentia *secundo* modo potest esse in actu, licet per accidens. — *Elench*. q. 28. n. 4. — Vid. *Actus cui repugnat, et potentia*.

Potentia cum habitu perfectius et intensius operatur. — Tenendo habitum esse causam partialem respectu actus, erit causa secunda, et non prima, sed ipsa potentia erit causa prima, et absolute non indiget habitu ad operandum; minus tamen perfecte operabitur sine habitu, et hoc posito aequali conatu ex parte potentiae; quia quando duae causae concurrunt ad aliquem effectum, una sola non potest ex se in ita perfectum effectum sicut ambae simul. Et hoc modo salvatur, quod actus sit intensior a potentia et habitu, quam a potentia sola: non quidem quod potentia sit causa *substantiae* actus, et habitus sit causa *intensionis*, quasi duobus causatis correspondeant duae causae, sed quod ambae causae concurrentes possunt producere effectum perfectiorem quam altera sola. Qui tamen effectus, secundum se totum, et ut per se unus, est a duabus causis, sed in diverso ordine causantibus. — *Oxon*. I. d. 17. q. 2. n. 9. — Nulla enim potentia habituabilis potest habere actum ita perfectum sine habitu sicut cum habitu, imo quanto potentia est perfectior, tanto minus potest habere

actum proportionabilem suae perfectioni, si careat omni habitu; quia ex quo est similis proportio geometrica duarum potentiarum inaequalium ad habitus proportionabiliter perfectivos, erit aliqua proportio arithmetica, et ita simpliciter magis deficit potentia perfectior, si non perficiatur per habitum, quam potentia imperfectior. — *Ib.* q. 3. n. 33. — * Ita * habitus charitatis quantum ad substantiam actus dat aliquam *intensionem* ulteriorem, quam eadem potentia et ex aequali conatu dare non posset actui suo. Et quanto potentia creata est perfectior, tanto plus deficit in actu, si non habeat charitatem correspondentem sibi secundum proportionem (dico arithmeticam, quia secundum geometricam est aequalitas); quantum enim deficit voluntas minor, si non habet charitatem sibi proportionabilem, tantum deficit voluntas maior geometrice, si non habeat charitatem sibi proportionabilem. — *Ib.* III. d. 27. n. 19.

Potentia destruitur adveniente forma. — Cum * dicitur * *potentiam destrui in adventu formae,* oportet dicere, quod hoc non intelligitur proprie de ipsa ratione potentiae, sed de quodam respectu concomitante potentiam, quem habet per hoc, quod est ante actum, qui est quaedam prioritas durationis ad actum; non autem includitur per se in ratione potentiae, quia simul ipsa potest esse cum illa prioritate et cum simultate ad actum. — *Oxon.* IV. d. 43. q. 3. n. 16.

Potentiae activae correspondet potentia passiva. — Cum arguitur, quod *omni potentiae activae correspondet potentia passiva,* respondeo: primae potentiae activae non correspondet aliqua potentia passiva, sicut patet de potentia *creandi,* et hoc loquendo *proprie* de *potentia passiva* ut *in quam* vel *de qua* aliquid proprie producitur. — *Oxon.* I. d. 5. q. 2. n. 20. — Correspondet tamen potentia *obedientialis.* — *Report.* ib. n. 14. — * Quae * potentia obedientialis in creatura respicit efficientiam primi efficientis, non aliam potentiam activam. — *Oxon.* III. d. 1. q. 4. n. 2. — Quia potentia obedientialis creaturae respicit omnipotentiam Creatoris, et illa est communis * tribus divinis Personis * — *Quodlib.* q. 19. n. 15.

Potentiae activae primum correlativum est *possibile,* non communiter sumptum, ut opponitur *impossibili,* quia hoc modo possibile est Deum esse, et tamen illud possibile non est terminus alicuius potentiae activae; ergo oportet, quod *possibile,* ut est potentiae activae correlativum, sumatur determinatius, prout opponitur ei quod est *necessarium ex se.* -- *Oxon.* I. d. 20. n. 7. — Cf. ib. IV. d. 1. q. 1. n. 18. — Vid. *Potentiae omni passivae naturali correspondet,* etc.

Potentia eadem nequit esse activa simul et passiva. — Quia irrationabile videtur ponere eamdem potentiam esse activam respectu unius actus sui, et passivam respectu actus alterius, quia ex hoc videtur, quod non est potentia eiusdem rationis; quaecumque enim potentia unius rationis importat similem habitudinem potentiae ad obiectum; visus enim non est activus respectu unius actus videndi, et passivus respectu alterius. Unde quicumque actus unius potentiae habet similem habitudinem potentiae ad obiectum. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 4. — *Report.* ib. q. 2. n. 3.

Non est * tamen * inconveniens aliquid in se includere potentiam activam et passivam, loquendo de potentia activa *formae,* imo hoc est necessarium; sicut enim cuilibet materiae correspondet forma ipsam perficiens, ita cuilibet potentiae passivae correspondet potentia activa, et in eodem in quo est materia et forma; sequitur enim: si forma perficit materiam; igitur perficere potest: sed materia perficitur; igitur perfici potest. Loquendo tamen de potentia activa *efficientis,* et de potentia passiva *materiae,* sic non concurrunt in eodem respectu eiusdem. — *Poster.* I. q. 25. n. 4.

Potentiae distinguuntur per actus, et actus per obiecta. — Hoc autem non est *essentialiter;* quia actus est essentialiter *posterior* potentia, et posterius non est per se ratio distinguendi prius. — *Quodlib.* q. 13. n. 30. — * Imo * hoc non dicit Philosophus, sed quod prius oportet considerare actus quam potentias, et obiecta quam actus, quia sunt priora quoad *cognitionem no-*

stram; tamen actus non sunt principium *essendi* potentiae, vel prius perfectione; immo posteriores, quia sunt effectus potentiarum. Bene igitur sequitur, si obiecta sunt diversa, quod potentiae sint diversae, sed non e converso; nec sequitur, si obiecta sunt idem vel non differunt, quod potentiae non differant; sed est fallacia *consequentis* a destructione *antècedentis;* plura enim requiruntur ad identitatem aliquorum quam ad distinctionem eorum. *Exemplum:* motus distinguuntur penes terminos, ita quod si termini sunt distincti, et motus; sed non sequitur, si terminus sit idem, quod motus sit idem; diversi enim motus specie possunt esse ad eumdem terminum, sicut circularis et rectus, ut vult Philosophus, *V. Physicorum, Text. 33, 34.* — *De Anima,* q. 20. n. 7.

Dicendum * ergo *, quod quaedam sunt potentiae organicae *disparatae* omnino, ut visus et auditus: quaedam sunt potentiae organicae *subordinatae,* ut visus et sensus communis; et de illis habet propositio veritatem. — Aliae sunt potentiae *ordinatae,* non ratione maioris et minoris communitatis obiecti, sed ratione *dignitatis* ipsorum, ut intellectus angelicus et humanus; et de istis non est propositio vera, quia quidquid natum est esse obiectum intellectus angelici natum est esse obiectum intellectus humani. — Aliae sunt potentiae ordinatae, quia actio unius ordinatur ante actionem alterius, ut intellectus et voluntas; et de istis etiam est propositio falsa. — *De Cognit. Dei,* q. 5. n. 6. — * Vel potest dici *, quod illud, *potentiae distinguuntur per actus,* verum est de actibus *adaequatis,* et aliter non; quia potentia illimitata, eadem manens, potest habere plures actus. — *Oxon.* I. d. 6. n. 4.

Non tamen oportet, quod sit tanta distinctio in potentiis sicut in actibus, licet sit aliqua; una enim potentia visiva est plurium colorum. — *Ib.* II. d. 16. n. 21. — Vid. *Actus distinguuntur per obiecta.*

Potentiae distinguuntur per obiecta. — Cum dicitur: *potentiae distinguuntur per obiecta, dicitur,* quod duplex est *obiectum, formale,* scilicet, et *materiale.* — *Formale* est adaequatum potentiae, ut color visui. — *Materiale,* quod non est adaequatum, ut albedo. — Sed non video quin albedo sit obiectum visus ita formale, sicut color. Si enim nullus est intellectus abstrahens hoc universale, quod est *color,* oculus bovis videret album et nigrum: immo color, ut quid commune abstractum, non videtur, sed *hoc album*, et *hoc nigrum,* quorum neutrum est obiectum adaequatum visui; quia nulla potentia habet obiectum adaequatum non abstractum, nisi divinus intellectus, quia nulla res est in qua contineantur omnia perceptibilia a potentia, nisi essentia divina. Obiecta igitur *formalia* in re possunt esse *album* et *nigrum;* sed non est aliquod istorum obiectum adaequatum visivae potentiae.

Dico ergo, quod non omnis distinctio obiectorum formalis facit distinctionem potentiarum; nam manifestum est, quod non oportet tot esse visus quot sunt colores, nec tot esse auditus quot sunt soni: immo Philosophus, *II. De Anima,* ex ratione talis mixtionis in tali organo, puta visus, concludit illam potentiam, puta visum, esse istius obiecti, et non alterius; et pro tanto sequitur, quod distinctio obiectorum facit distinctionem potentiarum, quia *tale* obiectum limitatum et distinctum non percipitur nisi a *tali* potentia, et nunquam ab alia: quae quidem potentia est limitata ad tale obiectum ratione talis mixtionis organi. — Sed aliud est de potentiis *non organicis,* quae sunt abstractissimae, et sunt *totius entis:* unde ibi non habet veritatem propositio illa, quod distinctio obiectorum facit distinctionem potentiarum; sed solum est vera in *organicis* potentiis, quae non sunt abstractivae. — *Oxon.* II. d. 24. n. 6. — *Report.* ib. n. 11. — * Et * dicendum est, quod non ex quacumque diversitate vel unitate *obiecti* vel actus sequitur diversitas vel unitas potentiae, sed ex unitate vel diversitate secundum *genus.* — *QQ. Metaph.* l. I. q. 6. n. 3. — Cf. ib. l. IX. q. 5. n. 7 seqq. — *Quodlib.* q. 13. n. 30 seqq. — * Vel * potest dici, quod dictum Aristotelis verum est; sed non dicit *praecise* potentias distingui per *obiecta,* sed possunt distingui per *diversos modos operandi;* aliter non esset sensus communis distincta potentia a sensibus particularibus; quod est contra Aristotelem, *II. De*

Anima, cont. 14 et circiter; distinguitur enim a sensibus particularibus propter diversum operandi modum circa idem obiectum; quia quod per se cognoscitur ab aliquo sensu particulari per se cognoscitur a sensu communi. — *Super Univers. Porphy.* q. 29. n. 6. — Vid. *Actus distinguuntur per obiecta.*

Potentiae eiusdem est cognoscere principia et conclusionem. — *Eadem potentia cognoscit principia et conclusionem;* aliter nulla eadem potentia cognosceret conclusionem, cum non cognoscatur per se nisi ex collatione ad principium, quia principium * qua tale * non cognoscitur nisi sciatur elici conclusio contenta in illo; et Aristoteles etiam, *II. De Anima,* dicit, quod oportet esse sensum *unum,* qui cognoscat diversa obiecta diversorum sensuum, et diversitatem illorum obiectorum. — *Oxon.* II. d. 24. n. 3. — *Ib.* I. d. 10. n. 10. — Quod si una potentia non cognosceret sensibilia diversorum sensuum, nulla potentia cognosceret differentiam illorum. — *Report.* II. ib. n. 5.

Potentiae eiusdem est velle finem et media. — *Eadem est potentia quae vult finem et illud quod est ad finem;* quia alias nulla esset potentia entis ad finem volens illud propter finem; oportet enim illam esse unam habentem actum circa utrumque extremum, quia actus utendi est per se unus; ergo per se unius potentiae respicientis per se utrumque extremum, sicut Philosophus arguit de cognitione sensus communis in *II. De Anima.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 1. — Nulla enim potentia eligit hoc propter illud, nisi velit utrumque extremum, sicut nulla potentia cognoscit conclusionem propter principium, nisi eadem cognoscat principia et conclusiones (1). — *Ib.* d. 10. n. 10.

Potentiae naturales intensae mutuo se impediunt. — Verum est de facto, quod potentia intenta uni operationi impedit aliam in sua operatione; et hoc verum est naturaliter. Tamen contrarium fuit dispensative in Christo. — *Oxon.* III. d. 15. n. 35. — Et hoc fuit per miraculum, imo miraculum fuit magnum, quod cum vehementi fruitione potuit stare vehemens tristitia in eadem potentia, licet ratione alterius; et similiter, quod delectatio in potentia superiori summa non impediebat dolorem intensum in potentia inferiori. — *Report.* ib. n. 11.

Potentiae omni passivae naturali correspondet aliqua potentia activa naturalis. — Omni potentiae passivae in *ente* oportet ponere aliam activam correspondentem, et ita si passivae novae non correspondet alia activa *creata,* correspondebit sibi immediate *divina.* — *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 21. — Dico, quod non est aliqua potentia passiva creata cui non respondeat potentia activa in natura, ne ponatur passiva frustra; sed diversimode ponitur illa activa in natura secundum *Philosophos* et *Theologos.* Stricte enim accipiendo *naturam activam* pro *natura creata,* quia Aristoteles ponit intellectum immediate induci a Deo, non cuilibet potentiae passivae correspondet propria activa in natura; sed accipiendo *naturam* pro *agente naturali necessitate,* sic Philosophus diceret esse potentiam activam in natura, quia primam causam agentem naturali necessitate in istud passum. Sed Theologi negant etiam in natura esse potentiam activam isto modo; quia Primum dicunt agere in istud non naturali necessitate, sed *libere:* et tunc secundum eos, cum dicitur, *correspondet aliqua activa in natura, natura* debet ibi accipi communiter ad *totum ens.* — Nec etiam ipsi ponunt magis frustra aliquid in *esse* quam Philosophus, quia aeque potest potentia passiva reduci ad actum si reducatur non ab agente creato, sed *increato,* nec naturaliter activo, sed *libere,* sicut si ab agente alio modo poneretur reduci. — *Ib.* q. 3. n. 23. — *Report.* ib. n. 19.

Dicendum * ergo *, quod *cuilibet potentiae passivae correspondet activa,* verum est; non tamen in natura *creata,* etiam secundum Philosophum, ut patet; quia potentia receptiva est in corpore ad animam intellectivam, et tamen tota natura creata non potest eam producere. — Ponit tamen Philosophus aliter quam nos quoad hoc, quod posuit potentiam in natura, Deum, scilicet,

---

(1) *Potentiae eiusdem est cognoscere principia et conclusionem.*

naturali necessitate agentem; sed nos bene ponimus in *toto ente* cuilibet potentiae *passivae* correspondere potentiam *activam;* non tamen activa illa est *naturalis* sicut passiva, imo nunquam est naturalis in Primo Ente *ad extra*, sed semper *voluntaria*. — *Ib.* d. 49. q. 11. n. 12. — Cf. q. 13. n. 14. — *Report.* ib. q. 10. n. 10. — * Seu aliter dico *, quod *natura* quandoque accipitur pro *principio intrinseco motus* et *quietis*, prout describitur *II. Physic.:* quandoque pro *principio activo naturaliter*, prout *natura* distinguitur contra *artem* sive *propositum*, propter oppositum modum principiandi. — *Primo modo* propositio non est vera; quia non correspondet omni passivo naturaliter principium activum, quod sic sit natura, quia multa sunt naturaliter receptiva alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinsecum activum. — *Secundo modo* etiam propositio est falsa in quibusdam, quando, scilicet, natura, propter sui excellentiam ordinatur naturaliter ad recipiendum perfectionem ita eminentem, quod non possit subesse causalitati agentis naturalis *secundo modo* dicti.

Potentia passiva non est frustra in natura, quia licet per agens naturale non possit principaliter reduci ad actum, tamen potest per tale agens dispositio ad ipsum induci, et potest per aliquod aliud agens in natura, id est, in tota coordinatione entium, puta per agens supernaturale, complete reduci ad actum. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 25.

Debet igitur sic illa propositio intelligi, quod cuilibet potentiae passivae naturali correspondet aliqua potentia *naturalis*, vel *libera*, reducens ipsam ad actum; et hoc concedo. — *Report.* IV. d. 43. q. 3. n. 19. — Cf. *Oxon.* IV. d. 12. q. 4. n. 29. — d. 19. n. 12 seqq.

Non igitur omni potentiae passivae naturali correspondet activa naturalis quae possit effective ipsam reducere ad actum, sed sufficit potentiae passivae naturali, quod a natura sua habeat quod possit recipere illam perfectionem ad quam potentiam habet naturalem, et hoc sive ab agente naturali, sive supernaturali: sicut homo de natura sua habet potentiam ad fidem et charitatem; non tamen potentiam habet qua de natura sua tantum et ex virtute propria effective possit eam habere, sed a Deo gratiam infundente. Unde Augustinus, *De Vera Religione:* posse *habere* fidem et charitatem est de natura fidelium; *habere* autem est gratiae. — *De Anima*, q. 15. n. 9. — Vid. *Potentiae activae correspondet*, etc.

Potentiae operatio perfectissima est circa primum eius obiectum. — Cum dicitur: *perfectissima operatio potentiae est circa primum obiectum eius*, verum est: non primum *adaequatione*, sed primum *perfectione*, quod, videlicet, est perfectissimum contentorum sub primo obiecto adaequato. Et ideo dicit Philosophus, *X. Ethicor.*, quod delectatio perfectissima est in operatione circa optimum omnium eorum quae sunt sub potentia, hoc est, circa optimum contentum sub obiecto adaequato illius potentiae. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 30.

Potentiae perfectae in quoscumque possunt actus. — Omnis potentia perfecta potest tendere in omne illud quod est natum esse obiectum talis potentiae. — *Oxon.* I. d. 39. n. 15. — * Tamen * haec propositio est falsa: *potentiae perfectae in quocumque possunt in actus suos;* hoc enim solum est verum de imperfecto quod est in potentia ad terminos actionum illarum potentiarum; sed si ab aliquo agente praeveniente illas potentias inducti sunt termini, ad quos possunt esse actiones istarum potentiarum, non potuerunt agere ad illos terminos: non propter imperfectionem sui, sed propter positionem termini ab alio; nec propter hoc sunt negandae esse in natura, quia sunt simpliciter perfectiones naturae, sive illa habeat terminos perfectionis ab illis, sive aliunde. — *Oxon.* III. d. 14. q. 3. n. 3.

Potentia est ante actum. — Dico, quod *est potentia ante actum*, non *ante duratione*, sed *ante naturae;* quia illud quod praecedit naturaliter istum actum, ut praecedit actum naturaliter, posset esse cum opposito illius actus; et tunc negandum est, quod omnis potentia est cum actu vel ante actum, intelligendo *ante* pro prioritate *durationis;* vera autem est intelligendo *ante* pro prioritate *naturae*. — *Oxon.* I. d. 39. n. 19. — Quia

potentia *receptiva* non oportet quod praecedat *duratione* actum, sed tantum *natura.* — II. d. 9. q. 2. n. 30. — Omnem * autem * potentiam praecedit actus *tempore;* quia etsi sit circulus in prioritate actus ad potentiam, et e converso, tamen status est ad eum qui est semper movens primum. — *Ib.* IV. d. 49. q. 4. n. 18.

Potentia et actus dividunt omne genus. — Verum est, quod *potentia et actus dividunt quodlibet genus entis,* et etiam quamlibet speciem, et tunc totum ens creatum. Unde prima divisio entis creati est, quod est vel ens *actu,* vel *potentia:* sic de substantia et omni re, quia nullo modo alio cadit aliquid sub ens. Sed in tali divisione non accipitur *potentia* pro potentia *agente* vel actum eliciente, sed pro potentia quae actione agentis fit ipsum ens actu. — *De Rer. Princ.* q. 11. n. 33.

Potentia et actus sunt eiusdem generis. — Vera est ut *potentia* est differentia *entis* condividens ens contra *actum;* quia sic *ens* in communi non tantum dividitur per *actum* et *potentiam,* sed etiam quodcumque genus *entis,* et quaecumque species et individuum; quia sic *eadem albedo* * ex. gr. * est in *potentia,* et postea in *actu.* Et hoc modo ad idem genus pertinent actus et potentia. — Sed de *potentia* ut est *principium* ista propositio est falsa, quae dicit, quod *potentia est eiusdem generis cum actu;* potest enim forma substantialis esse principium actionis de genere *actionis,* et actionis de genere *qualitatis.* — *Oxon.* I. d. 7. n. 21. — Nam *potentia* uno modo est *principium operandi,* et sic dividitur in potentiam *activam* et *passivam, V. et IX. Metaph.* Alio modo accipitur ut dividitur contra *actum;* et hoc modo potentia et actus non sunt tantum eiusdem speciei, sed etiam eiusdem numeri, ut dicitur *IX. Metaph.;* illud enim individuum quod nunc est in *actu,* illud idem fuit in *potentia.* — *Potentia* autem *primo modo* est *principium transmutandi aliud inquantum aliud,* vel *ab alio inquantum aliud.* — Cum ergo dicitur, quod *potentia et actus sunt eiusdem generis,* falsum est de *potentia* quae est *principium transmutationis,* quia accidens immediate recipitur in substantia, aliter esset processus in infinitum; ergo potentia passiva vel activa sic accepta non est eiusdem generis cum suo actu. — *Ib.* II. d. 16. n. 5. — *Report.* ib. n. 4. — Cf. *QQ. Metaph.* l. IX. q. 1. — q. 7. n. 5.

Potentiae unius unum est obiectum. — *Potentiae unius est unum obiectum;* quia sicut cognitio potentiae est a cognitione obiecti, ita unitas ab unitate, ex *II. De Anima,* text. com. 33. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 13. n. 11. — Eamdem autem potentiam comprehendere duo obiecta adaequata infinita est impossibile, quoniam utrumque obiectum toti virtuti potentiae totaliter adaequatur, imo nec una potentia potest habere duo obbiecta aeque prima. — *Quodlib.* q. 7. n. 39. — Vid. *Obiecti unius una est potentia.*

Potentiae unius unus est actus. — Videtur, quod unius potentiae non sit nisi unus perfectus actus simul. — *Oxon.* III. d. 15. n. 7. — Quia duo actus perfecti non possunt esse in eadem potentia, aut saltem, si possunt, non videtur, quod unum istorum possit esse aliquo modo activum respectu alterius. — *Ib.* I. d. 17. q. 2. n. 11. — Aliter sic: *actio* in creaturis uno modo accipitur pro actione de genere *actionis:* alio modo pro *actu secundo,* qui est qualitas absoluta — *Unius* ergo *potentiae tantum est unus actus,* loquendo de *hoc* actu tantum, vel *illo* tantum; unius tamen potentiae potest bene esse duplex actus, quorum unus sit de genere *actionis,* alius de genere *qualitatis;* sicut intellectus noster pro actione de genere actionis habet gignere verbum; habet tamen alium actum de genere qualitatis, scilicet, illam notitiam genitam. — *Ib.* d. 6. n. 4.

Potentia (ex) et actu fit per se unum. — Vid. DISTINCTIONES: *Actus potentiaque duplex.*

Potentia fruens in solo Ente Infinito quietatur. — Potentia non quietatur nisi ubi est obiectum suum perfectissime et in summo: obiectum potentiae fruentis est ens in communi, secundum Avicennam, *I. Metaph.* c. 5; ergo non quietatur potentia fruens nisi ubi est perfectissimum ens: hoc est Summum tantum. — Item, potentia quae inclinatur ad multa obiecta per se non quietatur in aliquo

uno perfecte, nisi illud includat omnia per se obiecta, quantum possunt includi in aliquo uno: sed potentia fruens inclinatur ad omne ens, sicut ad per se obiecta; ergo non quietatur in uno ente, nisi illud includat omnia entia, quantum possunt includi in aliquo uno: possunt autem tantum perfectissime includi in uno Ente Infinito; ergo potentia potest tantum quietari ibi in summo. — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 3. — Cf. III. d. 27. n. 7. — IV. d. 49. q. 8. n. 4. — d. 50. q. 6. n. 5.

Potentia illimitatior habitu. — Potentia est illimitatior in agendo quam habitus, eo quod ad plura se extendit. — *Oxon.* I. d. 17. q. 2. n. 8.

Potentia inferior quidquid potest, et superior. — In potentiis ordinatis quidquid potest inferior, etiam superior potest et magis; et saltem habet hoc veritatem, quod ad nihil se extendit virtus inferior, ad quod non contendat superior, vel per se, vel per ut perficiens suum inferiorem. — *De Rer. Princ.* q. 13. n. 27.

Potentia infinita una numero tantum est. — * Haec * propositio de *potentia infinita* sic probatur: Omnipotens contingenter vult omne aliud a se, saltem causabile; potest ergo A velle hoc, et B nolle; ergo hoc erit, et non erit, vel alter erit non omnipotens. — Ita tenet ratio Richardi, quod unus posset facere alium nullipotentem, non destruendo ipsum in se, sed destruendo ipsum volendo oppositum. — Nec est fingere, quod necessario velint concorditer, cum habeant voluntates idem contingenter et libere respicientes. — Item, A velit hoc, et B velit hoc, non erit a duobus, ita quod utrumque sit totalis eius causa; impossibile est enim esse duas causas totales eiusdem, quia tunc dependeret ab illo essentialiter, sine quo aeque posset esse; nec hoc erit ab altero illorum, et reliquo non, quia habent voluntates aeque potentes; ergo hoc non erit; ergo neuter est omnipotens. — *De Primo Princ.* c. 4. n. 39. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 6. — *Quodlib.* q. 7. n. 35. — Vid. *Omnipotens unus tantum est.*

Potentia (in) quantum contingit esse, tantum contingit esse in actu. — Accipitur a Philosopho, *III. Physic.* cap. *De Infinito*, quod *quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu.* — Dico, quod ratio Philosophi ibi non concludit nisi de quanto *molis* (1), secundum quam quantitatem *quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu:* imo tantum est in actu, quia non contingit quantum crescere, secundum eum, nisi per hoc, quod partes ablatae ab uno continuo per divisionem, apponantur continuo alii crescenti; et ita cum partes illae nunquam possint excedere totum quantum, cui fit appositio, potest esse maius, nisi secundum quantitatem continentem quantitates divisim, et eius cui facta est appositio.

Probabilitas dicti ipsius Philosophi est, quia secundum eum agens naturale, sine cuius actione nihil potest esse novum, non potest quantum aliquod maiorare nisi accipiat ab alio quanto aliquam particulam apponendo illi quanto.

Sed secundum Theologos, loquendo de potentia divina, potest esse aliquod quantum maius in potentia, quam sit in actu, quia Deus potest maiorare aliquod quantum non apponendo partes ablatas ab alio quanto. — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 3.

Potentiam a se sequitur entitas a se. — *Quod habet a se potentiam activam habet a se entitatem:* quod autem habet *a se* aliquid habet illud in tota plenitudine quae sibi potest competere; nihil enim habetur limitate in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agente determinante illud ad certum gradum. — *Quodlib.* q. 7. n. 31.

Potentiam inter et obiectum proportio requiritur, non similitudo. — Inter potentiam et obiectum non est relatio *similitudinis*, sed proportionis; et ideo bene potest capacitas in natura esse finita, sicut et natura est finita, et tamen esse ad obiectum infinitum sicut ad suum correlativum. — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 6. — Potentia enim et obiectum non oportet assimilari in modo *essendi*, se habent enim ut *motivum* et *mobile*, et ita se habent ut dissimilia, quia ut

(1) Ideo Doctor exponit: « quod quantamcumque contingit esse magnitudinem in potentia, tantam contingit esse in actu ». *Physic.* III. expost. text. 69. n. 37.

actus et *potentia;* sunt tamen *proportionata*, quia ista proportio requirit dissimilitudinem proportionatorum, sicut communiter dicitur in omni proportione, sicut patet de *materia* et *forma*, *parte* et *toto*, *causa* et *causato*, et caeteris proportionalibus. Igitur ex modo essendi talis potentiae non potest concludi similis modus essendi in obiecto. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 4. — Cf. ib. II. d. 9. q. 2. n. 36. — Vid. *Obiectum inter et potentiam proportio*, etc.

Potentia nobilior nobiliorem habet actum. — Respectu eiusdem obiecti *nobilior potentia videtur habere nobiliorem actum*, quando utraque agit secundum totam virtutem sui; quia ibi non est excessus ex parte obiecti, quia idem est; igitur ex parte potentiarum tantum, et eatenus nobilior excedit. — *Oxon.* III. d. 33. n. 18.

Potentia non errat circa obiectum proportionatum. — Ista veritas quiescit in intellectu: quod *potentia non errat circa obiectum proportionatum*, nisi indisposita sit. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 14.

Potentia non potest ferri extra latitudinem sui obiecti. — Nulla enim potentia potest habere aliquem actum circa illud in quo non salvatur *ratio sui* primi *obiecti*. — *Oxon.* III. d. 33. n. 6. — * Vel * potentia manens eadem non potest habere actum circa aliquid quod non *continetur sub suo* primo *obiecto*. — *Ib.* I. d. 3. q. 3. n. 2. — * Ideo * nulla potentia potest cognoscere obiectum aliquod sub ratione communiori quam sit ratio sui *primi* obiecti. Quod patet primo per *rationem:* quia tunc illa ratio primi obiecti non esset adaequata. — Etiam patet per *exemplum:* visus non cognoscit aliquid sub ratione communiori quam sit ratio *coloris* vel *lucis;* nec imaginatio aliquid sub ratione communiori quam sit ratio *imaginibilis*, quod est primum obiectum eius. — *Ib.* n. 3. — IV. d. 43. q. 2. n. 11.

Cum * itaque dicitur *, quod *potentia non excedit in operando suum obiectum*, dicendum, quod verum est, proprie loquendo de *excessu;* sed ex hoc non sequitur, quod non intelligit aliud a primo obiecto, potest enim intelligere aliud a primo obiecto, si illud virtualiter includitur in primo obiecto. Unde ad hoc quod potentia et obiectum suum proprium sint *adaequata* et proportionata, sufficit, quod primum obiectum non excedat potentiam in ratione *motivi* et terminantis *primi;* cum primitate tamen primi obiecti stat quod potentia excedat illud obiectum, habendo operationem circa aliud obiectum in ratione terminandi *secundario;* sic autem excedere non est proprie excedere, quia non excedit in ratione motivi vel terminantis *primi*. — *Report.* I. d. 36. q. 2. n. 36.

Potentia nulla quietatur nisi in primo suo obiecto. — Obiectum *primum* potentiae est aliquod commune ad omnia *per se* obiecta illius potentiae. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 5. — *Primum* obiectum potentiae debet esse secundum adaequationem ad potentiam *secundum se*, non statu determinato aliquo tantum. — *De Anima*, q. 21. n. 14. — Nulla potentia quietatur in aliquo obiecto, nisi sub illa ratione sub qua includitur in eo totalis perfectio sui primi obiecti: sicut potentia visiva non quietatur in aliquo obiecto, nisi in illo includatur omnis perfectio sui primi obiecti; quia sub alia ratione illud primum obiectum non adaequat potentiam, et per consequens eam non quietat. — *Collat.* XX. n. 2. — Vid. *Potentia fruens in solo Ente Infinito quietatur.*

Potentia operatione perficitur. — Potentia *operans* est perfectior seipsa quam potentia sola, et operatio est aliqualis perfectio ipsius potentiae, licet potentia sit simpliciter perfectior operatione. — *Quodlib.* q. 15. n. 24. — * Tamen * non omnis potentia perfectior fit ex operatione sua propria intensa. Patet de actu appetitus sensitivi in nobis. — *Theor.* XXIII. n. 1.

Potentia oppositorum est eadem. — Sicut in potentiis passivis idem est proximum subiectum habitus et privationis, ita potentia activa libera defectibilis est immediatum subiectum agendo et deficiendo oppositorum: *agendo* quidem *rectitudinis; deficiendo* autem *peccati*. — *Oxon.* II. d. 44. n. 1. — * Tamen * non sunt eiusdem potentiae oppositi *modi agendi*, et maxime isti, *naturaliter* et *libere*, qui primo distinguunt potentiam activam. — *Ib.* I. d.

10. n. 10. — Vid. *Oppositorum eadem est potentia.*

Potentia quae non potest exire in actum est frustra. — Vid. *Potentiae omni passivae naturali correspondet aliqua potentia activa naturalis.*

Potentia quae potest maius potest et minus. — Videtur inconveniens, quod non possit habere aliquam activitatem respectu imperfectioris, et tamen possit esse totale activum respectu actus perfectioris. — *Oxon.* I. d. 27. q. 3. n. 4.

Potentia quanto superior, tanto paucioribus indiget. — *Potentia quanto superior, tanto paucioribus indiget,* et minus composita est, et magis abstracta. — *De Rer. Princ.* q. 13. n. 6.

Potentia utitur habitu, et non e converso. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 24. — Unde habitus non utitur potentia, sed potentia habitu sicut causa secunda et instrumento. — *Ib.* IV. d. 49. q. 6. n. 9.

Potestate (in) nostra non est quin visis tangamur. — Cuiuscumque speciei singulare fortius primo movet sensum, eius phantasma efficacius imprimitur et primo movet intellectum; et quoad istum primum actum non est in potestate nostra quin intelligamus, secundum Augustinum, *III. De Libero Arbitrio: Non est in potestate nostra quin visis tangamur.* Sed isto posito actu, in potestate nostra est cognitio actualis cuiuslibet habitualiter noti. — *Oxon.* I. d. 3. q. 6. n. 17. — *Quae omnia fusiori prosequitur calamo* in *Oxon.* II. d. 42. q. 4. n. 5 seqq. — d. 25. n. 7. — *Report.* ib. d. 42. n. 6 seqq. — Cf. *Collat.* II. n. 10. — *Collat.* VII. n. 6. — *Oxon.* IV. d. 4. q. 4. n. 4. — Vid. *Intelligimus cum volumus.*

Praecepta divina observantes merentur. — Hoc enim videtur nimis durum, scilicet, quod aliquis ex charitate et obedientia sit servans Dei praeceptum, et non mereatur. Hoc etiam videtur irrationabiliter dictum, quod Deus alicui dederit praeceptum, nolens observantem praeceptum mereri, quantumcumque ex charitate et obedientia servaret. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 6. n. 10.

Praecepta generalia dantur propter remedium generale. — Et secundum illas conditiones quae inveniuntur in hominibus ut in pluribus. — *Oxon.* IV. d. 15. q. 1. n. 18.

Praeceptum superius magis obligat. — Quando sunt duo praecepta *ordinata* praeceptum superioris magis ligat. — *Oxon.* IV. d. 8. q. 3. n. 4. — Quando autem praecepta videntur esse *contraria*, illud quod est superius magis obligat, et ideo firmius est servandum; nec servans illud et praetermittens aliud peccat. — *Ib.* d. 21. q. 2. n. 24. — Cf. ib. d. 5. q. 2. n. 3.

Praedicamenta sunt primo diversa. — Cum dicitur, *Praedicamenta sunt primo diversa,* potest dici, quod hoc est verum quantum ad rationes *formales* et *quidditativas,* et tunc posset sustineri, quod diversa Praedicamenta possunt idem esse *identitate,* sed non *formaliter.* — Dico tamen aliter, quod quaecumque conveniunt enti, antequam dividitur in genera, competit ei, non ut in uno genere, sed ut *transcendens.* — *Report.* II. d. 1. q. 6. n. 16. — *Oxon.* ib. q. 4. n. 26. — Cf. *QQ. Metaph.* l. V. q. 6. *per tot.*

Praedicata in quid si essent infinita nihil esset notum. — *In eo quod quid est praedicantia in infinitum ire impossibile est.* — Quoniam tunc *nihil erit notum,* quia *infinita non est pertransire* (1), nec simul intellectu finito apprehendere: non autem *perfecte* cognoscitur aliquid resolutoria cognitione, nisi omnia praedicata *in quid* cognoscantur, licet *confuse* cognosci possit illis praedicatis non cognitis nisi confuse ut in illo; quod posset fieri, dato per impossibile quod essent infinita, quia alias nullo modo difficilioris actus circa speciem plura genera habentem. — *Theor.* V.

Praedicationes per se non convertuntur. — Philosoph. *I. Posterior.* cap. *De Statu Principiorum,* vult, quod *praedicationes per se non convertuntur,* ita quod si praedicatum dicatur de subiecto *per se,* non e converso dicetur subiectum de praedicato *per se,* sed *per accidens;* ergo si ista est *per se* sedundo modo, *ens est unum,* haec, *unum est ens,* non est *per se* primo modo, sed quasi *per accidens,* sicut ista propositio est *per accidens, risibile est homo.* —

(1) Vid. pag. 892.

Oxon. I. d. 3. q. 3. n. 7. — Praedicatio accidentis de subiecto, licet sit vera, non tamen est *per se.* — *Quodlib.* q. 19. n. 25.

Praedicatur (omne quod) sub ratione universalis praedicatur. — Verum est de *praedicari signato,* non autem *exercito;* quia alicui inquantum praedicat *praedicatione exercita,* quae fit per esse, extraneatur ratio *universalis.* — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 16.

Praedicatur quando alterum de altero ut de subiecto, quaecumque de eo quod praedicatur dicuntur, omnia haec et de subiecto dicuntur. — * Haec * regula est vera; quia per se datur de secundis intentionibus, sicut Logicus debet loqui, et sumendo *praedicari* proprie, quod est *prae alio dici,* tunc tantum, et non plus significatur per regulam, *quod est prius priore est prius posteriore,* vel *quod est superius superiore est superius inferiore:* cuius veritas nulli dubia est; et ita convenienter ponitur ut regula, quia eius veritas omnibus est nota. — *Super Praedic.* q. 9. n. 5.

Praedicatur quidquid de aliquo potest supponere pro eo. — *Quidquid praedicatur de aliquo potest supponere pro eo;* verum est si praedicatur *per se formaliter.;* sed non oportet si praedicetur tantum *identice.* — *Report.* I. d. 5. q. 1. n. 8.

Praemium habere pro merito gloriosius est quam sine merito. — Quando dicitur, quod *gloriosius est habere praemium ex merito quam sine merito,* verum est de praemio quod *potest haberi ex meritis.* — *Report.* III. d. 18. q. 1. n. 13.

Praeteritum (ad) non est potentia. — Cum arguitur, quod *potentia non est ad praeritum,* verum est *ut est praeteritum;* unde non est proprie potentia, ut illud quod fuit non fuerit; sed potentia est ad illud quod fuit praeteritum, *inquantum* tamen ipsum *potest esse futurum.* — *Oxon.* IV. d. 43. q. 3. n. 18. — * Seu aliter: * Dico, quod non est potentia ad praeteritum, et ut differt ab aliis temporum differentiis est non ens, et Deus non fecit in natura potentiam ad non ens, ita nec ad praeteritum; fecit tamen potentiam ad illud quod est praeteritum, ut sit futurum; non tamen sub ratione praeteriti, quia non potest facere, quod praeteritum non fuisset praeteritum, *VI. Ethicorum: Ingenita facere quae facta sunt non potest Deus.* — *Report.* IV. d. 43. q. 3. n. 11. — Vid. *Deus hoc solo privatur,* etc.

Praeteritorum non est contingentia. — Actus praeteritus ut praeteritus est simpliciter necessarius, in tantum quod de potentia absoluta divina non potest esse non praeteritus. — *Oxon.* IV. d. 6. q. 10. n. 10. — Ex quo enim actus praeteriit, non potest Deus facere quin praeteriit. — *Ib.* d. 1. q. 6. n. 5. — Vid. *Deus hoc solo privatur,* etc.

Primum in aliquo genere est mensura aliorum in illo genere. — Illud quod est *mensura in aliquo genere* proprie loquendo est *principium et causa omnium aliorum in genere suo.* — Et ratio huius est, quia in quolibet genere est unum perfectissimum, quod est causa omnium eorum quae sunt in illo genere: quodlibet enim genus dividitur in duo, quorum unum est perfectius alio; non enim potest utrumque esse aeque perfectum, quia tunc in uno genere essent duo prima perfectissima: sed illud quod est perfectissimum est primum, et si sit primum, est causa omnium aliorum. Quia si detur aliud quod non sit ab eo causatum, hoc non potest esse nisi dupliciter: aut quia non est causatum simpliciter, aut quia causatum est, sed ab alio. Si non sit causatum, igitur est primum, et per consequens duo erunt prima, quod est impossibile. — Si sit causatum ab alio, aut ergo ab aliquo alterius generis, aut ab aliquo eiusdem generis. Si ab aliquo alterius generis, ergo non est in genere, cuius tamen oppositum prius est datum. — Si causatum illius generis, tunc quaero de isto, a quo causatur? Aut causatur a primo, aut non. Si sic, tunc habeo propositum. Si non causatur a primo, sed ab alio, quaero ut prius: aut ab aliquo eiusdem generis, aut ab aliquo quod est alterius generis; et sic erit eadem quaestio quae prius. — Necesse est ergo dicere, quod primum in omni genere est causa posteriorum. Unde principium in toto genere entium est causa cuiuslibet entis, scilicet, illud quod

est primum principium essendi et cognoscendi posterius. Quod autem est tale habet rationem mensurandi posterius. Et ideo in quolibet genere illa convertuntur: illud quod est primum et causa aliorum, illud est mensura, et e converso, illud quod est mensura est causa indivisibilis. Tamen hoc diversimode invenitur: quia sicut aliud dicitur principium, sic debetur sibi ratio mensurae: aliquod est principium *intrinsecum*, et aliquod est principium *extrinsecum:* sic est mensura quaedam *intrinseca*, alia *extrinseca*. Principium intrinsecum est materia et forma; et sic materia et forma sunt menmensurae intrinsecae; sed finis et efficiens sunt principia extrinseca, et sunt mensurae * extrinsecae *. Unde primum in genere finium est mensura omnium finium; primum efficiens omnium effectuum, et sic de aliis; quia secundum approximationem ad principium, vel ab eo remotionem sumitur ratio cuiuslibet posterioris, sicut in genere entium quod propinquius est Primo dicitur magis *ens*, et quod remotius est minus. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 2. n. 2.

Primum in intentione est ultimum in executione, et e converso. — Secundum Philosophum, *VII. Metaph.* c. 6, duplex est processus in agentibus a proposito: unus in *cognoscendo* et *volendo;* alius in *operando.* Nam in processu volitionis et cognitionis primum est *finis*, finis enim primo movet agentem, tamquam prima ratio volendi omnia alia, et est principium cognitionis, et quo volens est volens, et quae propinquiora sunt fini prius sunt volita et cognita; et iste motus est in *intentione.* — Alius processus sive motus est e converso in *agendo* et *exequendo*, quia quod est ultimo cognitum et volitum est primum a quo agens incipit operationem, sicut Philosophus ponit exemplum de *sanitate* et de his quae ordinantur ad sanitatem, propter quod dicit ibi Commentator, quod hoc est quod dicitur, quod *principium operationis est finis cognitionis*, et e converso, *finis cognitionis est principium operationis*, et hoc est quod dicimus communiter, *quod primum in intentione est ultimum in executione*, et e converso. — *Report.* I. d. 41. n. 3.

Ex his sequitur, quod in his quae sic ordinantur, quod unum ordinatur ad aliud, dicendo, *volo mihi hoc propter illud*, et ut *volo* **A** *propter* **B**, duplex potest esse sensus: vel quod volo **A** propter **B** ut propter rationem volendi, quod est principium in *intentione*, vel propter **B** ut propter rationem volendi in *fieri*, quod est volitum prius in executione. *Exemplum* ponitur de *sanitate* et *potione;* nam dicendo: *volo propter sanitatem ipsam potionem*, veritatem habet ut propter *rationem* volendi. Sed dicendo: *volo propter potionem ipsam sanitatem*, veritatem habet ut propter *volitum*, quod est dispositio ad sanitatem; nam sanitas habetur per potionem tamquam per prius volitum in executione. Dicendo autem: *volo propter sanitatem potionem*, est e converso, quod sanitas est ratio volendi potionem, et est prior in *intenione.* — *Ib.* n. 4.

Primum in quolibet genere verius est tale, ut patet de *igne II. Metaph. text. 4.* — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 8. — Illud est maxime *tale* quod est causa omnibus aliis ut sint talia, et nihil est ei causa ut sit tale, sicut exemplificat * Aristot. * de *igne:* sed primae causae et prima principia rerum sunt huiusmodi quantum ad *veritatem;* ergo sunt maxime *vera.* — Addit autem * Philosophus * unam propositionem: quod *unumquodque est illud aliquorum maxime*, id est, *maxime tale, quod aliis inest univocatio*, id est, quod est causa *univoca* aliis ut sint talia, *ut ignis est calidissimus, enim hic causa caliditatis est aliis; illud ergo est verissimum quod est causa posterioribus ut sint vera.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. S. un. c. 2. n. 7.

Notandum, quod duplex est genus causae: quaedam est causa *univoca*, quaedam *aequivoca.* — *Univoca* dicitur, quantum ad praesens spectat, quae habet similem formam illi quam producit: *aequivoca* vero dicitur quae non habet formam similem illi quam producit (1). — Ad excludendum ergo causam aequivocam, quae licet sit causa aliis ut sint talia, ipsa tamen non est in se forma talis, ideo signanter dixit

(1) Vid. Distinctiones: *Causa univoca-aequivoca.*

Philosophus: *unumquodque est maxime tale secundum quod aliis inest univocatio.* — *Ib.* n. 8.

Principia non fiunt ex aliis, nec ex alterutris. — Istae conditiones debent intelligi de principiis divisim. Verbi gratia: materia non fit ex aliis vel ex alterutris tamquam ex *subiecto* vel tamquam ex *parte integrali;* sed forma non fit ex aliis nec ex alterutris tamquam ex *parte integrali,* licet bene tamquam ex *subiecto.* — *Physic.* I. q. 18. n. 11. — Quia unum principium non integrat reliquum; sed omnia quae fiunt fiunt ex primis principiis tamquam ex partibus integrantibus. — *Ib.* exposit. text. 42. n. 21. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 3. c. 1. n. 74.

Principia oportet semper manere. — *Physic.* I. q. 18. n. 1. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. 2. c. 1. n. 41. — S. 3. c. 1. n. 74. — Hoc intelligitur de forma et materia, non secundum rationem qua est *privatio,* sed secundum rationem qua manet sub utroque termino transmutationis, scilicet, quod oportet materiam et formam manere post transmutationem. — *Physic.* I. q. 18. n. 11.

Principia practica sumuntur a fine. — Quandoque enim prima principia practica sumuntur a fine praxis. — Si dicatur, quod principia practica *semper* sumuntur a fine, posset exponi sic: verum est inter illa quae sumuntur ex circumstantiis moralibus, praesupposito actu bono secundum genus; quia sic obiectum non est circumstantia. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 13. — *Ib.* n. 17. — Cf. III. d. 15. n. 27.

Principia prima cognoscimus inquantum terminos cognoscimus. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 2. — *Report.* Prol. q. 2. 14. — Prima enim principia sunt nobis notissima in veritate, cognitis terminis. — *Poster.* I. q. 13. n. 5.

Termini sunt totalis causa primi principii, ita in practicis sicut in speculativis, ex *I. Poster.*, et forma syllogistica est evidens omni intellectui per definitionem *syllogismi perfecti* (1), *I. Priorum;* igitur terminis apprehensis et compositis, et facta deductione syllogistica, necesse est intellectum acquiescere conclusioni, cuius notitia dependet praecise ex notitia principii et notitia deductionis syllogisticae. — *Oxon.* III. d. 36. n. 12. — Quia termini apprehensi et compositi nati sunt naturaliter causare evidentiam conformitatis compositionis ad terminos. — *Ib.* I. d. 3. q. 4. n. 20.

Sed principia sunt nota ex terminis apprehensis, secundum quod termini ultro se offerunt intellectui; et resolutio certitudinis stat in hoc, quod ille est talis intellectus, et hi tales termini. — *Ib.* III. d. 24. n. 19. — Principia metaphysica cognoscuntur esse vera, notis terminis, ab omnibus ratione utentibus, vel saltem sapientibus. — *Ib.* II. d. 25. n. 14.

Tamen non sufficit quaecumque notitia terminorum ad hoc, quod cognoscantur principia esse prima, seu talia ex quibus possit conclusio necessaria concludi quae habet generare *scientiam;* sed requiritur cognitio terminorum sub propriis rationibus ex evidentia illorum, sed non semper immediate et distincte, sed in aliquibus scientiis sufficit notitia terminorum confusa, sicut in subalternis; sed requiritur, quod eorum cognitio confusa possit reduci in distincta. — *Oxon.* III. d. 24. n. 19.

Principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus, ut dicitur *I. Poster.;* et ideo illud principium potest esse notissimum, cuius veritas est notissima, cognitis terminis. Unde certitudini principii non repugnat multiplicitas terminorum; nec est aliquid certius habens terminos non multiplices, quia aliud non est ita manifestum, cognitis terminis. — *Super Praedic.* q. 4. n. 12.

Notandum, quod huiusmodi principia communia sunt communiter nota omnibus, eo quod termini eorum cadunt in conceptione cuiuscumque; nam componuntur ex terminis communibus, qui sunt noti prius nobis, eo quod nostra cognitio incipit a communibus et confusis, ut habetur *I. Phys. text. com. 3.* Isti autem termini communes sunt *ens, totum, pars, aequale, inaequale,* et similia; et quia huiusmodi termini communes pertinent ad considerationem Metaphysici, et per consequens huiusmodi principia sunt de

(1) Vid. Distinctiones: *Syllogismus.*

consideratione eius; considerat autem Metaphysicus dicta principia non *demonstrando*, sed rationes terminorum *declarando*, ut quid sit *totum*, et quid sit *pars*, quibus terminis notis, statim intellectus assentit veritati talium principiorum in virtute naturalis luminis intellectus. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. IV. S. 2. c. 1. n. 29.

Quia secundum Philosophum, *I. Posteriorum, principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus*, ergo perfectissime assentitur principio ex terminis eius ante omnem habitum genitum, licet talem assensum sequatur habitus ille, et habitus est aliquo modo necessarius ad perfectionem naturae nostrae; quia in nobis non posset manere notitia principii aliquo modo, cessante illo actu, nisi maneret ille habitus principii; et ita post intellectionem principii esset aliquis adeo in potentia essentiali ad intellectionem sicut prius. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 8.

Quia *principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus*, ideo notitia terminorum potest esse perfectissima negative ante habitum principiorum, quia assensus intellectus ipsorum simplicium, ut termini sunt per se noti, potest esse prior omni habitu principiorum, et si postea causetur maior notitia simplicium, hoc non est ex habitu principiorum, sed ex intensiori consideratione simplicium; ideo habitus principiorum potest esse sequens naturaliter perfectissimum actum. — *Report.* ib. n. 16.

Principia prima non sciuntur. — Loquendo de scientia *proprie* dicta, et etiam de scientia *magis proprie* dicta (1), quae scientia est apprehensio veritatis necessariorum, secundum hanc scientiam principia sunt magis scita quam conclusiones. Sed principia prima non sunt nata cognosci per *causam*, quia causam non habent; et conclusiones natae sunt cognosci per causam. — *Poster.* I. q. 13. n. 6. — Cognitio * enim * principii totaliter praesupponitur demonstrationi, et in nullo perfectior acquiritur per demonstrationem. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 12. — * Itaque * principia proprie non sunt *scita*, sed *intellecta;* intellectus enim est principiorum, scientia conclusionis. — *Poster.* I. q. 2. n. 4. — Cfr. ib. q. 12. n. 1.

Principia prima oportet esse verissima. — Quia sunt causa veritatis in aliis. — *De Anima*, q. 21. n. 7. — Certum est intellectui, quod principia sunt vera, non tantum in sensibilibus, sed in insensibilibus. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 29. — Cf. *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. II. S. un. c. 2. n. 7. — *Report.* I. d. 8. q. 3. n. 6.

Principia prima practica (circa) nullus errat. — Nullus in via est incorrigibilis; igitur *nullus potest omnino errare circa prima principia practica;* quia errans circa prima principia practica nihil habet per quod possit revocari ad bonum; quomodocumque enim fiat persuasio, negabit assumpta, quia nihil potest assumi notius quam primum principium practicum. — *Oxon.* III. d. 36. n. 13.

Principia prima sunt omnibus nota. — Philosophus, *II. Metaphysicae: prima principia sunt omnibus nota, sicut ianua in domo;* quia ianua neminem latet, licet interiora domus lateant (1). — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 5. — Quantum ad certitudinem de *principiis*, dico sic: quod termini principiorum per se notorum talem habent identitatem, ut alter evidenter necessario alterum includat, et ideo intellectus componens terminos, ex quo apprehendit eos, habet apud se necessariam causam conformitatis illius actus ad ipsos terminos, quorum est compositio, et etiam causam *evidentem* illius conformitatis; et ideo necessario patet sibi conformitas illa, cuius causam *necessariam* et *evidentem* apprehendit in terminis; igitur non potest esse in intellectu apprehensio terminorum et compositio eorum, quin stet conformitas illius compositionis ad terminos, sicut non potest stare *albedo* et *albedo*, quin stet *similitudo*. Haec autem conformitas compositionis ad terminos est *veritas* compositionis; ergo non potest stare compositio talium terminorum, quin sit vera; et ita non potest stare perceptio termino-

(1) Vid. Distinctiones: *Scire — Scientia.*

(1) « Sed principia immediata non possunt intelligi, nisi prius apprehendantur termini ut sunt termini principiorum immediatorum ». — *Oxon.* III. d. 24. n. 11.

rum, quin stet perceptio conformitatis compositionis ad terminos, et ita perceptio veritatis, quia prima percepta evidenter includunt perceptionem illius veritatis. — *Ib.* n. 7.

Confirmatur ratio ista *per simile* per Philosophum, *IV. Met.*, ubi vult, quod oppositum primi principii, scilicet, huiusmodi, *impossibile est idem esse et non esse,* non potest venire in intellectu alicuius, quia tunc essent opiniones contrariae simul in mente. Quod utique verum est de opinionibus contrariis, id est, repugnantibus formaliter, quia opinio opinans *esse* de aliquo et opinio opinans *non esse* de eodem sunt formaliter repugnantes. Ita arguam in proposito repugnantiam aliquam intellectionum in mente, licet non formalem; si enim stat in intellectu notitia *totius* et *partis,* et compositio eorum, cum ista includant, sicut causa necessaria, conformitatem compositionis ad terminos, si stat in intellectu haec opinio, quod ista compositio sit falsa, stabunt notitiae repugnantes, non formaliter, sed notitia una stabit cum alia, et tamen una erit causa necessaria oppositae notitiae ad illam; quod est impossibile; sicut enim impossibile est *album* et *nigrum* stare simul, quia sunt contraria formaliter, ita impossibile est simul stare *album* et illud quod est *praecisa causa nigredinis,* ita necessaria, quod non potest esse sine ea, absque contradictione.

Habita evidentia vel certitudine de principiis primis, patet quomodo habetur de conclusionibus illatis ex eis, propter evidentiam formae Syllogismi perfecti, cum certitudo conclusionis tantummodo dependeat ex certitudine principiorum et ex evidentia illationis. — *Ib.* n. 8. — Cf. *QQ. Metaph.* l. II. q. 1. n. 2. — Vid. *Foribus (in) quis delinquit? = Anima est tamquam tabula rasa.*

Principia prius sunt nota natura. — Avicenna, super *I. Physic.*, dicit, quod *principia prius sunt nota natura:* non quia natura prius cognoscat, sed quia secundum naturam suam prius sunt cognoscibilia et nota, ita quod si natura cognosceret, prius ea cognosceret. — *Report.* I. d. 36. q. 4. n. 22.

Principia sunt causa conclusionis. — Principia possunt dupliciter considerari: uno modo *secundum se:* alio modo *secundum quod applicantur conclusioni,* ut cognoscendo hanc *minorem* esse sub *maiori.* — *Primo* modo principia non sunt causae conclusionis, nisi in virtute et potentia; sed *secundo* modo principia sunt causa scientiae conclusionis actualiter et sub propria ratione. — *Poster.* I. q. 1. n. 5.

Principia sunt notiora conclusione. — Quia *unumquodque propter quod aliquid tale, et illud magis:* conclusiones sunt notae propter principia; ergo principia sunt magis nota. — *Item* hoc probat Aristoteles per unam rationem: quia si principia essent minus nota vel aequaliter nota cum conclusionibus, tunc ignotum esset magis vel aequaliter notum cum eo quod est notum. — *Consequentia* patet sic: habita cognitione principiorum, adhuc in isto priori naturae conclusio est ignota, et principia sunt nota. Si ergo dicas, quod conclusiones sunt magis notae vel aequaliter cum principiis, tunc ignotum est magis notum quam illud quod est notum, vel saltem erit aequaliter notum cum eo quod est notum: hoc est inconveniens; ergo oportet dicere, quod principia sunt magis nota quam conclusiones. — *Item,* hoc potest probari alia ratione, quod conclusio non sit magis nota quam principium: quia nihil agit ultra suam virtutem. Hoc patet, quia virtus est ultimum potentiae, et nihil agit ultra ultimum potentiae: sed principia per suam virtutem sunt causae conclusionis; ergo maiorem cognitionem non possunt facere in conclusione quam ipsa habent de se. — Nec tantam cognitionem faciunt de conclusione quantam habet de se. Probo: quia de ratione causae est, quod quidquid reperitur in effectu et causa excellentius reperitur in causa. — *Poster.* I. q. 13. n. 4.

Semper * ergo * principium per quod probatur aliqua conclusio notius est illa conclusione, et hoc intensive. — Probatur: quia principium est causa effectiva saltem instrumentalis notitiae conclusionis; igitur notitia conclusionis non est tanta intensive quanta est notitia principii, quia agens aliquem effectum sine adiutorio alterius non potest producere effectum sibi aequalem. — *Se-*

cundo, quia illud est notius intensive quod propinquius et evidentius reducitur ad primum principium: sed principium per quod probatur illa conclusio propinquius et evidentius reducitur ad primum principium quam illa conclusio; quia in ordine reducendi ad primum principium prius probatur principium quam conclusio per ipsum probata. — *Tertio*, quia difficilius obliviscitur notitia principii quam conclusionis dependentis ex illo principio; igitur notitia principii est intensior. — Et hoc est verum quando illa notitia solum est per illud principium. — *Physic.* I. q. 4. n. 6.

* Intelligendum tamen *, quod principia magis sciuntur quam conclusiones, loquendo de scientia *magis propria;* et sic intelligit Philosophus; loquendo tamen de *scientia maxime proprie* (1), sic principia non sciuntur. — *Poster.* I. q. 10. n. 3.

Principio (a) omnino uno non possunt esse immediate plura. — *A principio omnino uno non possunt esse immediate plura:* falsa est si intelligatur de omnino uno in re; sufficit enim in agente per intellectum et voluntatem distinctio cognitorum sive distincta cognitio plurium, ad hoc quod plura immediate producantur ab ipso, et ita sufficit si illa cognitio est substantia cognoscentis, et per consequens non numerata (2); secus si non est substantia operantis, sed est accidens et numerata. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 25. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 2. per tot.

Principiorum cognitio ordinatur ad cognitionem perfectam conclusionis. — Quando dicitur, quod *cognitio principiorum ordinatur ad cognitionem conclusionis perfectam*, concedo; sed ex hoc non sequitur, quod nobilius ordinetur ad minus nobile; principium enim, inquantum in eo est scientia conclusionis in universali et modo confuso, ordinatur ad perfectam cognitionem conclusionis et in particulari, et ita quoad hoc imperfectum ordinatur ad perfectum. — *Poster.* I. q. 13. n. 7. — Cf. *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 11.

Principiorum ordo prior est ordine terminorum. — Verum est de termino *totali*, qui *simpliciter* capit esse; non autem de termino *formali*, qui solummodo capit esse *secundum quid*. — *Quodlib.* q. 14. n. 15.

Principium agendi a quo quis habet ab eo habet et agere. — *A quo aliquid habet principium agendi ab eo habet et agere*, et per consequens virtute illius agit: non virtute eius tamquam *causae superioris*, quia non habet virtutem distinctam ab eo, sed virtute illius tamquam principii *communicantis sibi causalitatem*, et ideo habentis auctoritatem in ista causalitate, in qua recipiens habet subauctoritatem. — *Quodlib.* q. 7. n. 18.

Principium artificialium est in cognoscente et principium naturalium in moto. — *Principium rei factibilis est in cognoscente;* verum est, principium *activum*. — *Principium* autem *rei naturalis est in moto;* verum est, principium *passivum*. — *Oxon.* II. d. 18. n. 6. — Sed in *artificialibus* nullum principium, nec activum, nec passivum, est in motu inquantum artificiale, quia nihil est in ligno vel in lapide nisi naturale tantum; omnis enim incisio ibi causata violenter est, ideo non est ibi principale passivum naturale respectu incisionis. — In generatione vero *naturali* nunquam passivum patitur violenter, licet enim totum quod corrumpitur patiatur violenter, ut aqua ab igne, tamen principium passivum quod subest utrique formae non violenter recipit. Sed in *artificialibus* illud quod subest violenter recipit incisionem; sed materia naturalium vel habet inclinationem ad formam quam recipit, vel non habet reinclinationem. — *Report.* ib. q. 1. n. 8.

Principium dicendi habens perfectum potest per illud dicere. — Quando accipitur: *illud quod habet principium dicendi perfectum potest per illud dicere*, loquendo de *habere* proprie, sicut dicitur abstractum haberi quando habetur ut forma suppositi, et etiam de *constructione* propria nominis significantis principium actus cum gerundivo significante actionem, quae constructio

---

(1) Vid. DISTINCTIONES: *Scientia* — *Scire*.

(2) Imo « de ratione principii est unitas, licet in principiatis possit esse pluralitas, quia semper est reductio pluralitatis ad unitatem ». — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 37.

notat illam formam huic supposito esse principium agendi, concedo, quia in subiecto includuntur illa quae requiruntur ad hoc quod praedicatum insit; quando enim in hoc forma habetur ut forma huic, et ut huic principium agendi, potest per hoc esse principium agendi. — *Quodlib.* q. 2. n. 28.

Principium minus principale agere nequit nisi principaliori prius agente. — Principium minus principale nunquam potest agere, nisi principaliori prius naturaliter agente: et hoc loquendo de prioritate ex parte *agentis*, non ut actio vel terminus recipitur in *passo*, quia sic simul natura terminatur actio agentium ordinatorum in passo ad formam. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 40.

Principium (per idem) aliquid est et distinguitur ab alio. — Quocumque formaliter constituitur aliquid in esse, eo habet unitatem correspondentem illi esse et distinctionem. — *Report.* I. d. 11. q. 2. n. 5. — Quia *eodem* est aliquid *ens* et *unum* unitate convenienti tali entitati; et si unum, igitur in se est indistinctum, et ab aliis distinctum; quia quodlibet habens aliquod esse distinguitur distinctione convenienti illi esse a quocumque alio per aliquod quod est de ratione eius inquantum habet tale esse. — *Oxon.* ib. n. 6. — Cf. *Poster.* I. q. 31. n. 5. — Vid. *Esse ab eodem res habet et unitatem.*

Principium Primum est finis omnium. — Quod *Primum Principium sit finis omnium* patet primo per rationem Aristotelis, *XII. Metaphys. text.* 52, ubi dicit, quod sicut exercitus ordinatur ad ducem, sic totum universum est ordinatum propter respectum ad unum ultimum finem. Unde sicut exercitus non esset unus nisi haberet unum ducem, sic nec universum esset unum nisi haberet unum finem. — Item, *bonum et finis idem sunt, III. Metaphys. text. 3;* sicut quanto aliquid plus habet de entitate, tanto plus de actualitate et perfectione, et per consequens de bonitate: sed est dare unum ens primum per se solum; ergo et unum finem per se solum: sed ad *per se* omnia alia reducuntur; ergo erit unus finis ad quem reducantur. — Item extra infinitum in aliquo genere nihil illius generis potest ultimo terminare: sed experitur mens rationalis, quod non satiatur nisi per bonum infinitum; ergo est dare bonum infinitum; ergo si terminet in infinitum, est per rationem infinitam finis; ergo cum nihil sit quod fine careat, aut sit extra participationem istius finis, sequitur, quod omnia tendunt ad istum finem. — *De Rer. Princ.* q. 1. n. 25. — Omnis enim intellectus habet pro obiecto totum ens, et sic non quietatur in quacumque substantia vel ente, sed solum in ente optimo. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 8. n. 7.

Dicendum ergo, quod Primum Principium est summe bonum et omnia ordinantur ad ipsum tamquam ad summum. Quod probatur sic: Ubi est invenire magis et minus bonum, ibi est invenire maximum bonum (1), per Aristotelem, *IV. Metaphys. text. 27:* sed est invenire aliquod bonum et aliquod magis bonum; igitur est invenire maximum bonum: sed illud bonum non potest esse aliud quam Primum Principium. — *QQ. Metaphys.* l. XII. q. 28. n. 2. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 3. n. 11. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 17. — IV. d. 49. q. 8. n. 7. — *Report.* I. d. 2. q. 2. n. 3. — *De Primo Princ.* c. 2. n. 2. — c. 3. n. 9 seqq. — *Physic.* VIII. q. 7.

Principium Primum est summe communicabile. — Cum Primum Principium sit unum simplicissimum, sequitur, quod de ratione sua habeat formalem *plenitudinem ad se communicandum.* Quod patet: quia enim singulariter est unum, ita quod nec esse nec intelligi possunt duo prima entia aequaliter prima, ideo cum summe sit unum, erit summe primum; sequitur enim: unum praecedit multa; ergo quod habet unitatem totaliter, ita quod duo talia esse non possunt, habet totalem potestatem: quanto autem aliquid magis est primum, tanto magis pluribus communicatur eo modo communicationis qui ei convenit; *simpliciter* igitur *primum summe erit communicabile* eo genere communicationis quod ei convenit. Quia erit etiam simplicissimum, ideo actualissimum ac per hoc potentissimum; ergo quod de se est summe primum et summe simplicissimum est summe primum potentissimum et

---

(1) Cf. *De Rer. Princ.* q. 9. n. 45.

sui communicativum. — *De Rer. Princ.* q. 2. n. 8.

Principium sicut se habet in speculabilibus, sic finis in operabilibus. — Illud simile concluderet multa falsa, quia concluderet, quod sicut assentimus necessario conclusioni propter principia, sic necessario assentimus illis quae sunt ad finem propter finem, quod est falsum. Ideo dico, quod simile est quoad duo: scilicet, quoad *ordinem* istorum et illrum *inter se*, et etiam quoad *ordinem* illorum comparando *potentias ordinate tendentes* in illa. Et intelligo sic, quod sicut est ordo inter ista vera, sic et inter illa bona; et sicut illa vera sunt sic ordinate cognita, ita et illa bona sunt sic ordinate volita. — Sed non est simile quantum ad ordinem *necessitatis* in uno, et in alio, comparando ad *potentias absolute;* non enim oportet, quod voluntas servet illum ordinem in actibus suis, qualem nata sunt volibilia habere ex natura sua: nec est assensus similis hinc, inde, quia necessitas est in intellectu ex evidentia obiecti necessario causante istum assensum in intellectu; non autem bonitas aliqua obiecti causat necessario assensum voluntatis, sed voluntas libere assentit cuilibet bono, et ita libere assentit maiori bono sicut minori. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 16. — Cf. ib. d. 3. q. 4. n. 23. — Quando * ergo * dicitur, quod *sicut se habent principia in speculabilibus,* etc., dicendum, quod est simile quoad hoc, quod sicut veritas conclusionis ordinatur ad veritatem principii et praemissarum, sic bonitas eorum quae sunt ad finem ordinatur ad finem; et ideo comparando principia ad *obiecta* et fines, vera est propositio: sed comparando ad *potentiam,* vera non est. — *Ib.* IV. d. 49. q. 10. n. 14. — Cfr. *Report.* q. 9. n. 17. — III. d. 18. q. 3. n. 14. — *Collat.* XXX. n. 2. — I. n. 19. — III. n. 4. — Vid. *Finis se habet,* etc.

Priora generatione posteriora sunt perfectione. — Secundum Philosophum, *V. Metaph.* cap. *De Priori,* et *IX. Metaph.* c. 7. aliqua sunt priora *generatione,* aliqua *perfectione.* Et istae prioritates communiter e converso se habent; in via enim generationis imperfectiora sunt priora. — *Oxon.* IV. d. 16. q. 2. n. 18. — Cfr. *Report.* ib. n. 23. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 21. — d. 5. q. 2. n. 16. — IV. d. 49. q. 2. n. 10.

Primitas naturae duplex est, sicut et *natura* dicitur dupliciter, scilicet, de *materia* et de *forma.* Primitas naturae ratione *materiae* est primitas *generationis* seu originis: primitas autem ex parte *formae* est primitas *perfectionis.* — Quamvis autem in non simpliciter perfectis, ut in *creatura,* istae primitates habeant ordinem, quia, secundum Philosophum, *IX. Met.* 15, *quae priora sunt generatione posteriora sunt perfectione,* et e converso, tamen in *simpliciter perfecto,* ut in *Deo,* ista duplex primitas concurrit sub eodem ordine; quia in Divinis quod est primum secundum *originem* est primum secundum *perfectionem;* nam essentia est primum origine in Divinis, a quo originantur omnia quae sunt in Divinis, non accipiendo *originem* proprie per *productionem,* sed communiter, quia omnia quasi originando fluunt ab essentia. Etiam est primum *perfectione,* quia, secundum Damascenum, lid. *Orthod. fid.* c. 12, est *sicut pelagus infinitum omnium perfectionum.* — *Report.* I. d. 35. q. 2. n. 4. — Cf. *De Primo Princ.* c. 1. n. 2.

Priori destructo, destruitur posterius. — Ista propositio, *destructo priori, destruitur posterius,* vera est de *simpliciter priori,* a quo scilicet dependet posterius; non autem de illo quod aliquo modo est prius, a quo tamen posterius non dependet essentialiter, sicut est in effectibus ordinatis, propinquior causa dicitur prior remotiori, et tamen possibile esset aliquando causam exire in effectum secundum, licet impediretur a primo. — Aliter potest dici, quod illa propositio vera est, nisi aliquid aliud prius priori et posteriori suppleat vicem illius prioris. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 3. n. 32. — *Report.* ib. 21.

Prius priore est prius posteriore. — Vid. *Praedicatur quando alterum,* etc.

Prius ubi est et posterius. — *Ubi est reperire prius, et posterius.* — Dicendum, quod illud est verum in univoce dictis, vel in essentialiter ordinatis. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 1. n. 4. — *Prius* ex ratione *prio-*

ris potest esse sine posteriori, absque contradictione, et hoc quando nulla est necessaria connexio. Ista necessaria connexio potest esse vel propter *identitatem realem*, sicut subiectum et propria passio, vel propter *simultatem naturae*, ut in correlativis. Aliter non salvaretur prioritas unius ad aliud. Patet ex definitione eius. — *Oxon.* III. d. 2. q. 1. n. 3. — *Report.* ib. — Cf. *Oxon.* II. d. 3. q. 3. n. 6. — Possibile est prius naturaliter esse sine posteriori naturaliter. — *Ib.* II. d. 3. q. 4. n. 9. — Nam prius naturaliter non videtur habere aliquid de ratione sua dependens a posteriori. — *Ib.* III. d. 36. q. 19. — Prius enim ut prius est non dependet a posteriori, sed magis e converso; et ideo priori non repugnat esse sine posteriori, sed posteriori repugnat esse sine priori. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. un. c. 10. n. 89. — Item, omne prius potest causari in actu sine posteriori, nisi sit necessaria causa illius, vel includat necessariam causam illius posterioris; hoc enim addo propter necessariam forte causalitatem in subiecto respectu passionis. — *Report.* I. d. 3. q. 5. n. 7. — Vid. *Posterius dependet a priori, non e converso.*

Prius secundum consequentiam non semper est prius causaliter. — Non sequitur: est prius secundum *consequentiam;* ergo est prius naturaliter, hoc est, prius *causaliter.* Similiter, secundum Philosophum in *Praedicamentis,* prius causalitate potest esse simul secundum consequentiam; esse namque hominem secundum consequentiam convertitur ad veram rei orationem, et e converso, et tamen esse rei est prius causaliter; in eo enim quod res est vel non est est oratio vera vel falsa. Ita haec prioritas in concedendo potest stare cum non prioritate in causando, sicut universaliter est in accidente consequente multa necessario, sicut calidum consequitur ignem et aerem; ideo requiritur ad utrumque illorum secundum *consequentiam,* et tamen utroque illorum est posterius secundum *causalitatem.* — *Oxon.* III. d. 2. q. 2. n. 14. — *Report.* ib. q. 1. n. 9. — De prioritate *consequentiae* imperfectius est prius: sicut *animal* est prius secundum *consequentiam* quam *homo;* et universaliter *consequens* est imperfectius quam *antecedens.* — *Oxon.* IV. d. 16. q. 2. n. 18.

Privatione (a) ad habitum non fit regressus. — Si privatio quae est terminus *a quo* non potest redire eadem, nec terminus *ad quem,* et hoc loquendo de praeciso termino *a quo,* et respectu agentis naturalis. Nunc autem, non est causa, quare illa non redit eadem, nisi quia positivum cum quo coniungitur non redit idem. Si enim forma secundum ordinem generationis immediate praecedens aliam in materia potest redire, non apparet quare non possit etiam redire privatio concomitans. Illa ergo propositio de *Praedicamentis* intelligitur in ordine naturalis generationis secundum descensum; quia post privationem ibi non redit habitus, quia non redit forma immediate praecedens illum habitum secundum ordinem generationis. — Potest breviter dici, quod illud intelligitur de identitate secundum *speciem,* non de identitate *numerali,* et tunc de immediata reditione, et per consequens neutrum de reditione *mediata.* — *Oxon.* IV. d. 43. q. 3. n. 13.

Dici potest, quod loquendo generaliter de *privative oppositis,* non est impossibile universaliter a privatione esse regressum ad habitum; quia sic loquendo *privatio* dicitur esse carentia formae in subiecto quando aptum natum est habere; et a tali privatione possibile est esse regressum ad formam. Unde illud dictum Aristotelis est verum de aliqua privatione *particulariter.*

Ad salvandum igitur dictum Aristotelis distinguitur *privatio* tripliciter: *uno modo* sic: quaedam est privatio quae est carentia formae, ad quam non ordinatur subiectum nisi *mediante* habitu: alia ad quam ordinatur *non mediante* habitu. — *Alio modo* sic: quaedam privatio privat habitum secundum *actum* et secundum *potentiam:* alia privat *tantum actum.* — *Tertio modo* sic: privatio quaedam est cuius habitus inest a principio *innato,* cuiusmodi est caecitas, quia visus est a principio intrinseco: alia est privatio cuius habitus inest a principio *extrinseco,* ut tenebra in medio.

De *privatione* quocumque istorum mo-

dorum, *primo* modo dicta, intelligit Aristoteles: *secundo* modo non.

Videtur tamen prima distinctio esse minus competens; quia nullum subiectum videtur ordinari in privationem mediante habitu, si intelligatur subiectum ordinari in privationem mediante habitu, sic quod subiectum non est natum recipere privationem, nisi prius recipiat habitum; hoc enim est manifeste falsum, quia aliquis non prius videns potest esse caecus: vel si intelligitur, nisi prius natum sit recipere habitum; et sic distinctio nulla, quia sic omne subiectum ordinatur in privatione mediante habitu. — Ratio autem quare Aristoteles intelligit de *primo* membro *secundae* distinctionis, et non de secundo, est manifesta ex ipsis verbis distinctionis. — Quare autem possit intelligere de *primo* membro *tertiae* divisionis, et non de *secundo*, causa est, quia quando habitus qui est a principio *intrinseco* non inest, tunc in subiecto non inest principium sufficiens illius habitus; et cum natura transmutabilis semper tendat in non esse, non est possibile illud principium recuperari in subiecto, et ita nec habitum illum induci. Si igitur privatio talis habitus aliquando insit, impossibile est postea habitum illum inesse. Sed quando habitus est a principio *extrinseco*, ut lux in medio a corpore luminoso, tunc licet privatio aliquando insit, possibile est ab illo extrinseco habitum induci. — *Super Praedic.* q. 41. n. 2.

Aliter potest dici, quod inter contraria mutua est motus proprie dictus, quia utrumque est aliqua natura positiva, nec potest expelli nisi in tempore; sed a *privatione* in habitum numquam est motus ratione privationis; quia materia subiecta privationi tantum habet carentiam formae, et cum hoc tamen stat quod summe sit disposita ad suscipiendum formam, et ita non oportet illam moveri ad illam; sed statim praesente agente recipere illam sine motu. — *Ib.* n. 4. — Ut communiter dicitur, aliquando a privatione ad habitum est regressus, et aliquando non; privatio enim aliquando respicit subiectum mediante *motu*, aliquando mediante *forma*. — Tunc enim privatio respicit subiectum mediante *forma* quando aliquid est informatum aliqua forma respectu cuius potest sibi privatio evenire. *Exemplum:* oculus informatus visu potest privari visu per caecitatem. — Sed tunc privatio respicit subiectum mediante *motu* quando aliquid est privatum aliquo, et potest illud acquirere mediante motu. *Primo* modo acetum est privatio vini, et mortuum vivi. Et in talibus numquam est regressus a privatione in habitum, nisi fiat resolutio in primam materiam. Cuius ratio communiter assignatur, quia quando materia secundum ordinem respicit diversa non potest esse reditus a posteriori in prius nisi modo praedicto. *Exemplum:* in generatione animalis ex cibo fit sanguis, et ex sanguine semen, et ex semine animal. Iste ordo non potest mutari, ut, scilicet, ex semine fiat sanguis, et ex sanguine cibus, nisi per resolutionem in primam materiam, quia cuiuslibet rei est determinatus modus generationis per naturam. Et propter hanc rationem non fit regressus ab aceto in vinum, nec a mortuo in animal, nec a caecitate in visum, nisi modo praedicto, quatenus materia respicit tales privationes mediantibus habitibus et formis. — Quando autem materia respicit privationem sine tali ordine, vel privatio respicit materiam non mediante forma, sed mediante motu, a tali privatione potest esse regressus in habitum vel formam: sicut a tenebris ad lucem, quia tenebra nihil aliud est nisi absentia luminis in medio; et similiter a privatione formae aquae potest fieri regressus ad formam aquae per generationem naturalem. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* lib. VIII. S. un., c. 5. n. 36.

Privationem privare est habitum ponere. — *Privare privationem est habitum ponere,* quia sunt immediate opposita circa aptum natum. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 18.

Privationes cognoscuntur per habitus. — Vid. *Grammat. Specul.* nn. 8 et 9. = Distinctiones: *Bonum perfectumque duplex.*

Privationes distinguuntur per habitus. — Privationes distinguuntur specie ex distinctione habituum specifica, et numero ex distinctione habituum numerali. — *Oxon.* II. d. 37. q. 1. n. 9. — *Privationes* enim *distinguuntur sicut habitus* nati essent di-

stingui: puta, surditas et caecitas suo modo differunt specie privativa, sicut auditus et visus specie positiva: et haec caecitas et illa numero privative, sicut hic visus et ille differunt numero positive. — *Quodlib.* q. 18. n. 17.

Ad *unitatem* * vero * privationis non sufficit unitas subiecti et habitus oppositi, sed requiritur *unitas continuitatis* eiusdem in subiecto, eo modo quo potest habere esse in subiecto. Patet hoc per *simile:* quia ad unitatem negationis non sufficit unitas affirmationis; nam *non Socrates,* quod est negatio unius numero affirmationis, potest esse non solum plura numero, sed in pluribus specie et genere, et tot esse quot sunt entia quae non sunt Socrates. Ita et privatio potest esse eiusdem formae, et tamen non eadem; potest etiam esse in eodem subiecto plurificata, si sit interruptio, sicut et habitus eius est plurificatus, si cum interruptione inesset illi subiecto. — *Oxon.* IV. d. 22. n. 22. — Unius tamen habitus secundum speciem est tantum una privatio secundum speciem: ut unius motus secundum speciem est una quies secundum speciem. Non tamen oportet habitum numerari ad numerationem suae negationis vel privationis, quia eiusdem affirmationis possunt esse infinitae negationes; nec differunt *privatio* et *negatio* secundum se, nisi quia una est in subiecto, alia non; neutra tamen aliquid ponit in re; et ideo de tot individuis dicitur privatio sicut negatio. — *Report.* ib. n. 18. — Cf. *Oxon.* I. d. 28. q. 1. n. 4. — IV. d. 11. q. 1. n. 5.

Processus in infinitum non datur. — Ut ostensum est (1), nullus processus in *ordinatis accidentaliter* potest procedere in infinitum, vel per continuam diversitatem, nisi in virtute alicuius essentialiter superioris tota illa diversitate. — *Oxon.* IV. d. 49 q. 2. n. 19. — Non est processus in infinitum in perfectibilibus et perfectionibus. — *Ib.* n. 23. — Cf. *Quodlib.* q. 3. n. 15.

Propositione omni negativa prior est affirmativa. — Omni propositione negativa prior est affirmativa, *II. Periherm.* c. ult. t. 16; haec enim, *bonum non est malum,* est vera' quia haec affirmativa prior est vera, scilicet: *bonum est bonum.* Et Philosophus, IV. huius I cap. quod incipit: *Amplius si contradictione notior utique erit dictio quam opposita negatio.* — *QQ. Metaph.* l. II. q. 3. n. 13.

Propositum si est causa propositi, et oppositum causa oppositi. — Illa regula Philosophi habet instantiam universaliter: *Si propositum est causa propositi, et oppositum causa oppositi,* quando unum oppositorum potest produci univoce, et aliud tantum aequivoce, sicut patet de qualitate corruptibili et incorruptibili, quia qualitas incorruptibilis producitur aequivoce, qualitas vero corruptibilis ab agente univoce; nunc, non valet, si qualitas corruptibilis potest causare qualitatem corruptibilem, igitur incorruptibilis· incorruptibilem, ut calor potest causare calorem. — *Report.* II. d. 20. q. 1. n. 5. — *Oxon.* ib. n. 4.

Proprium semper inest. — *Proprium semper inest.* — Quia *proprium* egreditur ex principiis subiecti, et maxime a forma: non est autem possibile, causam necessariam et immediatam alicuius poni, nisi ponatur effectus; et ideo quia semper inest subiecto sua forma, quia non est id quod est nisi per illam, ideo semper sibi inerit proprium. — *Super Univers. Porph.* q. 33. n. 2.

Prudentia circa agibilia sicut ars circa factibilia. — Vid. *Ars est circa factibilia,* etc.

Prudentiae uni existenti omnes inerunt. — Qualiter omnes prudentiae sint unus habitus, debet intelligi *unitas* non *formalis,* sed *virtualis.* Habitus enim ille qui est de primo obiecto est formaliter unus, et est virtualiter omnium quae continentur in illo primo obiecto, sed non est formaliter omnium illorum. Ita ille habitus qui est formaliter alicuius finis in aliquibus agibilibus est virtualiter omnium eorum quorum cognitio practica virtualiter continetur in illo fine, sed non est formaliter omnium illorum. Et ita una prudentia est virtualiter omnium virtutum, extendendo nomen *prudentiae* ad habitum illum qui est intellectus primi principii practici. — Secundum hoc exponi po-

(1) Vid. *Causarum infinitas est impossibilis.*

test auctoritas illa *VI. Ethic.*: *Uni prudentiae*, etc.

Vel si loquitur de una prudentia *formali*, tunc debet intelligi, quod illi existenti uni perfecte, non tantum secundum *intensionem*, sed etiam secundum *extensionem*, omnes inerunt: nunquam autem est perfecta extensive quantum potest esse, nisi sit perfecta circa omnia illa ad quae potest se extendere, et illa sunt omnia pertinentia ad quascumque virtutes morales.

Alio modo potest exponi illa auctoritas, non de unitate *formali*, sed de unitate *generis*. Sicut enim *temperantia* apud Philosophum dicitur esse una virtus, et *fortitudo* alia, utraque tamen illarum est quoddam genus intermedium habens sub se multas species, ita *prudentia* correspondens isti connumerationi vel coordinationi generum mediorum potest dici *una* propter unitatem *generis intermedii*, licet contineat sub se multas species.

Sic intelligendo *unitatem*, uni prudentiae secundum genus omnes virtutes sunt connexae, prout sibi secundum quamcumque suam speciem aliqua virtus est connexa; et hoc supponendo praecedentem articulum de connexione cuiuslibet virtutis ad suam prudentiam, vel mutua vel non mutua. — *Oxon.* III. d. 36. nn. 23-24.

Q

Quae analogantur in aliquo primo illud est realiter in uno primo, et in aliis non nisi per attributionem ad illud. — Dico, quod hoc est falsum; quia si ita est in uno exemplo, in centum est contrarium; nulla enim maior est analogia quam sit creaturae ad Deum in ratione *essendi;* et tamen sic *esse* primo et principaliter convenit Deo, quod tamen realiter et univoce convenit creaturae. Simile est de *bonitate* et *sapientia* et huiusmodi. Gradus etiam sunt in perfectionibus specierum, et per attributionem se habent ad aliquam perfectionem; et tamen non est tota perfectio in una, nec etiam tota entitas in substantia, ita quod accidens non sit ens, nec habeat formalem entitatem, quamvis per attributionem se habeat ad substantiam.

Nec etiam *exemplum* multum valet; quia non est idem conceptus *sanitatis* qui dicitur de *orina* et de *animali* et de *diaeta;* nam non est idem formalis conceptus sanitatis ut est *aequalitas humorum*, et ut est quid *causativum* sanitatis, vel *significativum* sanitatis, licet in utroque materialiter includatur formalis conceptus *sanitatis*. Et tunc dico, quod huiusmodi conceptus sunt formaliter diversi in illis de quibus dicuntur; nam *causativum* sanitatis est formaliter in diaeta, vel in tali potione, vel herba; *significativum* in urina est. Et hi conceptus formaliter diversi ordinantur ad illum conceptum sanitatis, qui est *aequalitas* vel *proportio humorum;* quae ut sic formaliter est solum in animali. — *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 8. — *Report.* ib. n. 10.

Qualitas recipit contraria. — Vid. DISTINCTIONES: *Qualitatis proprietates.*

Quantitas non suscipit magis et minus. — Vid. DISTINCTIONES: *Suscipere maius* et *minus* — *magis* et *minus* = *Qualitatis proprietates.* — Concedendum est tunc, quod *quantitas* suscipit *maius* et *minus*, sed non *magis.* — *Super Praedic.* q. 24. n. 7. — Cf. *Physic.* V. q. 3. n. 8.

Quantitati nihil est contrarium. — Vid. DISTINCTIONES: *Contrarietas proprie — transumptive.*

Quantum omne divisibile est. — Quia non est intelligibile aliquid esse quantum, quin sit ex partibus; nec quod sit ex partibus, quin pars sit minor toto; et ita non est intelligibile, quod aliquid sit quantum indivisibile, ita quod non sit aliquid in eo minus, eo inexistens. — *Oxon.* II. d. 2. q. 9. n. 17.

Qui fecit te sine te non justificabit te sine te. — Neminem nolentem iustificat Deus, secundum illud Augustini: *quia qui fecit te sine te non iustificat te sine te.* — *Report.* IV. d. 4. q. 5. n. 2. — *Oxon.* ib.

Quod quid est rei est idem cum eo cuius est in non habentibus materiam. — Ad illud *VII. Metaphysic., in eis quae sunt sine materia quod quid est rei est idem cum eo cuius est,* dico, *quod quid rei* potest comparari ad illud cuius est *per se et primo,* et ad illud cuius est per se, et *non primo:* et universaliter eo modo quo est alicuius, eo modo est idem sibi, quia, sicut Philosophus arguit *cap. 5, singulum non aliud videtur esse a suimet substantia* et *quod quid erat esse dicitur singuli substantia:* si enim illud quod non est ens nihil est, *quod quid* autem rei est illud quo primo res est, et ideo cuius est *quod quid primo* ipsum est idem ipsi primo; cuius est *per se* ipsum est idem illi per se; cuius est *per accidens,* illi idem est per accidens; et ideo illi non est simpliciter idem. Unde quod ipse vult in *3 cap.,* quod *in dictis per accidens non est idem quod quid est cum eo cuius est,* non mirum, quia in *secundo cap.* declaravit, quod nihil eorum est *quod quid est,* nec definitio: habens autem *quod quid est* potest intelligi vel ipsa natura, cuius est primo *quod quid est,* vel suppositum naturae, cuius est *quod quid est* per se, licet non primo. Primo modo *quod quid est* tam in materialibus, quam in immaterialibus, est idem cum eo cuius est etiam primo, quia primo habet *quod quid est.* Secundo modo habens non est idem ipsi *quod quid est* primo: quia *quod quid est* non est eius primo, pro eo quod habens illud includit entitatem aliquam extra rationem eius quod est *quod quid* est primo.

Ad propositum ergo Philosophi dico, quod in non constitutis cum materia, hoc est, cum non entitate individuali contrahente quidditatem, idem est *quod quid est* primo cum eo *cuius est,* quia tale *cuius est* nullam rationem includit extra rationem eius quod est primo *quod quid est.* In constitutis autem cum materia, hoc est, cum entitate individuali contrahente quidditatem, non est idem primo *quod quid est* cum eo *cuius est:* quia sic acceptum primo non habet *quod quid est* ex se, sed tantum per partem, scilicet, per naturam quae contrahitur, scilicet, per illam entitatem individualem (1).

Non igitur ex isto habetur, quod materia, quae est *altera pars compositi,* sit extra rationem per se *quidditatis,* imo vere pertinet ad *quidditatem;* et species habens formam in universali habet primo *quod quid est,* et primo est idem sibi; et ideo non sequitur, quod materia, quae est altera *pars compositi,* sit *individuans;* sed tantum sequitur de materia quae est *entitas contrahens,* quod concessi.

Utrum autem carentia materiae quae est *altera pars* inferat carentiam huius *entitatis individualis,* secundum Philosophum, de hoc in *quaestione seq.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 21.

Dico * igitur *, quod licet Philosophus intelligat ibi per se de materia, hoc est, de *entitate contrahente* per se quidditatem, tamen applicando ad habens materiam quae est *altera pars compositi,* et non habens, concedo, intellectum Philosophi fuisse, quod omne non habens materiam pro aliqua natura componente est idem suo *quod quid est.* — Primo, quia omne tale *quod quid est* ponit per se *hoc.* Et ratio ad hoc est, quia omne tale quod non habet materiam partem sui posuit *formaliter necessarium:* quidquid autem potest esse in natura formaliter necessaria est in ea; ergo quodlibet quod potest habere illam quidditatem habet eam, quia non est potentia distans ab actu; igitur omnem *possibilitatem* quam posuit in tali natura ad supposita posuit *in actu:* si autem ibi esset possibilitas ad plura individua, esset possibilitas ad infinita; igitur essent infinita in actu; quare cum infinitas sit impossibilis in aliqua natura, igitur et

---

(1) « Et dico, quod materia non impedit identitatem habentis *quod quid est* ad suum proprium *quod quid est,* sed habens materiam individualem non est idem cum *quod quid est* speciei, et hoc propter materiam individualem, quae non includitur in specie ». — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 16. n. 8.

« Unde cum Philosophus dicit, *quod quid est* est idem cum eo *cuius est,* verum est, cum *eo cuius est primo;* unde *quod quid est* speciei est idem cum specie simpliciter, sed non est idem cum individuo, sed quodammodo pars eius, cum individuum addat super eam formam individuam, ut dictum est ». — *Ib.* q. 13. n. 15.

in hac natura, secundum eum, est impossibilitas ad infinitatem; ideo est de se *haec*, secundum ipsum.

Sed discordamus ab eo in hac propositione: *omnis quidditas non habens materiam est formaliter necessaria*, et ideo in conclusione; rationabilius est enim Theologo discordanti a Philosopho in principio, propter quod tenet aliquam conclusionem, consequenter discordare in conclusione, quam errare cum eo in conclusione, et discordare ab eo in principio propter quod ipse erravit; ita enim concordare cum eo nec est philosophare, nec theologice sentire, quia talis non habet rationem quae valeat apud philosophum, quia nec philosophus concederet conclusionem nisi propter principium illud, nec ad conclusionem suam habet principium theologicum, quia praecise ad eam est principium philosophicum, quod ipse negat. — *Ib.* q. 7. n. 6. — *Report.* ib. q. 1. n. 17. — Cf. *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 2. c. 5. n. 36. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 7. per tot. — q. 13. n. 15. — Vid. *Materia: In his quae sunt sine* etc.

* Seu brevius: * Sicut *quod quid est* in immaterialibus est idem cum eo *cuius est* primo, sic in materialibus *quod quid est* est idem cum eo *cuius est* primo: ut *quod quid est* hominis cum homine; et est idem cum *hoc* homine *per se*, sed non primo, sicut hic homo habet per se definitionem, sed non primo. Unde eo modo quo res habet definitionem et *quod quid est*, sic est idem sibi vel non idem. — *Oxon.* III. d. 22. n. 11.

Dico, quod aliquid habet quidditatem *per se* et *primo*, aliquid *per se*, sed *non primo*, et aliquid *per accidens* generaliter. Ergo in his quae habent quidditatem per se et primo *quod quid est* est per se primo idem cum eo *cuius est*; habenti autem quidditatem per se, non primo, idem est *quod quid est* per se cum eo *cuius est* per se, non primo; habenti vero quidditatem per accidens solum per accidens est idem quidditas. — Tunc ad propositum dico, quod *homo* habet quidditatem per se et primo, sic est sibi idem quidditas; *hic* homo habet quidditatem per se, non primo, et sic quidditas est idem sibi; hic autem homo *existens* habet quidditatem per accidens, et ita quidditas est idem sibi; sed hic homo *albus* habet quidditatem magis per accidens, et ideo quidditas magis per accidens est idem sibi.

Tunc dico, quod in conceptis cum materia *contracta per existere* quidditas non est idem per se cum eo cuius est, sed per accidens; sed in substantiis compositis conceptis cum materia *universali abstracta* est idem *quod quid est* cum eo *cuius est*, secundum quod expresse dicit Philosophus, VII. *Metaph.* cap. 4: *Singulum enim non aliud videtur esse a suimet substantia, et quod quid erat esse singuli dicitur substantia.* Sicut igitur aliquid habet quod quid est, sic est idem sibi. — *Ib.* n. 17.

R

Ratio in se falsa de nullo est vera. — Per Philosophum, *V. Metaph.* cap. *de Falso*, ratio *in se* falsa est de omni falsa; ergo nulla ratio est de aliquo vera, nisi sit in se vera; ergo ad hoc, quod cognoscatur aliquid esse verum de aliqua ratione, vel ipsam esse veram de aliquo, oportet cognoscere ipsam esse veram *in se*. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 5. — Cf. III. d. 7. q. 1. n. 8. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. V. S. un. n. 157. — Vid. Distinctiones: *Oratio falsa duplex.*

Recessus ab uno extremo est accessus ad aliud. — Dicendum, quod quando sunt aliqua duo extrema opposita, quanto aliquid recedit ab uno oppositorum, tanto accedit ad aliud. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 44. — Quando dicitur, *recessus ab uno*, etc., respondeo, quod recessum esse ab uno extremo et accessum ad aliud potest intelligi dupliciter: vel *positive*, vel privative, ut sit sensus: quod quando tollitur unus gradus unius extremi ponatur gradus alterius ex-

tremi; et sic intelligendo propositionem, dico, quod non habet propositio illa vulgata necessitatem. — *Privative* potest intelligi propositio, ut sit sensus: recessus ab uno extremo est accessus ad aliud, id est, quando tollitur unus gradus unius extremi paucioribus mutationibus potest aliud extremum acquiri, facilius enim ex minori albo itur ad nigrum quam ex albissimo. Cum tali accessu stat, quod non participat aliud extremum secundum aliquem sui gradum. — *Miscell.* q. 2. n. 5.

Recipiens aliquid ab agente patitur ab eo secundum quod est in actu. — Si intelligatur, quod patiens formam recipiat secundum *eamdem dispositionem* qua est in agente, non est verum nisi de patiente passione *naturali* et *univoca*, non autem *intentionali*. Si autem intelligatur, quod agens non agit nisi *secundum quod est in actu*, non secundum quod est in potentia, et per consequens patiens non recipit aliquid ab agente nisi secundum quod in actu, ita quod receptum est procedens ab *actualitate* agentis, non potentialitate, verum est. — *De Anima*, q. 5. n. 5.

Recipiens a recepto distinguitur. — Idem non recipit seipsum, sed oportet, quod realiter distinguatur ab illo. — *Oxon.* II. d. 12. q. 1. n. 8.

Recipiens denudatur ab eo quod recipit. — Cum dicitur, *recipiens denudatur*, etc., dico, quod oportet recipiens denudari a dispositione *repugnante* receptivo; igitur in quocumque habetur aliquid realiter quod est dispositio ad *recipi* intentionaliter, ibi oportet recipiens denudari a realitate tali, ut aliud possit recipere. — Nunc autem, in potentiis non organicis non est necesse inquantum huiusmodi, quod denudentur a toto genere illius quod debet recipere; quia si sic, cum Deus sit cognoscitivus cuiuslibet entitatis, oporteret eum denudari ab omni entitate, et tunc esset nihil. Sed oculus, quia debet recipere colorem intentionaliter, requiritur quod sit non coloratus realiter, quia coloratum realiter habet conditionem oppositam et dispositionem repugnantem receptioni intentionaliter coloris. Unde in tactu non oportet, quod denudetur organum ab omni qualitate tangibili realiter, quia qualitas tangibilis realiter non reperit dispositionem repugnantem in susceptivo, sicut receptivum coloris intentionaliter. Ideo si illa propositio Philosophi debet habere veritatem, oportet, quod intelligatur de potentiis *organicis corporalibus*. — *Report.* II. d. 3. q. 3. n. 16. — *Oxon.* ib. q. 8. n. 16. — Cf. ib. q. 11. n. 1. — d. 15. n. 3.

Vel aliter dicendum, quod receptivum dicitur aliquid recipere vel secundum esse *naturale*, et sic oportet illud esse denudatum a natura recepti: vel secundum esse *intentionale*, et tale si est receptivum organicum, necessarium est ipsum denudari a natura recepti, non totaliter, sed ab excellentia recepti, sicut sensus tactus ab excellentia tangibilium; si autem est receptivum non organicum, ut intellectus, non est vera, quia tunc denudaretur a propria natura, cuius intellectum * seu intellectionem * potest recipere. — *De Anima*, q. 15. n. 9. — *Physic.* I. q. 18. n. 7.

* Vel * dicendum, quod non oportet receptibile denudari ab omni forma *eiusdem speciei*, sed oportet eum denudari ab eadem forma *numero*. — Forte aliter et melius, quod debet denudari a forma *eiusdem generis*, quae perficit receptibile secundum totam capacitatem eius. Si autem habeat unam formam, dummodo non perficiat *totam* capacitatem, potest recipere aliam eiusdem speciei, si tamen non inducatur per motum. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 7. n. 11.

Recipiens inter et illud a quo recipit convenientiam sit oportet. — Si accipias: *oportet esse convenientiam inter recipiens et illud a quo recipit*, dico, quod magis proprie diceretur esse *proportionem* quam *convenientiam*, quia recipiens habet rationem *passi*, et illud a quo recipit rationem *agentis:* agens autem et passum sunt *proportionalia*, non autem proprie convenientia, nisi extendendo *convenientiam* ad *proportionem:* immo proportio eorum requirit *disconvenientiam*, quia requirit quod unum sit in *actu* tale et aliud in *potentia* tale. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 2. n. 7. — Vid. *Agens et patiens sunt proportionata.*

Referri — Idem non refertur bis. — Quod dicitur, *idem non refertur bis*, intellexit

Aristoteles, quod accidens non refertur ad *subiectum* et *terminum*, sicut innuit in littera, ibi: *Non est autem intellectus ad intelligentem et intelligibile*. — Vel oportet dicere, quod idem non refertur *primo* ad diversa, *per se* tamen potest: quia *primo* ad unum, per *suam* rationem; *per se* vero ad aliud, secundum rationem *sui generis*. Relativum enim secundum genus est relativum *per se*, quia includit in sua essentia illud per quod refertur. Impossibile est enim absolutum in sua essentia essentialiter includere relativum.

Ad videndum quomodo idem referatur ad duo *per se*, sciendum, quod idem non potest referri ad diversa *primo*; quia illud competit alicui *primo* quod competit ei per *speciem suam*: illud autem competit sibi *per se* quod competit sibi per *causam* in se: unde illa dicuntur relativa *primo* quae sunt huiusmodi secundum aliquid intellectum essentialiter inclusum in eis, sicut ratione sui generis: sicut *medicina* dicitur relative ratione scientiae, quae est eius genus quae iteratur in ea.

Probatio *primi*, quia si sit, tunc illa relatio quae est ratio referendi unum ad duo extrema primo, esset duae relationes essentialiter, quia ad duo non est primo eadem habitudo: sed relatio secundum se est habitudo. — Tunc etiam idem haberet duas definitiones; quia utrumque relativum aeque primo definiretur: consequens est falsum; quia tunc posset cognosci per unam, et non cognosci per aliam. — Item, tunc idem posset simul esse, et non esse: accipio enim duo correlativa, scilicet A et B: et C referatur ad utrumque. Si referatur ad A aeque primo, et etiam ad B; igitur cum A possit esse sine B, sequitur, quod C relatum ad ambo, scilicet, ad A et B, simul esset et non esset, quia esset existente A, et destructo B non esset.

Probatio *secundi*, scilicet, quod possibile est idem referri ad diversa *non primo*. Probatur sic: quia refertur *primo et per se* ad *primum* correlativum, et potest referri *per se*, et *non primo* ad correlativum *sui generis*. Verbi gratia, *multiplex* et *submultiplex* referuntur; et *duplum* et *dimidium* referuntur; sed duplum *primo et per se* refertur ad *dimidium*, *per se* autem et *non primo* ad *submultiplex*, quod est correlativum sui generis, et non primum *dupli*, sed primum *multiplicis*: *multiplex* enim est genus *dupli*, et submultiplex est genus dimidii; submultiplex potest esse, non existente dimidio; sed dimidium non potest esse nisi existente submultiplici. — Sed idem non potest referri ad quaecumque diversa, quia si ad unum *primo* et ad aliud *per se, non primo*, tunc primum posset esse tale, quod non posset esse sine per se correlativo quam e contrario sine primo et correlativo. Primo, quia si posset esse sine per se correlativo, sequeretur, quod unum extremum simul esset, et non esset; quia existente dimidio, necessario est duplum, cuius est per se et primo correlativum; sed destructo submultiplici, quod est per se correlativum dupli, et non primum, destruitur duplum: ergo si dimidium posset esse, non existente submultiplici, simul esset duplum ad esse dimidii, et destrueretur ad destructionem per se correlativi. Potest tamen esse e contrario extremum submultiplex sine dimidio; cuius causa est, quia esse correlativum per se tantum ponit esse generis; et non ponit aliquid posterius genere: omne enim superius abstrahit ab inferiori; potest ergo esse submultiplex sine dimidio. — *Super Univers. Porph.* q. 21. n. 4 seqq. — *Super Praedic.* q. 29 per tot. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 14. per tot.

Rei et unius rei eadem est definitio. — *I. Elenchor.* cap. 4 dicit Aristoteles: *eadem est definitio propositionis et unius solius propositionis, et rei et unius solius rei.* — *Super Praedic.* q. 12. n. 5. — Dico, quod *unus* et *solus* possunt esse categorematica, vel syncategorematica. Primo modo intelligit Aristoteles in *I. Elenchor.*, quia eadem est definitio *rei* et *unius solius rei*, id est, rei in se indivisae et ab aliis divisae, quia illud est res per suam essentiam. Non autem intelligit ut *unus* et *solus* sunt syncategorematica. — *Ib.* n. 7.

Rei unius una est definitio. — Unius rei una est definitio, sicut una essentia. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. III. S. 2. c. 7.

n. 36. — * Seu * unius rei tantum est una definitio propria. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 2. n. 1. — * Si tamen sint plures *, quod una definitio non exprimit alia exprimit, ut sic ex omnibus colligendo quod sparsim invenitur in singulis, possit haberi una definitio completa. — *Ib.* n. 11.

Relatio eadem non potest esse ad duos terminos. — Quia tunc eadem simul esset et non esset. — *Oxon.* III. d. 8. n. 10. — *Ib.* IV. d. 19. n. 9.

Relatio est oppositi. — *Relatio,* ex hoc quod est relatio, *est oppositi* necessario ut termini, ita quod comparare eam ad essentiam non includendo habitudinem ad oppositum, est non comparare relationem ad essentiam. Et ex hoc quod est oppositi, necessario distinguitur realiter ab illo. — *Oxon.* I. d. 26. n. 8.

Relationis extrema actu sint oportet. — *Oportet extrema relationis esse in actu* quoad *rationem referendi,* et non quoad *existentiam;* quia *prius* et *posterius,* licet non simul existant, tamen simul sunt secundum rationem qua referuntur; nam quando prius est sub ratione prioris posterius est sub ratione posterioris, licet tunc non existant. — *Super Univers. Porph.* q. 24. n. 2.

Relatio non cognoscitur naturaliter nisi cognito termino. — Sed nec intellectus comparat *ad aliquid* nisi naturaliter prius cognito termino. — *Oxon.* I. d. 35. n. 10. — Relatio non potest praecognosci termino naturaliter. — *Ib.* d. 3. q. 5. n. 3. — Relatio non potest cognosci nisi cognoscatur utrumque extremum. — *Quodlib.* q. 14. n. 23.

Relatio non est de ratione absoluti. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 11. — Relatio secundum quod relatio non est formaliter essentia, quia, secundum Augustinum, *VII. De Trinitate,* c. 1., *si essentia est ad aliud, iam non est essentia.* Et potest argui similiter e converso, scilicet: si relatio formaliter est entitas ad se, igitur non est relatio. — *Ib.* d. 26. n. 8.

Relatio non est per se una, nisi habeat fundamentum unum. — Si arguitur, quia *relatio non est per se una, nisi habeat fundamentum unum,* respondeo, quod si forte hoc esset verum de relationibus *realibus,* de quibus est dubium, quia forte in multis trahentibus unam navem est una relatio trahentium ad unum tractum, tamen in relationibus *rationis* propositio est manifeste falsa; quia quantumcumque diversa possunt concurrere in fundamento unius relationis; non enim oportet nisi quod *multa* ibi concipiantur *quasi unum* in ordine ad aliquod signatum. — *Oxon.* IV. d. 4. q. 2. n. 11.

Relatio non recipit contraria.
Relatio non suscipit magis et minus.
} Vid. Distinctiones : *Relatio = Relativorum proprietates.*

Relatio omnis praesupponit illud quod refertur. — Haec propositio falsa est in relatione constituente suppositum; et vera in aliis. — *Oxon.* I. d. 26. n. 42.

Relativa dicuntur ad convertentiam. — Omnia *relativa dicuntur ad convertentiam,* per Aristotelem, in *tertia proprietate,* id est, secundum mutuam dependentiam. — *Super Praedic.* q. 27. n. 3. — Notandum * tamen *, quod non omnia relative opposita dicuntur reciproce secundum *eumdem modum* referendi, sed solum ea quae per se mutuo referuntur. Hoc valet pro intellectu tertiae proprietatis relativorum, quae est *omnia relativa dici ad convertentiam,* hoc est, mutuo ad invicem; quae proprietas in aliquibus relativis vera est secundum eamdem rationem referendi, ubi utrumque extremum est per se relativum ad aliud; in aliis non sic, ubi unum extremum *per se* refertur ad aliud, et illud non ad ipsum nisi *per accidens.* — Vel aliter potest dici, quod licet non omnia relativa dicantur reciproce, tamen omnia relative opposita dicuntur reciproce, quia illa relativa ubi non utrumque dicitur per se ad aliud non sunt relative opposita, quia non sunt ambo in eodem genere. — *Ib.* q. 39. n. 5. — Vid. Distinctiones: *Relativorum proprietates.*

Relativa per se mutuo definiuntur. — Aristoteles dicit, quod impossibile est unum relativum definite cognosci nisi cognoscatur alterum: sed quodlibet incomplexum definite cognoscitur cum cognoscatur per suam definitionem; igitur impossibile est unum relativum cognosci per suam definitionem nisi

cognito altero; igitur unum necessario est ponendum in definitione alterius. — *Super Praedic.* q. 28. n. 2.

Hoc potest concedi: quia esse essentiale relativi est ad aliud se habere: definitio autem indicat esse essentiale definiti; igitur definitio relativi debet indicare suum esse se habere ad aliud: quod non potest, nisi in ea ponatur correlativum ipsius definiti; igitur, etc.

Istud autem verum est non tantum de relativis *mutuo dependentibus*, sed de quibuscumque quae *essentialiter* dependent ad alia, quod illa alia ponenda sunt in eorum definitione; sed non *mutuo* se definiunt nisi quae mutuo ad invicem per se dependent: quod non est verum de relativis *per accidens*, neque de relativis *tertio modo* relatis, ut *mensura* et *mensurabile*, neque de relativis secundum *genus*. — *Ib.* n. 3.

Notandum, quod sicut in definitione unius per se *relativi* debet poni alterum, ita in definitione *relationis*, a qua dicitur illud relativum, debet poni alia relatio sibi correspondens, vel relativum dictum ab alia relatione: ut in definitione *paternitatis* debet poni *filiatio* vel *filius;* quia relatio est essentialiter habitudo ad aliud, et impossibile est concipere habitudinem sine termino *ad quem* est, et omne illud oportet poni in definitione sine quo definitum non potest concipi, quia definitio exprimit completum intellectum definiti; ergo in definitione relationis oportet terminum *ad quem* est poni. Magis tamen videtur relationem, ut *filiationem*, ponendam esse in definitione relationis, ut *paternitatis*, quam relativum, ut *filius;* quia filius est simul natura cum patre, et pater est naturaliter posterius paternitate: sed nullum posterius videtur ponendum in definitione prioris. — *Ib.* q. 29. n. 6.

Notandum, quod solutio illius quaestionis * (praecedentis) * vera est de relativis *aequiparantiae* quando definiuntur in *singulari*, quia eorum esse est ad aliud se habere, definitio enim debet indicare esse definiti; sed quando definiuntur in *plurali* non oportet in eorum definitionibus eorum correlativa poni; tunc enim tam subiectum relationis quam eius correlativum exprimitur per idem nomen sumptum *in plurali*. — *Ib.* n. 10.

Relativa sunt simul natura. — *Oxon.* d. 12. q. 2. n. 20. — Est vera de *correlativis*. — *QQ. Metaph.* l. VIII. q. 2. n. 12. — Dicendum, quod illa relativa quae *mutuo per se* referuntur, ita quod unius esse sit ad aliud se habere, et e converso, *sunt simul natura;* quia posito uno, ponitur reliquum, et e converso; et destructo uno, destruitur reliquum, et e converso. — Si tamen sint relativa *per accidens*, vel non *per se* relativa *mutuo*, non oportet, quod sint simul natura. Quia non oportet relativum esse simul natura cum suo correlativo *per accidens*.

Dici potest, quod relativa sunt simul natura secundum illud esse quod est eis proprium inquantum sunt relativa; sed illud non est esse *existere*, quia hoc accidit eis inquantum referuntur, et ideo unum relativum potest sic esse, non existente alio. — *Super Praedic.* q. 27. n. 4.

Ubi tamen breviter dico, quod simultas relativorum, qua dicuntur *esse simul natura*, est ista, scilicet: non posse esse sine se invicem, sine contradictione, si sunt relativa *mutua*. Nam una relatio non potest esse sine termino, quia si posset esse sine eo, esset ens *ad se:* pari ratione, nec relatio alia sibi correspondens potest esse sine isto termino, quia tum esset *ad se;* igitur istae duae relationes quando sunt mutuae non possunt esse sine se invicem, absque contradictione: omne autem prius natura potest esse, sine contradictione, sine posteriori, ita quod si ponatur hoc esse sine illo, non est contradictio, sicut patet per Philosophum, *V. Metaph.* cap. *de Priore.* — *Oxon.* l. d. 28. q. 3. n. 8. — Licet relativa sint simul *natura*, prout simultas dicit non posse esse sine invicem, tamen cum hoc stat prioritas originis, quae nihil aliud dicit nisi *a quo est aliud.* — *Ib.* IV. d. 13. q. 1. n. 24. — Cum simultate correlativorum secundum naturam videtur posse stare prioritas secundum *perfectionem* in uno respectu alterius. — I. ib. n. 9.

Relativorum non est medium. — Medium proprie *contrariorum* est. Cuius ratio est,

nam medium solum est inter opposita; quod patet per definitionem *medii; medium* enim *est in quod prius pervenit transmutatio quam in extremum:* sed omnis *transmutatio* est inter *opposita;* ergo medium solum est inter opposita. Sed non inter *contradictoria,* quia de quolibet est affirmatio vel negatio. Unde *contradictio* est oppositum *cuius non est medium secundum se.* — Similiter *inter relativa* universaliter *non est medium;* quia quaedam non sunt in *eodem* genere, ut *scientia* et *scibile;* et medium est inter ea quae sunt *eiusdem* generis. Imo si inter aliqua relativa sit medium, ista sunt ut contradictio, et ut ex aequo ad invicem. — Relativa *privativa* etiam ad subiectum proprium comparata *immediata* sunt, quia omne *animal* aut est *caecum,* aut est *videns;* et hoc quando natum est videre. Quia tamen *privatio* varie potest contingere, quia aliquid dicitur *privatum* ex eo quod nullo modo habitum habet, et aliquid dicitur *privatum* eo quod non habet quando aut in qua parte natum est habere, et ideo inter quaedam *privativa* est medium, et inter quaedam non. *Puer* non dicitur *malus* nec *bonus,* eo quod aetatem non habet in qua natus est dici bonus vel malus, et hoc secundum virtutes morales; sed cum ad aetatem pervenerit, dicitur bonus vel malus. — Similiter aliqua *privatio determinat* sibi *subiectum,* et aliqua non; virtus enim politica determinat sibi pro subiecto hominem civilem; et ideo qui non est civilis nec potest dici bonus vel malus, quia homo agrestis in hoc sensu nec est bonus, neque malus. Unde inter talia privativa convenit sic dare medium. — Quaedam etiam privativa determinant sibi subiectum, et non requirunt sibi aliquam circumstantiam, neque aetatem, nec quando, sicut par et impar; et inter talia non est medium.

Sed dictum est *supra, quaestione 11.,* quod omnis *contrarietas* est *privatio,* et prima contrarietas habitus et privatio, et ideo non excludit, quin inter sola contraria proprie sit medium; quia ubicumque inter aliqua sive privativa, sive relativa sit medium, habet rationem contrariorum, propter quod dicit Philosophus, quod *solum inter contraria est medium.* — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 16. n. 2. — Vid. *Contradictoriorum non est medium.*

Repugnare. — **Idem non repugnat eidem nisi per eamdem rationem repugnantiae.** — Dico, quod in eodem possunt plura includi, quorum cuilibet secundum propriam rationem, etiam alio circumscripto, repugnat aliquid idem; et tunc quodcumque illorum potest esse ratio repugnantiae illius includentis ad aliud. — *Exemplum:* homini per rationem *substantiae* repugnat, quod sit albedo, etiam quocumque alio circumscripto; item per rationem *rationalis.* — Illa ergo propositio est neganda, quod *unum uni non repugnat nisi per unam rationem repugnantiae.* — Sed si addatur: non nisi per unicam rationem *primam,* distingui potest: quia ratio repugnantiae uni extremo competit illi cui est ratio repugnandi, et alteri repugnat. Vel ergo *primitas* ista refertur ad istam *convenientiam,* et tunc illa erit prima ratio repugnantiae, quae primo convenit isti, et cum hoc repugnat alteri: vel *primitas* ista refertur ad *repugnantiam,* et tunc illa erit prima ratio repugnantiae quae primo opponitur illi, et cum hoc convenit isti.

Et utroque modo potest distingui de primitate *communitatis* et *perfectionis.* — Quantum ad primitatem *communitatis,* prius repugnat substantiae esse quantitatem quam animali; e converso tamen quantum ad primitatem *perfectionis,* quia animal plura includit, propter quae repugnat sibi quod sit quantitas, quam substantia includit. — Accipiendo tamen uniformiter *primitatem,* vera est propositio, quod *eiusdem ad idem una est prima ratio repugnantiae.* — Similiter quantum ad primitatem *communitatis,* prius competit homini esse substantiam quam rationalem; et quantum ad primitatem *perfectionis* est e converso.

Sed si arguatur: idem non competit eidem nisi per eamdem rationem; ergo similiter est de repugnantia; *respondeo:* non est simile, quia multis communiter non convenit idem praedicatum, saltem quod non est de essentia eorum, nisi per idem com-

mune eis; sed multis repugnare potest idem non per aliquid commune eis. — *Exemplum:* repugnat homini et albedini esse Angelum; et licet forte homini et albedini sit *ens* commune univoce, tamen ens non est ratio istius repugnantiae, quia convenit Angelo. *Exemplum manifestius:* lapidi, albedini, chimerae, repugnat esse Deum; non tamen per aliquid commune, sicut manifestum est. — *Quodlib.* q. 9. n. 18 seqq.

Rerum creatarum primum est esse. — Ad illud Auctoris *De Causis*, dico, quod sic est intelligenda illa propositio: quod prima perfectio in rebus creatis ordine *originis* et *naturae* est *esse*, sed non ordine *perfectionis:* si enim *esse* esset unus actus datus a Deo post formam substantialem, tamquam accidens ei, ut alii imaginantur, non video quomodo esset prima perfectio in rebus creatis, nec quomodo esset primus terminus creationis. — *Report.* IV. d. 1. q. 1. n. 21.

Vel ibi accipitur *creatio* extendendo ad primam productionem *secundum rationem*, et *primitas* entis sumitur secundum distinctionem rationum formalium in effectu, et secundum originem, non secundum perfectionem, ut sit sensus, quod eo modo quo *esse* in *effectu* distinguitur a perfectionibus essentialibus, ipsum est terminus primae productionis secundum rationem. — *Oxon.* ib. n. 8.

* Vel * dico, quod Auctor *De Causis* intelligit per se *actum primum*, et non *existere.* Unde intellectus est, quod prima rerum creatarum est esse, hoc est, prima rerum creatarum est *actus*, sicut patet de intellectu; et non loquitur hic de *esse* quod est *existere.* — *Poster.* II. q. 4. n. 4.

Res nulla propria forma privatur. — Impossibile est rem privari propria forma vel differentia specifica, quia iam esset hoc, et non esset hoc. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. I. S. 1. c. 1. n. 6.

Re transmutata, non ideo vocis significatum transmutatur. — Dicendum, quod *facta transmutatione in re secundum quod existit, non fit transmutatio in significatione vocis:* cuius causa ponitur, quia res non significatur ut *existit*, sed ut *intelligitur*, per ipsam speciem intelligibilem: sed sive sit, sive non sit, cum tam res ut intelligitur, quam species maneant intransmutatae, facta transmutatione in re ut existit, quia per eamdem speciem cognoscimus essentiam, et eamdem scientiam habemus de ea quando existit et quando non existit, quia per Arist. *I. Poster. text. 29.*, de his quae frequenter sunt possumus habere demonstrationem etiam quando non sunt vel fiunt, et per consequens eamdem scientiam habere sicut et quando sunt, sequitur, quod res *ut significatur per vocem* non transmutatur, qualicumque transmutatione facta in re *ut existit*, et per consequens nec vox significans transmutabitur in significando. — *Opus prim. sup. I. Periherm.* q. 3. n. 4.

Ratio rei apud animam est eadem, re existente et non existente; per hoc autem est *significatum vocis idem.* — Quod ratio rei est eadem apud animam, manifestum est in *accidentibus*, quae multoties generantur et corrumpuntur: si enim dicitur *animal currit*, licet non sit aliquis cursus, idem est tamen intellectus per nomen quod cursu existente esset; aliter non contingeret de non existentibus fieri demonstrationem. — *Opus sec. sup. Periherm.* q. 2. n. 2.

Dicendum * ergo *, quod nomen significat univoce rem, re manente vel existente et non existente. — Ad quod sciendum, quod hoc nomen *Socrates* significat Socratem secundum quod est in actu; non tamen significat Socratem *existere:* sed Socrates est in actu sua forma; nam nomen primo significat similitudinem rei in anima: illa autem est forma, quod est in actu; ideo nomen significat Socratem secundum quod est in actu. — Aliud intelligendum est, quod sive res sit, sive non sit, similitudines univoce sunt signa illarum.

Ex istis sequitur, quod nomen essentialiter significat rem, sive sit, sive non sit, quia rem repraesentat secundum quod similitudo eius in anima est et est signum. — *Ib.* n. 3.

Potest igitur breviter dici, quod illud quod proprie significatur per vocem est res, non ut existens est vel non existens, sed res ut absolute abstrahit ab istis et est extraneum ad quodlibet illorum. — *Ib.* n. 7.

S

Sacramentum efficit quod figurat. — Hoc modo intelligitur illa propositio, *Sacramentum efficit quod figurat:* id est, si significat aliquid *fieri,* illud per Sacramentum tamquam per signum *efficax* fit: si autem significat aliquid *esse,* illud per Sacramentum tamquam per signum *verax* est. — *Oxon.* IV. d. 8. q. 1. n. 6. — Sacramenta novae Legis efficiunt quod signant, sicut dispositio efficit, ut meritum ad praemium, et corpus organicum ad creationem animae et inductionem eius in tali corpore sic disposito; sicut enim meritum et corpus organicum est dispositio necessitans ad praemium et inductionem ultimae formae, sic susceptio huius Sacramenti * (Eucharistiae) * et hoc Sacramentum est dispositio necessitans (sicut potest esse necessitans in his quae sunt ex institutione divina ad placitum) ad gratiam subsistentem. — Et sicut in aliis Sacramentis conceditur, quod per Sacramentum, ut per dispositionem quasi necessariam, habetur gratia accidentalis quam designat, ita vere hic potest concedi, quod per species panis et vini post consecrationem habetur gratia subsistens et verum Corpus Christi, ut per debitam necessariam dispositionem; ita quod ly *per* dicat ibi circumstantiam causae instrumentalis; Deus enim utitur illis speciebus sensibilibus panis et vini post consecrationem, ut ad eorum praesentiam sit ibi totum Corpus Christi: non quod species illae habeant aliquam causalitatem faciendi ibi Corpus Christi, nisi sicut quaedam dispositio congrua et necessaria ex institutione, cui assistens Deus facit, quod sub illis sit contentum Corpus Christi realiter. — *Report.* ib. n. 12.

Sapientis est prima ordinatio, *I. Metaph.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 2. n. 20. — Tum primo, quia *ipsum sapientem oportet ordinare alios,* et *non ordinari:* tum secundo, quia sapientem *non oportet ab alio suaderi, sed magis ab hoc suaderi minus sapientem.* — Notandum, quod in artibus mechanicis *famulantes* sunt illi qui praeceptis superiorum artificum obsequuntur, et isti imperantes architectores et sapientes dicuntur, propter duplicem causam: primo, quod ipsi non ordinantur ab aliis, sed potius e converso: secundo, quia inferiores persuadentur a superioribus, et non e converso. Secundum autem communem opinionem sapienti competit ordinare, non ordinari, persuadere, non persuaderi. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. 1. c. 2. n. 21. — Vid. Distinctiones: *Sapientia.*

Scibile est mensura scientiae. — Quia scientia dependet ad ipsum. — *Oxon.* IV. d. 48. q. 2. n. 11.

Scibili destructo, destruitur scientia. — Dicitur, quod hoc verum est, quod destructo scibili in potentia, destruitur scientia in potentia, et e converso; similiter destructo scito in actu, destruitur scientia in actu, et e contrario, destructa scientia in actu destruitur scitum in actu. Sed destructa scientia in actu, non destruitur scibile in potentia. — *QQ. Metaph.* l. V. q. 12. n. 9.

Sciens maxime ad aliquid dicitur. — Illud verbum, *sciens maxime ad aliquid dicitur,* debet intelligi sic: *ad aliquid,* id est, ad obiectum *intra,* et non immediate ad obiectum *extra.* — *Quodlib.* q. 13. n. 21.

Scientia est necessarii dicti de contingente. — De contingentibus sunt multae veritates necessariae, quia actus qui contingenter dicitur concluditur necessario debere esse talis, ad hoc ut sit rectus. De ipso ergo est scientia quantum ad conclusionem demonstratam necessario, licet in se sit contingens inquantum elicitur a potentia propria. — Tunc patet ad auctoritatem *I. Posterior.*, *scientia est necessarii dicti de contingente;* et ita veritates necessariae includuntur in veritate contingentis, vel concluduntur de aliquo quod est contingens per rationem alicuius prioris necessarii. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 41. — Vid. Distinctiones: *Theologiae proprietates.*

Scientiae unius unum est obiectum. — Ad quaestionem, *utrum unitas scientiae sit ex unitate generis subiecti*, dicitur, quod sic. Cuius ratio est, quia sicut se habet potentia ad subiectum, ita scientia ad subiectum: sed unitas potentiae est ex unitate subiecti, sicut unitas potentiae visivae est ex unitate coloris, potentia enim distinguitur per subiecta, per Aristotelem, *II. De Anima;* ergo unitas scientiae est ex unitate generis subiecti.

Intelligendum tamen, quod non oportet ad unitatem scientiae genus subiectum esse unum unitate *praedicationis* ad omnia quae continentur in scientia, sed sufficit quod sit unum secundum *analogiam:* sicut *ens* est subiectum potentiae intellectivae, ita quod primum ens, quod est substantia, est subiectum intellectus, et omnia alia entia per attributionem ad substantiam; ita de ente quod est *substantia* est primo Metaphysica, et de omnibus aliis entibus secundum quod habent attributionem ad substantiam. Et ita sequitur, quod non oportet genus subiectum esse *praedicabile* de omnibus quae determinantur in scientia, sed sic commune quod omnia in illa scientia habeant attributionem ad ipsum. Et conveniens *exemplum* ponit Linconiensis: sicut enim est de arbore, quod eius sunt radices quae sunt eius principium, sic etiam eius sunt rami existentes in arbore, et ab uno exeunt alii rami, quousque fiat multitudo ramorum, ita est in subiecto scientiae, quod eius sunt principium, et ab ipso egrediuntur passiones quae de ipso sciuntur per principium. Id manifestum patet in Geometria, ubi prior conclusio est principium conclusionis subsequentis, et sic fit una conclusio, et ab illa conclusione fiunt aliae, et sic quousque fiat integritas scientiae, omnia illa habent attributionem ad genus subiectum. — *Poster.* l. q. 47. n. 2. — Dico * ergo *, quod ad unitatem scientiae sufficit unitas *analogiae* in subiecto, ut determinatur *IV. Metaph.*, scilicet, quod omnia quibus convenit subiectum scientiae habeant per se attributionem ad unum primum in essendo et cognoscendo. — *Super Praedic.* q. 4. n. 10. — Vid. *Obiecti unius una est potentia.* = *Potentiae distinguuntur per actus etc.*

Scientiam simul quaerere et modum sciendi absurdum est. — Dicit * Aristoteles *, quod *absurdum est quaerere simul scientiam et modum sciendi; est autem neutrum facile accipere.* Vult dicere, quod quia non est facile duo simul accipere, absurdum est simul velle habere scientiam et modum sciendi; propter quod oportet prius habere modum sciendi quam scientiam, et per istum modum procedere ad considerationem et notitiam veritatis.

Notandum, quod, secundum expositionem Commentatoris, per *modum sciendi* intelligit Philosophus *Logicam*, quae modus sciendi dicitur omnibus aliis scientiis, ut est *utens;* omnes enim scientiae Logica utuntur, ut quatenus Logica tradit modum definiendi, syllogizandi etc., huiusmodi, quae a Logica accipiunt omnes aliae scientiae et per quae procedunt ad inquisitionem et notitiam veritatis. Prius ergo addiscenda est Logica, et sic est ad alias scientias procedendum ad inquisitionem et notitiam veritatis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. II. S. un. c. 3. n. 24.

* Sed * dici potest, quod illa expositio * (quod *modus sciendi* sit *Logica*) * debet intelligi *materialiter;* et ita haec praedicatio, *modus sciendi est scientia*, est vera, quia Logica docet modum sciendi, pro tanto quia est de syllogismo vel de argumento, per quod tantum habetur scientia. — *Super Univers. Porph.* q. 1. n. 4.

Aliter dici potest, quod si exponatur *modus sciendi* per *Logicam*, copulatio non debet cadere inter *scientiam* et *modum sciendi*, sed inter *quaerere scientiam* et *quaerere modum sciendi;* nam hoc quaerere est illud quaerere, propter concomitantiam: sed quaerere aliquid est quaerere illud quod est sibi necessario coniunctum, licet unum non sit reliquum. — *Ib.* n. 5.

Scientia nobilissima est circa nobilissimum genus. — Per Philosophum, *IV. Metaph. text. Comment.* 2 (1), *nobilissima scientia est circa nobilissimum genus:* vel ut *primum obiectum*, vel ut consideratum in illa scientia *perfectissimo modo* quo potest con-

(1) Vid. exposit. Doctoris, n. 13.

siderari in aliqua scientia naturaliter acquisita. * Sic * Deus etsi non est subiectum primum in Metaphysica, est tamen consideratum in illa scientia nobilissimo modo quo potest in aliqua scientia considerari naturaliter acquisita. — *Oxon.* Prol. q. 3. n. 20.

Scientia non probat suum obiectum. — Haec propositio, *nulla scientia probat suum subiectum esse,* quae communis est utrique * (Avicennae et Averr.) *, vera est propter *primitatem* subiecti ad scientiam, quia si *posterius* esset, probaret ipsum esse in illa scientia in qua habet rationem *posterioris,* et non tantum rationem obiecti *adaequati.* — *Report.* Prol. q. 3. a. 1.

Scientia *quia* demonstrat suum subiectum esse, quia per effectum demonstratur aliquid de causa sic: ex hoc enim quod effectus non potest esse sine tali conditione in causa, effectus non potest esse sine causa causae; ergo causa est. Patet etiam, quod primum quod concluditur de causa per effectum est esse: sed scientia *quia* supponit conceptum aliquem apud intellectum de subiecto, et de illo conceptu arguit primo quod *sit,* secundo quod *alia sibi insunt.* — *QQ. Metaph.* l. I. q. 1. n. 34.

Scientia quidquid comprehenditur scientis cognitione finitur. — Augustinus, *De Civ. Dei,* lib. XII. cap. 18., dicit, quod *quidquid scientia comprehenditur scientis cognitione finitur:* quod non est intelligendum, quod *absolute* finiatur, quia tunc Deus non comprehenderet se; sed finitur *cognoscenti,* quia respectu eius ita se habet ac si esset finitum. Videtur enim solus ille intellectus comprehendere aliquod intelligibile, cuius tanta est perfectio in intellectualitate, quanta est perfectio vel intelligibilitas intelligibilis, et ideo ibi est commensuratio et adaequatio: et propter hoc neutrum est respectu alterius excedens, et ita utrumque quasi finitum est alteri, quia simpliciter adaequatum: sicut propter aequalitatem Personarum divinarum posset dici una Persona finita alteri, quia non excedens eam, et tamen simpliciter non est finita. Quia ergo nullus intellectus creatus potest habere tantam intellectualitatem, neque in actu primo, neque in actu secundo, quanta est intelligibilitas Dei ut obiecti, imo in infinitum excedit, ideo nullus talis intellectus creatus, etsi videat quodcumque visibile ex parte Dei, potest ipsum comprehendere, quia non est commensuratio hinc inde. — *Oxon.* III. d. 14. q. 2. n. 7.

Scientia speculativa nobilior practica. — *I. Metaphysicae: Practica est minus nobilis quam speculativa, quia est gratia usus.* — Dico, quod practica non est gratia usus ut *per se finis;* tamen aliquam habitudinem habet ad usum, sic quod usus est *per se obiectum* eius, vel aliquid virtualiter includens usum, quale Philosophus non posuit esse aliquod ens nisi ens ad finem: omne tale obiectum est ignobilius obiecto speculabili; et ideo talis ordo ad praxim concludit ignobilitatem practicae respectu speculativae. — *Oxon.* Prol. q. 4. n. 43.

Sedentem ambulare est possibile. — Aristoteles, *libro Elenchorum,* cap. 3, dicit, quod ista propositio, *sedentem ambulare est possibile,* est multiplex, quia potest esse divisa, ut si *possibile* determinet ly *ambulare* secundum se et absolute, ut separatum est ab actu sedendi; et sic in sensu diviso est vera sub hoc sensu: *qui vere sedet habet potentiam ut aliquando ambulet:* vel potest esse composita, ut ly *possibile* determinet actum ambulandi, ut coniunctum actui sedendi; et sic est falsa, quia sensus est: *Aliquis habet potentiam, ut sedendo, vel dum sedet, ambulet.* — *De Rer. Princip.* q. 4. n. 38.

Sensibilia (sicut) ad sensum sic phantasma ad intellectum. — Quando dicitur *III. De Anima: sicut sensibilia ad sensum, sic phantasmata ad intellectum,* dico, quod verum est, quantum ad *primam acceptionem notitiae* intellectualis ratione ordinis naturalis potentiarum, quae tunc non erit, sicut nec phantasma erit in intellectu separato. — *Report.* IV. d. 45. q. 2. n. 15. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 14. n. 7. — Vid. *Phantasma se habet ad intellectum sicut sensibilia ad sensum.*

Sensibilibus (a) non est expectanda sincera veritas. — Ad illud *LXXXIII. Quaestion.,* scilicet, quod de *sensibilibus et mutabilibus non potest esse veritas certa,*.

Aristoteles contra hoc arguit IV. huius, c. 5. t. c. 62. et seqq.: quia motus sensibilium est per se sensibilis; igitur aliqua veritas potest haberi per sensum de sensibilibus continue motis, haec, scilicet, quod *continue moventur*.

Sed ad auctoritatem Augustini salvandam, dici potest, quod sincera veritas non cognoscitur a sensu, ita quod sensus percipiat *immutabilitatem* veritatis quam apprehendit, nec obiectum inquantum immobile; sensus enim non percipit nisi praesens, et dum est praesens, et ideo non cognoscit ex se aliquid se habere, nisi dum praesens est, et non semper praesens est sensui corporali. Nam de isto sensu exponit se Augustinus, *Retract.* I. c. 25. Ideo non percipitur hoc ita semper esse. — Posito etiam, quod semper continuaretur visio mea circa A obiectum, sicut in primo instanti, non percipio immutabilitatem A, quia pro tunc non percipio A nisi quomodo A se habet pro tunc, quia non percipio nisi ipsum ut tunc est praesens. Ita etiam in tota visione quantumcumque continuata nunquam percipiam immutabilitatem A, sed pro omni nunc percipiam quomodo se habet pro tunc. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 4. n. 23

Ad rationes dicendum est, secundum Aristotelem ibi, quod bene concludunt, quod non sit impossibile esse aliquam veritatem sinceram de sensibilibus; sed illam veritatem sinceram esse, sive eius *sinceritatem*, sive *immutabilitatem*, et *a falso distinctam*, non percipit sensus, sicut dicit Augustinus. Unde sibi non obviat Aristoteles.

Aliter exponitur sic: *A sensu non est expectanda sincera veritas* tamquam a *causa principali effectiva*; sed tamen a cognitione sensitiva ut ab *occasione* acquiritur sinceritas veritatis et immutabilitatis, quia omnis nostra cognitio ortum habet a sensu, licet non totam vel totalem causalitatem.

Tamen dicitur, quod Philosophus loquebatur secundum cognitionem naturalem, eo modo quo expertus est; Augustinus vero de quadam cognitione superiorum in Divinis vel regulis aeternis, in quibus solum perfecte videtur verum, quia illae sunt regulae iudicandi de omni vero, perfecto iudicio; et ad illas non pertingit cognitio nostra sensitiva. — *Ib.* n. 24.

Sciendum * igitur *, quod a sensibilibus sicut a causa per se et principali non est expectanda sincera veritas; quia notitia sensus est circa aliquod per accidens, licet actus sensuum aliqui sint certi et veri. — Sed virtute intellectus agentis, qui est participatio lucis increatae, illustrantis super phantasmata, cognoscitur quidditas rei, et ex hoc habetur sincera veritas. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 24.

Sensibilium non est scientia. — *De sensibilibus non est scientia,* nec demonstratio, ex *VII. Metaph.* — *Oxon.* III. d. 24. n. 4.

Sensu deficiente deficit et scientia secundum illum sensum. — Utrum deficiente sensu, deficiat et scientia secundum illum sensum? — Dicitur, quod sic, sicut dicit Aristoteles. Et huius ratio est, quia scientia est cognitio acquisita per demonstrationem: demonstratio est ex universalibus; ergo scientia non est sine cognitione *universali:* sed cognitio universalis non est sine cognitione *sensitiva;* quia cognitio universalium est per *inductionem,* et inductio est *singularium,* quorum est *sensus;* ergo, a primo, *scientia* non est sine cognitione *sensitiva.* — *Poster.* I. q. 46. n. 2. — * Ideo * Aristoteles, in libro *De Sensu et Sansato,* dicit, quod *omnino non intelligimus de numero sensibilium quod non prius cadit in sensum.* — * Sed praefata * propositio intelligenda est de his qui carent sensu a *nativitate,* * et * de his quae acquiruntur per *discursum.* — *Ib.* n. 3. — Vid. *Intellectu (in) nihil est quin prius fuerit in sensu.*

Sensus est universalis, sentire singularis. — Pro tanto potest salvari illud *II. Poster.*, *sensus est universalis, sentire vero singularis,* quia quilibet unus actus sentiendi est circa unum singulare tantum, multi autem actus circa multa, et omnes illi actus sunt ab eadem potentia; ex quo concluditur, quod nullum unum singulare est primum obiectum potentiae, sed aliquid unum in multis singularibus, quod est quodammodo universale. Licet autem quodlibet sentire sit tantum circa singulare, non tamen ut circa primum obiectum, sed circa illud unum

quod existit in singulari. Aliter non idem obiectum potentiae et actus. Sed non est circa illud unum nisi sub singularitate, sicut color non videtur nisi in quantitate; a multis tamen actibus potest abstrahi unum commune et illius obiectum ponetur aliquod universale. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 6. n. 9.

Sensus non decipitur. — Notandum, quod *sensus nunquam decipitur* circa *proprium* obiectum ut obiectum est, ut dicitur *II. De Anima, text. com 63,* sed bene phantasia, quae non est idem sensui, sed est motus factus a sensu secundum actum, ut dicitur *II. De Anima, text. com. 160,* potest decipi circa obiectum, ex eo, scilicet, quod ad phantasiam aliquando non recte perveniunt immutationes sensuum, propter aliquod impedimentum: diversitas ergo iudicii quae accidit circa sensibilia non provenit ex sensu, sed magis ex phantasia. — Si vero dicatur, quod aliquando circa propria obiecta accidat error sensus, dicendum est, quod supposita proportione obiecti ad sensum, et distantia conveniente, et proportionato organo et medio, talis error non est ex sensu, sed a phantasia, ex cuius dispositione accidit aliquando, quod obiectum sensus aliter percipiatur a phantasia quam a sensu, sicut patet de phreneticis habentibus bonum organum phantasiae. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. IV. S. 2. c. 3. n. 76. — Cf. *De Anima,* q. 10. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 11.

Sensus sunt singularium. — Sensus sentit rem sub conceptu universali cum circumstantia particulari, et prius percipitur res sub hoc conceptu, *hoc ens, hoc corpus, hoc finitum,* vel *in hoc loco,* quam sub isto conceptu, *hoc animal;* et ideo sensus solum sentit singulare, eo quod solum sentit sub conceptibus mediantibus istis circumstantiis, qui omnes dicuntur conceptus singulares respectu conceptuum universalium simplicium eis correspondentium. Et intellectus non solum sentit singulare sub huiusmodi conceptibus, sed etiam universaliter sub conceptibus universalibus simplicibus. — *Physic.* I. q. 5. n. 11. — Vid. *Intellectus est universalium, sensus singularium.*

Significare sequitur intelligere. — Ista propositio, *significare sequitur intelligere,* intelligenda est ut illud *sine quo non,* quia non potest aliquid significari nisi prius intelligatur. Sed nec sequitur necessario, nec quoad consimilem ordinem in intelligendo et significando. — *Super Praed.* q. 4. n. 5. — *Significare* sic praesupponit *intelligere,* quod omne significatum prius intelligebatur, alioquin ei vox non fuisset imposita; sed postquam imposita est potest illud significare ad quod imposita est, licet a nullo intelligatur. — *Op. pr. sup. I. Periherm.* q. 3. n. 5. — Cf. *Oxon.* I. d. 22. q. 1. n. 2. — *Elench.* q. 15. n. 5.

Signum signi est signum signati. — * Haec * est vera, *quidquid est signum signi est signum signati,* ita quod signum intermedium non varietur in comparatione ad primum signum et ultimum signatum. — *Super Praedic.* q. 28. n. 7.

Simile cognoscitur per suum simile. — Phantasma quidem gignit speciem similem et repraesentativam obiecti, similitudine *naturali,* sed non similitudine *determinationis* vel *indeterminationis;* nam ista similitudo potest auferri ratione intellectus agentis concausantis, qui potest tribuere effectui maiorem indeterminationem quam potuit habere a solo phantasmate, ita quod similitudo est naturae repraesentatae, sive phantasma sit causa totalis, sive partialis; sed de similitudine *determinationis* vel *indeterminationis* non est omnino simile, concurrente agente potente tribuere maiorem indeterminationem. — *Oxon.* II. d. 9. q. 2. n. 34.

Similitudo sibiipsi non est. — Per auctoritatem Hilarii, III. *De Trinit., similitudo sibiipsi non est.* — *Quodlib.* q. 6. n. 19. — Nihil enim est sibi simile, sed alteri. Similitudo tamen fundatur super *unitatem in qualitate,* secundum Philosophum, *V. Metaph.* cap. *De Ad Aliquid.* Nec igitur sola *diversitas* relativorum, nec sola *unitas* fundamenti sufficit ad similitudinem, sed ambo requiruntur per se sicut una causa totalis. — *Oxon.* I. d. 19. q. 2. n. 9. — Vid. DISTINCTIONES: *Similitudo,* etc.

Simplicia vel totaliter sciuntur vel totaliter ignorantur. — Vid. DISTINCTIONES: *Conceptus simpliciter simplex,* etc.

Simul quaecumque uni et eidem sunt, inter se sunt simul. — Nisi illud tertium cum quo

alia sunt *simul* sit *limitatum* secundum illam unitatem secundum quam ipsa sunt simul cum illo tertio, non sequitur simultas eorum inter se; nec qui Parisiis simul est cum eo erit simul cum illo qui cum eodem tertio est Romae, si illud tertium sit *illimitatum*. Unde non sequitur: ego sum simul cum aeternitate, et anima Antichristi similiter; ergo anima haec et ego simul sumus; quia aeternitas est immensa et *illimitata* quantum ad actualem praesentiam. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 3. n. 6. — *Report.* ib. n. 35. — Vid. *Eadem (quae sunt) uni tertio*, etc.

Simul quae sunt ut sunt simul non habent ordinem. — Propositio illa, *quae sunt simul ut sunt simul non habent ordinem*, vera est, si ly *ut* dicat simultatem, et in modo simultatis, et cum hoc in modo ordinis, et in modo inhaerendi ipsius simultatis et ordinis. Intelligo sic: quod sicut accipitur modus simultatis secundum naturam et secundum originem, ita accipiatur proportionaliter idem modus prioritatis et posterioritatis, cum hoc etiam, quod sicut simultas praedicatur de istis, ita ordo negatur de eis, scilicet, quod si accipitur ibi simultas ut denominative inhaerens eis, et per hoc non negetur ordo inesse eis per se primo modo, sed negetur eis inesse denominative. — *Oxon.* IV. d. 13. q. 1. n. 25.

Simul sunt quorum non est medium. — *Esse simul* non est non habere medium convertibiliter, quia *non habere medium* est plus quam *esse simul.* Unde illa sunt simul quae sunt in eodem termino vel eodem loco, et non quorum non est medium. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 16. n. 4. — Vid. Distinctiones: *Simul esse.*

Singulare solum intelligitur in universali. — Cum dicitur, *singulare non est intelligibile nisi in universali,* dico, quod sicut in communiori non continetur perfecte quidquid est entitatis in inferiori, sic nec *in cognosci* vel intelligi. Ideo dico, quod in nulla specie, inquantum talis, perfecte potest cognosci obiectum suum per se singulare, quia aliquid includit quod non species, et quantum ad hoc non ducit species in eius cognitionem; et ideo dico, quod singulare non est per se intelligibile sub propria ratione *perfecte.* — *Report.* II. d. 3. q. 3. n. 15.

Singularium non est definitio, nec demonstratio. — Etsi aliqua ratio possit exprimere quidquid concurrit ad entitatem *individui,* non tamen illa ratio erit perfecta definitio, quia non exprimit *quod quid erat esse;* et secundum Philosophum, *I. Topicor., definitio est exprimens,* etc. (1); et ideo concedo, quod singulare non est definibile definitione alia a definitione speciei; et tamen est per se *ens* addens aliquam entitatem entitati speciei; sed illa per se entitas quam addit non est entitas quidditativa. — Singulare * igitur * non habet definitionem propriam, sed tantum definitionem speciei, et ita non est de ipso demonstratio propria, sed tantum demostratio quae est de *specie;* non enim habet aliquam passionem propriam, sed tantum passionem speciei. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 16. — Cf. *Report.* Prol. q. 1. n. 4. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 15. n. 124. — Vid. *Corruptibilium non est demonstratio = Demonstratio est universalium.*

Singularium non est scientia. De singularibus non est facta scientia, isto modo quo *scientia* accipitur *I. Metaphysicae,* prout distinguitur contra *experimentum* (2); sed accipiendo *scientiam* pro *certa notitia,* bene est scientia singularium; aliter Deus non haberet certam notitiam sui, cum sit quaedam singularitas, et quoddam necesse esse. VIII. etiam *Physicor. text. 22,* dicit Philosophus, * quod * quaerere rationem de hoc quod habetur per sensum infirmitas quaedam est intellectus nescientis distinguere inter notum et ignotum; quia aliquid certius demonstratione habetur, cum principia demonstrationis non sint nota nisi per sensum. — Vel dicendum, quod de singularibus *necessariis* bene est scientia, sicut Philosophus demonstrat Deum unum et actum purum. — *Miscell.* q. 6. n. 13. — Cf. *Quodlib.* q. 7. n. 9. — *Oxon.* II. d. 3. q. 6. n. 17 — q. 11. n. 9. — *De Rer. Princ.* q. 13. n. 8. seqq. — *Report.* Prol. q. 2. n. 16. — Vid. *Corruptibilium non est demonstratio.*

Species ex se est indeterminata. — Species plurificabilis in individuis non determi-

(1) Vid. Distinctiones: *Definitio.*
(2) Vid. Distinctiones: *Scientia.*

natur ex se ad certum numerum individuorum, sed quantum est ex se compatitur infinitatem individuorum, sicut patet in speciebus omnibus corruptibilibus. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 5.

Species intelligibilis intelligitur, sensibilis non sentitur. — Sensus cum sit virtus materialis non potest se reflectere supra suum actum, neque supra id quo cognoscit suum obiectum, et ideo *species sensibilis non sentitur.* — Sed intellectus, propter sui immaterialitatem, potest se reflectere supra suum actum et supra speciem qua cognoscit suum obiectum, et etiam supra seipsum, et ita omnia alia a suo primo obiecto potest cognoscere per reflexionem. — *Op. prim. sup. I. Periherm.* q. 2. n. 7.

Species sunt sicut numeri. — *VIII. Metaph.* text. 10: *Species sunt sicut numeri;* ergo quocumque addito variatur species. — *Report.* I. d. 17. q. 4. n. 1. *in argum.* — Dico, quod Philosophus loquitur ibi de *formis*, sicut Plato loquebatur secundum *quidditatem;* et nulla quidditas suscipit *magis* et *minus*, quia abstrahit secundum se ab individuis; et sic quidquid advenit quidditati ut quidditas est facit speciem aliam, vel de non specie speciem, sicut differentia adveniens sibi; non sic autem quod advenit quidditati individui, secundum conditionem individualem. — *Report.* I. d. 17. q. 4. n. 3. — II. d. 3. q. 1. n. 9. — q. 2. n. 12. — *Oxon.* I. d. 17. q. 5. n. 7. — II. d. 3. q. 7. n. 8. — q. 10. n. 17. — IV. d. 49. q. 3. n. 4. — *Quodlib.* q. 9. n. 4. — Vid. *Formae sunt sicut numeri.*

Substantia cuiuscumque rei est propria illi cuius est. — *Omnis substantia per se existens est propria ei cuius est,* hoc est, vel ex seipsa, vel est propria per aliquod contrahens facta propria, quo contrahente posito non potest inesse alteri, licet non repugnet ei ex se inesse alii. — *Oxon.* II. d. 3. q. 1. n. 10.

Substantiae nihil est contrarium. — Dicendum, quod in substantia et in quantitate et in quolibet genere convenit reperire contrarietatem, saltem in differentiis, eo quod prima radix contrarietatis in eis salvatur; quia tamen in eis non est plena contrarietas, ideo dicit Aristoteles in *Praedicamentis,* tract. 2. cap. 1., quod *substantiae nihil est contrarium.* — *QQ. Metaph.* l. X. q. 18. n. 3.

Substantiae repugnat inhaerere. — *Inhaerere* sive dependere ad substantiam est imperfectio; ideo ista repugnat substantiae, cum ipsa talis entitas sit, quod sibi repugnat esse entitatem *diminutam,* quia dat esse simpliciter, sive primum, quod est oppositum ei quod est *inhaerere.* — *Quodlib.* q. 3. n. 20. — Item, impossibile est substantiam accipere aliquam virtutem per quam dependeat ad aliquod ut *sibi inhaerens.* — *Oxon.* IV. d. 12. q. 1. n. 4. — Modus enim substantiae est *per se esse* naturaliter, hoc est, in essendo non inclinari naturali aptitudine ad aliud. — *Ib.* III. d. 1. q. 1. n. 5. — Videtur * tamen *, quod substantia potest habere modum accidentis, licet non perfecte, scilicet, dependendo et inhaerendo subiecto, tamen modum aliqualiter similem, scilicet, in dependendo actualiter ad suppositum alienum. — *Quodlib.* q. 19. n. 23.

Substantia est primum ens. — Cum dicitur, *substantia est primum ens,* dico, quod hoc est verum, comparando generalissimum *substantia* ad alia genera, id est, entium per se in genere est substantia primum ens. Non tamen est verum de substantia *principiata* simpliciter; quia principia talis substantiae sunt priora illa, ut dicitur *VII. Metaph. cont. 7,* quod forma et materia sunt magis entia composito. Forte tamen potest concedi absolute, quod *substantia* est primum *perfectione,* licet non via *generationis.* — *Super Praedic.* q. 15. n. 4. — Vid. DISTINCTIONES: *Substantiae primitas.*

Substantia est primum ens causalitate. — Illud quod est causa alterius in aliquo genere est prius eo in illo genere, quia causa prior est causato: sed substantia est causa omnium accidentium in genere entis; ergo substantia erit primum ens respectu aliorum. * Quia * *alia* entia a substantia *dicuntur entia inquantum taliter vel* totaliter *entis,* id est, inquantum habent habitudinem ad tale ens quod est substantia, ut ad cau-

sam. Licet enim accidens concretum, quantum ad principale significatum, significet solam *formam* accidentis, nihilominus tamen connotat subiectum cui inest, et ideo non dicitur sine subiecto, quod est substantia; quare sequitur, quod *substantia erit utique primo ens*, et *non aliquid ens*, id est, non ens *secundum quid.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. s. 1. c. 1. n. 3. — Vid. DISTINCTIONES: *Substantiae primitas.*

Substantia est primum ens cognitione. — Ad quaestionem, *utrum substantia sit primum entium cognitione*, quod sic: quia de omnibus quae habent *quod quid* simpliciter perfectissima est cognitio eorum quando cognoscitur *quid* sunt, sicut habent *quid:* sed substantiae est perfectissime *quid;* ideo de substantia perfectissime cognoscitur.

Tamen intelligendum est, quod quaedam sunt priora *generatione* et quaedam *perfectione.* — Quae generatione sunt priora imperfectiora sunt (1): e converso de alio. — Tunc substantia est primum omnium *cognitione*, quia *perfectissimum;* accidentia prima *generatione;* ideo, etc. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 3. n. 2.

Ut dicit Aristoteles in principio *VII. Metaph.* text. com. 4, *substantia est primum omnium entium cognitione;* quod non intelligitur de prioritate *temporis*, sed *naturae*, scilicet, quod cognitio eius est perfectissima. — *Super Praedic.* q. 4. n. 12. — Probat * Aristot. *, quod *substantia est primum omnium entium cognitione*, et intendit talem rationem: Illud est prius cognitione quod est magis notum, et magis rem notificat: sed substantia est huiusmodi respectu omnium aliorum entium; ergo, etc. — *Minorem* ostendit dicens, quod *scire etiam singula tunc maxime putamus quando cognoscimus cuiuslibet substantiam, puta, quid est homo, aut quid est ignis, quam* quando cognoscimus *quale, aut quantum, aut ubi* est; quia *tunc etiam horum eorumdem* accidentium *singula* maxime *scimus, quando scimus quid est ipsum quale, aut ipsum quantum.* — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VII. S. 1. c. 2. n. 6.

Substantia autem est prior, sicut in entitate, sic in *cognoscibilitate,* quocumque modo accidentali ipsius substantiae; ergo intellectus non alligatus sensibilibus in intelligendo prius intelligit ipsam substantiam quam quemcumque modum eius. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 8. n. 7. — Vid. DISTINCTIONES: *Substantiae primitas.*

Substantia est primum ens definitione. — Potest dici, quod *substantia praecedit omne accidens definitione*, verum est de accidentibus quae habent suum esse a subiecto; quia non propter aliud aliquid definitur per substantiam, nisi quia est per illam; sic enim est alicuius rei *quod quid* est et definitio sicut illud est ens. — *Super Univ. Porph.* q. 15. n. 6. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. q. 4. *per tot.* — Vid. DISTINCTIONES: *Substantiae primitas.*

Substantia est primum ens perfectione. — Substantia est magis *ens* quocumque accidente, *VII. Metaph.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 9. — Omnis substantia est simpliciter perfectior omni accidente, *VII. Metaph.* — *Ib.* d. 10. q. 8. n. 9. — *Quodlib.* q. 13. n. 6. — Licet substantia sit simpliciter perfectior accidente, tamen aliquo modo perficitur recipiendo accidens, et totum illud, scilicet, *substantia qualis*, perfectior est quam substantia sola. — *Ib.* q. 15. n. 24. — Supra totum genus *qualitatum* nobilissimarum potest poni infima *substantia,* quia totum genus *substantiae* excedit totum genus *qualitatis.* — Nec est inconveniens, quod minima substantia in perfectione naturali excedat accidens quodcumque, licet aliquod accidens, ut in perfectione supernaturali, hoc est, in coniungendo obiecto supernaturali, excedat substantiam; tale enim accidens non dicitur *ex se* perfectum, sed ex hoc quod coniungit immediate cum obiecto perfecto. — *Oxon.* III. d. 13. q. 4. n. 13.

Et sic substantia est totaliter ens totalitate *perfectionis.* — *Ib.* IV. d. 12. q. 1. n. 15. — * Imo * substantia quae est genus generalissimum, ut accipitur pro omnibus speciebus inferioribus, continet virtualiter omnia accidentia. — *Ib.* I. d. 8. q. 3. n. 20.

---

(1) Vid. *Generatione priora sunt posteriora perfectione = Priora generatione posteriora sunt perfectione.*

— Vid. DISTINCTIONES: *Substantiae primitas.*

Substantia est primum ens praedicatione. — Vid. DISTINCTIONES: *Substantiae primitas.*

Substantia ens primum ens tempore. — Videndum est quid est esse *prius tempore*. *Tempus* non tantum accipitur hic ut definitur in *IV. Physic.* t. c. 101 (1), quia primitas temporis est substantiae inquantum substantia est; sed huiusmodi non est esse *in tempore*, quia tempus non est mensura nisi motus et quietis et eorum quae sunt in motu et quiete: substantia secundum se non est tale. — Nec accipitur pro quacumque duratione extensa successiva alia ab essentia rei, quia de illa esset quaestio, quia tunc substantia posset praecedere illud, cum sit accidens ei, et praecederet illud duratione, et quaero de illa, et sic in infinitum. — Tunc dicitur *prius tempore* esse quod potest *separatim* esse sine alio, et illud non sine ipso, quia sic dicit Philosophus in littera. — Illo modo omnis substantia prior est omni accidente uno modo, alio modo non. Esse ergo *prius tempore* est posse habere existentiam actualem priorem alio, sive sine alio, quantum est ex se, ita, scilicet, quod sibi non repugnat, quia in nullo ab illo alio dependet. Hoc satis potest dici *prius natura;* nihil enim est prius *natura* quod non sic sit prius et *tempore*.

Quod autem possit sic praecedere ostenditur dupliciter: vel quia *non dependet* ab illo, vel quia *non est causa* necessaria illius. — Quod hoc sit verum, patet per opposita horum: quia si non potest separari, hoc est vel quia dependet ab illo, vel quia est necessaria causa illius. — Dico, quod substantia respectu accidentium *separabilium* est prior utroque modo; comparata respectu *passionis* est separabilis et prior uno modo, quia non dependet; sed non inquantum causa, quia habet necessariam causam huiusmodi intra essentiam suam; ideo non est separabilis illo modo, scilicet, inquantum est causa accidentis. — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 2. n. 6.

---

(1) Vid. DISTINCTIONES: *Tempus.*

Probat * igitur Aristoteles * hanc conclusionem: quod *substantia est primum omnium entium tempore*, tali ratione: Illud quod est separabile ab aliquo, et non e converso, est prius eo secundum tempus: sed substantia est huiusmodi respectu omnium aliorum entium; ergo substantia est primum omnium entium secundum *tempus*. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 1. c. 2. n. 5.

Hic dicitur, quod substantia, quantum est de se, praecedit omne accidens; quia substantia quantum ad suum *existere* et esse temporale non indiget accidente; accidens tamen ad suum *existere* indiget substantia; ideo accidens coniunctum est cum substantia: propterea indiget substantia. Breviter, Aristoteles intelligit, quod substantia, quantum est de *per se*, praecedit accidens sic *tempore*, quod non indiget esse temporali accidentis. Cum hoc tamen stat, quod substantia et accidens simul sint tempore *per accidens*, ex hoc quod accidens quantum ad esse temporale indiget existere substantiae. — *Poster.* I. q. 25. n. 3.

Ex hoc quod substantia quoad esse suum temporale non indiget esse temporali accidentis sequitur, quod non solum praecedit quantum est de se accidens *natura*, sed etiam quod est prius *tempore*. — Quod vero sint simul, hoc est *per accidens*, ut ratione indigentiae accidentis.

Aliter potest dici, quod substantia praecedit omne accidens in *aliquo* tempore, loquendo de substantia quae est *genus*, quia alia est substantia quae sine accidente potest esse. — *Ib.* n. 5.

Substantia est prior accidente tripliciter, secundum Philosophum, *VII. Metaph.*, scilicet, cognitione, definitione et *tempore*. Et hoc quod est esse prius *tempore* intelligitur sic: quod nulla est contradictio ex parte substantiae, quin prior possit esse duratione omni accidente. — *Oxon.* II. d. 1. q. 4. n. 20. — *Report.* ib. q. 6. n. 10. — *Super Univers. Porph.* q. 33. n. 3. — Vid. DISTINCTIONES: *Substantiae primitas.*

Substantia est susceptiva contrariorum. — *Substantia* cum sit una et eadem numero est *susceptiva contrariorum*, secun-

dum sui mutationem; haec est propria substantiae, et convertitur cum substantia; quia nulla substantia, ex ratione substantiae, prohibetur suscipere contraria; licet aliqua ex sua propria forma determinetur ad unum contrarium. — Similiter intelligendum est *substantia suscipit contraria*, non *sibi*, sed alia quae sunt inter se contraria. — *Super Praedic.* q. 15. n. 6.

Substantia (in) non est ordo. — *Non est ordo in substantia*, id est, in substantiali definitione. — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. VII. S. 2. c. 13. n. 107. — Notandum, quod negantes *plures formas* hinc sumunt argumentum: quia si non est ordo in substantia, ergo non est ibi *alia* et *alia* forma; quia si sic, iam esset ordo in substantia rei secundum ordinem formarum. — Sed hoc nihil valet ad propositum; Philosophus enim ante immediate voluit, quod si est nugatio addendo differentiam priorem posteriori, pari ratione erit nugatio e converso; non enim *est* talis *ordo in substantiis*, hoc est in his quae pertinent ad *rationem substantialem* alicuius sive *definitivam*, quod alius et alius ordo faciat et tollat nugationem. — *Ib.* n. 108. — *Oxon.* IV. d. 11. q. 3. n. 48.

Substantia non suscipit magis et minus. — Ad quaestionem, *utrum substantia, scilicet, forma substantialis, suscipiat magis et minus*, dicitur, quod non: omnis differentia in essentia est differentia specifica: differentia secundum *magis*, si esset, esset in essentia rei, et tunc esset differentia specifica. Et de hoc non est quaestio, sed de substantia in *eadem specie*. — *Maior* patet: hic Philosophus dicit: *definitiones assimilantur numeris*, ita quod definitiones variantur quocumque addito vel substracto, sicut in numeris.

Contra hanc positionem, quod *rationes* positionis *non moveant*. — Quia si sic, eadem concluderet de *qualitate;* sed non valet, quia suscipit, secundum Philosophum in *Praedicamentis;* quia in qualitate esset additio in essentia, si in essentia suscipiat, ut probatur prius. — Item non valet, quia *magis* et *minus* ponuntur in essentia substantiae et qualitatis sicut *consequentia* essentiam: non quod *magis* et *minus* sint *de essentia*, sicut *maius* et *minus* quantitatem; sed quantitas eadem minor fit maior, manens in eadem specie: quia haec *linea* manens *haec* est maior alia, et tamen ambae sunt eiusdem speciei; ergo eodem modo potest esse ex alia parte. — *QQ. Metaph.* l. VIII. q. 3. n. 2.

Ad *quaestionem* * ergo *, sustinendo, quod *suscipit*, ad hoc notandum, propter *auctoritates*, quod Metaphysicus hic *in VIII.* loquitur de forma et differentia secundum quod pertinent ad *quidditatem* rei: sed quidditas abstrahit a suppositis, non includens aliquid quod pertinet ad individua: sed *suscipere magis et minus* non competit quidditati *secundum se* consideratae, sed *ut est in individuis*. Secundum haec, differentia addita quidditati sic variat definitionem. — Substantia ergo secundum speciem in universali considerata ut *quidditas* non suscipit *magis* et *minus;* sed in *supposito* patet quia, hoc individuum perfectius habet naturam specificam quam aliud suppositum.

Ad *auctoritates* * dico *, quod in *communi* substantia non suscipit, sed in *individuo*.

Ad *rationem* pro prima opinione, patet qualiter loquitur de *formis;* quocumque enim addito quod pertinet ad definitionem speciei variatur species; sed si addatur pertinens ad *individuum*, non oportet: sic est hic. Unde *substantia cum materia suscipit magis et minus*. — *Ib.* n. 3.

Generalissimum *substantiae* non dicitur de aliquo *magis* et de aliquo *minus*, neque aliqua substantia secundum suam essentiam suscipit *magis* et *minus*: tamen quoad *actum substandi*, qui est una *proprietas substantiae*, dicitur una *magis substantia* alia, ut *species* magis substantia *genere*, quia *pluribus substat;* sicut dicitur *genus* esse *universalius specie*, quia de *pluribus praedicatur*, licet *universale aequaliter* praedicetur de *genere*, et de *specie*, ut de speciebus eius. — *Super Praedic.* q. 15. n. 6. — Philosophus non negat in substantiis *maius* et *minus* secundum partem *molis*, imo sic concedit; negat autem in substantiis *maius* et *minus* secundum gradus *formae*.

— *Oxon.* I. d. 17. q. 4. n. 16. — Cf. *Physic.* V. q. 2. n. 9.

Substantia prima est maxime substantia. — *Prima substantia est maxime substantia*, secundum Philosophum in *Praedicamentis*, et non est imperfectionis. — *Oxon.* I. d. 26. n. 20. — Est etiam magis substantia quam secunda; ergo non formaliter constituitur in entitate primae substantiae per negationem, inquantum distinguitur a secunda. — *Ib.* II. d. 3. q. 2. n. 3. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. q. 13. n. 5.

Substantia prior est accidentibus. — Quaelibet substantia eiusdem speciei praecedit qualitatem quamlibet, eo modo quo substantia secundum totum genus suum praecedit qualitatem secundum genus suum, scilicet, definitione, cognitione et tempore, hoc est, separabilitate, quantum in se est. — *Oxon.* IV. d. 1. q. 1. n. 30. — *Substantia est prior* naturaliter *omni accidente*, secundum Philosophum, *VII. Metaph.*; et est intentio sua de *substantia* secundum quod est unum istorum quae dividunt *ens*. — *Ib.* II. d. 3. q. 4. n. 5. — Praeterea, eodem modo substantia est prior naturaliter omni accidente, quo est subiectum omnium accidentium; inquantum enim subiectum probatur esse prius definitione omni accidente, quia sic ponitur in ordine cuiuslibet definitionis *per additamentum* (1). — Igitur sine contradictione posset quaecumque substantia, quantum est ex se, esse prius duratione omni accidente. — *Ib.* n. 6. — Cf. *QQ. Metaph.* l. VII. q. 13. n. 3. — Vid. Distinctiones: *Substantiae primitas.*

Substantias per accidentia cognoscimus. — Non cognoscitur a nobis aliqua substantia nunc sub *propria ratione*. — *Oxon.* Prol. q. 1. n. 11. — Cum enim substantia non immutet immediate intellectum nostrum ad aliquam intellectionem sui, sed tantum accidens sensibile (2), sequitur, quod nullum conceptum quidditativum habere poterimus de ea nisi sit aliquis talis qui possit abstrahi a conceptu *accidentis*. Nullus igitur conceptus quidditativus habetur naturaliter de substantia immediate causatus a substantia, sed tantum causatus et abstractus primo de accidente. — *Ib.* I. d. 3. q. 3. n. 9.

Nam concipiuntur ab aliquo multa accidentia concurrentia in eodem, puta, talis qualitas et talis quantitas. Et probatur, neutrum illorum esse alterum, quia utrumque illorum manet sine altero. Probatur etiam secundo, utrique illorum aliquid aliud esse subiectum commune, quia utrumlibet illorum potest destrui, non destructo altero; ergo aliquid concluditur esse subiectum utrique, ut quantitati et qualitati. Illud autem quod subest non concipitur in conceptu quidditativo, nisi *entis* vel *huius entis*. Et tamen frequenter accidit, quod talis qualitas et talis quantitas coniunguntur in aliquo, et alibi non coniunguntur; et hoc non est ex natura qualitatis et quantitatis; concluditur igitur, quod hoc est ex natura illius tertii in quo fundantur ambo ista. Non autem coniunguntur talia in isto tertio, qualia in illo. Ex quo etiam diversimode coniunguntur in diversis, concluditur, substractum istis esse diversum a substracto illis, et ex hoc concluditur, tertium illud esse aliud ab alio tertio; ergo cognoscitur, aliud tertium esse substractum, et similiter, quod sit aliud a subiecto alterius. Neque enim cognosco distincte quid sit in se, nisi quod sit *ens* vel res affecta talibus accidentibus; unde ulterior conceptio quam possim de illo habere quid sit, est res aliqua habens talia accidentia et relationes. — *Ib.* d. 22. q. 1. n. 2.

Differentiae *substantiales* innotescunt nobis per accidentia communia. Cuius ratio est, quoniam omnis nostra cognitio est a magis notis nobis ad minus nota, quia omnis nostra cognitio ortum habet a sensu: sed accidentia communia sunt nobis magis nota quam accidentia propria, quia ad sensum sunt manifesta; propter quod cognitio nostra ortum habet a cognitione accidentium, et per illa fiunt differentiae substantiales nobis notae.

Intelligendum tamen, quod accidentia *communia* non sunt sufficiens principium ducendi in cognitionem substantiae, quia commune, secundum quod tale, non ducit in cognitionem alicuius *proprii* sub propria ra-

(1) Vid. Distinctiones: *Definitio simplex seu essentialis — per additamentum.*

(2) Vid. *Intellectu (in) nihil est,* etc.

tione. Propter quod accidens commune non est immediatum principium ducendi in cognitionem differentiae substantialis. Verumtamen accidens commune est principium *praeparativum* et coadiuvans ad cognitionem substantiarum. Cognitio igitur substantiae oritur a cognitione accidentis tamquam a iuvante, licet non a principio *sufficiente*. Unde accidentia communia maximam partem conferunt ad cognoscendum *quod quid est*, per Aristotelem in *I. De Anima;* ducunt enim in cognitionem confusam substantiae, licet non in distinctam sive determinatam.

Aliud intelligendum, quod accidens ducit in cognitionem subiecti sub tali ordine: quia ex perceptione multorum accidentium communium simul virtute intellectus discurrentis nos devenimus in cognitionem alicuius accidentis proprii; et sic ulterius in cognitionem differentiae substantialis, tamquam ab effectu ad causam; et ita a cognitione confusa devenimus in cognitionem determinatam: sicut patet in *exemplo*, per hoc quod homo percipit aliquid in multum remotis, de ipso percipit quod sit *animal*, et postea devenit in cognitionem magis specialem. — *Poster*. II. q. 12. n. 3.

Non oportet substantiam reducere in specie accidentis, licet per speciem accidentis deveniamus in cognitionem substantiae; accidens enim virtute propria non ducit in cognitionem substantiae, nisi virtute substantiarum in quibus sunt. Accidentia enim, virtute substantiae in qua sunt, gignunt speciem in intellectu simul cum adiutorio intellectus agentis; et per illas species accidentium generatas in intellectu, intellectus discurrit apprehendendo substantiam sub propria ratione, sive specie; et sic ponitur, quod substantia facit speciem in intellectu, et tamen nullam sub sensu.

Et si dicatur, quod tunc accidens esset primum obiectum intellectus; hic dicunt, quod *primum* obiectum est duplex, *generatione* et *perfectione*. Accidens est primum obiectum generatione; substantia vero perfectione. — *Ib*. n. 4.

Superabundantiam (quod per) dicitur uni soli convenit. — *Superlativum* dupliciter dicitur et exponitur: uno modo *positive* per excessum omnium aliorum: alio modo *privative* per non excedi ab aliquo alio. Illa propositio, *quod per superabundantiam dicitur*, etc., vera est ut superlativum exponitur *positive;* non ut exponitur *privative*. — *Super Praedic*. q. 11. n. 5.

Superiora de inferioribus praedicantur. — Superius praedicatur de inferiori necessario, et est de eius essentia. — *De Rer. Princ.* q. 12. n. 3. — Porphyrius, cap. de *Specie*, dicit, quod *omnia superiora de inferioribus praedicantur*, ut *animal* de *homine;* ergo de *aliquo* homine. — Dicendum, quod praedicatio superioris de in inferiori universaliter est bona. — *Super Univers. Porph.* q. 16. n. 10. — Quidquid enim per se et primo inest superiori, per se, licet non primo, inest inferiori. — *Oxon*. IV. d. 13. q. 1. n. 36.

Superius superiore est superius inferiore. — Vid. *Praedicatur quando alterum*, etc.

Suprema infimorum coniunguntur infimis supremorum. — Fit ligamentum secundum gradus essentiarum, inquantum summa infimorum, coniunguntur cum infimis supremorum, secundum Dionysium, cap. 7. *De Divinis nominibus: Scientia*, inquit, *Dei omnium est factiva, et semper concordans omnia, et causa indissolubilis concordationis et ordinationis omnium, finesque primorum coniungit principiis secundorum, et unam conspirativam et harmonicam universitatis pulcherrimam efficit.* — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 41. — *Ib*. q. 10. n. 6. — q. 11. n. 3.

Dico, quod supremum in inferiori est infimum in superiori, ubi non repugnat superiori illud quod ponitur supremum in inferiori. — *Oxon*. II. d. 3. q. 10. n. 19. — *Report*. ib. q. 2. n. 15.

Ad cuius evidentiam est sciendum, quod cum mundus, secundum Dionysium, c. 7. *De Divin. Nom.*, sit unus, quia *suprema infimorum coniunguntur cum infimis supremorum:* sed si ordo universi diligenter inspiciatur, ligamentum in rebus imperfectioribus fit per plura, et per naturam magis universaliter sumptam. — Et ne oporteat ad omnes gradus eorum descendere, hoc patet

in magis manifestis. Mixtum et complexionatum ligatur cum vegetativo in omnibus herbis et arboribus; vegetativum cum sensitivo in paucioribus, quia in solo uno genere, scilicet, in animali; ergo sensitivum, quod est finis intrinsecus naturae, ligatur cum intellectivo, non in toto uno genere, sed in tota una specie, scilicet, in homine. Videtis ergo, quod in toto universo suprema infimorum non secundum totum ambitum suum ligantur cum infimis supremorum: in pluribus enim est mixtum quam complexionatum, complexionatum quam vegetativum, et vegetativum quam sensitivum. — Et hoc est signum, quod perfectio universi habet latitudinem basis, et tendit in conum, cuius perfectio terminatur in puncto unionis Verbi Dei ad humanam naturam. — Patet etiam, quod universum non ligatur in ascendendo per omnes suas species, sed per perfectiores partes suas: unde vegetativum ligatur cum sensitivo, non per esse vegetativum, sed per perfectiora vegetativa, cuiusmodi sunt animalia.

Ex istis patet, quod nunquam natura inferior ligatur superiori per totam suam latitudinem, sed per conum unum, hoc est per suum perfectius; ergo natura sensitiva non ligatur secundum se totam, hoc est, secundum omnes suas species, cum intellectivo, sed per conum suum: hic est homo, quia in homine de ratione sua est cognitio sensitiva.

Et est advertendum, quod conus, quo natura inferior ligatur superiori, quanto magis intendimus in ascendendo, tanto est strictior latitudine, et altior gradu et perfectione. Unde conus vegetativae altior est sua basi, quia non utitur sensitivo per omne vegetativum, sed per magis perfectum. Et iste conus seu pyramis consistit non in specie specialissima, sed est obtusus, quia consistit in genere, scilicet, in omni animali.

Conus autem sensitivae, sive pyramis, qua ligatur cum intellectivo, minus est latus extrinsece, et magis altus in esse, quia consistit in una sola specie, quae est homo, et altior est in gradu essendi quam animal. — Conus autem sive pyramis hominis, quo ligatur cum Deo, adhuc est minoris latitudinis extensive, quia fit in solo uno homine Christo, et maioris altitudinis etiam rationalis omni alio homine.

Videsne ordinem rerum et ligamentum ipsarum per modum pyramidis ascendentium? — *De Rer. Princ.* q. 10. n. 23 seqq. — q. 12. n. 2. — Cf. ib. q. 9. n. 41.

T

Terminos motus oportet esse incompossibiles. *(V. Physic.)* — Propositio vera est de *primis* terminis, qui sunt semper privatio et forma; sed non est vera universaliter de terminis *concomitantibus* illos terminos. — *Oxon.* IV. d. 12. q. 4. n. 11.

Terminus idem supponit quod significat — Terminus illud supponit quod significat: sed non semper *pro eo* supponit quod significat, sed tantum supponit significatum pro significato quando est suppositio simplex, sicut in suppositione personali commune supponit pro suppositis, et non suppositum, quia non significat suppositum. — *Super Praedic.* q. 8. n. 6.

Totum est aliud a suis partibus. — Ostendo, quod *totum sit ens aliud ab omnibus partibus* coniunctim et divisim. — Probo, quia alias non esset differentia *totius* quod est *per se unum* ad totum quod est *unum aggregatione*, ut *cumulus* vel *acervus*, quia istud totum secundum est suae partes, *VIII. Metaph.*: *consequens* videtur inconveniens: tum ex eodem VIII: tum quia etiam *unum per accidens* est magis unum quam illud *aggregatione*, et minus unum quam totum unum *per se;* et tamen unum totum *per accidens* non est suae partes, quia, secundum Philosophum, *VII. Metaph.* cap. *De Unitate definitionis*, in hoc *homo albus* est unum aliquid, quia albedo inest homini; non autem esset tale totum, si non informaret. — *Praeterea,* per se terminus ad *quem* generationis est aliquid habens *entitatem*

propriam, quia generatio est ad esse proprii termini: sed *totum* est primus terminus *ad quem* generationis (1), non altera pars, imo si utraque pars praeexistat, et de novo uniretur, nil minus esset generatio vel productio ipsius compositi, sicut in resurrectione, dato quod tam anima quam corpus praeexisteret secundum suas entitates, adhuc fieret resuscitatio ad esse totius compositi, non autem ad esse corporis vel animae, nec ad ambo ista; igitur ad aliquod tertium ab istis. — *Tertio*, potest argui a simili de *corruptione*, secundum argumentum Philosophi, *VII. Metaph. in fine:* quia manent A et B, non manet AB, et idem realiter non potest manere et non manere; ergo AB est aliud realiter ab A et B. Igitur cum sic in omnibus compositis per se rationi partium non repugnet ut illae maneant, et totum non maneat, aliqua erit entitas propria ipsius totius alia ab entitatibus partium. — Item *quarto* sequeretur, quod nihil esset per se causatum a causis intrinsecis, materia, scilicet, et forma, quia istae causae causant hoc compositum, quia sunt partes causati: sed istae non sunt partes neque alterius earum, neque ambarum, quia neutra est causata * hac causatione *, nec ambae, quia sunt primae causae et prima principia * intrinseca * rei; igitur, etc. — Item sequeretur *quinto*, quod nullum ens esset cui per se inesset propria passio vel propria operatio vel quodcumque accidens proprium illius speciei, quia haec non sunt materia et forma. — *Oxon.* III. d. 2. q. 2. n. 7.

Totum est aliud ens, et illud entitate *absoluta:* quia solus *respectus* non sufficeret ad hoc, quod totum diceretur *per se unum*, quia in toto uno *per accidens* est per se respectus et essentialis partis ad partem, ut patet de dependentia accidentis ad subiectum. — Similiter quidditates omnium absolutorum, ut includentes materiam et formam, et ut deflnibiles (quia ut sic sunt species generis absoluti), non sunt tantum formaliter entia respectiva: quod tamen oporteret si entitas propria totius esset respectus. — Hoc etiam concludunt rationes * prius * factae: quia neque *generatio* aliqua est per se ad *respectum* ut ad terminum *ad quem;* nec etiam *corruptio* est a solo *respectu* ut termino *a quo:* neque causae *absolutae* sunt solius *respectivi* causae; neque *propria passio* consequitur totum praecise inquantum *respectivum*, neque *propria operatio* vel aliud accidens absolutum; nec tandem videtur possibile posse assignare *differentiam specificam* omnium quidditatum, quia non videtur possibile tantam ponere differentiam respectuum inter partes unitas. — *Ib.* n. 8.

Totum est maius sua parte. — Haec propositio, *omne totum est maius sua parte*, non est primo vera ut *totum* est in lapide vel ligno, sed ut *totum* abstrahitur ab omnibus quibus coniungitur per accidens. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 22.

In rebus *naturae* omne *totum est maius sua parte*. Et illud quod est *pars* sub una consideratione non potest respectu eiusdem habere rationem *totius*. Similiter in *ratione*, pars inquantum pars *minor est suo toto;* sed tamen illud quod est *pars* sub una consideratione potest respectu eiusdem sub alia consideratione habere rationem *totius*, ipso non variato, sed tota variatione cadente circa intellectum. — *Elench.* q. 52. n. 5.

Totum per se agit. — Hoc debet intelligi de toto includente *suppositum* et *formalem rationem agendi;* non autem de toto includente duo alia in ratione suppositi, quorum unum est immediatum subiectum alterius. Possibile est, quod unum nihil faciat ad actionem, et reliquum nihil faciat ad passionem. — *Report.* Prol. q. 1. n. 15.

Transmutatur (quod) dum transmutatur non est in termino « a quo », nec in termino « ad quem ». — Dicendum, quod illud *quod transmutatur, dum transmutatur, nec est in termino « a quo », nec in termino « ad quem »*, quia omnis transmutatio est successiva et divisibilis, ut dicitur *VI. Physic.* cap. 6. Illa tamen successio vel divisio non est in transmutatione, nisi termini transmutationis suscipiant *magis* et *minus*. Si termini transmutationis non suscipiunt magis et minus inquantum huiusmodi, habent tamen dispositiones contrarias communicantes quae suscipiunt magis et minus, et pro illis

(1) Vid. *Compositum per se generatur.*

dispositionibus verificatur propositio Philosophi, scilicet, quod illud quod transmutatur nec est in termino *a quo*, nec in termino *ad quem* simpliciter, sed est in *medio*. Unde proprie non potest dici, quod aliquid transmutatur de *contradictorio* in *contradictorium*, ut de *non igne* in *ignem*, secuncundum se, sed hoc solum verificatur propter dispositiones adiunctas. Unde cum illud quod est *non ignis*, sicut aer, transmutatur secundum suas dispositiones, non dicimus, quod aliquid transmutatur de non igne in ignem, semper tamen est non ignis usque ad ultimum. Et ideo illud quod dicitur, quod non est in termino *a quo*, etc., habet intelligi de dispositionibus adiunctis. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 16. n. 3. — Cf. ib. l. VIII. q. 3.

Turpia memorari miserum est. — Quia secundum Philosophum(1) quorumdam oblivisci, ut turpium, melius est quam reminisci. Quod maxime verum est, loquendo de illo qui turpe commisit, cui poenale est reminisci. Et Scriptura dicit, Deum oblivisci peccatorum, et ea esse tecta; quod licet oporteat exponere, propter infinitatem intellectionis divinae, quam nullum cognoscibile positivum vel privativum potest subterfugere, tamen quod realiter sint abscondita vel oblita illis qui commiserunt, nullum inconveniens esset. — *Oxon.* IV. d. 45. q. 3. n. 23. — *Report.* ib. n. 14.

U

Ubique esse proprium est Dei. — Cum dicitur, quod *esse ubique est proprium Dei*, dico, quod Deus ex sua immensitate necessario est ubique, quia nullum potest esse *ubi* in quo non sit secundum potentiam, praesentiam et essentiam; et sic impossibile est aliud a Deo esse ubique. Sed non est inconveniens aliquid aliud a Deo, per eius potentiam, esse in *quocumque ubi;* nec per hoc debet dici proprie esse ubique sicut Deus, quia non est immensum. — *Oxon.* IV. d. 10. q. 2. n. 15.

Unitatem omnia appetunt. — *Omnia* quae sunt, secundum modum sibi convenientem et possibilem, *unitatem appetunt*, dicente Boëtio, *De Unitate et Uno*, cap. 2: *Omnia* (inquit) *unitatem appetunt, ut etiam ea multa sunt quae unum dici volunt: quaecumque enim idem quidem sunt, ut vera unitate esse nitantur, aut eam similando nituntur.* Unde appetitus *unitatis* ita intimus et essentialis et universalis est omnibus, tam creaturis, quam Creatori, quod nullum est, nec excogitari potest genus multitudinis, aut divisionis, sive distinctionis, quod ad unitatem aliquam non reducatur; ita quod ipsa ut unitatem habeant, sive illud in quo sunt, prius occurrat intellectui, quam ipsa multitudo, sive diversitas. Sic dicimus, quod diversa accidentia sunt unum *subiecto*, diversa numero sunt unum *specie;* diversa specie sunt unum *genere subalterno;* diversa genere subalterno sunt unum *genere generalissimo;* diversa genere generalissimo sunt unum in *ratione entis.* Quare et ipsa multitudo numerorum infinita ad *unum*, quod est principium numeri, reducitur. Sic etiam in communicatione intrinseca Trinitas Personarum ad duas emanationes; duae emanationes ad duo principia, scilicet, intellectum et voluntatem; et illa ad unam simplicissimam unitatem essentiae reducuntur. — *De Rer. Princ.* q. 9. n. 1. — Item, mundus et partes eius appetunt naturaliter unitatem et ligamentum, salva distinctione partium, quanto maiorem possunt, sicut membra hominis et rami arboris virtute naturae colligantur, quanto natura plus potest colligare, salva distinctione membrorum et ramorum. Certum est autem, quod secundum quod partes universi sunt perfectiores, principaliter universum integrantes, secundum hoc intimius et perfectius, salva eorum actualitate et distinctione, colligantur. — *Ib.* n. 41. — Cf. *Super Praedic.* q. 4. n. 10. — Vid. *Suprema infimorum*, etc.

Uni unum tantum contrariatur. — Dicendum, quod *tantum unum uni* perfecte *op-*

---

(1) *Topic.* III. c. 10.

ponitur. Si enim uni plura sint contraria, hoc est aut imperfecte, aut aequivoce. — Ratio primae est: contrarietas est perfecta et maxima distantia: sed maxima distantia sunt tantum duo ultima, quia quod per superabundantiam dicitur uni soli convenit (1); maxima ergo distantia est tantum una, et unius distantiae sunt tantum duo extrema ultima. Si igitur uni opponantur duo, aut aeque distabunt, et tunc non erit distantia una: si unum distat magis, et alterum minus, quod minus distat non est contrarium, eo quod aliquid est alterius. — Sequitur ergo, quod tantum unum sit perfecte uni contrarium; quod tantum medium comparatur ad utrumque, sicut *fuscum* per comparationem ad *album* est *nigrum*, per comparationem ad *nigrum* est *album*, per Philosophum, *V. Physic.* text. 20; et inter duo extrema multa possunt esse media, et *imperfecte* multa possunt esse uni contraria. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 12. n. 2.

Universale primo intelligimus. (*Theor. III*). — Dicendum *primo*, quod minus universale est quod prius notum est nobis prioritate *temporis* et cognitione *confusa* quam magis universale. — *Probatio*: omne agens secundum ultimum potentiae suae producit perfectissimum effectum quem potest producere; quia ad oppositum, quod non producat effectum perfectissimum quem possit sequitur, quod agit citra ultimum potentiae suae: sed omne agens naturale agit secundum ultimum potentiae suae, quia non agit deliberative, determinando sibi quantitatem effectus, sed determinatur ab alio; igitur agit perfectissimum effectum quem potest: intellectus autem quantum ad actum primum intelligendi, et omnia quae concurrunt ad causandum intellectionem effective, sive phantasia, sive species intelligibilis, sunt agentia naturalia; igitur intellectus in primo actu intelligendi praecedente actum voluntatis intelligit perfectissimum intelligibile in quod potest, quod terminat actionem perfectissimam quam potest habere: tale autem intelligibile est species specialissima; ergo, etc. — *De Anima*, q. 16. n. 3. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 23. — Si enim aliquis alius esset * conceptus perfectissimus *, puta conceptus alicuius communioris, ille esset perfectissimus in quem ista possent; et cum conceptus illius communioris sit imperfectior conceptu speciei specialissimae, sicut pars est imperfectior toto, sequeretur, quod illa non possent in conceptum illius speciei, et ita nunquam causarent conceptum illum. — *Oxon.* ib.

Praeterea, si prius magis universale intelligatur, aut eadem specie cum minus universali, aut alia. *Non eadem*, quia illud non est proprium repraesentativum alicuius quod aequaliter repraesentat ipsum et oppositum vel disparatum: sed species repraesentans *animal*, quod est magis universale, aequaliter repraesentat *hominem* et *asinum*, et per consequens per illam cognosceret simul utrumque intellectus, si illa sufficeret, quod falsum est; igitur non est eadem. Si autem *alia*, tunc erunt tot species in intellectu quot sunt species generis, si illae debent cognosci, vel quot sunt superiora universaliora essentialia, antequam species specialissima intelligatur, quod falsum est; igitur, etc. — *De Anima*, ib. n. 4. — Quia si oporteret praeconcipere conceptus universaliores ante conceptum talis speciei, tunc supposito casu de singulari actualiter movente sensum, et intellectu existente soluto, oporteret ponere magnum tempus antequam conciperetur species illius singularis primo sensati, quia prius oporteret intelligere omnia praedicata communia dicta *in quid* de illa specie secundum ordinem. — *Oxon.* ib. n. 24.

Praeterea, illud cognoscitur posterius tempore cuius abstractio est difficilior, quia eius cognitio intellectualis abstractiva est difficilior: sed abstractio *coloris*, quae est universalior, est difficilior quam *albedinis*, quia a dissimilibus abstrahitur quidditas coloris, scilicet, ab albo et nigro, quae sunt opposita; albedinis autem quidditas a duobus albis, quae sunt similia; ergo, etc.

Praeterea, possibile est intelligere minus commune, non cognoscendo magis commune; igitur non oportet semper universalius prius cognosci ab intellectu. — Probatio *antecedentis;* quia Geometer cognoscit lineam, et multa de linea probat, et tamen

---

(1) Vid. *Superabundantiam (quod)*, etc.

nescit utrum sit substantia vel accidens; ergo, etc. — Ad hoc etiam est auctoritas Philosophi, *I. Physic.* text. 3 et 4, dicentis, quod *definitum prius cognoscitur quam partes definitionis:* definitum est minus universale, cum sit species, quam genus suum, quod est pars definitionis; igitur, etc. — *De Anima,* ib. n. 4.

Ex hoc apparet causa, quare intellectus intelligit prius unum intelligibile quam aliud, licet species plurium sint ibi praesentes; hoc enim non est a voluntate, cum tunc non habeat intellectus actum intelligendi, sed huius causa est, quia singulare unius fortius movet quam singulare alterius.

Hoc dictum est de cognitione *confusa*(1). — *Oxon.* ib. n. 24.

Secundo, dico, quod prius cognoscitur magis universale a nobis cognitione *distincta.* — Probatio: prius distincte illud cognoscitur quod intrat definitionem alterius per quod aliud distincte cognoscitur: sed *ens,* quod est universalissimum, intrat definitionem omnium, cum conceptus *entis* includatur in conceptu cuiuslibet, ipsum autem non habet conceptum nisi distinctum, quia non habet in quo possit confuse vel indistincte cognosci; igitur, etc. — Simile autem est de aliis universalibus; quanto enim aliquid est universalius, tanto potest plurium definitionem intelligere et distinctius cognosci, cum pauciora superiora habeat in quibus cognoscitur confuse. — *De Anima,* ib. n. 5. — *Oxon.* ib. n. 24.

Sed comparando totum ordinem *confuse* concipiendi ad totum ordinem *distincte* concipiendi, quis prior est? — Dico, quod totus ordo *confuse* concipiendi prior est, et ideo primum in illo ordine est simpliciter primum. — *Oxon.* ib. n. 26.

* Notandum *, quod sicut est duplex confusum, scilicet, totum *universale* et totum *essentiale,* ita utrumque in suo ordine est primum; sed simpliciter primum est illud quod est primum in ordine confuse cognoscendi, quia processus naturalis ab imperfecto ad perfectum est per medium: *confuse* autem cognoscere est quasi medium inter *ignorare* et *distincte* cognoscere; et ideo *confuse* cognoscere est ante quodcumque *distincte* intelligere. — *Oxon.* ib. n. 27.

Tertio, dico, quod prius prioritate *perfectionis* a nobis cognoscitur quod est perfectius. — Circa quod sciendum, quod aliqua cognitio potest esse perfectior alia vel secundum *perfectionis complementum,* vel secundum *proportionem ad obiectum.* — Ad propositum est dicendum, quod illud quod a nobis cognoscitur prius prioritate *perfectionis* in se et absolute consideratae est Deus, loquendo etiam de cognitione naturali; quia illa cognitio est perfectior in se per quam attingitur perfectius obiectum: sed haec est cognitio Dei, qui est perfectissimum obiectum; ergo, etc. — *De Anima,* ib. n. 6. — *Oxon.* ib. n. 29.

Sed, quae est cognitio perfectior secundum *proportionem ad obiectum,* id est, respectu inferiorum, quae sunt intellectui nostro proportionata? — Dicendum, quod cognitio istorum sensibilium quae fortius movent sensum est perfectior, quia quae fortius movent sensum fortius movent intellectum, licet altiori modo, quia universalius: quae autem magis movent intellectum sunt magis proportionata intellectui; et ideo prius perfectione tali, scilicet, secundum proportionem ad obiectum, intelligitur universale illius singularis sensibilis quod fortius movet sensum. — *De Anima,* ib. n. 7. — *De Rer. Princ.* q. 13 per tot. — *Theor.* III. — *Oxon.* ib. — Vid. *Cognoscibilia quo perfectiora eo priora.* = *Cognoscibilia quo superiora eo prius distincte cognita.* = *Communiora prius cognoscuntur.* = *Ens est primum obiectum naturale intellectus.* = *Intellectus est universalium,* etc. = *Intellectus obiectum est universale.*

Universaliora difficilius cognoscuntur. — Nam *omnis nostra cognitio oritur a sensu;* ergo quae magis distant a sensu difficilius est attingere per cognitionem: sed maxime universalia sunt huiusmodi, quia cum sensus sit singularium, quanto universalius tanto remotius a sensu; ergo universalia sunt difficillima ad cognoscendum. Per consequens illi qui considerat communissima et maxime universalia inest cognoscere et

---

(1) Vid. Distinctiones: *Concipi primo — non primo.*

considerare difficillima. Et de illa ratione tangit * Philosophus * virtutem dicens: *Sed fere ea sunt difficillima hominibus ad cognoscendum quae maxime sunt universalia; nam talia sunt remotissima a sensibus.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. I. S. 1. c. 2. n. 22.

Dicitur, quod est universale per *praedicationem*, et illud definitur in *Perihermenias* t. c. 5. et *I. Posteriorum*, t. c. 25., quod est *unum in multis et de multis.* — Aliud est universale per *causalitatem*, cuius virtus se extendit ad plures effectus, sicut Causa Prima, quae est tamen singularis, nec praedicatur de pluribus singularibus.

Secundo modo intelligendo *magis universale* causalitate est minus nobis notum quam minus universale causalitate; quia magis universale est perfectius, et perfectiora sunt minus sensibilia, sicut patet de Intelligentiis et a materia separatis: sed causae universaliores sunt minus sensibiles; ergo nobis minus notae.

De universali per *praedicationem*, aut comparatur ad *singulare* simpliciter, aut universale magis ad *universale minus*, sicut genus ad speciem. — De primo universali primo distinguendum est de *cognitione*, prout communis est ad cognitionem *sensitivam* et *intellectivam*, quae dicitur *cognitio* in genere. — Et tunc singulare simpliciter est notius nobis quam universale; quia illud est nobis notius quod est notius cognitione prima in nobis: haec est sensitiva. — Si autem non comparetur quantum ad cognitionem in *genere*, sed ad unam, tunc quantum ad *sensitivam*, singulare est magis notum nobis. Si autem quantum ad *intellectivam*, tunc secundum illos qui ponunt singulare non intelligi nisi *per accidens*, posterius intelligeretur, quia *per accidens* posterius est *per se*, ut dicit Philosophus *II. Physic.* t. c. 66. Si autem alia opino sit vera, quod *per se* intelligitur, tunc esset quaestio, et potest dici, quod singulare magis, quia conclusio non cognoscitur nisi per principia, quae sunt magis nota, secundum Philosophum, *I. Poster.* t. c. 5., et secundum eum principia accipiuntur per inductionem, inductio autem ex singularibus. — *QQ. Metaph.* l. I. q. 10. n. 2.

Si autem comparetur *magis universale* ad *minus universale*, ut quando utrumque est simpliciter universale, aut ambo comparantur ad *intellectum*, aut singularia eorum comparantur ad *invicem*. Si secundo modo, nobis notius est singulare magis universalis quam singulare minus universalis. Si universale utrumque comparatur ad *intellectum*, tunc vel est loquendum de superiori ut est quiddam indistinctum confuse continens plura; isto modo est magis notum nobis (1). Si autem accipitur magis universale ut sic distinctum quoddam definiens, tunc definitum est magis notum, cognitione tamen indistincta, quia prius cognoscitur definitum indistinctum quam definiens. — *Ib.* n. 3. — Cf. *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 26.

Universalium universales sunt causae. — Causa et effectus semper proportionantur, ita quod singularium sunt causae singulares, *universalium universales.* — *QQ. Metaph.* l. VII. q. 16. n. 3. — Cfr. ib. q. 13. n. 3. — *De. Rer. Princ.* q. 17. n. 10.

Unum per se ex actu fit et potentia. — *Omne per se unum, et non simplex primo, est ex actu et potentia, sive ex materia et forma.* — Haec utique communis animi conceptio, quod innuit Peripateticorum princeps, *VII. Metaph. tex. com.* 15. *Sed hoc,* inquit, *materia, illud vero forma; et hoc quidem actu, illud vero potentia, non adhuc dubitatio videbitur esse, quod quaeritur, sed hoc est quod quid erat esse utique.* Quasi dicat, in subiecto includi praedicatum, per hanc propositionem esse per se notam. Dico autem *primo ex illis esse,* quoniam si ex pluribus *per se,* sed non *primo,* quodlibet illorum vel erit aliquid ipsius potentialis, vel actualis. De *potentiali* patet per ea quae dicuntur *elementa,* ut A. B. — *Theor.* XI.

Ens completum in genere nulli unitur, ut faciat *per se unum* cum eo, sed tantum faciet cum alio *unum per accidens* vel aggregatione. Et ratio huius est, quia illa quae faciunt *per se unum* non sunt entia completa per se in genere, sed tantum princi-

(1) Cf. tamen Doctor. *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 21 et *De Anima,* qq. 16 et 22, ubi contrarium tenere videtur.

pia rei in genere. — *Oxon.* III. d. 22. n. 6. — Ex duobus actibus quorum unus non est in *potentia* respectu alterius non potest fieri *per se unum, VII. Metaph. cap. penult.* et *VIII. cap. ult.*, quia ibi uterque illorum actuum manet *actus* simpliciter respectu alterius, et ex duobus *actibus* in se et inter se non fit *per se unum.* — *Ib.* IV. d. 11. q. 3. n. 39.

Quaerere * tamen * quare *ex actu et potentia* fit *unum*, nulla est quaestio, ex *VIII. Metaph. cap. ult.*; nam nulla est ratio, nisi quia hoc est *per se actus* et illud *per se potentia.* — Ib. n. 53. — Cf. *QQ. Metaph.* l. 8. q. 4. per tot. — *Exposit. in Metaph. Arist* l. VIII. S. un. c. 6.

Unum — Quanto aliqua sunt magis unum tanto sunt minus separabilia. — Dico, quod * hoc * procedit de unitate *indentitatis*, qua aliqua dicuntur *unum*, quia *idem realiter;* non de unitate *unionis* aliquorum in *tertio*, sicut ex materia et forma fit unum tertium, scilicet, compositum. — *Oxon.* II. d. 12. q. 2. n. 5. — *Report.* ib. 8.

Unumquodque appetit suam perfectionem. — Unumquodque magis appetit perfectionem propriam quam illam quae est *per se* alterius, licet aliquo modo sit sua. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 4. n. 1. — Sicut est duplex *actus*, *primus* et *secundus*, ita est duplex *perfectio, prima* et *secunda* (1). — *Prima* quidem est *forma* vel habitus: *secunda* est *operatio.* — Et unumquodque naturaliter appetit utramque perfectionem, cum operatio sit finis habitus. — *QQ. Metaph.* Prol. n. 3. — Vid. *Homines natura scire desiderant.*

Unumquodque ex eisdem causis solvitur, ex quibus oritur. — Verum est, si causae sint *praecisae.* — *Report.* IV. d. 33. q. 3. n. 12. — *Oxon.* ib. n. 9.

Unumquodque natum est suscipere melius seipso. — Hoc suscipiens melius et perfectius fit; non suscipiens manet in imperfecto. — *Theor.* XXIII. n. 1.

Unumquodque propter quod aliquid tale, et illud magis. — Haec est vera. — Huius ratio est, quia illud quod reperitur in effectu et causa nobilius et excellentius reperitur in causa quam in effectu, quia est de ratione causae quod excellat effectum; si ergo aliqua proprietas causetur in aliquo ab aliqua causa, si illa proprietas in illa causa reperiatur univoce, excellentius reperitur in causa quam in effectu, etc. — Hoc patet similiter per *exemplum:* magister diligitur propter discipulum; tunc discipulus magis diligitur.

Haec propositio intelligenda est in causis *univocis* et *per se*, non in causis *per accidens* et *aequivocis.* — *Poster.* I. q. 12. n. 2., *ubi hoc effatum explicat et ab obiectis defendit.*

Illa propositio intelligitur de causa *efficiente* et *univoca per se* et *essentiali* et *totali.* — *Op. prim. sup. I. Periherm.* q. 2. n. 10. — *Physic.* q. 4. n. 13. — *Poster.* I. q. 1. n. 4. — Et non habet veritatem nisi in causis *efficientibus.* — *Miscell.* q. 7. n. 14. — *QQ. Metaph.* l. VI. q. 1. n. 6.

Aristoteles, *I. Poster.* text. 5: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.* — Propositio Aristotelis tantum est vera ubi aliquod *univocum* dicitur de causa et effectu, quod natum est recipere magis et minus, et quando causa est *per se* et *totalis.* — *Super Praedic.* q. 23. n. 6. — Ad excludendum ergo causam *aequivocam*, quae licet sit causa aliis ut sint talia, ipsa tamen non est in se forma talis, ideo signanter dixit Philosophus: *unumquodque est maxime tale, secundum quod aliis inest univocatio*, id est, quod est causa univoca aliis ut sint talia. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. II. S. un. c. 2. nn. 7-8. — Cum dicitur, *unumquodque propter quod*, etc., dicendum, quod illud habet intelligi in his quae sunt *eiusdem generis.* Si enim duo sunt scibilia, et unum propter alterum, illud propter magis; si tamen non sunt in eodem genere, non tenet, quia conclusiones sciuntur per principia; principia tamen sciuntur non magis, quia non sunt in eodem genere *scibilium*, sed in genere *intelligibilium.* — *QQ. Metaph.* lib. X. q. 19, n. 5. — Cfr. *Exposit. in Metaph.* Arist. l. I. S. 1. c. 1. n. 16. — S. X. S. 2. c. 6. n. 73. — *Quodlib.* q. 2. n. 22.

(1) Vid. Distinctiones: *Perfectio prima-secunda.*

Unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem (1). — Quod enim est primum in entitate est primum in veritate et cognoscibilitate. — *Report.* I. d. 35. q. 2. n. 5.

Notandum, quod quia *veritas* est passio *entis*, ideo sequitur esse rei proportionabiliter; et idcirco concludit Philosophus, quod quia ea quae possunt esse aliis causa essendi vera sunt maxime vera, sequitur, quod *unumquodque eo modo quo habet esse habeat etiam veritatem.* — Quia etiam veritas in intellectu oritur ex veritate in re, idcirco sicut res habet esse, sic etiam est apta nata vere cognosci, ut sic semper ab ipso esse rei oriatur conformitas veritatis, sive in re, sive in intellectu. Quare bene dicit Philosophus, quod *unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad veritatem.* — *Exposit. in Metaph. Arist.* l. II. S. un. c. 2. n. 8.

Dicendum * tamen *, quod cognoscibilitas *secundum se* sequitur entitatem, non autem respectu cuiuscumque intellectus, vel quolibet statu, sed tantum respectu illius intellectus qui potest cognoscere ens secundum totam suam communitatem, et hoc est Deus. — *De Anima,* q. 21. n. 15. — Vid. *Veritas — Sicut res se habet,* etc. = *Entitati quidquid repugnat, et cognoscibilitati.*

(1) Hoc effatum enuntiat Doctor etiam in *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 30. — d. 8. q. 5. n. 6. — II. d. 9. q. 2. n. 10. — *Quodlib.* q. 13. n. 12, et alibi passim.

V

Velle amicitiae praecedit velle concupiscentiae. — Cum enim amatum sit respectu concupiti quasi finis cui volo bonum, nam propter amatum concupisco sibi bonum quod sibi volo, et cum finis voluntatis habeat primam rationem obiecti voliti, patet, quod *velle amicitiae praecedit velle concupiscentiae.* — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 4.

Verbum ad se sumit naturam humanam. — *Sumere* ut notat absolute *actionem* est aequaliter totius Trinitatis, absque omni distinctione, praeter illam quae consequitur originem; sed *ad se,* ut notat *terminum actionis,* est Verbi ut terminat dependentiam assumptae naturae. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 20.

Verbum amore concipitur (Augustin.). — In ista quaestione videntur esse duae difficultates: una qualiter Pater generat Filium *volens:* alia quomodo salvetur, quod Pater non generat Filium voluntate ut *principio productivo.* — *Oxon.* I. d. 6. n. 2.

Quantum ad *primum* respondeo sic: quod *actio* in creaturis uno modo accipitur pro actione de *genere actionis:* alio modo pro *actu secundo,* qui est *qualitas* absoluta (1). — Intellectus noster pro actione de *genere actionis* habet *gignere verbum;* habet tamen alium actum de genere *qualitatis,* scilicet, illam *notitiam genitam.* — Ita in proposito, intellectus divinus habet unum actum correspondentem intellectioni nostrae quae est *qualitas,* quo scilicet actu intellectus Patris *formaliter intelligit:* habet etiam actum correspondentem actui de *genere actionis,* quo scilicet *exprimit Verbum* — *Ib.* n. 4.

Pater hoc modo gignit Filium *volens:* quia Pater in *primo* signo originis *intelligit formaliter,* et tunc etiam potest habere actum *volendi formaliter.* In *secundo* signo originis gignit Filium; nec tantum vult illam gignitionem volitione *sequente* illam gignitionem, sed volitione habita in *primo* signo originis, qua volitione Pater formaliter vult, praesupposita aliquo modo intellectione qua Pater *intelligit,* non autem *gignitione* Verbi. Sic ergo dico, quod Pater *volens* generat, non tantum voluntate consequente, sed *voluntate antecedente.* — *Ib.* n. 5.

Quantum ad *secundum* videtur, quod Pater non producat Filium voluntate tamquam *principio productivo:* quia princi-

(1) Vid. Distinctiones: *Actio duplex.*

pium productivum unius rationis in Divinis non potest habere duas productiones unius rationis; nulla enim productio ibi est unius rationis nisi unica, quia adaequata; ergo cum Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis ut *principii productivi*, Filius non sic producetur.

Sed videtur esse difficultas propter verba Augustini, qui videtur attribuere gignitionem voluntati in nobis ut *principio productivo, IX. De Trin.* c. 2.: *Verbum amore concipitur;* et eodem lib. c. 2.: *Notitia placita digneque amata verbum est;* et *XI. De Trin.* c. 3.: *Voluntasque ipsa quomodo foris corpori obiecto formandum sensum admovebat, formatumque iungebat, sic aciem recordantis animi ad memoriam convertit;* et in eodem lib. c. 4.: *Voluntas vero illa quae hac atque illac fert atque refert aciem formandam, coniungitque formatam;* et dicit multa consimilia; ergo vult, quod voluntas habeat rationem convertentis aciem ante gignitionem et retinentis eam in actu. Ita igitur videtur in Trinitate, cuius imago est in anima, quod voluntas habeat ibi aliquam rationem *principii* respectu productionis vel gignitionis, vel rationem alicuius *superioris* applicantis principium proximum ad actum suum, sicut in nobis.

Quantum ad istud, etsi aliqui distinguant, quod ly *voluntate* potest teneri *adverbialiter*, ut sit sensus, *voluntate genuit*, id est, *voluntarie* genuit, et tunc est vera; aut potest teneri *ablative*, et tunc notat causam et *principium elicitivum* gignitionis, et tunc est falsa; quidquid sit de ista distinctione, non videtur dicendum, quod Pater Filium genuerit voluntate, ita quod voluntas sit *principium proximum* vel *remotum*. — Quod non *proximum* probatum est: quia principium unius rationis non est nisi principium unius productionis. — Quod etiam non *remotum* patet: quia sicut voluntas ut est principium *operativum* aliquo modo *posterius operatur* quam intellectus, ita ut est principium *productivum* aliquo modo *posterius producit* quam intellectus, et ita non erit causa superior, neque prior productione, quae est proprie intellectus. — *Ib.* n. 6.

Propter istas tamen auctoritates Augustini intelligendum est, quod in nobis non est tantum unicus actus *intelligendi*, accipiendo actum de genere *qualitatis*, neque unicus actus *gignendi*, accipiendo actum pro actione de genere *actionis;* quia si esset tantum unicus actus iste et unicus ille et ille et iste essent idem, tunc voluntas nostra nullam causalitatem haberet in ratione actus *intelligendi*, qui est de genere *qualitatis*, neque in ratione actus *gignendi*, qui est de genere *actionis*. — In Divinis igitur cum non sit in Patre nisi unicus actus *intelligendi*, respectu illius actus voluntas Patris non habebit aliquam rationem *principii* vel causae. Cum etiam non sit nisi unicus actus *dicendi*, respectu illius voluntas non habebit rationem *principii*, quia voluntas sicut operando, ita et producendo vel principiando sequitur aliquo modo intellectum. Actus igitur *dicendi* praecedit omnem principiationem voluntatis. — Potest tamen voluntas ut *complacens*, non ut *principians*, habere actum respectu illius gignitionis, ex hoc quod voluntas ut operans in Patre non praesupponit gignitionem, sed tantummodo intellectionem illam qua Pater *formaliter intelligit.*

In nobis autem verae sunt auctoritates Augustini, quod voluntas movet aciem ad actum cognoscendi et tenet eam in cognitione; quia posito primo actu nostro, sive de genere *qualitatis* sive de genere *actionis*, possumus habere alios actus posteriores ex imperio voluntatis. — In Patre autem voluntas non admovet intelligentiam Patris ut formandam a memoria Patris, quia in Patre non est nisi unica intellectio formaliter, quae praecedit aliquo modo productionem Verbi; neque admovet memoriam ipso obiecto ut gignatur Verbum. — *Ib.* n. 7, *ubi Augustini mentem plenius explicat.* — Cf. *Report.* ib. q. 2. — Vid. Distinct.: *Foecunditas in Divinis.*

Verbum est ars Patris. — August. *VI. De Trinit.* cap. ult. dicit, quod *Verbum est ars Patris plena omnium rationum viventium.* — Sic est *ars* Patris sicut est *sapientia* Patris. Qualiter autem intelligendum sit quod sit sapientia Patris, Augustinus exponit *VII. De Trinit.* cap. 3.: *Ita*

dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id est, quemadmodum lumen de lumine, et utrumque unum lumen sit, et intelligitur sapientia de sapientia, et utrumque una sapientia. Non ergo est *ars Patris plena rationum,* quasi illae rationes distinctae sint in *solo* Verbo, imo sunt aeque distinctae in intelligentia Patris ut Patris. Sed ita competunt Filio per appropriationem, propter hoc, quod ex vi productionis suae est notitia determinativa eorum quae habitualiter continentur in memoria paterna. Intelligentia autem Patris non habet rationem sic producti, licet ipsa ut improducta habeat rationes omnium productorum cognoscendorum. — *Report.* Prol. q. 1. n. 29. — Cf. *De Rer. Princ.* q. 2. n. 15. — Vid. Distinctiones: *Ars in Divinis.*

Verbum est homo. — *Primo* videndum est quae sit *causa* veritatis, quare ista sit vera, *Deus est homo,* cum ipsa non sit *primo* vera; quandocumque enim praedicatum non convenit communi nisi pro *aliquo supposito,* non convenit ei *primo,* nec vere, nisi quia dicitur de *aliquo inferiori;* et ita oportet aliquam causam esse verificantem illam propositionem: *Deus est homo;* haec autem causa est, quia haec est vera: *Verbum est homo.*

Secundo oportet videre de *veritate* huius *causae.* Ubi sciendum est, quod ista propositio non potest ostendi, neque cognosci *naturaliter* esse vera. Aut enim possumus habere conceptum *proprium* et determinatum de Verbo, et tunc propositio haec est vera contingens, sed *immediata,* et non nota ex terminis, quia tunc oporteret terminos habere necessariam habitudinem, ita quod ratio terminorum includeret necessario unionem eorum, quam exprimit propositio. Aut non habemus conceptum de Verbo proprium, sed tantum *confusum;* et tunc ista propositio, *Verbum est homo,* quantum ad conceptum quem habemus de terminis, est *mediata* contingens. Talis autem non est nata cognosci, nisi ex aliqua *immediata* contingente, ex qua sequatur: sed illa, ut praedictum est, non potest cognosci ex terminis, quia *contingens;* nec alio modo potest cognosci naturaliter esse vera, quia contingens *immediata* non cognoscitur nisi ex cognitione intuitiva extremorum, et unione eorum, qualem non possumus habere de extremis illius immediate antecedentis ad istam. — *Oxon.* III. d. 7. q. 1. n. 2.

Est ergo veritas istius tantum *credita* immediate, aut ex aliquo *credito* ostendenda. Et secundum hoc, sic ostenditur esse vera: suppositum enim subsistens in aliqua natura, ut suppositum naturae, dicit tale formaliter secundum illam naturam: creditum est autem talem esse istam unionem, quod per eam Verbum subsistit in natura humana ut suppositum in natura; ergo per eam *Verbum formaliter est homo.* — *Maior* huius probatur per Damascenum, lib. III. c. 11. *Deus* autem et *commune nomen* significat, et in *unaquaque hypostasi,* id est, persona, ordinatur denominative, quemadmodum et *homo; Deus* enim est *qui habet naturam divinam,* et *homo* qui *humanam.* — *Minor* probatur per Augustinum, *I. De Trin.* c. 13. *Talis fuit ista assumptio, ut Deum hominem faceret, et hominem Deum.* — *Ib.* n. 3. — *Report.* ib.

Verbum est potentia operativa Patris. — Verum est, quia agit aliter quam Pater quantum ad distinctionem quae consequitur originem, scilicet, *a se,* et non *a se,* sed *ab alio;* propter quod dicitur Pater creare per Verbum, et non e converso. — *Oxon.* III. d. 1. q. 1. n. 20.

Verbum quod semel assumpsit numquam dimisit. — Cum dicitur, quod *semel assumptum numquam fuit dimissum,* verum est de *principalibus* partibus corporis, quae concurrunt ad perfectionem hominis, cuiusmodi sunt partes heterogeneae, scilicet, cor, caput et manus et huiusmodi; et tamen aliquae partes dimissae sunt, ut si incidit sibi ungues, vel rasit sibi capillos, et sic de partibus carnis et aliis; imo *totum* sub ratione *totius* fuit dimissum, quia totum *integrum* ex partibus non semper fuit unitum; tamen principales partes semper fuerunt unitae; et de illis loquitur Damascenus. — *Oxon.* III. d. 16. q. 2. n. 8. — Et est intelligendum, *quod semel assumpsit numquam dimisit,* de partibus integralibus principalibus, non autem de partibus secundum *materiam,*

sed secundum *speciem;* neque de tota natura, scilicet, *humanitate,* quia illam dimisit in triduo, alias non fuisset vere mortuus. — *Report.* ib. n. 7.

* Ideo * dico, quod Christus in triduo non fuit *homo;* quia licet habuit partes naturae unitas sibi, non tamen habuit *naturam humanam* sibi unitam; natura enim humana non est partes, nec partes unitae, quia pono, quod natura in se dicit entitatem absolutam ultra partes, ut probavi *dist. 2 huius.* Dico igitur, quod *homo* habet unitatem quamdam et entitatem aliam ab istis partibus etiam unitis; non tamen partialem entitatem quae cum istis faciat compositum, tunc enim procederetur in infinitum. Et illud *totum* sive forma *totius* non fuit unita Verbo in triduo; ideo tunc Verbum non fuit *homo.* Et quamvis illud totum non sit sine unione partium, tamen unio illa vel relatio non est *formalis* ratio *totius.* — *Oxon.* ib. l. 22. n. 18. — *Report.* ib. n. 19.

Veritas quid sit, noli quaerere cum audis: Deus est veritas. — * Augustinus, *VIII. De Trinit.* * cap. 2: *Cum audis: Deus est veritas, noli quaerere quid est veritas, statim obiiciunt se phantasmata.* Hoc intelligo sic: quando conceptus universalis abstrahitur a singulari quanto est universalior, tanto difficilius potest intellectus diu sistere in tali conceptu; quia quandocumque intelligimus universale phantasiamur eius singulare, et illud universale diutius et facilius possumus intelligere quod est similius singulari relucenti in phantasmate; et quia universalissima sunt remotiora ab ipso singulari, ideo difficilius est stare in conceptu illorum universalissimorum. Concipiendo ergo Deum in conceptu universalissimo, noli quaerere quid hoc est, noli descendere in aliquem conceptum particularem, in quo ille universalior salvatur, qui particularior propinquior est phantasmati; descendendo enim ad talem, qui magis relucet in phantasmate occurrenti, statim amittitur illa serenitas veritatis vel sinceritas veritatis, in qua intelligebatur Deus, quia statim intelligitur veritas contracta, quae non convenit Deo, cui conveniebat veritas in communi concepta, non contracta. — *Oxon.* I. d. 3. q. 3. n. 26-27.

Consimiliter, secundum Augustinum, ib. cap. 1., *Deus veritas est; cum dicitur veritas, mane si potes in intellectione veritatis, et si intelligas veritatem, non tantum in communi, sed per essentiam, iam habes conceptum quodammodo proprium Deo.* — Breviter dico, quod quodcumque transcendens per abstractionem a creatura cognita potest in sua indifferentia intelligi, et tunc concipitur Deus quasi *confuse:* sicut *animali* intellecto, *homo* intelligitur. Sed si tale transcendens in communi intelligitur sub ratione alicuius specialioris perfectionis, puta *summum,* vel *primum,* vel *infinitum,* iam habetur conceptus sic Deo proprius, quod nulli alii convenit. — *Quodlib.* q. 14. n. 3. — Vid. Distinctiones: *Veritatem in regulis aeternis videri,* etc.

Veritas. — Sicut res se habent ad entitatem, ita ad veritatem. — Unumquodque sicut se habet ad *esse,* sic ad *cognosci.* — *Oxon.* II. d. 3. q. 9. n. 5. — d. 9. q. 2. n. 10. — I. d. 3. q. 2. n. 1. — * Vel * unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, id est, intelligibilitatem, secundum se. — *Ib.* IV. d. 10. q. 8. n. 7. — Quia quod est ratio *essendi* est ratio *cognoscendi.* — *Quodlib.* q. 5. n. 11. — Ita debet intelligi *veritas* de qua loquitur Philosophus *II. Metaphys., sicut res se habent ad entitatem, ita ad veritatem,* pro *evidentia rei in se,* sive pro *intelligibilitate* rei ex parte sui. Non oportet autem, quod res sicut se habet ad entitatem, sic se habeat ad *cognosci,* nisi intelligatur cognosci ab illo intellectu qui respicit *intelligibilia omnia* secundum gradum proprium cognoscibilitatis eorum, qualis non est noster intellectus, sed maxime cognoscit sensibilia. — *Oxon.* I. d. 3. q. 2. n. 30. — Cf. *Exposit. in Metaph. Arist.* l. III. S. 2. c. 2. n. 34. — l. II. S. un. c. 2. n. 8. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 4. n. 3. — Vid. *Unumquodque sicut se habet* etc.

Veritate necessaria nihil verius. — Quando dicitur, quod *veritate necessaria nihil est verius,* conceditur; potest esse tamen *certius* aliquid in veritate et *notius.* — Vel potest dici per interemptionem illius propositionis: quia veritate necessaria alicuius

conclusionis potest aliquid esse verius; illud enim est magis necessarium, et per consequens magis verum, cuius necessitas et veritas ab alio non dependet, quam illud cuius necessitas dependet ab alio. — *Poster.* I. q. 13. n. 7.

Veritatum contingentium est ordo. — *Ordo est in contingentibus*, quod aliqua est prima et immediata, alioquin vel esset processus in infinitum in contingentibus, vel aliquod contingens sequeretur ex causa necessaria; quorum utrumque est impossibile. — *Oxon.* I. d. 3. q. 4. n. 10. — Prol. q. 3. n. 13. — I. d. 8. q. 5. n. 24.

Verum est in intellectu, bonum in rebus. — *Non enim est verum et falsum in rebus, ut quod quid verum bonum, quod autem malum falsum, sed in mente. Circa vero simplicia et quod est nec in mente est,* (Philos.). — Probat, quod verum et falsum sunt circa *compositionem* et *divisionem;* quod probat per quamdam divisionem dicens, quod *verum et falsum non sunt in rebus, ut quod quidem bonum verum, quod autem falsum malum,* id est, quod non sunt in rebus, sic intelligendo, quod verum sit quoddam bonum, quatenus verum perfectionem quamdam dicit, et falsum sit quoddam malum, quatenus falsum dicit defectum quemdam; non ergo sunt in rebus; *sed in mente,* id est, in intellectu. *Circa vero simplicia et quid est nec in mente est,* id est, quod cum intellectus habeat duas operationes, unam qua intelligit *simplicia* et *quid* est, aliam qua *componit* et *dividit* et intelligit *complexa,* non tamen verum et falsum est circa primam operationem, qua intellectus intelligit *simplicia* et *quid est,* sed circa secundam; relinquitur ergo, per locum a divisione, quod ex quo verum et falsum non sunt in rebus, nec in mente circa primam operationem, quod sint circa secundam, quae est compositio vel divisio *mentis,* et hoc principaliter; consequenter sunt circa compositionem et divisionem *vocis,* quae est signum mentis. — *Exposit. in Metaph. Aristot.* l. VI. S. 2. c. 2. n. 32.

* Ast * licet veritas primo reperiatur in intellectibus quam in re, causatur tamen a re. Per prius reperitur in intellectu quam in re; esse tamen rei est causa veritatis in intellectu. Unde signanter dicit Philosophus: *eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa.* — *QQ. Metaph.* l. X. q. 4. n. 3.

Verum et ens convertuntur. — Licet *esse* et *esse verum* convertantur secundum *rem,* differunt tamen secundum *rationem;* et ideo non oportet, quod illud quod est principium secundum *esse* sit primum secundum *veritatem,* et non e converso. — *QQ. Metaph.* l. X. q. 4. n. 3.

Verum et falsum sunt in anima, bonum et malum in rebus. — Aristoteles, VI. *Metaphysicae,* text. 8., dicit, quod verum et falsum non sunt in rebus sicut bonum et malum, sed in intellectu: non omni, sed componente vel dividente. — *Opus II. super Periherm.* q. 3. n. 1. — Et per hoc dico, quod verum et falsum sunt in intellectu componente vel dividente sicut in cognoscente; non sunt in intellectu componente et dividente sicut in eo *quod est verum,* quia intellectus simplex est verus, quia conformis suo intelligibili, et sensus similiter, quia conformis suo sensibili. — *Ib.* n. 3.

Ad auctoritatem Philosophi, de *vero* et *falso* quod sunt in intellectu, et bonum, et malum in rebus, dico, quod verum et falsum sunt in intellectu, non tamen discursivò modo; sed quod verum et falsum solum possint esse in anima, verum est de re cognita cognitione abstractiva, non autem de re cognita cognitione intuitiva extra, quod enim in tali cognitione intuitiva non sit res praesens tunc est contradictio in dicto; sed sicut verum et falsum et de re intuitiva sunt extra terminative, et intra in intellectu, id est in actu intellectionis, sic bonum et malum sunt extra in rebus, et cum hoc sunt intra in actu volendi, quia operatio voluntàtis est in voluntate, sicut intellectio in intellectu, et sunt in obiecto terminative. — *Report.* IV. d. 49. q. 2. n. 20.

Dico * igitur *, quod tam cognitio intuitiva quam dilectio sequens tendit in obiectum ut est existens in se. Cognitio autem abstractiva et dilectio sequens tendunt in obiectum habens esse cognitum. Ideo in hoc non est differentia inter intellectum et vo-

luntatem, quia utraque potentia potest tendere in obiectum suum ut in se et in obiectum ut habet esse diminutum in intellectu. Tamen Philosophus communiter loquebatur de intellectione *abstractiva* et de voluntate ut est *desiderativa*, quomodo tendit in rem non iam existentem, sed futuram, et hoc est in terminum actus desiderii seu effectum; in eamdem autem rem ut obiectum non tendit, nisi ut habet esse in intellectu, quia quando desideratur nullum aliud esse habet, secundum quod posset obiici. — *Oxon.* ib. q. 4. n. 20.

Verum nihil est de eo cuius ratio est in se falsa. — Ad veritatem propositionis requiritur, quod ratio subiecti sit in se vera, et non includat contradictionem. — *Oxon.* I. d. 2. q. 3. n. 8. — Quia nihil potest esse verum de eo quod est in se falsum, sicut est illud cuius ratio includit repugnantia. — *Quodl.* q. 13. n. 24.

Violentum nullum perpetuum. — Ista propositio, *nullum violentum perpetuum* non est necessaria Theologis, loquendo de violento contra naturam *particularem* huius, quia Deus potest conservare aliquod particulare perpetuo sub opposito eius ad quod naturaliter inclinatur. Sed apud Aristotelem erat vera, quia omni potentiae passivae ponit in tota coordinatione causarum activarum correspondere aliquam causam, quae aliquando reduceret eam ad actum: ergo illa potentia naturalis aliquando reducetur ad actum, et ita violentum sibi oppositum corrumpetur. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 13. n. 14. — *Report.* ib. q. 12. n. 12. — Causa Philosophi fuit, quare dixit quod *nullum violentum est perpetuum*, quia posuit, quod omne violentum habet naturale contrarium, et omne naturale habet causam activam agentem ex necessitate naturae, quae, licet possit impediri ad tempus, tamen tandem reducet potentiam ad actum; Theologi tamen non concordant cum Aristotele in hoc. — *Report.* II. d. 7. q. 3. n. 21. — *Oxon.* ib. n. 26. — Cf. *Oxon.* IV. d. 43. q. 2. n. 25.

Virtuosus repentine agit. — Virtuosus non sic agit repentine et sine deliberatione sicut agit natura, ex *II. Physicorum.* Debet igitur sic intelligi dictum Philosophi, quod sicut virtuosus, obiecto ostenso, inclinatur ad recte agendum, ex recto habitu, ita etiam per prudentiam ordinatus est ad statim recte dictandum circa illud eligibile, et quasi imperceptibiliter deliberat, propter promptitudinem eius in syllogizando practice: alius autem imperfectus cum difficultate et mora syllogizat practice; et si tandem recte eligat, non dicitur repentine agere, sed morose; et alius perfectus quasi repentine agere respectu illius, quia agit quasi in tempore imperceptibili. — *Oxon.* III. d. 33. n. 23.

Virtus est circa bonum et difficile. — Dico, quod difficultas in opere virtuoso non est per se ex parte operantis, sed ex parte operis; difficilius enim est avaro dare unum nummum quam liberali decem, et tamen non virtuosius. — Nec qualiscumque difficultas ex parte operis arguit maiorem virtuositatem, sed illa quae per se includit excellentiam obiecti quod per se attingitur per operationem; talis autem difficultas stat cum maiori levitate; nam levius est attingere amando obiectum excellentius quam obiectum minus excellens. Amor autem, et praecipue finis, si ille quaeratur in omnibus, facit omnia onera levia, ut verum sit quod dixit Salvator, Matth. 21: *Venite ad me;* et sequitur: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.* — Cui sit laus, honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen. — *Oxon.* III. d. 40. n. 8.

Virtus infinita si esset moveret in non tempore. — *VIII. Physicor.*: *Virtus infinita si esset moveret in non tempore:* nulla virtus potest movere in non tempore; ergo etc. — *Oxon.* I. d. 2. q. 1. n. 1. in arg. — *Dico,* quod Philosophus infert moveri in non tempore ex hoc antecedente, quod potentia infinita est in magnitudine, et intelligit in consequente *moveri* proprie, ut distinguitur contra *mutationem*, et hoc modo *consequens* includit contradictionem, et etiam *antecedens*, secundum eum. Qualiter autem teneat haec consequentia, sic declaro: si est infinita potentia, et agit ex necessitate naturali; ergo agit in non tempore, quia si agat in tempore, sit illud tempus A, et accipiatur alia virtus finita quae agat in tem-

pore finito, et sit illud tempus B. Augmentetur autem virtus finita secundum proportionem illam, quae est B ad A; puta, si A est centuplum vel millecuplum ad B, accipiatur virtus quae sit centupla vel millecupla ad illam virtutem finitam datam. Igitur illa virtus sic augmentata movebit in A tempore, et ita illa et infinita movebunt in aequali tempore, quod est impossibile, si virtus infinita movet secundum ultimum potentiae suae et necessario. Ex hoc igitur, quod virtus illa est infinita, sequitur, quod si agat ex necessitate naturae, agit in non tempore. Ex hoc autem, quod ponitur in antecedente, quod est in magnitudine, sequitur, quod si agat circa corpus, quod proprie moveat illud corpus, quia virtutem in magnitudine vocat Philosophus virtutem extensam per accidens; talis autem si ageret circa corpus habet partes illius corporis diversimode distantes respectu eius: puta unam partem corporis propinquiorem, et aliam remotiorem; habet etiam resistentiam aliquam in corpore circa quod agit: quae duae causae, scilicet resistentia et diversa approximatio partium mobilis ad ipsum movens, faciunt successionem esse in motu et corpus proprie moveri. Ergo ex hoc quod in antecedente illo ponitur virtus in magnitudine, sequitur quod proprie movebit, et ita iungendo ista duo simul, quod est *infinitum*, et *in magnitudine*, sequitur, quod proprie movebit, et in non tempore: quod est contradictio. Sed istud non sequitur de virtute infinita quae non est in magnitudine: ipsa enim licet in non tempore agat, si necessario agat, quia hoc sequitur ad infinitatem, tamen non proprie movebit, quia non habebit in passo illas duas rationes successionis. Non igitur vult Philosophus, quod infinita potentia moveat proprie in non tempore, sicut argumentum praetendit; sed quod infinita potentia in magnitudine proprie moveat, et in non tempore, quae sunt contradictoria. Ex hoc sequitur, quod antecedens includit contradictoria, scilicet, quod virtus infinita sit in magnitudine.

Sed tunc est dubitatio: cum potentiam motivam primi ponat * Philosophus * infinitam et *naturaliter* agentem, videtur sequi, quod necessario ageret in non tempore. Sed christianis non est argumentum difficile, quia dicunt Deum *contingenter* agere, ipsi enim possunt faciliter respondere: quia si virtus infinita necessario agens agat secundum ultimum sui, et ita in non tempore, quidquid immediate agit, non tamen virtus infinita *contingenter* et libere agens; sicut enim in potestate eius est agere et non agere, ita in potestate eius est agere in tempore et agere in non tempore. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 36. — *Quodlib.* q. 12. n. 14.

Virtus in medio consistit. — Est enim habitus electivus *medii*, ut determinatur a recta ratione. — *Oxon.* I. d. 17. q. 3. n. 2. — Circa terribilia convenit virtutem humanam tenere *medium*. — *Ib.* III. d. 34. n. 3.

Potest concedi, quod virtus *theologica* est proprie *media*, non ex parte *obiecti*, sed ex parte excessus qui potest esse in actu. Virtus quidem *moralis* habet excessum et defectum, non tantum ratione modi actus, sed etiam ratione *obiecti* in quod tendit actus; non sic *theologica*, quia obiectum in quod tendit est infinitum. Sed in hoc potest tendere actu *immoderato*, aut in maius, aut in minus; virtus autem moderatur, ut *medio modo* tendat in illud. Et hoc modo potest concedi *fides* esse *media* inter *levitatem*, qua quis *nimis* assentit ei quod non est credendum, iuxta illud, *Qui cito credit levis est corde*, et inter *pertinaciam*, qua quis nimis resistit credendis, nolens alicui assentire, nisi per rationem naturalem ostendatur. Sic etiam nimio *amore* potest quis tendere in aliquod diligibile, et nimis remisse, licet non in nimis bonum, nec in nimis verum possit aliquis amando et credendo tendere in Deum. — *Temperantia* vero moralis requirit *medium* utroque modo, quia potest in obiectum excedens et deficiens, et tendere potest actu deficiente et excedente. — Et ille secundus modus est communis virtuti morali et theologicae; primus non. — *Oxon.* III. d. 26. n. 24. — *Report.* ib.

Virtus unita fortior. — *Virtus unita est fortior seipsa dispersa;* quia illa virtus est fortior quae habet aequales gradus in minori magnitudine: sed virtus unita est huiusmodi; ergo, etc. — *Physic.* I. q. 23. n. 4. — Agens quod est diversarum opera-

tionum et actionum, si circa unum et idem agit, fortius agit et perfectius, quam si simul agat circa disparata; *virtus* enim *unita fortior est et perfectior.* — *Oxon.* II. d. 42. q. 4. n. 10.

Virtutis est delectabiliter operari (Ex *II. Ethicor.*). — Quantum est ad illam materiam praecise sumptam delectabiliter operatur: puta, delectabile sibi est abstinere ab opere intemperati; sed non est sibi delectabile subire terribilia, quia circa illa non est ordinatus; tristatur ergo cum committit actum intemperantiae, quia est contra habitum suum; sed tristius esset sibi subire terribilia; fugit enim tristiùs, et eligit quodammodo minus triste, ne incurrat tristius. Concedo igitur, quod talis est imperfectus, et tristabiliter operatur; sed non est imperfectus, nec tristabiliter operatur circa materiam illius virtutis quam habet, nisi tantum per accidens, quia, scilicet, concomitatur alia materia circa quam non est virtuose dispositus, ut circa ipsam virtuose et delectabiliter operetur. — *Oxon.* III. d. 36. n. 9.

Visio Dei est summa merces. — Ad illud Augustini, *De Trinitate I.*, quod *visio est summa merces*, dico, quod visio est summum praemium potentiae praemiatae hoc praemio; sed non sequitur: igitur visio est summum praemium *hominis:* sicut *dos* corporis est summum bonum et praemium *corporis*, non autem *hominis*. Et quando dicitur, quod *visio est tota merces*, verum est: tota merces *intellectus;* sed de *toto homine* non habent auctoritatem, quod visio sit *tota* merces. — *Report.* IV. d. 49. q. 2. n. 20. — *Oxon.* ib. q. 4. n. 21.

Volens ordinate prius vult finem quam ea quae sunt ad finem. — *Volens ordinate* finem et ea quae sunt ad finem *prius vult finem* quam aliquod entium ad finem, quia propter finem alia vult. — *Oxon.* I. d. 41. n. 11. — Nam omnis rationabiliter volens vult primo finem, et secundo illud quod immediate attingit finem, et tertio alia quae remotius sunt ordinata ad attingendum finem. — *Ib.* III. d. 32. n. 6. — Quia omnis ordinate volens, post volitionem finis, immediate vult illud quod est immediatius vel proximius fini. — *Ib.* II. d. 20. q. 2. n. 2. — Quanto ordinatum ad finem immediatius attingit finem, tanto maioris nobilitatis est. — *Ib.* d. 16. n. 15. — Sed voluntas nihil vult naturaliter primo et propter se, nisi finem ultimum; et per consequens omne aliud vult non primo, sed in ordine ad ipsum. — *Ib.* III. d. 15. n. 22. — Universaliter ordinate volens prius videtur velle hoc quod est fini propinquius. — *Ib.* d. 7. q. 3. n. 3.

Volibile supremum ab omnibus propter se est volendum. — Cuicumque supremum volibile est obiectum volibile, ei *illud solum est simpliciter propter se volendum;* quia inter volibilia aliquid est *propter se* volendum, quia si quodlibet *propter aliud,* erit processus in infinitum: nullum etiam erit supremum, quia propter aliud volendum minus est volendum quam aliud propter quod est volendum; ergo si aliquid est simpliciter supremum volendum, illud est simpliciter *propter se* volendum, loquendo ex parte *obiectorum.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 2. n. 20. — Et ex hoc sequitur, quod *cuilibet est propter se volendum* cui illud est obiectum volibile; quia vel *nulli,* vel *omni,* vel *alicui sic* et *alicui non:* non primum, ex probato: nec tertium, quia non est maior ratio quare alicui magis quam alii. — Probatur etiam idem *a posteriori:* quia etsi in potestate volentis sit velle *hoc* vel *illud,* non tamen est in potestate eius *quid* sit volendum, et maxime quid sit *summe* volendum; hoc enim praecedit omnem determinationem cuiuscumque voluntatis; ergo ad quodcumque comparetur, semper manet illud propter se volendum; et hinc est quod est *huic* volendum, quia huic volibile. — Breviter etiam probatur istud, applicando ad *voluntatem,* sicut et de volendo in se: quia cuilibet voluntati est aliquid volendum, cum quaelibet voluntas possit aliquid recte velle, et non nisi sibi volendum: et nulla potest aliquid sibi volendum velle propter aliud et aliud, et sic in infinitum.

Probatur etiam illud de *praecisione;* scilicet, quod *solum* illud sit respectu voluntatis *propter se* volendum: quia nulli alteri repugnat, quod propter aliud appetatur, cum non sit simpliciter supremum appetibile, et minus bonum possit recte appeti propter

maius bonum; et istud potest dici finis ultimus esse talis voluntatis, quia propter illud volitum est quodcumque aliud volendum. — *Ib.* n. 21.

Volitum nihil quin praecognitum. — *Nihil amatur nisi cognitum.* — *De Prim. Princ.* c. 4. n. 11. — Quia secundum Augustinum, *invisa diligere possumus, incognita nequaquam;* voluntas ergo non potest velle nisi prius cognitum ab intellectu. — *Collat.* II. n. 2. — *Velle* enim praesupponit *intelligere*, quia per illud intelligere obiectum illud circa quod dicitur esse dilectio est sufficienter praesens, et absque illa intellectione non esset sufficienter praesens voluntati, ut posset velle. — *Oxon.* I. d. 11. q. 1. n. 3. — Anima enim non est fecunda potentia *propinqua* ad habendum actum *volendi*, nisi sit in actuali intellectione, licet actuali intellectione non *formaliter* producat actum amandi, sed voluntate, ut est actus *primus*, qui praeexistit in anima ante intellectionem, licet non in potentia propinqua omnino ad agendum. — *Oxon.* I. d. 12. q. 1. n. 12. — * Sed * intellectione inexistente licet non cognita ut *obiectum*, potest voluntas velle et complacere sibi in obiecto illius intellectionis et in illa intellectione, et non complacere sibi. — *Ib.* II. d. 42. q. 4. n. 10. — Necesse * itaque * est ad actum *amandi*, sive ad actum amoris, amatum esse *praecognitum*. Hoc dicit Agustinus *XV. De Trinitate.* cap. 27. — Sed non oportet ipsam *dilectionem* esse praecognitam, puta, si offertur mihi aliquod bonum honestum, non oportet, quod antequam possem habere illum actum amandi circa illud, quod praecognoscam illum actum. — *Oxon.* I. d. 10. n. 14. — *Report.* ib. q. 4. n. 2.

* Ats * cum accipitur *nihil desideratur nisi cognitum*, verum est de desiderio voluntatis *elicito* ab ipsa; non autem de desiderio quod est solum *inclinatio naturalis.* — *QQ. Metaph.* l. I. q. 2. n. 7. — Cf. ib. l. XII. q. 8. n. 3. — Cf. *De Cognitione Dei*, q. 1. n. 1. — *Oxon.* III. d. 26. n. 20. — Vid. *Ignoti nulla cupido* = *Voluntas in beatitudinem tendit.*

Voluntas causa prima peccati. — *Primo* et *formaliter* non est malitia nisi in *actu voluntatis. Probatio:* Illa malitia quae dicitur *peccatum* est iniustitia actualis vel habitualis; in eo igitur est peccatum in quo est iustitia; haec autem non est nisi in voluntate, ut patet per Anselmum, cap. 4. *De Conceptu Virg.* — Item Augustinus, *III. De Lib. Arbitrio:* Voluntas est causa prima peccandi: nihil enim est peccatum, nisi sit in potestate facientis, et nihil est in potestate facientis, nisi quod est in potestate voluntatis eius; unde nullus actus est imputabilis alicui, nisi qui est in potestate eius. — Nec etiam aliquis alius actus est imputabilis, nisi inquantum est in potestate voluntatis; ergo in solo actu voluntatis est formaliter peccatum. — *Confirmatur* per Augustinum, *XI. De Civit.* c. 8., quod defectus voluntarios sequitur poena debita. — Ex quo sequitur *corollarium*, quod in solo *velle* sit peccatum, et in aliis actibus non, nisi mediante velle; ex quo enim de ratione peccati est quod sit imputabile, et non est imputabile nisi quia est in potestate volentis, sequitur cònclusio praedicta. — Item, omnis alia causa in universo activa est *naturalis* in agendo; ergo nulla alia causa, praeter voluntatem, est vituperabilis in agendo; ideo nec peccat in agendo, quia quaelibet alia causa agit secundum formam et principium quod accepit, et ideo non peccat, quia agit sicut accepit. — *Report.* II. d. 42. q. 4. n. 4. — *Oxon.* ib. n. 1.

Voluntas enim libera debitrix est, ut omnem actum suum eliciat conformiter regulae superiori, scilicet, secundum divinum praeceptum; et ideo quando agit discorditer ab illa regula caret iustitia actuali debita: haec est iustitia quae deberet inesse actui, et non inest; et haec carentia, inquantum est actus voluntatis deficientis, est formaliter peccatum. — *Ib.* d. 37. q. 1. n. 6. — Vid. DISTINCTIONES: *Imputabile.*

Voluntas commoda non velle nequit. (Anselmus, *De Concordia*, cap. 26 et 44). — Dico, quod aliud est loqui de voluntate *nunc*, et aliud si esset appetitus eo modo quo ut fingit Anselmus; quia tunc tantum haberet affectionem commodi necessitate naturali, nec esset peccatum, quia non esset libera, et ideo non posset non velle commoda. Sed

nunc nullum commodum necessario vult actu elicito, sicut nec aliquod iustum. — *Report.* II. d. 39. q. 2. n. 8. — Voluntas * namque *, quae est potentia libere agens, non necessario vult commodum, sicut nec necessario vult iustum actu elicito. Tamen si ista una potentia consideratur ut habet affectionem commodi tantum, et non ut habet affectionem iustitiae, id est, inquantum est appetitus non liber, non esset in eius potestate sic non velle commodum, quia sic praecise esset appetitus naturalis naturae intellectualis, non liber, sicut appetitus bruti est appetitus naturalis naturae sensitivae.

Dico igitur, quod illa propositio Anselmi, *commoda non velle nequit*, debet intelligi non de *tota* potentia, quae modo libere potest non velle, non tantum commoda, sed etiam iusta, quia libere potest haec et illa velle et non velle, sed debet intelligi de illa inquantum *praecise affecta affectione commodi*, hoc est, ut considerata sub ratione talis appetitus, non tamen includendo in appetitu tali libertatem. — *Oxon.* ib. n 5. — Cf. III. d. 15. n. 19. — Unde affectio commodi, si esset sine libertate et sine affectione iustitiae, non posset non appeti a tali appetitu, ea apprehensa, sicut nec appetitus sensitivus potest non appetere bonum commodi, eo apprehenso. Ubi tamen est utraque affectio non est necesse, quod necessario appetatur affectio commodi, sed potest voluntas libera eam non appetere, et per affectionem *iustitiae* eam moderare. — *Report.* IV. d. 49. q. 9. n. 17. — *Oxon.* ib. q. 10. n. 14.

Distinguendo ex natura rei duas rationes primas istarum rationum, inquantum altera inclinat voluntatem naturaliter et summe ad commodum, altera autem quasi moderatur eam, ne in eliciendo actum oporteat eam sequi inclinationem eius, nihil aliud sunt ista quam eadem voluntas inquantum est appetitus intellectivus nude, et ultra hoc, inquantum libera; quia inquantum est mere appetitus intellectivus summe inclinaretur actualiter ad optimum intelligibile, sicut est de optimo visibili et visu: tamen inquantum *libera* est potest se refraenare in eliciendo actum, ne sequatur istam inclinationem, nec quantum ad substantiam actus, nec quantum ad intensionem, ad quam potentia naturaliter inclinatur. — *Oxon.* II. d. 6. q. 2. n. 8. — Cf. ib. d. 7. n. 9. — d. 23. n. 6.

Voluntas est ad opposita. — *Voluntas sola habet indifferentiam ad contradictoria*, et talem, quod ipsa est determinativa ad alterum eorum, ex *IX. Metaph.* c. 4. — *Quodlib.* q. 18. n. 9. — Voluntas inquantum est actus primus libera est ad *oppositos actus;* libera etiam est mediantibus illis actibus oppositis ad *opposita obiecta* in quae tendit, et ulterius ad *oppositos affectus* quos producit. — *Oxon.* I. d. 39. n. 15. — Licet enim non sit in ea potentia ad *simul* velle et nolle, quia hoc nihil est, tamen in ea est potentia ad velle post non velle, sive ad successionem oppositorum actuum. Voluntati enim ut est actus primus, etiam quando producit hoc velle, non repugnat oppositum velle: tum quia causa contingens est respectu sui effectus, et ideo non repugnat sibi oppositum in ratione effectus: tum quia ut subiectum est contingenter se habet ad istum actum ut informatur, quia subiecto non repugnat oppositum sui accidentis per accidens. — *Ib.* n. 16. — Agens naturale non potest esse per se causa contrariorum circa idem passum; sed in potestate voluntatis nostrae est habere nolle et velle, quae sunt contraria, respectu unius obiecti. — *Ib.* II. d. 25. n. 6. — Cf. *Report.* I. d. 10. q. 2. n. 6. — *Oxon.* II. d. 5. q. 1. n. 3. — IV. d. 16. q. 2. n. 9. — *Physic.* II. q. 12. n. 5.

Voluntas est quodammodo illimitata. — Quatenus fundat relationes oppositas, ex hoc, scilicet, quod virtualiter continet illud ad quod formaliter habendum est in potentia. — *Oxon.* I. d. 2. q. 7. n. 7. — d. 26. n. 43.

Voluntatem velle hoc est immediatum principium. — Indisciplinati est quaerere omnium causas et demonstrationem, secundum Philosophum, *IV. Metaph.*; principii enim demonstrationis non est demonstratio: *immediatum* autem *principium est, voluntatem velle hoc*, ita quod non est aliqua causa media inter ista, sicut immediatum est, calorem esse calefactivum, licet hoc sit *naturalitas*, ibi autem *libertas;* et ideo huius, *quare voluntas voluit hoc*, nulla est causa, nisi quia voluntas est voluntas, sicut huius,

quare calor est calefactivus, nulla est causa, nisi quia calor est calor, quia nulla est prior causa. — *Oxon.* I. d. 8. q. 5. n. 24.

Voluntas in beatitudinem tendit. — Quia secundum Augustinum, in *Enchiridio, voluntas ita vult beatitudinem, quod non potest velle miseriam:* illud autem velle beatitudinis est naturale. — *Oxon.* III. d. 15. n. 15. — De illo *appetitu naturali* patet, quod *voluntas necessario et perpetuo et summe appetit beatitudinem*, et hoc in *particulari.* — Quod *de necessitate* patet, quia natura non potest remanere natura, quin inclinetur ad suam perfectionem, quia si tollas illam inclinationem, tollis naturam: sed appetitus naturalis non est nisi inclinatio talis; ergo ut sic necessario appetit beatitudinem, quia illa est maxima perfectio. — Quod *summe* appetat, probo: quia summa inclinatio naturae est ad summam perfectionem; sic enim arguit Philosophus *I. Metaphysicae: Si omnes homines natura scire desiderant; ergo maximam scientiam maxime desiderant*: sed summa perfectio voluntatis est beatitudo; ergo, etc. — Praeterea, in cuius potestate non est tendere vel non tendere, in eius potestate non est remisse tendere; ergo si voluntas *ut natura* determinatur necessario ad appetendum beatitudinem, ergo *summe.* — Et quod *in particulari* patet, quia ille appetitus est ad perfectionem intrinsecam realem, qua voluntas perficitur: sed perfectio realis non est aliquid universale quo voluntas perficitur, sed particulare; ergo, etc. — Praeterea, ille appetitus non est actus sequens cognitionem, quia tunc esset *liber:* universale autem non est nisi obiectum intellectus, vel consequens actum intellectus; ergo ille appetitus non erit nisi beatitudinis in *particulari.* — *Oxon.* IV. d. 49. q. 10. n. 3. — *Report.* ib. q. 9. n. 5.

De appetitu *libero*, an omnes illo appetitu *necessario* et *summe* appetant beatitudinem, dico, quod etsi voluntas libere velit *ut in pluribus* beatitudinem apprehensam in *universali*, vel *particulari*, quando intellectus non dubitat in illo particulari esse beatitudinem, non tamen *necessario* vult, nec in universali, nec in particulari. — *Oxon.* ib. n. 5., * *ubi hoc probat* *. — Quod autem ut *in pluribus* voluntas velit beatitudinem, hoc est, quia ut conveniens appetitus liber sequitur inclinationem appetitus naturalis; impossibile enim est per aliquem habitum voluntatem magis habilitari vel inclinari ad aliquid volendum quam per appetitum naturalem. — Cum ergo voluntas possit tantum habilitari per habitum aliquem, quod ut in pluribus sequatur inclinationem illius, imo delectabiliter operetur secundum illam inclinationem, ergo multo magis ut in pluribus vult istud ad quod inclinatur naturaliter. Et ideo iustus homo, etiam cum quocumque habitu, cum difficultate eligit mortem, et est sibi materia patientiae, quia contra appetitum naturalem. Cum ergo omnes appetitu *naturali* appetant beatitudinem, ut dictum est, sequitur, quod *voluntas ut in pluribus velit beatitudinem.* — *Ib.* n. 6.

Tamen sicut circa malum ostensum non possum elicere actum voluntatis nisi *nolle*, sic circa bonum oblatum non possum elicere actum voluntatis nisi *velle;* et ideo debet sic argui: non possum velle esse miserum; ergo non possum *odire* beatitudinem. Sed ex hoc non sequitur: ergo *necessario volo* beatitudinem; quia nullum velle necessario elicitur a voluntatę. — *Ib.* n. 8.

Dico ergo, quod voluntas sic determinatur ad volendum beatitudinem et ad nolendum miseriam, quod si eliciat aliquem actum circa ista obiecta, necessario et determinatum elicit actum volendi respectu beatitudinis, et nolendi respectu miseriae; non tamen absolute determinatur ad unum actum eliciendum, vel alium (1). — *Ib.* n. 9. — Ut *in pluribus* habet actum volendi, sed non *necessario* aliquem actum, sed potest se suspendere ab omni actu, ostensa beatitudine. Unde unumquodque obiectum potest voluntas *velle* et *nolle*, et a quolibet actu in particulari potest se suspendere, hoc vel illo. Et hoc

---

(1) « Quia in potestate voluntatis est non tantum sic vel sic velle, sed velle vel non velle, quia libertas eius est ad agendum vel non agendum. Et hoc posset ostendi per illud Augustini, *I. Retractat.*, ubi vult, quod *nihil est tam in potestate voluntatis quam ipsa voluntas;* quod non intelligitur nisi quantum ad actum eliciendum ». *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 18. — Cf. II. d. 6. q. 2. n. 8.

potest quilibet experiri in seipso, cum quis offert sibi aliquod bonum, et etiam ostendit bonum ut bonum considerandum et volendum, potest se ab hoc avertere, et nullum actum voluntatis circa hoc elicere. — *Ib.* n. 10. — Cf. I. d. 10. n. 10. — II. d. 6. q. 9. n. 9.

Voluntas naturaliter vult bonum. (Ambrosius). — *Voluntatem velle bonum naturaliter* non est illud *velle* aliquis actus *elicitus*; unde nullus motus est in bonum, sed tantum inclinatio naturalis, quae est actus primus, vel saltem non elicitus, cum sit a voluntate inquantum appetitus tantum. — *Report.* II. d. 39. q. 2. n. 8. — Voluntas naturalis ut necessario tendit in volitum non habet actum elicitum circa illud, sed ipsa est tantum inclinatio quaedam in tali natura ad perfectionem sibi maxime convenientem; et ista inclinatio necessario est in natura, licet *actus* conformis huic inclinationi et naturae non necessario eliciatur; actus enim non elicitur, sive conformis, qui dicatur naturalis, sive difformis, qui dicatur contra naturam, nisi a voluntate libera, quae quantumcumque velit oppositum eius ad quod est inclinatio, nihil minus est necessaria illa inclinatio ad illud ad quod inclinat, quia stat, stante natura. — *Oxon.* ib. n. 5. — Cf. *Coll.* XIV. — III. n. 6.

Voluntas necessario vult illud cuius participatione vult quidquid vult. — * Haec * potest simpliciter negari: quia si voluntas nihil necessario vult, non oportet, quod illud, ratione cuius vult alia, necessario velit; sed quod illud contingenter velit sufficit ad volendum alia eo modo quo vult ea. — Aliter potest dici, quod potest habere duplicem intellectum: unum talem: illud cuius participatione vult alia tamquam participatione *obiecti voliti*, illud magis vel prius vult. Alium talem: cuius participatione in *entitate* vult alia quae participant entitatem, illud prius vult. — Primus intellectus videtur esse verus; sed non secundus; quia etsi color quem video participet entitatem suam a primo ente, et visibilitatem a primo visibili, non tamen color visus requirit primum ens vel primum visibile prius videri, quia non videtur participatione eius ut visi, sed ut entis vel visibilis. — *Quodlib.* q. 16. n. 6. — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 17. — Vid. *Finis ultimi participatione*, etc.

Voluntas necessario vult illud in quo non est defectus boni, vel ratio mali. — Quando accipitur, quod *illud in quo non est defectus boni, vel ratio mali, est necessario volitum*, dico, quod est falsa propositio: quia voluntas respectu cuiuscumque actus est libera, et a nullo obiecto necessitatur. — Non tamen potest voluntas nolle aut odire beatitudinem, nec velle miseriam. — *Oxon.* IV. d. 49. q. 10. n. 10. — *Report.* ib. q. 9. n. 12. — * Ideo * ista posset concedi: quod voluntas non potest resilire ab obiecto, sive nolle obiectum in quo non ostenditur aliqua ratio mali, nec aliquis defectus boni; quia sicut bonum est obiectum huius actus qui est *velle*, ita malum vel defectus boni, quod pro malo reputatur, est obiectum huius actus qui est *nolle*. Et non sequitur ultra: non potest nolle hoc; igitur necessario vult hoc; quia potest hoc obiectum neque nolle, neque velle. — *Quodlib.* q. 16. n. 5. — *Oxon.* et *Report.* loc. cit.

Voluntas nihil necessario vult. — *Oxon.* I. d. 2. q. 4. n. 17. — Quia sicut in potestate voluntatis est *velle* et *non velle*, ita in potestate eius est *modus* volendi, scilicet, referre et non referre; quia in potestate cuiuscumque agentis est *agere* et *modus agendi*; ergo in potestate sua est aliquod bonum velle propter se, non referendo ad aliud bonum, et ita sibi praestituendo finem. — *Oxon.* I. d. 1. q. 1. n. 5. — In potestate autem voluntatis est intensius assentire bono, vel non assentire, licet imperfectius viso. — *Ib.* n. 6.

Voluntas solo infinito Bono quietatur. — Voluntas nostra omni finito aliquid maius potest appetere et amare, sicut intellectus intelligere; et quod plus est, videtur inclinatio naturalis ad summe amandum bonum infinitum; nam inde arguitur inclinatio naturalis ad aliquid in voluntate, quia ex se, sine habitu, prompte et delectabiliter vult illud voluntas libera: ita videtur, quod experimur de actu amandi bonum infinitum; imo non videtur voluntas in alio perfecte quietari. — *Oxon.* I. d. 2. q. 2. n. 31. — *De Primo Princ.* c. 4. n. 25. — Experitur

* enim * quaelibet rationalis anima, quod eius appetitus tendit in bonum infinitum, nec alio posset totaliter satiari. Unde Augustinus, *l. I. Confess.* cap. 1.: *Quia fecisti nos ad Te, inquietum est cor nostrum donec requiescat in Te.* — *De Rer. Princ.* q. 2. n. 18. — *Ib.* q. 1. n. 25. — q. 10. n. 6. — q. 12. n. 2 — Propter quod notandum est, quod omnis nostra volitio, potissimum ordinata, est ad finem ultimum, qui est *alpha* et *omega*, principium et finis; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. — *Oxon.* d. 48. n. 2. — Vid. *Bonum dumtaxat infinitum voluntatem quietare potest.*

Voluntatem violentari implicat contradictionem. — *Oxon.* II. d. 37. q. 2. n. 8. — — * Quia voluntas * est *libera per essentiam.* — *Ib.* d. 17. q. 3. n. 5. — Contradictio est, voluntatem simpliciter cogi ad actum volendi. — *Ib.* IV. d. 29. n. 6. — Proprie loquendo, coactio, vel violentia, vel metus non potest cadere in hominem quantum ad aliquem actum *humanum*. Cuius probatio potest desumi ex ipsa definitione coactionis vel violentiae; nam *III. Ethicorum : Violentum est cuius principium totaliter est extra, non conferente vim passo,* ac passo non inclinato ad formam illam quae ab agente extrinseco inducitur, sed magis quantum est ex se resistit illi, quia est contra inclinationem eius; et ita passum est non conferens vim violentiae, non tantum negative, sed etiam contrarie, quia inclinatur naturaliter ad formam contrariam illi quam recipit violenter (1). Sed homo non potest cogi quantum ad aliquem actum humanum, quia omnis actus humanus, sive sit imperatus, sive elicitus, est liber et electivus vel voluntarius: coactio autem est respectu simpliciter noliti, quantum est ex se: sed quod aliquis homo simul velit actu elicito nolens, contradictio est, sicut quod idem album sit nigrum, quia *velle* aliquid *nolens* (1) sunt actus contrarii formaliter repugnantes in anima, ut albedo et nigredo in colore. — *Report.* IV. d. 29. n. 9. — *Oxon.* ib. n. 6.

Potest ergo habens voluntatem cogi ad aliquam passionem, utpote ligatus hic cogitur remanere; vel ad aliquam actionem instrumentalem, quae tamen non est actio sua, ut puta, si aliquis manu mea percutiat; ita posset facere manus aerea; sed ad actionem voluntatis elicitam vel imperatam, quae proprie est actio humana, non potest cogi nisi *secundum quid*, metu, scilicet, maioris mali, quam sit ille actus. — *Oxon.* ib. — *Report.* ib.

Voluntatis in potestate nihil tam est quam ipsa voluntas. — Secundum Augustinum, lib. *I. Retract.* cap. 22, *nihil est tam in potestate voluntatis quam ipsa voluntas.* Quod non intelligitur de voluntate quantum ad *esse* eius primum; quia quantum ad *esse* eius primum magis est in potestate eius non voluntas quam voluntas; sed intelligitur quantum ad *operari.* — *Oxon.* II. d. 7. n. 23. — Illud *I. Retractationum* 9 et 22, *nihil tam est in potestate voluntatis quam ipsa voluntas*, non intelligitur quantum ad *esse* illius voluntatis, sed quantum ad *agere* eius. — *Quodlib.* q. 16. n. 4. — Quod non intelligitur nisi quantum ad actum *elicitum*, * seu * *eliciendum.* — *Oxon.* I. d. 1. q. 4. n. 3 et 18. — Cf. *Collat.* VI. n. 3.

---

(1) Vid. Distinctiones: *Violentum.*

(1) « Quod est dicto : violentum est quod est totaliter a principio extrinseco, quod est contra inclinationem passi ; et velle non potest sic inesse voluntati, quia tunc nolens vellet, vel volens nollet » — *Oxon.* ib.

INDICES

PRAELOQUIUM.

DE B. IOANNIS DUNS SCOTI VITA, SCRIPTIS ET DOCTRINA.

PARS I.

GRAMMATICA SPECULATIVA.

PARS II.

DISTINCTIONES (1).

A

(1) Numerus arabicus *paginam*, romanus *columnam* indicat.

J

L

M

N

O

P

T

U

V

PARS III.

EFFATA.

A

D

E

F

G

Q

V